

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
7 F
45



FR. PETRI MARIÆ

PASSERINI

COMMENTARIA

In Sextum Librum

DECRETALIUM.

FR. PETRI MARIÆ
PASSERINI
DE SEXTULA

OLIM PROCURATORIS, ET VIÇARII GENERALIS
Ordinis Prædicatorum, ac in Romana Sapientia Sacræ Theologiæ Professoris matutini,


COMMENTARIA
In Primum Librum
SEXTI DECRETALIUM.

CVM IPSO TEXTV SVIS LOCIS DISPOSITO,
Et Indicibus Necessariis.











VENETIIS, M.DC.XCVIII.
Apud Paulum Balleonium.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.



Eminentiſſimo Principi

SEBASTIANO ANTONIO
TANARIO

S. R. E. Tit. SS. Quatuor Coronatorum

PRESBYTERO CARDINALI.



Ngràti animi crimine accuſari jure poſſimus, ſi cùm liberaliſſimarum artium beneficio conſtare omnis ars noſtra videatur, ejus tamen præſtantiſſimi viri ſcripta, cujus eæ laboribus, eruditio-

ne,

ne, doctrina augentur, ornantur, aut inedita esse, aut edita deficere patiamur. Quos itaque summo studio, accuratèque elaboraverat Commentarios Rev. Pater Passerinus Dominicanæ Religionis Generalis Procurator, digni planè viderentur qui denuò prodirent in lucem, utcumque me muneri meo censui facturum satis, si in iisdem evulgandis, & optimis disciplinis, & communi Literariæ Reipublicæ bono accommodarem operam meam. Quoniam verò nulli, aut labori parcendum erat, aut impensæ, quo Studiosorum utilitati satiùs consultum esse diceretur, Commentarios hosce ad Sextum Librum Decretalium edendos suscepi, unà cum integro textu, quo exemplaria carent cætera, quæ in lucem huc usque prodierunt, ratus quidem facturum me rem non utilem modò, sed planè necessariam. Quia tamen quò magis ut prosint, animi excitantur ingenui, acuuntur invidiæ dentes eò magis ut noceant, meditatus mecum diù sum, quem virum eximium deligerem, cui Libros hosce nuncuparem, ut ejus freti authoritate nominis, Alpes quoque iterùm transgredi non vererentur; At unus mihi occurristi, EMINENTISSIME PRINCEPS, in

quem

quem tùm animi, tùm fortunæ bona confluunt univerſa; maximè verò domeſticis adeò laudibus, & admirandis Avorum facinoribus eniteſcis, ut præclariſſimæ Familiæ tuæ nitidiſſimus ſplendor ſeſe Solis inſtar per totum Orbem diffundens præſtantium quoque Virorum Lumina in ſui contemplationem, admirationemque converterit. Ex eo TANARIORUM genere ortus es, ex quo diſertiſſimi Homines, fortiſſimi, ornatiſſimi omni ævo prodierunt, & qui maxima ſemper in exiſtimatione tùm apud ſuos in Patria, tùm apud exteros virtutis ergo vixerunt; & quorum denique Majeſtatis, & gloriæ quaſi per manus tradita, & ad Te ipſum uſque conſervata devenit hæreditas; Illi bellicæ virtutis gloria præſtantes viri tuæ Gentis ornamentum extiterunt, & decus, qui Magnum Etruriæ Ducem ſequuti, talem ac tantam ipſi operam contulerunt, ut libertatis deſiderio deſiſcentes Piſtorienſium animos in ſui obſequium, fidemque perduxerit. Illi magnanimitatis, & Regiæ munificentiæ laude laudatiſſimi Heroes Regum fortunæ exæquarunt genus tuum, cùm Romanum quoque Pontificem Leonem X. tantæ liberalitatis muneribus adjuverunt,

ut

ut in accepti beneficii memoriam & ſibi, & poſteris ab eo collatos honores ampliſſimos ſuarum virtutum monimentum erexerint ſempiternum; & ne multis nimio veritatis ſtudio modeſtiæ tuæ moleſtior fiam, quàm multa, quàm paucis complectar? In tantam hominum opinionem, & laudem nobile genus tuum devenit, ut PAULUS V. gentilitia Stemmata ſua Familiæ Tuæ elargiri, & in communionem ducere non dubitaverit. Verùm non quia à tantis majoribus ortus es, PRINCEPS EMINENTISSIME, totius Orbis exiſtimationem, & benevolentiam adeptus es, veram enim nobilitatem non generis, & Stemmatum antiquitate, aut quavis alia re, ſed ſola virtute conſtare maximè omnibus compertum eſt, nam quotidie videmus, & à majoribus noſtris accepimus;

Magnos ſæpè viros nullis majoribus ortos
Et vixiſſe probos, amplis et honoribus auctos,

Sed eò vehementer amaris, maximique duceris, quia demandatas Tibi, difficileſque Provincias ſumma cum laude, & omnium admiratione ſuſtinuiſti; Nam cùm Bruxellas à Clemente X. Internuncius miſſus fuiſti, cùm Nuncius ad tractum Rheni ab Innocentio XI. cùm in Luſitaniam

ab

ab Alexandro VIII. cùm denique ad Cæſarem ab Innocentio XII. quis tot, tantarumque diverſarum Legationum munus Te melior obire potuerat, quis Te fortior Eccleſiaſtica jura tueri, quis Te ſapientior Literatorum verenda jurgia componere, & bellorum periculoſa ſemper, ſed ea potiſsimùm tempeſtate operoſiſsima negotia gerere; Nam & ſi ſapientem virum, & ſpectabilem prædicamus, qui unius tantùm ſibi creditæ legationis officio egregiè fungitur, quas Tibi laudes tribuemus, qui penè innumeras cùm animi integritate, tum Regum, Populorumque benevolentia, incredibili omnium admiratione adminiſtraſti! Ex quo ad Cardinalatum evectus, Innocentii noſtri Pontificatus famam amplificaſti, dum non modò eum virtutis defenſorem acerrimum, verùm liberalem ipſius remuneratorem omnibus Gentibus demonſtraſti. Quare cùm hæc omnium alliciat opinio, impellatque animos conſuetudo, de quibus benè ſentimus, ut iis dicata eſſe, & eorum nomine inſigniri ſcripta, quæ edimus, cupiamus, hos Commentarios ad Te mittendos putavi; præſertim cùm Tu Sanctiſsimo Legum Studio operam Bononiæ in Patria dederis, cujus celeberrimæ

Aca-

Academiæ Bonifacius VIII. eumdem hunc Sextum Librum Decretalium dicavit, & in qua Gratianus Decretum ſuum primus perlegit, & cujus adeo excrebuit fama, ut Bononiæ Legum ſtudioſæ non Italæ tantùm, ſed exteræ quoque Gentes congregarentur. Quapropter quoquo verſum reſpicio nemini potius quàm Tibi hæc dicatio debetur. Unum ergo ſupereſt, ut obſequium meum gratus excipias, ignoſcaſque, ſi modeſtiæ tuæ, dum tua laudavi, moleſtus fortaſsè fui. At non potui quin facerem, cùm adeo præclara facinora tua ſint, ut alios, dum prædicantur vehementer ad virtutem impellant, quod certò minimè aſſequeremur, ſi indicta eſſe pateremur. Vale.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus, & addictiſsimus
Paulus Balleonius.

R U-

RUBRICÆ, ET CAPITULA

Quinque Librorum

SEXTI DECRETALIUM.

De

Si

De



R U-

RUBRICÆ, ET CAPITULA
Primi Libri
SEXTI DECRETALIUM.

Quam-

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per attestato del Segretario nostro nei tre Tomi stampati in Roma l'Anno 1667. intitolati: *Passerini Commentaria in Primum Librum Sexti Decretalium*, non esservi cos'alcuna contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librerie di Venetia, e di Padova.

Dat. 1. Marzo 1697.

{ Ferigo Marcello Proc. Rifor.

{ Ascanio Giustinian 2. Cav. Rifor.

{

Agostino Gadaldini Segret.

F. PE-



F. PETRI MARIÆ PASSERINI, COMMENTARIA In Primum Librum SEXTI DECRETALIUM.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi.

CAPUT UNICUM.



Ideli ac devota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit, hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum, pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis ignorantiam, in errores varios sunt prolapsi: Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc sacro approbante Concilio: Damnamus, & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere: sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno procedat.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Occasio Concilii Lugdunens.*
3 *Regulæ textus.*
4 *Professio exterior est fidei confessio.*
5 *Cur dicatur fidelis, & devota?*
6 *Fides non est coacta, licèt necessitate præcepti habenda.*
7 *Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.*
8 *Inter personas divinas non est oppositio contraria.*
9 *Expressio processionis Spiritus sancti à Patre non excludit Filium.*
Expressio unius non excludit alium nisi ratione alicuius oppositionis.
10 *Quid sit æternitas?*
Processio Spiritus sancti est æterna.
11 *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti.*
12 *Et tamen verum est, quòd sint duo spirantes.*
13 *Pro quo supponat principium Spiritus sancti?*
14 *Spiratio quid importat?*
15 *An tenendum sit quod tenet Ecclesia Romana? non benè & sufficienter explicat Glossa.*
16 *Ecclesia Romana est regula fidei.*
17 *Et credendum & agendum est id, quod ut à Deo revelatum, vel ut à Deo præceptum credit, aut servat Romana Ecclesia.*
18 *Romana Ecclesia mater & magistra fidelium.*
19 *Orthodoxus quis sit?*
20 *Spiritum sanctum procedere à Filio docuerunt PP. Latini.*
21 *Et Concilia.*
22 *Et Patres Græci.*
23 *Negans regulam textus est excommunicatus.*
24 *Quid si taceat?*
Sola voce negans fidem non est hæreticus.
25 *Ordo servandus in explicandis Decretalibus.*
26 *Idem ex causa pluries diffinitur.*

27 *Dictio tamquam intelligenda iuxta subiectam materiam.*
28 *Opinio dicitur sententia.*
29 *An sit necesse sequi communem opinionem.*
Servandum in interpretatione Scripturæ.
Nec negans, nec affirmans contra diffinitionem textus non est hereticus.
Sola voce negans fidem non est hereticus.
30 *Dari potest infidelis negativè.*

1 IN tres partes hanc Decretalem dividit Gloss. ex Jo. Monac. in quarum prima explicat processionem Spiritus sancti, in secunda firmat illam, & in tertia damnat contrarium sentientes. Sed melius eadem Gloss. dividit illam in partes duas, in quarum prima Greg.X. refert quid de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio sentiat ipse, & S. Romana Ecclesia, nimirum quod Spiritus sanctus æternaliter procedit à Patre, & Filio, sed tanquam ab uno, non verò tamquam à duobus principiis; in secunda verò damnat contrarium sentientes.

2 Ratio autem, & occasio istius decretalis secundum Gloss. fuit, quia errore Græcorum dicentium Spiritum sanctum procedere à solo Patre extirpato per canones *cap. penult. & ultimo de consecr. dist. quinta*, adhuc quidam in alios errores inciderunt, aliis negantibus Spiritum sanctum æternaliter à Patre, & Filio processisse, aliis assetentibus eum ab illis procedere tamquam à duobus principiis, non verò tamquam ab uno principio. Verùm alias etiam fuisse rationes congregandi Concilium Lugdunen. & in eo definiendi Spiritum sanctum æternaliter procedere à Patre, & Filio ut ab uno principio ex actis illius Concilii est manifestum. Cùm enim Michaele Patriarcha Constan. & Leone Mariano auctoribus Græci circa annum 1050. ut referunt Leo Nonus *epis. ad Constantinum Monachum*, Anselm. *lib. de process. Spiritus sancti*, Sigebertus ad annum 1054. à Romanæ Ecclesiæ obedientia defecissent, inter alia negantes Spiritum sanctum à Filio procedere, ac affirmantes Latinos anathematis vinculo devinctos esse, propterea quod particulam illam *(Filioque)* Nicæno & Constantinopol. symbolo addidissent; cùmque licet Leo Nonus Pontifex hunc errorem eradicare cupiens literis ad præfatos Michaelem, & Leonem datis, eos in errore pertinaces excommunicasset; cùmque Balduini Imperatoris Constantinopol. opem Græcis ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam reversis, sed eodem Balduino pulso, & Michaele Palæologo Orientis Imperio adepto Latinis paulatim ex Græcia pulsis, paulatim quoque Græci ad vetus schisma reversi essent, & processionem Spiritus sancti à Filio negare cœpissent, propterea Greg.X. & ut rebus Christianorum in Syria pessimè se habentibus prospiceret, & ut Græciam ad veram fidem, & Romani Pontificis obedientiam revocaret, Generale Concilium Lugduni indixit, Binnius *in præfat. ad d. Concilium Lugdunen.* Odericus, & Spondanus in Annalibus ad annum 1272.

3 Hæc est ergo prima textus conclusio, & fidei regula, quod Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, & quidem ab æterno, & tanquam ab uno principio, & per unam spirationem.

4 Fideli, inquit, *& devota professione fatemur &c.* Glossa per professionem intelligit externam fidei confessionem: Sed professio aliquid plus importat, nimirum confessionem, quæ non tam fit verbis, quàm assumptione status Christianæ Religionis, & obligationis ad ea quæ sunt fidei Christi, & per exercitium eorum, quæ ejusdem religionis sunt. Sic enim fidem profitemur in Baptismo.

5 Hæc verò professio dicitur fidelis secundum eamdem Glossam à fide, quæ est actus intellectus, & devota ab actu voluntatis. Et secundum Archid. dicitur fidelis à fidelitate, vel à sinceritate, quia sincera sit, & non simulata. Verè sic est, quod dicitur professio fidelis à veracitate, quia sicut corde verè credimus, sic extra verbis, & factis quod intus credimus, profitemur sine mendacio, & deceptione, aut simulatione. Dicitur verò devota, ab actu devotionis, qui est præcipuus actus virtutis Religionis, ut habet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 82. *art.* 2. Per externam enim professionem fidei Deum etiam colimus, & veneramur.

6 Fideli igitur & devota professione fatemur Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere. Arbitrantur verò Archid. *num.* 1. & Dom. *num.* 2. quod verbum *fatemur* importet coactionem. Sed quamvis fidei confessio, & professio, sicut & interna fides sit necessaria necessitate divini præcepti, non tamen debet esse coacta, sed fidelis & devota, ideòque voluntaria. Præcepto verò fidei, & confessionis tenemur omnes, & ita Pontifex, sicut alii, ut ait Dom. *num.* 1. Imò magis tenetur Pontifex, cùm sit ex officio fidei doctor, & Magister.

7 Sicut ergo tenemur, sic fatemur Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio. Hoc dogma Catholicum probant Theologi cum D. Thom. quia si à Filio Spiritus sanctus non procederet, ab eo personaliter non distingueretur. Hoc enim dato non esset inter Filium, & Spiritum sanctum oppositio relativa, quæ sola est, quæ divinas personas distinguit. Distinctio enim quæ attenditur per affirmationem, & negationem, seu per habere, & non habere non potest esse primæ, ut benè advertit D. Thom. *qu.* 10. *de pot. art.* 5. *cap.* Quia oppositio affirmationis, & negationis sequitur, & supponit oppositionem distinguentem; ex eo enim unum ens non est aliud, quia est hoc unum ens distinctum, & oppositum alteri enti. Sic ergo divinæ personæ non possunt primò distingui per distinctionem affirmationis, & negationis, seu per habere, & non habere, sed per aliquam positivam oppositionem distingui debent.

8 At verò inter divinas personas non potest esse positiva oppositio, quæ dicitur contrarietatis. Nam oppositio contraria, non est nisi inter illa quæ diversificantur secundum formam, ut habet D. Thom. *4. cap. g. cap.* 24. Et cùm contraria mutuò se excludant ab eodem subjecto, sic enim nigrum non potest simul esse album, multò magis se excludunt à convenientia in identitate ejusdem formæ, & entitatis. Et præterea oppositorum contrariè semper unum est alio imperfectius, & se habet ad illud privativè, ut docuit D. Thom. *part. dist.* 26. *qu.* 2. *art.* 2. ad Anibaldum. Et sic oppositio contraria solum potest reperiri inter entia finita, quæ in identitate ejusdem perfectionis non conveniunt, & sunt imperfecta, & limitata. Non verò contrariè opponi possunt Filius, & Spiritus sanctus, qui sunt idem ens infinitum, & ejusdem sunt essentiæ, & perfectionis absque aliqua diminutione. Solum ergo possunt opponi relativè, quia unus procedat ab alio, & sic Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.

9 Eadem verò veritas probatur, quia non obstat, quod in Scripturis dicatur, quod Spiritus sanctus procedit à Patre, & non dicitur, quod procedat à Filio. Tum quia hoc satis etiam est expressum in Euangelio Jo. 16. ubi Filius loquens de Spiritu sancto, dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, Spiritus enim sanctus non accipit à Filio nisi per processionem per quam habet divinitatem totam integram, infinitam, & increatam. Tum quia quod dicitur de Patre in Scriptura oportet de Filio intelligi, etiam si dictio exclusiva *solus* adjungeretur, in omnibus illis in quibus non obstat relativa oppositio. Sic enim Matth. 11. Christus dixit: *Nemo novit Filium nisi Pater.* Nec tamen per hoc excluditur quod Filius non cognoscat se ipsum. Cùm ergo in hoc quod est esse principium Spiritus sancti non opponantur relativè Pater, & Filius, etiam si in Scripturis diceretur, quòd solus Pater spirat Spiritum sanctum, non per hoc excluderetur Filius, quin & ipse eundem Spiritum sanctum spiraret.

10 De hac verò processione Spiritus sancti à Patre, & Filio duo declarantur. Primum est quòd sit æterna. Nam omne divinum æternum est. Multipliciter autem diffiniri potest æternitas, ut quòd sit duratio rei omninò immobilis: quòd sit duratio omninò uniformis: quòd sit duratio per modum actus purissimi; sed communiter diffinitur, quòd sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Hoc nomen possessio metaphoricè hic sumitur, & per illud significatur duratio, quæ est veluti genus in quo conveniunt æternitas, ævum, & tempus; sed æternitas est duratio perfecta, per hoc excluduntur termini magnitudinis, & perfectionis; æternitas enim est duratio, quæ in perfectione sine aliquo termino est infinita. Dicitur verò etiam, quòd sit tota simul ad excludendum terminos extensionis ad alia secundùm partes intrinsecas, non enim habet partes, neque successionem partis ad partem, neque prius, aut posterius. Sed æternitas est duratio interminabilis,

bilis vitæ, & per hoc excluduntur termini extensionis ad alia secundùm se ipsam totam, quia caret omni termino non habens initium, neque finem. Et hoc modo æternitatem explicat D. Th. 1. *dist.*8. *q.*2. *art.*1. Quoniam verò processio Spiritus sancti est essentialiter ens divinum seu ens à se, quod est actus purissimus, omninò immutabilis, & interminabilis, ideò est æterna. Quamobrem in Deo, & divinis personis, aut processionibus non est imaginandum, quòd sit aliquod prius, aut posterius, secundùm non subsistendi consequentiam, seu, ut dicunt, prius in quo; quasi sit dare instans seu signum, in quo sit Pater, & non sit Filius, aut Spiritus sanctus, sed unus Deus, qui in personis est trinus, totus quantus est, æternus est; igitur nullum est signum, in quo non sit, quia æternum semper est.

11 Secundum quòd declaratur, est, quòd Pater, & Filius sunt vnum principium, à quo procedit Spiritus sanctus unica processione, & spiratione. Neque facere debet difficultatem, quòd Pater, & Filius sunt plures personæ, quia virtus spirativa, quam significat principium Spiritus sancti, una est in Patre, & Filio; nomen verò substantivum concretum unitatem, aut pluralitatem sumit à forma significata, quæ si sit una, nomen in singulari, & cum adjuncto *unum*, dicitur de pluribus. Sic enim ex hac ratione dicitur, quòd Pater, & Filius sunt unus Deus, quia nomen Deus significat Deitatem, quæ est una in Patre, & Filio. Ita pariter, quia virtus spirandi est una in Patre, & Filio, ideò Pater & Filius propriè dicuntur & sunt unum Spiritus sancti principium.

12 Et tamen est considerandum, quòd Spiritus sanctus procedit ut amor spiratus, & quidem ut amor amicitiæ, qui est mutuus, & reciprocus, & sic procedit ut amor Patris erga Filium, & ut amor Filii erga Patrem, & propterea sic habet, ut procedat per unam virtutem spirativam, quòd tamen per se petit procedere à duobus spirantibus, quia petit procedere à duobus amantibus sese amore amicitiæ. Itaque virtus spirativa sic una est, & tota est in Patre, & tota in Filio, quòd tamen per se petit ut non sit tota in Patre solo, sed ut sit tota in Patre, & tota in Filio. Et sic Spiritus sanctus est à Patre, & Filio ut ab uno, & ut à duobus. Et quidem ab illis ut ab uno principio ratione unitatis virtutis spirativæ, & spirationis, sed simul est ab illis ut à duobus spirantibus. Pater igitur & Filius per se sunt unum principium Spiritus sancti, & sic sunt unus spirator propter unitatem virtutis spirativæ. Sed simul per se sunt plures spirantes, quia sunt plures amantes, & qui mutuò se amando spirant.

13 In hac verò propositione Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus sancti, an principium supponat determinatè, vel confusè, tractant Theologi cum D. Thom. *p.*1. *qu.* 36. *art.*4. *ad quartum*, ubi D. Thom. vult quòd confusè supponat pro duabus personis simul.

14 Cùm verò dicitur quòd Spiritus sanctus procedit unica spiratione, Archid. *n.*3. & Domin. *n.*10. ut id explicent, dicunt quòd spiratio respicit actum spiratum, ut patet ibi, *Spiritus ubi vult spirat*, *cap. Nisi*, §. *verum*, *de renunciat.* processio verò spirationis effectum, ut ibi, *Sed mystico spiramine, verbum Dei factum caro &c.* Sed hoc non est Theologicè, aut verè, & benè dictum. Nam spiratio si sumitur ut est relatio, sic non respicit actum spiratum, sed personam spiratam, nimirum Spiritum sanctum ut à Patre, & Filiò procedentem. Si verò sumatur spiratio activè, sic ipsa non respicit actum, sed imò ipsa est actus notionalis spirandi, cujus terminus est ipsa persona Spiritus sancti. Similiter hoc nomen processio si sumatur, ut est relatio, respicit Patrem, & Filium spirantes. Non enim est aliud quàm relatio, qua Spiritus sanctus refertur ad Patrem, & Filium. Sed si sumatur ut est actus notionalis, sic est ille actus per quem Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedit. Textus vero allati non faciunt ad propositum, cùm in illis non sit sermo de spiratione Spiritus sancti ad intra, qua ipse procedit, & spiratur. Sed de spiratione, qua Spiritus sanctus ad extra spirat, vel inspirando sanctum amorem in cordibus nostris, vel faciendo quòd Virgo beata de ipso conciperet Christum.

15 Sic igitur posita jam assertione, scilicet quòd Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio æternaliter, & ita quòd Pater, & Filius sunt unum principium à quo Spiritus sanctus procedit una spiratione, Pontifex assertionem probat primò, quia ita tenuit & docuit, tenet & docet sancta Romana Ecclesia. Hac verò occasione Glossa distinguit ea, quæ sunt fidei ab aliis, & ait, quòd in iis, quæ sunt fidei, debemus tenere, & sequi quod tenet, & sequitur Romana Ecclesia, *cap.*1. *&* 2. *sup. eod. tit.* Sed in aliis non tenemur sequi quod Romana Ecclesia sequitur, nisi simul doceat id esse sequendum, *cap. Nolite* 11. *dist. cap. Novit*, 12. *dist. cap. Aliter*, 11. *dist. & cap. De trina*, *de consecrat. dist.*4. Hæc tamen distinctio nec continet omnimodam veritatem, nec rem explicat.

Sed distinguendum est inter ea quæ sunt juris divini, & naturalis, & quæ sunt juris humani. Nam quidem verissimum est, quòd Ecclesia Romana est regula fidei. Nam Ecclesiæ Romanæ seu Romani Pontificis est determinare ea, quæ sunt credenda, ut probat D. Thom. 2.2. *q.*1. *art.* 10. & est Theologorum regula certa, quòd Ecclesia in proponendo res fidei est infallibilis regula. Ejus enim etiam est judicare de vero sensu Scripturarum. Concil. Trident. *sess.*4. *in decreto de edit. libr.* Verùm Ecclesia Romana nedum in rebus fidei, sed in materia morum, & in omnibus, quæ ad observantiam juris naturalis, & divini spectant est omnium magistra: ejus etiam est divinam legem docere, cùm hoc ad pascendum Christi oves summè sit necessarium. Et quia Ecclesia Romana non tam verbo, quàm facto docet, ideò nedum credenda sunt, quæ ipsa verbo docet esse credenda, sed etiam quæ ipsa credit de facto, ut à Deo revelata. Et eodem modo agenda sunt, & observanda, nedum quæ verbo docet esse divina præcepta, sed etiam quæ ipsa ut divina præcepta custodit; sufficienter enim docet, si facto & praxi sua aliquid custodit, ut Christi præceptum, non verò tantùm, ut humanum statutum. Sed in illis, quæ non sunt de jure naturali, vel divino, sed solùm sunt juris humani, non est necesse per totum orbem facere, quod facit Romana Ecclesia, nisi ipsa id fieri debere jubeat. 16

Et per hoc solvitur quæstio, quam tractant Domin. *n.* 23. & Franc. *n.*25. An scilicet necesse sit sequi consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. Missis enim distinctionibus ab illis datis, respondetur, quòd si Romana Ecclesia aliquid observat ut Dei præceptum, omnes obligans, hoc ubique est servandum, quia hæc Romanæ Ecclesiæ praxis, infallibilis est interpretatio, quòd verè illud sit Dei præceptum ubique servandum; sed in iis, quæ non sunt juris naturalis & divini, nisi Ecclesia Romana jubeat, & intendat totum orbem obligare, nulla est necessitas observandi praxim illius, & consuetudinem. Consuetudo enim hæc est privata, nec ultra locum in quo est introducta se extendit. 17

Verissimè autem in textu dictum est, quòd Ecclesia Romana est mater omnium fidelium, & magistra. Romana Ecclesia fidelium mater est, quia eos gignit Christo per Baptismum, & ideò non infidelium, sed fidelium mater est. Sed & est magistra, quia ejus est per suum Pontificem dubia omnia fidei determinare. D. Thom. 2.2. *q.*1. *art.*10. Ipse enim Petrus est, & ejus successores sunt illa unica petra, de qua dixit Christus *Matt.*16. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et Lucæ* 22. dixit Christus: *Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oravit Christus, & obtinuit ne Petri fides ejusque Successorum deficeret, sed ipsi alios sua fide inconcussa firmarent in vera Christi confessione. Et ita locum hunc in hoc sensu intellexerunt, eoque usi sunt Lucius Papa *in Episc. ad Episc. Galliæ*, *& Hispaniæ*, Marcus Papa *in Episc. ad Athan. quæ habetur tom.*1. *Epist. p.*1. Felix 1. *Epist.*3. *ad Benignum*, Agatho Papa *in Epist. ad Const. Imperat.* quæ lecta fuit *in act.*4. *sextæ Syn. & act.*8. probata. Nicolaus Primus *Epist. ad Michaelem Imper.* Leoque *in Epist. ad Michael c.*7. Innoc. III. *in c. Maiores*, *de Baptismo*, Sanctus Leo Papa *serm.*2. *in natali SS. Petri*, *& Pauli cap.*3. *& serm.*3. *de assumpt. sua.* Videatur de hoc puncto eruditissimè disserentem, Bzovium *in suo Romano Pontifice*. 18

Secundò Pontifex assertionem, & regulam fidei à se positam probat, quia hoc Orthodoxi Patres Latini, & Græci docuerunt, & docent. Orthodoxus autem secundum Archidiac. *numer.*4. idem est, quòd rectè gloriosus, & desumitur ab *Orthos*, quòd est rectus, & *Doxa*, quòd 19

quòd est gloria, & quia fidelis meritò dici potest esse, rectè gloriosus, ideò hoc nomen est impositum ad significandum virum sincerè fidelem, & Catholicum. Itaque Orthodoxi Patres, atque Doctores sunt Patres, & Doctores in fide vera gloriosi, & Catholici.

20 Spiritum sanctum autem à Filio procedere docuerunt communiter sancti Patres, & Doctores Latini, probantes hoc ex illo *Ioan.16. Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Sic enim locum hunc intellexerunt Ambr. *lib.5. de fide cap.6. & l.2. de Spir. S. cap.12.* Hilar. *l.8. de Trinit. circa medium*, August. *tract.99. & 100. in Ioan.* Beda, & D. Thom. *in Comment. eiusdem loci*, S. Leo Papa *serm.1. in Pentecost. cap.3.* Anselmus *Epist. de process. Spirit. S. cap.7. & 8.* Hoc idem quoque ex illo *Io.16. Omnia, quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*, probaverunt August. *tract.99. in Io. & l.3. c. maxim. cap.14.* Ambros. *lib.2. de Spir. S. cap.12.* Hilar. *l.8. circa medium*, S. Leo *serm.1. in Pentecost. c.9.* D.Th. *4. c. gent. cap.24. §.3. & Opusc.1. cap.32. §.29.* Et ita eodem testimonio usus fuit etiam Eugenius IV. *in Concil. Florent. in litteris unionis circa medium.* Sed & quia Spiritus sanctus dicitur mitti à Filio, juxta illud Jo.15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, Processionem Spiritus sancti à Filio collegerunt, Ansel. *lib. de process. Spir. S. c.7.* D.Th. *4. c. g.24. §.2.* Joan. Theologus Latinorum nomine *in Concil. Florent. sess.24. ante medium*, & alii PP. *sess.25.* His verò addendi sunt S. Martialis *epist.1. ad Burdegal. cap.10.* Tertull. *lib. contra Praxeam cap.4.* Auctor *lib. de operib. Cardinalib. Christi* apud Cyprian. *tit. ult.* Prosper. *lib.1. de vita contempl. cap.18. & lib. sentent.* August. *sent.371.* Fulgent. *lib. de Fide ad Petrum cap.2. & 11.* Hormisda Papa *epist.1. advers. Nestorium, c.2.* Greg. Magnus *l.2. dialog. cap. ult. & l.1. mor. c.8. & l.5. c.26. & l.30. c.5. aliàs cap.8. & hom.26. in Euang.* Isidorus Hispalen. *Etymolog. l.7. cap.3. & 4. & lib.2. de differ. spiritual. c.3.* Idacius Clarus *lib. contra Varimondum*, Paschasius Diaconus *l.1. de Spir. S. cap.8.* Boetius *l. de Trin. c.12.* Cassiod. *in Ps.50.* Ildefonsus Toletanus *l. de virginit. S. Mariæ cap.8.* Aponius *Cant. l.3. & 6.* Alivinus *l.1. de Trinit. c.6.* Haymo *hom. in oct. Paschæ*, Rabanus Maurus *l.1. de universo c.3. & l.2. de instit. Cler.57.* Et in Ecclesiasticum *l.6. c.2.* Remigius Antisiodoren. in illud Ps.32. *Spiritu oris eius*, Leo Nonus *Epist. ad Episcopos Venetiarum &c.* Rupertus *l.1. de glorificat. Trinitatis, & processione Spir. S. cap.17. & l.1. de operibus Spir. S. c.28.* Bernard. *ser.3. de Pentecost.* & inter parvos sermones *serm.20.* Ricardus Victorin. *l.5. de Trin. cap.8.* Innoc. III. *in serm. de die Ascens.* Hugo Eterianus in libro de hæresibus, quas in Latinos Græci devolvunt, præsertim *lib.3.* Albertus *p.1. q.31.* S.Th. *p.1. qu.36. art.1. & 2.* & fusius *opusc.1. cap.32. & opusc.3. contra Græcos, & qu.10. de potest. art.4. & contr. gent. l.4. cap.24.* D. Bonav. *4. dist.11. art.1. qu.1.* & Scholastici *ad 1. sentent. dist.11. & ad primam partem* D. Thom. *qu.36. art.1. & 2.*

21 Sed eandem veritatem definierunt pluries S. Concilia. Et quidem primò Concil. Alexand. simul cum Cyrillo Alex. Episcop. *in epist. ad Nestorium, cap.10.* quæ probata fuit *in Concil. Ephes. part.1. cap.4. sub num.26.* Et in Concil. Chalcedonen. quod est quartum generale *act.5. in priori deffinit. post med. & in poster. post medium*, quamvis ejus Epistolæ non referat exemplar. Quod tamen refert Synod. Constant. 2. quæ est quinta General. *coll.6.* Item Patres septimæ Synodi generalis quæ est Nicæna *act.7. in Confess. fidei*, symbolo addiderunt *Filioque*, dicentes de Spiritu sancto, *qui ex Patre Filioque procedit.* Item in Synodo Romana sub Agathone Papa eadem veritas fuit definita, ut patet ex Agathonis Epistola, quæ in sexta Synodo habetur *act.4.* sie enim, & multò antè S. Leo Papa *in Epist. ad Turribium Auster. Episcopum* dixerat de Spiritu sancto, *Ex utroque processit*, & S. Leonis tempore idem confessi sunt PP. Concil. Tolet. 1. in confessione fidei, & in Toletano 2. sub Gelasio Papa, Sanctus Leander Hispalen. Episcopus, & S. Euphemius Toletanus cum aliis centum quadraginta octo in professione fidei, *& can.3.* & in Tolet. 4. *cap.1. & 6. cap.1. & 8. & 11.* quæ Concilia celebrata fuerunt ante sextam Synodum generalem. Eandem quoque Confessionem habemus in Concil. Herfeldensi anno 650. apud Bedam *l.4. Hist. Anglic. cap.17.* in Concil. Aquisgranen. apud Annonium *l.4. de gestis Francorum cap.95.* circa annum 808. in Concil. Vormat. anno 860. & in Concil. Baren. anno 1090. Ubi Anselmus fortissimis argumentis convicit Græcos, & hujus Concil. meminit idem Anselmus *l. de proc. Spir. S. cap.4.* & fusius rem narrat author vitæ Anselmi *l.2.* Prætereà verò hanc eandem veritatem definivit Innoc. III. in Concil. Lateranen. & habetur suprà *cap. firmiter de summa Trinit.* & Concil. Lugdun. sub Greg. X. & habetur in hoc capit. & Concil. Florent. *in sess.25.*

Etiam PP. Græci processionem Spiritus sancti à Patre, & Filio confessi sunt. Athanas. *in symbolo*, quod esse Athanasii constat ex Nazianz. *orat.21. in laudem Athanas.* & ex August. *in Ps.120. & l.5. de Trinit. cap.8. & in Enchirid. cap.36. & epist.174.* Et idem tradidit Athanas. *orat.4. contra Arianos, & orat. de Concil. Nicæno*, Nazianz. *orat.49. de fide, & orat.37. quæst.5. de Theologia*, Nyssenus *l. ad Albabium, & orat.7. Catech. cap.2.* Basil. *lib.2. & 5. titul.11. contra Eunom. & lib. de Spir. S. cap.17.* Chrys. *homil.1. in symb.* Epiphan. *in Ancorato col.1. & hæres.62. 69. 73. & 76. ad cap.1. & 34. Aetilii*, Cyrill. Alexandr. *in anathemat. suis cap.1. anathem.9. & lib. de recta fide ad Regin. & lib.1. de fide ad Theod. & l.5. in Isaiam, & ad cap. secundum Ioelis vers.34. & l.11. in Ioan. cap.25. & l.12. cap.56. & l.13. Thes. cap.1. & 3.* Philo Carpatius *in Cant. col.4.* Anastasius Sinaita *l.1. de dogmat.* Cyrill. Hierosol. *Catech.17.* Athanas. Syrus *l. de passione imaginis*, Tharasius *in Epist. ad summos Sacerdotes*, quæ habetur in 7. Synodo *act.3. col.4.* Quamvis verò Theodoretus Nestorianos defendens contra Cyrillum Alexand. negaverit Spiritum sanctum esse à Filio, ut patet in ejus responsione ad nonum anathematismum; tamen studio Theodosii junioris Constantinopolim convocatus Nestorianis anathema dixit, & cum Cyrillo rediit in gratiam, & ad Ecclesiæ communionem receptus fuit in Concil. Chalcedonen. *act.8.* & licet nullibi Theodoretus, (quod legerim) clarè professus sit Spiritum sanctum à Patre procedere, tamen ad illud Rom.8. *Propter inhabitantem Spiritum eius in vobis*, & 1. Corint. 2. prope finem ad illud, *Spiritum, qui ex Deo*, Theodoretus dicit *Spiritum sanctum à Patre procedere, & per Filium dari.* Et quamvis etiam S. Damascenus *lib.1. de fide cap.11.* negaverit Spiritum sanctum esse ex Filio, unde D. Thom. *p.1. quæst.36. art.2. ad tertium, & quæst.10. de potest. art.4.* Damascenum numerat inter eos, qui sequuti sunt errorem Nestorianum de processione Spiritus sancti à solo Patre. Nihilominus ut D. Thom. advertit *in d. respons. ad tertium*, non defuerunt, qui Damascenum excusarent, & Catholicè interpretarentur, & si Jo. Damascenus vixit usque ad tempus Concil. VII. Generalis (circa enim illud tempus floruit.) Dicendum est eum recessisse à præfata sua sententia, cùm in eo Concil. VII. decretum fuerit Spiritum sanctum à Filio procedere. 22

Sic igitur explicata doctrina, & Regula fidei circa processionem Spiritus sancti Pontifex in secunda parte textus contra illum, qui pertinaciter, & temerario ausu negaverit Spiritum sanctum procedere æternaliter à Patre, & Filio una spiratione, & tanquam ab uno principio fert sententiam excommunicationis ipso facto incurrendam. 23

Sed quid, inquit Glossa, si quis nec asserit nec negat, sed tacens sic consentit? videtur non teneri, quia tacere est præter ista *cap. duo 22. qu.2. cap. ne quis, & cap. Is qui tacet, infra de regulis iuris, & l. qui tacet, ff. eod.* Respondet verò, quòd licèt non ex verbis, ex mente tamen judicatur hæreticus *cap.1. supra de hæret. cap. hæresis 24. quæst.3.* Nam Deus audit in corde, *cap. fin. 17. qu.1. §. si ergo* & cor interrogat, *cap. si quid 14. quæst.5. & cap.1. 15. quæst.6.* Si tamen quis è contra non neget, vel malè sentiat corde, licet ore id faciat, non est hæreticus, vel apostata, nec subest huic excommunicationi, ut ex S. Raymundo *in sum. de Apostatis §. qui si non profitentur*, advertit hic Archidiac. *num.5.* Cæterùm ad hoc, ut quis sit hæreticus sufficit etiam si de articulo fidei dubitat, quia iste jam negat infallibilitatem divinæ veritatis, & infallibilitatem Ecclesiæ proponentis fidei articulum, cùm de veritate articuli propositi dubitat. 24

Et hæc dicta sufficiant pro intelligentia assertionis, & Regulæ in Decretali positæ. Sed quia incidenter in Decretalibus præter regulas plura adjunguntur notanda, 25

da, & memoriæ commendanda, hunc ordinem sequar, ut post declaratam assertionem principalem, seu regulam, aut regulas in textu positas, quæ videbuntur incidenter notanda, adjungam.

26 Notandum igitur est primò, quòd licet ante Concilium Lugdunense veritas processionis Spiritus sancti à Patre, & Filio fuerit definita, ut patet ex prædictis, tamen iterùm Greg. X. illam, ut veritatem fidei declaravit. Ex quo colligitur non superfluè veritatem aliquam fidei pluries definiri, si vel novi errores insurrexerunt circa illam, vel ex ignorantia homines antiquam veritatem ad pravos sensus detorquent, vel alia aliqua similis occurrit causa.

27 Notandum secundò, quòd in hoc textu dictio *tanquam* est nota veritatis, non verò signum improprietatis, & similitudinis, Domin. *num.*2. Franc. *num.*1. Ex quo colligitur, quod hæc dictio explicanda est, juxta subjectam materiam. Videantur Gloss. *sup. cap. solita, de maior. & obed.* & Gloss. *in cap. Cùm pro causa, de sent. excomm.* Jo. Andr. *in cap. Cum sicut sup. de consecr. Eccl.*

28 Notandum tertiò, quòd ex illis verbis *Incommutabilis, & vera sententia*, colligit Domin. *num.*6. quòd opinio vocatur sententia, & quòd hoc nomen non semper importat pronunciationem judicialem; sed quamvis non simus hic in casu opinionis, sed assensus fidei omnem formidinem rejicientis, & qui assensus benè potest dici sententia, cùm per illum determinatè omninò decernatur esse sicut asseritur: tamen verum est, quod etiam opinativus assensus dici potest, & communiter dicitur sententia, quia intellectus se ad unam partem determinans pronunciat partem unam amplectendam esse, & eam amplectitur.

29 Notandum quartò, quòd ex eisdem verbis colligunt Domin. *numer.*5. & Franc. *numer.*3. Judicem in judicando amplecti debere sententiam communem, secundum Gloss. *de pœnit. dist.*1. *cap. final.* & Innoc. *in cap. Ne innitaris, supra de constitut.* Si tamen sententia communis sit certa: Nam aliàs si sit controversa, & contra sententiam communem militet vera ratio & certa, non est puniendus judex, qui decernit contra communem. In dubio autem Domin. ait præsumendum esse pro multitudine. Sed de hoc aliàs. Nam in præsenti non sumus in casu materiæ opinativæ, sed fidei certæ. Et quantum ad sanctarum Scripturarum interpretationem adest diffinitio Concil. Trident. *sess.*4. *in decreto de edit. librorum*, ibi: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Adest etiam excommunicatio lata in Concil. Lateranen. contra Prædicatores malè interpretantes Scripturam sacram contra proprium sensum, & interpretationem Doctorum ab Ecclesia, vel usu approbatorum. De quo satis dixi *lib. de stat. & off. hom. tom.*2. *q.*182. *art.*1.

Notandum quintò circa verba *Præmissæ veritatis ignorantiam*, quod Juris ignorantiam non excusare ex hoc textu colligunt Glossa, Archid. *numer.* 3. Domin. *numer.* 24. sed verum quidem est ignorantiam juris non tam de facili præsumi, postquam lex fuit promulgata. Sed nihilominus nedum juris positivi, sed juris divini posse dari ignorantiam invincibilem à peccato, & à pœna peccati excusantem; & in casu nostro posse dari infidelem, quem appellant negativum, in quo infidelitas non sit peccatum, & ideò nec ratione infidelitatis sit puniendus cum D. Th. 2. 2. *quæst.*10. *art.*1. tradunt paucis exceptis communiter Theologi. In illis enim, qui nihil de fide audierunt, infidelitas non est peccatum, sed pœna peccati, & isti damnantur quidem ob alia peccata, quæ sine fide non remittuntur, non tamen damnantur ob peccatum infidelitatis. Dixit enim Dominus, *Io.*15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* 30

DE CONSTITUTIONIBUS.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum specialium & personarum singularium consuetudines & statuta (cùm sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem, à se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.

SVMMARIVM.

1 *Divisio capitis.*
2 *Regula textus.*
3 *Nomina Papæ.*
4 *Habere iura in scrinio pectoris quid sit secundum alios?*
5 *Habere iura in scrinio pectoris non est dictum respectu solius eiusdem Pontificis.*
6 *Habere iura in scrinio pectoris non est præcisè habere illa per interpretationem, vel auctoritatem.*
7 *Habere iura in scrinio est habere in memoria.*
8 *Obiectio contra prædicta.*
9 *Pontifex habet iura in pectore ob sapientes assistentes, sed hoc non salvat textum.*
10 *Id est verum, quia præsumitur & Papa tenetur ea scire.*
11 *In Papa non præsumitur ignorantia iuris.*
Cùm ex officio teneatur esse legum custos, & defensor.
12 *Papa sine iusta causa ideòque sine legum cognitione eas non mutat.*
Papa non mutat leges sine maturo consilio.
13 *Non potest præsumi, quòd Papa deficiat à munere suo.*
14 *Papa uti debet ministerio peritorum, & id facit.*
15 *In Papa inconsideratio ex negligentia, vel oblivio naturalis præsumi non debet.*
16 *Intellectus text. cap. Quod autem 30. quæst.4. & cap. Non plures de cons. dist.16.*
Qualiter plures possint levare baptizatum de sacro fonte? ibid.
Hæc præsumptio est iuris, & de iure.
17 *Conclusiones plures deducta ex præmissis.*
18 *Constitutio est lex à Pontifice pro bono communi edita.*
19 *Non est necesse, quòd lex posterior priori sit contraria directè.*
20 *Necesse est, quòd sit contraria.*
21 *Dictio posteà ambigua, & arbitrariæ significationis.*

22 *Lex posterior contraria priorem abrogat.*
23 *Lex non derogat statutis, & consuetudinibus nisi caveatur in ipsa.*
24 *Consuetudo duplex generalis, & particularis.*
25 *Lex consuetudinem generalem contrariam abrogat.*
26 *Consuetudo contraria legem tollit.*
27 *Statuta particularia condere possunt communitates, & horum discrimen.*
28 *Si sint priora legi generali, ea non obstante servanda sunt.*
29 *Statuta sunt multiplicis differentia.*
30 *In textu non fit mentio expressa statutorum, & privilegiorum.*
31 *Statuta particularia quare sint quid facti?*
32 *In Papa an dari possit ignorantia proprii facti.*
33 *Statuta locorum Papa potest probabiliter ignorare.*
34 *Incola non potest allegare ignorantiam statuti.*
35 *Quam potest allegare alienigena.*
36 *Statuta respectu locorum faciunt ius commune.*
Iudex non potest ignorare statuta.
37 *Iudex potest probabiliter ignorare consuetudines.*
38 *Consuetudo & statutum debent esse rationabilia, ut non abrogentur.*
39 *Papa per tollerantiam non approbat statuta irrationabilia. Nec generalis approbatio se extendit ad specialiter reprobata. Nec generalis concessio ad odiosos.*
40 *Dictio* nisi *multipliciter sumitur.*
41 *Derogare, abrogare, limitare, quid significant?*

1 IN duas partes dividitur præsens decretalis. In prima enim parte comparatur lex Pontificia posterior priori contrariæ. Et in secunda eadem lex comparatur statuto, & consuetudini particularis Civitatis, aut Regni.

2 Statuitur itaque, hæc prima regula, quòd quia Pontifex jura omnia censetur habere in scrinio pectoris, ideò cùm legis prioris non possit in eo præsumi ignorantia probabilis, per posteriorem constitutionem priorem revocat, licet illius mentionem non faciat.

3 De nominibus autem Papæ Romani Episcopi vide hìc per Glossam, & Archidiac. *n.1.* Aochar. *n.1.* Domin. *n.21.* & latissimè per Gomezium.

4 Cùm verò dicitur, quòd Pontifex jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, Franchus *num.6.* ex Gloss. interpretatur hoc, ut Pontifex dicatur habere omnia jura in scrinio pectoris per interpretationem, cùm habeat facultatem omnia illa interpretandi, Jo. Mon. *num.1.* Eò quòd apud Principem sit vis omnium jurium. Et ideò Barbosa hoc dictum fuisse arbitratur ob altissimam potestatem, quam Papa habet à Deo. Unde *n.3.* deducit apud Principem esse fontem omnium jurisdictionum, à quo fluunt, & refluunt. Gomez verò latissimè existimans, quòd in Principe potest esse ignorantia juris propter oblivionem, & hoc probans à *n.92. ad 97.* explicat hunc textum *n.98.* ut intelligatur de eodem Pontifice, qui duas constitutiones facit contrarias, & cùm non præsumatur habere ignorantiam proprii facti, censetur habere illas in scrinio pectoris. Posteà admittendo, quòd textus intelligatur de Pontifice absolutè, subdit *num.99.* quòd dum dictum fuit Papam habere omnia jura in scrinio pectoris, hoc fuisse dictum non propter scientiam, vel peritiam, aut memoriam, quia Papa potest esse idiota, & immemor etiam sui; sed fuisse dictum propter authoritatem.

5 Sed quod primò dixit Gomez, scilicet, quòd textus intelligatur de eodem Pontifice respectu constitutionum suarum, est singulare & contrarium communi omnium sensui, & prorsus improbabile. Nam textus loquitur de Romano Pontifice absolutè, & conclusio textus, quòd Pontifex per novam constitutionem abroget priorem, non facta ejus mentiooe, est verum respectu quarumcumque constitutionum, & quod asseritur in textu, est quòd Papa nedum sua, sed omnia jura habet in scrinio pectoris, & ideò habere censetur in scrinio pectotis & sua & suorum Prædecessorum jura.

6 Quod verò ab aliis dicitur, scilicet, quòd Romanus Pontifex habet omnia jura in scrinio pectoris per interpretationem, vel universalius per auctoritatem secundùm se verum est, sed non est de mente istius textus, qui distinguit inter jura, & statuta particularium locorum, & privatas singularium consuetudines, & de talibus juribus affirmat, quòd Papa habeat ea in scrinio pectoris, cùm tamen nedum jura, sed statuta omnia, & consuetudines habeat in potestate, ut eas vel approbet, vel reprobet, eademque interpretetur, & declaret.

7 Quamobrem habere jura in scrinio pectoris est habere illa in notitia, & memoria. Cùm enim memoria sit illa animalis pars in qua veluti in arca, & scrinio reconduntur species rerum, per quas res cognoscuntur quamvis absentes, meritò memoria dicitur scrinium pectoris, & Papam habere jura io scrinio pectoris est habere illorum notitiam & memoriam, Gloss. *v. scrinio*, Jo. Mon. *n.1.* Archid. *n.7.* Jo. And. *n.9.* Domin. *n.23.*

8 Sed numquid esse non potest, quòd Papa alicujus, vel plurium jurium notitiam non habeat, vel memoriam? Numquid non est labilis memoria hominis, juxta *l. peregrè, ff. de acquir. possess.* Certè Urbanus Primus Papa non recoluit ejus, quod Leo ejus prædecessor prohibuerat, ut habetur *cap. Non plures de consecr. dist.4. cap. Quod autem 30. q.4.* Duplex est modus respondendi. Primus est, quòd Papa habeat jura in scrinio pectoris, seu in notitia & memoria, si non per seipsum, saltem per sapientes, & Doctores illi assistentes, qui dicuntur pars corporis ipsius Papæ. Ita Gloss. *not.1.* ubi ex hoc deducit esse reos læsæ majestatis, qui hujusmodi DD. assistentium Papæ machinantur mortem. Talem dixerunt Jo. Monachus *n.1.* Gomez *num.106.* Panorm. *ad cap. Cum ex literis n.4. vers. quinto nota, de restitut. in integrum*, & Barbosa *hic n.2.* & apud eum Lanceli. Conrad. & Thom. Act. Ita Gloss. *v. iura*, Archid. *num.5.* Jo. And. *n.6.*

9 Sed neque hæc responsio se sola sufficit, quia assumit verum, sed noo salvat mentem textus, qui non potest intelligi nisi de propria Papæ ipsius scientia, memoria, & actuali consideratione jurium; aliter enim textus nihil probaret, & inutiliter loqueretur. Quod enim textus probare intendit, est quòd Papa per posteriorem constitutionem derogat priori contrariæ nulla facta ejus mentione. Et quia hic effectus esse non potest, si in Papa sit ignorantia actualis prioris legis, dum posteriorem contrariam edit, quia si adsit actualis ignorantia prioris legis, non adest actualis voluntas illi derogandi, sed adest actuale involuntarium, quia non est voluntas incogniti, deficiente verò voluntate derogandi in Papa, legi non derogatur; Propterea quod intendit Bonifacius Octavus, est quòd quia in Papa edente novam constitutionem contrariam Priori præsumitur actualis scientia, & memoria prioris legis contrariæ, ideò ei censetur derogatum non facta ejus mentione. At verò ad hoc ut Papa liberè velit derogare legi priori, non sufficit scientia ministrorum in illis existente, sed requiritur actualis scientia in ipso Papa. Dico actualis sive omninò explicita, sive implicita & talis qualis est necessaria, & sufficit ad hoc ut Papa actu liberè velit derogare legi. Deficiente enim in Papa voluntate derogandi manifestum est legem manere non abrogatam. Non sufficit igitur dicere, quòd Papa habeat jura in pectore, quia ministri illa sciant, sed necesse est dicere id esse verum, quia ipse Papa per se illa sciat, licet ad hoc adjuvet peritia ministrorum.

10 Aliter igitur respondetur, & dicitur quòd Romanus Pontifex habet omnia jura in scrinio pectoris, idest in actuali notitia, aut memoria præsumptivè, ut tradunt Domin. *num.23.* Franc. *num.6.* Marchus Antonius Maresc. *num.95.* Gomez *num.112.* Licet ergo in Papa, seu Principe, possit esse alicujus juris, vel ignorantia, vel oblivio, ut habet Gloss. *in d. l. Peregrè, ff. de acquir. possess.* Et neque ad hoc probandum fuerit necessarius labor assumptus à Gomez, quia sufficiebat dicere, quòd Pontifex est homo, at verò hominibus communis est ignorantia, error, & peccatum, ut benè dixerit D. Anton. 3. *part. tit.22. cap.7. in fin.* quod cùm Papa omnia possit, potest etiam quod est hominibus commune, scilicet errare, & peccare.

11 Nihilominus in Papa non potest præsumi ignorantia, vel oblivio, vel inconsideratio juris. Et ratio est, quia Princeps ex officio tenetur leges scire. Tum quia Princeps est legum conditor, custos, & defensor, qui tenetur secundum illas subditos dirigere, & illarum contemptores punire, tanquam Ordinarius judex omnium, & singulorum *cap. Cuncta per mundum 9. qu.3.* Tum maximè in condendis, aut mutandis legibus, aut in dispensando in illis. Cùm enim non possit lex mutari sine justa causa, ut probatur

batur infra *art.2.* ſicut ſine cauſa juſta licitè & ritè non diſpenſatur in lege. Nulla enim diſpenſatio in lege eſt concedenda ſine juſta cauſa, *cap. Fraternitatis*, *cap. Lector diſt.* 34. *& cap. Priſcis diſt.*55. Fagnan. *cap. ſuper eo numer.*40. *de Bigam.* Quod enim ait Innocent. *cap. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Monach. num.*3. ſcilicet Principem diſpenſare poſſe etiam ſine cauſa, verum eſt quantum ad forum externum, & quantum ad valorem, ſed non in foro animæ, & quoad Deum, & ad evitandam culpam, ut benè explicat Panorm. *cap. Extirpandæ*, §. *Quia verò num.*44. *de Preben.* Jus enim ſcriptum totum fundatur ſuper bono communi *cap. licet autem lex diſt.*4. D.Thom. 1. 2. *qu.*90. *art.*2. At verò bonum commune privata conſideratione, & ſine cauſa non debet omitti, *cap. Miramur*, *diſt.*6. *cap. licet*, *de Regul.* Et notanda ſunt hic aurea verba D. Thom. 1.2. *qu.*97. *art.*4. *Si autem*, inquit, *Rector multitudinis*, *abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat*, *non erit fidelis in diſpenſatione*, *aut erit imprudens: infidelis quidem ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Luc.* 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Et proptereà optimè Cajet. ibid. dixit, quod *pro ſola voluntate non fit diſpenſatio, ſed diſſipatio.*

12 Et idem docent communiter DD. ad eumdem art. Tenetur ergo Princeps ut non peccet, & non ſit diſſipator, ſed bonus rector, & paſtor ſine maturo conſilio nec in toto nec in parte mutare legem aut in ea diſpenſare ſine conſilio & matura inſpectione ad bonum commune, & ſine cauſæ juſtæ exigentia, hoc autem fieri non poteſt ſine actuali cognitione & conſideratione legis, quæ mutanda eſt, vel cujus contrarium introduci debet, vel in qua fieri intenditur diſpenſatio; ideò Princeps ex officio ſuo tenetur habere actualem conſiderationem legis veteris, & legis novæ edendæ, ut non novam legem edat contrariam, vel in toto, vel in parte, & ideò derogantem priori niſi ex matura & prudenti utriuſque legis conſideratione, & eadem ratione non debet reſcribere, aut privilegium concedere contra priorem legem niſi ex prudenti deliberatione, ideòque ex actuali & rationabili conſideratione tam veteris legis, quàm novæ diſpoſitionis. Quòd eſt dicere, quod ex officio ut non ſit vel infidelis, vel imprudens diſpenſator tenetur non diſpenſare aliquid de novo niſi duo conſiderando, an ſcilicet nova diſpoſitio ſit contraria priori legi, ſecundo, an dato quod inveniatur contraria, an detur juſta cauſa abrogandi, vel corrigendi, vel diſpenſandi in priori lege.

13 At verò ſic eſt, quòd indignum prorſus eſſet præſumere quod Princeps muneri ſuo deficiat, & quæ conſiderare debet ex officio ignoret, aut obliviſcatur, ſed in omnibus præſumi debet, quod moveatur ex prudenti deliberatione, & rationabili cauſa, Panorm. *in c. Cum veniſſent*, *n.*8. *de iud.* Rota in Aſſiſien. Canonicatus 5. Julii 1595. coram Juſto apud Marcheſ. *part.*2. *pag. mihi* 221. ſicut & præſumi debet Papæ voluntatem talem eſſe, qualis de jure eſſe debet, *cap. Novit*, *de iud.* Compoſtell. & alii *in cap. Cauſam quæ de reſcript.* Seraph. *deciſ.*773. *num.*17. *&* 965. *num.*15. Benè ergo in Principe præſumi debet omnium jurium ſcientia, & actualis cognitio pro tempore opportuno, & ſic pro quacumque occaſione in qua priori legi velit quocumque modo derogare.

14 Quod magis confirmatur, quia Papa primo habet jura omnia in ſcrinio Officii ſui nimirum in regeſtis Cancellariæ, ut etiam fatetur Gomez *numer.*135. exponendo de hujuſmodi ſcrinio legem *Omnium C. de teſtam.* licet contra textum illius legis, ut poſteà idemmet agnoſcit *numer.* 136. Prætereà Papa habet jura omnia in ſcrinio pectoris, ideſt in ſcientia & memoria ſuorum miniſtrorum, ut ſupra eſt dictum. Etiam ergo ſi eſſet Idiota, ut dixit Gomez illum poſſe eſſe, & etiam ſi ſit pluſquam ſenex, & ex defectu ætatis naturali ſubjectus oblivioni, nihilominus quantum opus eſt, ut prudenter operetur, poteſt omnia jura in caſibus occurrentibus habere in ſcrinio pectoris nihil agendo niſi doctis, & fidelibus miniſtris adhibitis ad negotiorum prudentem expeditionem; nec oppoſitum præſumi licet, cùm nec præſumi liceat imprudentia, aut infidelitas in ſummo Pontifice; debet ergo in Papa præſumi notitia omnium jurium pro tempore opportuno.

15 Item inconſideratio, vel oblivio juris conſiderandi à Principe, ut prudenter agat, & ex cauſa rationabili ſi ſumitur ut ſic ex negligentia, & culpa, hæc proculdubio in Papa præſumi non poteſt, nec debet. At verò vix poſſibile eſt, & nonniſi raro adveniet, quod hujuſmodi inconſideratio ſit ſine culpa, & in externo foro non admittitur regulariter oblivio, vel inconſideratio ejus, quod quis poteſt & debet conſiderari; Princeps verò ſi vult contra priorem legem diſponere tenetur id maturè perpendere. Cùm igitur quæ de raro eveniunt non præſumantur accidiſſe niſi aliundè id probetur, ſed præſumptio eſſe debeat de eo quod debet eſſe, & regulariter eſt, & ut in pluribus; non poteſt in Papa præſumi inconſideratio, vel oblivio naturalis alicujus juris, cùm eſt tempus illud conſiderandi. Optima ergo ratione dicitur, quod Papa cenſetur habere omnia jura in ſcrinio pectoris, ſeu quod in Papa non præſumitur, nec præſumi debet ignorantia juris, ut ex hoc textu docent Gloſſ. *v. ſcrinio*, Jo.Mon. *num.*1. Archid. *num.*7. Jo. Andr. *num.*9. Domin. *num.*23. Mareſcottus *num.*95. & alii Canoniſtæ, & fuit ſententia Innoc. *in cap.*1. *de reſcript.* Bellam. *concluſ.*745. *num.*8. *&* 698. Seraph. *deciſ.*1293. *num.*4. Rota *deciſ.*193. *num.*8. *part.*7. Et ideò quod Pontifici cenſeatur nota qualitas, quæ eſt de jure, dixit Rota *deciſ.*221. *numer.*8. *recent.* coram Gregorio XV. *& d. deciſ.*193. *num.*8. *part.*7. Et quod Papæ præſumuntur nota omnia decreta Concil. Trident. tenuit Rota *deciſ.*361. *numer.*12. *part.*10. *recent. & deciſ.*48. *part.*1. *diverſ.* Et proptereà Gloſſ. *hic notab.*1. benè advertit, quòd ſi Princeps erret in jure, non excuſatur. Nam & imò cùm jus ſive Canonicum, ſive Civile ſit jus publicum, quod omnes ſcire tenentur 1. *cap. de conſtitut. & l. Leges ſacratiſſimæ, Cod. de leg.* multò magis has leges ſcire debet Princeps ſeu Papa, cujus officium eſt ſubditos per hujuſmodi leges dirigere: Juſtè ergo Papa præſumitur ſcire omnia jura, & hæc præſumptio eſt juris, & de jure ſecundum Domin. *num.*23.

Quod verò dicebatur de Urbano Secundo, & Leone 16
Nono multipliciter explicatur. Primò quidem ex Turrecremata dicto *cap. Quod autem* 30. *quæſt.*4. quod Vitalis dubitaverat, an vir & uxor prohiberentur ſimul ſuſcipere baptizatum ratione compaternitatis ſpiritualis, quæ ab ipſis incurreretur, & Urbanus reſpondet nulla auctoritate ſtatutum eſſe, ut hæc compaternitas oriretur inter ſuſcipientes, & proptereà, quod hac ratione vir & uxor non impediebantur, quin ſimul eumdem ſuſciperent, quod tamen voluit Urbanus Secundus prohibere propter populares, ne ab illis credatur ob hoc virum compatrem fieri uxori, quod in impuritatem, & infamiam paternitatis ſpiritualis cederet. Leo verò ſimpliciter prohibuerat plures ſimul levare eumdem de ſacro fonte. Reſpondetur ſecundò, quòd ſtante decreto S. Leonis IX. quod plures ſimpliciter ſimul non poſſint eſſe compatres in Baptiſmo, dubitabatur an ex quo vir, & uxor ſunt una caro, & cenſentur eſſe una perſona, poſſent ſimul ſuſcipere eumdem de ſacro fonte, & licet hoc implicitè contineretur prohibitum in illo decreto S. Leonis, tamen explicitè non continebatur, nec aderat lex, quæ hoc expreſsè prohiberet, & hoc eſt, quod ait Urbanus Secundus, & ita textus iſtos concordant Gloſſ. *in d. cap. Quod autem* 30. *qu.*4. & Mareſcottus *hic num.*109. & Gomez *num.* 137. Reſpondetur tertiò ex doctrina D.Thom. 3. *part. q.*97. *art.*8. ad tertium, quòd per decretum Leonis Decimi non erat omninò prohibitum quod plures eumdem baptizatum levarent, ſed adhuc permittebatur, & licebat adhibere plures, quorum unus eſſet principalis ſuſceptor, & alii coadiutores. Et in hoc ſenſu Urbanus Secundus dixit nulla auctoritate prohibitum, quod vir & uxor levarent eumdem de ſacro fonte. Verùm addi poſſet quartò, quod *cap. Non plures de conſec. diſt.*4. citatur tanquam habitum ex decreto Leonis, ſed cum non citet locum ſpecialem, ex quo fuit deſumptum, ſignum eſt, quod cap. illud eſt ex illis, qui ex nullo codice authentico deſumpti ſunt, & ſic continet jus non certum, nec ex illo poteſt convinci oblivionis ſeu ignorantiæ, ſed potius ex certo decreto Urbani, & ex eo quod ſi illud decretum fuiſſet à Leone promulgatum ejus exemplar in regeſtis Pontificiis repertum fuiſſet, nec illud Urbanus ignoraſſet, poteſt ſumi conjectura, quod decretum illud forſan non fuerit Leonis Noni, ſed fuerit error in nomine Pontificis, & quod illud fuerit editum ab aliquo alio Pontifice poſt Urbanum.

17 Ex quo tamen Papa non præsumitur ignorare jus commune, si contra jus aliquod officium inhabili conferat, dubitat Anchar. *num.*5. an per hoc censeatur cum illo dispensare. Sed pro respons. remittit ad Bart. *ad l. qui consult. de re indic.* & ad Innoc. *in cap. Veniens de Filiis Presbyt.* Et Probus hic ad Monachum *numer.*1. *l.A.* ex Rom. *cons.*37. censet v.g. quòd si Papa dispensat cum aliquibus consanguineis in gradu prohibito, qui per anteà contraxerant matrimonium scienter, eo ipso censetur eos absolvere à censuris. Et amplius deducit idem Probus quòd contra processum, & sententiam habitam coram Papa, non potest opponi exceptio nullitatis: quia ejus præsentia supplet. Et iterùm, quod testamentum in præsentia ejus factum adminiculo Prætoris non indiget; quia ubi Princeps est, ibi adest tota legalis philosophia, *& num.*4. ex Panormit. *cap. Dudum el* 1. *de elect. num.*2. quod coram Papa non sunt faciendæ allegationes juris, sed sufficit dicere: Ita jure cavetur.

18 Utitur verè Pontifex in sua regula constitutionis nomine; propriè autem dicta constitutio est id, quod Princeps statuit animo condendi legem, Gloss. *in explic. Rubricæ.* Et dicitur constitutio quasi commune statutum, Jo. Mon. *in Rubric.* Archid. *num.*2. Nam & inter alias conditiones legis una hæc est, quòd detur pro communitate, Panormit. *in rubr. de constitut.* Felin. *cap. cum omnes n.*5. *de constit.* Suarez *l.*1. *de leg. c.*6. *n.*8. Et imò lex datur pro sola communitate perfecta, quæ est illa, quæ est capax politicæ gubernationis, ut est civitas, vel diœcesis, vel regnum. Nam domus est communitas imperfecta, quæ non sufficit ut sit propriè legis subjectum, D. Thom. 1. 2. *quæst.*90. *art.*3. *ad tertium.*

19 Cùm verò sit sermo de constitutione priori, intelligitur de illa, quæ sit posteriori directè contraria, explicat Gloss. sed certè non interest an directè, vel indirectè lex prior sit posteriori contraria, dum verè sit contraria; quia nedum directè contraria, sed etiam indirectè simul esse non possunt, aliàs contraria non essent, si simul esse possent.

20 Necesse propterea est, ut lex legi sit contraria, ad hoc ut lex legem revocet. Natura enim abrogationis, & derogationis est tantùm tollere contraria, Clem. *Dudum* §. *Verum ne parochiales*, ibi, *inquantum sunt præmissis, vel alicui præmissorum contraria, ea penitus revocamus, de sepult. & l. unic.* §. *His tantummodo, C. de Latin. lib. toll.* & ibi Bald. *num.*3. Rota *decis.*102. *numer.*14. *part.*10. *recent.* Hinc est, quòd abrogatio non fit prioris legis per posteriorem, si aliqua distinctione, vel ratione conciliari possunt, ut non sint contrariæ, Gloss. *verb. priorem*, Jo. Mon. *num.*2. Anchar. *num.*7. Domin. *num.*23. Correctio enim legum quantum fieri potest est vitanda, *cap. Cum dilectus*, *supra de consuetud. cap. Cum expediat*, infrà, *de elect.* & ibi DD. sed de hoc iterùm erit sermo infra *artic.*7.

21 Hac occasione animadvertit Domin. *numer.*2. quòd dictio *postea*, seu *posterior* sic ordinem significat, quòd tamen non importat immediationem posterioris ad prius, sed potest denotare actum mediatum & factum non successivè immediatè. Ex quo colligit, quod si testes deponant, quòd Titius possederit post Sempronium, non per hoc concludi potest, quòd immediatè possederit post illum. Ad quod facit Gloss. *in cap. Cum Vintonien. circa finem, supra de elect.* & text. *in cap. fin. circa medium de excessibus Prælat.* Sed Dom. ipse contrarium sensit *in cap. frequens, verb. post diem, infra de restitut. spoliat.* Ubi dictio *post* immediatam successionem significat. Et facit Gloss. & Innoc. *supra in cap. Congregato de elect.* & text. *in l.*2. §. *postea, &* §. *apud, ff. de orig. iuris.* Marescottus *hic num.*6. distinguit inter dictionem posteriorem, & dictionem *post* vel *postea*, & hanc significare immediationem contendit, & subdit non semper esse verum, quod verbum æquivocum, vel ambiguum testis contra inducentem testem debeat interpretari. Et de hac eadem dictione plura habet Gomez *num.*116. Ideò dicendum est hujusmodi dictionem ambiguam esse, & posse accipi utroque modo ut significet successionem mediatam, vel immediatam, Rota *decis.* 323. *part.*3. *recent. num.*3. & ideò accipiendam esse juxta exigentiam materiæ de qua agitur. Et in eo casu, in quo testes deponant Titium possedisse post Sempronium, facienda est interpretatio contra eum, qui tenetur probare, *ut cap. In præsentia supra de probat.* Franc. *hic n.*1.

Ubi igitur posterior constitutio sit priori contraria, decernit Pontifex, quod per posteriorem derogatur priori, licet nulla illius prioris fiat mentio. Nam aliter lex posterior esset frustratoria, & sine valore, si contraria prior obligaret, ut advertit Gloss. *not.*1. 22

Hac verò priori regula præmissa ponitur secunda, & dicitur, quòd cùm Pontifex locorum aut singularum personarum consuetudines, quæ sunt quid facti, possit probabiliter ignorare, ipsis per constitutionem à se noviter editam non censetur derogare, nisi expressè caveatur in ipsa. 23

Est verò primò considerandum, quòd consuetudinum alia est generalis totius orbis, alia est particularis, quæ est vel Regni, vel Provinciæ, vel Civitatis, vel unius generis hominum tantùm, ut nobilium, vel Doctorum, vel artificum. Lex generalis, seu Papæ constitutio generalem consuetudinem contrariam tollit, ejus etiam non facta mentione, Gloss. *in v. singularium*, Jo. Andr. *c. un. de cler. coniug. infra in hoc lib.* quod explicat Domin. *num.*6. ut sit verum si consuetudo sit fundata super jure revocato, secus si super eo non sit fundata. 24

Sed absolutè dicendum est consuetudinem generalem per novam legem contrariam revocari, quia aliàs novæ legis promulgatio superflua, & inutilis esset. Et ideò hoc idem tenet ipse Dominicus *numer.*27. Ubi ex Anton. benè advertit, quòd si in loco aliquo lex ipsa communis antiqua servabatur non tantùm ex ratione communi, sed ex ratione aliqua speciali consuetudo fuit servandi legem, in eo casu lex posterior pro eo loco non revocat priorem legem, nec ejus consuetudinem, non facta ejus mentione. 25

Sed & è contra consuetudo generalis legitimè præscripta legem priorem revocat, ut probat D. Thom. 1. 2. *quæst.*97. *art.*3. est in jure certum. 26

Colligitur etiam ex hoc textu, quòd sicut leges generales in omni loco sint ab omnibus observandæ, *cap.*1. *supra eod. tit. & in l. Leges generales, Cod. de leg.* ita statuta specialia, & singularium consuetudines servari debent, & quælibet civitas, vel locus potest sibi facere aliqua statuta, vel consuetudinem, *cap. Illa dist.*12. *cap. certificari sup. de sepult. l. omnes populi, ff. de iust. & iur.* non autem in præjudicium superioris, Gloss. *in cap.*2. *in v. statutum infra, de verb. signific.* Non ergo possunt Castra facere statutum in præjudicium Civitatis, quia castra jus civitatis sequi debent, *l. Qui ex vico, l. Incola, ff. de municip.* Nec ipsa Civitas in præjudicium superioris statuere potest, *cap. venientes supra de iureiur.* 27

Sed tamen ubi statuta specialia fuerunt priora lege generali, aut speciali eis contraria, & sic alio etiam non obstante sunt valida, sunt servanda licet talibus statutis, aut consuetudinibus particularibus non ligentur alii, qui non sunt de illo collegio, vel oppido, vel civitate, ut hic in textu, & facit *l. fin. Cod. de iurisd. omn. iud. & l.*2. *C. de constit. pecun.* Et in textu supponitur, quod Papa possit illa revocare, sed dicitur nihilominus, quòd id non facit per legem generalem, nisi expressè caveatur in ipsa. 28

Hujusmodi verò statuta, ut notat Anchar. *numer.*3. distinguuntur, quia alia sunt universalia respectu loci, & alia sunt particularia alicujus generis personarum, ut alicujus collegii. Alio etiam modo distinguuntur, quia alia sunt statuta propriè, & hæc facta non sunt nisi ab habentibus jurisdictionem, & potestatem ferrendi leges, alia sunt communiter dicta, quæ sunt edita à communitatibus per modum conventionis & pacti; Hæc verò statuta quæcumque illa sint, valent inter homines locorum istorum. 29

Et tamen notandum, quòd in textu nulla sit expressa mentio, vel particularium rescriptorum Papæ, vel privilegiorum ab eo concessorum, sed solum mentionem facit statutorum & consuetudinum particularium locorum, aut personarum. Quamplures tamen DD. etiam de rescriptis & privilegiis intelligunt hanc secundam regulam textus, & dicunt, quòd lex generalis non derogat rescriptis & privilegiis Pontificiis, quia hæc sunt facti, non juris, sed de hoc erit quæstio specialis infrà. 30

Hinc considerari debet, quòd textus pro ratione hujus secundæ regulæ assignat, quod statuta, & consuetudines sint quid facti, quod Papa potest ignorare. Disputant verò DD. de hoc quia statuta & consuetudi- 31

nes

nes sunt jura servanda ab illis locis, in quibus illa sunt. Respondent verò Jo. Mon. *num.*1. Archid. *num.*3. Jo. Andr. *num.*4. *&* 5. quod hæc sunt facti dum sunt in fieri, & jura dum sunt in facto esse. Verùm ut advertit Anchar. *num.*7. etiam jus commune est quid facti in suo fieri, & sic in hoc non est discrimen inter statuta & jus commune, Domin. *num.*9. ait, quòd statuta sunt jura privata; sed hoc non explicat, quare dicatur esse quid facti. Sed dicitur, quòd textus loquitur de statutis & consuetudinibus locorum per respectum ad summum Pontificem, respectu cujus sunt quid facti, non verò quid juris, quia non ligant Pontificem, nec etiam quantum ad vim directivam. Princeps statutis civitatum aut locorum non ligatur, quia sunt ab inferiori jurisdictione, Felin. *cap.*1. *numer.*30. *de constitut.* Suarez *l.*3. *de leg. cap.*35. *numer.*14. nec sunt jura, quæ sint ab ipso immediatè per se ipsum, sed sunt ab alio facta. Jus verò ab alio, factum non est jus respectu non facientis illud, si ille non est subditus illis; sed illud respectu illius est quid facti, sicut lex Regis Hispaniæ est quid facti respectu subditorum Regis Galliæ. Sed jus editum à Pontifice Pontificem ligat quantum ad vim directivam. Lex enim Principem legislatorem quantum ad vim directivam obligat, ut docet D. Thom. 1.2. *quæst.*96. *art.*5. *ad* 3. quod etiam docent ibi Cajet. Conrad. Medin. Martinez *dub.*1. Sot. *l.*1. *de iust. quæst.*6. *art.*7. Victoria *de potest. Civil. num.*21. *& de potest. Papæ & Concilii numer.*7. D. Anton. 2. *part. tit.*17. *num.*5. Sylvest. *v. lex num.*14. Tabien. *num.*28. Turrecrem. *cap. iustum est*, *dist.*9. & ibi Domin. Canonistæ *cap. Cum omnes*, *de constitut.* Navarr. *in cap. quando*, *de rescript. excep.*1. Covarr. *cap. Alma mater part.*1. §.1. *numer.*5. Salas *disput.*14. *sect.*2. Sayrus *in clau. Regia l.*3. *cap.*4. *numer.*3. Suarez *de leg. l.*3. *cap.*35. *numer.*4. Et præterea jus editum à Pontifice est jus secundum quod ipse immediatè ex suo officio, & quia immediatè ipse sic statuit, & voluit, tenetur dirigere subditos, & ideò est jus illius, ut statuentis, & dirigentis, & proprii judicis.

32 Adest etiam aliud discrimen, quia jus editum à Pontifice, licet etiam sit quid facti, est facti proprii, sed statuta sunt facti alieni. At verò Princeps factum proprii officii ordinatum ad communem utilitatem ignorare non debet, Gloss. Archid. *num.*3. Domin. *num.*9. *&* 10. Franc. *num.*3. Et licet Anchar. *not.*6. *num.*5. advertat, quòd textus absolutè dicit, quòd statuta sunt quid facti, & non dicit facti alieni, quia Papa proprii facti potest probabilem oblivionem habere, *cap. Cum olim sup. de re iudicata*, tamen nec de facili admitti debet, & præsumi in Pontifice oblivio facti proprii, & nullo modo hæc oblivio præsumi debet (nisi aliundè probetur) respectu facti proprii ex officio habiti, & per se ordinati ad bonum publicum, quale factum est lex à Pontifice edita. In eo autem *cap. Cum olim*, solùm continetur oblivio alicujus sententiæ interlocutoriæ, non verò alicujus legis. Sed de intelligentia illius *cap.* iterum redibit sermo.

33 Eorum igitur, quæ sunt facti, & præcipuè si sint facti alieni, potest in Papa aut Principe esse, & præsumi inculpabilis ignorantia, Puteus *decis.*395. *num.*1. *lib.*3. Rota *decis.*666. *num.*8. *part.*1. Et ideò in Pontifice præsumitur ignorantia statutorum, & consuetudinum particularium locorum, Archid. *num.*3. Joan. Andr. *num.*6. Anchar. *numer.*5. Domin. *num.*9. Quæ tamen ignorantia non præsumitur in illis, qui sunt cives loci, in quo viget statutum, aut consuetudo.

34 Ex hoc verò nonnulla colligit Franc. *numer.*14. Primum est, quòd subditi non possunt allegare ignorantiam statuti, aut consuetudinis ipsius loci, quæ quoad eos dicuntur esse jura, unde ignorantia non excusat. *Reg. ignorantia, infra de Reg. iuris.* Et quia eorum, quæ in loco sunt publica, non potest allegari ignorantia, *cap.*1. *supra de Postulat. Prælat.* Gloss. *in reg. Præsumitur, infra, de Reg. iuris.* Sed de hoc, & sequentibus corollariis plura dicentur *cap. sequenti*, in quo ex professo agitur de ignorantia excusante.

35 Secundò, quòd advenæ, alienigenæ, & non subditi possunt allegare ignorantiam statuti, & consuetudinis loci, ut habetur ex hoc text. De quo tamen per Gloss. *in l. Item Mela*, *ff. ad l. aquil.* & per DD. *in l.*1. *& l. fin. Cod. de sum. Trinit.* Ideò ex hoc deduxit Barbosa hic *num.*9. post Covarr. *in cap. Alma mater, part.*1. §.16. *num.*6. quòd ignorantes non ligat excommunicatio lata per statutum speciale alicujus Provinciæ.

Tertiò, quòd judex loci non potest allegare ignorantiam statuti ipsius loci: quia sicut judex non potest ignorare jura communia, ut *in l.*2. *ff. Quod quisque iur.* Ita nec statuta loci, quæ quoad subditos dicuntur esse jura communia, *cap. Ius civile*, *& cap. consuetudo*, *dist.*1. *& leg. Omnes populi*, *& l. De quibus*, *ff. de leg.* Unde dicebat Bald. *in l.*1. *Cod. ut quæ desunt in princ.* quòd licet statutum non fuerit allegatum, & productum in causa coram judice, tamen judex tenetur judicare, & servare statutum, sicut jura: quia sicut jura communia non est necesse, quòd allegentur: quia quilibet præsumitur scire, unde nec est necesse, quòd probentur, quia jura sunt certa, *ut l.*2. *ff. de iur. & fac. ignoran.* Et ab omnibus servari debent, absque eo, quòd allegentur, & probentur, *supra cap.*1. *de Constitut.* Ita & in statutis, quæ dicuntur esse jura communia quoad subditos, *cap. Cum venissent*, *supra de eo, qui mittit. in possess.* Nicol. *in cap. Pastoralis supra de fid. Instrum.* Bart. *in leg. Omnes populi*, *circa finem*, *ff. de leg.* Quod tamen limitat, nisi essent statuta non publicè nota, ut v. g. reformationes non incorporatæ in volumine statutorum; quia tunc deberent allegari, & probari coram judice, sicut & allegari, & probari debent statuta alterius loci, quæ dicuntur esse facti, & in eis cadit probabilis ignorantia. 36

Quartò, quòd licet subditi non possint allegare ignorantiam consuetudinis loci, tamen judex eam potest probabiliter ignorare, cùm sit quid facti. Nisi consuetudo sit scripta, quia tunc judicatur de illa, ut de statuto. Vel nisi consuetudo sit publica, & notoria in loco, & in judicio. Si enim consuetudo non esset publica, valeret sententia contra consuetudinem propter probabile dubium facti; posset tamen à tali sententia appellari, & in judicio appellationis reformari, ut est in textu *cap. Cum venissent*, *supra*, *de eo, qui mitt. in possess.* Quando verò consuetudo esset probata in judicio, si judex judicaret contra consuetudinem, faceret litem suam, sicut si judicaret contra jus commune. Ut ex text. *in Auth. Iubemus*, *Cod. de iud.* & ibi per Bald. & per Joan. Andr. *in cap. fin. sup. de consuet. vers. Circa quartum.* 37

In eo tamen casu non dicuntur revocari statuta, aut consuetudines particulares, si sint rationabiles. An verò consuetudo sit rationabilis, ad arbitrium judicis decernere spectat, cùm hujus nec certa regula dari possit, Gloss. Archid. *num.*3. Domin. *num.*5. Franc. *num.*19. Hoc tamen negat Gomez *num.*224. Sed negari non potest posse contingere dubietatem circa rationabilitatem consuetudinis, quæ ex arbitrio Judicis decidenda erit. Alia multa de consuetudine habent Marescottus *num.*240. & Gomez. *num.*130. *&* 222. *& sequent.* quæ infrà in tit. de consuetudine considerantur, statuta verò præsumuntur rationabilia; & hæc est præsumptio juris & de jure secundum adden. ad Domin. *num.*5. 38

Debet verò consuetudo esse rationabilis, ut ei non derogetur, quia Ecclesia solum defendit, quæ sunt rationabilia, *cap. ult. dist.*34. *cap. Si quis sine*, *dist.*81. Ideò benè advertit Anchar. *not.*7. *num.*5. quòd Papa per tolerantiam non approbat irrationabilia statuta particularium locorum, seu consuetudines irrationabiles. Talia enim sunt jure irrita, *sup. tit. de consuet. & in Authen. Cassa*, *& irrita*, *Cod. de Episc. & Cler.* Itaque nec generalis approbatio extenditur ad capitula specialiter reprobata, ut not. *in simili*, *leg. Si quis priorem*, *ff. ad Treb. & leg. Legatum inutil. ff. de leg.*1. Sicut generalis concessio non comprehendit odiosa, *leg. Lucius Titius de leg.*2. *& in cap. Alma mater*, *post princ. vers. dum tamen*, *& verbo*, *illis etiam*, infrà, *de sent. excomm.* 39

Advertit quoque circa hanc dictionem *nisi*, Archid. *num.*4. quòd ipsa quandoque ponit, *ut Cod. de transact.* quandoque facit conditionem, ut *in leg. Fideicommissa*, §. *Sic fidei*, *ff. de leg.*3. Quandoque nec ponit, nec facit conditionem, sed privat, *l. Titia*, §. *ult. de mat. test.* aliquando non refertur ad id totum, quod præmittitur, *cap. Nemo* 11. *qu.*3. putat verò Anchar. *not.*8. *numer.*6. quòd in hoc textu particula *nisi* stet excipiendo, & Gomez *numer.*83. advertit, quòd quia in hoc textu ponitur affirmativè, imponit necessitatem, & diminuit de suo genere. 40

Hic

41 Hic etiam considerandæ sunt hæ dictiones, quæ ad invicem distinguuntur, scilicet, abrogare, derogare, corrigere, & limitare legem. Nam abrogare legem significat totalem revocationem legis, derogare verò est pro parte detrahere, *l. Detrahitur* 102. *ff. de verb. signific.* Archid. *hic num.*4. Corrigere autem idem est, quod derogare; sed limitare, idem potius est quod interpretari, quia limitatio est insita ipsi legi, ex quo condita fuit, sed posteà per declarationem adhibetur, Suarez *l.6. de leg. cap.*27. *num.*5. ubi advertit ex Bart. limitationem etiam in jure divino locum habere in *l.*1. *ff. de constit. princ. & in l.*1. *Cod. si contra ius, vel util. publ.* Unde distinguuntur præfatæ actiones, quod limitatio non est exorbitans, neque odiosa, quia explicat verum sensum legis, & potius favorabilis dici debet, licet forsan alicui minus utilis sit, ut colligitur *ex cap.*2. *infra de decimis.* Sed abrogatio, & derogatio à jure exorbitant, & inter odiosa numerantur, præcipuè abrogatio, per quam lex in totum tollitur, Rota *decis.*23. *num.* 19. *& decis.*584. *num.*39. *part.*5. *recent. & decis.*1582. *n.*10. coram Pena, *& decis.*48. *n.*8. coram Duran.

Ad evidentiam huius textus unica proponitur quæstio de virtute nova dispositionis ad derogandum priori non facta eius mentione, quæ dividitur in XIX. Articulos.

SVMMARIVM.

42 *Legem non posse abrogari, quæ suadeant.*
43 *Lex iustè potest abrogari, n.*44.
45 *Prudentia humana non nisi successu temporum perficitur.*
46 *Materia legis humanæ mutabilis.*
47 *Legislator similis medico & gubernatori navis.*
48 *Princeps legem vel abrogare, vel corrigere potest.*
49 *Lex formaliter, aut virtualiter abrogari potest.*
50 *Non potest abrogari lex, quæ transiit in contractum.*
51 *Lex humana ad naturalem sequitur permutabilem consequentiam.*
52 *Lex iusta si fiat inutilis potest mutari.*

Quæst. unica.

ARTICULUS I.

Vtrùm legem abrogare conveniat?

42 Videtur enim hoc non convenire, primò quia cùm lex humana à naturali deducatur, quæ est omninò immutabilis, ipsa quoque immutabiliter durare debet. Tum secundò, quia ut habetur ex Arist. *l.*5. *Ethic. cap.*5. mensura actionum humanarum debet esse perpetua, lex verò est humanarum actionum mensura, D. Thom. 1.2. *qu.*90. *art.*1. *& qu.*95. *art.*4. Item tertiò, nam lex justa esse debet, & recta, quod verò semel est justum & rectum, semper est justum & rectum. Et hoc quartò confirmatur, quia vel lex definit esse justa, vel justa permanet. Si primum non indiget abrogari, sed se ipsa abrogata manet, & sic Principis abrogatio ad summum non est nisi abrogationis declaratio. Si verò lex in sua justitia perseverat, iniquum est illam abrogare.

43 Sed legem revocari posse, aut ei posse derogari habetur clarè ex hoc textu, *& ex cap.*2. *dist.*14. *cap. Quia sancta*, §. *Verum, dist.*63. *cap. Non debet, sup. de consanguin. & affin. cap. fin. de transact. & cap. super eo de sent. excomm. & cap. Novit Deus, de pœnit. dist.*3. *& cap. incommutabilis* 22. *qu.*3. & ex usu & consuetudine Pontificum, qui sæpiùs leges abrogarunt, vel eas correxerunt, & meritò S. August. *lib.* 1. *de lib. arbit.* dixit legem temporalem esse, & quamvis sit justa posse nihilominus per tempora justè commutari. Quod & sensit Arist. *lib.*2. *Polit. cap.*6. & Plato *Dial.*6. *&* 16. Sed & ipse Deus, ut advertit Innoc.III. *in cap. Non debet*, ex his quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.

44 Dicendum igitur est primo humanam legem interdum abrogari posse, & validè & justè. Assertio ista certa est, & manifesta ex juribus citatis, quam tradiderunt D. Th. 1.2. *quæst.*97. *art.*1. & ibi Cajet. Martinez *dub.*1. *conclus.*1. Turrecrem. *ad cap.*2. *dist.*14. Sylvest. *v. lex quæst.*25. Armill. *numer.*13. Sotus *lib.*1. *de iust. quæst.*7. *art.*1. Suarez *de leg. lib.*6. *cap.*25. *num.*3. Palaus *tract.*3. *disput.*5. *part.*2. §.1. *num.*1. Et ad hunc textum id supponunt Canonistæ, & docet Covarr. *in cap. Almà mater, part.*2. *in princ. numer.*2. Barbosa *ad cap. Non debet num.*2. *supra de consanguin.* Sayrus *in Clavi Regia l.*3. *cap.*3. *num.*7. *& cap.*10. *n.*12. Vasq. *part.*2. *disp.*178. *cap.*1. Montes 1.2. *tom.*2. *de leg. disput.*36. *qu. un. num.*3. Fermosino *ad cap.*3. *quæst.*3. *numer.*1. *de constitut.* Rota *decis.*318. *num.*24. *part.*10. *recent.* Abrogandi autem, aut corrigendi legem necessitas, & honestas ex duplici oritur capite, nimirum tum ex parte causæ efficientis, tum ex parte materiæ legis. Causa efficiens humanarum legum homines sunt, quorum est in intelligendo perfici successivè, & de imperfecto ad perfectum transire, unde conditio humana hanc imperfectionem habet, ut homines primo imperfectè disponant, & successivè per tempora perfectiori modo suis provideant. Et sicut in speculativis priores imperfectius de rerum naturis disseruerunt, & posteà alii clarius, & certius, quia facilè est inventis addere, rerum conditiones explicarunt. Sic & inter legislatores experientia comprobavit, quod priorum & antiquiorum prudentia, & providentia imperfectior fuit, & quod quædam instituerunt imperfecta, & in multis defficientia, quæ posteà mutari oportuit. Sic enim in speculativis Thales Milesius, & alii sex sapientes incultas adhuc scientias contemplatione sua polire cœperunt, quas posteà Plato, & Arist. perfectius tradiderunt. Sic in practicis Licurgus, & Solon, & apud Romanos Numa Pompilius suas Respublicas anteà barbaras, & agrestes politioribus legibus instituerunt. Conditio igitur humana habet, ut homines per tempora doctiores fiant, & prudentiores, & ex consequenti, quòd in dirigendis populis antiquiora imperfectiora in meliora mutent.

Sed & legis humanæ materia mutationi subjecta, ad legum mutationem necessitas. Mutatis enim hominum conditionibus, variatur etiam actionum rectitudo, ut quæ prius bonæ erant, jam honestæ esse desinant, & inutilia appareant, quæ prius plena utilitatis erant. Cùm igitur lex communem respiciat utilitatem, hinc quotidiè oritur, ut necesse sit vel prohibere, quod prius permittebatur, vel permittere, quod prius prohibitum erat, mutationem hanc Republicæ utilitate exigente. 46

Proptereà merito Plato *dial.*6. *de legibus, & l.*16. *de Regno*, cujus verba refert Covar. loco citato assimilavit legislatorem medico, vel navis gubernatori; uterque enim pro infirmorum differenti qualitate, aut ventorum diversitate diversis utitur præceptis, ut sanitatem infirmis, & tutelam navi præbeat. Sic & legislator pro varietate locorum, personarum, & temporum leges reipublicæ bono accommodatas promulgat. 47

Dicendum est secundò, quod lex vel in totum tolli potest, quod est illa abrogare, vel pro parte potest mutari, quod est illi derogare, vel illam corrigere; si enim tota legis materia inutilis est facta, legem totam tollere opus est; sed lex corrigi debet pro ea parte, pro qua jam nullam utilitatem, sed damnum affert. 48

Dicendum verò est tertiò legem duplici modo abrogari posse, vel scilicet formaliter, & expressè, nimirum per verba abrogationem exprimentia, vel derogationem. Vel virtualiter & consecutivè, nimirum nulla facta mentionem prioris legis, contrarium illi statuendo, illam tollere, aut corrigere. Neque enim Princeps potest velle ut contraria simul fiant, nec possunt subditi ad contraria agenda obligari. Ideò Princeps statuendo de novo id, quod est legi priori contrarium, virtualiter priorem legem tollit, quocumque verò modo lex tollatur, cessat ejus obligatio. 49

De lege tamen, quæ transiit in contractum, quod non possit irritari, dixit Anchar. *hic n.*8. *opp.*7. Nam & contractus Principis irrevocabilis vim legis habet, *l. penul. Cod. de donat. int. vir. & uxor.* Quoniam igitur & Principis contractus est irrevocabilis, *cap.*1. *de probat.* lex, quæ transiit in contractum irrevocabilem, non potest mutari. Verùm nec contractus firmos esse, si sint in perniciem boni communis, ratio dictat: ideò in illis casibus in quibus Princeps sic exigente bono communi potest de propriis bonis subditorum disponere, potest etiam legem, quæ transiit in contractum abrogare. Sic enim quod Princeps ex causa publicæ utilitatis possit contractum suum revocare, dixit Rota *decis.*457. *n.*14. *part.*1. *divers.* 50

Argu-

51 Argumenta verò in oppositum de facili solvuntur. Nam ad primum dicitur, quòd lex humana à naturali immutabili deducitur, sed per contingentem consequentiam, & mutabilem per rerum vicissitudinem, & ideò est mutabilis. Ad secundum dicitur rerum humanarum mensuram esse debere permanentem, & invariabilem, quantum fieri potest, & rerum contingentia permittit. Ad tertium, & quartum dicitur, quòd vel materia legis prioris sit injusta, vel non. Si primum contingit, ad minus Principis est eam declarare abrogatam, & ordinare, ut lex jam injusta non observetur, sed si materia legis non sit injusta, adhuc tamen potest esse, quòd sit inutilis, vel gravis damni occasio, etiam ex culpa subditorum, & ideò tunc Principis est legem licet non injustam ex objecto, & materia ejus vel in totum abrogare, vel in parte corrigere,

S V M M A R I V M.

52 *Motiva ad utramque partem quæst.*
54 *Lex non potest abrogari sine causa iusta.*
55 *Non sufficit pro causa iusta parva utilitas.*
56 *Novatio legum vitanda.*
57 *Lex continens iniquitatem manifestam, licet sit de se abrogata, convenienter abrogatur etiam à Principe.*
58 *Duplex causa abrogandi leges.*
Videtur divisio huius duplicis causæ insufficiens.
59 *Lex potest privativè & contrariè abrogari.*
60 *Ad abrogandam legem privativè minor causa sufficit.*
61 *Inutilis multitudo legum.*
Sola facilitas servandi legem non dat iustam causam illi derogandi.
62 *Maior utilitas est necessaria, ut lex positivè abrogetur.*
63 *Ad abolendam legem est necessaria causa perpetua.*
Lex perpetuitatem postulat.
64 *Lex etiam citò potest abrogari.*
65 *In dubio causa iusta lex non abroganda.*
66 *Abrogatio pura legis sine iusta causa est valida.*
67 *Abrogatio legis ieiunii sine iusta causa est valida.*
68 *Abrogatio legis contrariæ, si fiat sine iusta causa, est invalida.*
69 *Inferior ex commissione abrogans legem, nulliter abrogat sine iusta causa.*
70 *An sit necessaria causa iusta ex parte abrogantis.*
71 *Nullus in statu usus libertatis agit sine motivo.*
Abrogatio facta ex causa iniusta est valida, 72.
72 *In his quæ sunt iuris positivi dispositio quantum ad valorem est remissa voluntati superioris supremi.*
73 *Omnis lex, si purè abrogaretur, non obligaret.*
73 *Hæc abrogatio est impossibilis.*
74 *Iniusta & invalida esset lex, quæ observantiam omnis legis prohiberet.*
74 *In dispensationibus sola Papæ voluntas est pro ratione.*

Quæst. unica.

ARTICULUS II.

Quæ sit iusta causa revocandi legem?

52 Videtur etiam, quòd sola novæ legis utilitas præbeat justam causam legem revocandi; Cùm enim lex ad publicam utilitatem sit instituta, ubi nova lex sit utilior, potest Princeps veterem per novam legem revocare. Quod etiam in artibus consuevit fieri.

53 Sed è contra, quod mutatio legum de se odiosa sit, nec debeat fieri nisi ex gravissima causa, colligitur ex *cap. ridiculum dist.*12. Ubi Nicolaus Papa Ridiculum esse asserit, & satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur.

54 Dicendum primò non licere abrogare, vel corrigere legem sine causa justa. Sumitur hæc assertio ex *cap. Non debet supra de consanguinit. & affinit. & cap. Alma mater, infra de sentent. excommunic. & l.2. ff. de constitut. Princ.* & ita docent D. Thom. 1.2. *quæst.*97. *artic.*2. & ibid. Cajet. & Medina, Martinez, Vasquez, Salas, & Lorca, Turrecrem. *ad d. cap. Ridiculum d.*12. Sylvest. *v. lex quæst.*25. Armill. *numer.*13. Sotus *lib.*1. *de iust. quæst.*7. *art.*1. *lib.*6. *cap.*25. Suarez *de leg. numer.*4. Palaus *tract.*3. *d.*5. *part.*2. §.1. Covarruv. *cap. Alma mater part.*2. *in princ.* Bonac. *de leg. d.*1. *quæst.*1. *punct. ult.* §.1. *numer.*1. & 2. Leand. *de præcept. tract.*5. *disput.*10, *quæst.*3. Pasqual. *in Praxi ieiun. decis.*381. *numer.*1. Montes. *part.*2. *de leg. disput.*26. *numer.*4. Fermosin. *cap.*3. *quæst.*3. *num.*18. *de constitut.* Quod enim absolutè & per se non potest institui nisi ex causa justa, nimirum ex universitatis bono, & utilitate, nec potest mutari, aut tolli nisi consimili causa id requirente; neque enim conservandum est, aut tollendum sine causa, quod nonnisi ex causa petit esse. Modò lex nonnisi ex universitatis commodo & utilitate condi debet. Sic enim *l.*1. *ff. de legibus*, lex dicitur commune præceptum, idest, ut explicat Gloss. pro communi utilitate statutum, & *cap. Erit lex d.*4. Isidorus inter alias legis conditiones ponit, quòd sit utilis, *& nullo pro privato commodo, sed pro communi Civium utilitate conscripta.* Unde hoc ibi tradunt communiter Canonistæ, & D. Thom. 1.2. *quæst.*90. *artic.*2. ubi Cajet. Conrad. Medina, Martinez, Vasquez & alii expositores, D. Anton. 1. *part. tit.*11. *cap.*2. §.1. & *tit.*17. §.3. Sotus *lib.*1. *de iust. quæst.*1. *art.*2. Suarez *lib.*1. *de leg. cap.*7. *num.*1. Rota *decis.*107. *num.*16. Ubi benè advertit, quod finis Canonicę legis est dirigere humanas actiones in felicitatem, & salutem æternam, quod & docuerant D. Thom. *d. quæst.*90. *art.*2. Suarez *d. cap.*7. *num.*5. & *l.*5. *cap.*11. & pluribus explicant Fortun. Garz. *in tract. de ult. fin. iur. Canon. num.*3. Boet. Ecton. *in tract. de iure sacr. lib.*1. *cap.*21. *num.*21. Itaque nec lex potest abrogari, vel corrigi, nisi ex simili causa justa, quia nimirum id exigat commune subditorum bonum, quod respectu legis Canonicæ est felicitas & salus æterna.

Dicendum est secundò, quòd nec quælibet major utilitas 55
præbet justam causam mutandi legem, sed solum si sit vel necessitas, vel magna utilitas. Sic sentit Innoc. III. *in cap. Non debet de consanguinit. & affinit.* ibi, *Præsertim, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit.* Et ita sentiunt DD. citati. Et rationem reddit D. Thom. ex eo, quod legis mutatio, seu abrogatio quantum sit de se habet detrimentum quoddam communis salutis. Quia ex una parte consuetudo agendi multum valet ad observantiam legis, unde leviora si præcipiantur, videntur graviora, si sint contra consuetudinem. Ex alia verò parte lex antiqua consuetudine est jam roborata & firmata, unde lex nova abrogans antiquam tantam vim debet habere, nedum ut tollat legem antiquam, sed ut tollat consuetudinem servandi illam; igitur non sufficit ad justificandam novam legem antiquam abrogantem quælibet utilitas, sed hæc debet esse talis ac tanta, quanta est necessaria, ut recompensetur communi saluti, quantum detrahitur tollendo consuetudinem observandi antiquam legem. Itaque parva utilitas non sufficit, sed magna est necessaria.

Propterea novatio legum est maximè vitanda, *l. Minimè, ff. de leg.* Aris. Polit. *lib.*2. *cap.*5. Seraphin. *decis.*942. *numer.*8. & nonnisi cum maxima maturitate fieri debet. Nam ut habet Sotus *lib.*1. *de iust. q.*7. *art.*1. mutatio suaptè ingenio per seipsam detrimentum affert. 56

Duo autem exempla dat D. Thom. ad cognoscendum, 57
quæ sit justa causa mutandi legem, scilicet, si lex antiqua manifestam contineat iniquitatem, & si legis observantia est plurimum nociva. Est verò considerandum, quòd licet lex continens manifestam iniquitatem non obliget, & sic sit ex natura sua abrogata, tamen nedum indiget abrogari, si ejus iniquitas sit dubia, sed etiam dato quod sit notoria, potest abrogari nova lege per Principem, quia non est inconveniens, quòd per legem humanam præcipiantur ea, quæ sunt juris naturalis, ut servari debeant ex duplici vinculo, & ex duplicis legis efficacia. Sed & convenit similem legem per Principem abrogari, ut manifestior sit prioris legis iniquitas, & nullus sub ejus prætextu iniquè operari velit, & ut si opus sit, ex novæ pœnæ impositione subditi ab ea detineantur iniquitate.

Videri autem posset D. Thomam insufficienter nu- 58
merasse causas justas mutandi legem, quia præter necessitatem legem mutandi, quæ est ubi, vel lex contineat manifestam iniquitatem, vel ejus observantia sit pluri-

plurimum nociva, & præter utilitatem magnam, quam possit afferre lex nova, ut si ex gabellarum diminutione expectetur maximus mercatorum, & mercium concursus plurimam rerum copiam ferens Civitati, vel Regno, assignantur aliæ causæ. Nam Suarez *d. cap.25. numer.6.* inter has causas numerat utilitatem legis, imò addit, nec esse necessarium ad legem mutandam, quòd lex sit omninò inutilis, sed sufficere si sit nimis rigorosa, vel si sit minus utilis, seu quia major fructus speretur ex nova lege contraria, aut quod majora pericula, vel damna ex ea evitentur, Pasqualig. *etiam in Praxi ieiun. decis.381. num.3.* inter causas justas abrogandi legem jejunii ponit, si lex non servetur, & potius sit occasio scandali, quàm utilitatis, aut si necessaria non putetur. Et *num.5.* causam justam esse, inquit, si velit Pontifex indulgere imbecillitati humanæ, quæ facit, aut quod aliqui non servent omnia jejunia, aut quod alii putent se nimis gravari. Unde etiamsi in singulis hebdomadibus Quadragesimæ abrogaret aliqua jejunia, ut nimirum facilius esset jejunium Quadragesimale, rationabiliter moveretur. Martinez verò hæc considerans advertit, quòd inutilis lex est nociva, quia non parvum nocumentum communitatis est gravari inutiliter, sed & ad hanc partem reducitur lex nimis gravosa, quia nocumentum fert communitati, quæ nimis gravatur. Ubi verò lex antiqua sit minus utilis notabiliter, quàm lex nova contraria; jam adest altera causa ex assignatis à D. Thom. quæ est magna utilitas: & sic ad has duas scilicet ad necessitatem, vel magnam utilitatem reducuntur causæ justæ abrogandi legem.

59 Sed mihi ulterius videtur considerandum, quod dupliciter lex potest abrogari, vel scilicet privativè præcisè tollendo ejus obligationem, seu reducendo illam ad terminos legis naturalis, aut divinæ, aut antiquioris humanæ, vel potest lex abrogari contrariè per legem aliam positivam obligantem ad contrarium antiquæ legis.

60 Ad abrogandam primo modo legem minor necessitas, vel utilitas videtur sufficere. Nec obstat, huic modo abrogandi prior consuetudo; quia per novam legem non prohibetur observantia antiquioris legis, si quis secundum illam velit operari, sed solum tollitur obligatio ad id faciendum. Ideò indubitatum est, quòd legis talis inutilitas præbet sufficientem causam abrogandi illam, quia imò talis lex ex quo sic inutilis est nociva, quia gravat inutiliter. Unde etiam est, quod quælibet considerabilis utilitas sperata ex talis legis abrogatione præbet justam causam id faciendi, quamobrem si sit nimis onerosa, justè abrogatur; & præcipuè si sit pœnalis, & exorbitans nimis à communi jure meritò reduci potest ad terminos legis antiquioris levioris, & magis moribus, & utilitati communitatis accommodatæ.

61 Pariter ad hoc facit, quod advertit Martinez *d. art.2.* scilicet, quòd inutilis est multitudo legum, quæ etiam non parvum nocumentum afferre solet, ideò utile esse potest ex pluribus legibus ad terminos antiquiorum legum reducere eas, quæ sunt minus utiles. Quod tamen dicebat, Pasqual. quia scilicet ratio justa abrogandi jejunium in aliquibus diebus Quadragesimæ sit, ut facilius observetur jejunium Quadragesimale non approbo. Nam & faciliùs esset nullum dari jejunium de præcepto. Et sic ex hoc motivo posset tota lex jejunii, imò omnis lex prohibens quod delectat, aboleri. Quod absurdum est. Nam & ubi ratio justa movet Legislatorem ad id, quod est difficile, facilitas apposita se sola non dat justam causam legem abrogandi, sed alia ratio sumenda est, vel ex damno illato, vel ex privatione magnæ utilitatis.

62 Sed major utilitas est necessaria ubi lex positivè abrogatur per novam legem inducentem positivam obligationem ad contrarium, quia huic novæ legi obstat consuetudo observandi legem priorem, & hujusmodi lex non liberat ab obligatione, sed tollendo obligationem ad consuetum servari imponit obligationem ad insolitum, & sic magnam & difficiliorem novitatem, & gravamen imponit.

63 Advertit etiam optimè Cajet. *1.2. quæst.97. art.1.* utilitatem, ob quam licet abrogare priorem legem, debere esse perpetuam, seu diuturnam, quia lex perpetuitatem, aut diuturnitatem postulat ex natura sua, ut scilicet saltem non sit determinata ad aliquod certum tempus, & limitatum, ut colligitur ex D. Thom. *1. 2. quæst.104. art.3. ad tertium*, dum dicit præcepta judicialia ab hominibus instituta habere perpetuam obligationem manente illo statu. Fundarique solet hæc sententia in *l. Edenda, Cod. de edendo*, ibi, *Prout edicti perpetui monet auctoritas*. Sed melius *in l. Arianus, Cod. de Hæret.* §.1. *Institut. de perpet. & temp. actio.* Et optimè *ex cap. ult. sup. de off. legati*, ubi dicitur statuta edita à Legato in sua provincia durare tanquam perpetua. Ideò hoc tenuerunt Gloss. *penult. in fin. cap. à nobis el primo, sup. de sent. excommunic.* & ibi Panormit. *numer.12.* Card. *in reper. cap. Perpendimus, sup. eod. tit.* Archid. *in cap. Donatum 1. quæst.7.* Bartol. *in leg. omnes populi, ff. de legib.* Navar. *in manual. cap.27. numer.74.* quos refert, & sequitur Suarez *lib.1. de leg. cap.10. num.5.* Martinez *1.2. quæst.96. art.1. dub.1. cap.3.* Ideò ad hoc ut legislator habeat justam causam abroganti antiquam legem, necessaria est utilitas perpetua, seu de se diuturna. In eo autem casu, in quo detur utilitas grandis, sed temporalis, ex qua lex mutari deberet, tunc lex non deberet abrogari, sed suspendi pro tempore illius magnæ utilitatis.

Dices, si lex perpetuitatem postulat, sequitur quòd lex saltem citò post ejus editionem non possit abrogari. Quia ut habet D. Thom. *1. 2. quæst.96. art.1.* lex non debet poni, ut modico tempore duret. Sed negatur consequentia; quia sicut lex datur ob communem utilitatem, sic ob eandem quando opus est, sive tardè, sive citò potest mutari. Unde hujus non potest dari certa regula; duplex verò inter alias potest dari causa abrogandi legem citò. Prima est ex parte legislatoris, si contigerit, quòd per ignorantiam, aut errorem lex lata fuit, vel inutilis, vel nociva. Quandocumque enim error in lege ferenda cognoscitur, lex potest & debet emendari, corrigi, aut abrogari. Secunda causa est ex parte materiæ, quæ in brevi mutatur, sicut de facili contingere potest in pretio rerum venalium, ut si post defectum, & carentiam magnam victualium, aut alterius rei venalis ejusdem magna copia ex improviso adveniat. In hoc enim casu etiam statim mutandum est pretium, quia in earum copia res venales minus valent. In dubio autem augetur causa justa legem abrogandi, potius conservanda est lex, quàm mutanda, quia ipsa est in quasi possessione suæ existentiæ, & in ea debet manuteneri, Suarez *d. cap.25. num.9.* Ubi quod hoc est verum etiam in dubio probabili, dum ex utraque parte est æqualis probabilitas. 64 65

Dicendum tamen est secundò, quòd abrogatio legis, etiamsi injusta, benè potest esse valida. Et sic absolutè ad validitatem abrogationis legis non est necessaria justa causa. Contra hanc assertionem verò militat, quod lex edita sine justa causa nullius est roboris, & virtutis, cùm de ratione legis, ut dictum est, sit eam ferri pro communi bono. Sed cessat difficultas considerata distinctione abrogationis suprapposita in privativam, & contrariam. Nam abrogatio privativa valida est etiamsi injusta, si fiat à Principe supremo; quoniam quantum ad exercitium purum Princeps est liber, ut validè legem ponat, vel non ponat, & sicut si Princeps pro sua voluntate, etiam id petente justissima necessitate, nolit legem edere, lex nec est, nec obligat, ita licet iniquè legem abroget, abrogatio valida est, quia lex non obligat, nisi quia Princeps per eam vult obligare. 66

Ideò abrogationem legis jejunii factam sine causa validam esse probat Pasqual. *in Praxi Ieiun. decis.380. numer.1.* relatis quampluribus DD. & inter alios, Cajet. *1.2. qu.96. art.5. circa finem*, Med. *qu.97. art.4.* Sylvest. *v. dispensatio qu.3.* Armill. *num.14.* Lopez *part.1. cap.4. & part.2. c.108.* Martin. de Ledes. *2.p. 4. qu.17. art.3.* Petr. de Ledes. *de matrim. qu.54. art.3. diff.4. post 2. concl. & part.2. sum. tract.27. cap.2. post 5. conclus. dub.3.* Victor. Relect. *de pot. Papæ num. 14. & 15.* Can. *de pœn. part.5.* Sot. *l.1. de inst. quæst.7. art.3.* Turrecr. *cap.1. dist.89. num.14.* Panorm. *in cap. Non est de voto*, Innoc. *in cap. Cum ad summas, de stat. Reg.* Dec. *in cap. Quæ in Eccles. n.29. de constit.* Covar. *2. part. decret. c.6. §.9. n.10.* Sanchez *l.8. de matrim. d.17. n.24. & lib.5. consil. cap.1. dub.5. n.4.* Pont. *l.8. de matrim. cap.14. n.7.* Suar. *lib.6. de leg. cap.59. n.6.* 67

Sed si abrogatio fiat per novæ legis impositionem, si nova lex ex defectu justæ causæ nulliter fertur, & lex antiqua per novam legem nulliter revocatur, Martinez 68

tinez 1. 2. *quæst.97. art.2.* Suarez *l.6. de leg. cap.20. num.10. & 11.* Bonac. *disput.1. quæst.1. pun. ult. §.1. numer.1. & 2.* Vasquez *part.2. disput.178. cap.1.* Palaus *tract.3. disput.5. pun.2. §.1. num.3.* Considerandum tamen est hoc ultimo dictum esse verum, quatenus prior lex ex legis novæ impositione abrogatur; Nam lex nulliter imposita non potest legem priorem validè revocare quantum sit ex se ipsa. Sed si in novæ legis impositione expresse per distinctam clausulam abrogetur prior, non vi impositionis novæ legis, nec ut illa servetur, sed principaliter, & divisim, & independenter à novæ legis impositione, tunc ex vi talis expressionis prior lex abrogata manet.

69 Si etiam abrogatio non fiat à supremo Principe, sed ab aliquo inferiori de ejus commissione abrogatio sine justa causa erit invalida, quia non est censendum Principem dedisse auctoritatem suo inferiori abrogandi legem, nisi ex justa causa, Suarez *d. num.10.* Tamen ubi inferior habet facultatem ordinariam condendi leges, & non limitatam, sicut in ejus libertate est legem non ponere, ita & est legem abrogare.

70 Existimat autem Montesinus *de leg. disput.26. numer.3.* quod omnis lex in universum non possit abrogari validè per Principem. At verò Pasqualig. *d. decis.380.* vult quod ubi dicitur, quòd abrogatio legis facta sine justa causa sit valida, id debet intelligi de causa ex parte dispensati; Nam aliàs si Pontifex absque aliquo motivo ex parte voluntatis moveretur, abrogatio legis, seu dispensatio non esset actus potestatis, quia potestas est facultas, quæ ab intrinseco exigit adhiberi rationabili modo, ideò si fieret sine motivo, esset impetus quidam, & actus stultitiæ, & proinde non esset validus, quia illi actus tantùm sunt validi, qui proveniunt à potestate congruenti. Ex quo colligit, quòd si Pontifex abrogaret omnes leges Ecclesiasticas, irrita esset hujusmodi abrogatio, quia non potest aliqua ratio dictare, quòd sint abrogandæ omnes leges Ecclesiasticæ, quia imò talis abrogatio contrariaretur bono publico. Cùm enim Princeps sit obligatus rationi, potestas ipsius est tantùm, quæ est rationabilis, *l.2. ff. de usufruct. ear. rer. quæ us. consum. & l. penul. ff. de furtis, & l. Reprehend. C. de instit. & substit. & cap. sunt quædam 25. qu.1.* Panorm. *cap. Quæ in Eccles. de const. & cap. Per tuas, de arbit.* & alii quamplures, quos ibi citat.

71 Sed hæc doctrina, vel supponit impossibile, vel non distinguit inter motivum justum, & non justum, vel vult, quòd in illis quæ concernunt jus positivum Pontifex non possit agere validè, nisi agat justè, quod est contra communem sententiam DD. & maximè illorum, quos ibi recenset *numer.1.* Nam cùm impossibile sit; quòd homo habens liberum, & expeditum usum rationis agat, & non agat propter finem, quia hoc est essentiale homini libero agere propter finem, & ex fine se movere ad deliberandum, ut docent communiter DD. cum D. Thom. 1. 2. *quæst.1.* simul impossibile est, quòd Princeps, qui non sit fatuus, & usu rationis privatus abroget legem, & id non faciat ex aliquo motivo. Punctum est, an si hoc motivum sit injustum, & irrationabile, ut si id faciat Princeps ex avaritia, vel ex intemperantia; vel ex alia causa mala, & iniqua abrogatio, aut dispensatio legis sit valida. Et eam validam tradunt DD. supra citati, & alii communiter.

72 Et si dicatur, quòd Principi, seu Pontifici non est data potestas in destructionem. Benè respondet idem Pasqual. *ibid. numer.3.* quod quantum ad ea, quæ spectant ad humanam legem, dispositio quantum ad valorem est remissa voluntati Pontificis, qui supra jus positivum summam habet potestatem. Ideò, ut dicebatur, etiam si detur summa necessitas edendi legem aliquam, si Princeps eam non vult edere, lex non est, neque obligat, etiamsi ad non edendam legem Princeps ex pessimo motivo ducatur. Unde & econtrà si Princeps nolit legem durare, lex non durat, etiam si Princeps ad legem abrogandam ex iniquissimo motivo moveatur, sine alia justa causa, Sot. *l.1. de just. qu.7. art.1.* quem sequitur Fermos. *cap.3. qu.3. n.26. de constit.*

73 Quod verò dicitur de abrogatione omnis legis, continet casum moraliter impossibilem, quia id facere esset stultissima iniquitas: Quæ præcipuè in Pontifice Romano est impossibilis, qui in iis quæ ad gubernium Ecclesiæ spectant, habet assistentiam Spiritus sancti, ut non falli, nec fallere possit. Metaphysicè tamen loquendo, si summus Princeps nullam legem positivam vellet obligare, nulla obligaret, quia lex positiva non obligat, nisi ex voluntate Principis.

74 Si tamen Princeps ederet novam legem prohibentem observari omninò quidquid per aliquam legem statutum fuit: hæc esset lex iniqua, & invalida, quæ non obligaret, sed nec obligat lex justa, si legislator vult eam non obligare, & efficaciam ligandi ab ea aufert. Et in his verum est illud Probi ad Monach. *hic numer.2.* quòd non potest dici Papæ, cur ita facis. Et quòd in his, quæ sunt juris positivi, ut in dispensationibus, per quas lex relaxatur, sola voluntas Papæ est pro ratione, Fagnan. *cap. Quia in tantum num.15. de præb.* & Innoc. *cap. Dudum el 2. de elect.* Dec. *d. cap. Quia in tantum num.6.*

SVMMARIVM.

75 *Ratio difficultatis.*
76 *De substantia revocationis legis est insinuatio.*
77 *Lex qualibet est voluntas, seu dictamen Principis sensibiliter expressum.*
78 *Revocatio nonnisi insinuata producit effectus, quos lex producit in ignorantes.*

Quæst. unica.

ARTICULUS III.

Utrùm ad hoc ut abrogatio legis valeat & sit efficax, sit necessaria eius publicatio?

75 VIdetur enim, quòd sit necessaria publica, & solemnis insinuatio, seu promulgatio ad hoc, ut abrogatio legis vim habeat; quia ad valorem, & efficaciam legis est necessaria promulgatio, abrogatio verò legis est quædam lex. Et ideò hoc sentiunt Vasquez 1. 2. *disput.156. cap.4. numer.25.* Azorius *part.1. lib.5. capit.3. quæst.7.* Salas *disput.12. sect.8. & disput.18. sess.2.*

76 Sed contra tenent alii, quia cùm lex obliget in quantum legislator vult obligare, ad hoc, ut lex cesset obligare, sufficit, quòd cesset in legislatore voluntas obligandi, quæ cessat statim, ac voluntate sua absoluta legem abrogat. Et non est eadem ratio de impositione legis, & ejus abrogatione, quia minus requiritur ad destruendum, quàm ad construendum; & sic ad destruendum sufficit, quòd Princeps velit, quòd lex ampliùs non obliget. Et ita sentiunt Capreol. *4. d.1. qu.3. art.1. contr.1 conclus.* Conrad. *1. 2. qu.90. art.4. §. Et nota*, ubi Medina *circa finem artic.* Martinez 1. 2. *quæst.97. art.2. dub. unic.* Suarez *lib.6. de leg. cap.27. num.17.*

77 Prima sententia mihi videtur vera, quia lex est voluntas superioris sensibiliter expressa. Nam lex non potest obligare, nisi inducat sui notitiam; quod nequit in hominibus fieri, nisi sensibiliter exprimatur. Abrogatio verò legis est lex, unde non minus de substantia ejus est, quòd insinuetur, seu quod se insinuet, ut cognosci possit, quàm sit de quacumque alia lege per se loquendo, & quantum sit ex connaturalitate legis, ut obligantis. Nec valet dicere, quod ad hoc, ut lex non obliget, sufficit voluntas Principis, per quam velit legem non ligare; quia si dicatur, quòd sufficit voluntas Principis non insinuata, & sensibiliter expressa, petitur principium. Et cùm sit verum, quod voluntatis legislatoris sit ligare, & absolvere, tamen hoc non potest fieri, nisi voluntas hujusmodi insinuetur, & innotescat. Minus obstat, quòd ad destruendum minus requiritur, quàm ad construendum, quia & ad destruendum requiritur actio, quæ rem destruendam tangat. Et ideò de substantia destructionis est, quòd voluntas destruendi innotescat, quia implicat, quòd voluntas efficacia sua attingat humano modo subditos, nisi illos tangat per cognitionem, & sic illis approximetur. Agens enim non agit in distans.

78 Aliud quoque considerandum est, nimirum, quòd sicut lex ligat ignorantes quantum ad aliqua, ut quantum ad nullitates actus: ita non minoris efficaciæ est revocatio quantum ad hujusmodi effectus, quos potest lex causare in ignorantes, sed tamen neque hos effectus potest producere, nisi sit publicata. Nam licet Princeps possit

invito

invito remittere pœnam, sicut potest pœnæ executionem impedire. Quòd tamen nullo modo publicata abrogatione legis agens contra legem non incurrat reatum culpæ, & pœnæ, hoc nequit facere Princeps. Non enim lex censetur revocata, nisi sit revocata sensibiliter. Pariter quòd Princeps velit convalidare actum nullum etiam in aliquibus casibus invitis partibus, conceditur. Sed quod actus ex lege nullus, lege non revocata, sit de se validus, hoc nequit fieri. Et sic semper est verum, quod revocatio legis sola mente retenta nullius roboris est. Nam nec illam subditi credere tenentur, nec illa est actio, quæ se sola vel obligare, vel ligare possit, quia se sola non potest agere in subditos, ut in homines, & ut in rationales media eorum cognitione, consilio, & deliberatione; ideò se sola nec est impositio legis, nec revocatio.

S V M M A R I V M.

79 *Qui legem condidit, & qui ei succedit in officio, potest legem abrogare*. 80.
81 *Superior potest inferiorum leges revocare*.
82 *Papa potest corrigere ius civile*.
83 *Inferior superiorum leges non potest corrigere*.
84 *Aliquorum opinio*.
85 *Inferior nec pro suo territorio potest legi superioris derogare*.
86 *Episcopi sacros Canones tenentur observare, & tueri*.
87 *Valet statutum à Papa confirmatum*.
88 *Non est eadem ratio de dispensatione, & abrogatione*.
89 *Episcopus non potest in iure communi dispensare, nisi in casibus expressis*.
90 *Episcopus dispensat ubi in iure permittitur dispensatio*.
91 *Etiam Laici possunt disponere contra id, quod negativè est de iure communi*.
92 *Nec civiles Magistratus possunt contra ius civile aliquid statuere*.
93 *Quomodo Episcopus possit abrogare legem ieiunii ortum habentem ex voto*.

Quæst. unica.

ARTICULUS IV.

An inferior Ordinarius possit in suo, & pro suo territorio legem Superioris irritare?

79 Supponit hæc quæstio, quòd conditor legis potest illam abrogare; quia res per quas causas nascitur, per eas etiam destrui potest. Quod præcipuè non habet difficultatem, & contradictionem in summis Principibus, & respectu legum, quæ ab absoluta summorum Principum voluntate efficaciam habent. Sed & verificatur de aliis inferioribus Prælatis respectu legum, quas ipsi ediderunt. Unde Episcopus leges suas etiam in Synodo Diœcesana editas potest corrigere, & etiam abrogare. Ejus enim est revocare leges, cujus est condere, *l.3. ff. de re iud. cap.1. de reg. iur.* Panorm. *in cap. At si Clerici, §.de adult. num.10. de iud.* Duran. *decis.291.n.24.*

80 Supponit secundò, quòd est eadem ratio conditoris legis, & successoris ejus in eodem officio, & dignitate, arg. *cap. innotuit supra de elect.* & deducitur clarius ex hoc textu, in quo absolutè concluditur legem novam à quocumque habente jurisdictionem sufficientem latam derogare legi priori contrariæ, à quocumq; illa fuerit edita. Undè Summus Pontifex potest revocare, aut corrigere quamlibet legem Ecclesiasticam, vel in Concilio Generali latam, vel extra à suis Prædecessoribus conditam.

81 Supponit tertiò, superiorem posse corrigere, & abrogare legem inferioris. Sicut enim inferioris jurisdictio, sic & inferiores leges subordinatæ sunt voluntati, & potestati superioris, qui ex causis universalioribus, quas considerat, potest de lege inferioris judicare, & ei vel robur tradere, vel derogare. Et ideò Papa disponere potest de omnium Conciliorum tum Provincialium, tum Diœcesanorum statutis ea abrogando, aut corrigendo, sicut & de statutis quorumcumque Prælatorum tam sæcularium, quàm Regularium; cùm sit omnibus superior, & cura totius Ecclesiæ illi sit commissa.

Inter hujusmodi verò inferiores sunt etiam legislatores civiles, & temporales, Suarez *lib.6. de leg. cap.26. num.3.* arbitratur, quòd absolutè loquendo lex civilis non subordinetur Canonicæ. Quòd non est dictum cum solido fundamento. Nam legi civili absolutè sumptæ convenit ordinare in finem, qui absolutè non est ultimus, sed medius, & in altiorem finem ordinabilis, nimirum in finem ultimum qui est beatitudo nostra, ut obtinenda per fidem Christi, & fidei opera; qui propriè est finis Principatus summi Pontificis, & Canonicæ legis, ut habetur ex *c.seq.* & dictum est supra *art.1.* Verum quidem est, quod hæc subordinatio consistit in iis, quæ spectant ad bonum animæ. Ideò tunc lex Canonica potest civilem abrogare, si vel civilis sit contra bonos mores, & inductiva ad malum; sive sit de materia ad ordinem gratiæ elevata, ut est contractus matrimonii, vel ex alia simili causa. Exempla legum civilium abrogatarum à lege Canonica vide apud Fagnanum *cap. cum his, de testam.* 82

Supponit quartò, quòd per se, & regulariter inferior, cùm non habeat jurisdictionem in superiorem, non potest ejus legem abrogare. Hæc quidem communia sunt, & indubitata. Quapropter Episcopus, nec Pontificum, aut Conciliorum Generalium, nec Conciliorum Provincialium leges potest corrigere, aut tollere. Quibus stantibus circa hoc quartum quæritur, an inferior Ordinarius possit legem Superioris, saltem in suo territorio abrogare? Quæritur verò de superiore ordinario; quia Delegatus, si ei committatur abrogatio legis, jam non propria authoritate, sed authoritate superioris id facit, seu id per ipsum facit superior. 83

Videtur verò, quòd saltem in civilibus possit Civitas in suo territorio statuere contra jus commune. Nam ita docuerunt Panorm. *in cap. ult. supra de consuetud.* Jason *in l. Omnis populi, ff. de iust. & iur.* Felin. *in cap. Quod super his num.2. supra de maior. & obed. & in cap. Cognoscentes n.2. supra de constit.* Alber. *tract. de stat. part.1. qu.7.* Nam cùm Princeps laicus acceperit jurisdictionem ab universitate, hæc illi tributa fuit sub hac conditione, ut quoties sibi visum fuerit convenire bono communi, efficaciam legum communium possit impedire, vel Principes ipsi ex gratitudine hanc potestatem illis concesserunt. Sed imò non desunt, qui dicant etiam laicos posse statuere contra jus commune, si eorum statutum non sit peccati nutritivum. Hoc enim sentiunt Alber. citatus, Rochus de Curt. *tract. de consuet. sect.3.* ex Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ supra de constitut.* Panorm. *in cap. Quod Clerici, sup. de foro compet.* sed & Azor. *p.1. lib.5. cap.25. qu.11.* sine distinctione absolutè vult, quòd statuta contra jus commune valeant, & hoc conatur probare multis exemplis. Et probatur hoc tum primò, quia inferiores superiores habentes potestatem condendi leges, possunt in superiorum legibus dispensare; hæc enim facultas Episcopis convenit, ut possint in iis, quæ sunt juris communis dispensare, & Magistratus Civitatis in legibus regiis, quia hæc potestas spectat ad rectam, & suavem suæ ditionis jurisdictionem; At verò hoc idem dicendum est eadem ratione de legis abrogatione, quia benè potest contingere, ut lex communis minus competat Civitati, vel particulari Regno; ergo Civitatis, vel Regni absolutus Rector habere debet potestatem tales leges abrogandi. Sic enim cùm de jure communi sit, ut nullus pro alieno peccato puniatur, valet statutum, ut Dominus teneatur pro culpa servi, & pro culpa filii Pater. 84

Sed, his non obstantibus, dicendum est nullum omninò inferiorem, sive sit Prælatus, sive Magistratus, sive Diœcesis, sive Regnum, sive Civitas, etiam si habeat facultatem condendi leges, potest aliquid statuere contra jus superioris, vel superioris legi derogare etiam pro suo territorio, & Provincia, Diœcesi, vel Regno. Ita habetur expressè *in Clem. Ne Romani, de elect.* & est adeò probatum *in cap. Institutionis, cap. Amputato, & cap. Ecclesiastica 25. q.2.* ut responderi non possit secundum Archidiac. *in cap. licet Canon. infra de elect.* præsertim cùm hæc dispositio sit conciliaris, contra quam non dispensant Episcopi, ut est textus *in Extravag.* Jo.XXII. *Sacrosancta Romana, circa medium, §. Quidam autem*, & ibi notat Gloss. *in ver. Concilii Generalis*. Eidem quoque conclusioni suffragatur textus *in cap. Decer-* 85

cer-

cernimus, *supra*, *de iudic*. Undè hanc partem sequuntur Reverendiss. Fagnan. *cap. Electus num.6. supra de temp. ordin. & cap. Contingit num.6. supra de arbit.* post Feder. de Sen. *consf.*17. & Archid. *in d. cap. licet canon.* & Petr. de Anchar. *in repet. cap.*1. *numer.*188. *&* 190. *supra de constitut. & hic num.*12. Rota *decis.*126. *num.*19. *&* 31. *part.6. recent.* Suarez *de leg. lib.6. cap.*26. *num.*9. Pasqualig. *de ieiun. decis.*384. *num.*3. Palaus *tract.*3. *disp.*5. *part.*2. §.2. *num.*5. Et manifesta ratione probatur, quia nec potest inferior contra superiorem agere, nam aliter esset superior. Tum quia causa universalis sibi particulares subordinat, & in moralibus fini universaliori, ex quo agit Princeps supremus subordinantur fines particulares, quos inferiores considerant; & causæ superioris influxum subterfugere non possunt causæ inferiores, & nedum ut earum efficaciam subvertant, sed & ut non agant nisi per subordinationem ad illum finem, & efficaciam. Igitur non potest inferior superioris legem nedum abrogare, sed nec pro parte corrigere, & relaxare.

86 Tum tertiò, quia propterea inferior leges superioris non relaxat, *cap. Inferior* 21. *dist. cap. Cum inferior*, *supra de maior. & obed. Clem. Ne Romani*, *de elect.* esset enim hoc confundere Hierarchiam Ecclesiasticam Dei ordinatione institutam, ut in Concil. Trid. *sess.*23. *de Sacram. Ord. can.*4. *&* 6. Tum quartò, quia inferiores Magistratus ex officio sunt custodes legum superiorum, & in specie Episcopi, & Prælati inferiores sunt custodes Canonum *cap. cum quibus* 24. Ita ut à regulis præstitutis nulla negligentia, aut præsumptione discedere possint, *cap. Igitur* 25. *qu.*2. Et ut legitur in 7. Synodo Episcopi debitores sunt omnes sacras regulas custodire, *cap. Cum simus* 9. *qu.*3. *cap. Institutionis* 25. *qu.*2. Tum quintò, quia Episcopi obligantur juramento ad regulas sanctorum Patrum defendendas, & retinendas, *cap. Ego N. de iureiur.*

87 Valet tamen statutum etiam laicorum contra jus Canonicum, si sit à Pontifice confirmatum, secus irritum est; quia sine jurisdictione non potest lex poni, vel tolli, Alex. *cons.*59. *num.*9. *lib.*1. Rota *decis.*103. *num.*27. *part.*2. *divers. & decis.*126. *num.*11. *part.6. recent.* ubi quod semper requiritur specifica Papæ confirmatio, nec sufficit generalis in forma communi.

88 Nec quæ adducuntur in oppositum aliquid probant. Quod enim asseritur inferiores posse in lege superioris dispensare; nam Episcopi in jure communi dispensant, primò non est simile, quia licet dispensatio in lege sit legis relaxatio, Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*18. Oldrad. *cons.*327. Feder. de Sen. *cons.*30. tamen hæc est relaxatio in casu singulari, & cum singulari persona, non verò est universalis legis relaxatio; & prætereà necessitas dispensandi frequentius accidit, & quidem sæpiùs est talis ex temporis angustia, ut non admittat posse haberi recursum ad Superiorem supremum, qui potest haberi ad corrigendam legem universaliter, & in perpetuum.

89 Sed secundò negatur, quod Episcopi possint dispensare in jure communi, nisi in casibus expressis, in quibus illis datur à Pontifice hæc facultas, ut habetur *ex cap. Dilectus supra de tempor. ordin.* & docent ibi Laurent. & Joan. quos sequitur Butr. *num.6. &* 9. Innoc. *num.*2. Abbas *antiq. in v. præmissa*, Hostiens. *num.*2. Jo. Andr. *num.*7. Card. *n.*2. Bellam. *num.*1. Panorm. *num.*3. Gloss. *in cap. Cupientes in vers. suspensos*, *infra de elect.* Philipp. & Jo. de Lignan. relati à Butr. *in cap. At si Clerici*, §. *De adulteriis numer.*17. Archid. *in cap. Licet canon num.*3. *infra de elect.* & Rebuff. Mandos. quos sequitur Reverendiss. Fagnan. *ad d. capit. Dilectus numer.*2. *& sequent.* Et est manifesta sententia D. Thom. *part.*2. *quæst.*97. *art.*4. *cap. & ad tertium*, ubi habet quod *in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit.* Et hoc idem tenent ibi Cajet. Martinez *dub.*2. & alii expositores, & quamplures alii, quos ibi Martinez recenset.

90 Itaque Episcopi tunc dispensant in jure communi, cum hoc illis est concessum, sive expressè, ut in Concil. Trid. *sess.*24. *cap.*6. conceditur illis dispensare in irregularitatibus contractis ex delicto occulto, & in *cap. At si Clerici*, §. *De adulteriis*, *supra de iud.* conceditur facultas dispensandi in delictis minoribus adulterio, vel virtualiter, & implicitè, ut cum in Canone permittitur dispensatio, & non determinatur à quo debeat fieri. In hoc enim casu censetur permissa Episcopis dispensatio, quia aliter poneretur superfluè clausula, nisi fuerit dispensatum; cùm manifestum sit legem Canonicam non obligare, si in ea Papa dispenset, Jo. de Lign. & Calder. *in d.* §. *De adulteriis*, & ibi Butr. *num.*17. Panorm. *num.*5. Innoc. *ad cap. Dilectus n.*2. *sup. de temp. ordin.* Bellam. *num.*4. Fagnan. *num.*17. Archid. *in cap. Licet Canon numer.*3. *infra de elect.* Joan. Andr. post Hostiens. *in cap.*1. *super Gloss. penult. infra de supplend. neglig. Prælat.* Sylvest. *vers. Dispensat. num.*15. Martinez *part.* 2. *qu.*97. *art.*4. *dub.*2. & apud eum plures, Sanchez *de matrim. l.*8. *disp. num.*1.

Et neque valet, quod aliqui ex citatis DD. dixerint etiam laicum posse statuere contra jus Canonicum, quia licet non benè omninò loquantur, non tamen malè sentiunt. Sed considerandum est, quod aliqua dicuntur esse de jure communi positivè, quia illa præcipit, vel prohibet, & alia negativè, quia non prohibet, quin fieri possint. Sic non est per jus commune positivè prohibitum, quod aliquis in bonis suis puniatur ob delictum alterius. Magistratus verò inferiores hoc modo statuere possunt contra id, quod est de jure communi negativè, quod non est propriè statuere contra jus commune, sed præter illud. Potest enim Magistratus inferior prohibere, quæ non prohibet jus commune. Sicut & potest ad jus commune addere, & illius observantiam novis statutis, & pœnis adjuvare Gloss. *in Clem. Ne Romani in vers. Tolli*, *de elect.* & ibi Card. *quæst.*3. Bonif. *num.*16. *&* 17. Imol. *num.*18. Covar. 4. *decret.* 2. *part. cap.*6. *num.*18. *&* 19. Menoch. *de arbitr. lib.*2. *cas.*398. *num.*46. Suarez *l.*6. *de leg. cap.*26. *num.*11. *&* 12. Martinez, & Marant. quos sequitur Palaus *disput.*5. *part.*2. §.2. *num.*6. Canonistæ igitur citati, & præcipuè Panorm. *in d. cap. Quod Clericis*, loquuntur de statutis, quæ negativè sunt contra jus commune, ut etiam ex exemplis per eos adductis est manifestum. 91

Quod verò Panormit. & alii citati admiserint Magistratum civilem posse civilem legem abrogare pro suo territorio, non approbatur, ut probat latè Gomez *infra cap. Vt animarum*, §. *statuto num.*5. *& seq. in hoc tit.* Neque enim est lex, quæ illi hoc concesserit. Neque *in d. l. Omnes populi*, hoc illi conceditur, quia ibi solùm tribuitur facultas condendi statuta præter jus commune, seu contra negativè dispositum per jus commune civile, seu addendo etiam ad jus commune. Nec rationabile fuisset, sed contra bonum regimen Regnorum, & Provinciarum, si quod Princeps supremus disposuit pro totius Regni bono, posset civitas aliqua abrogare; & subverteretur hoc modo ordo recti regiminis. Et quatenus aliqua lex esset, quæ loco particulari non conveniret, supremi Principis, qui legem universalem condidit, esset hoc considerare, & videre, an pro illo loco lex deberet abrogari. Nec illa differentia considerata à Panorm. urget; quia scilicet lex civilis ordinatur ad bonum corporale, & Canonica ad bonum animæ. Nam & bonum corporale, & temporale Reipublicæ petit inferiorem Magistratus subordinari supremo Principi, & illi subesse, nec eos esse judices constitutorum à Principe, sed observatores. Et quod alii addebant, quia nimirum universitas Principi civilem potestatem contulit sub conditione, quod Magistratus possent illi derogare pro suis territoriis est voluntariè dictum, & contra Hierarchiam rectam excogitatum. 92

Quamobrem cum obligatio voti sit ex jure superiori, nimirum ex jure divino, cui vovens religiosè promittit id, quod vovet. Ideò si contingat aliquam communitatem ex voto obligari ad aliquid, ut ad jejunium, non potest Episcopus communitatem hanc à lege voti absolvere. Sicut enim Episcopus hoc votum non potest irritare, ita nec potest abrogare hanc jejunii legem, quæ non est, nisi lex voti, Pasqual. *in Prax. ieiun. dub.*385. *num.*1. Qui tamen ibidem *num.*3. subdit post Ledesmam *part.*1. *sum. tract. de Eucharist. cap.*27. *conclus.*14. Vasquez *part.*2. *quæst.*96. *art.*5. *disp.*167. *num.*34. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. disp.*88. *sect.* 5. Sanchez *l.*4. *sum. cap.*15. *num.*19. quod votum communitatis approbatum ab Episcopo obligat successores per modum legis, accipientis vim ab eodem Episcopo. Qua doctrina stante ipse existimat, quod Episcopus hanc legem habentem ab eo vim possit abrogare. 93

SVM-

SVMMARIVM.

Quæst. unica.

ARTICULUS V.

Vtrum inferior Prælatus, vel Magistratus suam legem à Superiore confirmatam, possit abrogare, aut corrigere?

94 VIdetur autem eum non posse, quia lex à superiore confirmata est propria lex superioris, licet ab inferiori fuerit lata, juxta illud *cap. Si Apostolica, supra de Prebend. illa nostra facimus, quibus authoritatem impertimur.* Ad quod facit etiam *cap. Si soli, infr. de concess. prebend. & cap. Pro illorum, & cap. Dilecto, eodem tit.* Et sic quod statuta confirmata à Papa dicantur, & sint Papalia latè probat Rota coram Greg. XV. *decis.* 267. *num.* 6. & ibi Beltram. *num.* 13. ex Seraph. *decis.* 153. *num.* 1. & *decis.* 794. *num.* 26. & Maresc. *var. l.* 2. *cap.* 6. *num.* 20. Igitur lex inferioris à summo Principe confirmata, ut v. g. lex Episopi confirmata à Papa est lex Papæ, quam Episcopus, qui eam legem tulit, non potest abrogare. Secundò, nam lex, seu statutum ab inferiori Prælato, vel Magistratu editum per Papæ, aut supremi Principis confirmationem fit jus publicum; At verò juri publico non potest inferior derogare, *l. ius publicum, ff. de pactis, cap. Si diligenti, de foro compet.* Propterea quod inferior propriam legem non possit abrogare, si sit confirmata à Papa, tenuerunt Domin. *cap.* 1. *num.* 11. *infr. de fil. Presbyt.* Bottæus *de synodo epist.* 2. *part. art.* 4. *num.* 12. Sylvest. *vers. beneficium* 3. *quæst.* 9. *num.* 13. Angel. *vers. beneficium num.* 22. & ibi Armill. *n.* 27. Tabien. *vers. benefic.* 2. *qu.* 15. *num.* 17. Sayr. *de cens. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Azor. *part.* 1. *l.* 5. *cap.* 15. *qu.* 7. Sanchez *l.* 8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 30.

95 Sed alii cum distinctione respondent; Dicunt enim, quod statutum inferioris Magistratus à superiori Principe confirmatum, vel respicit commodum statuentium, vel etiam commodum aliorum, pro quibus statuitur. Si respicit commodum statuentium, potest per statuentes revocari; quia non est credibile, quod superior velit invito beneficium conferre, & ad favorem recipientium obligare nolentem. Et hoc asseritur de mente Gloss. *in cap. Dilecto, vers. huiusmodi supra de Prebend. & ex cap. Cum I. & cap. Cum accessissent supra de constit.* Sed si lex aut statutum à supremo Principe confirmatum non respicit solum commodum statuentium, sed etiam aliorom, pro quibus statuitur, alia datur distinctio. Nam vel confirmatio est accidentalis, quia nimirum inferior Magistratus habet facultatem condendi leges, aut statuta, sed ad solemnitatem, & honorem postulatur confirmatio Superioris, & in hoc casu lex, aut statutum à statuentibus potest revocari, aut corrigi, ac si confirmatum non esset, prout docent Bald. *l. ex placito, Cod. de rer. permut. à n.* 12. Bart. *l. omnes populi num.* 33. *ff. de iust. & iur.* Vel confirmatio est substantialis, quia inferior non potest condere legem, [illegible] statutum, & sic confirmatio superioris illa unica est, quæ legi, vel statuto præbet efficaciam. Et in hoc casu statuentes non possunt legem, aut statutum abrogare; quia non ipsorum est, sed superinris confirmantis. Ita sentit Palaus *tract.* 3. *disp.* 5. *part.* 2. §. 2. *num.* 8. & Suarez *l.* 6. *de legib. cap.* 26. *à n.* 24.

96 Loquendo igitur primò de confirmatione substantiali dante vim obligandi statuto inferioris, quam ex statuentibus nequit habere, hoc certum est, quod inferiores statuentes, non possunt statutum hoc modo à Papa, vel supremo Principe confirmatum abrogare positivè faciendo statutum contrarium. Nam cùm in hoc casu statuentes non possint legem, vel statutum condere, nisi adsit confirmatio Papæ, seu Principis, multò minus possunt condere statutum contrarium statuto jam à Principe confirmato, nisi ejusdem Principis intercedat authoritas, per quam statutum confirmetur. Ita post Bartolum habet Suarez *d. cap.* 26. *num.* 17.

97 Difficultas igitur remanet de abrogatione negativa, seu privativa, per quam fit reditus ad jus commune, vel ad antiquam libertatem. Et in hoc casu, si statutum non fuit editum in solum favorem statuentium, sed aliorum conveniunt DD. quod hujusmodi statutum, si sit à Papa, vel Principe confirmatum, confirmatione, ut supra dicebatur, substantiali, statuentes oon possunt illud abrogare; quia illud statutum est statutum Principis superioris; nec valet, quod possint statuentes renunciare favori, & gratiæ à Principe factæ, quia statutum illud non continet solum favore statuentium, sed etiam aliorum, pro quibus fuit editum, & cui statuentes renunciare oon possunt.

98 Sed ubi statutum, ut suprà à Papa, vel Principe confirmatum sit solùm in favorem statuentium, quod statuentes possint renunciando huic favori abrogare statutum redeundo ad jus commune, vel ad antiquam libertatem à jure concessam voluerunt Panorm. *cap. Cum accessissent num.* 2. *de constitut. & cap. Dilecto num.* 10. *de Praben.* Felin. *ad d. cap. Cum accessissent*, plures referens *num.* 3. & 4. & ibi Fagnan. latè *num.* 20. & Layman. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 1. Oppositum verò tenuit Suarez *l.* 6. *de leg. cap.* 26. *num.* 20. & *sequent.* Princeps enim hoc modo confirmando legem inferiorum, licet factam ad commodum eorum, non solùm concedit favorem, sed præcipit legem observari. Et licet hoc fiat in commodum statuentium, tamen hoc est omni legi commune, ut fiat in favorem communitatis. Nam aliud est concedere privilegium, quod est lex privata non obligans ad usum sui, sed illum libertati privilegiati relinquens, aliud est lex publica, quæ oon solùm concedit, sed præcipit, & obligat ad sui observantiam, ab hac verò obligatione non possunt subditi se sua voluntate liberare.

99 Sed his non obstantibus dicitur, quod ubi statutum est factum ad solum favorem statuentium, possunt statuentes in sui præjudicium redire ad jus commune, seu antiquum non obstante Superioris confirmatione, etiam essentiali. Nam tale erat statutum confirmatum à Papa, de quo in *d. cap. Cum accessissent de constitut.* Statutum enim fuerat, quod tolleretur Primiceriatus à Capit. Canonicorum Tull. quod non poterat statui à Capit. illo, cùm esset contra jus commune, nisi statutum confirmaretur a Papa. Et tamen ibi decernitur vim statuti evanuisse, si semel verum fuit, Capitulum ab eo statuto recessisse, & Primicerium elegisse. Similiter *in cap. pro illorum, de Præben.* cùm statutum fuisset, quod numerus Canonicorum fuisset certus, nec augeretur, & hoc statutum fuisset confirmatum à Papa; nihilominus decernitur, quod si Canonici decretum sic confirmatum non servarunt, statutum illud non vigeat, nec det legem Papæ, quin in vacantia numerum augere possit. Et ratio est, quia ubi statutum principaliter

paliter proximè est factum ad favorem statuentium, potius privilegium censetur, dum confirmatur. Unde *in d. cap. Pro illorum*, statutum, de quo ibi fit sermo, vocatur indulgentia. Nam & præceptum datum in favorem ejus, cui præcipitur, in effectu consilium dicitur, ut probat Fagnan. *loc. cit. n. 23. ex l. Cùm Pater, §. mundo*, ubi Gloss. *in v. Consilii, ff. de leg. 2. & l. 2. §. fin. ff. mand.* Quemadmodum & prohibitio legis concernens principaliter favorem ejus, cui fit, habet vim exhortationis, *c. Denique, §. Hac etsi legibus, dist. 4.* Panorm. *cap. Ad Apostolicam n. 11. de Regul.* Cùm ergo possit quilibet favori suo renuntiare, *cap. Ad Apostolicam, de Regularibus* possunt statuentes à statuto facto ad sui favorem recedere, non obstante confirmatione Apostolica. Imò per unicum actum factum contra statutum censentur renuntiasse illi, aut illud suspendisse secundùm opinionem Decii *in d. c. Cum accessissent n. 26. de constit.* & Fagnan. *ibi n. 20.*

100 Et hoc extenditur, ut verum sit, etiam si Papa confirmans apponat clausulam decreti irritantis. Quia & huic decreto & formæ inductæ per illud renuntiari potest, quando respicit privatum favorem, *cap. fin. §. His autem*, & ibi Panormitan. *not. 2. de offic. deleg.* Fagnan. ubi suprà *num. 22.* Bartol. *in leg. filio præterito, ff. de injust. nupt.* Unde hanc eandem sententiam tenuerunt Rota *decis. 79.* aliàs *3. de privil.* coram Cadr. Crescen. Card. *in Clem. 1. n. 18. de elect.* Cassad. *decis. 2. de decret.* Sarmen. *in reg. de Trien. qu. 49. num. 11.*

101 Non obstant verò quæ suprà *n. 94.* adducta sunt, & quæ contra hanc assertionem militare videntur. Quia *in cap. Si soli, infrà de concess. prebendarum*, non erat sermo de statuto inferiorum, sed de rescripto Papæ habente clausulam decreti irritantis. Et *in cap. Dilecto*, Bald. *de præbend.* ut ex Dec. *ad d. cap. Cum accessissent, num. 24.* & advertit ibi Fagnan. *n. 23.* non erat sermo de statuto edito ad favorem statuentium, sed ad favorem Ecclesiæ, unde non mirum, si non poterat revocari. Sed & Gloss. ibi *in v. clausula* advertit, quod statuto, de quo in eo cap. erat sermo, licèt confirmato à Papa, poterant contravenire, si voluissent. Et eodem modo procedit Gloss. citata *in cap. statutum de rescript.* quia ibi agitur de favore mixto, cui renuntiari non potest.

102 Solùm ergo in eo casu non possent statuentes recedere à statuto in eorum favorem facto, & à Pontifice confirmato, si expressè id illi prohiberetur in confirmatione. Quod tamen non fit ex eo præcisè, quòd ordinetur statutum observari adjuncto decreto irritanti.

103 Specialiter autem verum est, quòd statuentes non possunt uti statuto à Papa confirmato in eorum favorem, dum vel semel ab eo statuto recesserunt, si eo uti volunt contra Pontificem, quasi impediendo, ne ipse possit contra statutum operari, à quo ipsi aliàs liberè recesserunt, ut constat ex *d. c. Cùm accessissent, de constitut. & cap. Pro illorum de Prebend.*

104 At loquendo jam de confirmatione accidentali data ad solemnitatem, & majorem statuti efficaciam, dicendum est, quòd, tali confirmatione non obstante, inferior legislator, qui statutum condit authoritate sua ordinaria, potest quoque illud ex causa justa corrigere, aut in totum revocare. Ita ex Bartol. *in leg. Omnium, Cod. de testam. & l. Omnes populi, ff. de just. & jur. num. 33.* & Bald. *in leg. Ex placito, Cod. de rerum permut.* tenet Suarez *dict. cap. 26. num. 22.* Martinez *part. 2. quæst. 97. art. 1. dub. 1.* Palaus *d. part. 2. num. 2.* Nam ut probat Rota *decis. 219. num. 1. part. 7. recent.* Confirmatio Apostolica non facit statuta confirmata perpetua, nec illa immutat, sed illis dat robur secundùm illorum naturam, *leg. Aurelius, §. 1. ff. de liber. legat.* Surdus *cons. 330. num. 18. vol. 3.* non ex defectu potestatis Papæ, sed ex defectu voluntatis, Peregrinus *cons. 63. num. 1.* Rota *decis. 427. num. 14. & 555. num. 2. part. 2. recent. & decis. 175. num. 7. & 8. part. 5.* Per confirmationem enim hujusmodi accidentalem non intendit Pontifex augere statutum, vel illud extendere, aut naturam ejus immutare. Natura enim confirmationis non est aliquid de novo tribuere, sed quod jam factum est roborare, *d. l. Aurelius, §. testamento, & l. Ex verbis*, ubi Gloss. *in v. tuo*, Bald. *in summ. C. de donat. inter virum, & uxor.* Rota *decis. 405. num. 1. part. 2. & decis. 597. n. 2. part. 3. & decis. 458. num. 3. part. 3. & decis. 604. n. 1. part. 4. recent.* Confirmatio igitur statutum aut legem inferioris roborat, sed non extendit, ut habeat perpetuitatem, nec auget ut habeat immutabilitatem. Cujus, ut notat Martinez *dub. 2.* habemus exemplum in constitutionibus Regularium à Sede Apostolica confirmatis, qua confirmatione non obstante, superiores Regularium legislatores, prout opus est, limitant, corrigunt, & respectivè abrogant.

Si tamen Sedes Apostolica confirmando statutum inferioris addat aliquid, per quod faciat illud simpliciter suum, & sibi proprium, tunc inferior non potest statutum illud abrogare, aut corrigere. Est verò indubitatum Pontificem confirmando novam legem sibi propriam condere, si apponat hanc clausulam, *de novo & perpetuo statuimus, & ordinamus:* quæ habet vim novæ concessionis, ac meræ & simplicis dispositionis Papalis, Rota *decis. 84. num. 6. part. 1. recent.* Bartol. *in leg. more majorum num. 5. ff. de jurisd. omn. gent.* 105

Idem verò primò esse dicendum, si Papa percipiat statutum confirmatum observari, voluit Seraphinus *decis. 538. num. 1.* Rota *decis. 438. num. 58. part. 4. tom. 2. recentiorum.* Quia quod Principi placuit, legis habet vigorem, *l. Quod Principi, ff. de legat.* Sed considerandum est, quòd in casu illius Rotæ, Papa non purè præceperat observantiam statuti, dixerat enim: *Præmissaque inviolabiliter observari, ac ut vim contractus inter nos, & communitatem Bononiensem observari habeat, decernimus.* Unde statutum illud non erat merum statutum, sed contractus cum Papa initus, unde non mirum si sola voluntate Bononiensium non poterat revocari. Præterquam quòd ibi sermo erat de statuto, qui ex se non valebat sine confirmatione Papæ, Rota ibidem *num. 36.* & quòd non fuerat editum favore statuentium tantùm, cùm in eo haberet interesse Sedes Apostolica tanquam in contractu cum illis inito. Cæterùm loquendo de confirmatione accidentali non ideò dicendum est confirmationem non esse puram, sed novæ legis Papalis habere vim, quòd Pontifex statutum confirmatum præcipiat inviolabiliter observari, quia hæc non est additio, sed major expressio ejus, quod in confirmatione intimè clauditur. Nam ex quo Papa statutum confirmat, vult & sic mandat illud observari ex vi ipsius confirmationis; & sic expressè præcipiendo statutum observari, solùm explicitè exprimit, quod in confirmatione implicitè inerat. 106

Si tamen Papa confirmando statutum inferioris præcipiat sub nova pœna in statuto non contenta illud observari, videbitur secundò, quòd adjunctio ista præcepti, seu legis pœnalis tanquam propria Pontificis afficiat statutum, & illud elevet, ut jam sit statutum Pontificis immutabile per jurisdictionem inferioris. Sed considerandum est, quòd hæc pœnæ adjunctio potest esse accessoria ad substantiam statuti, quod de se est per inferioris authoritatem mutabile. In quo casu si adjunctio pœnæ accessoriè se habeat, sequetur naturam principalis, *cap. Accessorium infrà de reg. jur.* & sic benè potest contingere, quòd Pontifex ad exactiorem observantiam statuti pro eo tempore, quo judicatur utile, adjunxerit pœnam, relicta inferiori legislatori sua libera jurisdictione ad mutandum statutum, si id postulet utilitas publica. 107

Tertiò videtur, quòd confirmatio statuti sit novæ legis Pontificiæ editio, si Pontifex nedum præcipiat observantiam statuti, sed apponat decretum irritans, quidquid contra statutum fuerit gestum. Hoc enim videtur expressè probari per textum *in cap. Dilecta 25. de præben. & per cap. Si soli, infrà de concess. prebend.* Et ita hoc tenuerunt Gloss. *in d. cap. Dilecto in v. clausula*, & Panormitanus *ibid.* Suarez *l. 6. de leg. cap. 26. num. 24.* Palaus *tract. 3. disp. 5. part. 2. §. 2. num. 8.* Quod ratione confirmatur tum quia decretum irritans dat formam secundùm Bald. *in l. 1. n. 2. ff. de liber. & posth.* Forma autem servari debet. Tum quia ex appositione hujus decreti Papa videtur principaliter respicere ad bonum Ecclesiæ, & simpliciter velle ut statutum observetur. Sed hìc quoque considerandum est, quòd in *d. c. Dilecto*, sermo erat de statuto, quod indigebat confirmari confirmatione substantiali. Et nihilominus, ut probatum est suprà, si statutum sit in favore statuentium potest mutari non obstante confirmatione Apostolica, & decreto irritanti potest renuntiari. Sic igitur si confirmatio statuti, quæ sit accidentalis sit data in favorem legislatoris inferioris, poterit legislator inferior huic favori renuntiare, non obstante decreto irritante. Sed considerandum est ulterius, quod confirmatio accidentalis est statuti extrinsecum accidens 108

supponens statutum jam præexistens in sui substantia perfectum, & validum; At verò accidens extrinsecum nec fert, nec infert mutationem substantiæ rei, sed substantiam accidentaliter ornat, si sit bonum, ejus verò substantialem conditionem non mutat; sic igitur confirmatio ista accidentalis cum suis qualitatibus se habet ut accidens, & ut quid accessorium respectu statuti, quod naturam statuti sequitur, sed illam non mutat; & ita quoque se habet præceptum factum subditis cum decreto irritante, ut statutum observent. Si tamen præceptum munitum, vel etiam non munitum decreto irritante respiceret legislatorem ipsum, cui præciperetur, ut statutum non mutaret, tunc hujusmodi præceptum novam legem contineret, sed valdè diversam à confirmatione statuti, & tunc inferior non posset statutum mutare. Sed præceptum obligans sub decreto irritante subditos ad obediendum statuto, se habet ut accidens, & accessorium ad statutum, & naturam ejus sequitur, *cap. Accessorium infra de reg. juris*, & ideò non facit statutum immutabile. Nec obstant jura citata, ut patet ex dictis.

109 Sic ergo resolutivè, & absolutè mihi videtur dicendum, quod ubi confirmatio sit de substantia statuti ab inferioribus potest mutari solùm, si sit merè, & præcisè ad favorem statuentium, cui illi possint renuntiare, non verò si sit ad favorem Ecclesiæ, vel publici boni, vel etiam alicujus alterius particularis. Sed si confirmatio sit accidentalis, quæ non mutat naturam statuti, possunt inferioris statuentes ex justa causa statutum mutare, non obstante confirmatione; nisi Pontifex confirmans faciat sibi proprium statutum, & illud elevet, ut sit in rigore lex Pontificia, quod tamen non præsumitur, ut benè advertit Suarez *d.c.26.num.fin.* nisi in confirmatione exprimatur.

110 Quod verò statutum confirmatum à Papa dicatur Papale per Rotam *decis.276. num.6.* coram Ludovisio, ut eadem Rota explicat, sic est verum, quod non impedit, ne sit revocabile juxta prædicta, quia vel favori Papæ possit renuntiari, vel quia statutum sit Papale ex accidenti, & secundùm quid & accessoriè.

S V M M A R I V M.

111 *Ratio ad quæstionem.*
112 *Delegatus ad ferendam legem non potest legem abrogare.*
Nisi sit delegatus absolutè ad gubernandum, cum potestate ferendi leges.
113 *Ordinarius si de commissione Superioris legem ferat, potest illam abrogare.*
Generalis Ord. Prædicatorum potest affiliationes Fratrum transferre.
Ordinarium decet ob reverentiam non abrogare legem factam de mandato Papæ.
114 *Ordinarius legem a se editam authoritate Papæ non potest abrogare.*
115 *Neque, si illi dicatur, facias etiam auctoritate nostra.*

Quæst. unicæ

ARTICULUS VI.

Vtrùm inferior revocare possit legem à se statutam ex speciali commissione Papæ, vel Principis supremi.

111 Videtur enim, quod non possit, quia in eo casu lex edita est authoritate Papæ, seu Principis, & ideò tanquam lex Papæ, aut Principis habenda est, quam inferior non potest abrogare.

112 Distinguendum tamen est. Nam vel lex edita superat jurisdictionem ordinariam inferioris, & in hoc casu, cùm inferior non agat, nisi per virtutem Papæ, aut Principis sibi in eo casu particulari ad solam legem ferendam delegatam, lex illa est Papæ, aut Principis, & inferior Delegatus postquam eam tulit functus est officio suo, nec potest latam legem, aut abrogare, aut corrigere, seu relaxare. Quòd tamen limitatur, nam si Papa, vel Princeps det auctoritatem absolutam ad gubernandum cum potestate ferendi legem, prout datur Legatis à latere, poterit Legatus, qui legem tulit, eam quoque revocare, Suarez *l.6. de leg. cap.26. num.21.*

113 Sed si lex edita ab inferiori non excedat jurisdictionem ejus ordinariam, Papa, seu Princeps mandans inferiori, ut condat legem solùm excitat authoritatem inferioris; in nullo ei derogando, ut habetur expressè decisum per Innoc. III. *in cap. Licèt 12. suprà de off. Ordinarii*, ibi: *Quia tamen intentionis nostræ non fuit, nec esse debuit jurisdictioni tuæ per mandatum hujusmodi derogare*, &c. Præceperat autem Innocentius Archiepiscopus Paris. ut ad reformationem Religiosorum statueret, quòd regulare fuerit, & honestum. Unde ex hoc textu hoc idem docent Jason. *in leg. Jus civile, numer.2. ff. de just. & jur.* Cenod. *in Decret. collect.157. num.1.* Menochius *de præsumpt. l.2. præsumpt.16. num.24.* quos refert, & sequitur Barbosa *clausula 12. num. 2.* Quamobrem cùm hujusmodi lex pendeat à jurisdictione Ordinarii, & ejus virtute sit edita, nec vim habeat proximè, nisi ex ejus voluntate, potest ab Ordinario in ea dispensari, & ei derogari ex justa causa. Ita cùm ex commissione Clementis Octavi in Cap. Generali Romæ 1601. prohibitum fuerit transferri affiliationes Fratrum de uno ad alium Conventum, nihilominus Magistri Ordinis licentiam transferendi hujusmodi affiliationes concesserunt, & concedunt. Et cùm de ann. . . . Quidam fundati super dicta ordinatione impugnassent affiliationem unius Fratris factam ad Conventum N. & recursum habuissent ad sacram Congregationem Episcoporum & Regularium, decisum fuit translationem subsistere. Nihilominus tamen quantum ad abrogationem totalem legis hujusmodi editæ ex mandato Apostolico magna consideratio habenda esset, ob reverentiam præcepti Sedis Apostolicæ, cui licet obtemperatum fuerit condendo legem, tamen etiam condita lex nisi ex justa, & valdè gravi, & manifesta causa non deberet abrogari, & si posset, ob reverentiam deberet Pontifex consuli.

114 Sed quid dicendum, si lex ab inferiori edita de mandato Papæ, aut Principis non excedat facultatem ordinariam inferioris, sed tamen Papa aut Princeps eam ferri mandet, cum clausula *authoritate nostra, vel tanquam Delegatus*? Respondetur servandum esse, quod habetur infrà *cap. Cum aliquibus fin. de Rescript.* ibi: *Si vero Canonicorum receptio aliàs pertineat ad eosdem: non Apostolica, sed recipientium censetur authoritate receptus: nisi quod eum authoritate nostra reciperent, in nostris literis caveatur expressè.* Tunc igitur Papa, vel Princeps jurisdictionem ordinariam censetur mutare in delegatam juxta textum *in leg.1. §. Si quis simpliciter, ff. de verb. obligat.* Vel certè importatur, quod jam ipse non propria, sed delegantis authoritate agit, quod est proprium Delegatorum. Et succedit *regula 1. vers. omnia enim, Cod. de jure vet. enucl. juncta l.1. qui mandatum §.3. ff. de off. ejus*, &c. Quamobrem inferior hujusmodi legem non potest authoritate propria abrogare, & nec authoritate delegata, nisi hoc etiam illi fuerit delegatum.

115 Si autem in commissione superioris mandantis legem ferri apponatur clausula, *Etiam authoritate nostra*, vel *etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus*, tunc judicem habere utramque authoritatem censet, Barbosa *d. claus. 12. numer.4.* ita ut tunc ab eo judice Ordinario non ad Summum Pontificem, sed ad Metropolitanum sit appellandum. Verùm quidquid sit de his, in casu nostro dicendum erit inferiorem non posse legem, sic etiam auctoritate Papæ delegata latam, vel abrogare, vel corrigere, quia est munita Superioris authoritate, & ejus lex est, & non nisi à Papa, vel ex ejus delegatione potest lex illa mutari.

S V M M A R I V M.

116 *Lex solam sibi contrariam abrogat.*
117 *Sufficit contrarietas indirecta.*
118 *Lex addens non est contraria.*
119 *Contrarietas legum accipienda est non secundùm regulas logicæ, sed scientia moralis.*
120 *Generalis affirmativa, & particularis negativa moraliter non sunt contrariæ.*
121 *Aliquando tamen contrariantur.*
122 *Quantum fieri potest legum contrarietas est vitanda.*

123 *Legum mutatio odiosa, & stricta interpretationis.*
124 *Et tamen spectata causa favorabilis esse potest.*
125 *Ad vitandam contrarietatem non sunt impropriandæ verba.*
126 *Attendi debet proprietas verborum legalis, non grammaticalis.*
127 *Debet attendi quod legislator aliis verbis usus esset, si aliud voluisset.*
Verba debent accipi secundùm usum.
In dubio accipiendus sensus, qui excludat contrarietatem.
128 *Ad hoc ut lex contraria deroget priori est in legislatore necessaria scientia contrarietatis.*
129 *Vbi nova dispositio sit manifestè contraria priori non potest in Papa præsumi ignorantia contrarietatis hujus.*
130 *Ex sola contrarietate posterioris dispositionis ad priorem non præsumitur in Papa actualis inconsideratio ejusdem contrarietatis.*
Ex triplici causa potest adesse hæc inconsideratio.
131 *In Papa potest præsumi ignorantia facti.*
Et quod sit deceptus, & circumventus.
132 *In Principe non præsumitur malum.*
Delictum non præsumitur.
Non est possibilis inconsideratio contrarietatis ad legem in Papa ex usu rationis contra novam legem disponente.
133 *Quæ Papa facit ex certa scientia servari debent.*
Scientia, & consensus Papæ arguitur ex scientia Ministrorum.
134 *Importunitas precum non facit, quod rescriptum Papæ sit invalidum.*
Violentium facit involuntarium.
135 *Metus cadens in constantem virum facit involuntarium secundùm quid.*
136 *Metus cadens in constantem virum non irritat dispositionem Papæ.*
In Papa non præsumitur metus.
137 *Preces non minuunt voluntarium.*
138 *Nisi per accidens.*
Importunitas non inducit metum gravem.
Importunitas non reddit irritam gratiam.
139 *Rescriptum non debet præsumi ex importunitate obtentum.*
140 *Ex importunitate non præsumitur inconsideratio contrarietatis ad legem.*
141 *Posteriori dispositioni scienter habita dare de invaliditate est inducere in legislatorem crimen, & infamiam.*
142 *Obicitur ex c. Ex parte de Capell. Monach.*
143 *Ex non appositione derogatoriarum non debet præsumi falsitas, vel occupatio.*
Præsumptio à jure reprobata est ex defectu derogatoriarum præsumere, vel falsitatem literarum, vel eas emanasse ex occupatione.
144 *Fortior præsumptio vincit debiliorem.*
Delictum non præsumitur.
Debet accipi interpretatio exclusiva delicti.
Falsitas debet probari.
145 *Praxis derogatoriarum introducta per accidens.*
146 *Intellectus c. Ex parte de capell. Monach.*
147 *Literæ de quibus in d. cap. est sermo, erant literæ ejusdem Honorii.*
148 *Vbi nova dispositio est manifestè contraria priori defectus derogatoriarum non infert defectum voluntatis in Pontifice.*
149 *Vbi nova dispositio est contraria priori, & deest præsumptio ignorantiæ, & violentiæ, semper dispositio posterior derogat priori.*
150 *Quod lex posterior non deroget priori contrariæ, nec est ex defectu potestatis, nec defectu voluntatis.*

Quæst. unicæ

ARTICULUS VII.

Quæ regulæ sint servandæ, ut appareat posteriorem legem abrogare, vel corrigere priorem, quando id in lege posteriori non cavetur expressè.

HÆc regula primò tanquam certissima habenda est, 116
quod lex posterior non abrogat priorem, nisi sibi
contrariam, *leg. Sed & posteriores, & leg. Non est novum,*
ff. de leg. Gloss. *hic in verb. priorem*, Jo. Monachus *numer.* 2.
Archid. *num.* 3. Anchar. *num.* 7. *opposit.* 5. Dom. *num.* 5. Franc.
num. 5. Bartol. *in leg. Omnes in* 3. *quæst. ff. de just. & jur.* Alex.
cons. 117. *num.* 3. *& cons.* 143. *num.* 10. *vol.* 6. *& cons.* 154. *n.* 2.
vol. 7. *& cons.* 98. *col.* 3. *vol.* 4. Domin. *cons.* 76. *col.* 3. quos refert,
& sequitur Probus hic ad Monac. *num.* 7. *litt. F.* Martinez
part. 2. *q.* 97. *n.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. Montes. *ibid. de leg. disp.*
26. *n.* 2. Palaus *tom.* 1 *tract.* 3. *disp.* 3. *part.* 4. §. 5. *num.* 2. *& disp.* 5.
part. 2. *n.* 9. Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 25. Fagnan. *cap. Cum esses*
n. 92. *de testam.* & DD. communiter. Nam sola ea, quæ
sunt adinvicem opposita sunt inter se incompatibilia, &
unum aliud excludit. quæ verò nullo modo sunt opposita
simul convenire possunt, sicut conveniunt leges non contrariæ,
quantumvis diversæ, unde non sufficit legum diversitas,
ad hoc, ut una excludat aliam, sed est necessaria
oppositio, & contrarietas.

Requirit verò Gloss. quod una lex sit alteri contraria di- 117
rectè, ut illam abroget, & hoc etiam placuit Anchar. Sed
hoc verè non est necessarium, sed sufficit vera contrarietas,
etiam si se habeat indirectè, & consecutivè, quia &
hujusmodi contraria simul esse non possunt, sed se omninò
excludunt, & censetur derogatum nedum, quod est
expressum, sed etiam quod necessariò infertur, Rota *decis.*
1582. *n.* 11. coram Pena.

Sed è contra: quia lex ex eo quod diversa non est contra- 118
ria alteri legi, neque ex eo quod posterior addat priori,
ideò lex posterior addens novam pœnam non est contraria
priori, neque censetur ex hoc præcisè revocare pœnam
per priorem legem impositam, Bartol. *in l.* 1. *ff. de vi bon.*
Navar. *in cap. Ita quorundam notab.* 11. *num.* 14. *&* 30. quos
sequitur Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 27. *num.* 10. Sic etiam lex
posterior dans aliquod remedium, vel concedens aliquid
non est contraria, neque ex hoc aufert remedium per priorem
legem datum, si remedia inter se non pugnent, Navarr.
cons. 8. *de off. ord.* Suarez *d. n.* 10. & sumitur *ex leg. quoties, ff. de action. & oblig.*

Regula secunda est, quod hic attendi non debet con- 119
trarietas pensata secundùm regulas Logicæ, sed secundùm
regulas morales. Nam in materia Physica, vel morali,
quia ad verificandam universalem sufficit, quod sit vera,
ut in pluribus, licèt in aliquo deficiat; ideò universalis affirmativa,
& particularis negativa non sunt semper oppositæ,
& è contra.

Quamobrem in jure lex universalis, seu generalis, & 120
specialis, aut particularis non sunt contrariæ. Unde lex
generalis non derogat speciali non facta de ea mentione,
Dom. hic *num.* 5. Fagnan. *cap. Cæterum num.* 80. *de rescript.*
& cap. Cum esses, num. 88. *&* 110. *de testam.* Palaus *tract.* 3.
d. 5. *part.* 2. *num.* 11. Et quod lex generalis non deroget specialibus
privilegiis, quæ sunt leges privatæ dixit Rota coram
Seraph. *decis.* 612. *num.* 2.

Potest tamen esse, quod aliquando in jure propositio- 121
nes universales sumantur universaliter logicè, & distributivè
pro singulis omnibus, & tunc universalis affirmativa,
& particularis negativa, & è contra essent contrariæ, sicut
& indefinitæ propositiones in materia necessaria
æquipollent universalibus, & moralibus hoc sæpè contingit:
unde est axioma, quod indefinita æquipollet
universali, quod tamen multas patitur limitationes,
& præcipuè non verificatur in odiosis, & pœnalibus, de
quo videri possunt DD. quos abundè cumulat Barbosa
Axiom. 123. Verùm nedum in affirmatione, & negatione
ejusdem de eodem adest oppositio, quæ est plusquam
contraria, cùm sit contradictoria, sed & quando de
eadem opposita affirmantur, vel negantur, ut si de
eodem Titio dicatur: Quod est legitimus, & illegitimus,
fatuus, & sanæ mentis, & de eadem muliere, quod est
vir-

virgo, & corrupta, Gloss. *in Clem. Testibus in verb. directè contrariis de Testibus.*

122 Tertia regula est, quod quantum fieri potest contrarietas in dispositionibus, & legibus est vitanda, & concilianda, *l. ubi repugnantia, ff. de reg. jur. cap. Cum expediat*, & ibi DD. infrà *de elect.* Unde omnis rationabilis interpretatio accipi debet, ut tollatur legum contrarietas.

123 Propterea juris regula est, quod derogatio legum sit stricti juris, quæ recipit strictam interpretationem, Rota *decis.* 23.*n.*19.*& decis.*384.*n.*39.*part.*5.*recent.& decis.*1582.*num.*10. coram Pen.*& decis.*48.*n.*18. coram Duran. Unde non censetur derogatum, nisi deductum expressè, vel quod ex necessitate infertur, Pena *d. decis.*1582.*n.*11.

124 Et tamen hæc regula non est vera, nisi per se spectata conditione revocationis. Nam aliàs spectata materia, & causa mutandi legem, si lex prior sit nimis rigorosa, vel quod pejus est iniqua, vel saltem in facto occasio multorum malorum, valdè favorabile est illam revocare, Suarez *l.*6.*de leg. cap.*27.*n.*8.

125 Sit nihilominus regula 4. quod ad vitandam contrarietatem legum non sunt improprianda verba. Oppositum hujus videtur tenere Guttierez *leg.*3.*pract. quæst.*15.*num.* 34. quem sequitur Sanchez *de matrim. disput.*17. *numer.*6. & Cravet. *cons.*70. apud Barbos. *axiom.*58.*num.*1. Quia enim correctio legum, & contrarietas est odiosa, stricta interpretatio sumi debet ad eam vitandam, & ideò si impropriando verba tollitur contrarietas, id videtur fieri debere, sed meritò hoc negat, Suarez *l.*6.*cap.*27.*numer.*11. Tùm quia si illa licentia accipi posset, non quam ferè admitti posset legum contrarietas, & correctio, quod eo apparet falsum, quo hinc sequeretur nihil esse firmum, certum, & stabile in legibus. Tùm secundò, quia majus inconveniens est admittere improprietatem in posteriori, quàm derogationem in priori lege, præsertim cùm derogatio mala non sit, & nulla sit major ratio impropriandi posteriorem legem, quàm priorem. Tum tertiò, quia Glossa *in l. Non possunt, ff. de legib.* habet, quod in dubio de benignitate legis proprietas verborum est tenenda, & generaliter in restrictione legis semper debet attendi proprietas verborum, nisi contineat iniquitatem, vel absurditatem, *l. Non aliter, ff. de leg.*3. *cap. Ad audientiam de decim.* ut tradit Bart. *in l. Omnes populi, n.*57. *&* 58. *ff. de just. & jur.* Panorm. *in cap.*1. *n.*14. *de constitut.* Felin. *cap. in omni num.* 2. *part.*2. *de testam.* Fagnan. *cap. Vestra num.*123. *&* 127. *de Cohabit. Cler. & mulier.* Ubi quod propria verbi significatio illa est, quæ est stricta, & non larga, ideò servanda ubi est necessitas strictæ interpretationis, *leg. Labeo, ff. de verb. significat.* At verò legem vel abrogare, vel corrigere ex justa causa nullam continet iniquitatem, aut absurditatem; igitur per se loquendo verba posterioris legis non sunt impropriè intelligenda.

126 Quamvis quando improprietas non esset tanta, quin secundùm communem usum soleant verba in illa minus propria significatione usurpari, seu quando significatio verborum jam ex usu est propria, licèt prima significatio videatur impropria, ut in exemplo, quo utuntur Panormit. *in cap. Cum olim, suprà de judic.* & Felin. *in cap. Non potest, eodem tit.* scilicet de electione facta in concordia, quia enim in jure electio dicitur facta in concordia, si sit facta à majori parte, ideò ad conciliandas leges ita posset sumi; sive ut colligitur ex Panormitanus *d. cap. Cum olim,* ad vitandam correctionem legum non est attendenda proprietas verborum grammaticalis, sed legalis, sic enim in jure, quod est factum à majori parte, minori dissentiente dicitur propriè factum in concordia. Et in hoc sensu intelligi etiam debent alii DD. quos refert Sanchez ubi suprà. Itaque igitur verborum improprietas admitti non debet, & in aliquam notam legislatoris cedit, si velimus sine necessitate vitandi iniquitatem, aut absurditatem eum impropriè, ideòque deficienter fuisse loquutum. Ideò universaliter verum est, quòd verba in propria eorum significatione sunt accipienda, & ab ea non est recedendum, *leg. Non aliter, ff. de l.*3. *leg. Cum lege, ff. de Testam.* etiamsi agatur de præjudicio Tertii, etiam in materia odiosa.

127 Et debet adverti semper illud Honor.III. *cap. Ad audientiam, de decim. Nam si intelligeremus tantummodò de novalibus, ubi ponimus de laboribus, poneremus de novalibus.* Debemus enim præsumere legislatores, & præcipuè Summos Pontifices, & eorum Ministros calere verborum significationes, & quæ aptiora sunt ad explicandum conceptum internum mentis illorum, & voluntatis, intentionem, & illis ejusdem verbis uti, nec eos, vel unum dicere, & aliud intendere, vel quod intendunt vellet ineptè, & impropriè significare. Sic ergo legislatorum verba in propria eorum significatione accipi debent, & secundùm quod in communi usu loquendi accipiuntur, *l. librorum, §. Quod tamen, ff. de leg.*3. *l. Labeo, ff. de suppellect. legat. l. Cum de lanionis, §. Item, ff. de fund. instruct.* Bart. *in l. Omnes Populi, ff. de just. & jur.* Panormit. *cap. Nonnulli num.*5. *de Rescript.* Et licet dicatur verba deberi intelligi juxtà subjectam materiam, hoc habet locum tunc maximè cùm verba sunt dubia, & tamen nunquam sunt improprianda, nisi ad vitandam iniquitatem, vel absurditatem. Quamobrem in præsenti, si dubia sit legum contrarietas, verba potiùs accipi debent, ut contrarietatem excludant. Tùm quia legum contrarietas est odiosa, tum quia potius præsumi debet, quod si legislator voluisset disponere contrarium antiquioris legis, id clarius expressisset, sed contrarietas, ut certa haberi debet, quando verba in propria illorum significatione illam certò significant.

Sexta regula est, quod ad hoc ut lex legem abroget non sufficit legum contrarietas etiam evidens, & notoria, sed requiritur in legislatore scientia contrarietatis posterioris legis abrogantis ad priorem legem abrogatam. Habetur hæc regula manifestè ex præsenti textu, in quo manifestè decernitur, quod quia Papa præsumitur probabiliter ignorare leges particularium locorum per suam legem posteriorem illis non derogat, nisi id exprimat. Ideò regulam tradunt Glossa *in verb. facti,* Joan. Monac. *num.*8. Archid. *num.*3. *&* 4. Joan. Andr. *num.*6. Ancharan. *num.*5. Dom. *num.*9. *& seqq.* Barbos. *num.*1. & tradunt communiter Scribentes *ad quæst.*97. *numer.*1. *part.*2. D. Th. Suarez *de legib. lib.*6. *cap.*27. *num.*12. Fagnan. *ad cap. Nonnulli, num.* 33. *suprà de constitut.* Et ratio est, quia necessaria omninò est scientia operantis respectu actionum, quæ non nisi ab operantis voluntate habent vim, & efficaciam, quia voluntas non fertur in incognitum. At verò ex voluntate legislatoris est, quod lex vigeat, & efficaciam habeat, & duret, vel cesset; non potest igitur intelligi, quod lex nova habeat vim ad antiquam abrogandam sua vi, & efficacia, nisi legislator habeat notitiam utriusque legis, & contrarietatis earum, ut sciat se non posse posteriorem edere, nisi abroget priorem. 128

Septima regula est, quod ubi lex prior est de illis, quæ sunt in scrinio pectoris Papæ, quas nimirum Papa tenetur scire ex officio, ejus ignorantia nequit in eo præsumi: Papa enim circa ea, quæ sunt juris non errat, Rota *decis.*429. *num.*23. *part.*5. *recent.* Quoniam præsumitur scire juris dispositiones, Rota *decis.*455. *num.*5. *part.*1. *divers.* Ideò Papæ præsumitur nota qualitas, quæ est de jure, ut non sit necessè illam exprimere, Rota *decis.*75. *de rescript. in antiq. & decis.*221. *num.*8. coram Greg. XV. Videantur dicta suprà in expositione textus *num.*7. *& seq.* Ubi verò Papa non præsumitur ignorare priorem legem, non potest præsumi ignorare contrarietatem novæ dispositionis ad legem priorem, si nova dispositio est manifestè contraria priori legi, quia facti proprii, & præsentis non potest in Papa præsumi ignorantia, seu non potest præsumi, quod Papa ignoranter faciat, quod verbis manifestis significat se facere. Et sic ubi nova dispositio manifestè est contra jus, ut quia, v.g. ex narrativa ipsa apparet Papam fuisse de negotio informarum, si quod expressè est petitum, & à Papa concessum est, manifestè contrà jus præsumi debet in Papa certa scientia, ut habetur ex *cap. Pastoralis de off. deleg.* & docent Panormit. ibi, *§. Præterea, & c. Nonnulli de rescript. nu.*8. & apud eum Innoc. & Jo. Andr. Rota *decis.*327. *num.*9. *part.*6. *& decis.*80. *n.*16. *part.*7. *decis.*363. *n.*8. *part.*10. *recent.* 129

Octava regula est, quòd ex eo præcisè, quod nova dispositio sit contra jus, non potest in Papa præsumi actualis inconsideratio contrarietatis novæ dispositionis ad veterem legem. Distinguitur enim actualis inconsideratio à scientia habituali. Etenim, & sæpè contingat, quod obliviscamur eorum, quæ scimus. Ex triplici verò capite potest in Principe legislatore oriri hæc actualis inconsideratio, seu oblivio, vel scilicet ex negligentia, vel ex magna occupatione ad alia negotia, vel etiam ex deceptione, vel subreptione, ut ex Butr. *ad c. Si aliquando n.*4. 130

de

de sentent. excommunic. & Mat. Soccin. *numer.3.* notat ibi Fagnan. *numer.3.* Ubi benè advertit negligentiam intelligendam esse officialium. Nam ut inquiunt ibi Hostiens. *num.3.* & Jo: Andr. *in princip.* absit ut Papam de negligentia publicè arguamus, *arg. cap. Aliorum q.3. & cap. Si quis,* Abbas 18. *q.2.*

131 Quamvis autem in Papa non debeat præsumi inconsideratio ex negligentia, potest tamen præsumi probabilis, & inculpabilis oblivio eorum, quæ sunt facti ob multiplicitatem negotiorum, Rota *decis.258. num.11.* apud Rojas. Et quod ob eandem negotiorum multitudinem præsumi possit Principem oblivisci rescriptorum quæ dedit, tanquam pluries decisum in Rota, & præcipuè in Tarvisina pensionis coram Oradino, & in Romana Cameriatus coram Cotta, dixit Seraphin. *decis.268. numer.4.* Sed quod etiam ex deceptione Papa possit non considerare plenè negotium, est manifestum, unde est, quòd circumventus aliquando non concedenda concedit Cassad. *decis.39. num. 5. sup. reg.* Et quod ob importunitatem supplicantium sæpè præoccupatus, & circumventus concedat, quæ concedi non deberent, advertit Gonzal. *ad reg. Cancell.* Gloss. 15. *n.34. ex l. C. de petit. bon. cap. Cum in juventute, de purgat. Canonica, c.2. de concess. Prabend. in hoc 6.* Felin. *c. Cum olim n.5. de re judic.*

132 Dicitur nihilominus, quòd ex sola contrarietate dispositionis posterioris ad priorem legem non potest præsumi in disponente actualis inconsideratio hujus contrarietatis. Ratio est, quia cùm disponere contra jus ex justa causa non sit malum, sed justum, & laudabile, ex hoc facto non potest præsumi malum, vel in Principe, vel in officialibus ejus. Est verò de se malum actu non considerare, quod quis potest, & debet. Non potest igitur, nec debet præsumi negligentia considerandi, quia hæc est culpa; sed neque subreptio, quæ est culpa in supplicante ex regula generali, quod delictum non præsumitur, *leg. Merito, ff. pro socio, leg. Pretor §. docere, ff. de vi bon. rapt. cap. Estote de reg. jur.* Quamobrem semper facienda est interpretatio exclusiva delicti, Panormitan. *cap. Cum tu, de testibus,* Mascardus *de probat. conclus.496.* Inconsideratio verò probabilis, & non culpabilis ex parte Pontificis, aut Officialium, ubi desit subreptio, & deceptio vix locum habere potest, quia est consideratio ejus, quod debet considerari. Et quatenus talis sit, est quid facti, quod non præsumitur. Ex sola igitur contrarietate novæ dispositionis ad priorem non potest colligi, seu præsumi in Pontifice, vel Principe actualis inconsideratio contrarietatis manifestæ posterioris dispositionis ad priorem. Imò est quid facti, quod impossibile est inconsideratè evenire in habente usum rationis; quia id necessariò actu consideratur, quod utens ratione actu loquitur, & verbis exprimit vel scriptis, quia loquutio non est, nisi expressio ejus, quod actu loquens considerat. Si ergo quòd Papa disponendo loquitur est contrarium legi, & Papa scit, quod loquitur, non potest non scire actu, quod illud legi contrarietur. Et eò magis, quod præsumi semper debeat Principem, seu Papam, non moveri, nisi ex causa justa, ex qua legitimè potest priorem legem, vel abrogare, vel corrigere, vel in ea dispensare.

133 Hæc verò confirmantur, quia regula generalis est, quod ubi narrata Papæ sunt contraria juri, & nihilominus Papa juxta narrata rescribit, rescriptum licet juri repugnans validum censetur, & sustinetur: sic si Papæ fuit narratum aliquid, quod manifestè est contra jus tertii, & nihilominus Papa juxtà narrata rescribit, ex hoc jure tertii derogatur, Rota *decis.363. num.8. part.10.* Et quod debeat servari id, quod Papa concedit ex certa scientia est manifestum, Seraphin. *decis.921. n.3.* Nam considerandum est, quòd inconsideratio in rescriptis, vel novis dispositionibus provenire potest, vel ex parte ejus, quod est facti, quia nimirum Papa, vel circumventus, vel occupatus non plenè consideret qualitatem petitionis, vel negotii; de quo disponere vult, vel ex parte juris, cui negotium propositum contrariatur. Ex priori capite potest aliquando præsumi inconsideratio, sed adhuc, ex sola contrarietate negotii ad jus commune, seu ad legem Pontificiam non potest hoc fieri, & si negotium fuit expressum, & de hoc constat, nullo modo locum habet præsumptio inconsiderationis, sicut nec habet, si Papa dicat se concedere prævio examine Prælatorum, Rojas *decis.258. numer.2.* Panormit. *in*

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

cap.1. & 2. num.6. & ibi Dec. *num.47. de confirmat. util. vel inut.* Rota *decis.192. num.3. & 210. num.1. part.1. recent.* Et quod Papæ consensus inferatur ex scientia Officialium dixit Rota *decis.356. n.8. p.1. recent.* Et de hoc videri potest apud Farinac. post consilia Rota *decis.361. n.5. & 6.* Sed ex parte juris Pontificii, quod Pontifex habet in scrinio pectoris sui, nimirum in scientia, & memoria, non potest præsumi inconsideratio, unde si constat de negotio, quod est facti, non potest in Papa præsumi inconsideratio contrarietatis ad legem Pontificiam, cujus inconsiderationem non possumus præsumere, quia notum Papæ præsumitur, quod de jure est, Greg. XV. *decis.221. n.8.*

Nona regula est, quòd importunitas precum non facit, 134
quod nova dispositio Principis taliter sit voluntaria, ut si sit manifestè contraria legi priori, illam manifestè non irritet; Est quidem verum, quod violentia tollit voluntarium simpliciter, cùm illud sit violentum, quod fit voluntate renitente, *cap. Cum terra de elect. cap. Ubi periculum eodem tit. infrà in hoc 6.* D. Th. *1.2. q.6. art.5.* Sed moraliter non est possibilis casus, quod nova Papæ dispositio sit propriè violenta, quia hoc nequit fieri, nisi quis vi accepta ejus manu faciat, & subscribat dispositioni actu ejus voluntate contradicente.

Metus etiam causat involuntarium, sed etiam si cadat in 135
constantem virum non facit involuntarium, nisi secundùm quid, D. Th. *1.2. q.6. art.6.* & alii Theologi, & Canonistæ communiter; sic enim & secundùm jura voluntas metu coacta est simpliciter voluntas, *cap. merito 15. q.1. cap. Displicet 23. q.4. & cap. Vides q.6. c. Majores, §. Item quæritur de Baptism. l. Si mulier, §. Si metu, ff. de eo quod vi, & c. l. Cum proponas, C. de her. instit. l. Si privatus, ff. Qui, & à quibus,* Arist. *lib. 3. Ethic. c.3.* Nyssen. *l.5. de hom. c.1.* Damas. *lib.2. de fide, c.24.* D. August. *epist.98.* D. Anselm. *de lib. arbitr. c.5.* Quamobrem nova Papæ dispositio, etiam si prodiret ex metu cadente in constantem virum, esset simpliciter voluntaria, ideòque, & simpliciter efficax, & de facto ligans. Et licet metus præberet occasionem justam revocandi dispositionem metu factam, donec tamen revocaretur, valida esset.

Nam nec inferiorum contractus habiti ex metu cadente 136
in constantem virum sunt jure naturæ irriti, & nulli. De jure verò positivo quidam expressi in jure irriti sunt, ut matrimonium, sed regulariter licet sint irritandi, non sunt ipso jure irriti, *cap. Abbas 2. de his, quæ vi, &c. & cap. Ad audientiam eodem tit. & ad idem, cap. Abbas, Glos. verb. coactus,* Hostiens. & Joan. Andr. *num.3.* Ant. *num.7.* Anchar. *num.1.* Abbas *num.7.* Imol. *num.3.* Angelus *verb. metus 7.* Silvest. ibi, *qu.8.* Tabien. *verb. coactio qu.4. num.5.* Armill. *num.4.* Sanchez *l.4. de matrim.* quamplures referens *disp.8.* & alii plures, quos secutus sum *tract. de elect. canon. cap.4. qu.1.* Cùm verò nullum detur jus speciale, quod irritet dispositionem ex metu factam, sequitur quod illa valida esset, nisi irritaretur. Sed in proposito sufficiat considerasse, quod in Pontifice nedum violentia, sed nec metus præsumitur, Seraph. *decis.1027. num.12.*

Quod si metus cadens in constantem virum non irritat 137
dispositiones Papæ, nec facit, quod hujusmodi dispositiones, si sint prioribus contrariæ illas non irritent, multò minus hoc faciunt preces etiam importunæ, etiam improbæ. Nam preces, ut preces non minuunt, sed augent voluntarium secundùm D. Bonav. *4. d. qu.1. num.8.* Durand. *qu.2. ad primum,* Scot. *qu. unic. ad finem,* Palud. *qu.1. artic.3. num.20.* Richard. *art.1. q.1. ad 3.* Ang. *verb. Religio n.23.* Silv. *verb. Relig.3. q.11.* Tabien. *n.19.* Sanchez alios plures referens *lib.4. de matrim. disp.7. n.3.* Navar. *c.17. n.16.* Panorm. *cap. ult. Qui cler. vel voventes,* & apud eum Innoc. & Jo. Andr. & iterùm, *c.2. n.4. & c. Cum dilectus n.8. de his, quæ vi, &c.* Suarez *de Relig. lib.6. c.5. n.7.*

Per accidens verò causant involuntarium, vel ratione 138
ignorantiæ, quam causant si sint dolosæ, vel ratione molestiæ, quam inferunt, si sint importunæ, vel ratione metus quem causant, si is, qui rogat, possit, & soleat malè tractare, qui ejus preces non exaudiat; sed ut dicebatur metus non causat involuntarium simpliciter, etiamsi sit cadens in constantem virum, & in Pontifice non præsumitur. Molestia verò quam importunitas precum ingerit, regulariter non est tantum malum, quod causet metum cadentem in constantem virum. Quod maximè verùm est respectu Summi Pontificis, aut Principis, qui & uno verbulo potest impunè, & sine timore alterius mali impor-



tunitatem supplicantis compescere. Unde precum importunitas respectu Summi Pontificis, vel Principis non causat, nisi involuntarium valdè leve, & quod non sufficit ad irritandam dispositionem Papæ ipso facto. Nam & absolutè preces præciso omni alio periculo, si considerentur præcisè ut importunæ non inferunt metum cadentem in constantem virum, etiam si sint Principis, Panormit. *cap. Cum inter R. 26. numer. 8. de elect.* Quamobrem ex eo, quòd Papa rescribat, vel privilegium concedat ob precum importunitatem, non potest ex hoc argui rescriptum, vel præceptum non valere ex defectu voluntatis, quia preces, quia importunæ non inducunt involuntarium, nisi valdè leve.

139 Preterquam quod importunitas hujusmodi præsumi non debet, & ex eo præcisè quòd Papa rescribat contra jus, non potest colligi, quod id faciat ex importunitate. Tum quia id potest fieri ex justa causa multiplici, vel etiam ex causa alia justa, vel injusta. Tum quia non est tam facilè, quod quis importunet Pontificem, nisi sit illi familiaris valdè, cum aliàs subditi ob negotiorum multitudinem, non nisi rariùs audientiam obtinere possint, nec detur locus, ut possint esse importuni, etiamsi vellent. Et sic in dispositionibus, quæ manu Papæ signantur vix locum habere potest importunitas.

140 Sed dices, importunitatem causare in Principe inconsiderationem, & ex hoc causare involuntarium. Sed dicitur, quod considerari debet quam inconsiderationem importunitas causet. Admittitur enim, quod importunitas possit causare, & aliquando causet inconsiderationem eorum, quæ spectant ad justitiam, & rectitudinem dispositionis, seu concessionis gratiæ importunè petitæ, & præcipuè quod causet inconsiderationem illorum motivorum ex quibus Pontifex moveretur ad non concedendam gratiam, si illa consideraret. Sed ubi petens plenè negotium narravit Papæ, & nulla est propterea suspicio subreptionis; & deceptionis, inconsideratio illa Papæ, si adesset, quia esset inconsideratio ejus, quod Papa potest, imò & debet considerare, esset quoque voluntaria, & non faceret gratiam involuntariam, & nullam. Sed hæc importunitas non potest facere, quod sit inconsideratum illud, quod Papa actu loquendo verbis, vel scriptis disponit, quia hoc est impossibile, ut dictum est, quia loquutio est ab actuali cognitione ejus, quod quis loquendo exponit. Quòd si hoc sit contrarium legi, non potest habere locum inconsideratio hujus contrarietatis, nisi supponatur inconsideratio legis, quæ in Pontifice non potest, nec debet præsumi, cùm sit inconsideratio ejus, quod Papa censetur habere in scrinio pectoris, idest in actuali consideratione, & memoria, ut dicitur in textu, & ibi probatum est *à n. 7.*

141 Decima regula est, quòd exclusa violentia, & ignorantia, negare quod posterior Papæ dispositio, quæ manifestè est contraria priori dispositioni cuicumque etiam legi, sive hæc posterior dispositio, sit privilegium, sive sit rescriptum, non derogat illi priori dispositioni etiam legi cuicumque ex defectu voluntatis derogandi est inducere in Pontificem culpam plusquam turpem, & inferre illi injuriam, & ignominiam gravissimam. Quod est illicitum. Hoc evidentissimè demonstratur. Nam Papa de novo rescribens sine violentia, & scienter, vel vult suum rescriptum valere, vel non vult, si vult non potest dari de defectu voluntatis, nec dici, quod prior dispositio contraria non sit abrogata. Si verò dicatur, quòd Pontifex non vult valere Rescriptum inducitur in Papam stulta imprudentia, & maligna fraus, & dolus. Quæ enim stultior imprudentia in Principe, quàm sit illum velle scienter sine vi dare rescriptum, quod scit esse frustratorium, & inutile? Imò quod ipse non vult valere, & habere vim, sed esse inutile, & inane? Sed ulterius inducitur malignitas fraudis, & doli. Quia rescriptum significat extrinsecus Papam verè sua voluntate concedere, aut disponere, quod in rescripto conceditur, aut disponitur; Si ergo Papa interius non vult rescriptum valere, jam Pontifex & verbo, & facto est mendax, & in suis Rescriptis infidelis, & fraudulenter, & dolosè decipit eum, ad cujus favorem rescribit, & est interim causa litium, & scandalorum, quia is ad cujus favorem scienter sine vi fuit rescriptum utetur rescriptio, alii verò qui præsumunt defectum voluntatis in Papa executionem negabunt, & indè orientur contentiones, & rixæ.

Dices quod ubi dispositio est contra jus, ex clausularum 142
derogatoriarum defectu unum de duobus colligitur, & præsumitur, scilicet vel falsitas novarum literarum disponentium contra jus, vel in Pontifice legis inconsideratio orta ex Pontificis occupatione. Et hoc validè probatur ex *cap. ex parte de capell. Monach.* ubi Honorius Tertius ex eo quia in aliquibus literis Apostolicis disponentibus contra Concilium Lateranense nulla fiebat mentio Concilii deduxit, quod ille credebat literas illas esse falsas, & quod si forsan per occupationem emanarunt, nolebat per eas derogatum esse Concilio. Et hoc confirmatur, quia ex eo quòd est contra praxim Cancellariæ præsumi potest, vel falsitas rescripti, vel inconsideratio contrarietatis ad jus, & ex consequenti necessitatis apponendi clausulas, quæ de stylo apponi solent, quando Papa intendit derogare juri; quia non est verisimile, quod Ministri Papæ omiserint scienter, & liberè quod est ponendum ex praxi.

Nihilominus dicitur, & sit regula undecima, quod ex 143
eo quòd etiam contra stylum in literis Papæ desint clausulæ derogatoriæ, seu (quod idem est) non fiat mentio prioris Constitutionis Apostolicæ etiam conciliaris non potest, nec debet præsumi, aut contra impetrantes falsitas literarum, aut in Pontifice disponente inconsideratio prioris constitutionis, seu contrarietatis novæ dispositionis ad priorem constitutionem etiam conciliarem. Marcus Antonius Marescottus hic *numer. 61.* hoc sensit pro quanto dixit, absurdum esse falsitatem præsumi propter contrarium stylum Curiæ, seu Cancellariæ. Hanc eandem regulam docent omnes illi, quos infra referam qui docent, quod ubi constat de scientia Papæ, non est necessaria aliqua derogatoria, seu mentio prioris constitutionis contrariæ. Sed probatur regula multipliciter. Et quidem primò, quia præsumptio, quæ adversatur juri, & est à jure reprobata, frivola est, & tam in judicio, quàm extra rejicienda. At verò præsumptio falsitatis literarum Apostolicarum, aut inconsiderationis juris in Pontifice, si sumatur ex non appositione derogatoriarum, aut mentione prioris constitutionis contrariæ est manifestè contra jus, & ab eo reprobatur; Nam si nova dispositio Papæ est nova constitutio ex regula hujus textus valet, & tanquam vera debet observari non obstante, quod nulla fiat mentio prioris constitutionis contrariæ, quod ex eodem textu sentiunt Canonistæ communiter; est ergo contra jus hujus textus ex non facta mentione antiquæ constitutionis præsumere, quod nova constitutio sit falsa, aut à Papa inconsiderato proveniat, & antiquæ non deroget. Si autem nova dispositio est particulare rescriptum, aut privilegium, idem probatur ex motu proprio Pii Quinti, quem refero ad verbum infra art. 12. in quo statuit, quod in quocumque rescripto, seu literis Apostolicis manu propria Papæ signatis, & justitiam, vel gratiam concernentibus non est opus speciali, aut generali derogatione ad derogandum Concilio Tridentino. Quod si hujusmodi derogatio non est necessaria ad derogandum Concilio, sed Papa declarat, & decernit irritum, & inane, si fiat oppositum, & vult, quod literæ signatæ manu Papæ sine aliqua derogatione valeant contra decreta Concilii, eadem & potiori ratione id verum erit respectu aliarum Constitutionum Apostolicarum; ex eo igitur, quod in novis literis Apostolicis non fiat mentio antiquæ Constitutionis etiam conciliaris, seu illi expressè non derogetur, contra jus est præsumere, quod istæ novæ literæ sint falsæ, vel quod à Papa inconsiderato involuntariè emanaverint, cùm Papa velit illas tanquam veras validas esse, & irritum decernat, quidquid in contrarium fuerit judicatum.

Probatur secundò eadem regula, quia de jure est, quod 144
præsumptio, quæ est fortior, & magis urget, tollat infirmiorem, & minus de jure formatam, Seraphin. *decis. 684. num. 4. & 619. num. 3.* Rota *decis. 24. numer. 20. & decis. 254. numer. 46. part. 7. recentiorum.* At verò in præsenti considerari debet, quod mutare antiquam legem, vel eam corrigere, aut in ea dispensare ex justa causa nullum malum est, imò bonum est, & persæpè ad bonum commune necessarium. Et sic præsumptio veritatis literarum Apostolicarum, & scientiæ Papæ rescribentis, etiam si rescribat contra antiquum jus, etiam conciliare non est præsumptio alicujus mali, sed ejus quod bonum est, & persæpè necessarium.

Tan-

Tantò magis, quod semper præsumi debet Pontificem non rescribere, aut disponere, nisi ex justa causa. Papæ enim voluntas præsumenda est talis, qualis debet esse de jure, Seraph. *decis.*773. *num.*17. *& decis.*965. *num.*15. At verò è contrà præsumptio falsitatis literarum Apostolicarum est præsumptio delicti gravissimi. Et tamen delicta non præsumuntur, Rota *decis.*33. *num.*10. *part.*6. *recent.* & falsitas non debet præsumi, sed concludenter probari, *leg. final.* ubi Bald. *num.*1. *&* 8. *Cod. Si minor, se major dixerit*, Pena *decis.*942. *num.*3. *& decis.*1471. *num.*8. Et semper illa interpretatio debet accipi, quæ excludit delictum, *leg. Merito, ff. pro socio, cap. Estote de reg. jur.* D. Th. 2. 2. *quæst.*60. *art.*4. Pena *decis.*270. *num.*3. Sed & in Pontifice inconsideratio contrarietatis novæ dispositionis ad antiquam legem est ex suo genere mala, quia Papa non nisi ex justa causa, & cum matura deliberatione debet antiquo juri, vel in toto, vel in parte derogare, ut probatum est artic. 1. Esto igitur ex quo Pontifex disponat contra legem etiam conciliarem non facta ejus mentione, ex quo hoc dicatur esse contra stylum posset oriri aliqua suspicio, vel falsitatis literarum sic disponentium, vel quod literæ per occupationem emanaverint à Papa inconsiderato, hoc tamen non debet præsumi, nisi aliunde constet, quia non potest præsumi nisi præsumendo delictum; quia esto in raro casu hæc inconsideratio, esset inculpabilis in Pontifice, hoc tamen non præsumeretur, quia non præsumitur inculpabilis inconsideratio ejus, quod quis potest, & debet considerare. Et quod est possibile evenire de raro non præsumitur advenisse, nisi aliunde probetur.

145 Et magis prædicta confirmari poterunt ex dicendis artic. seq. & artic. 13. Et ex eo, quod derogatoriæ ad derogandum juri Apostolico, seu Constitutionibus Apostolicis non sunt necessariæ, ubi Pontifex non est circumventus, sed disponit scienter, & ex eo quod per accidens introductus est stylus adhibendi derogatorias, non quia necessarias, sed ad opiniones Canonistarum fugiendas, eorumque ora claudenda; unde patet responsio ad secundum argumentum expositis *n.*142.

146 Quatenus verò ex *cap. ex parte* videretur probari, quod ex defectu derogatoriarum liceat præsumere vel falsitatem literarum Apostolicarum, vel quod literæ emanaverint per occupationem, dici deberet, illi capiti derogatum fuisse per hunc textum, & per motum proprium Pii Quinti. Sed non est necessè hoc dicere, quia in eo textu continetur casus particularis Pontificis, qui conscius de voluntate sua, quod non concessisset, quod Monachi soli possent manere in Prioratibus contra decretum, *cap.*2. *de stat. Monach.* quod erat Concilium Lateran. sub Alex. III. potuit nedum præsumere, sed credere, quod literæ tunc temporis ab illis Monachis impetratæ essent falsæ, sicut absolutè credidit, vel si non essent falsæ, eas fuisse impetratas per occupationem. Agebatur enim de facto proprio Pontificis à quo literæ illæ Apostolicæ emanaverant. Non verò licet arguere in præsumenda Pontificis voluntate à Pontifice ipso respectu literarum suo tempore emanatarum, ad alios, qui non sunt conscii voluntatis Pontificis in se ipsa, sed solùm ex effectibus illius conjecturam sumere possunt.

147 Nec dicatur, quod non constat literas illas quibus innitebantur Monachi fuisse expeditas tempore Honorii Tertii quia, ut notat Glossa ibid. erant literæ commissariæ datæ ad judices delegatos, quæ re integra expirassent morte Pontificis antecessoris, si ab eo emanassent, *cap. Quoniam, cap. Relatum sup. de offic. deleg.* Cùm igitur solum vivente Honorio in vi dictatum litterarum causa illa fuisset mota, signum evidens est, quod literæ illæ sub nomine ejusdem Honorii emanaverant ejus Pontificatus tempore. Alias verò benè sciebat Honorius derogatorias non esse necessarias, quoniam, *ut infrà art.*13. latiùs ponderatur, ipse in confirmatione Ordin. Prædicatorum eidem Ordini multa privilegia concessit contra jus commune, & in specie contra decretum Concil. Generalis Chalcedonen. concessit eidem Ordini exemptionem ab Ordinariis, & literæ fuerunt subscriptæ à Cardinalibus, & constat non emanasse per occupationem, & tamen literis illis nullam prorsus apposuit derogatoriam.

148 Conclude ergo, quod supposita veritate literarum Apostolicarum, quæ, nisi aliud obstet, supponi debet, dum Pontifex, vel Princeps scienter, & sine vi disponit id, quod est contrarium cuicumque legi, etiam conciliari, sine injuria, & ignominia Papæ, aut Principis non potest dari dispositioni de defectu voluntatis ejusdem Papæ, vel Principis, ex eo quod in literis nulla omninò fit, vel clausula derogatoria, vel mentio illius legis. Ratio ad hoc probandum est evidentissima. Nam interim dispositio posterior, & est manifestè contraria priori legi, & à Papa, vel Principe emanavit sine vi, & scienter. Quòd ergo non habeat adjunctam mentionem prioris legis, seu clausulam aliquam derogatoriam, vel est ex ignorantia, aut oblivione, vel est ex voluntate ejusdem Papæ, aut Principis. Si dicatur primum non vitatur culpa, & ignominia, si vel dicatur Pontificem, aut ejus Ministros ignorasse necessitatem derogatoriarum, si necessitas adest, vel ex negligentia oblitos fuisse illas apponere. Sed sive hæc ignorantia, aut oblivio dicatur culpabilis, sive inculpabilis, nihil juvat ad evitandam abrogationem prioris legis, aut ad dandum rescripto de defectu voluntatis, quia hæc ignorantia, & oblivio ad novam dispositionem merè concomitanter se habet, si aliàs Papa, vel Princeps scienter sive vi rescribens vult suum rescriptum valere. Hoc enim dato non cessasset à rescripto, sed derogatorias apposuisset, si illas scivisset necessarias, aut earum non fuisset oblitus. Et sic non potest argui defectus voluntatis in Papa, vel Principe rescribente; quod enim non apposuerit derogatorias non fuit ex defectu voluntatis, sed ex ignorantia, & oblivione concomitante. Si verò dicatur secundum, scilicet quod Papa, vel Princeps scienter, & liberè reliquit derogatorias, & prioris legis noluit rescribendo facere mentionem, jam augetur in Papa, & Principe culpa imprudentiæ, fraudis, & doli, magnaque ignominia. Quia si adhuc verè voluit rescriptum valere, imprudentia summa fuit relinquere, id quod ad valorem ejus, vel est, vel judicatur necessarium, & interim facto doloso decepit eum, ad cujus favorem rescripsit omittendo ex proposito derogatorias, nec interim evitat occasiones litium, sed irrationabile prorsus est imaginari, quod Papa, vel Princeps, velit rescriptum valere, & scienter omittat, & liberè derogatorias, si sunt necessariæ. Si verò dicatur, quod Papa rescribat scienter, & sine vi, & tamen nolit rescriptum valere, & ob hoc non ponat derogatorias, est evidens, quod ex hoc irreligiosissimè in Pontifice, vel Principe augentur imprudentia, fraus, dolus, malignitas.

149 Duodecima ergo regula est, quod ubi hæc tria adsunt, scilicet legum, seu dispositionum vera contrarietas, & incompossibilitas, & in legislatore non potest præsumi ignorantia probabilis antiquioris legis cum suis qualitatibus, & circumstantiis, aut violenta, quæ posteriorem dispositionem simpliciter involuntariam reddat, semper lex, aut dispositio posterior, vel abrogat, vel corrigit priorem contrariam juxtà exigentiam contrarietatis earum. Licèt verò hanc regulam expressè in his terminis non tradant DD. deducitur tamen per evidentem consequentiam ex hoc textu, & DD. super illum scribentibus, & ratione naturali, & pro nunc loquendo de sola lege, nam inferius sermo erit specialis de privilegiis, & rescriptis, textus, & Canonistæ communiter in tantùm asserunt legem non abrogare statuta particularia locorum, & singulares consuetudines, in quantum Papa illa, & illa cùm sint facti potest probabiliter ignorare, & sic ita esse præsumi potest; Igitur ubi non habeat locum, nec possit in Papa præsumi probabilis ignorantia per legem novam priori contrariam, priorem abrogat, vel corrigit juxta contrarietatis exigentiam.

150 Quamvis verò etiam ex violentia lex posterior esse possit invalida, tamen DD. communiter de hac non sunt locuti, quia in Papa præsumi non potest. Item quod lex posterior priorem contrariam non abroget, aut corrigat, vel est ex defectu potestatis in legislatore, vel ex defectu voluntatis. Nam si potest, & vult abrogare, aut corrigere priorem legem, illud indubitanter efficit; sed hic locum non habet defectus potestatis, quia loquimur de legislatore habente potestatem condendi, & abrogandi leges. At verò præclusa ignorantia, & violentia, & posita scientia contrarietatis legum in legislatore scienter edente novam legem contrariam primæ, non potest præsumi defectus voluntatis, ut est probatum, quia novæ legis editio, legislatore sciente contrarietatem novę legis ad priorem est signum, quod debet haberi, ut

ut infallibile voluntatis legislatoris, nec aliud potest affirmari, nisi asserendo, quod legislator in condendis legibus fingat, & mentiatur, & decipiat subditos, foris promulgando leges, & intus nolendo eas ferre, quod est absurdum. Solùm igitur potest habere locum in legislatore defectus voluntatis, si adsit defectus scientiæ, vel violentiæ, quia tunc licèt legislator non fingat, quia bona fide procedit, tamen suum velle deficit sine culpa ex defectu voluntatis.

S V M M A R I V M.

151 *Derogatoriæ necessaria ad tollendam præsumptionem involuntarii.*
Derogatoriæ utiles ad declarandam contrarietatem novæ legis ad antiquam.
152 *Derogatoriæ mentem legislatoris explicant.*
Non potest præsumi, quod Princeps suam dispositionem velit non valere.
153 *Ad tollendam præsumptionem violentiæ, vel metus derogatoriæ, nec sunt necessariæ, nec utiles.*
154 *Per se derogatoriæ sunt necessariæ ad tollendam præsumptionem involuntarii ex ignorantia.*
155 *Per accidens derogatoriæ sunt necessariæ ad tollendas lites ex Canonistarum opinionibus causam habentes.*
156 *Ex stylo apponendi derogatorias, si non ponantur, potest dari de invaliditate literarum, si cessat præsumptio ignorantiæ in Pontifice.*

Quæst. unicæ.

ARTICULUS VIII.

Quæ sit propria causa necessitatis derogatoriarum.

151 HIs verò sic probatis colligi poterit, quæ sit ratio ob quam clausulæ derogatoriæ antecedentium dispositionum necessariæ sint, ad hoc ut novæ dispositiones valeant. Nam generalis causa est, ut tollatur præsumptio defectus voluntatis corrigendi, vel abrogandi priorem dispositionem in legislatore, aut disponente. Cùm verò ad hoc ut per posteriorem dispositionem derogetur priori, necesse sit, quòd posterior sit priori contraria, ex hoc primo habetur derogatoriarum utilitas, quòd si contingat contrarietatem esse dubiam, tollitur omnis dubietas, si nova dispositio habet clausulas derogatorias. Derogatoriæ enim mentem legislatoris explicant, Rota *decis.95. num.2. part.6. recent.* Et ex amplissimis derogatoriis ejusdem mens explicatur, Rota *decis.464. numer.12. & 14. part.5. recent.* Clausulæ tamen derogatoriæ generales minus valent ad tollendam hanc dubiam contrarietatem, quæ est inter leges specificas, & particulares, quia minus utiles sunt generales derogationes, ad exprimendam individualem contrarietatem inter hanc, & illam legem. Sed ubi in specie fit mentio de lege; eaque non obstante aliquid statuitur, proculdubio intelligitur de mente legislatoris, aut disponentis esse, quòd nova dispositio est contraria antiquiori, & quod ea non obstante, disponens vult novam dispositionem locum habere.

152 Sed supposita contrarietate novæ dispositionis, cùm indignum sit, vel imaginari quod Princeps, seu disponens scienter, & liberè nolit suam dispositionem valere, sed velit mendaciter, & fictè unum dicere, & aliud velle, & sic inutiliter, & nulliter in præjudicium boni communis, & animæ suæ disponere, non potest propterea in Principe de novo disponente præsumi defectus voluntatis, nisi involuntarius. Potest verò hic defectus voluntatis involuntarius adesse, vel quia Princeps coactus fuerit ad disponendum, vel ex defectu scientiæ, quia non fuerit de negotio plenè informatus, & ignoraverit adesse antiquiorem dispositionem contrariam.

153 At verò ad tollendam præsumptionem coactionis in Principe, clausulæ derogatoriæ nec sunt necessariæ, nec utiles. Nam coactio propriè vix unquam potest habere locum in Principe. Et quamvis Rota *decis.358. numer.5. part.1. diversorum* dixerit Principem aliquando ad inverecundam, & importunam petitionem cogi ad concedendum non concedenda, tamen nedum hoc rarum erit; imò, ut probatum est, importunitas precum non causat involuntarium, nisi valdè leve; imò nec metus cadens in constantem virum causat involuntarium tale, quod gratiam ex metu concessam irritet ipso facto; sed data etiam violentia propriè, & quæ facit involuntarium simpliciter, ad nihil valent derogatoriæ, ut tollant præsumptionem involuntarii ex metu, aut violentia, quia eadem ratione, qua dispositio nova præsumi potest violenta, debet præsumi violenta appositio clausularum derogantium priori dispositioni, & sic clausulæ ad nihil valent, ut tollant præsumptionem involuntarii ex violentia, vel metu.

Per se ergo clausulæ derogatoriæ non sunt necessariæ, nisi ad tollendam præsumptionem involuntarii ex probabili, & inculpata Principis ignorantia. 154

Per accidens tamen clausulæ derogatoriæ sunt necessariæ ad hoc, ut Pontifices, & Principes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam, & infringant obstinatam pertinaciam eorum, qui pro suo interesse antiquas dispositiones contra jus tueri volunt, & per illa se contra novas dispositiones defendunt. Et quia jam etiam inter doctiores invaluerunt opiniones quampluries asserentes clausulas derogatorias esse necessarias, ubi non sunt, unde oriuntur lites, contentiones, scandala, & novæ dispositiones de facto contemnuntur à sic opinantibus. Necesse propterea est, ut in novis dispositionibus apponantur clausulæ derogatoriæ amplissimæ, & validissimæ. Sed de his in sequentibus sermo magis particularis habendus erit. 155

Habetur igitur ex his, quòd stylus Cancellariæ jam introductus apponendi derogatorias, & derogatoriarum derogatorias non est, quia hujusmodi derogatoriæ sint necessariæ, ubi locum non potest habere præsumptio ignorantiæ in Pontifice, sed ad tollendas cavillationes, & disputationes, & ne literæ Apostolicæ sub prætextu defectus illarum impugnentur; unde hujusmodi stylus non facit, quòd si nunc emanent aliquæ literæ sine derogatoriis vel generalibus, vel specialibus, sicut de facto aliquando, imò sæpè contingit, literæ illæ haberi possint, ut nullæ; si cessat præsumptio ignorantiæ in Pontifice; quia ex stylo in hujusmodi casu derogatoriæ non ponuntur ut necessariæ, sed ad benè esse. 156

S V M M A R I V M.

157 *Rationes ad quæstionem.* 158.
159 *Bonifacius Octavus in textu loquitur de lege absolutè.*
160 *Pontifex nova lege priorem contrariam revocat nulla facta eius mentione.*
161 *Idem dicendum de quolibet Principe, aut legislatore.*
162 *Lex respectu legislatoris non est res puri facti, sed est lex, & jus dirigens subditos.*
163 *Facti proprii potest Pontifex circumventus oblivisci.*
164 *Non potest in Papa præsumi oblivio juris Pontificii.*
In cap. Ex parte de capell. Monach. non est sermo de lege.
165 *Pontifex posteriori constitutione etiam priorem extravagantem abrogat.*
Nullius constitutionis Apostolicæ potest præsumi ignorantia in Pontifice.
Semper standum posteriori legi.
Intell. c. Domino sancto, dist.50.
166 *Lex generalis non abrogat specialem.*
167 *Lex temporalis contraria suspendit priorem.*
168 *Lex jurata an possit abrogari.*
169 *Lex quæ transiit in contractum non abrogatur.*
170 *Idem legislator potest legem suam abrogare.*

Quæst.

Quæst. unic.

ARTICULUS IX.

Vtrùm lex nova priorem verè contrariam abroget, seu corrigat nulla ejus facta mentione, vel per clausulas speciales, vel etiam generales.

157 Videtur enim quod non abroget, quia in tantum ex hoc textu lex legem abrogat, in quantum non potest præsumi, quod Papa priorem legem ignoret, & ejus contrarietatem ad novam legem; sed potest sæpiùs præsumi oppositum: Quia & lex Papæ est quid facti, quod an sit, vel non sit, potest ignorari. Tum secundò maximè quia etiam facti proprii potest in Papa dari probabilis ignorantia, ut est casus notabilis *in cap. Cum olim, supra de re judic.* Tum tertiò, quia facilè contingit, ut eorum, quæ scimus obliviscamur; potest igitur contingere, quod Princeps ex tot ejus occupationibus, dum novum jus condit, obliviscatur antiqui, & sic deficiat voluntas illi derogandi, *cap. Ex parte, supra de capellis Monachorum.* Tum quartò, quia extravagantes sunt leges Papales, & tamen extravagantum potest in Pontifice dari probabilis ignorantia, cùm non sint insertæ in corpore juris, & facit *cap. Pastoralis supra de fide instrum.* Et ita tenet Palaus *tr. 3. disp. 5. punct. 2. num. 10.* Tum quintò, Nam lex generalis non tollit specialem, ut habet Glossa *in cap. Vt officium, v. duabus, infra de heret.* Nam genus non derogat speciei, arg. *ex leg. Studuisti ff. de off. leg. & cap. Dudum, infr. de Prabend.* Tum sextò, quia & contingit, quod lex nova non fert contra priorem, nisi temporale impedimentum, quod non sufficit ad legem abrogandam. Tum septimò quia potest contingere, quod lex jurata fuerit; illa igitur non poterit abrogari, aliter abrogans esset perjurus. Tum octavò, quia contractus irrevocabiliter sunt observandi; At verò sæpiùs lex transit in contractum; hujusmodi ergo lex abrogata non erit. Tum nonò, quia saltem inverisimile est, quod idem legislator propriam legem corrigere velit, nisi id explicet faciendo mentionem de lege priori. Tum decimò, quia dantur expressa jura oppositum decernentia, nimirum *l. fin. C. de jud. liber. toll. & l. 1. §. fin. Cod. de lat. liber. toll.*

158 Sed contra est textus hujus Decretalis, in quo adest universalis conclusio asserens Papam per novam legem abrogare jus commune novæ legi contrarium, quia hujusmodi jus censetur esse in scrinio pectoris sui. Et ita docent hic Canonistæ, & communiter alii DD.

159 Dicendum verò est Bonifacium Octavum in præsenti Decretali non uti nomine juris communis, vel nomine Decretalis, aut legis insertæ in corpore juris, sed uti nomine constitutionis absolutè, & sine aliqua limitatione. Est verò constitutio, ut habet Gloss. hic *in rubr.* id quod statuit, & ordinat Princeps animo condendi legem, *Instit. de jur. nat. gent. & Civ. §. Sed & quod Principi placuit.* Quamobrem Pontificia constitutio absolutè est idem quod Pontificia lex, nimirum lex edita à Summo Pontifice, ut secundum illam subditi vivant, & in scholis Doctores doceant. Et de hac Pontificia constitutione, aut lege decernit Bonifacius Octavus eam esse in scrinio pectoris, hoc est in notitia, & in memoria Pontificis. Et ratio est, quia superior, qui secundùm leges à se, vel antecessoribus suis editas, debet dirigere subditos in bonum commune illorum non potest illas ignorare, sed tenetur ex officio scire; ergo præsumitur omnes illas, & singulas scire, quia fieret illi injuria, si præsumeretur eum ignorare leges, quas ex officio tenetur scire, nec potest nisi culpabiliter ignorare, ut probatum est in textus explicatione *sup. à num. 7.* & etiam *art. 7.* Et quia Bonifacius Octavus non dixit Pontificem habere tantùm hoc, vel illud jus, sed omnia jura in pectore suo.

160 Præsumendum igitur est Pontificem scire, & in memoria habere omnes, & singulas Pontificias Constitutiones, seu leges; & ideò dicendum est illum nunquam, nisi scienter per novas leges statuere contra priores, si contra illas statuit. Et quia impossibile est Pontificem velle simul opposita esse, & incompossibilia, absolutè & universaliter sine limitatione dicendum est Pontificem summum per legem posteriorem priorem contrariam abrogare, aut corrigere juxta exigentiam contrarietatis; etiam si prioris constitutionis nullam mentionem faciat, vel nullam clausulam derogatoriam adhibeat. Et hæc est determinatio manifesta præsentis Decretalis, quam communiter docent Canonistæ cum Gloss. hic *in v. noscatur*, Rota *dec. 408. n. 7. tom. 2. & decis. 574. n. 53. tom. 3. p. 4. recent.* Ubi quod si lex posterior est munita decreto irritanti, actus contra illam habitus est ipso jure nullus.

Sed quoniam eadem est ratio de Pontifice Summo in Canonicis respectu suorum subditorum, quæ est summi Principis respectu suorum subditorum in civilibus. Et pariter est eadé ratio de legislatoribus inferioribus; quia tam summus Princeps, quàm inferiores legislatores ex officio, sicut tenetur dirigere subditos per leges, ita tenentur leges proprias scire, nec præsumi debet eas ab eis ignorari. Ideò universaliter verum est, quod Princeps supremus, & inferiores legislatores potentes leges condere, & abrogare per legem posteriorem priorem contrariam abrogant, aut corrigunt, etiam nulla facta mentione prioris legis, Gloss. hic *not. 2.* 161

Ad primum verò in oppositum dicitur, Constitutiones Pontificias non esse res puri facti, etiam respectu Papæ, sed esse quid juris, lex verò potest esse jus respectu alicujus dupliciter, scilicet ut subditi, & ut superioris legislatoris; lex enim est jus respectu subditi, quia ad illam observandam obligatur, & est illius, ut personæ dirigibilis per legem, sed est jus legislatoris, ut dirigentis. Uterque tamen illam scire tenetur; subditus, scilicet, ut per eam dirigatur, & ubi opus est, etiam coerceatur, & impellatur, & legislator, ut per eam dirigatur. Nam ex vi directiva tenetur leges à se editas servare; ut docent D. Thom. *1. 2. q. 96. art. 5. ad tertium*, & Doctores citati *sup. num. 31.* & ideò lex respectu legislatoris non est res puri facti, sed est juris necessariò cognoscendi; & cujus ignorantia non præsumitur. 162

Ad secundum dicitur *in d. cap. Cum olim, 12. de re judicata*, minimè sermonem esse de lege aliqua, sed de sententia quadam interlocutoria prius data, contra quam Pontifex, circumventus aliter disponit, ut asserit ibid. Innoc. III. de quo latè differentem habemus Fagnan. *ad d. caput*, ubi multa adducit ad probandum Principem firmum, & constantem debere esse in gratiis factis, nec esse facilem ad eas revocandas. Et nihilominus additur, quod sententia illa interlocutoria sui Prædecessoris priori sententiæ contraria fuit ab Innocentio Tertio abrogata, non quia posterior dispositio priorem non abroget, sed quia illa manifestè erat subreptitia, & circumvento Pontifice data in præjudicium tertii, ut notat ibi Gloss. *in verb. Circumventus.* 163

Et per hæc patet responsio ad tertium. Nam nec *in cap. Ex parte, de capellis Monachorum*, est sermo de lege, sed de rescripto. Unde ex illo textu non potest accipi argumentum contra hanc conclusionem. Et nihilominus videnda sunt, quæ supra dicta sunt *art. 7.* & infra dicentur pro illius textus explicatione, *in art. 13.* 164

Ad quartum dicitur, quod secundùm Francum hic *num. 4.* extravagantis dari potest ignorantia probabilis; quod & dixit supra in proœmio §. fanè, sed loquitur de inferioribus judicibus, non verò de Pontifice. Jo. Monachus autem, quem sequitur Jo. And. & Dom. *num. 17.* & Franc. *n. 2.* distinguit. Nam vel constat de extravagante, & sic extravagans posterior prævalet, & derogat juri communi, si sit illi contraria. Vel extravagans est dubia, & sic standum est juri communi. Verùm, quidquid dicendum sit de subditis, seu de inferioribus judicibus, qui novas constitutiones possunt probabiliter ignorare. Et qui in casu novæ extravag. dubiæ servare debent, quod decernitur *in cap. Pastoralis de fide instrumentorum*, prout etiam magis explicabitur *cap. sequenti*, hic ubi sermo est de abrogatione legis, & de legis scientia, aut ignorantia ex parte legislatoris abrogantis, dicitur, quod in Pontifice non potest præsumi probabilis ignorantia, aut oblivio alicujus Apostolicæ Constitutionis prioris, dum posteriorem condit. Et ideò per posteriorem derogatur priori, sive insertæ, sive non insertæ in corpore juris. Et sic sine tot, ac tantis distinctionibus, quas adhibet hic Jo. Monachus, & ex eo Jo. Andr. *num. 1.* Anchar. *n. 8. opp. 10.* & alii distinguendo inter leges ejusdem, vel diversorum, vel ejusdem Papæ, aut successoris, vel inferiorum, 165

rum, dicitur quod in nullo casu verum est standum esse legi, quæ habeat meliores rationes, sed in omni casu, ut habet Anchar. standum est posteriori latæ ab eo, qui priorem potuit sua posteriori abrogare. Si verò contingeret dubium esse, quænam lex sit posterior, servandum esse ordinem scripturæ monet Anchar. Quod verò Isidorus, ut habetur *cap. Domino sancto 28. dist.* 50. dixerit: *Ut quotiescumque in gestis Conciliorum de eorum sententia invenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas.* Intelligendum est de Conciliis Provincialibus diversarum Provinciarum, quorum nullum abrogat aliud; & quorum nullum pariter obligat extra Provinciam suam, sed tamen ejus decreta respectu omnium habent vim doctrinæ, & pondus rationis, quod æstimari debet. Sic in dictis Sanctorum statur digniori, Marsc. *n.* 189. Domin. *n.* 18. Cæterùm lex posterior contraria priori potiores rationes habere censenda est, & pro illius justitia est præsumendum.

166 Ad quintum dicitur, quod lex generalis non tollit specialem secundùm Dominicum hic *num.* Dyn. *cons.* 27. *num.* 3. Bart. *in l. Hujus ad fin. ff. Ad Turpil.* & alios plures apud Tabiel. *commun. concl. tit. de legibus conc.* 1. *n.* 6. *&* 10. Fagnanum *cap. Cæterum num.* 80. *de rescript. & cap. Cum esses num.* 88. *&* 110. *supra de testam.* Palaus *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 2. *n.* 11. Sed ratio hujus est, non quia lex posterior contraria non deroget priori, sed quia lex generalis posterior, ut dictum est supra *art.* 7. non censetur contraria speciali priori, sed lex nova generalis distinguitur, & limitatur per leges antiquas, ne illas corrigat, si aliud expressè non cavetur, Castill. *cons.* 10. *num.* 5. quem sequitur Fagnan. *loco citato.*

167 Ad sextum dicitur, quod lex nova priori contraria eam tollit pro modo contrarietatis. Ideò si sit contraria solum ad tempus, eam pro illo tempore suspendit, Domin. hic *num.* 5. ex Jo. And. *in cap. Abbate de verb. signif.*

168 Ad septimum dicitur, quod si conditor legis juramento promisit se non revocaturum legem, ad summum non potest illam revocare sine perjurio, Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *p. un.* §. 1. *n.* 2. Sed dicitur, quod aliud est, an legislator licitè possit abrogare legem, an validè. Esto quod legislator legem à se juratam non possit licitè abrogare, id potest validè; quia per juramentum non amisit potestatem condendi leges, vel abrogandi. Et potest contingere etiam, quod juramentum, quod non est vinculum iniquitatis, mutata materia ejus non amplius obliget, & detur casus, in quo legislator legem juratam teneatur abrogare. An verò præsumendum sit tunc novam legem derogare antiquæ, quam legislator juravit se non mutaturum, si legis nulla sit mentio, negant Palaus *tract.* 3. *disp.* 5. *p.* 2. §. 1. *num.* 8. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct. ult.* §. 1. Azor. *p. p. lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 6. Emanuel Sa *v. lex num.* 29. Et posset hoc probari, quia lex novo vinculo est stabilita, ac proinde non est præsumendum Principem voluisse legem illam abrogare. Hæc tamen ratio non sufficit, quia si bonum commune exigat legem mutari omnibus pensatis, nihil interest, quod lex mille vinculis sit stabilita, sed nisi aliud obstet justum est illam mutari. Aliam rationem affert Palaus, quia scilicet potius in Principe præsumenda est ignorantia legis, quàm perjurium, quod est delictum. Ex duabus enim præsumptionibus illa prævalet, pro qua est honestas, & quæ excludit delictum. Quod quidem verum est. Sed nihilominus si ex circumstantiis potius esset præsumendum Principis perjurium, & lex nova justa esset, antiqua censeri deberet abrogata. Vel si jam essemus in casu, quod ex mutatione materiæ juramentum non teneret, quia in casu esset vinculum iniquitatis tunc nec præsumi deberet in Principe ignorantia juris, & lex antiqua maneret abrogata.

169 Ad octavum dicitur, quod ubi lex transivit in contractum, qui obligat ex justitia, lex non potest abrogari. Domin. hic *n.* 11. Probus *n.* 11. Gomez *n.* 146. Et nihilominus non desunt rationes, ob quas Princeps subditorum potest rescindere contractus, & sic legem, quæ transit in contractum irritare ex communi boni exigentia, ut per DD. quos referunt, & sequuntur hic Marscotus *num.* 107. & Gomez *n.* 146. Sic etiam lex, & statutum factum ad favorem aliorum, si sit tale, quod transierit in contractum, aut donationem acceptatam, non poterit cum non subdito revocari. Sed si stat in terminis puræ legis, aut statuti editi ob utilitatem communem proprii status, revocari potest, quia ex hujusmodi lege, aut statuto nullum jus justitiæ fuit acquisitum illis ad quorum favorem fuit factum, cùm non fuerit factum intuitu illorum, sed intuitu utilitatis communis reipublicæ subjectorum legislatori, vel statuenti. De his videantur Mars. & Dom. *loc. cit.* & Felin. & alios scribentes *ad cap.* 1. *de probat.*

170 Ad nonum dicitur, quod quidquid dixerit Rubeus *annot. ad decis.* 192. *n.* 34. *part.* 9. *recent.* volens, quod lex posterior edita ab eodem legislatore non revocet priorem; hoc sine ullo fundamento asseritur, nec potest affirmari, nisi tribuendo Principi notam, vel ignorantiæ suarum legum, vel malignitatis, fraudis, & doli, ut ex dictis *art.* 7. est manifestum.

171 Ad decimum Andreas Siculus apud Gomez *n.* 53. dixit leges illas citatas locum habere in lege correctoria, in qua debet fieri mentio prioris legis ad hoc, ut per novam legem corrigatur; secus in lege per quam in totum abrogetur antiqua lex. Sed hoc meritò rejicit Gomez *n.* 54. Est enim prorsus eadem ratio, quia sicut in toto sic in parte non potest legislator statuere contrarium legis antiquæ, nisi derogando illi in toto, vel in parte juxta exigentiam contrarietatis. Propterea respondet Gomez *n.* 55. quod leges citatæ intelliguntur de mentione in generali per clausulam generalem, *Non obstantibus Constitutionibus*, sine qua lex posterior non derogat priori, textus noster verò loquitur de mentione speciali. Sed explicatio hæc est contra mentem textus, & omnium DD. & contra rationem. Nam ratio textus est, quia legislator non potest scienter disponere contrarium antiquæ legi, nisi illi derogando, quia impossibile est simul observari contraria. At verò Princeps condens novam legem censetur scienter id facere, & ejus observantiam velle; & sic lex nova nulla alia facta mentione antiquæ, illi derogat. Itaque respondetur ex illis legibus nihil in contrarium huic textui haberi. Nam *in l. fin. C. de indicta viduitate, &c. tollenda*, lex ambiguitates declarat. Et cùm lex Julia miscella fuisset ablata pro fœminis, & dubium esset, an esset ablata pro viris, hanc ambiguitatem tollit, & esse ablatam decernit. Et sic ex hac lege habetur, quod ubi lex nova non est manifestè contraria antiquæ, opus est ambiguitatem tolli; quod etiam fiet nulla derogatoria apposita, si verba novæ legis manifestam contrarietatem habeant cum verbis legis antiquæ. *In l. autem p.* §. *fin. C. de latin. toll.* nihil aliud habetur, nisi quod Imperator derogando legi, ejus mentionem facit, sed ex hoc non sequitur, quod lex antiqua non fuisset abrogata, si lex nova fuisset manifestè illi contraria.

SUMMARIUM.

172 *Opiniones diversæ* 173.
174 *Pontifex suis legibus non ligat Successorem.*
175 *Pontifex non ligat se suis legibus, quin possit suas leges revocare.*
176 *Pontifex in materia communi tenetur in conscientia servare leges Pontificias.*
177 *Hæc obligatio non est ex efficacia illius legis, sed occasionaliter, & materialiter.*
178 *Et ejus transgressio, non est culpa ejusdem speciei in subditis, & in Principe.*
Princeps tenetur servare pretium statutum.
179 *Et est culpa gravis ex suo genere, licet in Principe facilius excusetur ex parvitate materiæ.*
180 *Per se successor non tenetur in conscientia servare solemnitatem derogandi expressè legi habenti derogatorias.*
181 *Et tamen æquum est non derogare his legibus, nisi facta earum mentione.*
182 *Ubi Pontifex non facit mentionem legis videtur non velle derogare.*
183 *Triplex inconsideratio potest intelligi præsumi.*
Ex eo quod Pontifex edendo novam legem non faciat illius mentionem, prout illa requirit, non sequitur, quod Pontifex sit inconsideratus legis secundùm substantiam.
184 *Neque præsumi potest defectus, qui novam legem reddat frustratoriam.*
185 *Ex omissione mentionis prioris legis non potest colligi defectus voluntatis illam abrogandi.*

186 *Lex*

186 *Lex posterior contraria priorem habentem derogatorias ad futuras leges abrogat nulla facta ejus mentione.*
187 *In opinione contraria non potest sufficere derogatio per clausulas generales.*
188 *Eadem est ratio legis, & statuti.*
189 *Statutum ex justa causa præsumitur esse.*
190 *Ad hoc ut lex legem abroget sufficit clausula etiam si, &c.*

Quæst. unic.

ARTICULUS X.

Utrum lex posterior priorem sibi contrariam, sed habentem derogatorias, etiam fortissimas contra futuras dispositiones, & leges, abroget, aut corrigat, si illius mentionem non faciat.

171 ET videtur, quod non abroget, nam Pontifex justè in in lege apponit clausulas derogatorias ad leges futuras, vel futuras dispositiones contrarias; igitur hæc lex justa est servanda; igitur non potest illi priori legi derogari, nisi ejus facta mentione, cùm hoc in ea lege cautum sit expressè. Et ita tenet hic Franc. *num.* 12. post Jo. de Imol. *cap. Nonnullis sup. de rescript.* Quia aliter nulla esset necessaria clausula derogatoria rescriptorum contra *cap. Nonnullis supra de rescript. & cap. Ex parte, supra de capell. Monac. & cap. unic. infra de excess. Prælat.* Idem sentiunt Panorm. *d. cap. Nonnulli, num.* 10. & Felin. *n.* 5. *fallent.* 1. Quidam tamen dicunt sufficere derogatoriam generalem: *Non obstante quacumque constitutione in contrarium faciente.* Ita Panorm. & Felin. post Bartol. *in Extravag. ad reprimendum in verbo Non obstantibus.* Qui tamen ibi vult hoc non procedere in statuto particulari, sed in eo necesse esse, quod in posteriori statuto fiat expressa mentio prioris ad hoc, ut illi derogetur, quod & sentit Felin. ib. Dom. hic *n.* 7. quamvis Felin. limitet hoc, & velit, quod ubi statutum posterius ex justa causa fit, sufficiat derogatoria generalis.

173 Secundò, quia saltem ille ipse qui priorem legem condidit cum clausula derogatoria ad futuras dispositiones, nisi facta illius mentione, si novam legem priori contrariam condat, nulla facta ejus mentione illi non derogat, ut vult Jo. Monac. *num.* 3. quem sequitur Palaus allegans Alex. *cons.* 243. *vers.* 7. *vol.* 6. & Dom. *cons.* 44. idem tenet Anch. hic *num.* 8. *in dec. opp.* & Dom. *num.* 17. si attentè legatur. Quia Pontifex sibi legem potest inducere, ut eam teneatur servare.

174 Hoc tanquam certum hic primo haberi debet, quod Pontifex non potest condere legem obligationem successorem, infra *cap. fin. de rescriptis*, ibi: *Et earum concessionem nostris volumus exulare temporibus, quodque nobis licere non patimur nostris successoribus indicamus.* Sic ergo Pontifex suis successoribus indicare potest, quod judicat necessarium esse ad bonum Ecclesiæ regimen, sed eos necessitare, & obligare per leges non potest. Quia par in parem non habet jurisdictionem, & imperium, *l. Digna C. de leg.* Jo. Monac. hic *num.* 3. Probus *num.* 11. Jo. *n.* 3. Anch. *n.* 7. Dom. *n.* 8. Et ideò Papa per clausulas derogatorias non potest legem imponere successoribus, Rota *dec.* 630. *n.* 11. *par.* 4. *tom.* 3. *recent.* Rub. *ad decis.* 2. *n.* 257. *part.* 3. *recens.* Nec obstat, si dicatur, quod Pontifex potest tollere etiam consuetudinem futuram; poterit igitur etiam impedire futuram legem, quia constitutio lex est. Nam dicitur, quod Pontifex consuetudinem futuram, quæ ex vi inferiorum vim habeat tollere potest, non tamen potest impedire consuetudinem, quæ introducatur auctoritate successoris sibi paris in auctoritate, ut citati DD. advertunt. Quamobrem per quascumque clausulas derogatorias ad futuras dispositiones, quas Pontifex apponat suis legibus non potest obligare successorem ad non revocandam suam legem, nisi servata forma derogandi à se tradita in dictis clausulis derogatoriis, sed successor potest ea forma minimè servata legi derogare.

175 Et hoc idem dicitur de Pontifice respectu sui; neque enim habet in se ipsum jurisdictionem, neque potest se ipsum irrevocabiliter obligare per legem, neque potest auferre à se illam jurisdictionem, quam in totam Ecclesiam dedit sibi Christus, nisi renuntiando Pontificatui. Dum verò manet Pontifex potest leges à se conditas revocare, & nulla forma præscripta ligatur, quin sine illa illas non revocet si velit.

Quæri autem hic potest, an Pontifex sicut ex vi directiva in conscientia tenetur servare leges à se latas, respicientes tamen materiam communem, & accommodatam subditis, & legislatori, ita in proposito teneatur servare solemnitatem statutam ab Antecessore, ut non deroget ejus legi, nisi facta ejusdem legis mentione. Iterùm enim asseritur Pontificem debere servare leges, nedum à se editas personaliter, sed à Sede Apostolica conditas, & quæ concernunt materiam accommodatam subditis, & legislatori. Hoc enim docuit Christus, dum reprehendit Pharisæos Matt. 23. dicens: *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Per hoc enim Dominus magister noster docuit inæqualitatem reprehensibilem esse in materia communi, & omnibus accommodata imponere aliis leges, & onera, & ea nolle portare. Et ideò assertio ista habetur definita, *c. Justum d.* 9. *& cap. Cum omnes de constit.* & S. Ambros. *epist.* 32. *lib.* 2. *cap.* 13. dicebat Valentiniano Imperatori: *Quod cum præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Et idem habetur *l. Digna vox, Cod. de leg. & lib.* 1. *ff. quod quisque juris, &c.* 176

Existimo tamen hanc obligationem non esse formaliter, & effectivè ab ipsa Pontificis lege, ut voluerunt Suarez *l.* 3. *de legibus cap.* 35. *n.* 8. Martinez *p.* 2. *q.* 96. *art.* 5. *dub.* 7. *concl.* 4. malè citans pro hac sententia Doctores Cajet. & Sotum, quia cùm lex non obliget, nisi in vi potestatis, & jurisdictionis Pontificis, sed legislatoris, qui tamen non potest exercere in se ipsum jurisdictionem, ut sit simul superior, & inferior non potest Pontifex, vel legislator obligari ad servandam suam legem ex vi, & efficacia ejusdem legis immediatè, Palaus *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 1. *p.* 24. *num.* 5. Sed hæc obligatio oritur à lege imposita occasionaliter, & veluti à conditione, & ut magis propriè loquamur materialiter. Nam ut habet Cajet. *p.* 2. *q.* 96. *art.* 5. & post eum Sotus *l.* 1. *de just. q.* 6. *art.* 7. Ex quo Princeps, seu Papa condidit legem consurgit in eo obligatio illam servandi ex lege naturæ dictante irrationabilem esse hanc inæqualitatem in communibus, ut subditi onus portent, & non Princeps ipse. Quamobrem existimo, quod obligatio ista in Principe sit ab illa virtute, cujus actus est impositio legis, quæ virtus est justitia legalis, & communis, ex qua Princeps tenetur per leges dirigere subditos in bonum commune. Quod bonum commune respectu Papæ est beatitudo æterna, & salus hominum. Ex hac enim eadem virtute tenetur Princeps leges à se editas in materia communi servare, quia aliter legum impositio esset minus utilis Reipublicæ, & Princeps subditos tenetur dirigere, nedum verbis, sed etiam factis, & exemplis, & quia Principem non decet facere alii, quod sibi non vult facere, Cajet. ubi suprà. Sed convenit illud Catonis: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Et quod summam æquitatem habet illud Jurisconsulti, *l.* 1. *ff. Quod quisque juris, &c. Quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem jure utatur.* Impositio ergo novæ legis est extensio, & constitutio novæ materiæ illius generalis justitiæ, & virtutis potestativæ, quæ obligat Principem ad hoc, ut in materia communi subiiciatur oneribus, quæ imponit subditis. 177

Hoc est, quod transgressio hujus legis in Pontifice non est ejus speciei, quæ est in subdito. Quidquid in contrarium voluerint Suarez *d. num.* 8. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 6. *num.* 24. & alii ab eo citati. Nam observantia hujusmodi legum est necessaria in Principe legislatore, sic exigente recta administratione, & communi justitia. Ideò si Pontifex præcipiat jejunium ad finem continentiæ, transgressio, quæ in subdito est peccatum incontinentiæ, in Pontifice erit peccatum malæ administrationis, & injustitiæ communis. Quod si dicas eum Suarez, quod si Princeps non servet pretium à lege institutum, tenetur ad restitutionem; ergo peccat contra justitiam. Respondetur, quod Princeps tenetur ad servandum pretium in eo casu, sed si illud non servet, non tenetur propriè ad restitutionem, & tamen tenetur ad pretium justum solvendum integrum, & sine diminutione, aut ad illud recipiendum sine augmento, si non ex justitia commutativa ex justitia communi, seu legali, ex qua tenetur ad fidelem, & justam administratio- 178

tio-

tionem; ex hac enim leges à se latas tenetur servare Palaus *d. p. 24. n. 3. & 5.*

179 Hinc ubi controvertunt DD. an transgressio propriæ legis circa materiam communem sit culpa gravis, vel potius venialis; volentibus esse gravem Martinez *p. 2. q. 96. art. 5. dub. 1.* Vasquez *p. 2. disp. 167. cap. 7.* Sayr. *lib. 12. cap. 9. n. 2.* & alii apud Vasquez. Negantibus verò Less. *lib. 2. de just. cap. 35. dub. 5.* Palao *d. p. 24.* Bonacina *de leg. disput. 1. q. 1. p. 6. n. 23.* Salas *de leg. disp. 14. sect. 2. num. 17. & seqq.* Respondetur indubitatum debere esse, quod ubi transgressio sit gravis, est peccatum mortale. Sed gravitas transgressionis non debet eodem modo, & ex eadem causa accipi in subditis, & in Principe. In illis enim accipitur in ordine ad virtutem illam specialem, contra quam est legis transgressio; sed in Principe accipitur in ordine ad rectam administrationem Reipublicæ. Et quia per se in ordine ad hanc administrationem in uno, vel altero actu aliquando non se conformare subditis non judicatur grave, ideò præciso scandalo, & aliis extrinsecis per hoc non erit culpa lethalis in Principe. Sed nulla etiam erit culpa, si Princeps ex causa justa, sicut potest, secum dispensaverit in lege à se lata, D. Th. *1. 2. q. 96. art. 5. ad tertium.*

180 Istis verò sic suppositis nihilominus dicitur, quod præciso scandalo, & aliis extrinsecis Pontifex successor non tenetur in conscientia in derogando legibus servare formam, seu solemnitatem statutam ab Antecessore. Quia illud statutum respicit materiam propriam ipsi Successori, & respicit personam successoris, in quam Antecessor nullam habet jurisdictionem, nec potest ferre legem illum obligantem, & ideò juxta explicationem, *c. fin. de rescript.* appositio talis solemnitatis, scilicet appositio derogatoriarum, & constitutio, ut non intelligatur derogatum legi, nisi fiat ejus mentio, non est lex obligans, sed indicatio ejus, quod Antecessori bonum visum fuit. Undè ad summum non habet, nisi vim consilii.

181 Et tamen dicitur æquum esse, & honestum, quod successor consilium sui antecessoris revereatur, & in derogando legibus formam ab antecessore ordinatam servet. Tum quia non omnia expediunt, quæ licent, *cap. Aliud 11. q. 1.* Rota *dec. 1. de Bigam. in novis.* Tum in aliorum exemplum, tum ad vitandas opiniones, & lites; nunc enim præcipuè quod viget opinio dicentium per posteriorem legem non derogari legi habenti derogatorias ad futura, in derogatione æquum est, & utile fieri mentionem talis legis, ne sic opinantibus lex nova inutilis, & sine efficacia videatur. Et ita de facto praxis Cancellariæ est, ut cum Pontifices contra hujusmodi leges disponere volunt, eorum mentionem faciant. Quæ praxis est antiqua, & ex quo initium habuerunt derogatoriæ ad futuras dispositiones observata.

182 Ex his videtur probari fortiter sententia asserens non derogari legi habenti derogatorias contra futuras leges, nisi ejusdem legis fiat expressa mentio, saltem per verba æquipollentia. Non quidem ex defectu potestatis in successore, sed ex defectu voluntatis, ut ait Domin. *n. 17.* Nam non videtur, quod possit præsumi, quod Princeps, seu Pontifex scienter omittat id, quod est æquum, & rationabile, & jam usu receptum, & praxi confirmatum; est verò valdè æquum, & rationabile, ex praxi confirmatum, quod Pontifices in abrogandis legibos Antecessorum habentium derogatorias ad futuras dispositiones contrarias, faciant specialem mentionem illarum, vel saltem utantur forma æquipollentia; si ergo hoc non præstat Pontifex signum est, quod edendo posteriorem legem non est recordatus prioris legis, & sic non voluit illi derogare.

183 Sed valdè hic discursus deficit, supponit enim, quod casu dato, quod Pontifex edat novam legem contrariam antiquæ habenti derogatorias in futurum, debeat in Pontifice præsumi aliquis defectus, ex quo oriatur involuntarium; quod suppositum non habet fundamentum. Triplex enim defectus potest præsumi in hoc casu, scilicet ignorantia legis antiquæ secundùm substantiam, secundò ignorantia qualitatis ejus, seu necessitatis mentionis antiquæ legis ad ei derogandum, & tertiò oblivio ministrorum, qui literas Apostolicas conscripserunt oblita mentione prioris legis. Ex istis hic tertius defectus non redundat in Pontificem, sed in Ministros, & ad derogationem legis factam jam per signaturam Papæ, se habet consequenter, neque ex eo potest inferri, quod Papa noluerit derogare illi legi, & quod non fuerit illi derogatum. Secundus defectus scilicet in Pontifice inconsideratio necessitatis faciendi mentionem de antiqua lege secundùm se nulla est culpa, quia est inconsideratio ejus, ad quod per se, & secundùm se Pontifex non tenetur, ut probatum est. Et nihilominus talis est defectus, ex quo non potest inferri involuntarium in Pontifice, quia inconsideratio hujusmodi ad derogationem legis merè concommitanter se habet, & cùm de facto Pontifex disposuerit contrarium antiquæ legi, & præsumendum sit adfuisse, & adesse justam causam derogandi, præsumendum est, quod expressè mentionem antiquæ legis fecisset, si considerasset necessariam esse mentionem illius legis. Prima verò inconsideratio, quæ est inconsideratio antiquæ legis secundùm substantiam de suo genere, & per se in Principe esset culpa gravis, & mortale peccatum, nec potest præsumi tanquam fuerit probabilis, & inculpabilis, quia in foro externo non præsumitur probabilis inconsideratio ejus, quod quis potest, & debet ex officio considerare; At verò Princeps ex officio tenetur non edere novam legem contrariam antiquæ, nisi ex matura deliberatione, & pleno consilio, ut magis probatum est suprà in expositione textus *à num. 7. & in hac quæst. art. 2.* Et quamvis hæc culpa, & gravis negligentia si adesset præsumenda esset in ministris. Nihilominus nec in Principis concistorio id, quod de se est culpa gravis præsumi debet. Et ideò regula hujus textus est, quod in Papa non præsumitur juris ignorantia. In casu igitur nostro, si Papa novam legem edat contrariam antiquæ habenti derogatorias ad futura non facta ejus mentione non debet in Papa præsumi ignorantia antiquæ legis, quæcumque verò alia ignorantia præsumatur, non causat involuntarium, nec sufficit ad præsumendum in Pontifice defectum voluntatis.

184 Confirmantur prædicta, nam semper præsumendum est pro valore actus, & præcipuè non præsumi debet, quod Pontifex de facto legem ederit, nisi ex justa causa, & quia sic exigat bonum commune, & ex firma voluntate, quod observetur, igitur non debet in eo præsumi, vel ignorantia talis, vel inconsideratio, vel alius defectus, qui reddat legem frustratoriam, & nullam. Probatur consequentia, quia & indecens est, & denigrans famam Principis, & inferens in eo præsumptionem culpæ de se gravis ex genere, promulgare legem frustratoriam, & nullam; cùm hoc requirat magnam maturitatem, & valdè prudentem deliberationem. Ideò dato etiam, quod in hoc casu præsumi posset ignorantia legis in Pontifice, hæc ignorantia præsumi deberet, ut concommitans, quia ex quo Pontifex actu legem edidit contrariam antiquæ legi, præsumi debet, quod sic faciendi habuerit justam causam, & quod sic exigat bonum commune, quo stante potius præsumendum est, quod legi contrariæ derogasset, etiam si illius meminisset.

185 Hinc est etiam, quod nec admitti debet suppositum oppositæ opinionis, scilicet quod in hoc casu supponi debeat defectus voluntatis in Pontifice ex defectu inconsiderationis alicujus. Nam cùm Pontifex per se non teneatur servare solemnitatem ab antecessore impositam, & facere antiquæ legis mentionem, si de facto contra legem Pontifex illius non facta mentione novam legem edat, præsumendum est id, quod omnem defectum excludit, nimirum quod Pontifex voluntariè mentionem illam tanquam non necessariam omiserit, & quod hoc ex causa justa fecerit, sicut facere potuit, & quod facto illi legi etiam quantum ad qualitatem illam derogare voluit.

186 Quamobrem dicitur, quod lex nova etiam antiquam legem habentem derogatorias in futurum, non facta ejus mentione abrogat, ut dixerunt Probus hic ad Monachum *à num. 10.* Silves. *v. lex, num. 26.* Rota *dec. 630. num. 11. part. 4. tom. 3. recent.* Quod procedere de plano in his, quæ de sui natura possunt revocari, subdidit Rota ibi *num. 12.* ex Castren. *cons. 229. in fine, vers. Item non obstat, lib. 1.* & Cephal. *cons. 168. n. 44.* Et ex hoc textu hoc probatur, qui absolutè nulla facta exceptione decernit, quod per novam constitutionem derogatur antiquæ, etiam nulla illius facta mentione.

187 In opinione verò eorum, qui dicunt legem, quæ non facit mentionem legis prioris habentis derogatoriam ad futura illam non abrogare, dicendum est Panorm. & alios minus consequenter loqui, qui dicunt sufficere, quod lex posterior deroget priori per clausulam generalem *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis.* Nam si est necessaria dero-

derogatio, expressa est necessaria, quia servanda sit saltem æquivalenter forma derogandi à priori lege requisita, at verò clausula illa generalis *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, non æquivalet formæ, quæ specialem mentionem contineat. Quod si dicas per clausulam generalem *non obstante lege* tolli præsumptionem defectus voluntatis provenientis ex ignorantia, vel inconsideratione contrarietatis novæ legis ad priorem, Respondetur, quod hæc præsumptio sufficienter tollitur, ex eo, quod lex nova sit manifestè contraria priori, cujus ignorantia in Principe non præsumitur. Quod si hoc non sufficit, ex eo quod servanda sit forma præscripta à priori legislatore, nec sufficit clausula generalis, quæ illi forma non æquivalet. Quia tamen verè nulla derogatoria est necessaria; benè dicitur, quod, ubi adsit derogatoria generalis multò magis constat, & sufficienter constat, de voluntate legislatoris.

188 Nec pariter habet fundamentum Bartoli distinctio inter legem, & statutum, ut ad derogandum huic per novum statutum sit necessaria specialis mentio, & non sufficiat derogatio per clausulam generalem. Sicut enim se habet Pontifex ad legem Canonicam universalem, ita se habet Concilium Provinciale ad legem pro sua Provincia, & Concilium Diœcesanum ad legem pro sua Diœcesi, & statutum Civitatis ad statutum pro Civitate, ut statutum posterius contrarium priori illi deroget, si sit illi contrarium. Unde si prius statutum habeat derogationem ad futura statuta, si conditor prioris statuti potuit ligare conditorem posterioris, posterius statutum non valet non servata forma statuti prioris. Sed si non potest obligare, sicut in casu præsenti, eadem est ratio & legis, & statuti, & vel non valet lex, aut statutum posterius ex defectu voluntatis statuentis, si similis defectus potest præsumi ex omissione formæ primi statuti, vel utrobique valet, si talis defectus voluntatis præsumi non potest; solùm poterit esse discrimen ratione circumstantiarum, & quia facilius poterit dari casus, in quo in conditore posterioris statuti detur ignorantia statuti prioris, quam præsumi possit in Pontifice, vel Principe.

189 Hinc etiam quod habet Felin. *num.* 5. *ver. Limita hoc de statuto*, ut scilicet, ubi constet de causa justa posterioris statuti revocantis prius statutum, non sit necesse, quod posterius statum deroget in specie, non est fundatum. Quia omne statutum præsumi debet justum; aliter nullo modo obligat. Et sic præsumi debet, quod statutum posterius non nisi ex justa causa revocet prius.

190 Colligitur verò ex his in nostra sententia multo verius esse, quod ubi prioris dispositionis, quæcumque illa sit revocatio fit per legem, etiam si illa dispositio habeat clausulas derogatorias efficacissimas, & ita ut petat mentionem illius fieri de verbo ad verbum, & non per clausulas æquipollentes, vel aliam magis exquisitam formam exigat, sufficit illi derogare per clausulam, *etiam si de illis esset facienda mentio*, *&c.* vel per clausulam, *quorum tenores*, Rota *decis.* 291. *num.* 7. coram Seraph. *& decis.* 109. *num.* 10. coram Gregor. XV. *& decis.* 87. *n.* 4. *par.* 2. *recent. & decis.* 1142. *num.* 4. coram Penna, Felin. *cap. Nonnulli*, *n.* 4. *vers. Est verum*. Imò cùm de jure nulla sit necessaria clausula, si aliqua adest etiam generalis, illa sufficit, ut dictum est.

SUMMARIUM.

191 *Negans opinio.*
192 *Affirmans eligitur.*
193 *Nedum lex Concilii posterior, sed lex Pontificia contraria abrogat legem Conciliarem priorem non facta ejus mentione.*
194 *Confirmatur ex stylo Conc. Trid.*
195 *Textus cap. Nonnulli 28. de Rescriptis, non loquitur de legibus.*

Quæst. unic.

ARTICULUS XI.

Utrum lex Pontificis posterior legem priorem in Concilio Generali editam abroget, vel corrigat, si nullam illius mentionem faciat?

Videtur enim, quod non abroget ex doctrina communi; quia nimirum non derogatur legi conciliari non facta ejus expressa mentione, ut probatur *ex cap. Nonnulli supra de rescript. cap. Ex parte, sup. de capell. Monachorum*, & ita sentit Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 2. 191

Sed è contra quod non sit necessaria specialis mentio, aut derogatio, ad hoc, ut per legem derogetur conciliari legi, latè probat Fagnan. *d. cap. Nonnulli num.* 29. *& seqq.* ubi textum explicat, quia non est ibi sermo de legibus, sed de rescriptis, & privilegiis. Et pro hac sententia referri possunt gloss. hic *in v. Noscatur*. Jo. Monach. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 8. & alii DD. simpliciter affirmantes legem priorem contrariam per posteriorem abrogari. 192

Et verè sic est dicendum, quod nedum unum Concilium Generale per legem posteriorem derogat legi alterius Concilii, licet ejus nullam mentionem faciat, sed & Summus Pontifex per suam constitutionem posteriorem derogat constitutioni contrariæ, seu legi cujuslibet Concilii, nulla ejus facta mentione. Quod certè habetur ex præsenti decretali, quæ absolutè, & universaliter loquitur, nec admittit limitationem; quia cùm sit indubitatum, quod Pontifex potest abrogare legem Concilii *cap. Significasti* 4. *de elect.* Quia imò Conciliorum leges non habent vim, & efficaciam legum, nisi inquantum sunt approbatæ, & confirmatæ per Summum Pontificem, qui est solus, & unicus totius Orbis Pastor, qui possit totum Orbem per leges obligare, Cajet. *opusc. tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 12. Nam & concilia authoritatem habent à Summo Pontifice *d. cap. Significasti, & cap. Benè quidem* 96. *dist. cap. Nec licet, cap. Multis, & per totam dist.* 27. & significavit D. Th. *p.* 1. *q.* 36. *a.* 2. *ad secundum, &* 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Panorm. post Jo. Andr. *in cap. super quibusdam n.* 3. *de verb. significat.* Cùmque ut in hoc textu dicitur: Pontifex legem condens id non faciat, nec præsumi possit facere, nisi scienter, & benè cognita contrarietatem suæ novæ legis ad legem Concilii, dum scienter fert legem legi conciliari contrariam simul, & potest, & vult legem illam cassare, & suam observari, quod est legem illam abrogare. 193

Et hoc confirmatur ex stylo Concil. Trid. qui pluries derogavit antiquiorum Conciliorum legibus, nulla illorum mentione facta, ut *sess.* 23. *cap.* 12. præscribendo ætatem 22. annorum pro Subdiaconatu, & 23. pro Diaconatu abrogavit legem Concil. Viennen. qua constitutum erat, ut quis ad Subdiaconatum in 18. anno, & ad Diaconatum in 20. posset promoveri. Et *sess.* 24. *cap.* 2. præcipiens, ut Provincialia Concilia quolibet saltem biennio celebrentur derogavit legi Innoc. III. in Concilio Later. de qua *in cap. Sicut, de Accusat.* in qua præcipiebatur ea Concilia singulis annis debere celebrari. 194

Quod verò ex juribus citatis, scilicet *d. cap. Nonnulli, & cap. ex parte*, non colligatur necessitas hujus mentionis specialis ad derogandum legibus Conciliorum Generalium, satis est manifestum, quia ut advertit Gloss. hic *in verb. noscatur*, quam sequitur Fagnan. *loco cit.* in dictis decretalibus non est sermo de legibus, sed de rescriptis Papæ, de quibus etiam loquuntur quamplurimi DD. quos infra referam tenentes necessitatem specialis mentionis ad derogandum legibus Conciliis Generalis, (de quo tamen dicendum erit infra) Ideò benè consideravit Turrecrem. *ad cap. Domino Sancto, dist.* 50. quod si dissonantia, quæ reperitur in Canonibus Conciliorum universalium sit circa ea, quæ sunt juris positivi, concluditur absolutè standum esse constitutioni posteriori; quia cùm hujusmodi agibilia humana habeant materiam variabilem, pro loco, & tempore, & conditionibus personarum; sæpè statuta priorum Conciliorum temperantur, supplentur, & corriguntur per posteriora Concilia. 195

SUM-

SUMMARIUM.

Quæst. un.

ARTICULUS XII.

Utrum per rescripta Pontificia juri communi, aut constitutionibus Pontificiis contraria eidem juri, aut constitutionibus derogetur, si illius, vel illarum, nulla fiat mentio, seu nulla adhibeatur clausula derogatoria specialis, vel generalis.

196 Videtur enim non derogari, nisi in rescripto apponatur clausula derogatoria; quia hæc est differentia inter legem, & rescriptum, quod lex legi priori contrariæ derogat nulla facta legis prioris mentione, sed rescriptum legi non derogat, nisi in rescripto adsit derogatoria legis, ut cum Glossa tradit Anchar. hic *oppos. 9. num. 8.* Tum secundò probatur à Fagnan. *in d. cap. Nonnulli n. 29. de Rescript.* & aliis communiter, quia sic disponitur *in d. cap. Nonnulli, & cap. eam te, de ætat. & qual. & cap. Ex parte de capell. Monachorum.* Tum tertiò quia per id sine mentione legis non derogatur legi, quod potest obtineri à Papa per occupationem, aut importunitatem, imò per falsas causas Papa rationabiliter ignorante, aut inconsiderato; talia verò sunt rescripta gratiæ, vel justitiæ, quæ à Pontifice obtinentur; igitur per rescripta non derogatur legi, nisi ejus facta mentione. Tum quartò, quia hoc saltem debet dici ubi lex habeat derogatorias ad futuras dispositiones contrarias, nisi fiat ejus mentio; Nam in eo casu censendum est Pontificem secundùm leges rescribere, quæ volunt, ut legi non censeatur esse derogatum, nisi ejus mentione facta. Et ita in terminis tenet Rota *decis. 347. n. 3. & dec. 4. n. 3. tom. 2. par. 4. recent.* & apud illam Bart. *in l. Si quis in princip. n. 10. de leg. 3.* Jason *in l. Si mihi, §. in legatis, n. 11.* & alii. Item Rota *d. 1. n. 1. & 2.* ap. Cæsar. de Graff. *& dec. 308. num. 4. l. 3.* coram Puteo *dec. 122. num. 11. & 2. p. 1. divers. & d. 762. n. 1. & 2. par. 2. recent.* Et ita quod rescriptum, vel privilegium non deroget legi, nisi facta legis mentione aliqua docuerunt Gloss. *in v. noscatur*, Jo. Monac. *n. 1.* Archid. *n. 2.* Anch. *n. 8. opp. 9.* Panorm. *c. Nonnulli n. 10. de rescript.* & ibi Felin. *n. 9. v. Secunda Regula*, Fagnan. ibi *n. 29. & seq.* Mars. hic *n. 122.*

Sed in contrarium est, quod ubi Pontifex rescribit ex certa scientia contra jus, cùm non sit dicendum Pontificem scienter velle agere inutiliter, & mendaciter, simul dicendum est rescriptum valere, ut tradiderunt Archidiac. hic *n. 2.* Dom. *n. 1. & 26.* Franc. *n. 9.* & 10. Joannes Crotus *n. 51.* Gomez *n. 195. & 199.* Gloss. *in cap. Statutum, v. literarum, inf. de rescript.* & Jo. Andr. *in cap. Nonnulli*, Bald. *in l. fin. C. de sentent. rescind. non posse, & in cap. Naturales de Feudis*, Seraph. *dec. 922. n. 3. & 4.* 197

Eamdem verò habet resolutionem hæc quæstio sive loquamur de rescripto, sive de privilegio, quia imò videtur, quod rescriptum, quod est contra jus commune sit privilegium, *cap. Privilegia d. 3.* Gloss. hic *in v. noscatur*, Dom. *n. 23.* Panorm. *in cap. Causam quæ de rescript.* Felin. *in rub. eod. tit.* Curtius senior *cons. 16.* Rescriptum autem emanat ad observantiam juris communis, ut *l. Falsa C. de divers. rescript.* Hæc tamen differentia non placet Gomez hic *n. 203.* Tum quia frustra precibus impetratur, quod jure communi conceditur, *l. 1. C. de thesaur. lib. 10.* Tum quia per rescripta conceditur jurisdictio delegata, *cap. Pastoralis, & c. Prudentium, de off. deleg.* Illa verò rescripta sunt contra jus commune cùm veniunt in præjudicium jurisdictionis ordinariæ fundatæ in jure communi, ut patet *in cap. Sanè, & d. cap. Pastoralis, §. Qui autem, de off. delegati.* Sed communis doctrina vera est, sed desumitur per ordinem ad illum, ad cujus favorem rescriptum, aut privilegium conceditur; quia per rescriptum conceditur, quod ille ad cujus favorem datur manuteneatur in eo, quod sibi de jure convenit. Quod quia illi controvertitur, & jus illius dubium est, ideò obtinetur rescriptum, per quod datur judex, qui illi jus suum defendat, si jus verum est. Sed per privilegium eximitur privilegiatus à jure communi, & jus commune relaxatur. Utrumque tamen, scilicet tam rescriptum, quàm privilegium quodam modo importat gratiam Principis rescribentis. Et multa sunt rescripta, in quibus nullum præjudicium fit juri communi. Qualia sunt rescripta illa gratiæ, quæ nullum tertio inferunt præjudicium, seu per quæ dispensantur gratiæ, quæ sunt conformes juri, ut sunt collationes beneficiorum, quorum tamen collatio jam de jure spectat ad Summum Pontificem. Sed misso igitur, quod in aliquo rescripto possit contineri aliqua contrarietas ad jus commune pro quanto restringatur jurisdictio ordinaria, vel dispensetur in aliquo jure, quantum spectat ad nostram quæstionem, eadem est utriusque ratio, quia per utrumque id conceditur, quod immediatè non concernit utilitatem publicam, sed particularem, & privatam ejus, ad cujus favorem rescribitur, aut privilegium conceditur. Et ideò videri potest, quod per nullum illorum juri communi derogetur, nisi fiat juris mentio; quia non videtur, quod per id, quod est privatæ utilitatis, tolli debeat id, quod est utilitatis publicæ. 298

Est verò supponendum rescriptum, aut privilegium non laborare vitio aliquo subreptionis, vel obreptionis, aut quocumque alio inducente nullitatem illius. Et pariter supponendum est rescriptum esse manifestè contra jus Pontificium, 199

cium, sive sit jus contentum in corpore juris, sive in aliqua constitutione Apostolica. Quæstio enim nostra est, an rescriptum, seu privilegium Apostolicum aliunde validum, si sit manifestè contrarium juri eidem juri deroget, vel potius habendum sit tanquam nullum.

200 Satis apparentem verò, & solidam resolutionem hujus quæstionis possumus colligere ex motu proprio, sanctæ memoriæ Pii Quinti, quem de verbo ad verbum refert Garz. *de benef. p. 4. cap. 5. num. 33. & retuli ego de elect. cap. 26. num. 36.* Et est sequentis tenoris, videlicet: *Motu proprio, &c. Cum plerumque contingat dubitari in causis Rotæ Auditorio nostro, & alibi pendentibus super provisionibus, & commendis, & unionibus, & aliis dispositionibus, ac aliis gratiis Apostolicis, quæ contraveniunt decretis Concilii Tridentini, sit opus speciali derogatione ejusdem Concilii. Nos quæcumque dubia desuper mota, & movenda submovere volentes, ac quorumcumque decretorum Concilii hujusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, motu simili, &c. ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione declaramus, neque speciali, neque generali derogatione ejusdem Concilii opus fuisse, & esse in quibusvis collationibus, provisionibus, commendis, unionibus, &c. & aliis dispositionibus de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura, & sine cura sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, etiam Monasteriis, Conventualibus, & Consistorialibus, ac curam animarum habentibus; quæ quomodolibet vacarunt, & vacabunt, ac etiam gratiam, & justitiam concernentibus, & aliis gratiis, ac concessionibus Apostolicis per nos, ac felic. recordat. Pium Papam Quartum prædecessorem, nec non quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, nostra tamen, & prædecessoris, ac successorum prædictorum propria manu signatis, ac Sedem Apostolicam quibusvis personis Collegiis, ac aliis piis locis, & alias quomodolibet factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis, & ita per quoscumque judices, &c. & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quibusvis causis, etiam per appellationem pendentibus judicari, & definiri debere sublata, &c. irritum quoque decernimus, volentes præsentes nostri motus proprii schedulam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius libro quinterno nuncupato describi, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis stylo Palatii, &c. Cæterisque contrariis quibuscumque; Placet motu proprio, &c.*

201 Hoc igitur motu proprio Pii Quinti supposito dicitur primò, quod quando Papa rescribit manifestè contra jus propriè per viam privilegii, rescriptum derogat juri contrario, licèt nulla illius fiat mentio, & licet non ponatur in privilegio clausula *non obstante, &c.* Ita Hostien. *in summ. tit. de constit. §. Quas vires, vers. Sed potest distingui.* Joan. Andr. & Domin. *in cap. un. num.* 10. & Franc. *n. 6. infra de excess. Prælat.* Imol. *in cap. Nonnulli de rescript.* ubi Felin. *num. 11. vers. Fallit secundò*, Butr. *in cap. 1. de rescript.* Nicol. Mylus *in ver. privilegium*, Bald. *in l. lapilli, ver. ego dico, ff. de reb. dub.* Martin. Lauden. *in tract. de privileg. §. 39. q. 45. & 42.* Card. *post Lap. in Clem. 1. in q. 3.* Suarez *de leg. 8. lib. cap. 14. num. 5.* Rota *dec. 922. num. 2. & 4.* coram Seraph.

202 Ratio hujus est, quia privilegium lex quædam est; etenim est lex privata, *cap. privilegium, dist. 3.* Et est lex quæ ex intentione concedentis est relaxatio juris, & contraria juri. Unde ex natura sua juri derogat, Fagnan. *cap. Ex parte num. 3. de capell. Monach.* At verò ex hoc textu est manifestum, quod lex posterior priori derogat nulla ejus facta mentione. Sed ratio evidentissima est, quia si non derogat, vel est ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis; non ex defectu potestatis, quia Papa juri communi derogare potest, & supponimus concedentem privilegium posse juri derogare. Non ex defectu voluntatis, quia Papa vult concedere contra jus, quod manifestè significat se concedere, & quod nequit esse concessum, nisi sit juri derogatum; aliter Papa esset mendax, infidelis, & deceptor, si verè non vellet concedere, quod dicit se concedere, quod nullo modo est imaginandum. At verò Papa concedens privilegium expresse significat se concedere, quod concedit; igitur vult illud concedere, & concedit; manet igitur juri contrario derogatum. Et hoc confirmatur, quia privilegium non debet accipi, ut sit frustratorium, *cap. Inter dilectos §. Cæterum de fide instrum.* ubi Glossa *in ver. valere*, colligit interpretationem debere fieri, ut res valeat, *eod. cap. Abbate sup. de verb. signif. & cap. In his, de privileg.* Nihil verò valeret privilegium, si jus contrarium non maneret abrogatum.

Nec obstant, quæ allegat sentiens contrarium Panorm. 203
in cap. Nonnulli num. 10. de rescript. & asserens, quod quia privilegia sæpè ob importunitatem impetrantur, ideò non valent, nisi saltem in genere facta sit mentio legis per clausulam, *Non obstantibus, &c.* Nam non obstat primum, quia ex magna occupatione non sequitur inconsideratio in illis, qui ex officio considerare debent, saltem frequenter, nisi illi fiunt in suo officio negligentes, & culpabiles; non enim sine gravi culpa est oblivio, aut inconsideratio ejus, quod quis considerare debet; hæc verò negligentia in Papæ consistorio præsumi non debet. Inconsideratio verò, quæ de rarò accidit, cùm sit quid facti de raro advenientis, præsumi non debet, nisi aliunde probetur. Videantur dicta supra *art. 7. regula* 10. Sed prætereà hic inconsideratio contrarietatis ad jus est impossibilis, quia qui petit privilegium petit id, quod est contra jus, & privilegium concedens concedit id, quod est contra jus, unde ut benè ponderavit Franceus *cap. unic. n. 6. de excess. prælat.* idem est concedere privilegium, & velle derogare legi. Præsumere igitur, quod privilegium sit impetratum per occupationem, & inconsiderationem est præsumere contra conscientiam, & honorem Principis, quod non licet.

Sed nec importunitas de facto præsumi debet, nisi aliun- 204
de probetur. Et quatenus de ea constaret, illa non infert inconsiderationem ejus quod conceditur, sed coactionem quandam secundùm quid, per quam potuit obtineri privilegium, etiam cum derogatoriis amplissimis Principe id scienter concedente ad fugiendam molestiam importunarum precum. Quod quia non continet involuntarium, nisi valdè secundum quid, ideò non vitiat privilegium. Et semper militat ratio posita superius, quia inconsideratio ex importunitate non potest præsumi, nisi frequenter soleat evenire, quod tamen sine negligentia, & culpa fieri non potest in proposito, quæ culpa non debet præsumi. Et semper debet attendi, quod inconsideratio ejus, quod debet considerari semper est defectus, vel voluntatis, vel naturæ, *cap. vero Ex parte 3. de capell. Monach.* super quo Panorm. se fundat, explicabitur infrà. Glossas verò super quibus se fundat non loqui de privilegio, advertit Felin. *d. cap. Nonnulli n. 12. vers. Per prædicta igitur.* Ubi etiam notat, quod Bart. eas Gloss. non sequitur *in l. fin. C. Si contra jus.* Quamvis Bart. ibid. loqui de privilegio dixerit Suarez *l. 8. de leg. cap. 14. n. 1.*

Idem verò Felin. *d. n. 12.* limitat assertionem positam, 205
ut non valeat, ubi privilegium nedum sit contra jus tertii, quia tunc ad valorem privilegii requiritur clausula derogatoria. Et *num. 13. vers. limita tertio:* hanc quartam fallentiam ampliat, ut sit vera etiam si Princeps rescribat, & concedat privilegium ex certa scientia. Et in hujus sententiæ confirmationem refert Bald. *in proœmio feu. vers. idem dicit*, And. de Iser. *alleg. not. §. fin.* Auth. *quibus mod. nat. eff. sui*, Sal. *l. fin. C. si contra jus*, Butr. *in cap. Quæ in Eccles.* Nicol. Myl. *v. privilegium, §. privilegium contra jus in fin.* Bart. *in auth. hoc inter liberos, ad finem.* Et Felinum sequuta est Rota *dec. 358. per totam.* Verùm contrariam sententiam sequuta est Rota asserens, quod quando Papa facit actum præjudicialem ex natura rei, quia nimirum quod Papa disponit est ex natura sua præjudiciale tertiò, non est necessaria derogatio specialis, quia cessat præsumptio ignorantiæ, vel inconsiderationis, & ex consequenti involuntarii per rei evidentiam, Rota *dec. 177. num. 3. & dec. 614. num. 3. part. 2. & dec. 57. num. 12. tom. 2. par. 4. & dec. 24. n. 1. par. 5. & dec. 114. num. 25. part. 6. recent. & dec. 762. num. 4. & dec. 1445. num. 6.* coram Seraph. Et in Albanen. Beneficiorum 27. Junii 1614. coram Pirovano. Quod & docuerunt Panorm. *in cap. Nonnulli, num. 8. & 9. de rescript.* Bald. *in l. Nec avus, num. 2. C. de emancip. lib.* Cassad. *2. decis. 1. de privil.* Aym. *cons. 126. num. 5.* Castren. *cons. 102. num. 3.* Jo. de Anan. *cons. 56. num. 3.* Gratian. *discept. 992. num. 7.* Ferret. *cons. 347. n. 4.* Rubeus *adnot. ad decis. 2. num. 177. par. 3. recent.*

Quamvis verò non sit hic locus agendi de derogatione 206
regulæ de jure quæsito; quia nihilominus doctrina communiter procedit ex eodem principio; Et quia, ut probatum est suprà *art. 7.* præsumptio involuntarii in Principe rescribente contra jus (præcisa violentia propriè sumpta)

pta) non oritur, neque oriri potest, nisi ex præsumptione ignorantiæ alicujus, quæ præsumptio locum non habet, ubi adest scientia. Ideò ubi scientia adest manifestum est derogari jori, si oppositum privilegiom conceditur. Verùm quidem est, quod ot consideravit Gomez *num.* 205. discrimen est inter jus commuoe, & jus tertii, quod Princeps non præsumitur scire jus tertii, sicut præsomitur scire jus commune, & ideò privilegium non præjudicat tertiò, nisi constet de scientia Priucipis, vel quia privilegium ex natura sua sit præjudiciale tertiò, vel aliunde. Cæterùm privilegium ex natura sua semper est præjudiciale juri communi. Et ideò ubi privilegium, & etiam rescriptom sit manifestè cootrarium juri communi, seu Apostolicæ legi jam ex hoc censetur esse ex certa scientia Papæ rescribentis, scilicet ex certa scientia contrarietatis rescripti, & legis.

207 Dicendum est secundò, quod ubi rescriptum quodlibet, aut privilegium est ex certa scientia Papæ, si sit contra jus, derogat juri, etiam si juris illius nulla fiat mentio, seu in rescripto, aut privilegio nulla contineatur clausula derogatoria. Est enim prorsus contra rationem, & cedens in injuriam, & contemptum Sedis Apostolicæ asserere, quod id sit uullum, quod Papa scienter vult esse, & absolutè id vult, & disponit. Et nimis absurdum esset asserere, vel quod Papa ignoret leges, & nesciat, quod agit, dum agit ex certa scientia, vel quod scienter vellet decernere id, quod sciret, vel scire deberet esse oullum, & inane, & mendax. Quamobrem ubi Pontifex ex certa scientia rescribit contra jus commune, seu Pontificium rescriptum valet, & juri cootrario est derogatum. Semper enim valet hæc ratio, scilicet in Papa boc disponente contra jus non adest violentia, ut supponimus, sed nec adest ignorantia, quia Papa verè disponit ex certa scientia, igitur uon adest involuntarium; igitur Papa qui potest, simul vult id, quod scit esse juri contrarium; igitur efficaciter ex hoc derogat juri.

208 Et cùm ex multis causis sit in rescriptis validis necessaria scientia Papæ rescribentis, vel, scilicet, ut tollatur sobreptio, aut obreptio, ut scilicet Papa non ex causis falsis, aut minus sufficientibus moveatur ad rescribendum, vel ut non fiat præjudicium tertiò; vel ut involuntarius non rescribat conira leges, aut coorra publicam utilitatem, aut sine causa non dispenset in lege, in proposito nostro necessaria est, & sufficit scientia coutrarietatis rescripti ad jus. Nam cùm modò uon loquamur de nullitate rescripti ex parte subreptionis, vel obreptionis, & supponamus rescriptum non laborare aliquo alio vitio, sed aliunde esse validum, & solum an sit nullum ex eo, quod est contra jus, non facta mentione juris, dicimus ad vitandam uullitatem hujus rescripti aliunde omninò validi esse oecessariam, & sufficere in Principe scientiam contrarietatis ad jus, ad hoc ut rescriptum sit validum, & deroget juri.

209 Tunc verò rescriptum censetur esse ex scientia Papæ, quando Papa dicit se concedere prævio examine Prælatorum, Rota *dec.* 258. *num.* 3. coram Royas, *& dec.* 192. *n.* 3. *&* 210. *num.* 1. *part.* 1. *recentiorum.* Et propterea, quod consensus Papæ colligatur ex ministrorum scientia, dixit eadem Rota *dec.* 356. *num.* 8. *part.* 1. *recent.* Item rescriptum censetur esse ex scientia Papæ, quando in rescripto continetur factum tale, & taliter expressum; ut Papa ex eo certus esse possit, quod rescribit contra jus, Domin. *num.* 25. ex Jo. Andr. & Jo. de Lign. Francus *num.* 9. & alii citati *supra num.* 205. Ait verò Francus, quod rescriptum esset ex certa scientia, si Actor, & Reus essent ejusdem Diœcesis, & impetraretur rescriptum ultra unam diætam, hoc exprimendo in rescripto, valeret rescriptum tanquam datum à Papa scienter, etiam si oulla mentio fieret, *cap. Statutum, infra de rescript.*

210 Item secundò Papa censetur rescribere, seu privilegium ex certa scientia concedere, si id in literis exprimat, Gloss. *in c. Statutum v. literarum, infra de rescript.* Panorm. *in cap. Examinatis in fin. de confirm. ut.* Rot. *decis.* 192. *num.* 3. *p.* 1. *recent.* Barbosa *ad cap. Cum dilecta num.* 15. *sup. de confirm. ut.* Propterea dicitur, quod clausula *ex certa scientia* posita in rescripto tollit omne juris obstaculum, Barbos. *claus.* 59. *num.* 17. & tollit omnem erroris præsumptionem, ex traditis per Alex. Aog. & alios *in l. Sed & si quis*, §. *Item quæritur*, *ff. Si quis cautum.* & Barbos. ibidem *num.* 25. Et habet vim specialis derogationis, & proinde derogat omni legi, & privilegio contrario, etiam si in illo esset derogatoria ad futuras dispositiones, *l. Idem Ulpianus* §. *fin. ff. de excus. tut.* Fagnan. *cap. Nonnulli de rescript. num.* 48. & ibidem quamplures referens Felin. *num.* 12. *vers. Fallit.* 4. Jo. Andr. *cap. un. infra de excess. Præl.* & alii DD. commoniter. Nihilominus ego puto considerandum, quod hujusmodi elausula non juvabit, si id, quod conceditur iu rescripto, & in eo exprimitur non sit contra jus; quia ubi rescriptum possit conciliari cum jure, non derogat juri. Hoc igitur requiritur, quod rescriptum expressè sit contra jus. Quo supposito si in rescripto sit etiam claosula *ex certa scientia*, non est aliqoo modo dubitandum, an Papa scienter rescribat. Neque licet dubitare de eo, quod Princeps asseruit se facere ex certa scientia, Gabr. *commun. lib.* 6. *tit. de claus. concl.* 1. *num.* 28. *&* 29. Tusc. *lit. C. concl.* 340. *n.* 24. Barbos. *claus.* 59. *num.* 10.

211 Evidentius autem constabit de Papæ scientia, si ipse non nisi ioformatus de negotio rescribat; *cap. Pastoralis* §. *Præterea, supra de rescript.* Oldrad. *cons.* 330. *num.* 6. Tuschus *l. C. concl.* 341. *num.* 1. *&* 9. ubi *num.* 10. quod hoc maximè verificatur, quando Pontifex agit ex intervallo, qoia magis operatur validitatem, & certam scientiam. Et *num.* 11. ait sufficere, quod faciat mentiooem de processu, appellatione, & meritis. Et *num.* 12. idem esse dicendum, quando Princeps fuit certificatus iu omnibus, vel quando inter partes contradicentes rescripsit ex certa scientia.

212 Omninò verò evidens erit rescriptum, sive privilegium emanasse ex certa scientia Papæ, si cùm sit contra jus, simul juxta motum proprium Pii V. supplicatio fuerit signata mauu Papæ. Et est hic motus proprius Pii Quinti considerandus semper. Ex hoc enim habemus, quod ex non appositis derogatoriis specialibus, vel etiam generalibus, ooo potest argui, & inferri præsumptio, vel suggestionis, vel occupationis, vel inconsiderationis. Quia si ex uon appositione talium clausularum posset argui defectus scientiæ, vel considerationis, posset quoque colligi necessitas illas clausulas apponendi, ut gratia, & rescriptum subsisteret. Ubi verò Papa declarat rescriptum sine talibus clausulis subsistere, noo potest ex illarum omissione præsumi aliquid invalidans rescriptum.

213 Pariter si rescriptum contra jus proveniat non ad partis instantiam, sed Papæ motu proprio, non poterit dubitari, quio contrarietas rescripti ad jus sit Papæ nota. Nam clausula *motu proprio* habet vim clausulæ *ex certa scientia* secundum Cravet. *cons.* 241. *num.* 20. Martam *part.* 1. *claus.* 72. *aliàs* 73. *num.* 7. Monet. *de commut. ultim. volunt. cap.* 7. *num.* 78. & Panorm. *in cap. Ad hæc de Rescript.* quem sequitur Donat. *part.* 1. *tract.* 9. *num.* 11. Et hæ duæ clausulæ geminatæ sunt efficaciores Barbos. *claus.* 79. *num.* 14. Imò clausula *motu proprio* habet vim specialis expressionis, ut post Ang. *in l. Sed & si quis*, §. *Quæstum ff. si quis caution.* & Dec. *in l. Certum ff. si certum petat.* & Gabriel *lib.* 6. *tit. de claus. concl.* 2. tenent Moneta *d. cap.* 7. *num.* 93. & Barbosa *d. claus.* 79. *num.* 15. Et ubi rescriptum, seu privilegium sit datum *motu proprio* non potest contra illud excipi de vitio subreptionis, *cap. Si motu proprio, de præb. in hoc* 6. *Clem. Si Romanus, de Præben.* Suarez *l.* 8. *de legib. cap.* 12. *n.* 1. Sanchez *l.* 8. *de matrim. disput.* 21. *num.* 47. Rota *in Avellina unionis* 15. *Decemb.* 1595. coram Giptio. Et ampliùs ubi rescriptum, seu privilegium procedat *motu proprio*, oon potest impugnari tanquam obrentum per occupationem, aut importunitatem, Gomez *ad reg. Cancell. de annal.* q. 10. *num.* 3. Gabr. *d. tit. de claus. conclus.* 2. *num.* 82. Monet. *d. cap.* 7. *num.* 98. quos sequitur Barbos. *d. claus.* 79. *num.* 33. Et tamen advertendum, quod hæc clausula operatur in præsenti supposita vera contrarietate rescripti ad legem. Hac enim supposita cessant, quæ contra vim hujus clausolæ tradunt Panorm. *ad d. cap. Nonnulli, num.* 9. & Felin. ibid. *num.* 12. *vers. Fallit* 3. & alii ibid. citati dicentes, quod hæc clausula uon tollat obstaculum juris communis. Quidqnid enim sit de hoc, constat, quod hæc clausula tollit præsumptionem ignorantiæ, & inconsiderationis in Principe, quæ provenire possit ex suggestione, aut importunitate, aut uegotiorum multitudine, ut fatetur ibidem Felin. & est certum ex dictis; ideò ubi verè rescriptum juri contrarium est datum *motu*

pro-

proprio, non est unde dicatur non derogare juri ex defectu intentionis proveniente ex ignorantia contrarietatis rescripti ad legem. Idem dicendum si in rescripto, quod est contra jus sit clausula *de plenitudine potestatis*, per quam manifestè apparet, quod Papa vult disponere supra jus, & ideò æquipollet clausulæ *ex certa scientia*, & clausulæ *Non obstante, &c.* Panorm. *cap. Ad hæc de Rescrip.* Felin. *cap. Nonnulli. num.* 13. *vers. Fallit quinto*. Et videri possunt de his Barbos. *clausula* 19. Donat. *tract.* 9. *claus.* 4. Fagnan. *cap. Ceterum n.* 24. *de rescriptis*.

214 Nec interest in his distinguere, an rescriptum tendat contra præjudicium tertii, aut contra bonum publicum, aut potius in nullius præjudicium. Quod considerat Crotus *num.* 60. negans certam scientiam sufficere, ubi rescriptum tendat in præjudicium tertii, vel contra bonum publicum. Ex eo, quia tunc duo sunt impedimenta, scilicet mutatio legis, & præjudicium tertii, vel boni communis. Nam hæc punctum difficultatis non attingunt. Valent enim illa ad videndum, an novum rescriptum sit justum, vel non justum, & posset esse, quod ex capite injustitiæ rescriptum ob illas causas esset nullum, sed ubi jam de facto Princeps rescripsit, & ex certa scientia, & rescriptum est juri contrarium, si rescriptum est justum, ut supponitur, rescriptum tenet, nec potest contra illud excipi de defectu voluntatis Principis ex inconsideratione proveniente, quia rescriptum est ex certa Principis scientia. Pariter eadem ratione excluditur alia limitatio ejusdem Croti *num.* 57. dicentis solam clausulam *ex certa scientia* non sufficere, si non est expressus in rescripto tenor facti. Quod voluit etiam Gomez *numer.* 199. Sed hæc & omnia similia excluduntur, quia nec potest præsumi ignorantia in Principe expressè dicente, se disponere ex certa scientia, & supposita scientia non potest in Principe præsumi defectus voluntatis ex inconsideratione proveniens. Ponderat tamen Gomez *d. nu.* 199. An clausula *motu proprio*, si sit apposita ad instantiam supplicantis, vel ex immediata voluntate Principis, & sentit, quod si clausula illa sit procurata, perdat virtutem suam. Sed ego nunquam credam, quod Pontifices in suis literis utantur verbis mendaciter, & dolosè, & non significantibus ex intentione illorum, quod ex communi usu significant. Et ideò, quod clausula *motu proprio*, etiam impetrata suam vim habeat, tradit Barb. *claus.* 79. & apud eum plures.

215 Sed ex Pontificum praxi principalis assertio probatur, nimirum quod rescriptum Papæ, quod manifestè est contra jus, & quod etiam est privilegium, nulla facta mentione legis, eidem deroget. Nam antiquitus innumera privilegia concessa fuerunt à summis Pontificibus per eorum literas, nullas prorsus obstantias, seu clausulas derogatorias continentes, ut videre est in Bullario Cassinen. & Ordinis Prædicatorum, & Romano Cherubini, & aliorum Ordinum. Ut v. g. in Privilegiis Theodori Papæ pro Monasterio Bobien. 4. Maji 643. Zachar. Papæ pro Monasterio Cassinen. 18. Febr. 741. Greg. IV. pro Monasterio S. Petri de Perusio. 7. Maji 835. Urbani II. pro Monasterio Caven. 14. Januarii, & 14. Septemb. 1092. Callisti II. pro Monasterio Cassinen. 16. Septemb. 1123. Alex. III. pro Monasterio Caven. 30. Januarii 1168. & ejusdem pro Monasterio S. Mariæ de Florentia 29. April. 1176. Urbani III. pro Monasterio S. Petri Mutinæ. 26. April. 1186. Innocentii III. pro Monasterio S. Laurentii de Aversa. 15. Julii. 1202. Ejusdem pro Monasterio S. Pauli Romæ. 13. Junii 1203. & pro Monast. Cassinen. 1208. Ab Honorio autem Tertio usque ad Benedictum XII. nunquam lego in privilegiis Bullar. Cassinen. clausulam *Non obstantibus, &c.* Reperitur verò in Bulla Benedicti XII. 4. Julii 1335. in qua prohibet Mendicantibus transire ad Monachos nigros, & Cistercien. sed illa clausula non respicit leges, sed privilegia Mendicantium: *Non obstantibus*, inquit, *privilegiis*. Clausulam verò *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis* in eo Bullario non lego, nisi primò in constut. 46. Bonif. IX. 25. Septembr. 1403. Et advertendum valde, quod ex recensitis privilegiis multa fuere subscripta à Cardinalibus, nimirum Urbani II. pro Caven. & Innoc. III. pro Cassinen. ut evidentiùs appareat illa non fuisse per occupationem impetrata.

216 In Bullario verò Ord. Prædicat. ab Honorio III. usque ad Innocentium IV. non invenio derogatum Constitutionibus Apostolicis, cùm tot ac tanta privilegia contra jus commune concessa fuerint huic Ordini, qui in suo ipso ortu in literis Honorii III. dat. 11. Kal. Januar. ann. 1216. per quas ille fuit confirmatus, fuit simul exemptus, & sub immediata jurisdictione Sedis Apostolicæ constitutus, & Bullæ confirmationis subscripti sunt Cardinales. Innoc. autem IV. in Bulla *Nimis iniqua*, data 15. Kal. Octobris Ponrif. tertio in qua præcipit Prælatis ne gravent Fratres dicti Ord. adest clausula *Non obstante constitut.* de duabus diætis edita in Concilio Generali, &c. Et nihilominus alterius Constit. Apostolicæ non meminit. Postea Alexand. IV. cùm ad favorem dicti Ordinis plures literas dederit, in aliquibus illarum invenio clausulam *Non obstantib.* per quam derogat privilegiis, & constitutioni de duabus diætis editæ in Concilio Generali. Urbanos quoque IV. in Constit. *licet ex omnibus* data ad favorem inquisitorum. 13. Kal. Aprilis Pontificatus sui tertio, & quæ in Bullario Romano est secunda, derogat privilegiis in contrarium, & constitutioni editæ de duabus diætis in Concilio Generali. Sed aliarum constitutionum, seu legum non meminit. Deinde verò Clemens Quartus, Martinus Quartus, Honorius Quartus, Nicolaus Quartus, Bonifacius Octavus in privilegiis dicti Ord. concessis clausula *Non obstantibus Constitutionibus*, usi non sunt. Primus igitur Benedictus XI. in constit. *Inter cunctas*. quæ etiam habetur inter extravag. communes, sub titulo de privilegiis usus est clausula comprehendente constitutiones Apostolicas, sub hac forma. *Hac autem dicta constitutione, quæ incipit super cathedram, quam penitus revocamus, aliisque quibuscumque constitutionibus, &c. nequaquam obstantibus*. Ab hoc verò tempore in privilegiis dicti Ordinis clausula *non obstantibus constitutionibus Apostolicis* Pontifices aliquando usi fuerunt, & aliquando non. Pluries usus fuit Jo. XXII. Nec illa verò neque alia usus fuit Gregorius Undecimus, in privilegio amplissimo, & Bulla *Virtute conspicuos*, confirmata à Sixto Quarto in Mari magno. Bonifacius verò Nonus aliquando nulla clausula hujusmodi usus fuit.

Sed & in Bullar. Rom. invenio, quod Innoc. Quartus in Bulla 14. derogavit privilegiis in contrarium. Et consimili usus est Alex. IV. in Bulla 17. & 18. ad favorem Inquisitorum. Et Urbanus Quartus pariter ad favorem Inquis. in Bulla secunda, ut dictum est supra, derogavit privilegiis, & insuper constitutioni de duabus diætis. Et Clemens Quartus in Bulla 4. *virtute conspicuos*, in qua plura continentur privilegia concessa Ordini Minorum, solùm derogat in specie const. Innoc. Quarti, qui exemptos subjecerat Episcopo ratione delicti, aut contractus, aut rei. de qua agitur, ut in *cap. Venientes, infra de privileg.* Idem in Bull. 7. ad favorem Minorum derogat consuetudinibus locorum, & privilegiis in contrarium. Et in Bulla 8. ad favorem Inquisitorum derogat privilegiis. Et Greg. X. in Bull. 1. jurisdictionis Concil. Lugden. derogat privilegiis. Nicolaus Quartus ad favorem Ord. B. Mariæ de Mercede, in Bulla 6. derogavit privilegiis. Bonif. Octavus in Bull. 2. ad favorem Eremitarum, derogavit privilegiis. Idem verò Bonif. Octavus in constitut. 9. institutionis studii generalis in Alma Urbe usus est clausula derogatoria comprehendente constitutiones Apostolicas, *Non obstantibus supradictis, seu de duabus diætis, &c. & quibuscumque aliis Constitutionibus contrariis*. &c. Qua clausula usus est posteà Jo. XXII. in Bulla 3. qua damnavit Bizzocharum, &c. qua clausula non lego in eodem Bullario, quod usi sint sequentes Pontifices usque ad Gregor. XII. in Bulla 3. Et successivè Martinus Quintus in Bulla 1. damnationis errorum Jo. Vicheph, & Jo. Hus, & nihilominus licet postea praxis introducta fuerit universaliter derogandi constitutionibus Apostolicis, Urbanus Octavus, aliquando hanc praxim servare noluit, sed in Bulla *Cum sicut* 3. in Appendice Bullarii, aliàs 54. concedens multas gratias Ord. Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & inter alias celebrandi in loco honesto in altari portatili in partibus Africæ, & audiendi confessiones, & absolvendi etiam à censuris Bullæ Cœnæ, solam adhibuit clausulam derogatoriam generalissimam. *Quibuscumque, &c.* 217

Praxis igitur ista non derogandi Constitutionibus Apostolicis expressè per clausulam aliquam derogatoriam per tot Pontifices semper servata, & nunquam ante Bonifacium Octavum interrupta plusquam evidenter ostendit nulla opus esse clausula derogatoria, dum Pontifex rescribit contra jus. Et quod si modò curiæ praxis est, ut regulariter in literis privilegiorum adhibeatur clau- 218

sula, *Non obstantibus Constitut. Apostolicis*, hoc fit per accidens, & ad benè esse, ad tollendas Canonistarum cavillationes, & contentiones. Nam & usus hujusmodi clausulæ non habuit initium, nisi post reductas decretales in unum corpus juris, & post ortas super hoc puncto Doctorum Canonistarum varias opiniones.

219 Sed quid dicendum, ubi constitutio ipsa habet derogatorias ad futuras leges, & rescripta, aut privilegia. Felin. *ad cap. Nonnulli num.* 2. tradit regulam generalem negativam, nimirum quod ubi lex habet derogatoriam ad futuras dispositiones, rescriptum contra legem non valet, nisi faciat mentionem de illa lege, vel specialiter, vel æquivalenter, & id probat per text. *in cap. Eam te, sup. de aetat. & qual. & cap. fin. inf. de rescript. & l.* 1. *C. si nuptiæ ex rescript. pet. & ex cap. penul. sup. de capell. Monach. & cap. penult. inf. de except. Prælat.* Ubi Jo. Andr. Domin. & Panorm. *ad cap. Nonnulli num.* 9. *de rescript.* Castren. *cons.* 33. *in princ.* Domin. *capit. Quoniam* 28. *dist.* Anchar. *cons.* 255. Salicet. *in leg. hac consultissima*, §. *penult. & l. Sancimus, C. de testam.* Rota *decis.* 1142. *num.* 5. coram Penna, Fagnan. *cap. Nonnulli n.* 33. *de rescript.* Suarez *l.* 8. *de leg. cap.* 14.

220 Ampliat verò hanc regulam primò, ut non sufficiat mentio talis legis per clausulam generalem, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, sed sit necessaria specialis mentio, saltem æquivalenter, & etiam si contra legem rescribatur per viam privilegii, aut cum clausula *ex certa scientia*. Panorm. ubi supra *num.* 10. Probus hic *numer.* 3. & etiam si Papa, quæ rescribit contra legem, est successor ejus, qui legem condidit, ut patet per Butr. *cap.* 1. *de rescript.* Imolam *ad d. cap. Nonnulli*, Domin. hic.

221 Probari verò potest ratione, quia non est verisimile, quod Pontifex si habuisset memoriam illius legis requirentis specialem mentionem, ut illi derogetur, illi non derogasset expresse, & illius mentionem non fecisset, cùm lex hoc requirat, cui Pontifex saltem ex decentia tenetur se conformare. Dum secundò, quia stylus Curiæ est talis, unde cùm constitutio de duabus dictis habeat derogationem ad futuras dispositiones, ut patet ex *capit. Nonnulli, de rescript.* Pontifices ab antiquo consueverunt illi derogare, ut manifestum est etiam ex recensitis supra *nu.* 216. Ubi ergo Pontifex rescribit contra similem legem, non potest, nisi præsumi, quod ejus memoriam ex occupatione ad alia non habuerit, & sic quod involuntarius contra eam rescripserit, quia non est voluntarium, quod est incognitum; igitur rescriptum ex defectu intentionis Pontificis est nullum.

222 Sed consideratis dictis supra *art.* 10. libenter videremus unde probetur, quod dato casu, in quo Papa per privilegium, vel etiam per rescriptum disponat id, quod manifestè est contra legem habentem derogatorias ad futura, ex hoc quod non faciat de hujusmodi lege mentionem, præsumi possit inconsideratio, quæ non sit concommitans, sed sit antecedens; & causa dispositionis novæ, & causans involuntarium. Hoc punctum non video consideratum, & tamen in hoc stat difficultatis substantia. Nam si inconsideratio sit concommitans ex doctrina communi, non infert defectum voluntatis in Principe. Utile autem erit considerare, an dispositio sit rescriptum, vel privilegium: item si disponatur ad favorem personæ particularis, vel alicujus communitatis: item si dispositio contineat favorem temporalem, vel perpetuum: sed præcipuè attendi debet, si literæ Apostolicæ sint signatæ manu Domini Papæ, vel emanaverint à signatura justitiæ. Num ubi literæ sint ex illis, quæ non expediuntur nisi signatura manus Domini Papæ, non crederem contra illas posse excipi, sed illas esse servandas, & per illas derogatum esse legi, arg. *ex d. motu proprio Pii Quinti*. Sed si sint de illis, quæ emanant absque propria signatura Sanctissimi, considerari debebit, an constet illas emanasse de curia, vel non constet, & ad summum expectari poterit secunda jussio in terminis *c. Pastoralis, de fide instrum.* Nam aliàs etiam in dubio præsumi potius debet pro valore literarum Apostolicarum, & illis est obediendum. Rota *dec.* 389. *num.* 5. *p.* 10. *recent.* Et semper reminisci debet, quod in quæstione nostra supponitur, quod contra rescriptum non possit excipi de surreptione, aut alio aliquo simili defectu.

223 Nec valet responsio Suarez *de legib. lib.* 8. *capit.* 14. *num.* 6. dicentis, quod in hoc casu sibi imputet, vel qui impetravit rescriptum, quia non satis declaravit legis resistentiam, vel qui rescripsit, quia non satis voluntatem suā declaravit. Utrumque enim horum caret juris fundamento. Primum quidem quia impetranti rescriptum sufficit, quod fideliter narret factum tale, & sub illis circumstantiis, sub quibus est contrarium legi, sed ad illum non pertinet allegare legem, cui factum contrariatur, quia præsumitur, quod Papa illam sciat. Ideò coram Papa non est necesse allegare jus commune, ut probat Probus hic *nu.* 4. Nec est opus probare hoc jus, ut advertit Anchar. *nu.* 7. Ideo ubi qui impetravit rescriptum, narravit factum tale, quod juri contrariatur, quod rescriptum detur inutiliter, est ex culpa rescribentis. Hæc verò non debet præsumi in Papa, si potest evitari; ideò non potest de illo dici, quod sibi imputet, si non declaravit suam voluntatem, quia potius debemus dicere, quod illam habuit sufficienter declaratam, ex quo rescripsit manifestè contra legem, cujus ignorantia in eo præsumi non debet, & aliàs nihil omisit, quod, si velit omittere, non possit salvo valore rescribi. Et aliàs indignum est præsumere, quod Pontifex scienter actum nullum voluerit facere.

Nec pariter obstat, quod ait idem Suarez *d. numer.* 6. 224
nimirum, quod lex habens derogatoriam ad futura rescripta non servata forma præscripta est lex firmius stabilita, & non revocabilis, nisi cum majori difficultate, & consideratione. Quia totum hoc non importat excessum, nisi accidentalem, & secundùm quid. Punctum est, an detur causa justa dispensandi in lege, vel ex parte relaxandi legem vel non relaxandi. Quia data causa justa non remanet gravis difficultas relaxandi, ex eo, quod de forma, vel de stylo derogandum sit legi facta ejus mentione expressa. Nec ad derogandum legi hujusmodi, ex quo habeat derogatoriam ad futura rescripta, requiritur causa simpliciter notabiliter major, quàm si non adesset derogatoria illa.

Ad jura allata in contrarium respondetur. Caput 225
enim *Nonnulli, de rescript. & cap. unic. de except. Prælator. infr. in hoc lib.* solùm probant leges ibi sancitas habere derogatoriam ad futura rescripta, non servata forma ibi sancita. Sed ut habetur ex *cap. fin. infr. de rescriptis*, & dictum est *art.* 10. prohibitio illa respectu Papæ non est, nisi insinuatio ejus, quod judicatum fuit esse utile Ecclesiæ, quod tamen nec ligat Papam, nec est tam immutabile, ut ex justa causa non possit mutari, & aliter fieri; unde si aliter fiat ex scientia Papæ, non per hoc debet dici factum esse invalidum, nisi aliunde constet Papam fuisse involuntarium, & ex ignorantia operatum fuisse.

Cap. verò *Eam te de ætat. & qualitate*. Non loqui- 226
tur de lege habente ab initio derogatoriam ad futura rescripta, sed absolutè in eo statuitur, quod non dentur beneficia non habentibus requisita Concil. Lateranen. sub Alex. Tertio, etiam in virtute literarum Apostolicarum, ideò textus ille intelligi debet de literis Apostolicis, quæ non sint manifestè, & indubitatè contrariæ legibus dicti Concilii, vel quæ ex aliqua causa judicari possint subreptitiæ. Nam aliàs si Papa expressè concessisset alicui, ut posset ordinari ante statutam ab illo Concilio ætatem, posset ordinari. Sicut de facto nunc ad hoc, ut quis possit ordinari ante ætatem statutam à Concilio, sufficit, quod Pontifex expressè id concedat, licèt nullam faciat mentionem dicti Concilii.

Caput verò *Ex parte*, in quo est sermo directè de le- 227
ge conciliari, explicabitur *cap. sequenti*, ubi ex eodem capite probabitur oppositum illius, quod intendit, arguens.

Quantum ad jus civile plures adducuntur leges, quas 228
recenset Felin. *cap. Nonnulli numer.* 12. Prima habetur *in cap. Rescripta* 25. *quæst.* 2. & est lex Theodosii, & Valentiniani Imperat. *l. Rescripta. C. de prec. imp. off.* Respondet Felin. ibi sermonem esse de rescripto, non de privilegio. Sed Archid. & Turrecrem. textum illum intelligunt de privilegio. At respondetur, quod illa lex facit pro nostris assertionibus. Non enim ibi absolutè prohibetur non recipi rescripta, quæ sint contra jus, sed solùm præcipitur refutari rescripta, quæ alii sint nociva, unde admittit recipi, quæ nulli nocent, & prosunt impetranti. Non ergo ideò rescriptum rejici debet, quia sit contra legem, sed quia sit contra jus tertii. Et de hoc etiam loquendo id verum est, vel quando Princeps non potest præjudicare tertio, vel

ex

ex rescripto non est manifestum, quod voluerit præjudicare.

229 Secunda lex adducitur, quæ est ultima *c. Si contra jus, vel utilitatem publicam*, ubi statuitur, quod nullus judex admittat vel rescriptum, vel pragmaticam sanctionem, vel sacram adnotationem, quæ sit contra jus generale, vel publicam utilitatem. Sed certè negari non potest, quod privilegium justum non sit validum, & observandum, & admittendum, licèt sit contra jus generale; sed hoc est contra publicam utilitatem; quinimò publica utilitas vult ut ex causis rationabilibus personæ aliquæ, sicut meritis, aut necessitatibus distinguntur à communi populo; ita pro illis communes leges relaxentur. Loquitur igitur textus de rescripto, vel sanctione notoriè iniqua, quia hæc sola notoriè est contra publicam utilitatem. Quamvis contingere etiam possit, quod rescriptum aliàs justum, per accidens in hoc loco adversetur communi utilitati. In quo casu judicis de partibus est admonere Principem, & expectare secundam jussionem, nedum si sit certus, sed si rationabiliter timeat ex rescripto damnum universitatis.

230 Objici etiam potest, quod Princeps rescribendo contra jus utitur plenitudine potestatis, *cap. Proposuit, de concess. Prabend.* At verò in dubio Princeps non præsumitur uti plenitudine potestatis; Innoc. *cap. Innotuit, de elect.* In dubio igitur non valet rescriptum. Sed ex Bald. respondet Felin. Principem ex eo, quod concedit privilegium, quod est contra jus, satis ostendere, quod vult uti plenitudine potestatis.

231 Objicit etiam Felin. *d. num.* 12. ex eo, quod non valet privilegium, ut nulla præscriptio currat contra privilegiatum, nisi habeat clausulam *Non obstante*, ut dicunt Cyn. *in Auth. quas actiones C. de sacrosan. Eccl.* & ibi Bald. Et sic dari potest privilegium irritum, nisi muniatur clausula *non obstante*.. Respondet verò Felin. quod hujus ratio est, quia præscriptio sit bonum publicum, omne autem rescriptum, seu privilegiunm habet in ventre derogatoriam à jure communi, & ideò requiritur clausula. Sed respondetur nullum esse inconveniens, quod contra tale bonum publicum detur privilegium propter idem bonum publicum. Nam & omne privilegium, cùm sit contra jus, est contra tale bonum publicum. Ideò quod non possit præscribi contra aliquem, vel non est concedibile per privilegium; vel si est concedibile, non magis ad illud est necessaria derogatio juris communis, quàm ad alia privilegia.

232 Argumenta verò posita in principio ex dictis manifestam solutionem habent; An verò sufficiat clausula generalis, *non obstantibus Constitut. Apostolicis, &c.* Respondetur, quod cùm non sit necessaria aliqua clausula derogatoria, multò magis sufficit quælibet clausula, etiam communissima, *Non obstantibus in contrarium quibuscumque*. Ex hoc enim satis Pontifex demonstrat se velle rescriptum habere effectum, non obstante contrario quocumque. Si tamen forma statuta à lege obligaret, non sufficeret, nisi clausula, quæ illi formæ æquivaleret. Anch. *num.* 2. Panorm. *cap. Nonnulli num.* 10.

SUMMARIUM.

233 *Opinio affirmans.*
234 *Opinio negans.*
235 *Cap. Nonnulli 28. de rescript. continet legem non purè conciliarem, sed habentem derogatoriam ad futuras dispositiones.*
236 *Cùm legi conciliari de duabus dietis non possit derogari, nisi facta mentione ejus, quia id expressè cavetur, ex hoc patet, quod aliis legibus derogari potest.*
237 *Cap. Eam te de atat. & qual. continet novam legem.*
Verbum inhibemus *significat preceptum.*
238 *Textus ille intelligendus de literis non expressè contrariis.*
Et in omni casu retorquetur contra arguentem.
239 *Textus cap. Ex parte, de capell. Monac. conditionaliter disponit, & ex eo probatur derogari Concilio nulla ejus facta mentione.*
240 *Intell. cap. fin. de capell. Monach.*
241 *Ratio pro opinione præfata negante.*
242 *In legibus Concilii nullus inferior Papa dispensat. Passer. in Lib. I. Sexti Decret.*
In legibus Papa nullus inferior dispensat.
243 *Concil. Trident. derogatur non facta ejus mentione.*
244.
245 *Quodlibet Concilium patenter vult salvam esse Papa authoritatem.*
246 *Motus Pii Quinti declarat jus antiquum, non verò continet novum jus, & sic juris antiqui est, quod rescriptum signatum manu Papa deroget concilio non facta ejus mentione.*
Talis est natura legis conciliaris, ut ei ex causa justa derogetur per Papam, etiam non facta mentione ejus.
247 *Papa in derogando Concilio Trid. propria utitur facultate, non verò sibi tributa.*
248 *Nonnisi ex duplici capite potest imaginari, quod legi conciliari non derogetur.*
249 *Constitutio conciliaris est Apostolica, & Papalis.*
Concilium cui non praeest Papa est conciliabulum.
250 *Constit. conciliares non habent vim, nisi sint confirmata à Papa.*
Conciliorum praxis est petere confirmationem à Papa.
Conciliares leges dici debent Apostolica, & Papales.
251 *Episcopi in Concilio sunt judices.*
Jurisdictionem habent à Pontifice.
252 *Petrus est caput per quem in alios jurisdictio demanavit.*
253 *Papa est supra Concilium.*
254 *Petro dictum fuit: Tibi dabo claves, &c.*
255 *Et pasce oves meas.*
256 *Summa Papa auctoritas in Concilio.*
Non tenetur stare determinationi Episcoporum.
Leges Concilii indigent confirmari à Papa.
257 *Intantum sunt leges, inquantum sunt Pontificia.*
Papa non legatur legibus Conciliorum.
258 *Tota plenitudo potestatis residet in Pontifice.*
Conciliaris lex major extensivè.
259 *Constitutiones edita in Conciliis plerumque tribuuntur Papa.*
260 *Ad derogandum Concil. Trid. non est necessaria clausula derogatoria.*
Verba accipienda in propria significatione.
261 *Indefinita æquipollet universali.*
Clausula non obstantibus *tollit contraria.*
262 *Non probatur conciliarem legem habere derogatoriam ad futura.*
262 *Ubi in Papa non præsumitur ignorantia ejus dispositio derogat priori contraria.*
264 *Ex praxi Pontificum probatur derogatoriam specificam ad concilia non esse necessariam.*
Ex decreto Concil. Chalcedonen. Monachi subjecti Episc.
265 *Monachi exempti à S. Gregorio Papa.*
266 *Et ab aliis Pontificibus.*
267 *Et Fratres Ord. Pred.*
268 *Alii exempti, non facta mentione alicujus Concilii.*
269 *Decimæ solvendæ ex decreto Concil. Lateranen.*
270 *Exemptio à decimis pro Ord. Prædic.*
271 *Et aliis Ordinibus.*
272 *Et Militibus, &c.*
273 *Pontifices omiserunt mentionem facere de Concilio Lateranen. quia id non fuit necessarium.*
274 *Non potest in Pontificibus præsumi ignorantia, aut inconsideratio.*
275 *Ubi derogatoria sunt necessaria etiam antiqui eis usi sunt.*
276 *Etiam post introductas derogatorias Pontifices non semper eis usi sunt.*
Exemptio à quarta legatorum concessa sine derogatoria.
277 *Praxis Pontificum ostendit derogatorias non esse necessarias ad derogandum concilio.*
278 *Quando cœpit usus derogandi constitutionibus Apostolicis.*
279 *Causa hujus fuerunt controversia Juristarum.*
280 *Quando cœptum derogari Conciliis.*
281 *Causa hujus eadem scilicet, ad tollendas controversias Canonistarum.*

282 *Hic usus non fuit continuus.*
283 *Dari possunt leges latæ extra Concilium magis immutabiles.*
284 *Leges conciliares ad alias se habent, ut excedentes, & excessa.*
285 *Practica Rotæ non omninò aliena à prima sententia.*
286 *Concordatur sententia Rotæ cum prima sententia.*
287 *Per clausulam*, quibus omnibus, *derogatur Concilio.*
288 *Etiam si lex conciliaris habeat expressam derogatoriam.*
289 *Etiam si nec in genere fiat mentio concilii.*
290 *Imò sufficit generalissima clausula* Quibuscumque,&c. *cum clausula* etiam si, &c.

Quæst. un.

ARTICULUS XIII.

Utrùm rescriptum, vel privilegium Pontificis manifestè contrarium legi conciliari illi deroget nulla ejus facta mentione.

233 SEntentia negans necessariam esse specialem, & expressam mentionem legis conciliaris, ad hoc, ut ei derogetur, paucioribus quidem, sed validis patronis est fulta. Eam tenet Innocen. *Cap. ex parte de capell. Monach.* & Hostiens. ibidem Jo. Monachus hic *nu. 2. in fine*, Burtius *num. 55.* Azor. *part. 2. lib. 5. cap. 14. q. 6.* Cenedus *in collect. 123. ad cap. Nonnulli de rescript.* quem refert Garz. *loco infra cit. num. 28.* ubi refert etiam Alciat. *in Paradox. lib. 6. cap. 10.* & Domin. Sahagun. dicentes constitutionem conciliarem à Pontificia nihil deferre, idem sentit Basilius *lib. 8. de matr. cap. 19.* quem sequitur Martinez de Prado *in quæst. moral. cap. 5. quæst. 4. num. 28.* Samoel. *de elect. tract. 1. disput. 5. controv. 11. n. 11.* Felin. quoque *ad cap. Nonnulli de rescript. nu. 3. ver. Sed non videtur verum*, ait, quod opinio Innocentii fortè est verior, quàm esse valdè probabilem in puncto juris docet Garzia *de beneficiis p. 4. cap. 5. numer. 29.* Portell. *v. Tridentinum Concilium nu. 19. in addit.* Suarez quoque *l. 8. de legibus cap. 19. nu. 5.* inquit, quod communis illa regula Canonistarum, quòd Concilio generali non derogatur, nisi per expressam mentionem, naturaliter est incerta, & in privilegio contrarium tradit Felin. *d. cap. Nonnulli, regul. p. nu. 2. & 3.* & infra *n. 11. in 2. fallen.* Sed eandem sententiam in substantia tenent omnes illi, qui docent, quod per clausulam generalem, *Non obstant. constit.* amplissimè derogatur Concilio generali, quando concessio ex motu proprio, & ex narratis apparet de certa scientia Papæ, quod sentiunt Garz. *p. 4. de beneficiis, cap. 5. numer. 45.* ex Mandos. *de signat. gratiæ tit. de provision. ver. derogatio*, Rota *dec. 494. nu. 2.* coram Rubeo, & ex alia Rota *in Cracovien. quartæ funeralis 25. Maji* 1646. *coram Pentingerio*. Rota *in Romana jurium funeralium 4. Julii* 1653. coram Zarate, & ex Paris. *l. 6. q. 2. n. 88.* Barbos. *clausula 83. nu. 34. & l. 3. de jure Ecclef. cap. 24. n. 8. & de off. Parochi cap. 25. n. 8.* & apud eum Petrus de Ubaldis. In eadem quoque sententia conveniunt asserentes, quod ubi Pontifex in specie dispensat in aliquo casu contra generale Conciliũ, ad illi derogandum sufficit clausula generalis, quia in eo casu generalis derogatio censetur specifica. Quod voluerunt Donatus *in prax. part. 1. tr. 14. q. 3. n. 3.* & apud eum Loazes *de matr. Regis Angliæ dub. 16. num. un.* Jason *in l. 2. ff. de liber.* & Sanchez *de matrim. l. 8. disp. 35. num. 17.* sed pro hac sententia etiam allegari possunt illi, qui absolutè nulla facta distinctione asserunt per novas dispositiones contrarias derogari legi non facta ejus mentione, ut fuit Silvest. *ver. lex n. 26.*

234 Verùm contraria sententia affirmans necesse esse, ut fiat expressa mentio legis conciliaris, ad hoc, ut per privilegium ei derogetur, communior est. Eam verò primus introduxit Archidiac. hic *numer. 2.* quod ex eodem retulit Jo. Andreas *cap. un. infr. de excessibus Prælatorum*, etiam ampliando, ut advertit Felin. *ad c. Nonnulli, nu. 2. de rescript.* Quid tamen ibi senserit Jo. Andreas, quem sequuntur Dom. & Franc. non de facili cognoscitur, quia relatis septem opinionibus, ubi ex propria sententia loquitur, nullam facit mentionem legum conciliarium. Pro hac tamen sententia affirmante leges conciliares habere in ventre derogatorias ad futura rescripta, & privilegia, Felin. ubi supra refert Bald. *in l. Humanum 2. not. C. de legibus*, Ludovicum Romanum *in l. Si vera, &c. de jure in 23. fallen. ff. soluto matrimonio*, & Joann. de Anan. *capit. cum Diœcesi, de usuris*, Oldrad. *cons. 326. & 428.* Ludovic. Rom. *cons. 426. in 4. colum.* Vitalem *in lib. de clans. folio quinto*, & Benedictum Capra *cons. 157.* Eamdem sententiam amplexi fuerunt Navarr. *cap. 27. num. 265.* Jacobatius *l. 5. de concil. art. 18.* Covar. *decret. 2. par. cap. 8. §. 9. num. 6.* dicens totum mundum hoc amplecti. Mandos. *reg. 19. Cancell. quæst. 17. num. 12.* Corduba *lib. 4. quæst. 9. §. 3.* & quamplures alii DD. quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput. 26. numer. 7.* Barbos. *claus. 83. n. 31. & de officio Episcopi alleg. 33. num. 24. & ad cap. Ex parte de capell. Monach. num. 3.* Pasqualig. *quæst. 506. num. 8.* Donat. *1. par. tract. 9. claus. 7. num. 16.* Bordon. *controv. 49. num. 132.* Cùm verò huic sententiæ adhæserit Rota in Tullen. Monasterii coram Binarino anno 1571. & in *Ulyssiponen. decimarum* coram Robusterio 24. Novemb. 1572. *decis. 122. par. 1. divers.* & latios *dec. 123.* sæpissimè juxta illam jus dixit, ut videri potest *in decis. 176. par. 1.* coram Verali. & *in causa Oriolen. decimarum*, coram Orano, *& dec. 279. num. 6.* coram Coccino, *& dec. 214. num. 2. part. 2. & decis. 40. num. 1. & 3. & decis. 614. nu. 5. tom. 3. p. 4. & decis. 42. num. 50. p. 7. & dec. 302. nu. 12. & 13. p. 9. rec. Et in Hispalen. decimarum*, coram Bichio 25. *Junii* 1649. in qua plures aliæ decisiones Rotæ referuntur, *& dec. 3. n. 12. de rescriptis*, coram Cæsar de Graff. *& dec. 7. de locato*, coram Mohedan. *& in Valent. decimarum 9. Decembris* 1602. coram Peña. Et novissimè *anno 1664. in Hispalen. decimarum*.

Fundatur hæc sententia in jure, & in ratione. Nam ad eam comprobandam adducuntur *cap. Nonnulli 28. de rescript. & cap. Eam te 4. de ætate & qualit. & cap. Ex parte 3. & fin. de capell. Monachor.* Sed nedum ex nullo horum textuum sententia ista concludenter probatur, verùm opposita confirmatur. Non quidem probatur, *ex cap. Nonnulli 28. de rescript.* nam hæc sunt verba dicti textus: *Statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam Diœcesim per litteras Apliostocas ad judicium trahi possit. Nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressã de hac constitutione fecerint mentionem.* Itaque primò hic textus huic sententiæ non favet. Quia non continet simplicem constitutionem conciliarem, sed specialem, nimirum munitam expressa clausula derogatoria in futurum dispositionibus contrariis non facientibus illius expressam mentionem. At verò nedum conciliaris constitutio, sed quælibet lex Pontificia habens clausulam hanc derogatoriã in futurũ talis est, ut quantum sit ex se ipsa petat fieri sui mentionem specificam, & saltem ex honestate Pontifices eam solemnitatem teneantur servare, & ex praxi servent, & ut est manifestum ex *super. artic. & ex artic. 10.* multorum sententia est dispositiones in futurum emanatas contra illam non valere, nisi facta dictæ legis specifica, & expressa mentione, saltem per æquipollens, & nihilominus *d. artic.* probatum est validè derogari etiam legi habenti derogatoriam ad futuras dispositiones, si Papa scienter disponat contrarium; licèt illius legis nullam faciat mentionem. 235

Sed, ut advertunt Jacobat. *d. art. 8.* Felin. *ad dict. cap. Nonnulli, nu. 2.* & alii retorquetur ex hoc textu argumentum contra sententiam hanc: Nam hic textus continet constitutionem latam sub Innoc. Tertio in Concil. Later. At verò si conciliaris constitutio contineret in ventre derogatoriam ad futura rescripta, & ad illi derogandum esset necessaria specialis mentio, Innoc. III. apponendo hanc clausulam uni legi conciliari, & non aliis, fuisset superfluus. Ad quid enim speciali lege exigere, ut non fiat derogatio legis contentæ in dicto Cap. nisi fiat ejus expressa mentio, si hoc est commune omni legi conciliari? Et quia superfluitas admitti non debet, valet argumentum hoc. Legi de duabus diætis latæ in Concilio Generali Lateranen. ut ei de facili non derogetur, expressè cavetur, ut rescriptum contrarium non fiat, nisi facta ejus mentione, quæ derogatoria non ponitur in aliis dicti Concilii legibus; igitur, aliis legibus non habentibus eam derogatoriam potest derogari, non facta earum mentione, quia illæ non habent derogatoriam ad futura rescripta. Nec juvat dicere cum aliquibus 236

bus *ad cap. Ex parte n.* 26. *de capell. Monach.* quod Pontifex posuit expressas derogatorias legi illius *cap. nonnulli*, non ex necessitate, sed ad melius & ad tollendas Canonistarum controversias. Tunc enim tempore Innoc. III. non erant de his controversiæ Canonistarum, non Glossæ, non repetentes, aut juris interpretes, cùm corpus juris nondum extaret. Fuit enim compilatum multo tempore post, scilicet, sub Gregorio Nono. Nec erat necessitas majoris declarationis, si natura decreti conciliaris est, ut portet in ventre derogatoriam ad futuras dispositiones. Et interim manifestissimum est hanc consequentiam nullius esse valoris, scilicet *cap. Nonnulli*, continet derogatoriam ad futuras dispositiones; ergo hanc eandem continent alia decreta conciliaria; quia imò oppofita consequentia est vera, quia de textu illo id fuit expressum, non verò de aliis. Et sic expresfsè ponere derogatorias in illa lege conciliari, & non in aliis, si semel verum esset, quod omnis lex conciliaris hujusmodi derogatorias habet, non fuisset rem declarare, sed confundere, & controversias Doctorum fovere, & augere.

237 Sed neque ex *cap. cam te*, 4. *de ætat. & qualitat.* eadem sententia probatur. Hæc enim sunt verba illius: *Arctius inhibemus, ne personas, quæ in Ecclesiis tui Episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis institutas, nec aliqua occasione, vel etiam literarum nostrarum obtentu instituí patiaris, quæ scientia, moribus, & ætate concilii non congruant institutis.* Hic textus novam dispositionem continet à conciliari distinctam, & legi conciliari ad ejus majus robur superadditam: Verbum enim *inhibemus* præceptum importat. Archid. *cap. interdixit n.* 2. *dist.* 32. Butr. *cap. Nam concupiscentiam de constit.* & ibi Panor. *n.* 5. Felin. *n.* 5. Nevo *n.* 22. Silv. *v. præceptum n.* 2 1. q. 2. Tabiena *v. lex*, q. 28. Armill. *n.* 4. Sanchez *l.* 6. *in Decal. cap.* 4. *n.* 34. Barbosa *dict.* 288. *nu.* 1. Igitur Pontifex inhibendo legem imponit, non verò legem præcedentem explicat. Duplicem autem sensum habere potest illa decretalis.

238 Cùm enim primus sensus esse possit, ut nullis omninò literis Apostolicis attentis nullum Episcopus infra ætatem 25. annorum (quæ est ætas ab illo Concilio Lateranen. sub Alex. III. determinata) promoveat ad curam animarum; hic sensus est omninò falsus, quia si Pontifex motu proprio, & ex certa scientia dispensaret expresfsè cum aliquo super lege illa conciliari; ille sine dubio instituendus esset Parochus, ut *not. gloss. v. literarum*, quia sacrilegii instar dubitare, an sit dignus, quem Princeps eligit 17. *quæst.* 5. §. *qui autem*; igitur unum de duobus dici debet, vel scilicet, ut dicamus textum loqui de literis, quæ non sunt ex certa scientia Papæ, & de quibus dubitari potest, an sint subreptitiæ, seu ut explicat Gloss. de literis, in quibus qualitas ætatis non fuit Papæ repræsentata, vel alio vitio laborantes, aut de literis, in quibus expresfsè, & manifestè non disponitur contra Concilium, licèt in aliquo sensu ad id possint extendi, non verò de literis, in quibus ex certa scientia Papa cum aliquo dispensat super ætate, dum expresfsè concedit, ut ante ætatem præscriptam promoveatur, & hunc sensum approbant Glossa *v. literarum*, & Innocent. & Hostiens. locis citatis; vel si quis dicere velit, quod Pontifex intendit, quod nullus possit ante ætatem illam promoveri ad beneficium curatum, nisi in literis Papæ fiat expressa mentio illius Concilii Lateranen. in quo sensu textum intellexerit Panorm. *nu.* 5. Felin. *ad cap. nonnulli, num.* 2. *de rescript.* nedum textus ille non probat hanc sententiam, sed contra illam retorquetur. Non probat, quia jam sumus in casu, in quo lex illa conciliaris habet expressam derogatoriam ex vi hujus textus ad rescripta in futurum; unde non valet consequentia ad legem conciliarem absolutè, vel simplicem, & non habentem expressam clausulam ad futura. Retorquetur verò, quia ad hoc, ut virtute literarum Papæ minores ætate non promoverentur ad beneficia curata contra decretum illius Concilii fuit necesse, ut Pontifex per legem specialem id inhiberet; unde infertur, quod nisi Pontifex lege speciali id inhibuisset, potuisset ætate minor virtute literarum etiam non habentium derogatorias ad curatum beneficium promoveri.

239 At neque *cap. Ex parte* 3. *de capell. Monachorum*, eandem sententiam probat; hæc sunt enim verba illius textus: *Cùm autem id obuiet Lateran. Conc. de quo nulla mentio est in literis antedictis, fraternitati tuæ breviter respondemus, quod hujusmodi literas ab Apostolica Sede non credimus emanasse, quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto*: Sed hic textus retorquetur in eandem sententiam, & probat efficaciter oppositam. Nam intantùm Honorius Tertius noluit per illas literas derogatum fuisse Concilio Generali, inquantum credidit esse falsas. In casu verò quod essent veræ, sub conditione, si forsan literæ illæ per occupationem fuissent impetratæ; igitur ubi non habet locum, vel falsitas literarum, aut earum subreptio, nec literæ per occupationem emanaverint, Honorius vult, quod observentur, & sint validæ. Quod verò ex hoc textu non colligatur, quod liceat nobis præsumere falsitatem literarum Apostolicarum, aut quod per occupationem emanaverint, ex hoc, quod in eis disponatur contra aliquod Concilium generale, non facta ejus mentione, probatum est supra *art.* 7. *numero* 143.

Caput verò ultimum *de capell. Monachor.* ad rem non facit, quia Monachi illi, qui contra statutum Concil. Lateranen. solitarii manebant in quibusdam Prioratibus, non hoc faciebant prætextu aliquarum literarum Apostolicarum, unde, neque hic est sermo de literis Apostolicis aliquibus derogantibus Conc. generali, sed Papa Monachos simpliciter inobedientes, & degentes solitarios in Prioratibus, jubet ad claustra reduci. Ex nullo igitur ex illis textibus habetur, quod Constitutiones, Privilegia, Rescripta, quæ ex certa scientia Papæ emanant contra aliquam legem conciliarem illi non derogent, si illius non faciant expressam mentionem, sed imò ex tribus illorum oppositum probatur. 240

Rationibus quoque se munit eadem communior sententia, nimirum, quoniam leges in Concilio generali sancitæ leges Ecclesiæ sunt, & quod fit multorum auctoritate, dicitur majoris roboris *cap. prudentiam in princ. de off. deleg.* & ibi Glossa. Hinc est, quod difficilius dispensatur per Papam contra constitut. Conciliorum *cap. post translat. in fine de renunc.* ideò Episcopus non dispensat contra tales constitutiones Glossa *in cap. Cùm dilectus v. ætat. de electione*, & ibi Panorm. Imò, nec legatus Papæ potest dispensare contra Concilium, *cap. Dilectus de præbend. juncto cap.* 2. *de concess. præbend.* Glossa *in Clement.* 1. *v. eligatur de elect.* quæ secundùm Panorm. *in cap. nonnulli de rescript. & in d. cap. Dilectus*, probat, quod nullus inferior Papa potest dispensare contra constitutionem Concilii. Ex his enim habetur, quod constitutio conciliaris portat in ventre derogatoriam ad futuras dispositiones, unde ei non derogatur, nisi in novo rescripto fiat ejus mentio, vel expressa, vel per æquipollens. 241

At, ut video, hæc ratio habet instantiam. Et quidem præmisso, quod nec in legibus merè Pontificiis, & Conciliaribus dispensare potest Episcopus, nisi in casibus expressis, & sibi concessis, ut probatum est suprà *art.* 4. *num.* 44. *& sequent.* quod est verum, etiam de legato Papæ, unde ex hoc non potest concludi discrimen esse inter leges Papæ in Concilio, & extra Concilium; cùm omnes pariter sint indispensabiles ab inferioribus, nisi in casibus sibi expressis, & in his dispensat etiam si leges sint Concilii Generalis, si v. g. Concilium permittat in lege dispensari, Felin. *dict. cap. Nonnulli, num.* 3. Et quod legatus non possit dispensare contra Canones, vel conciliares, vel non Conciliares, nisi in casibus, in quibus possunt Episcopi, probat Fagnan. *in cap. Dilecto n.* 9. *&* 10. *de Præbend.* 242

Instatur amplius, nam Concilium Tridentinum est Concilium generale, cui interfuerunt Sapientissimi Patres, & præstantissimi Theologi, & Jurisconsulti, & cujus decreta, non nisi cum exactissima, & summæ maturæ consideratione sancita sunt, & non sunt minus indispensabilia ab inferioribus Papæ, quàm alia decreta conciliaria, & nihilominus ad derogandum decretis Concilii Tridentini per literas Apostolicas ex signatura Papæ, & ex certa scientia, sine vitio aliquo subreptionis, aut obreptionis, &c. emanatas, nedum non est necessaria specialis mentio, aut derogatio, sed imò, neque est necessaria aliqua derogatio, sed sufficit, quod Papa disponat contrarium decretis ejusdem Concilii. Igitur, licèt constitutiones conciliares sint leges universales Ecclesiæ tot, ac tantorum Patrum ex toto Orbe authoritate sancitæ indispensabiles, nisi per Papam, & in quibus, non nisi ex causa gravi, est dispensandum, non per hoc sequitur, quod in ventre portent derogatoriam 243

toriam ad futuras dispositiones, & quod ad illis derogandum sit necessaria specifica mentio, aut per æquipollens. Aliqui pauci ex DD. hujus opinionis consequenter loquentes negant antecedens hujus enthymematis, benè videntes eamdem rationem esse de aliis Conciliis Generalibus, & de Tridentino. Hi sunt Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 7.* Fusc. *de visit. l. 2. c. 20. num. 14.* & alii pauci.

244 Sed antecedens illud omninò verum est, & non potest negari, nam probatur primò ex motu proprio Pii V. recensito supra *artic. 12.* in quo Sanctissimus Pontifex declaravit & decrevit, quod ubi supplicatio sit signata manu Domini Papæ ad derogandum Concil. Tridentino non sit necessaria, nedum specialis, sed nec generalis derogatio, & hoc idem declaravit Sacra Congregatio Concilii, prout refert idem Garz. *part. 5. cap. 8. num. 87.* quod ex eo confirmatur, quod Pontifices ubi intendunt non derogare Concilio Tridentino, id expressè excipiunt per clausulam, *Dummodo Concilio Tridentino non adversentur*. Quod esse de stylo curiæ, tradunt Quaranta *v. Concil. Trident.* & Joann. de Cruce *de statu relig. l. 2. cap. 3. dub. 5.* Sic enim Pontifices in confirmatione Privilegiorum Mendicantium post Concilium Tridentinum, ne ei derogetur, consimilem clausulam ponunt, ut videre est in confirmatione privilegiorum Minorum de observantia per Sixtum V. 3. Octobr. 1587. & per Gregorium XIII. 21. Aprilis 1571. & pro ordine S. Jo. Hierosl. per Clementem VIII. 27. Junii 1591. & pro Carthusien. per Gregorium Decimumquintum 3. Februarii 1623. & pro Ordine Prædicatorum per Clementem VIII. 5. Octobris 1604. & per Urbanum Octavum 3. idus Maji 1625. quam clausulam ideò Pontifices apponunt, quia aliter per hujusmodi confirmationes derogaretur illi Concilio, & propterea, quod ad derogandum Concil. Trid. non sit necessaria specialis mentio, sed sufficiat derogatoria generalis per clausulā, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, &c.* tenent Gonzal. *ad regul. 8. cancell. gloss. 6. num. 120.* Mart. *de clausul. par. 4. claus. 14. num. 3.* Bonac. *de Censur. disp. 2. q. 5. p. 2. num. 4.* Marescot. *var. resol. l. 2. c. 38. num. 41.* Gratian. *discept. forens. tom. 5. cap. 963.* Honor. *ad decretal. 2. de const. n. 11.* Sigismundus de Bonon. *de electione n. 5.* Garz. *de benef. p. 4. cap. 8. num. 87.* Rota *in S. Angeli pensionis 16. Decembris* 1594. coram Pamphillo *Senior.* & *in Bononien. prioratus 9. Julii* 1606. coram Manzanedo, & *dec. 179. n. 6.* & *187. nu. 24. p. 2. recent.* & *decis.* 601. coram Cavaler. & *in Ferent. pensionis 23. Januarii* 1642. coram Ortemberg. Filliuc. *tr. 56. n. 320.* quos refert, & sequitur Barbosa *ad sess. 25. cap. 21. de reformat. Concilii Tridentini, & tract. de clausulis claus. 82. n. 14.* & *de off. & potestate Episcopi alleg. 33. nu. 24.* Vecchius *in praxi dispur. 6. dub. 13.* Pasqualig. *d. q. 106. n. 9.* Bordon. *controv. 49. n. 135.* qui plures alios referunt.

245 At illo antecedente concesso DD. hujus sententiæ negant consequentiam, ex eo, quia Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 21. de reformat.* ita decreverit: *Postremo Sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, &c. in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Ideò specialiter in hoc Tridentino Concilio accidit, ut per Pontificum constitutiones ei derogetur, nulla ejusdem facta speciali mentione. Sed quantum valeat hæc responsio habetur ex *cap. Significasti 4. de electione*, ubi Paschalis Papa, ita loquitur: *Aiunt in Conciliis statutum non inveniri. Quasi Romana Ecclesiæ legem concilia ulla præscripserint. Cum omnia Concilia per Rom. Pont. authoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Rom. Pont. patenter excipiatur authoritas.* Nullum ergo in hac parte discrimen est inter Concilium Tridentinum, & alia Concilia generalia, in quorum singulorum visceribus scriptum est patenter, ut in eorum decretis, salva semper sit, & esse intelligatur Rom. Pont. authoritas, ut advertunt etiam Gloss. ibi *v. Excipiatur*, & Panorm. *in princ. & num. 3.*

246 Inde verò magis hæc ratio confirmatur, considerando, quod motus proprius Pii V. non est nova lex, sed Concilii declaratio, at verò declaratio nihil novi decernit, sed quod in lege vel implicitè, vel confusè, vel sub dubio continebatur explicat, & declarat. Esto igitur Concilium Tridentinum coadunatum fuerit ex toto Orbe, & ex sapientissimis Patribus ex omni natione constiterit, & præmissis præstantissimorum Theologorum, & juris utriusque Consultorum disputationibus, & consultationibus maturitate maxima suas leges condiderit; nihilominus hujusmodi leges tales verè erant, ut essent revocabiles, etiam non facta earum mentione, non obstante earum matura consideratione, vi, & efficacia. Igitur ex hoc per necessariam, & evidentem consequentiam deducitur talem esse conditionem legis conciliaris, quod ad ei derogandum sufficit, quod Papa per signaturam propriam contrarium disponat. Quoniam quod sufficit ad derogandum Concilio Tridentino sufficit eadem ratione ad derogandum aliis. Nam quod in Concilio fuit sancitum *in cap. 21. sess. 25.* nimirum in omnibus à se statutis, salvam semper manere auctoritatem Apostolicam, id patenter in omni Concilio contineri declaravit Paschalis Papa, & habetur *cap. Significasti 4. de elect.*

Unde prorsus absurdum est, quod ait Garz. *d. l. 4. cap. 5. n. 3.* quod scilicet Papa in derogando Concilio Tridentino potius videtur uti facultate sibi tributa, quàm aliquid facere contra Concilium; quasi verò Papa indigeat facultate Concilii, vel facultatem recipiat à Concilio, & quasi Concilium sit supra Papam. 247

Sed ex motivo Paschalis Papæ *in d. cap. Significasti*, secundo instatur contra eandem sententiam, & ejus fundamentum. Nam quod sub clausula, *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, non veniat constitutio conciliaris, seu, quod legi conciliari non derogetur non facta ejus mentione, sicut aliis legibus derogatur ex duplici cap. excogitari potest, vel quia constitutio conciliaris non sit propriè constitutio Apostolica; & ideò cùm derogatio jurium sit odiosa, & veniat strictè, & propriè interpretanda, derogatio constitutionis Apostolicæ ad conciliarem non se extendat; vel quia intentio Papæ non sit hanc derogationem se extendi ad conciliarem legem, ob ejus dignitatem, nisi id exprimat. 248

Primum verò dici non potest; quia Conciliaris Constitutio propriissimè Apostolica dicitur, imò & Papalis, imò formaliter non est, nisi Papalis, cùm vim non habeat, nisi ex illo jure, & potestate, quam Deus Apostolo Petro dedit, & in solis Petri successoribus invenitur; Nam Concilium quodlibet, cui non præsit Papa, vel per seipsum, vel per suos legatos, nec habet vel minimam authoritatem condendi leges pro Ecclesia universali, nec est Concilium, sed Concillabulum, & Satanæ Synagoga, ut benè decernitur à Concil. Lateranen. ult. sub Leone X. *sess. 12.* ubi in Bulla abrogationis pragmaticæ Sanctionis, idem Leo loquendo de quibusdam actis in Concilio Basilien. (quod etiam Pontifex vocat conciliabulum, & conventiculam) ita decernit: *Quæ præsertim post hujusmodi translationem concilium amplius appellari non merebatur, fasta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint. Cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex sacra Scripturæ testimonio, &c.* Unde est, quod statuta cujuscumque Concilii, cui nullo modo potest Papa, nullius sunt valoris, & virtutis. 249

Constitutiones verò editæ in Conciliis, quibus præsunt legati Papæ, vim totam Ecclesiam obligandi non habent, donec à Papa fuerint confirmatæ, & factæ constitutiones Papales, ut benè tradunt Turrecrem. *l. 2. summ. cap. 71.* & *in cap. 5. Romana dist. 15. art. 1.* Cajet. *opus. tom. 1. tract. 1. de comp. Papæ, & Concilii* Gravin. *tom. 4. part. 2. d. 1. art. 5.* Bellarm. *l. 2. Concil. cap. 14.* Navarr. *l. 1. consil. 1. de constitut. num. 4.* Suar. *de legibus l. 4. cap. 6. num. 2.* Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 6. §. 2. num. 9.* Palaus *tract. 3. disp. 1. punct. 23. num. 15.* Molina *tract. 2. disp. 22.* Salas *de legibus disp. 8. sect. 3.* Bonac. *de leg. disp. 1. q. 1. punct. 3. nu. 13.* Fagnan. *in cap. Antigonus, num. 47. de pactis*. Et hoc, ut Turrecrem. advertit, probatur expressè *ex cap. Sextam Synodum dist. 16. & ex cap. Multis, & cap. Concilia, dist. 17. & cap. leges 3. 4. 6. & cap. Bene, dist. 96.* & ea praxi. Nam PP. Concilii Nicæni, quod fuit primum, petierunt acta ejus confirmati à S. Silvestro Papa *tom. 1. par. 1. Concil.* Et idem cum S. Leone observarunt PP. Concil. Chalced. *tom. 2. part. 1. Concil.* Et plura alia exempla refert Turrecrem. *in summ. lib. 2. cap. 100.* Et novissimè idem petiit Concilium 250

Tri-

Tridentinum *seff.* 25. ficut fuit confirmatum à Pio IV. in Bulla, quæ incipit *Benedictus Deus*. Cùm igitur Concilia authoritatem condendi leges habeant à Summo Pontifice, *cap. Significasti 4. de elect. cap. Benè quidem dist. 96. capit. Nec licet d. 17.* D. Th. 1. *p. q.* 36. *art.* 2. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. Conciliares Constitutiones Apoftolicæ, & Papales dici debent, quia denominatio constitutionum fumitur non tam à condente, quàm à tribuente authoritatem, *cap. Apostolica de Prabend. infr. in hoc 6. & cap. Cum aliquibus, infr. de rescript.* ubi Jo. Monach. Archid. & Jo. Andr. Fagnan. ubi fupra *n.* 45. post Felin. *in cap.* 1. *n.* 4. *de sponsal.* Et fic ftatuta confirmata à Papa dici Papalia voluit Rotas *decis.* 267. *n.* 6. coram Greg. XV. *& dec.* 443. *nu.* 3. coram Cavaller. & Bald. *in l. ex placito C. de permut.*

251 Et hoc eo eft manifeftius, & verius, quod quamvis verum fit Epifcopos in Concilio legitimo authoritate Pontificis congregato effe judices; prout tenet Ganus *loco citato*. Jacobat. *de Concil. l.* 2. *art.* 2. *de vocandis ad Concil. num.* 36. Bellar. *lib.* 1. *de Concil. cap.* 18. Perez *de Concil. d.* 5. Grav. *tom.* 4. *par.* 2. *disp.* 1. *art.* 6. *pag. mihi* 220. Suar. *l.* 4. *de leg. cap.* 6. *n. n.* tamen confiderandum eft, quod Epifcopi hanc auctoritatem judicandi, & condendi leges pro tota Ecclefia non habent immediatè de jure Divino, & ex eorum confecratione, fed ex conceffione Papæ. Quod latè contra Marcum Antonium de Dominis probat Gravina, ubi fupra *num.* 7. Rota *dec.* 123. *p.* 1. *divers. num.* 3. & ratio eft, quia nullibi legitur, quod Chriftus jurifdictionem fuper totam Ecclefiam conceflerit Concilio, fed benè habemus, quod illam tribuerit Petro, & in Petro ejus fucceflforibus, ex quibus poftea veluti ex capitibus hæc jurifdictio ad alios redundat.

252 Propterea ut habet D. Th. 4. *c. gent. c.* 76. Soli Petro promifit Chriftus claves, dicens: *Tibi dabo claves regni Cœlorum, ut oftenderetur poteftas clavium per eum ad alios derivanda ad confervandam Ecclefiæ unitatem.* Sed ad hoc punctum oftendendum facit, quod fcripfit Leo magnus Epift. 89. & habetur *cap. Ita Dominus 7. distinct.* 19. *Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea legis, & Prophetarum praconio continebatur per Apostolicam tubam in falutem univerfitatis exiret, ficut fcriptum eft: In omnem terram exivit fonus eorum, & in fines Orbis terra verba eorum. Sed hujus muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoftolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiffimo Petro Apoftolorum omnium primo principaliter collocaret, ubi ipfo, quafi quodam capite dona fua, veluti in corpus omne diffunderet, ut exortem fe myfterii intelligeret effe divini, qui aufus fuiffet à Petri foliditate recedere.* Sed, & in Concil. Floren. fub Eug. 4. & in Lateranen. fub Leone X. decretum fuit Papam effe totius Ecclefiæ Caput, Paftorem, & Doctorem, ipfique à Chrifto traditam effe plenam poteftatem pafcendi, regendi, & gubernandi totam Ecclefiam. Nulli igitur alteri hæc poteftas, & jurifdictio in Ecclefiam univerfalem competit, nifi pro quanto Papa aliquem in partem fuæ follicitudinis affumat; & ideò Concilium non habet poteftatem condendi leges totam Ecclefiam obligantes, nifi quam fibi Papa ipfe conceffit, ut latius probat Turrecrem. *l.* 3. *cap.* 28. & fequitur, & probat Rota *decis.* 123. *num.* 3. *par.* 1. *divers.* Omnia enim Concilia Oecumenica manant ab eodem fonte Apoftolicæ poteftatis fine qua non haberent fundamentum, *cap.* 1. *& seq. dist.* 22. *& cap.* 1. *& seq. dist.* 17. *& cap. Ideo* 2. *quæst.* 6. *& cap. Significasti de electione.* Fagnan. *cap. Nonnulli nu.* 44. *de rescript.* Ideò Conciliorum decreta non funt, nifi Apoftolicæ, & Papales conftitutiones, & leges, quia non habent vim legum, nifi ex auctoritate Papæ ab ipfo communicatæ concilio, & nifi fint ab ipfo confirmatæ.

253 Quamobrem Concilium, Papa inconfulto, nihil ordinare poteft, quod univerfalem Ecclefiam liget. Et licet aliqui DD. qui fcripferunt occafione Concilii Bafilien. fenferint Concilium effe fupra Papam, quos refert Gravina *tom.* 4. *part.* 2. *disp.* 1. *ar. ult. pag. mihi* 253. Nimirum Jacobus Almain. *in libello de auctor. Eccl. contra Card. Cajet. à cap.* 3. *usque ad ult.* Jo. Major. *l. de auctor. Concilii fupra Papam, contra eundem Cajet.* Petrus de Aliaco Cardin. Cameracen. *in libello de Eccles. & Card. auctor. fcripto Conftantiæ anno* 1417. *cap.* 2. 3. *&* 4. Jo. Gerfon. *opuf. de poteſt. Eccl.* Nicolaus Cufanus Card. *tract. de Concordantia Canonum l.* 2. *cap. ult.* Aeneas Silvius *de geftis Concilii Basil.* quorum fententiam ex Canoniftis tenuerunt Card. Flor. Zabarella, Panor. *cap. Significasti de elect.* Nihilominus Papam effe fupra Concilium, etiam legitimè congregatum, & cui ille præfidet, ex Scripturis, Conciliis, Pontificibus, & Patribus apertè colligitur, prout abundè probat Gravina *d. disp.* 1. *art. ult. pag. mihi* 265. & docuerunt Albertus, D. Th. D. Bonaventura, Richard. & Palud. *in* 4. *d.* 19. S. Ant. 1. *part. tit.* 22. *cap.* 10. §. 4. *Summa hiftorialis, &* 2. *part. tit.* 3. *cap.* 11. *fumma moralis.* Turrecrem. *in fumm. l.* 2. *cap.* 91. *&* 104. Alvarus Pelag. *de planctu Ecclefiæ l.* 1. *n.* 6. Jacobat. *l.* 10. *de Concil. art.* 7. Cajet. *tom.* 1 *tract.* 1. *&* 2. *de comparat. Papa, & Concilii.* Francifcus Ferrarienf. *in l.* 4. *contr. Gent. c.* 76. Auguft. de Ancona *in tr. de poteftate Papa, & Concilii.* Canoniftæ ferè omnes *in cap. Significasti* 4. *de electione.* Ubi Fagnan. alios referens & latè hoc probans *à num.* 9. *ex Canon. Si Papa* 93. *dist.* Jo. Antonius Delphinus *l.* 2. *de Ecclefia cap. ult.* Thomas Campegius *in tract. de poteftate Papa, cap.* 22. *& fequent.* Nicolaus Sanderus *l.* 7. *de vifibili monarchia pag.* 540. Bellarm. *l.* 2. *de Concil. auctorit. cap.* 15. *& fequentibus.* Gravina *tom.* 4. *p.* 2. *disput.* 1. *artic. ultim.* Bzovius *in Pontif. Rom. qui inter alia c.* 8. *& fequent.* abundè probat Pontificem effe Conciliorum Auctorem, Præfidem, Præfinitorem, Confirmatorem, Moderatorem, & Judicem.

254 Etenim illi perfonæ particulari, quæ erat Petrus dictum fuit à Chrifto: Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum, & tu es Petrus, & fuper hanc petram ædificabo Ecclefiam meam.* Unde perfona Petri, & ex confequenti Pontificis Romani, ut eft contradiftincta toti Ecclefiæ, eft illa, cui datæ funt claves, & quæ habet jurifdictionis clavem, & ordinis, & quæ eft petra fundamentum, & reliqua Ecclefia eft ædificium fupra petram fundatum, & ideò eft fubjecta jurifdictioni Petri, & ejus Succefforum. In hunc enim fenfum verba illa Chrifti Domini, Matt. 16. intellexerunt ex Pontificibus Romanis, Clem. *Epis.* 1. *ad Iacob.* Anacletus *Epift.* 2. *&* 3. Leo *in ferm. de Transfig. l.* 1. *& ferm.* 2. *&* 3. *in die fuæ affumptionis, & Epis.* 89. & ex aliis Pontificibus multa congeffit Gratian. *dist.* 20. *&* 21. *&* 22. Et idem fenferunt ex aliis Sanctis, & Doctoribus, Cyprianus Epifcopus *Epift.* 55. *ad Cornel. & Epift.* 69. 71. *&* 73. Hilarius *in cap.* 16. *Matt. & l.* 6. *de Trinitate, & in Pf.* 131. Ambr. *l.* 4. *de fide cap.* 3. *& in Pf.* 40. *& ferm.* 9. *& ferm. in Cathedr. S. Petri, & ferm.* 55. *de Sanctis.* Auguft. *ferm.* 29. *de Sanctis, & ferm.* 26. *qui eft de Cathedr. Sancti Petri, ferm.* 49. *de verbis Domini cap.* 3. *l. u. de Baptifmo, capit.* 5. Pacianus *Epift.* 3. *ad Simprofianum*, Cyrill. *l.* 3. *in Io. cap.* 15. Jo. Chryfoft. *homil.* 20. *in Matth. & homil. in Pfal.* 50 *& homil.* 9. *de pœnitentia.* Cyrill. Hierof. *Catech.* 18. Nazianz. *orat.* 26. Bafil. *in c.* 2. *Ifaja, & l.* 2. *contra Eunomium.* Theophil. & Eutymius *in c.* 16. *Matt.* Ifidor. *l.* 2. *de off. Ecclefia cap.* 5. *& l. de vita, & morte Sanctorum c.* 69. Petrus Chryfologus *ferm.* 105. Laur. Juft. *l. de obed. cap.* 12. D. Thom. Cajet. Hugo Card. Maldonatus, & alii Catholici Expofitores fupra *cap.* 16. *Matth.*

255 Item Petro perfonæ fingulari contra alios omnes fideles contradiftinctæ, & confequenti omnibus ejus fuccefforibus dixit Chriftus: Joan. 21. *Pafce oves meas*; unde Petrus eft Paftor omnium Fidelium, reliqui fideles omnes, & tota Ecclefia, præter Petrum, oves funt à Petro pafcendæ, & regendæ, & gubernandæ, ut probat Cajet. *tom.* 1. *opufc. tract.* 1. *cap.* 7. Et reliqua Ecclefia præter Petrum eft grex, & ovile uoum, cujus Petrus eft Paftor; unde tota Ecclefia, præter Petrum, Petri gubernationi, & jurifdictioni eft fubjecta, tanquam ovium grex à Paftore pafcendus, & in huoc fenfum verba Chrifti intellexerunt S. Leo *ferm.* 3. *affumptionis fuæ.* Chryfoft. *hom.* 87. *in Io.* Cyrill. *l.* 11. *in Io. cap.* 69. Aug. *tract.* 33. *in Io. & ferm.* 47. *&* 62. *de verb. Domini.* Ambrof. *ferm.* 48. *de temp. & ferm.* 1. *de Sanctis, & l.* 10. *in Lucam cap.* 24. *& l.* 5. *de fide in proœmio.* Cyprian. *l. de unitate Ecclefiæ.* D. Th. Hug. Cajet. Maldonat. & alii Expofitores *in cap.* 21. *Io.*

256 Idcircò in Conciliis fumma eft Papæ authoritas, ut ipfe non teneatur ftare votis, & fententiis Patrum, nedum in majori numero, fed omnibus fimul in unum fuffragium convenientibus. Nam & Ecclefia tota, & Concilium generale, etiam legitimum, & cui præfunt Legati Romani Pontificis errare poteft, ubi non præcefferit inftructio Papæ, quam Concilium fequatur. Judicium enim talis concilii non eft ultimum, nec eft totius Ecclefiæ, cùm defit judicium Capitis, & judicium illius Petri pro quo Chriftus

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

rogavit, ut ejus fides non deficeret, & qui est Petra, super quam veritas Ecclesiæ fundatur, ideò ubi præcedit instructio Papæ, Concilium, cui præsunt Papæ Legati, si contra instructionem agit, errat sine dubio; Si verò juxta instructionem judicat, est infallibile, sed ubi non præcedit Papæ judicium, & instructio, determinationes Concilii à Papæ confirmatione infallibilitatem sortiuntur, sine qua possibilitati erroris sunt subditæ, ut benè tradunt Bellarm. *l. 2. de Concil. cap.* 52. Grav. *tom. 4. p. 2. disp. 5. art. ult. d.* 2. Fagnan. *cap. Majores num.* 28. 31. *&* 36. *de Baptismo*. Sic de facto Concilium Chalcedonen. tanquam hæreticas damnavit determinationes Conc. 2. Ephesini, licèt fuerit legitima authoritate congregatum, ut refert idem Fagnan. *nu.* 30. ex Turrecrem. *in summa part.* 2. *cap.* 100. Ideò Papa potest non confirmare decreta Conciliorum generalium, & si ipse sit præsens, potest contrarium statuere illius, quod Concilium judicavit, ut docet Gravina supra citatus, sed ante illum docuerat Turrecrem. *l. 3. cap.* 64. Jacob. *de Concil. l. 6. cap.* 2. Canos *de locis l. 5. cap. 5. quæst.* 2. Azor. *par.* 2. *l. 5. cap.* 14. *q.* 2. Unde isti DD. afferunt, quod in casu hujus discrepantiæ standum esset judicio, & determinationi Papæ determinantis, & definientis quid sit agendum, & sentiendum.

257 Ex his igitur patet abundè leges conciliares intantum leges esse, inquantùm sunt leges Pontificiæ, à cujus jurisdictione, & auctoritate vim habent obligandi totam Ecclesiam; hoc enim modo fundatæ sunt supra petram, quæ est Ecclesiæ fundamentum, & sunt leges Pastoris Ecclesiæ gregem pascentis. Unde Pontificem non ligari legibus Conciliorum benè probavit Turrecrem. *l. 3. cap.* 52. Et advertit Azor. *l. cit. c.* 13. *q.* 4. & Conciliorum leges potest vel in partem, vel in totum abrogare. Jacob. *l. 5. art.* 5. Azor. 1. *l. instit.* 15. *cap.* 15. *q.* 9. *&* 2. *p. l. 5. cap.* 14. *q.* 4.

258 Et quod magis facit ad propositum nostrum, hinc habemus, quòd Papa cum Concilio non est quid majus, & quod constitutio conciliaris non est major, quàm si esset purè Papalis, si intensivè loquamur; Una enim est totius jurisdictionis Ecclesiæ in totam Ecclesiam plenitudo, quæ tota residet in summo Pontifice, nec est in Concilio, nisi ut participata à Pontifice, unde in Concilio, est extensior jurisdictio, & authoritas, quia ibi est Papæ authoritas ad Patres Concilii extensa, sed non est intensior, perfectior, uberior, eminentior, & efficacior authoritas, Fagnan. *d. cap. Majores nu.* 10. *&* 17. *de Baptismo post Gloss. margin. in cap. Anastasius* 19. *dist.* Cajet. *Apologiæ p. 2. cap.* 13. *ad* 6. Turrecrem. *in summ. l. 3. cap.* 64. quia nulla alia est, nisi Pontificia authoritas, quæ tota in omni sua plenitudine residet in solo Pontifice summo perfectissima, eminentissima, efficacissima; quamobrem non est dubium, quod constitutiones conciliares nedum propriissimæ sunt constitutiones Apostolicæ, sed etiam constitutiones Papales, non aliunde habentes vim, quàm ab illa authoritate, quam Papa habet super totam Ecclesiam ut Prælatus supremus, & ut ordinariam, & in Successoribus continuandam Christus soli Petro Apostolo tradidit, & ideò non est dubium quòd constitutiones conciliares in proprio, & rigoroso significatu veniunt sub nomine constitutionis Apostolicæ.

259 Et hinc est, quod, ut consideravit Rota *dec.* 123. *num.* 4. *p.* 1. *divers.* & Fagnan. *cap. Antigonus numer.* 34. *de pactis*. Constitutiones editæ in Conciliis plerumque tribuuntur Papæ in Concilio, ut *sup. cap.* 1. *de summ. Trin. & cap.* 1. *de Treug. & pace. & cap. sæpe, de restit. spoliat.* Quandoque tribuuntur Summo Pontifici sine aliqua Concilii mentione, ut in compluribus Clem. & in specie in Clem. *ne contingit de relig. dom.* Quandoque inscribuntur ex Concilio, ut *sup. cap. 2. de statu Monach.* Sic enim verum est, quod Conciliares leges sunt Papæ leges editæ in generali Concilio.

260 Sed dices hoc esse verum, sed nihilominus eas non comprehendi sub clausula, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis* ex defectu intentionis Papæ, qui intendit eas non includere. Sed in contrarium semper urget exemplum Concilii Tridentini. Advertendo, quod Concilium Tridentinum per illam declarationem factam *sess.* 25. *cap.* 21. *de reform.* nec à se abstulit aliquid dignitatis, honoris, prærogativæ, & excellentiæ illius, quam constitutiones conciliares habent, ex eo, quod factæ cum maturitate, consilio, judicio, & approbatione Episcoporum orbis, & nihil novi contulit Papæ, quod ei non conveniat respectu cujuscumque Concilii, sed illa declaratio in omni Concilio intelligitur, ut supra dictum est, & nihilominus Concil. Trid. Papa derogat, etiam sine clausula derogatoria, si propria manu signat, & multò magis eidem Concilio derogatur per clausulam *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*. Nam aliàs stat regula firma in contrarium, quod verba legis debent intelligi secundùm propriam significationem *l. non aliter ff. de legatis* 3. Cravet. *cons.* 20. *numer.* 9. *& cons.* 105. *num.* 2. Paris. *cons.* 22. *nu.* 6. *l.* 4. Dec. *cons.* 113. *num.* 6. Surd. *cons.* 140. *n.* 63. Card. Mant. *de conject. ult. volunt. l.* 8. *tit.* 18. *num.* 23. Rota *decis.* 352. apud Farin. *p.* 1. *recent.* Barbosa *Axiom.* 122. *n.* 4.

261 At verò constitutiones conciliares sunt propriè constitutiones Apostolicæ. Item stat firma alia regula, quia nimirum indefinita propositio negativè significans, vim habet universalem, & universaliter distribuit, & ut universalis est intelligenda; quia negatio quidquid sequitur negat. Gloss. *cap. Cum dilectus ver. à suspensis de consuetudine*, & Gloss. *cap.* 1. *ver. non potest derogare, de regul. jur. in* 6. Tiraq. *de primog. q.* 14. *num.* 12. Cuman. *cons.* 28. Decian. *cons.* 23. *v.* 11. *&* 12. *l.* 1. Tusc. *l.* 1. *concl.* 86. *num.* 15. 16. *&* 25. Castrens. *cons.* 441. Rimin. Junior *cons.* 150. *n.* 53. Barbos. *Axiom.* 123. *numer.* 5. Hæc verò propositio *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, est negativa, unde ejus sensus est, nulla constitutione Apostolica obstante. Hinc alia regula urget, quia, scilicet, clausula *non obstantibus*, *&c.* tollit omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possunt, Jasson. *consil.* 116. *l.* 4. Mart. *de claus. p.* 1. *claus.* 70. *n.* 7. Rota *decis.* 96. *n.* 1. *p.* 1. *recent.* & alii plures, quos refert, & sequitur Barbos. *claus.* 82. *n.* 4.

262 At verò in proposito, quod constitutio conciliaris non comprehendatur sub clausula *non obstantibus*, non probatur ab illa communi opinione per legem aliquam hoc statuentem, quia hæc lex non extat. Neque per illud principium, quod est unicum, quo moventur Archid. & qui illum sequuntur, quia scilicet constitutio conciliaris habeat in ventre clausulam specialem derogatoriam in futurum; quia hoc assertum non probatur, nec ex aliquo jure deducitur, ut satis ex dictis apparet. Et non esse verum ostenditur ex eo, quod, ut Pius V. declaravit de Concilio Tridentino, Constitutio conciliaris talis conditionis est, ut ei, etiam ejus nulla facta mentione, per signaturam Papæ possit derogari.

263 Quod verò arguendo deducatur defectus intentionis Papæ, quia constitutiones conciliares speciales sunt prærogativæ, ex eo quod factæ cum maxima maturitate, vel ob aliam similem causam; omnes hujusmodi causæ, limitationes, & exceptiones tolluntur in proposito ex hoc unico animadverso, quod ubi in Papa potest præsumi ignorantia, semper de facili potest dari exceptio, ut non intelligatur derogatum vel juri tertii, vel legi specialiter disponenti, vel non concessum id, quod si fuisset expressum, non fuisset concessum, & similia. Ideò per clausulam generalem non derogatur statutis particularium Conciliorum, quorum scientiam Papa non habet, ut in nostra decretali definitur. Sed ubi hæc duo simul concurrunt, scilicet manifesta contrarietas novæ legis ad priorem etiam conciliarem, & scientia in Papa novam legem contrariam edente, quæ scientia præsumitur, cùm Papa jura omnia etiam conciliaria habeat in scrinio pectoris, non habet locum defectus intentionis, & voluntatis; quia Papa nullum decipit, nec unum significat scienter, & aliud vult, & intendit, sed sicut lex veracitatis exigit, id intendit, quod scienter significat se intendere. Nec Papa potest non velle derogare legi etiam conciliari, dum scienter, & non fictè promulgat legem priori illi legi contrariam. Multò autem magis hæc derogatio innotescit; si nova lex contineat derogatoriam saltem in generali. Semper enim urget, quod Papa præsumitur scire omnia jura, & quod præsumatur scire omnia decreta Concil. Trident. dixit Rota *decis.* 361. *num.* 12. *par.* 10. *recent. & dec* 48. *num.* 10. *par.* 1. *diversorum*. Et ex consequenti, quod in Papa non potest præsumi ignorantia; qua exclusa lex derogat Conciliis, si contra illorum decreta disponit.

264 Hæc quidem adeo fortiter persuadent, ut veram esse primam Innocentii sententiam mihi sit affirmandum; sed fortius urget argumentum, quod desumitur ex praxi Ecclesiæ, quæ usque ad tempora sæculi 13. non consuevit in suis dispositionibus uti clausulis derogatoriis contra

præ-

præteritas Ecclesiasticas leges, licet sæpiùs contra eas etiam conciliares disposuerit. Accipiamus exemplum primò ab exemptione Monachorum. Monasteria enim Monachorum, ipsosque Monachos fuisse subjectos Episcopo intra cujus Diœcesis confines Monasteria erant constructa, fuit de antiquissimo jure communi, & quidem à temporibus Apostolorum, ut colligitur ea S. Dion. *de Eccles. Hier. cap. 6.* & habetur de hoc decretum expressum in Concilio Generali Chalcedon. *act. 4. cap. 5. & act. 15. can. 4.* fuit verò hoc Concilium celebratum sub Sancto Leone Primo anno 451. sicut refert Baronius. Sed per privilegium à subjectione ista fuerunt exempti Monachi per Summos Pontifices.

265 Et quidem per Sanctum Gregorium Papam in suo constituto, seu in Concilio Romano, quod habetur inter concilia apud Binnium *tom. 2. par. 2.* In quo inter alia plura, quæ Episcopo prohibentur fieri in Monasteriis, habentur ista. *Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere impetrandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit requisitus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestatem, &c.* Per quæ verba, & loquendi formam, quod intelligatur concessa exemptio à jurisdictione Episcopi, habetur expressè *cap. Si Papa de privileg. in hoc 6.* & tamen in eo Sancti Gregorii constitutio, licèt disponatur contra constitutionem Concilii Generalis Chalcedoneo. nulla prorsus est clausula derogatoria, vel mentio dicti Chalcedonen. Concilii. Cùm etiam Luminosus Abbas Monasterii Sancti Thomæ Arim. apud eumdem Sanctum Gregorium conquestus fuisset de Episcopo Castorio, eidem rescribens Sanctus Pontifex multa præcipit ad hanc exemptionem spectantia, nulla alicujus Concilii mentione facta, ut patet *l. 4. epist. 41. & 43.* & videri etiam potest *l. 7. epist. 18.* ubi exemptione consimili voluit gaudere Monasterium Classen.

266 Post multos annos consimilem plenam exemptionem Monasterio Sanctorum Petri & Pauli Derombernia ad instantiam Regis Anglorum concessit Bonifacius IV. qui fuit electus anno 606. & ejus literæ habentur per extensum apud Tambur. *tom. 1. disp. 15.* Eamdem exemptionem à jurisdictione Episcopi, & immediatam subjectionem Sedi Apostolicæ concesserunt postea Theodorus Papa anno 643. 4. Maji Monasterio Sancti Petri Ebobii ad instantiam Rotharit. Regis, & Gondibergæ Reginæ Longobardorum, & Monasterio Cassinen. Zacharias Papa 18. Februar. 741, Monasterio S. Petri de Perusio Gregorius Quartus anno 835. Monasterio Cavensi in Diœcesi Salernitana Urbanus Secundus 14. Januarii 1092. & 14. Septembris ejusdem anni, & literæ istæ à Cardinalibus fuerunt subscriptæ, & præfato Cassinen. Cœnobio Callistus Secundus 16. Septembris 1123. & iterum Cavensi Monasterio Alex. Tertius 30. Januarii 1168. Monasterio Sanctæ Mariæ de Florentia idem Alexander Tertius 29. Aprilis 1176. & literæ etiam à Cardinalibus fuere subscriptæ, Monasterio Sancti Laurentii de Aversa Innocentius Tertius 15. Julii 1202. Monasterio Sancti Pauli Urbis Innocentius Tertius 13. Junii 1203. Iterùm Cassinen. Monasterio Innocentius Tertius 25. Julii 1208. & literæ à Cardinalibus fuerunt subscriptæ. Iterùm Monasterio Sancti Pauli de Urbe Honorius Tertius 15. Maji 1218. & idem Gregorius Nonus 25. Februarii 1236. Omnes istæ literæ Apostolicæ habentur per extensum in Bullario Cassin. Et advertendum, quod postquam usus derogatoriarum fuit introductus, cùm Eugenius Quartus *in constit.* 58. in eodem Bullario hanc eandem exemptionem Congregationi Sanctæ Justinæ concessisset, tunc derogavit expressè Concil. Constant. & aliis Conciliis. Cùm tamen subjectio Monachorum ad Episcopum stabilita in Concilio Chalcedonen. à temporibus Sancti Gregorii Papæ, & successivè per tot Pontifices usque ad Gregorium Nonum fuerit concessa, nunquam habita mentione illius, vel alterius sacri Canonis, aut Pontificiæ constitutionis, vel aliqua derogatoria clausula adhibita.

267 Sed, & hoc contingit in Ordine Prædicatorum, qui in sui ipsius confirmatione ab Honorio Tertio anno 1216. exemptus fuit, & sub immediato gubernio Sedis Apostolicæ constitutus. Quam exemptionem amplissimè declaravit Nicolaus Quartus in Constit. *Dum solicite*, quinto Kal. Augusti anno ejus primo, & successivè Bonifacius Octavus sexto idus Maji Pontificatus anno secundo, & postea Benedictus XI. idibus Martii Pontificatus primo, & Greg. XI. in Bulla *virtute conspicuos* 7. in Bullar. Romano, & inserta in mari magno per Sixtum Quartum, & Bonif. Nonus 5. Kal. Maji Pont. 13. In nulla verò harum literarum habetur mentio Concilii alicujus generalis, & in sola ultima Bonifacii Noni derogatur constitutionibus Apostolicis, & in illa Benedicti XI. derogatur cuidam constitutioni Innocentii Quarti, cùm tamen postea, introducto jam usu derogatoriarum, sequentes Pontifices cum derogatione etiam Conciliorum generalium concesserint hanc eandem exemptionem, & alia privilegia, ut videre est in Bullis Martini Quinti, Eugenii Quarti, Sixti Quarti, Pauli Quarti, & aliorum Pontificum in eodem Bullario.

268 Sed, & ea Bullario Romano hoc idem colligitur ut in Constit. 1. Urbani Secundi pro Monachis Vallisumbrosæ, Alexandri Quarti undecima pro Camaldolen. Tot verò, ac tanti Pontifices, & alii, qui recenseri possent, spectatis aliorum ordinum privilegiis, cùm exemptionem, & tot, ac tanta privilegia Religiosis, usque ad sæculum 13. Ecclesiæ concesserint, nedum Concilii alicujus, sed nec Constitutionum Pontificum contra quas disponebant, & privilegia concedebant, vel minimam mentionem habuerunt. Quod est evidentissimum signum hujusmodi mentionem non esse necessariam ad hoc, ut legibus etiam conciliaribus derogetur: absurdissimum enim esset, & indignissimum asserere, tot Summos Pontifices, tantisque vicibus, vel noluisse concedere, vel ex inconsideratione toties inaniter, elusoriè, & frustatoriè disposuisse.

269 Sequitur privilegium exemptionis à decimis, quod Regularibus ab antiquo concessum fuit Monasterio Ebobien. à Theodoro Papa 4. Maji 643. & Cassien. à Zacharia Papa 18. Febr. 791. ut videre est in Bullario Cassinen. At verò hoc privilegium moderatus fuit ab Innocentio III. in Concilio Generali Lateranen. prout refertur *cap. Nuper, de decimis*, & voluit, ut de bonis ab eo tempore acquirendis decimæ solverentur, quæ consueverant solvi. *Decernimus*, inquit, *ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiam si eas propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.* Sed antequam Pontifices inceperunt ponere in privilegiis derogationes ad constitutiones contrarias, sæpius exemptionem à Decimis concesserunt, præfatæ legis conciliaris nulla facta mentione.

270 Et quidem Honorius III. in ea const. qua Ord. Prædic. confirmavit, & est 10 Bull. Rom. secunda, concessit exemptionem à decimis sub his verbis: *Decimas à venerabili Fratre nostro Fulcone Tolosanense Episcopo de assensu Capituli sui vobis pia, & provida liberalitate concessas, prout in eorumdem literis plenius continetur. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.* Literæ autem Honorii fuerunt subscriptæ à Cardinalibus. In illis verò nulla fit mentio de Concil. Lateranen. quia, nec aliqua fit mentio alicujus Pontificiæ constitutionis, nec aliqua fuit apposita clausula derogatoria; cùm tunc hujusmodi derogatoriæ non essent in usu. Eandem exemptionem de hortis, & virgultis concessit Innocentius Quartus tertio nonas Februarii Pontificatus primo. Et hoc idem concessit Gregorius Undecimus *in constit.* 7. §. 22. Sed amplissimam concessit Bonifacius Octavus in literis, quæ incipiunt: *Laudabilis sacra Religio, datis 15. Kal. Augusti Pontificatus tertio*, in quibus hæc habet. *Vobis universis, & singulis auctoritate præsentium indulgemus, ut ad præstationem decimarum, de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis vestris, quam præsentiarum habetis, & justis modis (præstante Deo) acquisiveritis in futurum.* Hoc idem Monialibus existentibus sub cura ejusdem Ordinis concessit Benedictus Undecimus in literis *Sacra vestra Religio 3. Kal. Martii Pontificatus primo.* In nulla harum literarum habetur aliqua mentio Concilii Lateranen. vel alterius constitutionis Apostolicæ, vel aliqua clausula derogatoria. Et cùm postea eamdem plenam exemptionem à decimis eidem ordini concessisset Bonifacius Nonus in literis. *Etsi pro cunctorum datis 5. Kal. Maii. Pontificatus 13.* Ipse quidem derogavit cuidam constit. Innocentii Quarti, & aliis Constitutionibus Apostolicis, sed de Concilio Lateranen.

nen. nullam fecit mentionem. Habentur verò præfatæ literæ in Bullario dicti Ordinis Prædicatorum in authenticam formam redacto per Franciscum de Alberticis Auditorem Cameræ.

271 Etiam ordinis Minorum exemptionem à decimis, de hortis, & virgultis concessit Clemens Quartus *in sua constit. 4. §. 21. in Bull. Rom.* Nullaque ibi habetur mentio Concilii; & Monialibus Sanctæ Claræ Bonifacius in literis datis *quinto nonas Junii Pontificatus secundo*, quæ habentur in monumento ordinis Minorum *fol. mihi* 122. & in quibus nulla est clausula derogatoria. Item ordini Eremitarum Sancti Augustini concessit Alexander Quartus *in constit. sua* 20. in Bullario dicti ordinis, ut de hortis, virgultis, terris, vineis, possessionibus, quas propriis manibus colerent non solverent decimas. Et nulla est in dictis literis derogatoria. Carmelitis concessit Clem. Sextus 10. kal. Septembris Pontificatus anno primo, ut de iis, quæ crescunt inter septa Monasteriorum decimas solvere non tenerentur. Et literæ hujus concessionis habentur apud Monum. Minor. *fol. mihi* 170. & apud Lezanam in *mari magno*. Carmel. §. 18. sed, & Clement. 4. ut habetur *ibidem* §. 19. prohibuerat, ne de hortis, & virgultis compellerentur decimas solvere. Nec aliqua clausula derogatoria est in dictis literis. Sic etiam nulla apposita derogatoria exemptionem à decimis de possessionibus tunc acquisitis, quas propriis manibus, aut sumptibus colerent, concessit Greg. Undecimus *in constitut. 10. ad favorem Cœlestinorum*.

272 Et nedum Religiosis claustralibus, sed Religiosis Militibus hæc à decimis exemptio concessa fuit nulla facta mentione Concilii Lateranensis: Clemens Quartus eam concessit Militibus Sancti Lazari Hierosolym. de omnibus fructibus Terræ, quam propria industria, vel expensis colunt. Et habentur literæ ejus apud Rodriq. Bulla octava, & in Bullar. Romano. 2. Hospitali etiam apud Sanctam Mariam in Saxia Romæ, seu ordini Sancti Spiritus concessit Innoc. III. ut decimas non solverent de terris, aut vineis, quas ad opus infirmorum propriis laboribus, vel sumptibus colerent, ut patet *ex Constit. 7. Innocentii Tertii §. 12. in Bullar. Romano*.

273 Isti ergo Pontifices contra legem conciliarem Concilii generalis Lateranen. sub Innocentio Tertio contentam *in cap. Nuper de decimis*, disposuerunt, concedentes, ut vel universaliter, vel de illis terris, quas Religiosi colunt propriis impensis, vel laboribus, vel saltem de hortis, & virgultis, decimas non solverent, & nullam fecerunt mentionem dicti Capitis, vel Concilii, vel Constitutionum Apostolicarum in genere, imò nec qualibet clausula, *Non obstantibus, &c.* usi sunt. Nequit verò dici, quod id fecerint, vel ex ignorantia, vel ex inconsideratione legis conciliaris, quia huic interpretationi primò repugnat ista nostra Decretalis Bonifacii Octavi; secundò, quia non sine magna injuria Sedis Apostolicæ præsumi potest tanta ignorantia, aut inconsideratio in tot, ac tantis Summis Pontificibus, sicut non sine maxima irreverentia, & injuria tot, ac tantorum Summorum Pontificum potest affirmari, quod frustatoriè, & inaniter disponere voluerint in hoc puncto. Dicendum igitur est, quod scienter, & ex proposito mentionem dicti Concilii, & Constitutionum omiserint; non quia voluerint scienter, & ex proposito inutiliter disponere, & mundum totum decipere, sed quia judicarunt eam mentionem non esse necessariam ad valorem suarum dispositionum.

274 Et hoc confirmatur, quia aliud asserere, est exponere ludibrio hæreticorum constitutiones Apostolicas. Nam, si admittimus in tot, ac tantis Pontificibus ignorantiam, vel inconsiderationem; jam est aperta via ad contemnendas etiam in aliis Pontificum dispositiones, sub prætextu ignorantiæ; & inconsiderationis. Et amplius confirmatur, quia tanta ignorantia, & inconsideratio, non potest præsumi, ut probabilis, & inculpabilis in materia, quam Pontifices tenentur ex officio considerare, cùm non ex accidenti in aliquo casu, sed ita regulariter hanc mentionem omiserint, quæ asseritur necessaria ad valorem dispositionum, quas fecerunt.

275 Sed vis hujus rationis augetur considerando, quod Pontifices non neglexerunt derogatorias, quas adhibendi est aliqua necessitas. Nam quia ad derogandum privilegiis particularibus est necessaria specialis mentio, vel æquipollens, ut in hac decretali decernitur; ubi opus fuit derogatoria hujusmodi, ea usi sunt etiam ab antiquissimo tempore, & passim. Sic quia privilegium, ut quis non possit interdici, suspendi, aut excommunicari est speciale, huic derogavit expresse Urbanus Secundus in literis datis 14. Septembris 1092. §. 24. quæ sub *num. 9.* leguntur in Bull. Cassinen. & alii Pontifices eadem, vel simili derogatoria sæpè usi sunt, & modo de stylo utuntur. Pariter, quia constitutio Papæ sive in Concilio, sive extra Concilium edita, si habet derogatoriam ad futuras dispositiones, exigit, ut illius fiat mentio, saltem per æquipollens, & ad minus hæc est necessitas decentiæ, & reverentiæ debitæ suis Antecessoribus à Successoribus Pontificibus. Ideò ab antiquo Pontifices consueverunt mentionem facere similium Constitutionum. Ita, quia Constitutio conciliaris ejusdem Concilii Lateranen. sub Innocentio III. de duabus dietis, quæ continentur in *cap. Nonnulli sæpè allegato, de rescript.* habet clausulam derogatoriam ad futuras dispositiones, & rescripta, ei derogare consueverunt Pontifices, & Innocentius Quartus ei derogavit in literis, quæ incipiunt. *Nimis iniqua* 15. *Kal. Octobr. Pontific. tertio*, quæ literæ habentur in Bullar. Ordinis Prædicatorum; & in constitutione secunda Urbanus Quartus in Bullario Rom. & in constit. nona Bonifacius Octavus in eodem Bullario; & in constitutione tertia Joannes Vigesimus secundus, & sæpiùs per sequentes Pontifices.

276 Item, quæ dicta sunt de privilegiis exemptionis à decimis contra statutum Concilii Lateranensis, etiam vera sunt de privilegio exemptionis à quarta Legatorum contra statutum Concilii Viennen. & Clement. *Dudum de sepult.* Et quidem *in d. Clement.* abrogatis privilegiis, imò, & *cap. fin. de sepulturis* præcipitur, ut Fratres Ordinis Prædicatorum, & Minorum de omnibus sibi legatis, aut donatis causa mortis solvant quartam. Sed ab hujus quartæ solutione exemit Prædicatores Gregorius Undecimus in constitutione 7. §. 28. & nec expresse derogavit dictæ Clement. nec Constitutionibus Apostolicis, nec aliquam posuit obstantiam. Quamvis postea cum praxis derogandi Constitutionibus Apostolicis, aucta fuit, eidem Clem. expresse derogatum fuerit per Martinum Quintum, Eugenium Quartum, & Sixtum Quartum in mari magno Prædicatorum.

277 Ex praxi igitur tot Pontificum, qui tot, ac tantis vicibus contra leges conciliares rescripserunt, nulla facta illarum mentione, & de quibus affirmari non licet, quod frustratoriæ, & inutiliter disposuerint, vel quod ex ignorantia, vel inconsideratione involuntariè concesserint, quæ concesserunt, manifestum est eorum mentem fuisse mentionem Conciliorum, & expressam illorum derogationem non esse necessariam ad hoc, ut per nova privilegia priores Conciliorum leges relaxentur.

278 Et tandem hoc considerandum, quod semen ex quo germinarunt tot, ac tantæ clausulæ derogatoriæ ad priores tum Conciliorum, tum Pontificum leges, non fuit, nisi dissensio inter Canonistas, qui hoc principium per tot sæcula certum in disputationem vocarunt. Cùm enim duæ quæstiones præcipuè sint, quæ controvertuntur, scilicet an rescriptum contra jus valeat, & deroget juri non facta mentione de jure, contra quod rescribitur, & sic, an sit necessaria clausula saltem generalis, *Non obstantibus constitutionibus, &c.* Secunda verò quæstio, an conciliaris constitutio contineat in ventre derogatoriam ad futura rescripta, & privilegia, & propterea ad illi derogandum, nec sufficiat generalis mentio, seu clausula, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, sed requiratur specifica mentio Constitutionis conciliaris, introducta fuit praxis Cancellariæ utendi utraque clausula, scilicet, *non obstantibus constitutionibus Apostolicis, & non obstante constitutione talis Concilii, vel non obstantibus constitutionibus in Conciliis generalibus editis, vel alia simili.* Prius quidem praxis fuit apponere primam clausulam, *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis.* Sed ante Bonifacium Octavum non invenio, quod aliquis Pontifex ea clausula usus fuerit, vel expresse constitutionibus Apostolicis in rescriptis, & privilegiis, quæ in Romano Bullario recensentur usus fuerit, nisi quod Clemens Quartus in Bulla 4. *Virtute conspicuos*, §. 29. derogavit expresse constit. Innoc. IV. contentæ *in cap. 1. infra de privilegiis*. Bonifacius autem Octavus ea clausula generali, *Non obstantibus, &c.* usus fuit in constit. 9.

stit. 9. quæ fuit erectionis, & privilegiorum studii generalis in Urbe, & fuit data anno 1303. 8. Idus Junii ejus Pontificatus nono.

279 Sed hoc ideò factum fuit, quia compilato corpore juris sub Greg. IX. qui obiit anno 1241. statim Gloss. *in c. Nonnulli in v. Fecerit mentionem*, *de rescrip.* tradidit regulam, quod rescriptum contra jus non derogat juri, nisi faciat ejus mentionem. Hoc postea limitavit Gloss. *in d. cap. Eam te, in v. literarum*, & voluit id non procedere, ubi Papæ rescriptum sit ex certa scientia, quia tunc dixit rescriptum derogare legi. Innocentius autem Quartus ante annum 1243. in quo assumptus fuit ad Pôtificatum idem quantum ad utramque partem docuerat. Hac ergo doctrina radices altas mittente; Nam, & idem hic *num.* 2. voluit Archidiac. qui teste Bellarm. *de scrip. Eccles.* floruit circa annum 1283. Sed tempore Bonifacii Octavi vixit, cùm super sextum decretalium à Bonifacio compilatum scripserit. Idem quoque hic *num.* 1. sentit Jo. Monachus, qui teste Cantalmajo fuit Capellanus Papæ, & Rotæ Auditor, & obiit anno 1315. & fuit creatus Cardinalis anno 1294. à Cœlestino Quinto. Cùm etiam lites essent inter DD. in judicando quando rescriptum sit, vel non sit ex certa scientia, Bonifacius Octavus anno 1303. ad tollendas hujusmodi controversias cœpit derogare expresè constitutionibus Apostolicis. Et neque tamen hæc praxis statim omninò invaluit, sed ut patet *ex dictis artic.* 12. *sup. num.* 216. & 217. Pontifices successores aliquando ea clausula usi sunt, aliquando non, unde & ex Jo. Andrea, qui floruit circa annum 1343. advertit Panorm. *dict. cap. Nonnulli nu.* 8. quod doctrina illa Glossæ, quod rescriptum non tollat legem, nisi faciat ejus mentionem, communiter non servabatur; fiebat tamen mentio de constitutionibus habentibus derogatoriam ad futura rescripta, quia hoc semper fieri solitum fuit. Postea verò cum Canonistæ semper magis urgerent pro necessitate derogatoriarum, invaluit praxis, ut regulariter in privilegiis, & rescriptis contra jus editis derogetur expresè constitutionibus Apostolicis aliquando per clausulam generalem, & aliquando in specie.

280 Conciliis autem generalibus in specie, ubi dispositum fuisset contra aliquod decretum habens derogatoriam ad futura rescripta, Pontifices consueverunt derogare, & sic praxis fuit derogare decreto de duabus diætis, quod fuit Concil. Lateranen. sub Innocentio Tertio. Sed ubi decreta Conciliorum Generalium non habebant derogatoriam ad futura, non fuit consuetudo illis derogandi in specie. Invenio in Bullario Romano, quod Urbanus Sextus in sua constit. prima ad favorem Camerarii Sedis Apostolicæ anno 1379. apposuit hanc clausulam, *Non obstantibus Generalis Concilii, & aliis Constitutionibus, &c.* Sed crederem quod loquatur de constit. Concilii Lateranen. de duabus diætis; agitur enim in illa constitutione de facultate judicandi, citandi, advocandi, &c. & in præfato Concilio, ut patet *cap. Nonnulli de rescript.* prohibitum fuit trahere reum ultra duas diætas. Solùm ergo invenio, quod Martinus V. in constit. 4. concedens amplam exemptionem à decimis Carthusianis anno 1420. primus derogavit in specie Concil. Lateranen. Quamvis enim illius expressum nomen non ponat, cùm tamen concedat exemptionem à decimis de quibuscumque pratis, prædiis, &c. sive ante, sive post Concilium acquisitis, & postea derogando dicat: *Concilii prædicti, ac aliis per nos, sive Prædecessores nostros editis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque*. Manifestum est, quod respicit Constit. Conc. Lateranen. *in cap. Nuper de decimis*, in quo statutum fuit solvendas esse decimas de bonis post illud Concilium acquisitis. Idem verò Pontifex in constit. 8. ad favorem Cistercienfium exemptionem concedens amplam à decimis de bonis ante, vel post Concilium acquisitis, postea derogando nullam facit mentionem Concilii. Successivè verò Eugen. Quartus ante anno 1432. plura concedens privilegia Curialibus, & Officialibus Romanæ Curiæ in sua constit. 4. derogavit constitutionibus per clausulam, *Non obstantibus Apostolicis, & quibuscumque generalibus provincialibus, vel synodalibus Conciliis, editis constitutionibus, &c.* in constit. 9. ad favorem Cassinen. anno 1436. derogavit constitutionibus per hanc clausulam, *Non obstantibus in Constantiensi, & aliis Conciliis, &c.* Iidem verò Pontifices Martinus Quintus, & Eugenius Quartus in confirmatione privilegiis amplissimi Gregorii Undecimi pro Ord. Prædicatorum, derogaverunt in specie Clem. *Dudum, de sepult.* quæ est Concil. Viennen. Sic igitur post annum 1430. in sæculo 15. sub Martino Quinto initium habuit usus derogandi in specie decretis Conciliorum Generalium non habentibus derogatorias ad futura.

Sed hujus usus nulla alia fuit causa, nisi quia cùm Innocentius *in cap. Ex parte, de capell. Monach.* & Hostien. dixerint non esse necesse, ut magis fieret expressa mentio Conciliorum, quàm aliarum constitutionum Apostolicarum, è contra Archidiac. qui floruit tempore Bonifacii Octavi hic *num.* 2. voluerit ad derogandum Concilio Generali necesse esse, ut fiat illius expressa mentio, cujus sententiam ante annum 1432. in quo usus hujus mentionis initium sumpsit, sequuti sunt Oldradus *cons.* 326. & 428. qui secundùm Cantalmasium fuit Auditor Rotæ anno 1312. Baldus, qui teste Bellarmino floruit circa annum 390. *in l. Humanum.* Jo. de Anania circa annum 1430. *in cap. Cum Diœcesis, de usuris*, & circa eadem tempora Ludovicus Romanus, qui fuit Auditor Rotæ, & secundùm Cantalmasium obiit anno 1339. *in l. Si verò, ff. solut. matrim.* unde tunc jam Archidiaconi opinio prævaluerat. Et ideò non mirum, si tunc post celebratum de proximo Concilium Constantien. in quo Martinus fuit electus Pontifex: ad tollendas Juristarum contentiones, & controversias idem Martinus cœpit in privilegiorum concessione derogare in specie Conciliorum Generalium decretis. Hæc enim est causa, ob quam Pontifices etiam nunc longissimis, & validissimis derogatoriis utuntur, ut valor dispositionum suarum à jurisperitis non controvertatur. 281

Et tamen hic usus non fuit continuus, sed interpollatus, ut suprà est adnotatum, quamvis postea praxis sic derogandi magis firmata fuerit, & regulariter sic fiat. 282

Hæc sunt, quæ maximam difficultatem mihi faciunt contra illam communiorem sententiam, quæ affirmat ad derogandum legi Concilii generalis necessariam esse ejus mentionem, & specialem derogationem, saltem per æquipollens, & quæ me cogunt, ut asseram primam illam sententiam oppositam esse in rigore juris veram, & quod licet lex conciliaris sit specialis prærogativæ, quia facta per Papam concilio annuente, seu deliberante, nihilominus non per hoc simpliciter superet alias leges à solo Papa extra concilium emanatas, ideò per se loquendo non est simpliciter discrimen inter leges Papæ in concilio, vel extra concilium latas in earum dispensabilitate, aut abrogabilitate, sed imò dari possunt leges Papæ extra concilium latæ longè magis indispensabiles, & non abrogabiles, quàm leges conciliares. Neque enim ex conditione legislatoris, neque ex maxima prudentia, ex qua leges promanarunt; ideò simpliciter leges sunt indispensabiles, vel non abrogabiles, sed præcipuè, & simpliciter ex utilitate, aut necessitate earum in ordine ad bonum commune habent leges, ut non mutentur, vel mutentur, ut cum D. Th. *p.* 1. *qu* 97. *art.* 1. & 2. docent communiter Theologi, & dictum est supra *ar.* 1. & 2. ideò ubi lex conciliaria non inveniatur utilis, est mutanda, non minus quàm quælibet alia lex Pontificia. 283

Nam ut ex dictis *art.* 1. dicebatur causa abrogandi leges, est quidem aliquando ex imprudentia legislatoris, vel ejus imperfectione; sed alia causa magis frequens est rerum mutatio ex qua fit, ut quod erat utile evadat inutile. Et etiam diversa conditio hominum ex qua est, ut quod convenit uni, alteri disconveniat. Ex prima igitur causa nec leges Pontificiæ extra concilium editæ sunt revocabiles. Et ut verum fatear, in hoc leges conciliares se habent ut excedentes, & excessæ. Nam verum est, quod præsumitur eas fieri cum maxima prudentia, quia fiunt ex deliberatione plurium, & doctissimorum. Verùm obstat, quod ubi legislator habet in lege interesse privatum, longè difficilius est, ut justitia communis servetur. Modo in legibus Conciliaribus Episcopi, qui sunt superiores legislatores, ut plurimum sunt partes, ut cùm de eorum jurisdictione agitur, vel de Episcopatuum redditibus, vel Clericorum sæcularium utilitate, aut de propriæ nationis mutandis, vel corrigendis moribus, & aliis hujusmodi. Unde quantum difficile est, ut quis sit prudens judex in propria causa, & simul prudens sit, ut contra se justè judicet, tantum difficile est, ut leges conciliares sint ex omni exquisita prudentia, & justitia. Quod locum non habet in legibus editis à Pontifice extra concilium, quæ non interesse Pontificis 284

rificis respiciunt regulariter, sed Ecclesiæ utilitatem. Unde ex hac parte in immutabilitate sunt conciliaribus præferendæ. Ex alia verò causa mutandi leges, quæ est ex parte materiæ, eadem est ratio de conciliaribus legibus, & aliis; sicuti, ut probatum est, omnes sunt ex eadem Sedis Apostolicæ auctoritate. Quod verò ex D. Thomæ doctrina consuetudo servandi legem antiquam reddat difficiliorem justam illius mutationem, per se est commune omni legi tali firmata consuetudine: & non desunt leges conciliares, quæ non sunt ubique receptæ, sed suot consuetudine abrogatæ.

285 Addo quod neque practica Rotæ est prorsus aliena ab opinione Innocentii, & Hostiens. unde placet de verbo ad verbum referre particulam decisionis impressæ inter volantes, & dicitur Romana jurium funeralium data coram Zarate die 4. Junii 1653. quæ sic habet: *Nec adversatur, quod in hujusmodi privilegiis derogatum non fuerit Clem. Dudum de sepult. Quemadmodum requiritur, ut talis exemptio possit competere per textum in cap. Ex parte de capell. Monac.* Rota *decis.* 122. *p.* 1. *diversorum, & decis.* 101. *nu.* 2. coram Cavall. Petr. de Ubaldis *de canonica parochiali cap.* 6. *Nam cum exemptio per Pontifices processisset in amplissima forma, & sub verbis universalibus nullam restrictionem patientibus, & expressa mentio quarta funeralium in privileg. Sixti Quarti habita fuerit, sub tali universitate derogatum censetur d. Clem. Dudum, cùm per eam constet de voluntate Papæ derogare volentis, ut in terminis respondet* Rota *in dicta Cracovien. quarta funeralis coram R. P. Domino Pentingerio.* Barbos. *de jur. Eccles. l.* 6. *cap.* 24. *num.* 8. *& de off. Paroch. d. cap.* 25. *num.* 8. *licet alias sub generalitate non adeo comprehensiva, ex qua desumi valeat Pontificis voluntas, derogatio d. Clement. non inducatur; quomodo intelligenda sunt in contrarium adducta, ut etiam distinguitur in d. Cracovien.* 4. *funer.* §. *Non obstat.*

286 Circa quæ duo consideranda sunt. Primò, quod Rota *in praxi* judicavit secundùm eam opinionem, quæ censet derogari Concilio generali per clausulas generales, quando constat voluntatem Papæ esse illi derogare, & quod de hac voluntate Papæ aliunde potest constare, quàm ex expressa mentione Concilii, vel in specie, vel in genere. Secundum est, quod Rota voluntatem Papæ intendentis derogare. *Clement. Dudum de sepult.* quæ est Concil. Viennen. colligit ex universalitate verborum, & ea facta expressa mentione, & concessione ejus, quod certum est esse contra concilium; nimirum ex mentione expressa quartæ funeralis, quæ est 7. regula posita suprà *art.* 7. *num.* 129. Nam quando in rescripto Papa expresse concedit id, de quo certus esse potest, quod est contra concilium, quia non est in Papa præsumendum mendacium, & animus fallax, & deceptorius, sed quod id intendat, quod se intendere significat, ideò dum concedit expresse, & clarè id, quod est certum esse contra concilium, colligitur, quod velit derogare concilio; unde tunc, nedum per clausulas generales sed etiam sine derogatoriis intelligitur derogatum concilio juxta declarationem præfati motus Pii Quinti. Nihil verò amplius in substantia docet illa prior opinio, quæ absolutè docet, non esse discrimen inter leges Papæ in concilio generali, & extra concilium emanatas, & quod ad hujusmodi legibus derogandum, non est necessaria mentio Concilii generalis, nimirum si Papa in nova dispositione id disponat, quod verè est contra Concilium, & de quo Papa potuit esse certus, quod id est contra Concilium. Quod enim evidentius signum voluntatis Papæ, quàm ejus sermo, & rescriptum, per quod significat se concedere id, quod aliàs Papa scit esse per concilium prohibitum?

287 Sed data, & admissa etiam secunda sententia, & admisso, quod lex conciliari portat secum derogatoriam ad futura rescripta, adhuc dicendum est, quod si clausula generalis habeat adjunctam derogatoriam derogatoriarum per hæc, vel similia verba, videlicet: (Quibus omnibus, & singulis etsi pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, sive quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, &c.) Dicendum inquam est, quod hic per æquipollens fit specifica, & individua mentio cujuscumque legis conciliaris cum clausula *quorum tenores*, maximè sub forma præfata explicata habeat vim expressionis specificæ, & individuæ omnium eorum, ad quæ relata est. Felin. *cap. Nonnulli*, 28. *de rescript. num.* 6. Butr. *cons.* 2. *num.* 5. Gemin. *cons.* 65. *num.* 21. Cassador. *sup. reg. Cancel. decis.* 10. *num.* 3. *& decis.* 38. *num.* 3. Card. Tusch. *L. E. concl.* 350. *num.* 1. Rota *decis.* 466. *num.* 5. *& decis.* 506. *num.* 5. *p.* 1. *recent.* Barbos. *claus.* 127. *num.* 4. & ideò per talem clausulam sufficienter derogatur constitutionis conciliari.

Et adducitur, quod ubi lex conciliaris habet expressam derogatoriam ad futuras dispositiones, nova dispositio illi derogat, si ejusdem faciat expressam mentionem, vel æquivalentem. Felin. *cap. Nonnulli* 18. *de rescript. fallentia* 2. *num.* 6. ex Butrio *in cap.* 1. *de rescript.* Bartol. *in l. Si quis in princip. testamenti de legibus* 3. Aretinus *in d. cap.* 1. *de rescript.* unde per clausulam *quorum tenores*, sub præfata forma explicatam derogatur cuicumque legi conciliari etiam habenti clausulam derogatoriam ad futura rescripta, quia ea observantia Curiæ dicta clausula derogat quibuscumque legibus habentibus derogatorias expressas futurarum derogatoriarum, Paris. *cons.* 42. *num.* 15. Gonzal. *ad regul. Cancell. gloss.* 36. *num.* 102. Rota *in Toletana indulti* 12. *Maji* 1023. coram Remboldo, & Pitt. *decis.* 504. *l.* 1. *& dec.* 113. *& dec.* 161. *num.* 1. *p.* 2. *& decis.* 682. *num.* 3. *l.* 3. *p.* 3. *divers.* Mohed. *dec.* 1. *de rescript.* 288

Et non est cur ab hac regula excipiatur constitutio conciliaris, & dicatur, nec per clausulam, *quorum tenores*, derogati conciliari legi, nisi fiat expressa mentio concilii. Nam quidquid sit de clausula, *& si talia forent, &c.* per amplissimam clausulam suprà explicatam sufficienter derogatur etiam conciliari legi habenti derogatoriam ad futura, ut ex Bald. *l. Omnes C. de præscript.* 30. *annorum*. Alex. *cons.* 155. *num.* 12. *l.* 6. Soc. *cons.* 3. *vol.* 3. Curtio Junior. *cons.* 110. *num.* 32. Paris. *cons.* 7. *num.* 42. *l.* 2. Jason. *cons.* 3. *l.* 3. Gorad. *cons.* 6. *num.* 54. *cons.* 97. *num.* 9. Tiraq. *ad legem connubii, gloss.* 7. *nu.* 207. probat Rota *coram Orano* 17. *Martii* 1589. *in Conchen. exemptionis decimarum*, quàm licet non integrè refert Garz. *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 39. 286

Sed imò ulterius dicendum est, quod generalissima derogatio, *Quibuscumque in contrarium non obstantibus*, sufficit ad derogandum Concilio, etiam habenti expressam derogationem ad futura, si adjungatur clausula, *quorum tenores*, vel etiam simplex clausula, etiam si de illis fieri deberet expressa mentio. Quia ubi dispositio posterior, seu privilegium, aut rescriptum manifestè est contrarium Concilio, clausula generalissima, *quibuscumque non obstantibus*, indubitatè comprehendit concilium; clausula verò, *Etiam si de illis specifica mentio fieri debet*, satis manifestat voluntatem Papæ (quem non ligant derogatoriæ prioris legis) esse, se nolle uti alia expressiori derogatione, sed velle omninò derogatum esse priori dispositioni, quacumque derogatoria munitæ; & quia qui absolutè negat genus, negat quamcumque speciem; igitur Papa qui negat se velle exprimere in specie hanc, vel illam legem, etiam si illius mentio fieri deberet, simul negat se velle facere mentionem legis contrariæ hoc, vel illo modo, sed velle, quod sua dispositio valeat nulla obstante derogatoria alicuius legis. Quæ magis procedunt, ubi Pontifex disponit motu proprio, & ex certa scientia, unde in *decision.* 493. *l.* 2. Put. tres insignes Rotæ Auditores, nimirum Mohedanus, Fabius, & Romanus fuerunt in voto, quod ubi ista tria concurrunt, nimirùm motus proprius, certa scientia, & facti narrativa, & clausulæ generales sufficienter derogatur concilio. 290

S V M M A R I V M.

291 *Rationes ad opposita*, 292. 293.
294 *Lex non derogat statuto, quod addit ad jus commune.*
Distinctio ad quæstionem secundum Dominicum.
295 *Statutum non disponens, nisi ex ratione communi, quod disponit lex, tollitur per legem contrariam, secus si ex diversa ratione*, 296. 297.
298 *In dubio præsumendum, quod statutum sit conforme.*
299 *Quid si statutum sit juratum.*

300 *In-*

300 *Inferior posset de novo statuere.*
301 *Authoritas inferioris subordinatur superiori.*
302 *Lex trahit ad se statutum, non è contra.*
303 *Idem potest ob delicta plura à jure, & ab homine excommunicari.*
304 *Dispositio inferioris multiplicat vinculum secundùm quid.*
305 *Ubi dispositio inferioris sit alia à jure communi non tollitur per legem.*

Quæst. un.

ARTICULUS XIV.

Utrùm lex abrogans aliam legem, simul abroget particulare statutum loci, quod est conforme legis abrogatæ?

291 QUamvis enim juxta decisionem præsentis Decretalis lex communis non deroget statuto particularis loci non facta ejus mentione, quia præsumitur, quod legislator illud statutum ignoret, & lex ad ignorata à legislatore non extenditur, nihilominus dubium est, an hoc sit verum etiam in casu, in quo statutum particularis loci sit conforme juri communi, quia per illud non statuitur, nisi quod præcipitur per jus commune. Et videtur, quod in hoc casu etiam lex non deroget statuto, per ea, quæ adduxit Jo: de Lignano apud Petrum de Ancharano hic *num.* 11. *& sequent.* Et quidem primò. Quia ubi leges sunt editæ à diversa authoritate, una non tollit aliam; alia verò est authoritas Pontificis ferentis legem universalem, & v. g. Episcopi statuentis aliquid pro sua Diœcesi, *cap. Per principalem 9. quæst.* 3. *& cap. Inferior* 21. *distinct. & l. Ius civile, ff. de just. & jur.* Propterea sicut si consuetudinem certi loci transfundat Papa in legem universalem illa consuetudo non vacatur amplius consuetudo, sed lex communis, *cap. Cum prohibitio, de cland. despons.* Sic igitur è contrario si lex communis redigatur in statutum non erit dicenda lex communis, sed statutum, aliud à lege communi, quod per legis communis abrogationem non tollitur. Item excommunicatus à jure potest excommunicari ab homine, *capit. Egeltrudam* 3. *& cap. Ita quorumdam, de judic.* Unde super eo potest disponere inferior, super quo disposuit superior, nec tamen absolutus ab excommunicatione juris est absolutus ab excommunicatione ab homine. Quinimò per provisionem inferioris in uno casu videtur recessum à jure communi, *l. fin. Cod. de pact. cond.* Itaque igitur apparet, quod per diversam authoritatem statuentium, quod est statutum ab inferiori de eo, de quo statuit superior condens legem communem, non est censendum jus commune, sed statutum particulare, & diversum.

292 Secundò idem probat, quia ubi vinculum est duplicatum augetur effectus, unde ablata una dispositione manet altera, ut notatur *in cap. Ex suarum, de usu Pallii, & l. Quoties, Cod. de act. & oblig.* ubi nova dispositio concurrit cum antiqua disponente, & sic etiam particulare statutum potest concurrere cum jure communi, quia pars ejus est, ut *d. l. Ius civile, ff. de just. & jur.* Tertiò autem ad idem adducit multa exempla, ut si judex præfigat terminum, quem præfigit jus commune, censetur dilatio judicialis non legalis. Item si, quod tacitè inest, ponatur expressum, parit novum effectum, ut patet *in l. aliquando, ff. de condit. & demonstrat.* Ex paritate igitur juris dispositio per particulare statutum erit dispositio particularis, & localis, non autem jus commune; igitur abrogato communi jure, non per hoc erit abrogatum statutum locale.

293 In contrarium est, quod jura non permittunt superfluitatem, & ita vel particularis civitas, aut inferior non potest statuere de eo, de quo dispositum est per jus commune, vel particulare statutum non concurrit cum jure communi, si de eodem disponat, sed censendum est, ac si esset jus commune. Et ita hanc partem, scilicet, quod lex posterior abrogans priorem sibi contrariam, simul abroget statutum locale, quod est secundùm jus commune, tenent hic Gloss. *in v. facti*. Archid. *num.* 3. Anchar. *num.* 12. Dom. *num.* 27. Franc. *num.* 15. Et cum ex his DD. aliqui, ut videbimus, loquantur cum distinctione, Jo. de Imol. apud Dom. *num.* 29. indistinctè tenet, quod statutum Episcopi nullo modo remanet revocato jure communi; cùm ipse non possit statuere contra jus commune.

Dicendum est, quod Domin. hic *num.* 29. distinguit inter statutum factum contra jus commune ab eo, qui habet authoritatem statuendi contra illud, & factum, ab eo, qui non potest id facere, & ait, quod loquendo de priori statuto, vera est opinio Jo. de Lign. quod scilicet lex posterior non derogat statuto particulari, etiam si illud sit secundùm jus commune. Sed jam supra probatum est, quod magistratus inferior etiam in civilibus, non potest statuere contra jus commune. Et quatenus etiam posset; nihilominus, cùm ejus statutum etiam per jus commune revocari possit, ex hoc non redditur bona ratio, per quam dicatur illud statutum non revocari revocato jure communi, cui concordat statutum illud particulare. 294

Aliter ergo distinguendo dicitur, quòd statutum locale, seu particulare, vel addit aliquid ad jus commune, vel nihil addit. Si enim addit, ratione ejus, quod addit est diversum à jure communi, & non revocatur communi jure revocato, si quod addit, est à communi jure separabile, & potest servari, observata simul plenè lege posteriori illud prius jus commune abrogante. Et propterea Gloss. utitur dictione *solum*, & quærit, an revocato jure communi revocetur statutum, quo solùm cavebatur jus commune. Et resolvendo quæst. utitur dictione *simpliciter*, & ait, quod sicut per posteriorem legem revocatum est jus commune; ita & statutum quod simpliciter, idest purum jus commune sine addito continebat. Et ratio est, quia lex legi non derogat, nisi inquantum ei opponitur; si ergo ratione ejus, quod statutum addit legi, lex posterior priori legi opposita, non opponitur statuto, ei non derogat. 295

Sed si statutum non disponit, nisi simpliciter id, quod disponit lex communis, datur à Dom. *num.* 27. *&* 29. alia distinctio. Nam vel constitutio universalis prior habet uniformem causam, & rationem disponendi respectu omnium locorum, vel habet diversam. Si enim constitutio universalis non habet uniformem causam, & rationem disponendi pro omnibus locis, sed in aliquo adest specialis ratio, & utilitas disponendi id, quod jus commune disponit, quàm utilitatem respicit statutum loci, tunc posterior lex, nec legem priorem respectu illius specialis causæ, nec statutum ex ea causa disponens abrogat, seu corrigit. Neque enim Pontifex videtur per legem posteriorem revocare particulares rationes sibi incongruitas, & quorum non meminit, quæ priorem legem sustinent in loco, sed si rationabiles sint, eas conservat. Et ita in hoc sensu sustineri potest opinio Jo. de Lignano. 296

Sed si statutum ex eadem causa, & ratione disponit præcisè de eo, de quo disponit lex prior, nimirum ex causa illa generali, & uniformi, per quam Pontifex, seu supremus Princeps legem universalem edidit, in hoc casu lex posterior derogans priori legi simul derogat statuto particulari non disponenti, nisi quod disponit jus commune, & ex eadem causa. Tum primò, quia in eo casu statutum non est, nisi jus commune ex particulari authoritate applicatum loco; minor verò authoritas inferioris legislatoris, non potest vincere authoritatem superioris ut illa velit conservari, quod ista censet esse abrogatum. Quod optimè confirmat Glossa, quia aliter esset in potestate inferioris, puta Episcopi statuendo particulariter, quod est jure communi statutum tollere potestatem à Papa derogandi juri communi, nisi simul deroget juri particulari. Item non habet hic locum præsumptio ignorantiæ, quæ sufficiat ad faciendum, quod Pontifex, seu Princeps supremus non præsumatur velle tollere statutum à se ignoratum, quia solùm illud materialiter ignorat cùm sciat id, quod per illud disponitur, & causam disponendi. Nihil verò interest, quod nesciat id fuisse dispositum etiam per inferiorem, quia hoc solùm materialiter, & accidentaliter se habet ad illam dispositionem prioris legis, & tanquam quid annexum secundarium, quod deficit cessante principali, quod benè cognoscit Pontifex, seu supremus Princeps nolens illam dispositionem conservare, sed esse abrogatam, & quæ tantam vim non potest obtinere ex vi authoritatis inferioris, ut possit consistere contra efficaciam legislatoris superioris. Et ita hoc etiam docuit Felin. *cap.* 1. *de rescript. nu.* 16. post Jo. de Anania, Card. & Bald. *ibidem*, & alios, & idem habet hic Marsc. *num.* 204. *&* 227. 297

Limi-

298 Limitat verò Felin. assertinnem hanc duodecim modis. Sed illæ limitationes reducuntur ad datas distinctiones, & in illis semper est aliqua diversitas, vel quia statutum aliquid addat juri communi, vel ex speciali motivo sit editum, & sic sit vinculum de per se. Addit vero, & benè ex Card. id, quod adnotavit etiam Domin. *num.* 29. quod scilicet in dubio præsumendum sit, quod statutum eadem ratione sit editum, qua jus commune, & sit potius declaratio juris communis. Multa etiam pro, & contra habet hic Gomez *num.* 208. *& seq.* quæ apud illum videri possunt. Hoc considerandum es Franc. *num.* 15. quod statutum censetur idem quod jus commune, cui est conforme, quantum ad istum effectum, qui est revorari ex revocatione juris communis. Nam quaotum ad alios effectus potest reperiri diversitas.

299 Sed quid si statutum esset juratum? Felin. *cap.* 1. *de rescript. num.* 16. *v. Fallit tertio*, existimat, quod tunc abrogato jure communi, non abrogatur statutum. Sed Marscotus hic *num.* 234. ex eodem Felin. *in cap. Constitutus de rescript.* advertit, quod in juramento inferiorum semper est excepta authoritas superioris, & præcipuè Papæ. Et ideò ipse post Jo. Andr. *in cap. Vt super de rebus Eccles.* tenet, quod revocato per Papam jure communi revocetur etiam statutum juratum juri conforme. Neque enim inferiores suo juramento possunt impedire Pontificem, ne revocet legem.

300 Revocato tamen jure communi, & statuto, inferior, qui potest statutum condere, posset de novo ex justa causa iterum idem statuere, quod fuit revocatum, ut advertit idem Marsc. *num.* 236. Dicit amplius idem Marsc. *num.* 239. quod non esset revocatum statutum, si ex hoc sequeretur scandalum. Verùm non video quale scandalum possit oriri ex revocatione statuti, si non adsit in loco ratio specialis illud servandi, sed sola illa ratio communis, quam jus commune reprobat. Nihilominus in periculo scandali expectanda esset secunda jussio, & consulendus Papa. Sed tamen juxta supradicta statutum non esset revocatum, si ejus observantiæ datur ratio specialis in loco.

301 Ad primum ergo in oppositum dicitur, quod authoritas Episcopi, seu Magistratus inferioris, & Pontificis, seu Principis sunt distinctæ, sed subordinatæ, & illa dependet ab ista, nec potest prævalere contra istam, & quatenus ex aliqua justa causa inferior disponat de eo, de quo disposuit Papa, vel Princeps, ut v. g. ut magis dispositio timeatur, & servetur, quia plus solet timeri, quod specialiter ordinatur, *cap. Si adversus de hæretic.* vel ex alia simili causa generali causæ subordinata, & illi annexa; dum Papa, vel Princeps non vult illam dispositionem servari, cessat omnis illa causa, & justitia, nec est unde magis timeatur dispositio, quam Papa, vel Princeps non vult timeri, & servari.

302 Nec obstat *cap. Cum inhibitio 3. de Clandest. desponf.* Tum primò quia in casu illius Capitis per Constit. Innoc. III. augebatur effectus, quia specialem aliquorum locorum consuetudinem prorogavit ad alia loca, quod sufficit, ad hoc ut illa consuetudo transierit in legem, sed ubi statutum præcisè disponit, & ex eadem causa principaliter, ex qua disponit jus commune, non augetur substantialiter effectus. Sed respondetur secundò, quod longè est diversa ratio in hoc de statuto particulari, & lege universali. Quia inferius non trahit ad se superius. Et propterea statutum particulare non potest facere, quod constitutio universalis dicatur esse statutum particulare, sed ubi Princeps sua authoritate immediatè disponit, dispositum simpliciter est de jure communi, & esto possit esse etiam de jure particulari, tamen quia superius trahit ad se inferius, vel illud saltem sibi subordinat, tunc dispositio absolutè, & simpliciter est de jure communi, & solùm ex parte, & subordinatè de jure particulari.

303 Sic neque obstat *cap. Ita quorumdam 6. de Iudæis*; Nam nihil obstat, quod pro diversis delictis unus, & idem sit excommunicatus à jure, & ab homine diversis excommunicationibus, & ita quod absolutus ab una excommunicatione non sit absolutus ab alia. Sed quando pro eodem delicto, & causa, quis excommunicatus est à jure, & ab homine, excommunicatio ab homine censetur potius declaratio, & denunciatio excommunicationis latæ à jure, quàm nova excommunicatio, arg. *cap. Cum secundum leges 19. infra de hæret.* ut benè advertit Auchar. *num.* 13.

304 Ad secundum dicitur, quod præcisè ex eo quod inferior disponat de eo, de quo disposuit superior, multiplicatur vinculum secundùm quid, quia vinculum, quod superadditur est subordinatum tam causæ, & fini, quàm jurisdictioni, & voluntati superioris, & se habet accessoriè, & tanquam accidens dispositionis superioris. Qua sublata vinculum illud, quod ab inferiore robur habebat, rumpitur, & dissolvitur.

305 Ad tertium dicitur, quod exempla allata sunt longè diversa, & in eis continetur specialis dispositio diversa ex parte dispositionis, & causæ illius, & non præcisè ex parte disponentium, quorum unus sit alteri subordinatus. Ad id verò, quod adductum fuit ex Joann. de Imol. benè respondet Domin. *num.* 29. quod licet Episcopus post latum commune jus, non possit contra illud statuere; potuit tamen statuere, quod tunc non erat contra jus commune. Quod superveniens statuto Episcopi illud non tollit, nisi juxta suprà explicata.

S V M M A R I V M.

306 *Ratio ad opposita.*
307 *Lex tollit consuetudinem generalem.*
308 *Consuetudo generalis, quæ est totius districtus legislatoris.*
309 *Lex non tollit specialem consuetudinem.*
310 *Nisi sit conformis juri communi.*
311 *An abrogatio consuetudinis causet scandalum.*
312 *Lex tolit specialem consuetudinem, si sit nota legislatori.*
Consuetudo non tollitur, non facta eius mentione etiam si sit contra bonum publicum.
Lex temporalis suspendit notam consuetudinem.
Lex tollit consuetudinem positam in corpore iuris.
313 *Lex non tollit consuetudinem specialem, etiam si fiat reditus ad ius antiquum.*

Quæst. un.

ARTICULUS XV.

Vtrum lex consuetudinem specialem locorum, aut personarum tollat, nulla eius facta mentione.

306 Videri autem potest, quod lex specialem consuetudinem tollat, quia in dispositionibus posterior priorem rem sibi oppositam, sive scripta sit, sive non scripta, abrogat, aut corrigit. Quia non possunt oppositæ leges simul observari, & inter leges posterior prævalet. In contrarium autem est authoritas præsentis Decretalis.

307 Dicendum est consuetudinem distingui in generalem, vel specialem, quæ est particularis loci, aut singularium personarum. Consuetudinem verò generalem nulla ejus facta mentione abrogat ex Pontificis, aut Principis. Gloss. *in v. singularium.* Anch. *num.* 11. Dom. *num.* 27. Franc. *num.* 15. Marscot. *num.* 194. Gomez *num.* 55. *& 66.* Palaus *tom.* 3. *disp.* 3. *p.* 5. *num.* 3. Et ratio est, quia ejus non potest præsumi ignorantia in legislatore. Qui propterea si contra consuetudinem generalem disponit, cùm velit omnino suam dispositionem habere effectum adversus consuetudinem sibi notam, ei indubitatè derogat. Addit Gloss. quod si lex generalem consuetudinem non tolleret, esset omninò inutilis, & nullibi servaretur; non est verò dicendum Pontificem, vel Principem inaniter legem ferre.

308 Extenditur verò hoc dictum, ut nomine consuetudinis generalis veniat illa, quæ est in toto districtu legislatoris. Et sic generalis est respectu Regis, quæ est in toto Regno, & respectu Ducis, quæ est in toto Ducatu, & respectu Episcopi, quæ est in tota Diœcesi, & respectu civitatis, quæ est in toto districtu illius. Et propterea lex Regis tollit consuetudinem, quæ est in toto Regno, & lex Episcopi tollit consuetudinem, quæ est in tota Diœcesi. Militat enim eadem ratio, ut præfati DD. advertunt. Et sic lex specialis, specialem aufert consuetudinem, si sit generalis respectu districtus legislatoris. Existimat verò Palaus *tract.* 3. *disp.* 3. *p.* 5. *num.* 6. Quod si superior promulget legem specialem pro aliqua parte sui dominii, licet illa lex

lex ad totam illam partem ſe extendat, non tollat conſuetudinem ſpecialem illius partis, etiam ſi illa reſpectu illius partis ſit generalis. Ex hoc verum eſt, quia reſpectu legiſlatoris ſuperioris illa conſuetudo non eſt generalis, ſed ſpecialis, quam ille poteſt ignorare. Unde caſu dato admonitus eſſet legiſlator de conſuetudine, & idem Palaus inquit, quod lex eſſet valida, ſed ſuſpenſa. Sed ego credo quod eſſet nulla, donec legiſlator conſcius de conſuetudine illam revocaret. Senſit etiam Suarez *l. 7. de leg. cap.* 20. *n.* 4. quod leges univerſales non revocant conſuetudines feudales, quod rejicit Palaus *tract.* 3. *p.* 5. *num.* 5. quia ſi illæ ſint univerſales, nulla eſt ratio, ob quam non dicantur revocari. Neque enim illas ſuperior univerſalis ignorat.

309 Loquendo autem de conſuetudine ſpeciali, dicitur, quod lex communis non derogat illi, niſi ejus mentio fiat. Ita expreſsè decernitur in hac Decretali; ejus verò ratio eſt, quia voluntas legiſlatoris non ſe extendit ad ignorata; præſumitur verò legiſlatorem ignorare particularium locorum, aut perſonarum conſuetudines. Archid. *n.* 3. Anch. *n.* 4. Palaus *tract.* 3. *d.* 3. p. 5. *nu.* 3. Rota *dec.* 414. *n.* 15. *p.* 5. *recent.*

310 Hoc verò præcipuè eſt verum de conſuetudine immemorabili, cui non derogatur, nec etiam ex vi clauſulæ generalis, *non obſtante conſuetudine*, niſi fiat illius mentio. Rota *dec.* 257. *num.* 2. *tom.* 2. *part.* 4. *& deciſ.* 71. *num.* 1. *p.* 5. *recent. & deciſ.* 53. *nu.* 13. *coram Emin. Otthobono*. Sed & eſt verum de omni conſuetudine ſpeciali etiam non adhuc legitimè præſcripta ſecundùm Suarez *l. 7. cap.* 20. *num.* 12. Sed benè hoc rejicit Palaus; quia conſuetudo non præſcripta non eſt jus, neque indiget revocari, unde nec poteſt contra novam legem pugnare.

311 Sed hoc ſublimitant Domin. & Franc. aſſerentes non tolli conſuetudinem legis ſervandæ ablata lege, ſi hoc generaret ſcandalum. Verùm hic animadvertendum, quod ſi lex nova priorem contrariam poſitivè abroget ſtatuendo contrarium, & præcipiendo, quod oppoſitum fiat; tunc conſuetudo obſervandi priorem legem prorſus tollitur; nec intrat cauſa ſcandali, quia ſcandalum Phariſæorum eſt velle agere contra legem, & quatenus poſſet in principio reperiri ſcandalum puſillorum, hoc tolleretur docendo populos, de convenientia legis novæ; & ſi illi nollent acquieſcere, hoc jam eſſet ſcandalum acceptum non vitandum. Quod dicitur in ſuppoſitione, quod ſubditi teneantur recipere legem ſuperioris, quod de lege Canonica negari non debet. Si verò lex nova antiquam abroget reducendo ad jus commune antiquum, contra quod non eſt conſuetudo ſervandi legem abrogatam, quia per ſimilem abrogationem tollitur legis obligatio, ſed non prohibetur, quin à volentibus ſervari poſſit. Ideò tunc nulla eſſe poteſt occaſio ſcandali, quia ſubditi vivere poſſunt ſecundùm conſuetudinem, licet ad id, non teneantur. Ratione tamen ſcandali vitandi poſſet expectari ſecunda juſſio legiſlatoris. Sed & eſt conſiderandum, quod ſi loci conſuetudo innitatur ſpeciali rationi, & diſtinctæ ab ea, qua jus antiquum abrogatum muniebatur, conſuetudo ſpecialis conformis juri abrogato non manet abrogata; quia eſt lex ſpecialis diverſa, cujus in legiſlatore præſumitur ignoraoria.

312 Lex etiam generalis cenſetur tollere conſuetudinem ſpecialem, ſi ſit nota legiſlatori, ut puta ſi ſit ejus loci in quo degit legiſlator, & cujus ignorantia non poteſt in eo præſumi. Gomez hic *numer.* 70. Quidam etiam dixerunt, quod lex tollat conſuetudinem non facta ejus mentione, ſi conſuetudo ſit contra bonum publicum. Sed hoc impugnat Gomez *numer.* 72. & benè; Nam voluntas legiſlatoris nunquam fertur ad ignorata; præſumitur verò ignorare conſuetudinem ſpecialem loci, aut perſonarum, quæ reſpectu legiſlatoris eſt quid facti. Addit Gomez *nu.* 73. quod lex temporalis non tollit conſuetudinem, quæ de ſe eſt lex perpetua. Nihilominus, ſi conſuetudo ſit nota legiſlatori lex temporalis ſaltem ſuſpendet conſuetudinem, ut non valeat pro tempore, quo lex contraria obligat. Idem Gomez *num.* 68. exiſtimat, quod lex abroget conſuetudinem poſitam in corpore juris. Hæc tamen conſuetudo ex quo eſt in corpore juris non eſt amplius lex non ſcripta, ſed eſt lex ſcripta, & ſic lex legem contrariam abrogat.

313 Quando etiam per legem fit reverſio ad jus antiquum, poſſet videri, quod per legem abrogetur conſuetudo non facta ejus mentione. Et ita tenuerunt nonnulli apud Gomez *num.* 63. *&* 70. Sed & hoc rejicitur ab eodem *num.* 71. Quia & jus illud antiquum jam eſt per conſuetudinem extinctum, & cùm legiſlator conſuetudinem cenſeatur ignorare, illam non abrogat per novam legem.

SVMMARIVM.

Quæſt. un.

ARTICULUS XVI.

Vtrum lex deroget reſcriptis, & privilegiis nulla illorum facta mentione?

Videtur enim, quod deroget. Nam hoc eſt proprium contrariorum, ut unum fortius aliud excludat, & ejiciat, quia contraria ſimul eſſe non poſſunt; igitur ubi lex poſterior, quæ ex hoc eſt fortior, & majoris efficaciæ ſit contraria priori reſcripto, vel privilegio, illud irritabit, & abrogabit. 314

Secundò; Nam ſaltem lex abrogat privilegium in corpore juris clauſum. Tum quia ſic tenent hic Gloſſ. *in v. Falſis*. Dom. *n.* 12. Anchar. Archid. Franch. *n.* 5. Crotus *nu.* 32. Marſc. *n.* 62. Felin. *inc.* 1. *n.* 12. *v. Fallit tertio ſup. de reſcrip.* ibidem Dec. *n.* 52. Fagnan. latè de hoc diſputans *in cap. Nonnulli. numer.* 38. *& ſequent. ſup. de reſcript.* Tum ſecundò, quia ſi ad revocandum per legem privilegium contentum in corpore juris eſſet neceſſaria mentio privilegii, hoc eſſet, quia tale privilegium facit jus commune circa nominatos, ut per Gloſſ. *in cap. Conſtit. infra de Regul. & in Clement. Dudum*, §. *illorum in v. De iure, de ſepult.* & per Jo. Andr. *poſt.* Hoſtienſ. *in cap. Ex parte el* 1. *p. num.* 3. *de decim.* Sed hæc ratio nihil valet, & contrarium probat, quia imò juris communis non eſt facienda mentio, ad hoc ut lex poſterior illi deroget, ut ſtatuitur in hac Decretali, & tradit Innoc. *in cap.* 1. *ſupra de reſcript.* igitur ad derogandum per legem privilegio inſerto in corpore juris non eſt neceſſaria mentio privilegii. Nam quoad effectum derogatorium ita judicatur de hoc privilegio, ac de jure communi. Gloſſ. *in capit. Vt circa. in v. Corporali. infr. de elect.* & ibi Gemin. Tum tertiò, quia intantùm DD. dicunt quod ad derogandum privilegio ſit neceſſaria mentio privilegii, inquantùm præſumi poteſt, quod Princeps privilegium ignoravit, dum legem condidit. Ut colligitur ex hac Decretali; ob hanc enim præſumptionem ignorantiæ, dicitur, quod lex non derogat ſtatutis, & conſtitutionibus locorum; ſed hoc locum non habet in privilegio inſerto in corpore juris, ut ex hac eadem Decretali eſt manifeſtum; ergo ſicut lex poſterior legem priorem abrogat nulla facta ejus mentione, ita abrogat privilegium in corpore juris contentum, cujus ignorantia non poteſt in Pontifice præſumi. 315

Præterea quartò Concilium Tridentinum multoties derogavit per ſuas leges privilegiis nulla eorum facta mentione. Nam *ſeſſ.* 24. *cap.* 15. ex ſententia S. Cong. ſuſtulit privilegium contentum *in Clem. Dudum, de ſepult.* §. *Si verò*, 316

au-

audiendi scilicet confessiones sæcularium sine Ordinariorum licentia, quoties Ordinarii eam exhibere recusaverint. & *cap. 6. sess.* 23. Clericis non habentibus requisita ibi præscripta ademit privilegium fori concessum in Concilio Parisiensi, ut habetur *cap. 2. de for. competen.* Item *in cap. 17. sess.* 24. ademit Cardin. privilegium retinendi plura beneficia curata, quod privilegium continetur in extravag. *Io. XXII. Execrabilis, de prabend.* Extravag. autem continentur in corpore juris. Item per generalem derogationem, quæ habetur *sess. 22. in capit. unic. de observan. & vitan.* in celebratione Missarum abrogatum fuit privilegium celebrandi in Altari portatili absque Diœcesani licentia, quod fuit concessum Prædic. & Minor. *in cap. In his, de Privileg.* ut censent Navarr. *cap. 25. n.* 82. Suarez *tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 3. *in fin.* Henriq. *l. 9. cap. 27. num. 2. in Gloss. lit. S.* & probat latè Fagnan. *d. cap. In his*.

317 In contrarium tamen est, quod in generali privilegiorum derogatione non venit privilegium insertum in corpore juris. Crotus hic *num.* 34. Marsc. *nu.* 207. Gloss. *in Authen. Qua in Provincia. in ver. Illic*, quam sequitur ibi Bartol. *in 2. opposit.* Bald. *vers. Tertia solutio. C. Vbi de crim. agi oporteat.* Gloss. *in Authent. Vt omnes obediant iud. in v. Privilegio coll.* 5. Bart. *in Extravag. ad reprimend. nu.* 11 Rom. *cons.* 498. *num.* 14. & 15. Butr. *in cap. fin. col. 4. de foro competen. & eodem tit. in cap.* 1. Rip. *num.* 56. Felin. *in cap. Nonnulli num.* 26. Dec. *cons.* 164. *nu.* 4. Unde cautela est, ut privilegiatus super immunitate, eam faciat inseri in statutis; quia tunc nova impositio illi derogans non operabitur, nisi faciat mentionem etiam de insertione, secundùm Paulum de Castro *in d. Authen. qua in Provincia*, & Cepoll. *annotat.* 76. Gloss. 2. *in §. Omnes, in verb. compelluntur*, & ibi Bald. & Paulus de Castro *ff. de iudic.* Felin. *in cap. 1. numer.* 12. *de rescript.* Si ergo generalis derogatoria non abrogat privilegia in corpore juris insenta, licèt faciat mentionem privilegiorum, multò minus ea abrogat lex sine clausula aliqua derogatoria privilegiorum. Ideò quod lex non abroget privilegium insertum in corpore juris, multis citatis voluit Pasqual. *decis.* 164. *numer.* 4. Ubi tamen vult, quod lex directa taxativè ad personas privilegiatas derogat privilegiis.

318 Dicendum quod ex duabus causis præcipuis ex quibus impeditur lex posterior, ne deroget priori legi, vel rescripto, vel privilegio, opinio supra *in 2. arg.* relata unam tantùm consideravit, & propterea diminutè, & minùs verè difficultatem solvit. Ut enim supra *art.* 7. probatum est, lex posterior, ut deroget priori dispositioni non facta ejus mentione, duas conditiones de mente Decretalis nostræ, & omnium DD. debet habere. Prima est, ut sit contraria priori dispositioni. Quæ contrarietas debet esse expressa in specie, & manifesta; quia aliàs quantum patitur verborum proprietas lex posterior interpretari debet, ut non sit contraria priori dispositioni, *cap. Cum expediat, infr. de elect.* & ibi DD. omnes. Secunda conditio est negatio præsumptionis ignorantiæ in legislatore novam legem edente, unde necesse est, ut lex posterior sit à legislatore sciente contrarietatem posterioris legis ad priorem dispositionem; Nam nec generalis derogatio operatur circa materiam ignoratam in facto consistentem. Tiber. Decian. *cons.* 40. *num.* 87. *l.* 3. Fagnan. ubi suprà *n.* 39.

319 Itaque duplex esse potest lex posterior, scilicet generalis, & specialis. Generalis seu universalis est lex, quæ de materia circa quam aliqui sunt privilegiati disponit generaliter, & universaliter. Et advertendum, quod ad hoc, ut in proposito lex dicatur specialis, non sufficit, quod disponat de materia circa quam aliqui sunt privilegiati, & alii multò plures, non quia hæc licet sit specialis, quantum ad materiam, generalis est, seu indefinita quoad personas, pro quibus fertur, & per distinctiones, & regulas juris, si generalitas limitationis sit capax, potest restringi ad genus aliquod personarum, & interpretari, ut non sit contraria privilegio. Et sic lex specialis in proposito est, quæ disponit de materia circa quam est privilegium, & per terminos indubitatè comprehendentes personas privilegiatas, vel illas nominando, vel universalitatem per terminos universales distribuendo taliter ad omnes personas, ut juxta juris regulas personæ privilegiatæ ab illa universalitate non possint excipi. Nam si excipi possunt salva verborum proprietate, instat regula juris, ut jura sic intelligantur, ut sibi non sint contraria. Quod præcipuè verum est de juribus contentis in corpore juris. Et propter hanc rationem dicitur, quod difficilius est derogare privilegiis insertis in corpore juris, *l. Eius militis. §. Militia missus, ff. de milit. testam.* Quia totum possibile fieri debet, ut lex posterior cum hujusmodi privilegiis concilietur, & nisi contrarietas sit manifesta, & indubitata, lex posterior illis non derogat. Rota *in Ianuen. privileg. coram Royas* 24. *Ianuar.* 1648. apud Pasqual. *q.* 339. *numer.* 31.

Dicitur igitur primò, quòd lex posterior specialiter, & expressè, vel æquivalenter disponens contra privilegium insertum in corpore juris, ita ut indubitatè sit contraria illi privilegio, eidem privilegio derogat nulla privilegii habita mentione. Et in hoc sensu vera est opinio DD. qui relati sunt in 2. arg. Nam talis lex indubitatè contraria, simul censetur esse à legislatore scienter disponente contra privilegium, undè privilegio derogat, etiam si ejus mentionem non faciat. 320

Dicitur secundò, quod lex etiam si specialiter, & expressè disponat contra privilegium non contentum in corpore juris, cujus privilegii possit in Principe præsumi ignorantia, vel inconsideratio probabilis, non derogat privilegio, nisi ejus mentionem faciat. Ita ex nostra Decretali colligitur, & tenent Gloss. *in v. Facti*. Archid. Anchar. Domin. *numer.* 12. Franc. *numer.* 5. Conrad. *numer.* 32. Marscot. *numer.* 61. Gomez *numer.* 63. Fagnan. ubi supra *numer.* 38. Nam quantum ad privilegia non inserta in corpore juris potest allegari ignorantia, vel inconsideratio probabilis in Pontifice. De quo habemus expressum casum *in cap. Ex parte* 12. *de off. deleg.* ubi Alex. III. propriam inconsiderationem confessus dixit: *Quoniam igitur, si memores fuissemus nos pro prædicto N. literas direxisse, pro adversario nullatenus scripsissemus, &c.* Etsi igitur manifestè constet Pontificem novam legem privilegio contrariam edidisse, ex vi hujus contrarietatis lex privilegio non derogat, nulla privilegii facta mentione. 321

Dicitur propterea tertiò, quod nec rescriptum rescriptum, nec privilegium privilegium in corpore juris non contentum, si contingat esse illi contrarium, abrogat, aut corrigit nulla ejus facta mentione. Et ratio est assignata, quia in Pontifice noviter rescribente, aut concedente privilegium præsumi potest ignorantia, vel inconsideratio prioris rescripti, aut privilegii. Nova verò dispositio non debet trahi ad ignorata ex regula in præsenti nostra Decretali statuta. 322

Existimant verò multi, quod rescripta, & privilegia sint quid facti. Et quidem de rescripto, quod sint quid facti tradit Marcus Antonius Marscottus *numer.* 86. Et hoc explicat, quia respectu Judicis judicare debentis est quid facti, quia ille ex rescripto fit Delegatus. De privilegio etiam quod sit quid facti, docet Gomez *numer.* 63. Sed horum utrumque habet instantiam. Nam rescriptum nedum datur ad juris definitionem, & ut per illud justitia fiat, sed essentialiter est actus jurisdictionis, & obligat suo modo etiam Papam rescribentem, ut nisi rescriptum revocet, secundùm illud justitiam fieri procuret. Melius dicitur, quod est jus particulare, quia immediatè respicit utilitatem impetrantis rescriptum. Et regulariter est jus temporale, quia datur ad causam in tempore terminandum, vel etiam per illud conceditur gratia temporalis, morte saltem impetrantis cessans, si prius non finitur. Privilegium etiam cùm sit lex privata, verè est jus, sed privatum, & sæpè etiam temporale. Quamvis verò in Pontifice sit obligatio non ignorandi hujusmodi jura, quia usquequò non sint revocata, secundùm illa debet judicare, & sine ratione aliqua, ex qua rationabiliter moveatur, non agit prudenter, si illa revocet, tamen non est tanta obligatio, quanta est sciendi, & considerandi leges, quæ sunt jura universalia, bonum commune immediatè concernentia. Quamobrem adjuncta multitudine rescriptorum, & etiam privilegiorum, & negotiorum facilius ignorantia probabilis eorum potest inveniri in Principe, & ideò ob multitudinem rescriptorum, & privilegiorum, & negotiorum toleratur aliquando horum ignorantia in Principe legislatore. Et propterea jura volunt, ut rescriptum non revocet rescriptum, 323

& pri-

& privilegium non revocet privilegium, nisi facta rescripti, & privilegii mentione, ut de privilegio, *cap. Veniens sup. de præscript.* & DD. *in cap. Cum ordinem de rescript.* In rescriptis verò ad lites, *cap. Cæterum de rescript.* Et generaliter, ubi per priùs rescriptum acquisitum fuit jus alicui, intrat lex, ut non intelligatur derogatum juri quæsito, nisi fiat illius mentio.

324 Et nihilominus quando secundum rescriptum, aut privilegium est ex certa scientia Papæ, aut sunt in eo clausulę derogatoriæ licet generales in verbis tales tamen, quę æquipollent certæ scientiæ seu derogationi specificæ, derogatur priori rescripto, aut privilegio contrario. Nam tunc manifesta est voluntas rescribentis volentis derogare.

325 Dicitur quartò, quod ubi lex generaliter disponat, quia potest, & debet interpretari, ut non sit contraria privilegio, nisi saltem æquivallenter, & virtualiter sit specifica, & sic privilegio contraria, non derogat privilegio etiam in corpore juris inserto non facta ejus mentione, quia lex legi non derogat, nisi illi sit contraria, ut cum Gloss. *hic in v. Priorem* tradunt DD.

326 Dicitur quintò, quod derogatoria generalis privilegiorum, sufficit ad hoc, ut lex deroget privilegio inserto in corpore juris, si lex disponat contrarium ejus, quod in privilegio continetur. Ita Fagnan. ubi supra *n.* 41. & ratio est, quia tunc excluditur, & concordia legis cum privilegio, & præsumptio ignorantiæ privilegii. Ex quo enim fit mentio privilegiorum primò est signum, quod legislator suam dispositionem intelligi esse contrariam privilegiis, quia exprimir, quod non obstent; esset verò inutilis ista clausula, si lex intelligeretur, ut non contraria privilegio, quia tunc illi non derogaret etiam posita illa clausula, quia lex priori dispositioni non derogat, nisi illi sit contraria. Ex quo etiam fit mentio privilegiorum constat in legislatore non esse illorum ignorantiam, & inconsiderationem.

327 Et per hæc patet responsio ad primum, & secundum argumentum. Ad tertium dicitur, quod exempla allata non sunt contra resoluta superiùs. Nam Concil. Trid. *in sess.* 24. *cap.* 15. expresè nominavit Regulares, unde ejus dispositio ibi est manifestè, at indubitatè contraria dispositioni Clemen. *Dudum de sepult.* Unde Regulares non possunt audire confessiones sæcularium Episcopo approbationem non concedente. De quo videri possunt, quæ latè scripsi *de statibus, & off. hominum tom.* 2. *q.* 187. *art.* 1. Et eodem modo specificè, & expresè contraria est dispositio, *cap.* 6. *sess.* 23. *cap.* 2. *de foro competenti.* Et idem dicitur de decreto *sess.* 24. *cap.* 17. respectu extravag. *Execrabilis Jo.* 22. *de Prabend.* Quantum verò ad decretum *cap. unic. sess.* 22. *de observ. & evit. in celebrat. Missarum*, quamplures negant per illud esse ablatum privilegium Altaris portatilis. Videantur, quæ dixi, *de stat. & officiis hominum, tom.* 3. *quæst.* 189. *post art.* 10. *in tract. de profess. inspect.* 10. *num.* 980. *& sequentibus.*

SUMMARIUM.

328 *Statutum factum in favorem aliorum, quando possit tolli.*

Quæst. unic.

ARTICULUS XVII.

Utrùm lex, vel statutum abroget legem, vel statutum factum in commodum, & utilitatem aliorum.

328 Dicendum breviter ex Anchar. *oppos.* 7. *n.* 8. & ex Dom. *n.* 16. & Franc. *n.* 7. Quod si lex transivit in quasi contractum, non potest revocari in præjudicium eorum, quibus est jus quæsitum. Quia pacta servari debent. Et justitia vult, ut cuique suum tribuatur. Facit ad hoc *cap.* 1. *supra de probat.* & notatur per Bart. *in l. Omnes populi ad fin. ff. de just. & jur.* & quod notatur *in Reg. quod semel, infra de Reg. jur.* Ubi verò Princeps possit disponere de jure quæsito subditorum ob bonum publicum, revocari posset lex, vel statutum, etiam si transisset in contractum.

SUMMARIUM.

329 *Quando lex revocans legem tollat effectus ejus.*

Quæst. unic.

ARTICULUS XVIII.

Utrùm abrogata lege, seu statuto censeantur sublati effectus ex legis observantia jam creati?

Dicendum breviter ex Gloss. *in verb. pro infectis*, & Paulo *in Clement. unic. de immunit. Eccles.* & Dom. hic *num.* 16. & Franc. *num.* 17. quod si lex simpliciter legem revocat, aut statutum non per hoc irritantur effectus ex vi legis jam producti, sed si ut fit *in d. Clement.* nedum revocatur lex, sed trahitur revocatio ad præterita irritando etiam effectus inde sequutos, tunc & illi irriti censendi sunt. Ex quo infert ibi Gloss. & Paul. quod in isto casu, si quis incurrisset excommunicationem legis antiquæ, quod non esset necessaria absolutio. Quod Domin. monet esse benè notandum. Est tamen hic considerandum, quod cùm ad præterita non detur potentia, effectus præteriti ex lege tunc vigente profecti, non sunt capaces, ut irritentur, nisi inquantum in futurum possunt durare, vel aliquem effectum producere; Nam quantum ad id, quod jam præteriit nequit fieri, quod non fuerit. 329

SUMMARIUM.

330 *Clausulæ derogatoriæ necessariæ ad derogandum juri.*
Necessariæ ad tollendam præsumptionem ignorantiæ.
331 *Mentio de jure in genere tollit præsumptionem ignorantiæ illius.*
332 *Jus potest habere accidentariam firmitatem præter illam, quam habet per se.*
333 *Mentio firmitatis accidentariæ in genere tollit præsumptionem ignorantiæ.*
334 *Ad vitandam subreptionem sufficit exprimere, quod de jure, vel praxi debet exprimi.*
335 *Clausula* quibuscumque non obstantibus, *derogat contrariis.*
336 *Non derogat habentibus specialem firmitatem.*
337 *Non excedit expressa in dispositione.*
Non supplet taciturnitatem.
339 *An tollat subreptionem.*
An ferat dispensationem.
340 *An tollat plura obstacula.*
341 *Derogat juri communi.*
342 *Non derogat privilegiis.*
343 *Ubi dispositio est ex certa scientia derogat omnibus.*
344 *Derogat specialibus, si adsit clausula*, etiam si talia, &c.
345 *Quid de clausula*, non obstantibus constitutionibus, &c.
346 *Clausula*, Non obstantibus privilegiis *necessaria.*
347 *Discrimen inter clausulam*, non obstantibus constitut. & non obstantibus privilegiis.
348 *Clausula*, non obstantibus privilegiis, *an comprehendat habentes derogatorias ad futura rescripta.*
Omissio derogatoriarum non infert præsumptionem ignorantiæ antecedentis.
349 *Ad derogandum privilegio habenti fortissimas derogatorias, sufficit clausula*, etiamsi, &c.
350 *Et sufficit hæc alia*, sub quacumque forma, &c.
351 *Fortissima clausula, quæ significat voluntatem disponentis esse derogandi priori privilegio.*
352 *Privilegiis, quæ transierunt in contractum non derogatur sine speciali mentione.*
353 *Nec quando infertur præjudicium tertio.*
Per clausulam, Non obstantibus, &c. *derogatur privilegiis aliàs validis.*
354 *Quid de privilegiis datis ad pias causas.*
357 *Et de factis commiserationis gratia.*

Quæst. un.

ARTICULUS XIX.

Quàm vim habeant clausulæ derogatoriæ, quibus utuntur Pontifices in suis dispositionibus, & rescriptis.

330 CUm verò dispositioni Pontificis aliquid possit obstare vel merè de facto, vel de jure, ad derogandum nudo facto in nullo jure fundato, nulla est necessaria clausula derogatoria, quia factum contra dispositionem Pontificis, vel Principis, si nullo jure sit fundatum, eo ipso est invalidum. Quæ enim contra jus fiunt, debent pro infectis haberi; Reg. *Quæ contra jus 64. in fin. infr. de reg. jur.* Imò debet tanquam delictum puniri, quia delictum est agere contra superioris dispositionem. Clausulæ igitur derogatoriæ necessariæ sunt ad derogandum juri, ut scilicet priori jure non obstante valeat posterior contraria dispositio, suumque sortiatur effectum, sed quia nova dispositio voluntaria ex natura rei tollit priorem cui contrariatur, etiam si illius mentionem non faciat; propterea ut probatum est *art.* 8. clausulæ derogatoriæ sunt necessariæ ad tollendam præsumptionem involuntarii in superiore de novo contra priùs jus disponente. Involuntarium verò directum non potest præsumi in superiore disponente de novo, quia præsumitur, quod superior voluntariè faciat, quod facit, ideò in superiore disponente contra jus priùs potest præsumi involuntarium indirectum, quod fit ex ignorantia contrarietatis novæ dispositionis ad jus antiquum.

331 Sit igitur prima regula hic observanda, quod scilicet mentio juris alicujus, licet in genere tollit præsumptionem ignorantiæ illius juris in tota sua universalitate; & propterea dicitur, quod clausula generalis derogans in genere juri, cujus mentionem facit, tollit præsumptionem ignorantiæ, & involuntarii respectu cujuscumque individui talis juris, & cuicumque individuo illius derogat, & facit, quod nova dispositio respectu illius juris in tota illius universitate fit, ac si esset ex certa scientia. Propterea Rota *decis.* 93. *num.* 28. *part.* 10. *recent.* dixit, quod clausula *non obstante, &c.* tollit jus non minus, ac si diceretur de plenitudine potestatis, & ex certa scientia, & *dec.* 192. *num.* 6. *part.* 1. *recent.* dixit, quod clausula *non obstante consuetudine*, demonstrat Principem habere notitiam consuetudinis, & ex Cassad. & Verall. deduxit scientiam concedentis in genere sufficere ad tollendam subreptionem, quia potuit considerare. Et propterea Rubeus *ad decis.* 90. *num.* 5. *part.* 9. *recent.* advertit magnam esse potentiam clausulæ, *non obstante, &c.* quia dum Papa ea utitur videtur ex certa scientia procedere, ad quod allegat Jo. Andr. *in cap. Directa, de confirm. util. vel inut.* & Bald. *in l. fin. C. quand. sent. rescind. non possit, & in l. Idem Vulpianus per illum text. ff. de excusat.* Et ratio est, quia ad hoc ut voluntas deliberatè, & prudenter possit decernere universaliter de aliqua specie, sufficit, quod cognoscat illam in aliquo, vel aliquibus individuis illius speciei, imò in individuo vago illius, & sciat, v. g. quid sit aliquod statutum, vel aliqua consuetudo. Nam omnia individua speciei univocè conveniunt in specie, & licet hæcceitatibus individualibus distinguantur, tamen istæ non sunt nisi modi illius speciei solùm materialem differentiam ferentes, & adhuc in eisdem modis omnia individua conveniunt analogicè, & sic se habet unum illorum ad speciem, & suam individuationem, sicut alia, unde ad hoc, ut homo liberè disponat de illis, & vel ea approbet, vel reprobet non est necessaria cognitio singulorum in se ipsis, sed sufficit cognitio eorum in specie, & individuo vago, Felin. *cap. Nonnulli, num.* 18. *vers. Et ideò si sic est, de rescript.* Cùm ergo mentio de aliquo jure in genere, seu specie contineat sufficientem notitiam ad hoc, ut jus illud prudenter vel approbetur, vel reprobetur, constat, quod hæc mentio tollit præsumptionem ignorantiæ in Principe faciente mentionem illius juris.

Potest tamen contingere, quod individuis alicujus speciei, vel generis ab extrinseco plura accidant incognita superiori, quæ tamen requirant, ut eis derogetur, aliter nova dispositio non valeat ex defectu involuntarii indirecti, & ignorantiæ, aut inconsiderationis. Hæc autem ad duo genera reducuntur, vel enim sunt conditiones, aut qualitates intra eamdem speciem augentes intensivè prærogativam statuti, aut legis prioris, contra quam procedit nova dispositio, ut si statutum fuit de partium consensu pluries, & pluries confirmatum; si statutum fuit confirmatum à Prælato aliquo inferiori; si statutum confirmatum fuit à Legato Apostolico, vel ex aliqua alia simili firmitate, quæ non trahit statutum ultra genus, vel speciem statuti lati ab inferiore Pontificis. Sed alia firmitas potest adesse, quæ fit ex additione juris alterius speciei, vel generis: ut si statutum sit juratum, & ideò sit de jure naturali virtutis religionis ejus observantia; si statutum sit confirmatum authoritate Apostolica, & jam statutum sit lex Pontificia; si statutum concernat interesse tertii, & justitiam ejus, & sic obliget ex speciali justitia. Potest igitur esse, quod prior lex, aut jus, contra quod de novo disponitur, habeat specialem firmitatem, præter eam, quam per se habet ex sua specie, vel genere, & quam disponens ignoret. 332

Sed hoc dato sit secunda regula, quod cujuscumque extrinsecæ firmitatis, quam habeat prior lex, aut jus, mentio facta in genere tollit præsumptionem ignorantiæ illius firmitatis in tota sua universalitate, & propterea quod clausula generalis derogatoria faciens mentionem in genere talis firmitatis derogat sufficienter juri sic firmato. Ut v. g. clausula *non obstantibus statutis juratis*, derogat sufficienter cuicumque statuto jurato; & clausula *Non obstantibus consuetudinibus authoritate Apostolica confirmatis*, derogat sufficienter cuicumque consuetudini sic confirmatæ. Quia, ut probatum est, ad disponendum universaliter sive approbando, sive reprobando sufficit notitia in genere, vel in specie. 333

Sit quoque tertia regula, quod ad hoc ut dispositio nova data ad instantiam partis sit valida, sufficit, quod non sit subreptitia, vel obreptitia, & ad hoc sufficit, quod impetrans exponat verè totum negotium nihil omittendo ejus, quod ex lege vel praxi exponi debet; gratiam verò non reddi subreptitiam, ex taciturnitate cujuscumque qualitatis, aut conditionis, quam neque ex lege, 334

lege, neque ex praxi impetrans debuit exprimere, ejusque mentionem habere. Quod probatur per ea, quæ adduxi, & allegavi *tract. de elect. cap.* 25. *n.* 290. *& de statutibus to.* 1. *q.* 185. *art.* 7. *n.* 499. *&* 610. *pag.* 348. *& q.* 186. *art.* 7. *n.* 137. *pag.* 527. Illud autem censetur esse exponendum, quod pertinet ad justitiam concessionis, aut ex lege, aut praxi deber exprimi.

335 Tribus verò hujusmodi regulis præsuppositis, & generales clausulas derogatorias in earum specie considerando, & incipiendo à clausula generalissima, *non obstantibus in contrarium quibuscumque*, dicitur primò, quod hujusmodi clausula, tollit omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possunt, Rota *dec.* 506. *n.* 5. *part.* 1. *recent. & decis.* 614. *n.* 8. *p.* 4. *tom.* 3. Eminentiss. Otthobon. *dec.* 46. *num.* 4. post Jason. *cons.* 100. *col.* 4. *ver.* 3. *moveor, l.* 4. Bero. *cons.* 147. *n.* 28. & multi alii, quos refert, & sequitur Barb. *claus.* 82. *n.* 4. Et indubitatè hoc est verum in his, ad quorum derogationem non est necessaria specialis derogatio, Nat. *cons.* 209. *n.* 6. Rota in Tarvisina plebis 28. Junii 1593. coram Mellino, Barbosa *ubi sup. n.* 6.

336 Sed ea regula secunda supra posita limitatur hæc assertio primò, ut non procedat, quando ea aliqua speciali firmitate addita antiquo juri est necessaria specifica derogatio, & expressa, Penna *dec.* 997. *num.* 5. post Dec. *in cap.* 1. *de jud. n.* 8. *in p. lect.* Arch. *in rubr. de const. n.* 2. *sup. in hoc* 6.

337 Secundò, quod præfata clausula limitatur ad expressa in dispositione, & gratiam validam reddit quantum ad illa, non verò quantum ad non expressa, unde non auget concessionem, vel dispositionem, Greg. XV. *dec.* 159. *n.* 7. ubi Add. *n.* 10. Royas *dec.* 41. *n.* 15. Sanch. *l.* 8. *de matrim. disp.* 24. *n.* 6. Et ideò non supplet taciturnitatem qualitatum necessario exprimendarum, Jo. Monach. *n.* 5. *&* 6. Arclid. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 1. Dom. *n.* 8. Franc. *n.* 10. Menoch. *casu* 203. *n.* 13. Sanchez ubi suprà.

338 Et ideò etiam dicitur, quod non tollit subreptionem. Quod licet neget Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *num.* 32. & Tuschus *lit. C*, *concl.* 349. *num.* 17. dicat, quod illa clausula tollitur subreptio gratiæ, si aliàs persona sit habilis, & ea facto suo non oritur subreptio, sed ex facto alieno publico, & noto, & non aliàs. Nihilominus Rubeus *ad dec.* 90. *part.* 9. *recent. num.* 102. solum quantum ad expressa admittit, quod clausula hujusmodi tollat subreptionem; *& num.* 109. indicat, quod non tollit obreptionem, Barbosa autem *claus.* 82. absolutè ait, quod non tollit subreptionem. Et horum utrumque mihi videtur verum, quia clausula, *non obstantibus*, non potest respicere, nisi expressè disposita quatenus veritati narrativæ sint innixa, unde si dispositio, cui adjungitur est nulla, & subreptitia, ipsa quoque nullius est valoris, Duran. *in disc.* 285. *n.* 152. *part.* 2. Et ideò hujusmodi clausula, nec etiam tollit obstacula personalia, & subjecti inhabilitatem, Tuschus ubi supra *n.* 3. Barbosa *d. claus.* 92. *n.* 7. Add. *ad dec.* 1. *de præben. in nov.* Nihilominus dicitur, quod clausula *Non obstante*, tollit subreptionem circa expressa, non quia tollat eam de facto, quia sic tollitur per expressionem eorum, quæ exprimi debent; sed eam tollit de jure, & facit quod dispositio cui est annexa non possit judicari subreptitia, *cap. non potest inf. de Prabend.*

339 Addunt autem multi, quod hujusmodi clausula non infert dispensationem, & se fundant *in d. cap. Non placet* §. *fin.* Gonzal. *in reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *num.* 32. Rubeus *ad dec.* 90. *num.* 106. *part.* 9. *recent.* Barbos. *claus.* 82. *nu.* 8. Et hoc quidem verum est circa non expressa, ad quæ nec se extendit efficacia clausulæ istius, nec se extendit dispensatio, quæ non fertur ad incognita, & non expressa, cùm dispensatio justè fieri non possit sine causa cognita. Sed ad expressa se extendit, ut ad dictum *cap. Non placet*, dicunt Anchar. *n.* 3. & ex Dom. & Jo. Andr. Franc. *num.* 2. *& fin.* In eo enim Cap. solùm decernitur, quod provisus à Papa de beneficio non obstante, quod ille noscantur aliud beneficium obtinere, non per hoc est dispensatus, ut plura beneficia retineat, sed hoc est, quia aliud est plura obtinere, & aliud est plura obtenta retinere, & hoc secundum non fuit in illis literis expressum, & ideò neque super hoc fuit dispensatum, quod tamen factum fuisset, si hoc fuisset expressum. Unde ex illo textu hoc habetur, quod dispensatio est stricti juris, & vi clausulæ, *Non obstantibus*, *&c.* Non infertur respectu ejus, quod non est expressum. Et ex eo textu hoc colligit Franc. *n.* 2. quod ubi alicujus textus est duplex intellectus, quorum unus excludit dispensationem, hic est præferendus in dubio, quia cùm dispensatio sit odiosa in dubio non est admittenda.

340 Existimant alii, quod clausula *Non obstantibus*, *&c.* non operetur, ubi sunt plures defectus, aut impedimenta tollenda, quia cùm plus sit tollere plura impedimenta, quàm unum, specialis expressio requiritur, ut plura tollantur, & satis est, si unum tollatur, Menoch. *casu* 203. *n.* 13. Gratian. *discept.* 827. *num. fin.* Barbos. *claus.* 82. *num.* 9. Et apud istos alii. Sed certè impossibile est, quod pluralis loquutio verificetur in uno solo, & ad tollenda plura obstacula specialissima expressio fit per verba pluralis numeri, qualia sunt, *non obstantibus contrariis quibuscumque*, *&c.* Quæ verba ostendunt intentionem disponentis esse, ut non obstante, quod plus sit tollere plura, quàm unum, tollantur nedum plura, sed omnia contraria, prout etiam dictum est, *n.* 335. & tradit Rota *decis.* 614. *num.* 8. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.*

341 Benè verum est, quod dicta clausula non derogat illis impedimentis, quæ ex propria ratione requirunt specialem mentionem, inter quæ numerari jus commune aliqui volunt, ita quod ad illi derogandum non sufficiat clausula, *Non obstantibus contrariis quibuscumque*. Ita Barbosa citans Jo. Andr. Anchar. & Dom. *in cap. un. infr. de excess. Prælatorum*, qui ibi nihil tale affirmant. Et verè id affirmari non debet. Vel enim novæ dispositionis, aut rescripti contrarietas est manifesta, aut est dubia, si est manifesta, & certa tantùm abest, quod non sufficiat clausula generalissima, *Non obstantibus*, *&c.* ad derogandum juri communi, quod neque illa est necessaria, quia juris communis in Pontifice non potest præsumi ignorantia, ut dicitur ex hoc textu. Pontifex verò ex certa scientia disponens contra jus commune, & vult illi derogare, & illi derogat. Si autem contrarietas sit dubia, in eo casu ex eo non habet locum derogatio, quia in dubio standum est pro concordia jurium, non pro contrarietate, qua stante clausula generalissima ex sua vi, & efficacia juri communi derogaret, si opus esset. Et hic juvat advertere, quod habet Beltraminus *ad decis.* 159. Gregor. XV. *num.* 10. *& dec.* 311. *n.* 19. scilicet, quod generalis clausula declarat intentionem disponentis esse derogare contrariis, & eis non obstantibus suam dispositionem valere.

342 An verò per clausulam generalissimam, *Non obstantibus quibuscumque*, derogetur privilegiis, Rota *dec.* 614. *num.* 8. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* videtur velle, quod per clausulam, *Cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque*, fuerit derogatum etiam privilegiis in corpore juris non clausis. Sed ibi non erat sermo de sola illa clausula generalissima, & præcesserant aliæ derogatoriæ speciales; quod habetur etiam ex illa dictione *Cæterisque*, quæ consignificat aliàs derogatorias præcessisse. Aliàs verò quod generalissima ista clausula, *Non obstantibus*, *&c.* non sufficiat ad derogandum privilegiis, statutis, & consuetudinibus tradidit Franc. *c. unic. de excess. Prælat. in fin.* Et ita dicendum est, quia sub terminis generalibus ex usu legali non comprehenduntur ea, quorum in legislatore, seu disponente præsumi potest ignorantia justa, & probabilis, talem verò præsumit jus esse in Principe respectu privilegiorum, statutorum particularium, & consuetudinum locorum, & ideò ad derogandum illis non sufficit derogatoria, *non obstantibus quibuscumque*.

343 Ablata tamen præsumptione ignorantiæ in Pontifice, ubi ille disponit ex certa scientia, per clausulam, *Non obstantibus contrariis quibuscumque* derogatur cuicumque quod possit obesse dispositioni illius; imò tunc nulla est necessaria derogatoria clausula. Quia Papa scienter disponens contra quodcumque jus, aut privilegium, aut statutum, aut consuetudinem, quia tunc & potest, & vult derogare, ideò derogat cuicumque contrario. Videantur dicta supra *art.* 12. *à n.* 212.

344 Si verò clausula, *non obstantibus quibuscumque contrariis*, non sit pura, sed adjungatur sibi clausula, *etiam si talia essent, quorum expressa mentio fieri deberet*, per eam derogatur etiam illis omnibus, quæ specialem derogationem requirerent, nisi illorum præsumi possit ignorantia in Pontifice, quia hæc clausula, *etiam si*, *&c.* est generalis, nec se extendit ad ignorata. Videantur dicta *art.* 13. *n.* 290.

345 His sic præmissis de clausula generalissima, sequuntur

tur aliæ clausulæ minus generales, ut est clausula, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, de qua posset esse disputatio, an sufficiat ad derogandum legi habenti derogatorias ad futuras leges, vel etiam legi conciliari. Sed de his satis dictum fuit *art.* 10. 12. *&* 13.

346 Sequitur clausula, *non obstantibus privilegiis*. Quæ quidem necessaria est ad hoc ut nobis innotescat derogari prioribus privilegiis, quia ut dictum est *art.* 16. Privilegium novum, aut nova dispositio non derogat priori privilegio, nisi fiat ejus mentio. Quod quidem limitat Barbosa *claus.* 83. *num.* 29. ut intelligatur, quando in totum derogatur, quia pro parte derogari potest priori privilegio non facta ejus mentione, *cap. Dudum*, §. *Nos igitur*; *& cap. Quamvis*, *infr. de Prebend.* Sed ex dictis Capitibus hoc solùm habetur, quod literæ speciales derogant generalibus nulla facta eorum mentione. Quamvis verò Silvest. *v. Privilegium num.* 10. ex Host. velit hoc verificari etiam in privilegio, hoc negat Franc. *dict. cap. Quamvis*, *num.* 2. *per cap. Cum ordinem*, *supra hoc tit.* Sed considerandum est, quod privilegium generale, & speciale non sunt contraria, quia non est necesse, quod generale verificetur in omnibus, & singulis. Et ideò per speciale non derogatur generali.

347 Jam verò est discrimen inter clausulam, *non obstantibus constitutionibus*, & clausulam *non obstantibus privilegiis*, quod constitutionem non præsumitur in Papa probabilis, & justa ignorantia, præsumitur verò privilegiorum, ideò præsumi potest, quod nova dispositio sit contra privilegia ignorata, si non adsit clausula, *non obstantibus privilegiis*. Quæ etiam si adsit, quia adhuc est generalis, ideò secundum multos sub ea non comprehenduntur privilegia, quorum debet fieri expressa mentio. Ideò per talem clausulam non derogatur privilegiis habentibus speciales derogatorias ad futura rescripta.

348 Hæc est sententia valdè communis, sic enim voluerunt Calder. *de privileg. cons.* 2. Card. *cons.* 53. *& in Clemen.* 1. *de sepult.* Feder. *cons.* 239. Paulus de Castro *cons.* 53. Panor. *in cap. Cum instantia*, *num.* 5. *de cens.* Roman. *cons.* 327. Felin. *cap. Nonnulli*, *num.* 4. *de rescript.* Barb. *claus.* 83. *n.* 7. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *p.* 21. §. 4. *n.* 4. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. *num.* 11. Et quidem pro certo tenendum est, in hoc casu specialem mentionem aliqnam esse necessariam, vel ad hoc, ut Pontifex non videatur parvi facere sui Prædecessoris statutam formam; vel ut tollatur litigantibus occasio cavillandi, & se defendendi contra novum privilegium, sub prætextu, quod in derogatione prioris non sit servata forma in eo statuta, & requisita ad ejus derogationem. Sed si de facto non sit facta specialis mentio talis privilegii habentis, quascumque validissimas derogatorias ad futura rescripta, & requirentis quamcumque plusquàm exquisitam formam ad ejus derogationem: nihilominus ex sola vi, & efficacia clausulæ, *Non obstantibus privilegiis* in contrarium facientibus, ei sufficienter derogatur, quia per talem clausulam sufficienter constat de voluntate derogandi. Non enim præsumi potest ignorantia privilegii, quia cùm privilegii in genere facta sit mentio, nec ad volendum derogare cuicumque privilegio requiratur necessariò major cognitio, quàm generica; non potest igitur præsumi ignorantia talis privilegii, quæ inducat involuntarium. Ad summum igitur potest præsumi ignorantia, vel inconsideratio necessitatis faciendi specificam mentionem talis privilegii. Sed hæc potiùs præsumi debet fuisse in ministris Cancellariæ, quàm in Pontifice. Et qui velit eam præsumi debere fuisse in Pontifice debet considerare, quod hæc inconsideratio non est talis, quæ inducat involuntarium respectu derogationis privilegii, quia ad hanc derogationem illa se habet, ut concomitans, & si eam necessitatem considerasset, non per hoc Pontifex non derogasset, sed derogando mentionem illius privilegii fecisset. Cæterùm nullus est vir prudens, & fortis, qui agat, & non velit actionem suam esse validam, & efficacem omni meliori modo, quo fieri potest; Et sic Pontifex disponens de novo, & expresse significans se velle, quod dispositio sua valeat privilegiis contrariis non obstantibus, in ea dispositione præsumi debet esse, ut velit dispositionem suam valere, non obstante quod forsan ex inconsideratione non sit facta expressior mentio alicujus privilegii, ad quam majorem expressionem ille non tenetur, cùm non ligetur sui Antecessoris legibus, & hæc inconsideratio non est illius, quod si fuisset consideratum retraxisset Pontificem à derogatione prioris privilegii.

Dicitur verò ulteriùs, quod ad derogandum privilegio habente fortissimas quascumque derogatorias, & requirente ad sui derogationem specialissimam, & exactissimam formam, sufficit si addatur alia clausula generalis, scilicet, *etiam si talia forent, de quibus mentionem fieri oporteret de verbo ad verbum*. Quod multò magis procedit, si addita fuerit clausula, *quorum tenores*, *&c.* Panorm. *c. Cum instantia n.* 5. *de censib.* Felin. *in cap. Nonnulli n.* 6. *de rescript.* Federic. de Sen. *cons.* 43. *n.* 3. Rodr. *q.* 9. *art.* 6. *p.* 1. *& p.* 2. *q.* 77. *art.* 8. Mirand. *p.* 2. *q.* 45. *art.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 22. *q.* 12. Bonac. *de leg. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 11. Barbosa *claus.* 83. *num.* 7. Tuschus *lit. P*, *conclus.* 751. & apud istos plures alii. Videantur dicta supra *artic.* 13. *numero* 287. 349

Imò sufficit hæc alia clausula generalior, scilicet si Pontifex dicat se revocare privilegia in contrarium *sub quacumque forma fuerit concessa*. Quia per hanc clausulam satis Pontifex ostendit intentionem suam esse, ut nova dispositio à se facta omninò valeat. Ut *in Clement.* 1. *de sepult. in fin.* Basilius Pontius *l.* 8. *de matrim. cap.* 19. *num.* 16. Suarez *de legib. l.* 8. *cap.* 38. *num.* 2. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 4. *n.* 11. Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *n.* 71. Palaus *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 21. §. 4. *n.* 4. 350

Hinc judicium fieri potest de sententia aliquorum, qui volunt quod comparari debeant posterioris, & prioris privilegii clausulæ, & videndum, quæ sint fortiores, & ita ut priori non censeatur derogatum, si illius clausulę efficaciores sint, & magis prægnantes, ultimi verò rescripti debiliores, Seraph. *dec.* 291. *n.* 10. *& dec.* 1271. *n.* 2. *& decis.* 1348. *n.* 2. Quod præcipuè esse verum ubi secunda dispositio, & ultima non sit per viam legis, sed per viam privilegii, dixit Rota in Terulen. statutorum 28. Junii 1645. Nam verissimum est, quod clausula posterioris dispositionis debet esse fortior; sed hæc fortitudo non in multitudine verborum, & magis specifica expressione eorum consistit, sed in sufficienti significatione voluntatis Pontificis de novo disponentis etiam per viam privilegii, & etiam per viam rescripti, & volentis actum suum non esse irritum ridiculum, & inanc, sed omni meliori modo valere priori dispositione non obstante. Ad quod demonstrandum sufficit clausula numero superiori posita, & quæcumque alia etiam generalissima, quæ sub se comprehendat in sermone usitato, & legali, quascumque alias specificas, & specialissimas. Nec etiam in foro externo remanet partibus, aut Procuratoribus, aut Advocatis jus aliquod novas hujusmodi dispositiones impugnandi. Voluntas enim Pontificis de novo disponentis prævalet efficaciæ cujuscumque clausulæ antè appositæ. Et quia, ut dictum est, etiam clausula generalis, *Non obstantibus privilegiis*, indicat voluntatem disponentis esse, ut sua dispositio valeat, & omissio mentionis derogatoriarum prioris dispositionis contrariæ non infert præsumptionem ignorantiæ antecedentis, sed solùm concomitantis, quæ non facit disponentem involuntarium; ideò illa sola clausula sufficit ad sustinendum valorem posterioris privilegii. 351

Pariter specialem mentionem requirunt privilegia, quæ transierunt in vim contractus onerosi soluto pretio, Crescent. *dec.* 2. *&* 5. *de privil.* Puteus *decis.* 47. *n.* 3. *lib.* 1. Mohedan. *dec.* 23. *in fine*, Barbosa hic *n.* 3. *& claus.* 83. *n.* 8. Sanchez *l.* 8. *de matrim. disp.* 33. *n.* 3. Suarez *l.* 8. *de leg. cap.* 38. *n.* 1. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. *n.* 11. Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *n.* 71. 73. *&* 79. Azor. *lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 11. Basil. *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. *n.* 16. Palaus *tract.* 3. *disp.* 4. *p.* 21. §. 4. *n.* 3. Quamvis verò si consideretur facultas revocandi hujusmodi privilegia distingui debeat inter illa, per quæ conceditur aliquid, cujus irrevocabile dominium non potest privilegiatus obtinere, ut est privilegium per quod conceditur jurisdictio Principis, & quod propterea Princeps etiam sine causa potest revocare secundùm Felin. *c. Novit*, *de jud. n.* 8. & qualia sunt privilegio exemptionis, & immunitatis, Navar. *cap. Cum contingat*, *de rescript. except.* 10. *n.* 10. Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 33. *num.* 6. Barb. hic *num.* 3. similiter considerandum sit, quod ubi pretium datum non adæquat acceptum, contractus non transit omninò in contractum onerosum secundùm Bald. *in l. Qui se partis*, *C. Unde liberi*, quem hic refert Barbosa, & requiritur, quod hæc pretii 352

com-

commenſuratio ſit perpetua, aliter conceſſio vim habet gratiæ, & privilegii per DD. quos idem Barboſa refert. Quamobrem conceſſio potius gratioſa, quàm oneroſa cenſeri debet, ſi pretium conceſſioni non æquivalet, Rota *dec.* 53. *num.* 8. *& dec.* 88. *num.* 4. *part.* 1. *recent.* & in Cæſarauguſtana de Mella 31. Januarii 1618. coram Coccino. Nihilominus quantum ad præſentem quæſtionem ſpectat, quodlibet privilegium, quod datum ſit ex contractu, & pacto eſt ſpeciale, nec intelligitur revocatum, niſi fiat ejus mentio; neque enim eſt purum privilegium, cùm ſaltem habeat mixturam contractus, & ideò in materia derogationis, quæ eſt odioſa, hujuſmodi privilegium non venit ſub nomine privilegii in communi. Imò ad illi derogandum non ſufficeret clauſula, *etiamſi, &c.* Quia non eſt veriſimile, quod Papa per clauſulas generales velit revocare contractus à ſe initos, niſi id exprimatur: pacta enim ſervanda ſunt.

353 Tertiò clauſula, *Non obſtantibus privilegiis*, non ſufficit ad derogandum privilegio in præjudicium tertii, Barboſa *d. clauſ.* 83. *num.* 21. ubi ex Marta *p.* 1. *clauſ.* 79. *n.* 7. addit, quod hæc clauſula nihil operatur, quando Princeps ignoravit jura ejus adverſus quem facta eſt conceſſio, *& num.* 20. quod nihil operatur, quando non fuit adhibita cauſæ cognitio, *& num.* 19. quod hæc clauſula intelligenda eſt de frivolis, & invalidis. Sed hoc tandem nihil aliud eſt dicere, niſi quod clauſula, *Non obſtantibus privilegiis* eſt frivola, & inutilis, quia privilegia, ſi quæ ſunt frivola, & invalida non indigent derogatoria, cùm per ſe vires non habeant. Et ſic, ſi illa clauſula non datur, niſi ad excludenda privilegia frivola, & invalida, ad nihil datur. Dicitur igitur, quod ſi derogatio privilegii præter præjudicium, quod ex privilegii derogatione infertur privilegiato, infert aliud notabile præjudicium, quod poſſit eſſe incognitum diſponenti, ad id non ſe extendit efficacia clauſulæ illius communis, ſecus ſi Papa deroget ex certa ſcientia.

354 Quartò ſpecialem mentionem requirunt privilegia conceſſa ad pias cauſas, per textum *in cap. Si propter, ſupra hoc tit. & in l. libertis, & §. poſthumis, ff. de aliment. & cibar. legat.* Felin. *cap. Nonnulli, num.* 3. *in fin. de reſcript.* Donatus *p.* 1. *tract.* 9. *clauſ.* 9. *num.* 9. Barboſ. *d. clauſ.* 83. *num.* 18. Sed certè textus illius *cap. Si propter* non innititur huic rationi, quia ſcilicet legata ad pias cauſas requirant ſpecialem mentionem, quia diſpoſitio illius textus verificatur, nedum ſi fructus Eccleſiæ ſint deputati fabricæ Eccleſiæ, ſed etiam ſi ſint deputati particulari perſonæ. Ideò vera ratio illius textus eſt, quia privilegia illa erant in utilitatem tertii, cui Pontifex nolebat præjudicium ferre, ut ibi explicant DD. Sed & aliud conſiderandum eſt, quod ubi Pontifex diſponit in materia ſpectante ad piam cauſam, vel circa perſonas Religioſas, aut Eccleſiaſticas, & eorum privilegiis derogat, nulla alia ex hac parte eſt neceſſaria ſpecialis mentio, quia ſatis conſtat de mente Pontificis volentis revocare, quod ad piam cauſam Religioſis, aut Eccleſiaſticis conceſſerat. Et abſolutè loquendo, vel privilegium cui derogatur eſt conceſſum illi eidem perſonæ, aut perſonis circa quam, vel quas Pontifex diſponit, ut quia eidem prohibet modo, quod prius conceſſerat, & non habet locum exceptio piæ cauſæ. Tum quia Pontifex nonniſi ex pia cauſa revocat conceſſa; quia nonniſi in ordine ad Religionem Chriſtianam, & Reipublicæ Chriſtianæ bonum agit. Tum quia non poteſt in hoc caſu præſumi in Pontifice ignorantia qualitatis hujus, quod eſt eſſe ad piam cauſam id, quod modò prohibet, & vult eſſe prohibitum non obſtante, quod prius fuerit conceſſum illis eiſdem perſonis piis, aut Religioſis, quibus fuerat conceſſum. Si verò privilegium fuerat conceſſum aliis ab illis, circa quos Pontifex de novo diſponit, tunc intrat neceſſitas ſpecialis mentionis, ex regula de non tollendo jure tertii non facta ejus mentione. Loquendo tamen de Principibus ſæcularibus locum habere poteſt hæc limitatio, ut per clauſulam, *Non obſtantibus privilegiis*, non tollantur privilegia conceſſa ad pias cauſas. In lege autem illa libertis, fit ſermo de legatis factis favore alimentorum, ut idem Felin. cognovit.

355 Extenditur verò hoc etiam ad illa privilegia, quæ facta ſunt commiſerationis gratia, ut etiam illorum fieri debeat ſpecialis mentio, quia & iſta cenſentur facta ad piam cauſam. Ita Felin. *cap. Nonnulli, n.* 19. Barb. *d. clauſ.* 83. *n.* 19. Donatus ubi ſupra *n.* 10.

Quintò non niſi facta mentione ſpeciali revocatur privilegium immediatè, & proximè conceſſum favore publicæ utilitatis, Felin. *dict. cap. Nonnulli, num.* 26. poſt Rom. *in conſ.* 498. *colum.* 5. Neque enim negari poteſt, quod favor publicus non ſit dignus ſpeciali conſideratione. Hoc verò Barboſa ex Theod. de Rubeis *clauſ.* 966. extendit, ut non cenſeatur derogatum privilegio conceſſo favore alimentorum, nec privilegio conceſſo univerſitati, aut Collegio, nec privilegiis à pluribus Pontificibus, ſeu Principibus confirmatis, nec conceſſis Auditoribus Rotæ, nec Collegio Cardinalium, *& num.* 22. idem dicendum putat de privilegiis conceſſis viduis, & pupillis. Sed loquendo de Pontifice derogante mihi ſemper videtur conſiderandum, an nova Pontificis diſpoſitio quæcumque illa ſit, ſive prohibitio ſit, ſive potius ſit conceſſio. Si ſit prohibitio videndum erit, an ſub ea comprehendantur Collegia, Univerſitates, Hoſpitalia, Auditores Rotæ, Collegium Cardinalium, &c. vel non comprehendantur. Si enim non comprehenduntur clauſula *Non obſtantibus*, non revocat illorum privilegia, quia non ſe extendit ad perſonas non comprehenſas in diſpoſitione, cui adjungitur. Si verò comprehenduntur, ſufficit clauſula, *Non obſtantibus privilegiis*, ad revocanda privilegia diſpoſitioni contraria; Nam illa privilegia non poſſunt habere ſpecialitatem, ex qualitate, vel dignitate perſonarum; tunc enim clauſula tantum ſe extendit, quantum ſe extendit diſpoſitio, quam Papa vult valere illarum perſonarum privilegiis non obſtantibus. Et tunc clauſula cenſenda eſt ſpecialis, & ſpecialiſſima, quia habet ſpecialitatem, & efficaciam à diſpoſitione comprehendente ſingulares illas perſonas, quas Papa ſcienter vult ſub illa diſpoſitione comprehendi, *Non obſtantibus eorum privilegiis*. Et contemptibilis eſſet diſpoſitio Papæ, ſi intenderet, v. gr. prohibere, ne univerſitas aliquid faceret, non obſtantibus privilegiis, & non intenderet derogare privilegiis illius univerſitatis, ſed privilegiis aliorum. Sed ſi nova diſpoſitio contineat conceſſionem, tunc clauſula generalis non derogat privilegiis aliis perſonis conceſſis non facta eorum mentione, quia intrat regula de jure tertii non tollendo, unde nec privilegio privatæ perſonæ derogatur non facta ejus mentione. Sed ſi privilegia ſint conceſſa eiſdem perſonis, quibus de novo aliud privilegiorum conceditur, & ſit ſub diſpoſitione nova comprehenduntur Univerſitates, Collegia, &c. ſi antiqua privilegia contingat eſſe contraria novæ conceſſioni, illis abſque dubio derogatur per clauſulam, *Non obſtantibus privilegiis*. Derogatio enim ad omnes illas perſonas ſe extendit, & ad eorum privilegia, ad quas ſe extendit Pontificis diſpoſitio. 356

357 Sextò dicitur, quod clauſula, *non obſtantibus privilegiis*, non derogat privilegiis inſertis in corpore juris. Ita Felin. *d. cap. Nonnulli, num.* 12. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 36. *num.* 34. Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. Rodriq. *p.* 1. *q.* 9. *art.* 3. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *p.* 25. §. 4. *num.* 5. Barboſa *clauſ.* 83. *n.* 1. Baſilius *l.* 8. *de matrim. cap.* 19. *n.* 16. Bonacina *d. n.* 11. Salas *diſp.* 7. *ſect.* 14. *n.* 71. & quamplurimi alii ab iſtis citati. Rationem hujus reddunt, quia non eſt veriſimile, quod Pontifex velit tollere legem diu excogitatam, *l. Si quando, Cod. de inoffic. teſtam.* Sed hæc ratio pluſquam frivola eſt. Quaſi verò dicere liceat, quod Princeps, qui habet jus commune in ſcrinio pectoris ſcienter diſponat contra privilegium in corpore juris poſitum, & nolit illi juri derogare, & ſic velit contraria, & impoſſibilia ſimul obſervari. Aliam rationem reddit Menoch. *præſ.* 40. *num.* 25. apud Barboſam *num.* 5. quia privilegium inſertum in corpore juris non eſt privilegium, ſed jus commune. Sed hoc impugnat Barboſa; quia privilegium inſertum in corpore juris non deſinit eſſe verè privilegium. Sed quidquid ſit de hoc, ſemper militat ratio poſita, quia nova diſpoſitio ſcienter habita per Pontificem, & verè contraria juri communi illi derogat, quia aliter Papa ſcienter vellet contraria, & impoſſibilia ſimul obſervari, vel novam ſuam diſpoſitionem inutilem eſſe, doloſam, & deceptoriam. Tertiam ergo rationem addit Barboſa *num.* 6. quam & reddidit Gonzalez *loco citato*, quia jus commune eſt potentius, & difficilius ei derogatur. Sed & hæc ratio nullius roboris eſt. Quia de facto novum privilegium eſt contrarium antiquiori contento in corpore juris, ut ſupponitur.

Et hoc Papa concedit scienter, quia non ignorat jus, quod habet in scrinio pectoris. Et sic semper militat ratio perita ex hoc, quod nova dispositio contraria juri, & scienter habita derogat juri ex natura sua etiam nulla addita alia derogatoria, unde multò magis derogatoria *non obstantibus privilegiis*, vim suam habet, & efficaciam, ut explicet mentem disponentis esse, ut privilegium licet in corpore juris clausum maneat abrogatum.

358 Limitat verò hoc Palaus, ut saltem non procedat in privilegio dato in Concilio generali; sed obstat, quod Pontifex potest derogare privilegiis à Concilio generali concessis, & dum de facto disponit contra dicta privilegia vult eis derogare. Neque enim habet hic locum involuntarium indirectum ortum ex ignorantia, cùm Decretorum Conciliorum generalium in Papa ignorantia præsumi, & admitti non debeat. Aliàs verò Pontifex id vult, quod non coactus, nec ignorans facit. Derogat ergo etiam privilegio concesso, aut firmato in Concilio generali, dum scienter disponit, ut fiat, quod est illi privilegio contrarium, & ponit clausulam *privilegiis non obstantibus*.

359 Septimò alii existimant, quod ex vi clausulæ, *non obstantibus privilegiis*, non derogetur oraculis vivæ vocis. Ita apud Barbosam *d. claus.* 83. *num.* 23. Henriq. *l.* 7. *cap.* 24. §. 8. Sà *v. gratia n.* 13. Flamin. 1. *p. method. cap.* 7. §. 6. Peyr. *ad const.* 17. *Julii II. num.* 3. Sed qua ratione hoc dici debeat, non video. Nam & concessa contra jus per hujusmodi oracula verè sunt privilegia, & quod eorum concessio non sit firmata manu Papæ, vel expedita in Cancellaria Apostolica minuit potius eorum firmitatem, & fidem, & voluntas Papæ disponentis de novo est, ut nova dispositio locum habeat, non obstantibus contrariis. Nihil verò interest, quod contraria sint hoc, uti illo modo concessa, quia derogatio non respicit modum, quo contraria fuerunt concessa, sed eorum substantiam, cum qua non est compossibilis nova dispositio.

360 Duo tandem circa hujusmodi clausulam sunt advertenda. Primum quod ubi Pontifex de novo sive condendo legem, sive condendo privilegium, sive rescribendo quomodocumque id facit ex certa scientia, & apparet eum scire contrarietatem novæ dispositionis ad antiqua privilegia, indubitanter illis privilegiis derogatur, & voluntatem Pontificis derogantis sufficienter declarat clausula *non obstantibus privilegiis*. Quam etiam clarius demonstrant aliæ clausulæ, v. g. *Non obstantibus literis Apostolicis, &c. sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, &c. quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, &c. tenores hujusmodi, &c. præsentibus pro sufficienter expressis habentes derogamus, &c.* Sufficeret autem etiam si solùm adderetur, *etiam si de illis fieri deberet specialis mentio*.

361 Et hoc pro certo habendum non interesse qua forma verborum utatur Pontifex dum significet voluntatis suæ esse, ut nullum contrarium obstet suæ dispositioni, & ideò se velle derogare privilegiis contrariis, quæcumque illa sint, Julius Clarus *lib.* 3. *receptarum*, §. *testamentum q.* 99. Sarmiento *l.* 3. *select. cap.* 14. *n.* 7. Covarr. *rub. de testam.* 2. *p. n.* 19. Sanchez *l.* 3. *de matr. disp.* 26. *n.* 7. Bonacina *de leg. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. *n.* 13. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *p.* 21. §. 4. *n.* 7. Rota *decis.* 614. *n.* 3. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.* Et advertit Palaus, dispensationes obtentas à Pontifice, vel à Cancellaria super impedimento affinitatis, aut consanguinitatis, contra Decretum Concilii Generalis *in cap. Non debet, de consang. & affin.* esse validas cum clausula, *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque*, quia ex praxi judicatum est per illam clausulam derogari etiam Concilio generali.

362 Secundò Regulares reminisci debent constitut. Urbani VIII. quæ incipit: *Cùm sicut*, & data fuit 5. Novembris 1631. & est in Bull. Rom. 8. *in Append. seu* 117. *inter omnes*, quia in ea decernitur constitutiones Pontificias comprehendere Regulares, nisi specialiter, & expressè excipiantur, etiam si ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque privilegia concessa sint cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, motu, scientia, & plenitudine potestatis, ut latiùs *in d. Constit.* §. 2. Et sic jam semel derogatum est omnibus privilegiis, quatenus ab eo tempore edendis constitutionibus, dispositionibus, & ordinationibus Apostolicis sint contraria.

363 Sequitur alia clausula, *non obstantibus statutis*, quæ quidem necessaria est ex sæpè dictis, quia statutis locorum non derogatur per literas Apostolicas, nisi fiat illorum mentio. Nam cùm respectu Pontificis sint quid facti, cujus in Pontifice potest esse justa, & probabilis ignorantia, non præsumitur in eo voluntas derogandi illis, nisi exprimatur.

364 Expressa verò habet efficaciam, ut deroget statutis quibuscumque particularium Ecclesiarum, nisi talia sint, quæ requirant specialem mentionem ex aliqua eorum qualitate speciali. Ideò per talem clausulam derogatur statutis generalibus omnia beneficia Ecclesiastica respicientibus, Rota *decis.* 1. & 2. *de præben. in nov. & decis.* 18. *num.* 2. *de rescript. in antiq.* Puteus *decis.* 229. *n.* 3. *lib.* 2. Felin. *cap. Nonnulli, num.* 23. *in* 8. *concl. de rescript.* Barbosa *claus.* 84. *num.* 10.

365 Ideò per eandem clausulam derogatur statutis Ecclesiarum requirentibus in impetrante beneficium actu sacerdotium. Requirunt tamen aliqui, quod impetrans in proximis futuris quatuor temporibus possit ad sacerdotium promoveri. Sed Barbosa *num.* 11. inquit, quod sufficit, quod sit in ætate, quod infra annum possit ad sacerdotium promoveri, Rota, & Adden. *dec.* 1. *de præbend. in nov.* Sed dicitur, quod ex vi clausulæ, *non obstantibus statutis*, impetrans eximitur à statutis, sed non à jure communi, nisi etiam in hoc sit, cum eo per aliam clausolam dispensatum, & ideò impetrans necesse est, ut sit illius ætatis, quam de jure communi habere debet, ut beneficium obtineat, nisi & in ætate ex jure communi necessaria sit cum eo dispensatum.

366 Primò autem specialem mentionem requirere censentur statuta per Papam confirmata, ut per Felin. *in cap. Nonnulli, num.* 10. *& cap. Constitutus, num.* 21. *vers. considera* 3. *de rescript.* Quod quidem verum est, etiam si per confirmationem statuta non sint facta Papalia, sed remaneant statuta per inferiores revocabilia, juxta dicta supra *art.* 5. Adhuc enim qualitas confirmationis Apostolicæ ob suam prærogativam requirit specialem mentionem.

367 Secundò, specialis mentio fieri debet de statuto jurato, Felin. *cap. Constitutus num.* 3. *& cap. Nonnulli, num.* 10. *de rescript.* per Gloss. *in cap. Cum non deceat. inf. de elect.* Rota *decis.* 18. *de rescript. in antiq.* Rom. *sing.* 18. Butr. Panorm. & Imola *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à majori part. capit.* Domin. *cons.* 308. Clausulistæ ad hanc clausulam. Quod quidem procedit, nedum si statutum sit juratum à Collegio, sed etiam si solùm sit juratum ab ipso impetrante gratiam, etiam si jurasset statuta in genere. Neque enim potest contra statuta impetrare, quin sit perjurus, nisi ex causa nova mutato rei statu juramenti cessaverit obligatio, Felin. *d. cap. Constitutus, num.* 4. post Dom. *cap. In his, dist.* 12.

368 Quinque tamen limitationes ex Felin. *in d. cap. Constitutus* adducuntur. Prima est, si juramentum non concernit substantiam statuti, sed reverentiam Papæ adhibendam in actu, & hæc adhibeatur, tunc enim rescriptum non vitiatur tacito juramento. Ut si Episcopus juravit se non alienaturum res Ecclesiæ inconsultò Romano Pontifice, & impetravit licentiam alienandi non facta mentione juramenti. Nam hic nihil operatus est contra juramentum, & ideò valet impetratio, Jo. Andr. *in cap. Ut super, de reb. Eccl. non alien.*

369 Secunda limitatio est, ut non sit opus facere mentionem de statuto jurato, ubi contra illud disponitur per legem, secundùm Dom. *cap. Cum non deceat, inf. de elect.* nisi juramentum fuisset præstitum separatim de servandis contentis in statuto. Et in hoc, inquit Felinus, concordant omnes secundùm Dom. quia tunc juramentum non est accessorium ad statutum, sed est vinculum de per se. Sed cùm, ut habet idem Felin. *d. cap. Constituens, n.* 9. authoritas Papæ regulariter sit excepta in juramento, & Papa non agat contra juramentum, si statutum ab inferioribus juratum revocet. Et dum Pontifex legem condit respiciat ad exigentiam boni communis, non approbatur præfata exceptio, sed absolutè dicitur, quod ubi Pontifex per viam legis aliquid disponit sufficit, quod faciat mentionem statuti, nec interest, an illud fuerit, vel non fuerit juratum ab inferioribus, quia inferiorum juramentum habet inhibitam hanc conditionē, nisi aliter Summus Pontifex, & legislator disposuerit, &

sic

sic juramenti obligatio cessat ex eo, quod Pontifex per novam legem statuto abrogat. Nec à jurantium obligatione dependet facultas, aut voluntas Pontificis in mutanda materia juramenti ex boni communis exigentia.

370 Tertiò fallit ubi statutum juratum concernat mareriam beneficiorum in Diœcesi vacantium, & vacet beoeficium in Curia, vel aliàs quomodocumque Pontifici sit reservatum; juramenrum enim respicit collationes beneficiorum ab Ordinariis factas, non verò factas auctoritate superiori à Papa, & ideò in talium beneficiorum collationibus sufficit generalis derogatio statutorum non facta meotione juramenti, Rota *dec. 18. de rescript. in antiq.*

371 Quartò fallit ubi dispositio cui adjungitur clausula, *non obstantibus statutis*, est facta motu proprio, Dom. post Lap. *inf. cap. 1. de fil. Presb.* Quia in boc casu non habetur respectus ad impetrantem, sed ad scribentem; qui non arctatur legibus, & qui intentionem suam satis manifestat per clausulam, *non obstantibus statutis*. Nec obstat, quod motus proprius oon auget gratiam, sed tollit subreptionem, quia hoc facit, quod non potest opponi subreptio ex taciturnitate juramenti. Sed huic limitationi obstat *cap. Non potest, infr. de Praben.* Licet enim motus proprius tollat subreptionem, & ex hac parte posset tollere subreptionem ex taciturnitate juramenti, tamen non inducit dispensatiooem; qui jurarunt igitur statuta indigent dispensari eo modo, quo fieri potest in juramento dispensatio, scilicet per mutationem materiæ juramenti; unde motus proprius non tollit obligationem, quam babent impetrantes manifestandi juramentum, ut cum illis possit dispensari ex justa causa.

372 Fallit quintò, ut quando non potest provideri alicui, quin frangatur statutum, aut consuetudo, aut juramentum; runc non sit oecesse facere mentionem de statuto, aut consuetudine, aut respectivè de juramento. Ita colligitur ex Dom. & Imol. *cap. fin. §. fin. inf. de consuetud.* Ubi enim non disponitur contra statutum, noo est necesse illi derogare, & si derogetur, nibil facit derogatio, cùm dispositio non sit contraria statuto, ut benè notat Francus *d. §. fin.* similiter si dispositio sit contra statutum, sed nullo modo sit contra juramentum, non est necessaria mentio juramenti, quæ etiam si fieret, non juvaret, quia clausula non derogat, nisi contrariis, & dispositio oon est contraria juramento, seu statuto sub ea ratione, sub qua est juratum.

373 Specialis mentio tertiò fieri debet de dilatione, ut clausula nedum tollat obstacula impeditiva, sed dilativa. Sic enim si clausula sit ista, *Non obstantibus statutis, per qua dispositio nostra impediri potest*, per hujusmodi clausulam non tolluotur impedimenta dilativa, nisi dicatur, per quæ dispositio nostra impediri possit, vel deferri, Felin. *cap. Nonnulli, num. 10. de rescript.* Barbosa *d. claus. 83. n. 3.* Sed ubi cooceditur aliquid pro determinato tempore, quod differt, & impedit pro co tempore impedir simpliciter, undè illud rollit clausula, *non obstantibus*. Vide infra *cap. Si propter 10. de rescript.*

374 Quattò specialem mentionem exigere statuta, quæ requirunt certam formam, ut eis derogetur dixeront Tuschus *lit. C, concl. 349. num. 10.* & ex Cravet. *cons. 572. num. 29.* Barbos. *n. 8.* Sed ubi Pontifex disponat per modum legis, hoc non verificatur, sed sufficit clausula, *Non obstantibus statutis*, quia Papa non ligatur statutis inferiorum suorum, & formis ab eis inductis. Idem ex eadem ratione dicitur verum esse, quando disponit motu proprio; satis enim ostendit voluntatem derogandi statutis per clausulam generalem, quidquid sit de forma quam ad sui derogationem requirunt, ad quam Pontifex non tenetur. Sed etiam si Papa disponat ad instantiam impetrantis, taciturnitas formæ ex statuto necessariæ ad ejus derogationem non potest inducere subreptionem, quia quod ex statoto ad ejus derogationem requiratur hæc, vel illa forma non respicit Pontificem, cui ab inferioribus non potest lex præscribi; & in se non est res tantæ considerationis, ot verisimile sit, quod Pontifex ex ejus scientia moveretur ad non disponendum contra statutum, unde nisi ex lege, aut stylo Cancellariæ illa qualitas statuti sit exprimenda, dispositio non redditur subreptitia, & invalida.

375 Quintò, specialem menrionem requirunt statuta, quæ in fundatione beneficii alicujus fuerunt facta. Habent enim prærogativam fundationis, cui valdè difficilius derogatur. Quod iodubitatum putat Rota *decis. 1. de prab. in nov. de fundationibus laicis*. Sed *dec. 41. de concess. Prebend. in antiq.* absolutè asserit clausulas generales non derogare ordinationi sondatoris io suo testamento. Nam & licet testaror sit Clericus, nihilominus prærogativa fundatoris specialis est, & exprimenda, ut gratia non sit subreptitia. Unde si ex fundatione, qui impetrat beneficium debet esse actu sacerdos, si hoc noo exprimit, ad valorem gratiæ noo sufficiunt clausulæ generales, Felio. *d. cap. Nonnullis, n. 23.* Quod adeò verum est, ut si etiam derogetur generaliter statutis juramento, confirmatione Apostolica, & quavis firmitate alia roboratis, non censeatur derogatum statuto singulari super certo beneficio, si illud statutum fuit factum in fundatione beneficii, ut declarat ibid. Rota.

Sextò, quod clausula *non obstante statuto, & quibusvis aliis statutis*, non se extendat ad derogandum statuto speciali, in quo est major ratio, quàm in statuto habente derogationem, quia derogatio intelligi debeat de similibus, tradit Barb. *claus. 83. n. 9.* ex Felin. *cons. 135.* Ubi quod claosula incerta est, & generalis, & ideò non capit majora, ex Tusch. *lit. D, concl. 245. n. 20.* 376

Quæ verò dicta sunt de clausula, *non obstantibus statutis*, cum proportione vera sunt de clausula, *non obstantibus pactis*. Nam imò statuta Collegiorum, aut Universitatum non habentium jurisdictionem non valent, nisi in vim pacti, seu contractus initi. Quod verò Barbosa *claus. 85. n. 2.* ex Menoch. *cons. 39. n. 62.* dicat ex vi hujus clausulæ non derogari dispositioni firmatæ de consensu partium, non admittitur, quia dispositio hujusmodi non est nisi pactum, undè ei derogatur. Sed nec videtur approbandum, quod subdit *n. 4.* ex Menoch. *cons. 1. n. 434.* & Rota *dec. 391. n. 1. p. 4. rec.* scilicet, quod non derogetur partium conventionibus sæpiùs confirmatis; quia coofirmatio partium non variat speciem, seu non addit jus, quod non sit comprehensum sub nomine pacti. 377

Sequitur alia clausula, quæ consuevit apponi in rescriptis, scilicet, *Non obstantibus consuetudinibus, &c.* quæ pariter est necessaria ex dispositione hujus Decretalis. 378

Per hanc tamen clausulam generalem non derogatur consuetudini immemorabili, ut communissimè DD. sentiunt. Prærogativa enim immemorabilis est singularis, cùm ipsa habeat vim privilegii legitimè à Principe concessi, & melioris tituli de mundo, & legis, & veritatis, & pacti, & denique tantam potestatem, quantam habet Imperator, quando procedit cum causa, Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 33. num. 4.* Petit propterea specialem mentionem, ot illi derogetur. Ideò licet in Concil. Trid. *sess. 24. cap. 20. de reformat.* adsit clausula universalissima, *non obstantibus, &c. & aliis quibuscumque consuetudinibus*, non comprehendi immemorabilem declaravit sacra Congregatio Concilii, prout referunt Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 33. num. 5.* Gratian. *discept. 492. num. 6.* Barbosa *de pot. Episc. part. 3. alleg. 84. num. 5.* Et censuit Rota *dec. 248. num. 1. & decis. 610. num. 1. part. 2. recen.* Ubi tamen consuetudo rejicitur ut irrationabilis, & contraria juri naturali, & divino, sicuti quò ipsa est diuturnior, eò est pejor, magis etiam abrogatur, etiam ex vi joris positivi, Rota in Cracovien. juris legendi 21. Maji 1627. coram Coccino, Covart. *l. 3. var. cap. 13. n. 5.* Duennas *in reg. 144. ampl. 3.* Gonzal. *d. gloss. 33. n. 9.* Garz. *p. 3. cap. 2. n. 190.* Rota in Prænestina jurisdictionis coram Orano 25. Maji 1565. Sed benè hoc explicat Rota in Burgen. emolumentorum sigilli 28. Januarii 1591. coram Penna, ut intelligatur, quando consuetudo est reprobata ut contraria juri oaturali, ac divino, secus si sit cootraria solùm juri positivo. 379

Ubi tamen sit eadem ratio de consuetudine immemorabili, & de alia arbitratur Barbosa *dict. clausula 83. num. 10.* quod tollatur per clausulam *non obstante quacumque consuetudine*. Quod voluit Rota *in cit. Prænestina jurisdictionis*, & Covarruv. *l. 3. variar. cap. 13. num. 5.* Garz. *part. 3. cap. 2. num. 190.* & apud eum Moneta *de distribut. part. 2. q. 12. num. 22.* sed tu coosidera. 380

Tertiam limitationem addiderunt alii volentes immemorabilem tolli per clausulam, *non obstante consuetudine*, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roborata. Pro qua limitatione Rotam in Cæsaraugustana subreptionis Brevium 16. 381

Jun. 1519. coram Orano, & Cot. *in decis.* 34. *in Miscellaneis manuscriptis*, & iterùm Rota *in dec.* 644. novissimarum Farin. circa finem, refert Garz. *d. cap.* 2. *num.* 191. Qui tamen meritò limitationem rejicit, eo quia illa verba, *vel alia quavis firmitate* intelligenda veniunt de firmitate extrinseca, sicut sunt firmitates ibi specificatæ, non verò de firmitate intrinseca orta cursu temporis immemorabilis. Et ita cùm in Cæremoniali Clem. VIII. derogetur consuetudinibus etiam juramento, Confirmatione Apostolica, & quavis alia firmitate roboratis, nihilominus sacra Rituum Congregatio 10. Januarii 1604. censuit non esse derogatum consuetudini immemorabili.

382 Sicut verò non derogatur immemorabili, ita nec derogatur consuetudini juratæ, aut confirmatæ à Pontifice, aut quavis alia firmitate, nisi id exprimatur. Hæc verò intelligenda sunt juxta dicta superiùs de statuto jurato, & confirmato. Ut verò advertit Gloss. *inf. cap. Cum aliquibus de rescript.* hujusmodi possunt confirmari, vel adjectione pœnæ, vel per alicujus superioris statutum, vel per confirmationem alicujus legati, vel alterius superioris, & ideò ponitur illa clausula aliqua firmitate roboratis. Non crederem tamen esse faciendam mentionem earum firmatum, quæ non mutant naturam statuti, nec addunt, nisi firmitatem accidentalem ab inferioribus ortam. Et Cancellaria abundat in verbis derogatoriis ad evitandas controversias, & cavillos litigantium, & loquitur de firmitate, quæ ex speciali lege requirat specialem mentionem, si aliqua contingat adesse.

Quæ verò dicta sunt de hac clausula, *non obstante consuetudine*, cum proportione verificantur de hac alia *non obstante præscriptione*. Et sic non derogatur præscriptioni immemorabili. Addit Barbosa *claus.* 88. quod nec præscriptioni quadraginta annorum; sed obstat, quia derogatur consuetudini quadragenariæ; solum enim immemorabilis excipitur eadem igitur ratione derogatur etiam quadragenariæ præscriptioni. 383

Præscriptio tamen malæ fidei non subsistit, & sic hujusmodi præscriptio tanquam rejecta à lege, etiam si sit immemorabilis tollitur per clausulam *non obstante præscriptione*, quia hæc nullo tempore procedit, *cap. ult. de præscript. & infr. regula possessor. de reg. jur.* Gloss. *verb. Nisi per text. in c.* 5. *infr. de Præscript.* Covar. *in regulam Possessor. part.* 2. §. 8. *num.* 4. Menoch. *casu* 225. *in princip.* & alii communiter. Quod tamen præscriptio malæ fidei, si sit immemorabilis possit allegari in vim privilegii præsumpti affirmat Barbosa *clausula* 88. *num.* 4. si sit tamen circa materia, in qua posset dari privilegium reale. Sed hæc alia controversia est, & sufficit huic quæstioni, quod præscriptio malæ fidei quæcumque illa sit, etiam si immemorabilis non subsistit, & ideò minus subsistere potest contra dispositionem contrariam munitam clausula, *præscriptione non obstante*. 384

DE CONSTITUTIONIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

UT animarum periculis obvietur: sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.

Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia, promulgatur: subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur: Cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Decretalis ad quid edita.*
3 *Regula prima textus.*
4 *Princeps non tenetur exprimere causam sui facti, nihil agendum sine honesta ratione.*
5 *Otiosum dictum, aut opus malum.*
6 *Princeps non potest legem edere sine ratione, quæ est ipsa virtus legis.*
7 *Dictio* ut, *sumitur causativè, & dicit causam finalem.*
8 *Finis Canonici juris est obviare periculis animarum.*
9 *Arguitur contra hoc ex aliquorum sententia* 10.
10 *Ius civile respicit salutem animarum.*
11 *Duplex justitia, civilis & naturalis.*
12 *Conclusiones falsò deductæ à Croto.*
13 *Pontifex claviger Cœli, & Pastor ovium Christi.*
14 *Principis est subditos in finem dirigere, qui est vita secundùm virtutem.*
15 *Felicitas, & finis naturalis, & supernaturalis.*
Finis humani regiminis est felicitas naturalis ex humana virtute.
16 *Nunc ad diligendum Deum super omnia, etiam ut authorem naturæ necessaria gratia.*
17 *Princeps temporalis respicit finem supernaturalem, ut subditus in illum dirigendus.*
Debet ordinare congrua fini supernaturali, & dirigi ex lege divina, & Canonica.
18 *Ius canonicum semper principaliter attendit salutem animæ.*
19 *Iuris Canonici forus contentiosus in totum dirigit in finem supernaturalem.*
20 *In foro contentioso juris Canonici non attenditur secundariò, sed principaliter salus animæ.*
21 *Ius Civile, & Canonicum non currunt pari passu.*
Iuris Civilis, & Canonici non est idem finis simpliciter.
22 *Fori contentiosi Canonici, & fori conscientiæ idem finis simpliciter.*
23 *Nihil licet in foro contentioso, quod non liceat in foro conscientiæ.*
Quod est permissum à lege non licet, sed quod est à lege approbatum.
Aliquando Ecclesia jubet, quod est bonum apparens, sed si est reale malum Ecclesia non vult illud observari, sed pœnam latam patienter sustineri.
24 *Decipiens citra dimidiam justi pretii tenetur restituere in conscientia.*
25 *Hoc est verum etiam si deceptio non sit ex proposito.*
26 *Et etiam si deceptio sit tacita.*
27 *Lex decepto intra dimidiam negans actionem permittit, non approbat.*
Deceptio dolosè conceditur actio.
Decepto minori conceditur restitutio in integrum.
28 *Lex Canonica reprobat contractum in quo quis est læsus citra dimidiam.*
Argumentum à contrario sensu, quando valeat.
29 *Decepto intra dimidiam de jure Canonico ad minus datur actio indirecta.*
30 *Lex civilis permittit deceptionem citra dimidiam.*
Res valet quantum potest vendi de jure.
Vendens citra dimidiam non tenetur donare.
31 *Substitutus pupillo per expressam pupillarem, an teneatur dare legitimam matri.*
32 *Eligi debet dignior, licet debeat confirmari electio digni.*
33 *Ad præscriptionem requiritur bona fides.*
34 *Statutum pœnale dicitur sententia.*
Quid significet sententia.
35 *Sententia juris, & hominis.*
36 *Differentia inter statutum, & sententia.*
37 *Differentia primaria inter præfata.*

38 *Dan-*

38 *Dantur leges, & statuta quae inferunt poena ipso jure.*
Ut incurratur poena hujusmodi non est necessaria sententia dispositiva, sed sufficit declaratoria.
39 *Censura tamen incurruntur absq; alia sententia, quamvis ad hoc, ut fideles teneantur vitare excommunicatum sit necessaria declaratio.*
40 *Excommunicatio est sententia impropriè.*
41 *Excommunicatio dicitur sententia interlocutoria.*
42 *Excommunicatio secundum aliquos est sententia propriè.*
43 *Explicatur qualiter excommunicatio dici possit sententia.*
44 *De omnibus statutis poenalibus loquitur textus.*
45 *Etiam de statutis civilibus secundum Gloss.*
Etiam si lex non obliget ad culpam interest animae, ut non ligec ignorantes.
46 *Solum de statutis, & sententiis canonicis loquitur textus.*
47 *Ignorantia etiam à jure communi excusat.*
48 *Ordinariorum nomine veniunt Episcopi.*
49 *Etiam Papa est ordinarius, & sub hoc nomine comprehenditur.*
50 *Nedum Episcopi, sed etiam Prelati inferiores, Abbatec, Prelati Regulares sunt Ordinarii.*
51 *Nec Plebani, nec alii similec sunt Ordinarii, sed illi soli, qui habent jurisdictionem in utroque fore.*
Plebani, & Parochi non possunt excommunicare.
52 *Decretalis ista non continet jus novum.*
53 *Regula textus explicatur remissivè.*

1 DUas partes principales continet haec decretalis, in quarum prima Bonifacius Octavus decernit, qualiter statuta Ordinarii ligent subditos intra Dioecesim existentes, & statuit non ligare ignorantes, sed solùm scientes. In secunda verò parte determinat excommunicationem latam ab Episcopo in eos, qui commiserint furtum non ligare committentes furtum extra Dioecesim.

2 Edita verò fuit haec Decretalis ad declarationem, *cap. A nobis, il 1. de sent. excomm.* ut advertunt Gloss. *in v. Ut animarum*, & Anchar. *n.1.*

3 Est ergo prima regula textus, quod sententiis à quibuscumque Ordinariis latis non ligentur ignorantes. Hoc verò se voluisse fatetur Pontifex, ut animarum periculis obvietur. Quamobrem, & ratio regulae editae, & regula ipsa diligentius considerandae sunt.

4 Quamvis igitur superior, & maximè Pontifex possit ex officio praecipere, quod sibi videtur conveniens, nulla causa expressa. Unde ex Innoc. *in c. Ad aures, de temp. ordinat.* Panorm. *c. Ratio, de praebend.* dixit vani capitis esse existimare superiorem noo posse praecipere sine causae cognitione, vel sine ejus expressione; tamen in rei veritate nihil faciendum est sine ratione, & motivo honesto. Nam & opus quodlibet malum est, si non sit de objecto honesto formaliter, vel si sit de objecto indifferenti, careat circumstantia honesti finis, juxta doctrinam D. Th. *part. 2. q. 18. art. 9.* Cajet. Conrad. Medinae, & aliorum expositorum, & DD. & praecipuè illorum, qui ex hoc concludunt non posse dari aliquem actum in individuo, qui sit indifferens.

5 Nam ut dixit Damasus *Epis. 4. ad Epis. Africa* & habetur, *cap. Corepiscopi 68. dist. Quod ratione caret, extirpari necesse est.* Sic otiosum verbum malum esse, de quo reddenda sit ratio aeterno Judici habetur, Matt. 12. Est verò otiosum verbum secundùm S. Hieronym. ibi, quod *sine utilitate loquentis, & audientis prefertur*, secundùm S. Basilium, *quod ad propositum in Domino usum non facit*, secundùm Gregorium, *quod ratione justa necessitatis, aut intentione pia utilitates caret*, secundùm S. Bern. *Quod nullam rationabilem causam habet.* Quòd si verbum otiosum est malom, potiori ratione malum erit otiosum opus, quod recta ratione, & honesto motivo careat. Et ideò in individuo malus est quicumque actus, qui sine intentione, & motivo honesti finis habetur. Divus Thomas 1. 2. *quaest. 18. art. 9. & 2. d. 40. art. 5.* & ibi Alber. *art. 4.* Durand. *quaest. 1.* Capreol. *q. 1.* Richard. *art. 2. q. 3.* Suarez *disp. 9. sect. 3.*

6 Sed Princeps praecipuè, seu Pontifex in condendis legibus, moveri debet ex universalis utilitate; neque enim licet legislatori condendo leges agere ex propria voluntate, ut sit illi pro ratione voluntas, sed solùm ex boni communis exigentia moveri debet, ut legem condat, quia imò hoc est legi essentiale, ut sit bono communi conveniens. D. Th. 1. 2. q. 90. *art.* 2. Ideò nec quilibet potest legem condere, sed solus superior, cujus ex officio est boni communis curam gerere, & juxtà boni communis exigentiam leges ferre. D. Th. *ibid. art.* 3. Et haec ratio meritò dicitur virtus legis, & spiritus illi praedominans, Gloss. *in l. qua ratione, §. licet, ff. de acquir. rer. dom.* Rota *decis. 384. n. 12. part. 5. recent.* Et ex ratione efficitur jus, ut ex Bald. tradit, eadem Rota *n. 13.* Et lex est quidquid in ratione consistit, Panormit. *cap. Ration. 1. de rescript.* Imò ratio est ipsamet lex quae impulit legislatorem ad sic faciendum, prout eadem Rota concludit ex Bald. & Imola.

Propterea Bonifacius Octavus juxtà Pontificum praxim suae legis causam reddere voluit. Nam dictio *ut* causalis est. Et hic causativè sumitur, ut notat Franciscus Zabarella *n. 1.* & importat causam finalem constitutionis, *cap. Ut debitus de appellat. & cap. Ut litigantes infra de rescript.* Quod praecipuè est verum, quando ponitur in principio dispositionis, Gomez *n. 1.* 7

Sic igitur causa finalis hujus Constitutionis fuit, ut per eam obvietur periculo animarum. Ex quo colligunt DD. hanc conclusionem, quod Juris Canonicis finis sit succurrere periculis animarum, *cap. fin. de Praescript. cap. 1. infrà de praeben.* Dom. *n. 1.* Gomez *n. 2.* Marscotus *n. 4.* Gloss. *in c. Cum contingat, in v. Debeat, de jure jurand.* Felin. *cap. 1 num. 5. de pactis*, & Panorm. *cap. fin. de consi.* dixit, quod finis juris Canonici est felicitas animae, finis verò juris civilis est bonum publicum, & dixerat prius Jo. And. *reg. possessor. in 7. col.* 8

Haec tamen communis conclusio non omninò placet Gomez, qui *n. 21.* duplicem distinguit finem juris Canonici, alium scilicet fori contentiosi, alium fori conscientiae, atque primum non in forum esse directivum ad salutem, neque omnia secundùm illum licita, esse licita in foro conscientiae, ut patet *toto 2. lib. Decretalium*, qui est circa judicialia, & *num. 32.* subdit, quod non omne, quod licitum est in foro Canonico contentioso licitum est in Foro conscientiae, ut est text. *in cap. Tua nos, de spons.* & docet Butr. *cap. Inquisitioni, de sentent. excommunicat.* forus enim Ecclesiae in specie, & forus conscientiae differunt, ut probat Praepos. *in cap. Tuae*, per illum textum *de sponsal.* & deducitur *ex cap. in literis, de restitut. spol. & cap. requisivit, de spons.* & ex Gloss. *in cap. Abbate sanè, infrà de re judic.* ubi habent, quod Publiciana competit de jure Canonico, & tamen in ea versatur mala fides tempore, quo quis agit. Ex quibus apparet, quod non semper jus Canonicum principaliter attendit utilitatem animae, quia in foro contentioso principaliter attenditur bonum publicum, & secundario bonum animae. 9

Sed praetereà jus civile salutem respicit animarum; Nam apud Jurisperitos est expeditum, quod quando lex civilis est justa in foro fori, utique erit justa in foro poli, idest conscientiae. Hanc enim regulam tradit Bald. *in cap. Qua Ecclesiarum*, per Gloss. ibi, *de Constitut. & in cap. In omni negotio, de test.* Ubi plus dicit, nimirum, quod si aliter diceremus omnis legum forma, & ejus subtilitates ducerent nos ad inferos, & scientia juris Civilis esset magis damnata, quàm maleficiorum. Et idem sentiunt Bald. *in leg. unic. Cod. de confess. & in Authent. Ingressi, C. de sacros. Eccles.* Aret. *cons. 47.* Jason. *in leg. post divisionem, Cod. de jur. & fact. ignor. & in leg. Nemo in 2. lect. in 18. col. de leg.* Tùm secundò, nam leges civiles animam cuicumque rei praetulerunt, *leg. Sancimus, Cod. de Episc. & Cler. & leg. fin. C. ad leg. Jul.* Jason. *in leg. 1. in 12. col. C. de off. ejus*, Rocchus Curt. *de jure patron. qu. 25. in 3. col.* igitur finis utriusque juris non differt respectu animae, ut probat Jason. ubi suprà. Tùm tertiò, quia ita sibi ad invicem conjunguntur scientia juris Civilis & Canonum, quod sicut ex Medicina, & Philosophia fit perfectus medicus, ita sciens jus Canonicum, & civile fit perfectus Legista, ut notavit Bald. *in cap. Cum causa in 2. col. de probat.* & Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariae in 22. col.* arguit, & reprehendit puros Canonistas, qui putant omnia posse decidi inter Clericos solis Canonibus. Igitur ex istis, & aliis, quae ibi Gomex cumular videtur, quos jus Civile, & Canonicum paribus passibus ambulent. Tùm quartò, quia qui agit, & peccat lege permittente poenam non meretur, *cap. qui peccat 23. quaest. 4. & leg. Grachus, C. de adulter.* Et quod jus civile dicatur scientia divina ex text. *in §. Juris prudentia, Instit. de jur. natur.* tenent quamplures, 10

plures, & inter alios Fr. Jo. Baptista Salis *in summa Baptis. fol.2.* ubi concludit, quod respectu finis jus Canonicum non distinguitur à civili. Et ideò Pelagius Papa scribens Chessoletico Regi, se legibus subditum profitetur, *c. Satagendum 25.q.1.*

11 Itaque igitur concludit Gomez *num.39.* & ait, quod distingui debet duplex justitia, scilicet civilis, & naturalis. Respectu primæ reperitur varietas in utroque jure, tam respectu causæ efficientis; quia jus canonicum est majoris dignitatis ob præeminentiam Pontificis, qui est Christi Vicarius, & propterea jus civile postponitur, ut *cap. Solitæ de major. & obed.* Quàm respectu finis, quia jus civile punit corporaliter, & sequitur rigorem. Sed jus Canonicum sequitur æquitatem, *cap. Inter hæc 33. quæst.2. & cap. Quamvis, infrà de pœnit.* Et secundùm istam justitiam variatur subjectum utriusque juris. Sed secundùm justitiam naturalem concordat utrumque jus, *§. Iuris præcepta instit. de just. & jur.* Hæc, & plura alia ad ornatum, & confirmationem suæ sententiæ habet Gomez, quæ tanquam non necessaria omissa sunt.

12 Econtra verò Jo. Crotus de monte Feratto ex eo, quòd juris Canonici finis sit salus animarum, deducit primò dubiam esse decisionem Butr. *in cap. Cum dilecti, de empt. & vend.* ubi ex D. Th. *2.2. quæst.71. art.2.* dicit non licere in conscientia contrahentibus se decipere etiam citra dimidium justi pretii; Nam hoc dictum non est verum, cùm jus canonicum, cujus finis est salus animarum, approbet hunc contractum, *d. cap. Cum dilecti, & cap. Cum causa, de empt.* igitur contrahentes sunt tuti in foro conscientiæ, aliter sequeretur, quod homines deciperentur legis clypeo, quod esse non debet, *cap. de viduis 27. quæst.2. l.1. in fin. Cod. de his, qui veni. ætat. impet.* Item secundò non est verum, quod habet Archid. *in cap. si pater, infrà de testam.* scilicet, quod substitutus pupillo per expressam substitutionem pupillarem non potest in conscientia denegare legitimam matri, quæ sibi competit in bonis filii; quia *in d. c. Si pater*, decernitur, quod per hujusmodi substitutionem mater penitus excludatur. Tertiò, confunditur decisio Panorm. *in cap. Constitutis el 2. suprà de appell.* nimirum, quod eligens dignum relicto digniori non est tutus in conscientia per *c. si quis justo §.1. inf. de elect.* Nam per jus canonicum approbatur electio digni; igitur qui eligit dignum non peccat.

13 Nihilominus dicendum est, quod hujusmodi propositiones, scilicet non semper jus canonicum attendit principaliter utilitatem animæ; quod forus contentiosus canonicus non in totum sit directivus ad salutem; quod in foro contentioso Canonico principalius attenditur bonum publicum, & secundariò bonum animæ; quod jus civile, & jus Canonicum paribus passibus ambulant; quod respectu finis jus Civile, & jus Canonicum non distinguntur. Istæ, inquam, propositiones indigent pia interpretatione; nam sic absolutè prolatæ falsissimæ sunt, & manifestè repugnant Euangelio. Nam Pontifici, qui Juris Canonici est auctor, nulla alia prorsus data est potestas, nec aliam habet, nisi potestatem clavium regni Cœlorum, sic enim Matt. 16. dixit Christus Petro: *Et tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*. Per claves autem dandas Petro intelligi potestatem, & jurisdictionem illius, dixit Rabanus in Catena aurea, c.16. Matt. *Claves autem regni Cœlorum*, inquit, *ipsam discretionem, & potentiam: nominat Potentiam, qua liget, & solvat: discretionem, qua dignos, vel indignos discernat*. Et D. Th. super c. Matt.16. ait: *Vnde Christus Vicarium suum Petrum constituit, ut introduceret in Cœlum, unde illud ministerium dedit, unde claves dedit. Claves enim introducunt, unde Petrus habet ministerium introducendi*. Pontifex igitur Petri successor non habet potestatem, nisi in ordine ad introducendum in regnum Cœlorum, tanquam regni Cœlorum claviger. Finem igitur mandati sui excedit, si quid operatur, & non principaliter, & propriè in ordine ad regnum Cœlorum; quia nulla alia sibi est data potestas, nisi ut solvendo, & ligando in terris regnum Cœlorum aperiat, vel claudat. Sed hoc manifestius probatur ex Joan. *cap.21.* Quod enim Christus Petro promiserat Matt.16. contulit post resurrectionem Joan.21. Et suum Vicarium illum constituit, non per alia verba, quàm per ista: *Pasces agnos meos, pasce oves meas*. Quasi diceret, inquit S. Thomas in Catena aurea Jo.21. *Sit amoris officium pascere dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem*. Et ex Alcuino magis ad rem nostram subdit: *Pascere autem oves est credentes in Christo, ne à fide deficiant, confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere: & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, adversariis obsistere, errantes subditos corrigere*. Sed hæc non ad alium finem, nisi ut Petrus tanquam fidelis servus oves Christi ad aulas Paradisi, & ad satietatem felicitatis æternæ perduceret. Nullam ergo aliam potestatem, aut jurisdictionem habet Papa Petri Successor, nisi pascendi Christi oves, & si hujusmodi fines excedit, malè facit, & non benè data sibi utitur potestate; nihil igitur potest disponere, nisi ex fine pascendi oves Christi, quia ad hunc finem limitata est potestas illius, cui nulla alia concessa fuit, nisi pascendi Christi oves.

Sed ut veritas ista manifestior fiat, audiamus D. Thom. 14
lib.1. de regim. Princ. cap.14. eam ex vera causâ explicantem. *Est*, inquit, *præconsiderandum, quod gubernare est id, quod gubernatur convenienter ad debitum finem perducere. Sicut etiam navis gubernari dicitur, dum per nautæ industriam recto itinere ad portum illæsa perducitur.* Cùm igitur Princeps, seu Prælatus sit subditorum gubernator, ejus aliud non est officium, nisi ut homines in proprium finem convenienter perducat. Subdit igitur D. Thom. *Si igitur finis hominis esset bonum quodcumque in ipso existens, & regendæ multitudinis finis ultimus esset similiter, ut tale bonum multitudo acquireret, & in eo permaneret. Et siquidem talis ultimus finis, sive unius hominis, sive multitudinis finis esset corporalis vita, & sanitas corporis Medici esset officium. Si autem ultimus finis esset divitiarum affluentia, Oeconomus rex quidam multitudinis esset. Si verò bonum cognoscendæ veritatis tale quid esset, ad quod posset multitudo pertingere, rex haberet doctoris officium. Videtur autem ultimus finis esse multitudinis congregatæ vivere secundum virtutem. Ad hoc enim homines congregantur, ut simul benè vivant, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens: bona autem vita est secundum virtutem, virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis*. Sit igitur firma hæc verissima assertio, quod finis humanæ multitudinis sit virtuosa vita; ex qua consequitur, quod cujuscumque Principis, seu superioris finis, officium, & intentio esse debet, ut homines congregati virtuosè vivant, & per consequens ut à multitudine excludatur peccatum. Quod est id, quod probant allata à Gomez, & posita suprà *num.10.* Pergit autem D. Thomas, & addit: *Sed quia homo vivendo secundum virtutem ad ulteriorem finem ordinatur, qui consistit in fruitione divina, ut suprà jam diximus, oportet eundem finem esse multitudinis humanæ, qui est hominis unius. Non est ergo ultimus finis multitudinis congregatæ vivere secundum virtutem, sed per virtuosam vitam pervenire ad fruitionem divinam. Siquidem autem ad hunc finem perveniri posset virtute humanæ naturæ, necesse esset, ut ad officium regis pertineret dirigere homines in hunc finem, &c. Sed quia finem fruitionis divinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtutem divinam, juxta illum* Rom.6. *Gratia Dei vita æterna, perducere ad illum finem non humani erit, sed divini regiminis*.

Ex his difficultatis habetur resolutio. Bonum hominis, 15
seu hominis felicitas, quæ est hominis finis, duplex est, alia scilicet naturalis, quæ spectata per se substantia sua per humanam virtutem consequi potest, & quæ illa est, quam consequi potuisset natura humana, si in puris naturalibus creata fuisset; nec ordinata in Dei visionem, quæ est finis supernaturalis, quam cognoverunt etiam Philosophi. Et aliud est bonum supernaturale nobis non debitum ex jure naturæ, quod non nisi per gratiam Christi, & virtutes supernaturales, & ex Christi fide per charitatem operante habitas, acquiri potest. Primum bonum naturale est finis humani regiminis, quem respicit jus civile, & humanus Imperator, sive Rex, & sic potestas, & jurisdictio Regum temporalium ejusdem rationis est in Christiano, in Turca, & Idolatra, quia in omnibus ex sua substantia, si non est tyrannica, respicit commune bonum subditorum, quod tamen in rei veritate consistit in virtute, ut est virtus humana, & naturalis. Quod idem D. Thom. ibidem *cap.15.* declarans ait, *Principis præcipuum studium debere esse, ut multitudo benè vivat, ad quod duo requiruntur, scilicet operatio secundum virtutem, & bonorum corporalium sufficientia, quorum usus ad virtutem est necessarius. Sic igitur*, inquit D. Thom. *ad bonam vitam multitudi-*

tudinis instituendum tria requiruntur. Primò quidem ut multitudo in unitate pacis constituatur. Secundò, ut multitudo vinculo pacis unita dirigatur ad benè agendum. Sicut enim homo nihil benè agere potest, nisi supposita suarum partium unitate, ita hominum multitudo pacis unitate carens, dum impugnat se ipsum impeditur à benè agendo. Tertiò verò requiritur, ut per regentis industriam necessariorum ad benè agendum adsit sufficiens copia. Et in sequentibus magis ostendit quomodo Princeps ad tollenda impedimenta benè, & pacificè vivendi disponere debeat de successionibus tam in bonis, quàm in publicis officiis: secundò, ut præmiis ad virtutem alliciat, & pœnis à peccatis coerceat: & tertiò, ut sibi subjectam multitudinem ab hostibus defendat. Sed hæc omnia per se, & propriè ad humanum Principem, & directorem non pertinent, nisi ut humana sunt bona, humana virtute acquisibilia.

16 Nimirum ut sunt acquisibilia ex naturali Dei authoris naturæ cognitione, & ex principiis legis naturalis per amorem Dei, ut naturæ principii. Quamvis verò ex quo nunc homo est ordinatus in Dei fruitionem, quæ est finis supernaturalis, nunc non possit homo diligere Deum, ut authorem naturæ super omnia sine gratia supernaturali, quæ est gratia per Christum, ut cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 3. docent communiter Theologi: sicut sine simili gratia supernaturali non potest homo se disponere ad justificationem, quæ est per gratiam sanctificantem, tamen Dei amor, prout est Dei authoris naturæ, est naturalis secundùm substantiam, & speciem suam, & ex directione cognitionis naturalis haberi potest, & est virtus humana. Et sic Princeps temporalis ordinatur ad bonum commune hominis naturale, & humanum, quod est vivere secundùm virtutem, quatenus virtus est humana, & per se ex cognitione naturali, & ex naturalis legis præceptis, & principiis acquisibilis. Et hic est illius proprius finis. Respicit verò finem supernaturalem, sed non ut finem proprium suæ potestatis, & jurisdictionis, sed ut finem generalem, & extrinsecum proprium superioris potestatis, cui sit subditus, & à qua in talem finem tam ipse, quàm subditi dirigantur.

17 Sed numquid ad Principem, seu ad jus civile nullo modo spectat bonum multitudinis supernaturale, & æterna Divinæ visionis fruitio, ut per Christi fidem per virtutes supernaturales est acquirenda. Respondetur, quod imò maximè spectat. Et hoc declarat D. Th. *d. cap.* 15. sic dicens: *Si igitur ut dictum est, qui de ultimo fine curam habet, præesse debet his, qui curam habent de ordinatis ad finem, & eos dirigere suo imperio, manifestum ex dictis fit, quod Rex sicut dominio, & regimini, quod administratur per sacerdotis officium subdi debet, ita præesse debet omnibus humanis officii, & ea imperio sui regiminis ordinare.* Princeps igitur humanus, & jus civile respicit finem supernaturalem, & bonum supernaturalis virtutis, non ut Princeps, sed ut Christianus, & ut subditus, nimirum non ut dirigat per illud, sed ut dirigatur, videlicet ut si dirigat subditos, non dirigat illos, nisi ut directus per sacerdotem, & ut subordinatus legi diviuæ, ut Canonicæ. Et sic ejus muneris est, inquit D. Th. ut sicut faber sic facit gladium, ut pugnæ conveniat, & ædificator sic debet domum disponere, ut ad habitandum sit apta. Ita, *ad Regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundùm quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea præcipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, & eorum contraria secundùm quod fuerit possibile intercidat.* Sic igitur jus civile, ut jus civile bonum humanum multitudinis tanquam proprium finem respicit, sed ut elevatus ex gratia per fidem Jesu Christi respicit salutem æternam, ut jus subordinatum juri divino, & Canonico, & ut ab eo dirigendum, ut nihil præcipiat, quod juri divino, & Canonico non conveniat, & pro posse faciat auxilium suum præstando, ne jus divinum, & Canonicum contemnatur.

18 Ex his fieri potest judicium de propositionibus suprà *n.* 3. positis. Prima scilicet, quod jus canonicum non semper attendit principaliter salutem animæ, sic absolutè prolata est falsissima, & digna censura, quia jus canonicum non est, nisi jus pascendi oves Christi ex Christi fide, cujus objectum est salus æterna per Christi fidem obtinenda. Quod adeò verum est, quod cùm permissio mali ex justa causa sit bona, & inter alias species legis detur etiam lex permissiva mali, & sic etiam jus canonicum malum aliquando permittat; adhuc tamen verum est, quod sicut jus civile non permittit malum, nisi ob humanam pacem, & publicum bonum conservandum, nimirum ad majus malum vitandum. Ita jus canonicum hoc non facit, nisi ut tollat majus impedimentum ad salutem consequendam. Et licet jus canonicum etiam procuret pacem publicam, & commune bonum, quod secundùm substantiam est naturale, & per humanam virtutem acquisibile; & sic aliquando materia juris Canonici sit virtus humana, seu pax publica, & civilis; nihil hoc ad jus canonicum materialiter se habet, quia non respicit tale bonum ut finem proprium, & principaliter intentum, sed ut materiam necessariam ad salutem æternam consequendam, & sic semper principaliter respicit supernaturalem finem fruitionis beatæ.

Secunda quoque propositio pessima est, scilicet quod forus contentiosus juris Canonicis non in totum sit directivus ad salutem. Si enim dum dicitur, quod jus canonicum, ut respicit forum contentiosum non sit directivum in totum ad salutem, id intelligitur contrariè, quia jubeat contraria saluti, propositio contra fidem est, & contumeliam facit Pontificibus, illis tribuens infidelem injustitiam, & iniquam officii administrationem; si etiam id intelligitur negativè, contra omnem rationem est præsumere quod jus præcipiat id, quod est in salutem æternam ordinabile, cùm non sit contra salutem, & tamen à fine suo deficiat, & non ordinet, sicut ordinare tenetur principaliter in salutem æternam id, quod mandat, vel si permittit permissionem ipsam, quæ justa est & sancta. 19

Tertia propositio ignorat se ipsam, & injuriam summam, & malignam justitiam infert juri Canonico. Dicitur enim, quod in foro contentioso canonico attenditur principalius bonum publicum, & secundariò bonum animæ. Primò enim distinguitur bonum publicum à bono animæ, quæ distinctio repugnat rationi, quia ut probatum est bonum publicum essentialiter, & simpliciter consistit in vita virtutis, quæ est bonum animæ. Cùm tamen bonorum animæ aliud sit naturale, & aliud supernaturale; dicere quod jus canonicum respicit secundariò bonum animæ supernaturale est dicere, quod sit ignoratissimè iniquum, & injustum. Secundariò enim intendere id, quod per se est summus & præcipuus & ultimus finis primò amandus est deordinatè velle, & contra rationem, & est ex suo genere mortale peccatum; sic ergo jus canonicum peccati nutritivum esset ignoranter iniquum, si secundariò salutem æternam animarum respiceret, nec condens tale jus ageret, ut Cœli claviger, & animarum Pastor si principaliter non intenderet cœlestem animarum satietatem. Sed debuisset considerari, quod agens respiciens supremum finem de omnibus disponit, sed in ordine ad finem suum, sic ergo jus canonicum disponit in ordine ad publicam pacem, sed tamen illam non respicit, ut finem simpliciter, & principaliter intentum, sed ut materiam & eo modo, quo Architectus respicit lapides, cementum, & ligna, ut materiam necessariam ad ædificium, sic enim, & jus canonicum respicit pacem politicam, seu civile bonum materialiter, sed formaliter non respicit illud, nisi ut ordinatum in sempiternam pacem, & fruitionem æternæ Dei visionis. 20

Quarta, & quinta propositiones tam sunt absurdæ, quàm absurdum esset dicere, quod pari passu ambulant, & in fine non distinguntur inferior artifex, & Architectus, miles, seu centurio, aut privatus Dux militum, & Imperator; Minister, & Princeps, causa secunda & prima, seu agens subordinatum, & agens subordinans. Non negatur quidem, quod Princeps Christianus non habeat pro fine vitam æternam, nam & subditi, & Regis idem finis est, quia imò ut habet D. Th. *d. l.* 1. *de reg. Princ. c.* 14. non alius est finis Principis, quàm bonum multitudinis, nec alius est finis multitudinis, quàm cujuscumque hominis, ut scilicet quilibet felicitatem obtineat, sed tamen subditus respicit finem, ut consequendum ex directione Principis, sed Princeps respicit finem, ut communicandum per suam directionem, & sic subditus respicit finem, ut dirigendus in finem, sed Princeps finem respicit, ut director in finem. Ulterius agens subordinatum respicit finem ultimum, sed non ut proprium sibi; finis proprius Fabri non est pugna, sed facere cultrum: militis verò ensem ordinantis proprius finis est pugna. Sic ergo primò distinguntur Rex, & Pontifex, jus civile, & canonicum; quod salus æterna est proprius finis Pontificis, & juris Canonici, ita quod quid- 21

quid

quid sit de objecto actionis externæ, quod multiplex est, objectum formale intrinsecum, & proprium internæ voluntatis Pontificis non est, nisi Ecclesiæ bonum supernaturale, & salus. Sed proprium objectum Principis, ut est Princeps humanus est bonum publicum humanum. Ex accidenti enim solùm ex eo, quod in hoc statu Deus nos ordinavit in vitam æternam, consequitur, quod Princeps non ut Princeps, sed ut Christianus ordinetur in æternam salutem, & finem supernaturalem. Rursus secundò considerato Principe ut Christiano, ille ordinatur in hunc finem æternæ vitæ, ut subditus, non ut Princeps formaliter. Nam ordinatur ut dirigendus, non ut director, & ut is, qui in humanis est Princeps, ideò est director multitudinis, sed tamen talis, qui in salutem æternam suos non potest dirigere, nisi ut directus per jus divinum, & canonicum, cui subest.

22 Sic ergo distinctio illa finis juris canonici in finem fori contentiosi, & fori conscientiæ non subsistit, unicus enim est utriusque fori finis formalis, & principalis, & sic fori illi materialiter solum distinguuntur; non verò formaliter. Nam utriusque fori materia est virtus, quàm jus canonicum non respicit, nisi ut est virtus supernaturalis ducens in finem æternæ vitæ, licèt aliqua talis virtus sit etiam virtus secundùm naturale jus, cujus virtus materialiter se habet ad virtutem, ut supernaturalem. Sic alia distinctio de justitia civili, & naturali pessimè applicatur. Lex enim canonica nec civilem, nec naturalem justitiam respicit, nisi materialiter; lex verò civilis utramque respicit tanquam propriam; justitiam quidem naturalem, ut principium, ex quo leges civiles condat; civilem verù justitiam ut illam, quæ per leges civiles statuitur. Canonicum verò jus utramque in finem supernaturalem sibi proprium ordinat, & supernaturalem justitiam divinæ legis habet pro principio ex quo suas leges deducit.

23 Hinc etiam apparet, quod falsum est, si verbum *licet* sumitur propriè, quod aliquid liceat in foro contentioso, quod non liceat in foro conscientiæ. Vel enim lex canonica est permissiva; & cùm permissio sit ejus, quod est malum, sed permissum ad vitandum majus malum, lex permissiva, nec malum approbat, nec dat licentiam operandi, nec ex vi talis legis licet illud malum agere, solum verò lex permissiva non vult illud malum, vel impedire, vel punire, quod ex causa justa justè fit, nullumque est malum. Quod si dicatur, quod verbum *licere* aliquando sumitur, pro eo, quod est esse permissum, juxta *leg. Non omnes, ff. de reg. juris*, ubi dicitur, non omne, quod licet honestum est, sic *licere* minus propriè sumitur, ut est idem, quod permissum esse, secus idem est licere, quod posse agi impunè, & hoc modo malum à lege permissum licet, pro quanto non punitur. Si verò lex sit præceptiva, vel prohibitiva nunquam invenietur, quod lex canonica, vel præcipiat fieri, quod est malum, vel prohibeat fieri, quod est bonum, & lege divina, vel naturali prohibitum. Verùm est, quod in mundo potest contingere, quod detur apparens bonum, quod sit re vera malum, & sic potest esse, quod Ecclesia in foro externo præcipiat, quod est verè malum, quia est apparens bonum, ut in casu, *c. Literas, de restit. spol. & c. Inquisitioni, de sent. excomm.* qui est conjugis habentis impedimentum dirimens occultum, & præcipuè si dirimat jure naturali, aut divino, in quo casu potest contingere, quod Judex præcipiat illi conjugi, ut non separetur ab alio conjuge, cui tamen in conscientia non potest reddere debitum: sed tantum abest, quod jus canonicum in hoc casu præcipiat aliquid illicitum in foro conscientiæ, quod imò, ut ex d. Capite habetur, vult quod conjux ille non reddat debitum, & potius sustineat excommunicationem. Duo igitur hic sunt, scilicet reddere debitum, quod est illud, quod est malum, & sustinere effectus pœnales excommunicationis. Hoc secundùm nullum est malum morale in hoc casu, & hoc vult Ecclesia. Primum verò quod est malum, Ecclesia prohibet.

24 Ex his igitur satis cùm remaneat probata doctrina communis, scilicet, quod finis juris canonici est salus animarum, remanent solvenda, quæ per falsam consequentiam, ex hoc principio verò colligit Crotus. Dicebat primò, ex quo finis legis canonicæ est salus animarum sequi, quod liceat contrahentibus se invicem decipere etiam ultra, vel citrà dimidium justi pretii, quia hoc approbat jus canonicum, *cap. Cùm dilecti, & cap. Cum causa de empt. & vendit.* Et pro eadem sententia refertur Bald. *cap. Si proponente de rescript.* Anchar. *in reg. Peccatum in 4. conclus.* Barbos. *cap. 1. de empt. & vendit.* Aretin. *cap. Cùm causa de test.* Et videtur hoc posse confirmari ex eo, quod *leg. in caus. §. Idem Pomponius, ff. de minor. & leg. Item si pretio, §. quomodo, ff. locati*, habetur naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Secundò, quia res tantum valet, quantum vendi potest, *leg. Pretia rerum, ff. ad leg. Falcid.* & unusquisq; in re sua est moderator, & arbiter, *leg. in re, Cod. mandati*. Contraria tamen sententia est communis, quam ex Theologis tenuerunt D.Th. 2.2. *quæst. 77. art. 1. ad primum*, & ibi Cajet. Bannes, Aragon. & Salon. Sylvest. *v. emptio, q. 7. & 8.* Sotus *leg. 9. de just. qu. 3. art. 1.* Molin. *disput. 350.* Less. *cap. 20. dub. 4.* Salas *tract. de empt. dub. 26.* & apud eum quamplures alii Palaus *de just. commut. tract. 32. disp. 5. part. 17. §. 2. num. 3.* Jo. Major. *quæst. 40.* Adrian. *quod leg. 6. art. 3.* Et ex Canonistis, & Juristis Marscotus hic *num. 16.* Innoc. Anan. Butr. & Panorm. *in cap. In civitate de usur.* & iterùm Panorm. *in cap. Quia plerique, qu. 9. de immunit.* & apud Gomez hic quamplures, Navarr. *cap. 6. de jud. not. 6. coroll. 13. num. 79. & cap. qualitas de pœn. dist. 5. à num. 27.* Covarr. *reg. possessor. part. 2. § 7. n. 2. & variar. cap. 4. num. 11.* plures alios referens, Martinez, Azevedo, & alii apud Salas. Et probatur ex illo Pauli ad Thessal. cap. 4. *Nequis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Deceptio enim ista citra vel ultra dimidium justi pretii est contra legem naturalem justitiæ commutativæ, quia decipiens possidet alienum domino invito, quia decepto, & circumvento, fraus enim involuntarium causat. Et ideò hoc confirmatur *ex leg. jure naturæ, ff. de reg. jur.* decernente injustum esse aliquem fieri locupletem cum alterius detrimento, & injuria. Quod habetur etiam *l. jure succursum, §. fin. ff. de jur. dotium*. Et propterea Bannes voluit oppositam sententiam esse improbabilem, & alii apud Salas esse erroneam.

25 Ad rationem autem in oppositum quidam distinguunt inter deceptionem, quæ licet sit in re ipsa, non est tamen ex proposito, & eam quæ scienter, & ex proposito fit; & dicunt, quod deceptio, quæ non est ex proposito non computatur in præsenti, sed si dolus sit ex proposito, & scienter, qui decipit agit contra conscientiam. Ita distinguunt Marscotus hic *n. 16.* citans Calder. *in c. Naviganti, de usuris*, & dicens, si D.Th. verba considerentur ea non discrepare huic sensui. Et Calder. refert etiam, & sequitur Panormit. *cap. In civitate num. 6. de usur.* qui idem tenet *c. Quia plerique, num. 28. de immunit.* & pro hac sententia refertur Dec. apud Gomez hic *num. 7.* Hæc tamen distinctio non applicatur, tum quia in *c. Cùm dilecti, & c. Cùm causa*, sermo est de deceptione, & sic de deceptione facta scienter, quia deceptio bona fide eveniens non est deceptio, sed error, Gloss. *in l. Si quis cùm aliter, ff. de verb. signif.* quam sequitur Gomez *n. 8.* Sed præterea deficit distinctio, quæ licet valeat ad excludendam culpam in decipiente, qui involuntariè decipit alium contrahentem, non sufficit ad tollendam obligationem restituendi errore cognito, quia adest tunc causa restitutionis ratione rei alienæ, Bannes 2.2. *q. 77. art. 1. dub. 3.* Covarruvias *lib. 2. var. cap. 4. num. 11.* Palaus *d. part. 17. § 2. num. 4.* Salas *tract. de empt. & vend. dub. 26.* plures alios referens.

26 Respondet igitur aliter Gomez *num. 10.* distinguens dolum ex proposito in eum, qui fuit adhibitus expressè, & qui fuit adhibitus tacitè, priori modo decipiens non est tutus in conscientia, quia videtur inducere vendentem fraudulentis verbis: & ideò tali casu dolosa persuasio plus est, quàm violenta coactio. Sed secundò modo licet in conscientia venditorem decipere, etiam si dolus veniat ex proposito, vel scientia emptoris; distinguendo tamen in hoc casu inter venditorem voluntarium, & necessarium, & intelligendo dictum de venditore voluntario, non in necessario. Sed neque hæc responsio subsistit, nihil enim interest considerare qualiter venditor sit deceptus, quia sufficit, quod non vendit pro pretio hoc minori justo citrà dimidiam nisi deceptus, & sic involuntariè vendit pro pretio illo, & qui emit rem habet alienum invito domino, quam retinere non potest, ut tradunt DD. suprà citati. Sed præterea debet considerari, quod deceptio, & fraudulentia ex natura sua repugnat legi naturali; unde non potest dici, quod sit approbatum à jure canonico, & quod ex hoc jure liceat sine peccato, quod unus contrahentium alium decipiat.

Respon-

27 Respondetur igitur dupliciter, & dicitur primò, quod in hoc casu lex unum permittit ad vitandum majus malum, & aliud mandat, sed quod mandat non est malum, sed bonum. Mandat ut læso non detur actio in judicio in hoc casu, & hoc est bonum, & necessarium ad vitandas lites immensas, & nunquam finiendas, permittit verò quod decipiens non restituat, non quia id approbet, sed solùm, quia ad id non cogit. Et nihilominus in multis casibus lex etiam concedit actionem. Nam si deceptio citra dimidiam sit fraudulenta, læsus actione doli agere potest, vel ad rescindendum contractum, vel ad hoc, ut suppleatur pretium, *l. Julianus*, §. *si venditor*, & §. *Idem Julianus*, *ff. de action. empt.* & *l.* 1. §. *Persuadere*, *ff. de servo corrupto*, & *leg.* & *eleganter*, §. *si quis*, *ff. de dolo*, & *leg. Univers. ff. de rerum permutat.* Panormit. & Anan. *cap. In civitate de usur.* Covarruv. *l.* 2. *var. cap.* 4. *num.* 11. Salas *de empt. qu.* 27. *num.* 7. Palaus *tract.* 32. *disp.* 5. *part.* 17. §. 2. Item minori læso infrà dimidium justi pretii datur restitutio in integrum ex actione minoris ætatis, ut per totum *tit. ff. de minor.* & *Cod. de in integr. restit.*

28 Respondetur secundò ex Marscotto hic *num.* 16. quod de jure canonico non approbatur contractus, in quo unus fuit deceptor infrà dimidium justi pretii, præcipitur enim, quod aut pretio recepto res vendita restituatur, aut venditionis legitimum pretium suppleatur. Igitur absolutè jus canonicum habet hujusmodi contractum tanquam vel nullum, vel annullandum, nisi justum pretium suppleatur. Nec valet dicere, quod *in dict. cap. Cum dilecti*, & *cum causa de empt.* & *vendit.* est sermo de deceptione ultra dimidiam, non verò citra dimidiam. Nam hoc dato ergo ex textibus illis non potest concludi, quod jus canonicum approbet deceptionem citra dimidiam, quia de ea non loquitur. Sed benè oppositum deducitur, quia licet jus canonicum in illis textibus expresse loquatur de deceptione ultra dimidiam, quia in casibus, circa quos erat quæstio, sic continebatur illa deceptio, tamen ex eadem æquitate justitiæ, qua reprobatur ibi deceptio ultra dimidiam, reprobatur etiam deceptio citra dimidiam, semper enim ex hujusmodi fraudulentia violatur justitia commutativa. Nec dicatur, quod per argumentum à contrario sensu, ex quo lex reprobat deceptionem ultra dimidiam censeatur approbare deceptionem citra dimidiam. Quia in argumento à contrario sensu, si consequentia deducitur affirmativè est rudis, frivola, & nullius valoris; neque enim valet dicere lex reprobat hoc, ergo approbat oppositum, sed valet consequentia negativè, scilicet, lex reprobat hoc, ergo ex vi hujus legis oppositum non manet reprobatum. Cùm quo stat, quod oppositum illud sit aliundè reprobatum; & quod illud lex reprobaret, si daretur occasio loquendi de illo opposito. Imò stat, quod ratio legis oppositum unum expresse reprobantis, militet etiam contra aliud oppositum, & quod hujusmodi opposita in hoc non sint opposita, sed maximè conveniant inter se. Sicut benè conveniunt deceptio ultra, & citra dimidiam in hoc, quod est esse contra justitiam commutativam, & sic etiam in hoc, quod est esse à jure canonico, si non expressè implicitè saltem reprobatam.

29 Et ideò in foro Ecclesiastico etiam ei, qui per læsionem infrà dimidium justi pretii læsus fuit per deceptorem ex vera scientia datur actio ad læsionis compensationem coram Judice Ecclesiastico, ut post Panormit. *in cap. in Civit. de usuris*, *num.* 6. & *in cap. Cum causa num.* 4. *de empt.* Anan. *d. cap. In civitate num.* 8. Calder. *in cap. Naviganti*, *col.* 4. *de usur.* Anchar. *in reg. Peccatum num.* 21. *infr. de reg. jur.* tenet Covarruv. *l.* 2. *var. c.* 4. *num.* 11. & idem volunt quamplures alii apud Tiraqu. *quæst.* 1. *Connub. num.* 11. Et licet Palaus *d. disp.* 5. *part.* 17. §. 2. *num.* 7. & Salas *de empt. dub.* 27. *n.* 3. pluribus citatis oppositum sentiatur, & velint nullam dari in foro Ecclesiastico actionem directam adversus læsionem infrà dimidiam justi pretii, & dicant hanc sententiam in praxi esse servandam. Nihilominus cum Navarro *cap. Novit*, *notab.* 6. *coroll.* 9. *num.* 79. concedunt actionem indirectam per viam denunciationis ad hoc ut Judex Ecclesiasticus faciat, quod lædens satisfaciat obligationi suæ conscientiæ.

30 Ad alia motiva allata *sup. num.* 24. respondetur, quod in citatis legibus verbum *licere* sumitur pro eo, quod est lege civili permissum, & dicitur licere naturaliter, quia hujusmodi permissio naturæ corruptæ sit consentanea. Illud verò proloquium, quod res tantum valet, quantum potest vendi intelligitur quantum potest vendi de jure, aut intra latitudinem justi pretii, Dominus rei verò potest ad libitum rem vendere, & etiam donare: sed donare non præsumitur, qui rem vendit deceptus minori pretio, quàm valeat; Cajet. 2. 2. *q.* 77. *art.* 1. Covarr. *d. n.* 11. Salas *d. q.* 26.

Ad secundum argumentum ex Croto adductum respondetur quamplures DD. existimare, quod substitutus à Patre per expressam substitutionem pupillarem possit in conscientia negare legitimam matri, sicut videtur velle textus *in cap. Si Pater*, *infr. de testam.* & hoc videtur sentire Francus ibi, *num.* 116. & tenuerunt quamplures, quos hic refert Gomez *num.* 15. & *sequent.* Sed tenendo opinionem Archid. quam Gomez *num.* 19. dicit esse communem, non est dicendum, sicut idem Gomez *num.* 32. dicit, scilicet, quod non omne quod secundùm Canones est licitum in foro contentioso sit licitum in foro conscientiæ. Quia id est licitum secundùm Canones, quod est ab ipsis approbatum, non verò si propriè loquamur, quod est ab illis permissum, licet tunc permissio ipsa sit licita, quia approbata, impium verò est asserere, quod approbatum per Canones sit in conscientia illicitum. Sed dicendum est secundùm illam opinionem, quod Canon in eo casu matri negat solùm actionem in foro contentioso pro obtinenda legitima filii pupilli, & sic negare illi hanc actionem est licitum tam in foro fori, quàm in foro poli; quamvis in foro poli substitutus teneatur secundùm sententiam Archid. tradere matri legitimam filii. 31

Eodem modo dicitur ad tertium, legem canonicam velle, quod electio digni confirmetur, & non excludatur, nisi indignus, quia hoc bonum commune requirit supposita illius electione, unde non licet ex hoc arguere ad electionem ipsam, quia imò bonum commune requirit, ut semper dignior eligatur. Imò supposita electione dignus factus est dignior, quia contra bonum commune esset, si digniori daretur actio ad exclusionem digni. Quando enim, & quomodo probaretur in judicio major dignitas, quæ non à sanctitate morum, & doctrina solummodò, sed à circumstantiis etiam extrinsecis, & sæpè non manifestis, & quæ probari de facili non possunt, dependet & mensurari debet? Repleretur propterea Ecclesia inutilibus, & interminabilibus litibus, unde ut istæ cessent, jam æquitas canonica vult, ut dignior habeatur dignus electus. Videantur quæ scripsi *tract. de electione cap.* 30. *per totum*. 32

Stat igitur firma assertio communis, quod jus canonicum habet pro fine salutem animarum. Et ex hoc colligit Dom. quod ad præscriptionem canonicam requiritur bona fides, quæ non est necessaria de jure civili, *cap. fin. de præscript.* Itaque quia si sententiæ pœnales Ordinariorum ligarent ignorantes, hoc vergeret in periculum animarum; ideò Pontifex decernit, quod non ligent. 33

Per sententias intelligit statuta pœnalia; Quæ dicuntur sententiæ, sunt enim sententiæ juris, *capit. Pro humani*, *infrà de homicidio*, & Canon latæ sententiæ dicitur, qui continetur, *cap. Si quis* 17. *qu.* 4. Differunt tamen multipliciter statutum, & sententia propriè dicta. Nam statutum dicitur à statuendo; est enim jus ab homine positum, vel dispositio ex qua jus producitur. *Instit. de jur. nat. gent.* & *civil.* Sed sententiam secundùm S. Thom. 3. *d.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *qu.* 1. est determinata acceptio alterius partis contradictionis, vel ut item D. Thom. 1. 2. *qu.* 96. *art.* 1. *ad primum*, & 4. *d.* 35. *art.* 3. *ad primum dicit:* est applicatio juris ad particulare factum. Quamvis ut advertit Silvest. *v. sententia*, prima sententiæ descriptio est sententiæ valdè communiter dictæ, ut etiam in scholis, & speculativis facultatibus reperitur, & opinio, vel judicium determinatum de aliqua veritate sententia appellatur. Distinguuntur ergo, quod statutum est jus, sed sententia est applicatio juris ad casus particulares. 34

Et nihilominus considerandum, quod merito hoc nomen sententia, licet minus propriè dicitur de statuto, seu lege pœnali; quia per talem legem applicatur jus ad personas. Lex enim nedum prohibet actum, vel præcipit, & sic statuit, disponit, mandat, præcipit, & ideò est statutum seu lex; sed inobedientibus imponendo pœnam applicat jus & ultimatè decernit, & damnat, seu absolvit; & ideò dicitur sententia. Unde est duplex sententia, alia juris, alia hominis, prima coincidit cum lege, seu statuto, 35

to, & propterea hic per senteotias intelliguntur statuta pœnalia, ut advertit Francus *n.1.*

36 Sed alia est sententia hominis, quæ magis propriè dicitur sententia, & valdè distinguitur à statuto, & hæc est actus judicis inter partes judicantis, & ut dicebatur est applicatio juris ad casus particulares, ioquibus partes disconveoiunt. Et hæc secundùm Gofredum, & Tancred. est judicialis diffinitio controversiis finem imponens, pronunciationem competentis judicis, condemnationem continens, vel absolutionem *l.1. ff. de re judic. & cap.2. eodem tit.* Ulterius autem distinguuntur, quia de ratione statuti est perpetuitas, unde durat etiam mortuo statuente, *cap. fin. de off. legat.* Ancharan. hic *num.3.* post Jo. Andr. Sed de ratione sententiæ non est perpetuitas, quamvis ei non disconveniat. Nam sententia diffinitiva, vel interlocutoria data eum causæ cognitione perpetuo ligat. Anchar. *d.n.4.* & ex Panorm. Silvest. *v. sententia n.9.* Franc. §. *Statuto n.6.*

37 Aliam differentiam ponit Franc. *n.1.* quia nimirum sententia non potest dari sub conditione, *c. Biduum 2.qu.6.* Sed statutum potest esse conditionatum, ut patet ex *eodem cap.* §. *statuto*, & notatur *in c. Præterea, sup. de appellat.* Insuper alia differentia est, quia non sufficeret contradicere seotentiæ, nisi ab ea appelletur, sed si statutum tendat in præjudicium alterius, vel si sit iniquum sufficit contradicere, ut sic veniat revocandum. Sed primaria differentia, quæ est inter sententiam juris, sive statutum, & sententiam hominis est, quia illud est jus obligans immediatè ex voluotate legislatoris, sed sententia supponit jus, & statutum jam editum, & non obligat principaliter ex voluntate judicis proferentis sententiam, sed ex vi statuti, vel legislatoris voluntate; judex verò se habet, ut applicans jus ad decernendum quid justitia exigat in casibus particularibus.

38 Itaque ex hoc textu colligitur dari statuta, quæ cootinent promulgationem sententiæ, quæ pœnam inferunt ipso jure, & dicitur sententia juris, *cap. Pro humani, infr. de homicidio.* Vel Canon latæ sententiæ, *cap. si vero, supr. de sent. excomm. & cap. si quis suadente, 17. qu.4. & l. amissione, §. qui deficiunt, ff. de cap. diminut.* Quandoque autem pœnam ferendam disponuot. Distinguuntur verò hujusmodi duo statuta pœnalia, quod ubi statutum continet pœnam latam ipso jure, non est necessaria sententia dispositiva, sed sufficit declaratoria *l. Facultas*, cum aliis, *Cod. de jure fisc. cap. Cum secundum, infr. de heret.* Domin. post Archid. & Jo. Andr. *in cap. Pro humani, §. fin. infr. de homic. & cap.2. ad fin. infr. de confessis*, cum aliis, quos hic referunt, & sequuntur Marscottus *num.27.* & Gomez *num.40.* Sed ubi lex continet pœoam ferendam requiritur sententia dispositiva, nec ante sententiam delinquens pœnæ subjicitur. Ex quo colligit Gomez *num.41. & 42.* quod antequam sententia privationis beneficii contra aliquem proferatur, ipse validè renunciat beneficio, nisi Papa rescriberet, quod de beneficio vacaturo per privationem illius beneficii Titii, contra quem agitur, provideretur Sempronius, & Titius rescriptum Papæ ignotaret; & allegat ad hoc *consil.43.* Butt. Sed ubi lex contineret privatiooem beneficii ipso jure, non valeret renunciatio ante sententiam declaratoriam facta, quia illud beneficium jam est affectum. Sed de vi legis imponentis pœnam ipso facto latè dixi *tract. de elect. c.25. q.51. per tot.*

39 Limitatur verò assertio quantum ad illa, quæ secum trahunt executionem, quales sunt censuræ, & irregularitates, quæ statim in conscientia incurruntur, si sunt sententiæ latæ, nec opus est aliqua declaratoria sententia. Excommunicatio tamen simpliciter lata censetur esse non latæ, sed ferendæ sententiæ Gomez *n.42.* Et nihilominus licet excommunicatio si est latæ sententiæ statim ligat delinquentem contra legem, nisi tamen incurratur ob notoriam Clerici percussionem, fidelis non tenentur vitare excommunicatum, nisi præcesserit sententia, per quam declaratus sit excommunicatus, ex vi extravagantis Martini Quinti, *Ad evitanda*, Marscot. *n.24.*

40 Videtur verò, quod in hoc textu excommunicatio dicatur sententia, nam de hac DD. textum intelligunt, dum loquitur de sententiis per statuta prolatis, & tamen excommunicationem non esse sententiam propriè dixerunt Archid. *n.1.* Anch. *n.5.* Dom. Franc. *n.11.* §. *statuto, n.1.* Zabar. *n.5.* Marsc. *n.63.* Et quia sententia diffinitiva finem imponit litibus, *cap. Summoperè 11. q.3.* & notat Gloss. 2. *in c. Biduum 2. q. 6.* quod non facit excommunicatio, quæ propriè est pœna, *cap. Nemo 11. qu.3. cap. Corripiuntur 24. q.3. cap. Sacro sup. de sentent. excomm.* Quamobrem Marsc. *d. num.63.* vult, quod in legibus sub nomine sententiæ non veniat excommunicatio, sed sententia diffinitiva. Ut si detur statutum, quod solvatur gabella pro seotentiis, vel à sententiis appellari non possit, hoc intelligi debeat de sententia diffinitiva, quod post Imolam hic approbare videtur Dominicus. Quod dictum puto procedere sine dubio in odiosis. Sic clausula *appellatione remota*, tollit solum appellationem à diffinitiva sententia, ut per DD. quos sequutus sum *tract. de elect. c.34. q.2. n.60.*

41 Nihilominus quamplures existimant excommunicationem dici sententiam interlocutoriam: quia omnis vox judicis faciens ad causam dicatur interlocutoria secundùm Gloss. *in Authen. de litig. §. omnem*, Franc. *d. num.1.* Marscot. *n.65.* Archid. Jo. Fant. Dom. *cap. Quod autem*, Panormitan. & Butr. *in cap. sacro, de sent. excommun.* Et tamen hoc limitat Marscotus, ut procedat, quando excommunicatio fertur pro cootumacia judiciali. Tuoc enim est sententia interlocutoria. Secus ubi fertur extrajudicialiter per judicem ratiooe delicti, *cap. Si sacerdos de off. ordin.* vel ratione contumaciæ noo obediendo, *cap. Tuæ, de Cler. non residen.* vel ejus jura extrajudicialiter defendendo, *cap. Dilecto, infr. de sent. excommunic.* quia tunc dicitur potius pœna, & censura. Alii verò apud Gomez *num.9.* dicunt sententiam latam ab homine esse interlocutoriam, sed latam à jure impropriè esse sententiam, propriè verò pœnam.

42 Sed Gomez *à num.3.* vult, quod excommunicatio non sit quidem sententia diffinitiva, sed interlocutoria; sed nihilominus sive sit lata ab homioe, sive à jure, sit propriè sententia. Nec obstat, quod sit pęna, quia sententia capitalis, vel privationis bonotum punit, & tamen propriè est sententia, *l.4. & 5. de bonorum præscript. & toto tit. Cod. de sent. pass.* Quia tamen excommunicatio est pęna medicinalis, quæ tollitur ablata contumacia non est senteotia diffinitiva. Quia tamen etiam interlocutoria suo modo finem ponit articulo controverso, ideò propriè sententia est. Et hoc nomen sententia geous est, cujus species sunt interlocutoria, & diffinitiva. Et ideò excommunicatio, quæ est interlocutoria est propriè sententia. Et sic in hoc textu talis absolutè dicitur. Et sic statutum loquens de seotentia propriè comprehendere potest excommunicationem.

43 Sed hic distinguendum videtur: Nam vel loquimur de statuto, seu lege ut ferente excommunicationem, vel de excommunicatione ipsa. Nam excommunicatio ipsa in se sumpta propriè non est, nisi pęna, & censura; solùm verò analogicè dici potest sententia, quia sit inflicta per sententiam. Et hoc modo etiam mors, vel confiscatio bonorum, vel privatio utriusque vocis, vel quælibet alia pęna, ad quam quis damnatur dici potest analogicè sententia, quia sit effectus sententiæ. Non enim est novum, quod effectus vocetur nomine causæ analogicè, sic enim claudicatio dicitur infirmitas, quia est effectus infirmitatis. Et quia sententia inferens excommunicationem non est propriè diffinitiva; ideò excommunicatio dici potest sententia non diffinitiva, sed interlocutoria; non tamen propriè, sed solùm analogicè. At verò decretum inferens excommunicationem, & si sit decretum hominis seotentia est, sed interlocutoria, & puto, quod sit sententia propriè, quia est applicatio juris ad personam certam, & determinatam; sed si excommunicatio infertur per statutum, quia vel non est lata, sed ferenda, vel si dicitur latæ sententiæ, non est applicata ad certam personam, & absolutè, sed vagè, & sub conditione; ideò lex, vel statutum sic infligens excommunicationem minus propriè dicitur sententia etiam interlocutoria, sed propriè est lex, vel statutum pęoale habeos secundùm quid modum sententiæ, pro quanto applicat jus ad aliquem licet vagè, & sub conditione, & sic est sententia secundùm quid, quæ proprio nomine dicitur sententia juris.

44 De hujusmodi ergo sententiis per statuta prolatis indefinitè loquitur textus. Unde hic indefinitam æquipollere universali, eo quod textus regulam agendi tradat, ideòque esse sermonem de omnibus sententiis, & statutis pęnalibus, sive de omnibus pęnis etiam temporalibus, quæ per statutum Ordinariorum imponuntur, docent Gloss. Jo.

And.

Andr. *ad fin.* Domin. *n.*25. Franc. *n.*5. Barbof. *n.*12. Silv. *v. ignorantia, qu.*8. Sanchez *lib.*9. *de matrim. disp.*32. *num.*17. & 31. Sed hoc Gloss. extendit etiam ad leges civiles municipales *ex leg. ultim. ff. de decret. ab ordin. facien. & ex l. Jubemus in fin. Cod. de eccles.* Et posteà dubitat, quia cùm lex civilis non obliget ad culpam, non pertinet ad animarum periculum, quod liget, vel non liget ignorantes. Propterea Gomez hic *n.*4. contra communem restringit textum ad solam excommunicationem latam ab Episcopo. Et sic vult, quod ratio allata à Pontifice, ut obvietur periculis animarum respiciat excommunicationis pœnam, quæ obligat in conscientia. Sed cùm textus absolutè, & indistinctè loquatur, non debet limitari.

45 Ad difficultatem autem Glossa respondet dupliciter; & primò ait, quod in hoc providetur animabus saltem propter peccatum inobedientiæ, quod est maximum 8. *q.*1. Sed quia valdè controversum est, an leges civiles obligent ad culpam, non ex defectu potestatis, sed ex defectu intentionis, & voluntatis in Principe legislatore; & Marscotus hic *n.*69. post Felin. & Imolam existimat, quod contraveniens legi sæculari civili, vel municipali non peccet mortaliter, nisi ex contemptu. Ideò etiam dato, quod lex civilis de facto ad culpam non obliget, adhuc animarum interest, ut lex non liget ignorantes, quia ejus inobedientiæ non essent sine periculo animæ. Tum quia transgredi legem non obligantem ad culpam ex negligentia est peccatum secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst.*186. *art.*9. Tum quia non est sine culpa exponere se periculo subeundi pœnam gravem ob culpæ transgressionem. Tum quia necessitas subeundi pœnam ex se in homine, qui non habeat passionum suarum maximum prædominium, est multorum peccatorum occasio.

46 Respondet tamen secundò Gloss. & admittens hic esse sermonem de sententia canonica, seu de statuto Ecclesiæ pœnali, & Pontificem de hac sola fuisse loqnutum, quia de lege civili non poterat esse dubium, quod non liget ignorantes propter leges citatas. Et verè manifestum est solum de sententiis Canonicis loqui hunc textum, cùm loquatur de sententiis prolatis per statuta Ordinariorum, sub nomine verò Ordinariorum in jure Canonico veniunt Episcopi, & alii Prælati ordinariam jurisdictionem spiritualem habentes, non verò Civiles Magistratus. Sed & Pontifex, nisi aliud exprimat censendus est loqui de legibus Ecclesiæ, ut à Christi fide procedentibus, & ad finem à fide ostensum, & promissum ordinatis.

47 Eadem Glossa arbitratur, quod hic non sit sermo de statutis generalibus Canonum, & legum, quæ ab omnibus sciri, & custodiri debent. Sed ut benè advertit Silvester *verb. Ignorantia, quæst.*8. *num.*16. Quia ratio hic assumpta in textu æquè imò magis militat in statutis, & legibus Pontificiis, quæ plures ligant, & minus publicantur; unde & possunt faciliùs à pluribus probabiliter ignorari; majus periculum animarum esset, si illa statuta ligarent ignorantes, ideò conclusionem textus intelligendam esse etiam de lege Pontificia, docuerunt Silvest. *v. Ignorantia, quæst.*8. *num.*16. Sanchez *de matrim. disput.*32. *num.*11. Suarez *de cens. disp.*4. *sect.*8. *num.*22. Et tenent omnes illi, quos infra referam tradere dari ignorantiam invincibilem juris Pontificii, nedum extra corpus juris positi, sed etiam juris communis insertis in corpore juris. Qui simul docent per hanc decretalem non condi jus novum, sed antiquum, & quidem naturale declarari.

48 Et hoc etiam colligitur ex eo, quod textus loquitur de quibuscumque Ordinariis. Et sic nullum statutum pœnale, quod fit à quocumque Ordinario ligat ignorantes. Est verò certum in jure, quod nomine Ordinariorum veniunt Episcopi, ut per DD. quos infrà refero. Ordinarius enim dicitur, qui jure suo, vel Principis beneficio universaliter jurisdictionem exercere potest, *leg. More*, & ibi *Glos.*2. & communiter Scribentes, *ff. de jurisdict. omn. gent.* Specul. *in tit. de off. ordin. in princip.* Card. post Paulum de Eleazariis *in Clement. Attendentes, in* 5. *notab. de statu Monach.* Petrus de Anchar. *in cap. Licet undique col.*2. *ad finem, vers. Nec mirum, de off. delegati*, quos refert, & sequitur Fagnan. *cap. Post cessionem num.*5. & 12. *de probat.* & *in cap. Cum causam n.*6. *de appellat.*

49 Potest verò esse dubium, an sub nomine Ordinarii veniat Papa. Non enim venire supponunt hic Gloss. & omnes illi, qui arbitrantur ignorantiam juris communis non excusare à culpa, & à pœna. Sic voluit Rosell. apud Silvest. *v. Ignorantia, num.*16. Azor. etiam *l. cap.*15. & *quæst.*3. *in fine*, inquit, sub nomine Ordinarii non venire Pontificem, quia Ordinarius in jure non accipitur, nisi is, qui in certa Civitate, Provincia, vel loco jurisdictionem certis limitibus contentam, & velut quibusdam cancellis circumscriptam habet; sed hoc gratis asseritur, & non probatur. Alias verò cùm non possit negari, quod Papa non habeat universalissimam jurisdictionem super toto Orbe, propter quam ipse est singulorum fidelium Ordinarius, *cap. Cuncta per mundum* 17. 9. *qu.*3. Gloss. *in cap. Cum nullus in ver. in eundem, de temp. ordin. in hoc* 6. Et solus est universalis Ecclesiæ Episcopus, prout definivit Pelag. II. in Constitut. *manifesto*, quæ habetur in *Bullar. Rom.* 1. *part.* non potest negari, quod ei conveniat nomen Ordinarii, Fagnan. *in cap. De illis, n.*44. *de desponsat. impub.* Ideò in hoc textu sub nomine Ordinariorum comprehenditur etiam Papa, ut tradunt Silvest. *v. Ignorantia, quæst.*8. *num.*46. & Sanchez *lib.*9. *de matrim. disp.*32. *num.*31. Gregor. Martinez *part.*2. *quæst.*76. *art.*4. *dub.*2. *reg.*6. & Serra *part.*2. *quæst.*76. *art.*3. *dub.*2. *ad primum*. Nam Episcopi vocantur Ordinarii locorum, quo nomine textus non utitur, sed absolutè dicit Ordinariorum, & quidem addito termino universaliter distributivo, scilicet quorumcumque Ordinariorum, ut nullus eorum intelligatur exclusus. Et quia textus non loquitur de sententiis delegatorum, usus est nomine Ordinariorum. Quod verò sub hoc nomine comprehendatur etiam Papa, ex hoc colligitur, quod in §. *statuto*. Papa non utitur ampliùs nomine Ordinarii, sed nomine Episcopi, noluit enim sub ejus dispositione comprehendi Papam, cujus Diœcesis est totus Orbis, & sic non potest fieri, ut aliquis fidelis extra ejus Diœcesim delinquat. Nec obstat, quod dicitur ab aliquibus, quod scilicet sub nomine statutorum non veniant Constitutiones Apostolicæ; Nam hoc non est verum, ut patet infrà *cap. Dispendia*, & *cap. statutum, de rescript.* & notant ibi DD.

Insuper verò nomine Ordinarii significantur nedum 50
Episcopus, qui generalis est, & major Ordinarius, *cap.*1. *de off. ordin.* & *cap. Cum Episcopus eod. titulo in hoc l.*6. sed quilibet alius inferior, & specialis ordinarius, qui universalem, & quasi Episcopalem jurisdictionem habet, in materia tamen sibi adaptabili, & proportionabili. Ut est textus, juncta Gloss. *in cap. Ordinarii, in verb. locorum, infrà de off. ordin.* ubi Gemin. *n.*5. Franc. *n.*3. Item Franc. *in hoc cap. n.*7. Marf. *num.*72. Gomez *n.*61. Panor. Felin. Dec. *in cap. Post cessionem n.*1. Fagnan. *n.*3. *suprà de probat.* Zabarell. *in Clem. Quia Regulares, num.*11. *de suppl. negl. Prælat.* Gloss. *in cap. Quamquam in verb. loci Ordinario, infrà de usur.* Item Gloss. *in Clem.*1. *in verb. locorum Ordinariis, suprà de testament.* Archid. *in cap. Licet canon, in ver. Ordinarius, infrà de elect.* Silvest. *v. Excommunicatio* 9. *casu* 47. *numer.*92. *not.*2. Grat. *tom.*2. *discept.*212. *num.*31. & 38. Rota *decis.*798. *num.*3. *part.*4. *divers.* & *decis.*346. *num.*1. *coram Coccino*, Tambur. *de jure Abbat. tom.*1. *decis.*1. *quæst.*4. *numer.*1. Item Panorm. *in cap. Cum olim, num.*2. *de præscript.* Navarr. *cons.*5. *de sponsal. num.*2. Barbosa *de appellat. appellat.*177. *numer.*1. & plures alii apud istos. Quamobrem quando in jure aliquid committitur, vel conceditur Ordinario, nisi subjecta materia aliud exposcat, non ad Episcopos tantùm, sed ad omnes habentes ordinariam jurisdictionem de jure, vel præscriptione, vel privilegio extenditur, ut tradunt Franc. *v. Ordinarii, num.*3. *infrà de off. Ordinarii*, Sanchez *l.*9. *de matrim. d.*29. *num.*5. Cochier. *de jurisf. Ordin. in exemptos part.*1. *qu.*1. *num.*9. Tambur. & Barbof. *locis citatis*. Ideò Ordinarius suorum subditorum est Abbas, etiam si uni soli Monasterio præsit. Quoniam habet in suos Monachos ordinariam jurisdictionem, *cap. Nullum, cap. Nullus Monachus, cap. Abbates* 18. *qu.*2. *cap. Quanto*, ubi Innoc. & DD. *suprà de off. Ordin.* Quod idem asseritur de aliis Prælatis Regularibus, qui in suos subditos exercent jurisdictionem, quasi Episcopalem, *arg. cap. Cum Episcopus* 7. *infrà de officii Ordinarii*, & *cap. Cum contingat, suprà de foro competent.* Tamburinus *ubi suprà*. Et ex eo colligitur, quod hujusmodi Prælati etiam locales possunt excommunicare, ut tradunt Panormit. *cap. Cum ab Ecclesiarum, num.*10. *de off. Ordin.* & *cap. Cum contingat, num.*21. *de foro competent.* Durand. *in* 4. *d.*18. *quæst.*4. *num.*7. Alex. Richar. Ugol. quos sequitur Sayr. *lib.*1. *cap.*6. *num.*13. Navarr. *cap.*27. *num.*5. Sotus 4. *d.*22. *q.*2. *art.*4. Suarez *disp.*2. *sect.*2. Bonacin. *disput.*1. *de cens. quæst.*1. *part.*2. *num.*5.

Lean-

Leander *disp.2.q.15.*& apud eum Alterius,Filliuc.& Palaus.

51 Arbitratur autem Archid. hic *num.1. & cap. Romana, infrà de off. Ordin.* quod sub nomine Ordinariorum veniant etiam Plebani, seu Archipresbyteri rurales, qui dicuntur Pastores, & possunt excommunicare. Sed nisi Parochus habeat ex privilegio, vel ex præscriptione alicubi potestatem excommunicandi, eam de jure divino, vel de jure communi non habet, sicut nec jurisdictionem in foro externo, ut docent D. Th. *4.d.18.quæst.2.art.2.quæst.1.* Panormit. *in d. cap. Cum contingat*, *num.30.* & apud eum Speculator, Guillel. de monte Lauduno, & Jo. & Cardin. Silvest. *v. Excommunicatio 1. num.5.* Tabien. *v. Excommunicatio 3. num.1* Sotus *in 4.dist.22.quæst.2. art.5.* Suarez *de cens. disp.2. sect.2.num.10.* Sayrus *de cens.l.1.cap.6. num.21.* & apud eum Alex. de Ales. Richard. Gabriel, & Henriq. Navarrus *cap.27. num.5.* Leander *disput.2. de cens.quæst.17.* & apud eum Alterius, Bauny. Porrell. Vasquez, Luysius, Bassæus, & Villalobos. Nec jura, quæ in oppositum solent allegari aliquid probant, quia loquuntur de Presbyteris, qui jurisdictionem habent, ut advertit *loco citato*, Panorm. Quam jurisdictionem habebat ille Archipresbyter S. Pancratii, quem posse excommunicare pro rato habuit Alexand. III. *in cap. Cum ab Ecclesiarum, de foro compet.* ut advertit ibi, Panormit. *num.1.* & colligitur es eo textu, cùm ibi Papa vocet eum Prælatum. Et eum fuisse Ordinarium, habetur ex titulo, qui est *de off. Ordin.* sub quo titnln, *cap. Illud continetur*. Et ex quo subditos sibi Clericos, & Laicos excommunicabat; colligitur habuisse jurisdictionem fori externi. Fuisse verò à jure concessum Parochis, ut in aliquibus casibus, ut in furto, & rapina, & cæteris hujusmodi possent excommunicare refert D. Thom. *loco citato*, sed & hoc in dissuetudinem abiisse advertit Sotus *loco citato*. Solùm igitur illi Prælati inferiores Episcopo sunt Ordinarii, qui habent in utroque foro jurisdictionem, quam habere possunt, vel à jure, vel præscriptione, vel privilegio.

52 Cùm igitur Pontifex sententiis latis per statuta Ordinariorum nolit ligari ignorantes ex verbo *volumus*, Zabarella hic *n.1.* & Barbosa *num.1.* colligunt, quod Pontifex hic condat jus novum, quod & voluit Azor. *part.1. cap.15. qu.3. in fin.* & apud eumdem Barbos. Card. Salas, Vasquez, & Meroll. Sed de jure naturali est, quod ignorantia si sit invincibilis, & antecedens excuset à culpa, & pœna, D. Th. *p.2.q.6.art.8. & qu.76. art.3.* quem communiter sequuntur Theologi, & Canonistæ. Unde constitutio ista pro hac parte non potest continere jus novum, sed antiquum naturale jus enunciat.

53 Cùm autem hæc sit prima principalis dispositin istius Decretalis, scilicet, quod statutum pœnale Ordinarii non ligat ignorantes, nisi ignorantia sit crassa, vel supina, ad regulæ intelligentiam proponitur quæstio in plures distributa articulos, ut manifestum fiat, quæ & quam multiplex sit ignorantia, & quam vim habeat ad excusandum à culpa, & pœna.

S V M M A R I V M.

54 *Ignorantia, & nescientia.*
55 *Ignorantia est privatio actus primi.*
Privatio cujuscumque actus primi ad cognoscendum est ignorantia.
Distinguitur à suspicione, & opinione.
56 *Ignorantia est privatio scientiæ, quam ignorans potest, & tenetur habere.*
57 *Ignorantia prava dispositionis.*
58 *Inconsideratio, error.*
59 *Hæresis.*
60 *In textu de omni ignorantia est sermo.*

Quæst. primæ

ARTICULUS I.

Quid sit ignorantia.

54 His ergo sic explicatis, & supposito quod notitia sit necessaria in nobis ad legis observantiam, cujus notitiæ privationem dicit ignorantia: Hoc primò considerandum est, quod ignorantia communissimè sumpta importat defectum cognitionis, qualiscumque sit ille defectus. Et ideò dicitur de nescientia, ignorantia, errore, & hæresi, ut habet D. Th. *q.8. de malo art.1. ad 7.* Sed tamen ignorantia propriè dicta ab aliis tribus distinguitur. Nam nescientia importat simplicem carentiam scientiæ, etiam in subjecto non apto nato, cùm enim in Angelis locum non habeat ignorantia, tamen in eis nescientiam admittit S. Dionys. *cap.6. Eccles. hierar.* Pariter in Christo locum non habuit ignorantia, etiam quantum ad cognitionem humanam, ut ex D. Th. *3. part. q.15. art.3.* advertit Alvarez *part.2. q.6. art.8. n.3.* Et tamen in eo locum habuit nescientia, quia non scivit ut homo, quidquid sciebat ut Deus. Itaque nescientia non dicit privationem scientiæ, sed simplicem negationem.

55 Sed ignorantia propriè dicit privationem scientiæ, sed cum scientia dividatur in habitualem, quæ consistit in speciebus intelligibilibus, & in habitibus intellectivis es istentibus in intellectu, & in actualem, quæ consistit in actuali usu specierum, & habituum ad cognoscendum. Ignorantia propriè est privatio scientiæ habitualis. Unde benè Contradus *part.2. q.76. art.2. §. Nota circa*, advertit, quod ignorantia est privatio actus primi ad sciendum. Sed cum scientia multipliciter sumatur. Hic accipitur scientia communissimè, sive sit propriè scientia, sive sit ars, & sive sit scientia speculativa, sive practica, & sive sit certa, sive sit opinio, & sive sit scientia universalis, sive experimentalis notitia singularium. Et ideò ignorantia hìc accipitur, ut est privatio cujuscumque actus primi ad cognoscendum. Et sic distinguitur ignorantia à dubietate, quod ignorantia est privatio, nimirum actus primi proximi, etiam ad opinandum, & suspicandum, sed dubietas est privatio actus primi ad certo cognoscendum, quæ stat cum aliquali rei notitia.

56 Distinguitur verò privatio à negatione, quod privatio est negatio in subjecto apto nato habendi, quod non habet, sed negatio non supponit in subjecto aptitudinem habendi, quod negatur; Ignorantia ergo est privatio scientiæ, quam homo est aptus nactus habere. Et ita D. Thom. *part.2. qu.76. art.2.* quem sequutus fuit, Silvest. *v. Ignorantia num.1.* descripsit ignorantiam, quòd sit privatio scientiæ eorum, quæ ignorans aptus nactus est scire. Sed idem D. Thom. *q.8. de malo art.1. ad septimum*, addit, & exigit debitum sciendi, & sic ignorantia est privatio actus primi ad sciendum ea, quæ homo potest, & debet scire. Quod & dixerunt Contad. *part.2. q.76. art.2.* Alvarez *part.2. q.6. art.8.* Suarez *part.2. tract.2. lib.4. cap.1. fin.* Glossa hìc, & Archid. *num.1.* contra quod tamen datur instantia, quia datur ignorantia probabilis, ut videbitur, quæ est eorum, quæ ignorans non debet scire. Imò ignorantia invincibilis est eorum, quæ ignorans non potest scire: igitur ad ignorantiam non requiritur, quod subjectum debeat, imò possit scire, quod ignorat. Sed respondetur, quod utraque conditio ad ignorantiam requiritur. Sed dum dicitur, quod ignorantia est eorum, quæ ignorans aptus est scire. Aptitudo ista non dicit potentiam proximam activam ad sciendum, quia habens hanc potentiam activam, jam est habitualiter sciens, non autem ignorans, sed dicit aptitudinem passivam, non puram, sed cum quadam connaturalitate, aut jure, sive hoc jus sit à natura, sicuti est respectu naturaliter cognoscibilium, quorum per actum intellectus agentis potest haberi species repræsentativa, sive sit ab estrinseca lege, & promissione, sicut est modo aptitudo ad cognoscenda mysteria fidei, supposita Dei ordinatione salvandi credentes in Christum. Ignorantia verò invincibilis dicit privationem potentiæ activæ proximæ moralis ad acquirendam actu scientiam, cujus tamen ignorans est capax si ab objectio moveatur. Item quantum ad secundam conditionem, dictio *debet*, non importat obligationem præcepti, & legis, sed exigentiam in ordine ad perfectionem, quæ quidem est in omni ignorante ex eo, quod creatura rationalis ad sui perfectionem exigit omnium cognitionem, & ideò homo dicitur aptus natus ad naturales scientias, quia ad illas aptitudinem connaturalem habet. Et dicitur aptus natus ad mysteria fidei, quia ad ea cognoscenda est à Deo ordinatus. Et sic debet omnia scire, ut sit perfectus, licet multa sint, ad quæ scienda non obligatur ex lege ad culpam, vel pœnam obligante; quamvis etiam ex lege obligetur ad non contemnendam scientiam formaliter, quatenus scientia. In hoc ergo sensu ignorantia est privatio scientiæ eorum, quæ ignorans est aptus scire debet. Cæterùm ignorantia quæ sit negligens privatio scientiæ, quam quis potest,

reſt, & ex lege tenetur habere eſt ignorantia culpabilis, quæ eſt ſpecies quædam ignorantiæ.

57 Hæc tamen ignorantia adhuc diſtinguitur in ignorantiam privationis, & pravæ diſpoſitionis: Itaque ignorantia pravæ diſpoſitionis importat errorem habitualem, ſeu habitum ex errore genitum, & ad errorem inclinans, & opponitur contrariè habitui cognoſcitivo, ſed ignorantia privationis dicit puram privationem actus primi proximi ad ſciendum.

58 Sic igitur ignorantia diſtinguitur à neſcientia, quia hæc eſt negatio, illa privatio ſcientiæ: iſta diſtinguitur ab errorre, quia ignorantia eſt privatio actus primi ad ſciendum, ſed error importat actum ſecundum. Verum diligenret advertendum, quod ſicut datur ſcientia, & ſcire, ita datur ignorantia, & ignorare; quod eſt privatio actualis ſcientiæ. Sed hoc etiam duplex eſt, quia datur ignorare privativè, & contrariè, ſcilicet ignorare pravæ diſpoſitionis. Hoc eſt illud, quop coincidit cum conſcientia etrooea in prædictis, & importat actum poſitivum falſum contrarium actuali cognitioni veritatis. Sed ignorare privativum eſt ſimplex privatio actualis cognitionis, & propriè coincidit cum inconſideratione. Et quia etiam ſcire dicitur ſcientia, licèt ſcientia magis propriè importet habitum, non verò actum ſecundum; ita ignorare dicitur etiam ignorantia; ſed tamen propriè hæc ignorantia vel eſt inconſideratio, vel error.

59 De hæreſis verò, quæ importat errorem in fide cum pertinacia habebitur ſermo in ſequentibus; nunc ſufficit dicere, quod eſt ſpecies erroris.

60 In præſenti autem de omni ignorantia eſt ſermo, quæ poſſit excuſare à ſententiis Ordinariorum, ſive hæc ſit propriè ignorantia, ſive ſit inconſideratio, ſive error. Quod tamen erit diſtinguendum, & advertendum, quia non eſt in omnibus eadem ratio de qualibet ignorantia.

SVMMARIVM.

61 *Ignorantiam ſtatutorum eſſe ignorantiam facti aliqui volunt.*
62 *Cujuſcumque legis ignorantia eſt ignorantia juris.*
63 *Sub nomine ignorantiæ legis, an veniat ignorantia artis.*
64 *Ignorantia proprii intereſſe poteſt eſſe juris, & facti.*
65 *Ignorantia juris eſt etiam ignorantia præcepti hominis.*
66 *Ignorantia facti eſt ignorantia entis, ut eſt prius bono.*
67 *Diviſio iſta eſt ſufficiens.*
68 *Factum accipitur abſolutè.*
69 *Lex eſt, & jus, & factum.*
Iuris dari poteſt ignorantia.

Quæſt. Primæ

ARTICULUS II.

Vtrùm ignorantia convenienter dividatur in ignorantiam juris, & facti.

61 DAtur hæc diſtinctio reſpectu rei ignoratæ, quæ eſt, vel jus, ſeu lex obligans ad aliquid faciendum, vel res ipſa, quæ ſit. Et quidem diſtinctio iſta ſatis eſſet manifeſta ex ſe ipſa, niſi ex aliquorum mala intelligentia redderetur obſcura. Nam loquendo de ignorantia juris Cardinalis Tuſchus *lit. I, concl.* 10. exiſtimat, quod ignorantia juris importet ignorantiam ſolius juris communis, ita quod ignorantia ſtatutorum, imò ignorantia extravagantum, & conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ non ſunt inſertæ in corpore juris, non ſit ignorantia juris, ſed facti: quod non probat, niſi quia pro hac ſenteotia refert Bart. *in l.* 1. *& 2. C. quando prov. non eſt neceſſe &c.* & Alex. *conſ.* 165. *num.* 11. *lib.* 6. Poteſt tamen probari ex eo, quod in cap. ſuperiori primò hujus tituli, & libri, ex eo dicitur, quod Papa poteſt ignorare ſtatuta particularia, & locorum conſuetudines, quia datur probabilis ignoraotia facti; ſupponit igitur, quod ignorantia ſtatutorum ſit ignorantia facti. Et confirmatur, quia juris non datur probabilis ignorantia; quæ tamen datur reſpectu ſtatutorum, aut extravagantum non repoſitarum in corpore juris, ut tradunt citati Bartol. & Alex. & infrà probatur.

Verum hæc ſententia ſingularis adverſatur communi ſenſui, & nullum habet in jure fundamentum. Conſiderandum enim eſt ex D. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 1. *ad primum*, quod hoc nomen jus multipliciter dicitur: *Nam conſuetum eſt, quod nomina à ſui prima impoſitione retorqueantur ad alia ſignificanda. Sicut nomen medicinæ impoſitum eſt primò ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad ſanandum, deinde tractum eſt ad ſignificandam artem, qua hoc fit; Ita etiam hoc nomen jus primo impoſitum eſt, ad ſignificandum ipſam rem juſtam, poſtmodum autem eſt derivatum ad artem, qua cognoſcitur, quid ſit juſtum. Et ulterius ad ſignificandum locum, in quo jus redditur, ſicut dicitur aliquis comparere in jure. Et ulterius dicitur etiam jus, quod redditur ab eo, ad cujus officium pertinet juſtitiam facere, licèt etiam quod decernit, ſit iniquum.* Hæc ibi D. T. Qui in reſponſ. ad ſecundum advertit, quod etiam lex ab Iſidoro dicitur ſpecies juſti, quia lex eſt ratio, & regula juſti; licèt ergo jus propriè loquendo, & ex prima ſua inſtitutiooe importet juſtum, quod eſt objectum juſtitiæ, quæ propterea diffinitur, ut ſit conſtans, & perpetua voluntas jus ſoum cuique tribueodi; tamen ex uſu tranſlatum eſt ad ſignificandam artem, qua docetur, & cognoſcitur juſtum; unde Celſus Juris conſultus *lib.* 1. *de juſt. & jur.* dixit, quod jus eſt ars boni, & æqui. Et pariter tractum eſt ad ſignificandam legem, quæ eſt juſti dictamen, & regula, quæ regula ſi in ſcriptum redigatur, dicitur lex, quia ſecundùm Iſid. *lib.* 5. *cap.* 3. lex eſt conſtitutio ſcripta, & quia lex eſt juris regula, ideò appellata eſt ab Iſid. *ibid.* juris ſpecies, & jus dicitur, qood à juriſconſultis dividitur in jus naturale, gentium, divinum, & humanum. Quamvis ot advertit Sotus *l.* 3. *de juſt. art.* 1. *ad primum.* Iſidor. *l.* 5. *cap.* 2. diſtinxerit inter fas, & jus, quod fas ſit lex divina, & jus ſit lex humana. Sic ergo cùm lex dicatur jus, idem eſt ignorantia juris, quod ignorantia legis, & ſicut lex univerſaliſſimè ſumpta dicitur jus, quia imò jus dividitur in naturale, divinum, & humanum, ſub cujus diviſionis membris comprehenditur lex omnis ſive naturalis, ſive divina, aut humana, & ſive univerſalis, ſive municipalis; ita ignorantia juris reſpicit univerſaliſſimè legem, ut cujuſcumque legis ignorantia, dicatur ignorantia juris, ut omnes DD. intelligunt. 62

Hic verò forſan interrogabit aliqois, an ſub nomine legis, & juris hic veniant etiam regulæ artis, ejuſque præcepta, & leges. Nam certum eſt, quod ſi v. g. Medicus ex artis imperitia cauſet mortem infirmi, peccat, & eſt irregularis, *cap. Si culpa, de injur.* Hic verò non videtur laborare ignorantia facti, ſed juris, quia regulas artis medicinæ non callet. Sed dicitur, quod jus dicit regulam recti, & honeſti; regula verò artis eſt regula entis, ut ratione eſt prius bono, & honeſto, ideò regula artis oon eſt jus, quia non eſt regula actuum humanorum, ut ſunt moraliter boni, vel mali. Propterea Medicus imperitus non eſt malus moraliter, quia ſit imperitus, ſed quia imperitè medetur, & ſic peccat in facto, ut advertit Suarez *de cenſuris diſput.* 4. *ſect.* 8. *num.* 16. quia nimirum vel non cognoſcit naturam infirmitatis, vel vim medicamenti, vel non attendit circumſtantias temporis, &c. Nihilominus, quia Medicus imperitus errat ex Ignorantia regularum artis, quæ dici quodammodo poſſunt jus medicinale; hinc eſt, quod ignorantia iſta ſimilitudinariè ſecundùm quid, & reductivè poteſt dici ignorantia juris, & in ratione excuſandi, vel non excuſandi Medicum aſſimilatur ignorantiæ juris, & ad illam reducitur. 63

Poteſt quoque alius interrogare, an ignorantia proprii intereſſe, vel juſti ſibi debiti, ſit ignorantia juris. Reſpondetur verò, quod hujuſmodi ignorantia poteſt eſſe juris, & facti. Quod enim aliquod ſit juſtum, & ſic alicui ex juſtitia debitum eſt ex aliqua lege, nimirum ex juſtitia, quæ quidem fundatur, vel in contractu aliquo mutuo, vel in donatione, aut teſtamento, aut legato, &c. Si ergo quis ignoret jus ſuum, ſeu ſuum juſtum, quia præcepta juſtitiæ ignoret, hæc eſt juris ignorantia; ut ſi quis natoram contractum ignoret, & ſic ignoret legem juſtitiæ, ex qua contractus obligant. Sed ſi quis jus ſoum ignorat, quia neſcit v. g. initum fuiſſe contractum, ſeu donationem, legatum, reſtameotum, &c. ad ſui favorem factum; hæc eſt ignorantia facti, cùm ſit ignorantia rei factæ, nimirum conditi teſtamenti, aut donationis factæ. Sola ergo ignorantia legis eſt ignorantia juris. 64

Et tamen lex communiſſimè debet accipi, ut ſe extendit 65

E etiam

etiam ad præceptum, & decretum factum ab homine, & sic importat quamcumque superioris voluntatem, & dictamen obligans inferiores ad agendum. Sic igitur ignorantia juris laborat etiam, qui specialia mandata, statuta, ordinationes, & præcepta superioris ignorat.

66 Sub nomine autem facti venit quæcumque actio, & res. Multas verò significationes hujus nominis *factum*, distinguit Joannes Baptista Costa *de facti scientia, & ignorantia*; quas non est opus recensere, quia ad rem nostram non faciunt. Sed hic considerandum, quod factum sumitur, ut distinguitur à jure, eique contraponitur. Itaque ergo considerandum est, quod ens distinguitur à bono, & est prius illo; ideò & in ordine morali quæcumque humana actio, & respectivè quicumque effectus ad actionem humanam consequens, potest considerari, ut est ens in rerum natura existens suis vestitum qualitatibus, & ut est bonum, nimirum conforme legi, & regulæ rationis: Nam bonitas moralis consistit in conformitate ad rationem, & legem. Actio ergo humana quæcumque & respectivè humanæ actionis effectus, si sumatur ut est ens, dicitur factum, & hic venit sub nomine facti. Est enim quid factum, quia est quid productum, & etiam actiones, licèt immanentes fiunt. Dicitur verò factum à jure condistinctum, quia est quid existens in rerum natura non consideratum ut legi, & juri convenit, sed ut est quid in rerum natura productum, & existens.

67 Hinc patet sufficientia hujus divisionis, quia quidquid fit, & est, vel consideratur ut est ens in rerum natura factum, & existens absolutè, vel ut conforme juri. Sic igitur scientia duplex est ex parte objecti, quia alia est scientia entis facti, ut est ens in proprio genere, specie, & individuo constitutum sub accidentibus, quibus subest, & hæc est scientia facti. Alia est scientia ejus, quod est, & fit, ut est factum de jure, seu ut est conforme legi, vel difforme, & hæc dicitur scientia legis, quia non cognoscitur an factum sit conforme legi, nisi inquantum cognoscitur lex. Sic ergo & est duplex ignorantia, scilicet facti, quæ privat facti scientia, & juris, quæ privat scientia juris.

68 Quamvis verò nomen *factum*, habeat significationem de præterito, & videatur importare rem jam de præterito. Tamen hic sumitur factum, ut est nomen, & ut abstrahit à facto, & non facto exercitè, & in actu, & sic ut dicit ens actu factum, vel factibile. Nam & in homine ad hoc, ut faciat præcedere debet scientia factibilis, & ex ejus ignorantia malè potest agere.

69 Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt, respondetur; & ad primum ex probatis capite superiori dicitur, quod leges inferiorum Papæ, & consuetudines locorum particularium sunt leges, & facta. Respectu subditorum sunt leges, quia illos obligant, & sunt leges etiam respectu legislatorum, qui per eas subditos regere debent, sed sunt facta respectu Papæ, quia an leges illæ, vel consuetudines sint, vel non sint est quid facti, quod Pontifex potest probabiliter ignorare. Respondetur secundò, quod lex etiam est factum, nam factum est commune ad quodcumque ens productum; sed est factum tale, scilicet, quod simul est factum, & jus, & ideò illius ignorantia non est puri facti, sed juris. Ad secundum verò dicitur, quod ut probatur infrà etiam communis juris dari potest probabilis ignorantia, unde non sequitur, quod ignorantia statutorum, & extravagantum non sit juris, eo quod illorum dari possit probabilis ignorantia.

SUMMARIUM.

70 *Argumenta ad quæstionem.*
71 *Sententia vera.*
72 *Datur ignorantia invincibilis ex triplici causa.*
73 *Qui nihil audivit de lege ignorat invincibiliter.*
74 *Et qui non habet doctorem, vel nonnisi deceptorem.*
75 *An impossibilitas moralis faciat ignorantiam invincibilem: multorum placita.*
76 *Non sufficit impossibilitas moralis ad invincibilitatem ignorantiæ.*
77 *Qui fecit diligentiam moralem, ut sciret, si sit excitatus de insufficientia diligentiæ, nec ignorat invincibiliter, nec excusatur.*
78 *Descriptio ignorantiæ invincibilis data ab aliquibus.*
79 *Ignorantia Iacob. invincibilis.*
80 *Regula servanda ad cognoscendum si ignorantia sit invincibilis.*
81 *Non excitatus non potest facere, quod in se est.*
Faciens quod in se est, non illuminatur de omnibus.
82 *Datur physica impotentia ad sciendum, etiam in habente usum rationis expeditum.*
83 *Aliud est ignorantiam esse ex culpa, & esse culpabilem.*
Non omnis ignorantia, quæ sequitur ex actione illicita, est vincibilis.
84 *Ebrii ignorantia an invincibilis.*
Pœnitentia negligentiæ reddit ignorantiam invincibilem.

Quæst. Primæ

ARTICULUS III.

An ignorantia convenienter dividatur in invincibilem, & vincibilem.

Videtur verò, quod distinctio ista non sit conveniens, eò quod non detur ignorantia invincibilis. Primò, quia secundùm Adrianum *quodl. 4. quæst. 1.* homo ad hoc ut sciat ea, quæ scire tenetur debet facere totum, quod in se est, etiam disponendo se ad gratiam, & ad illuminationes divinas, & non ponendo impedimentum peccati divino magisterio, & illustrationi, quod ex parte voluit etiam Castro apud Suarez *p. 2. disput. 4. sect. 1. num.* 18. At verò Deus facientem quod in se est, illuminat infallibiliter, quia Deus non deficit in necessariis, juxtà illud 1. Jo. 2. *Vnctio docebit vos de omnibus*. Non potest ergo dari ignorantia invincibilis eorum, quæ quis tenetur scire. Secundò, nam potentia physica unusquisque qui non sit puer, ut amens potest scire quodcumque, & potentia morali potest quidquid ad illum spectat, vel legendo libros, vel consulendo peritos; nulla ergo datur ignorantia invincibilis. Nihil enim est necessarium ad virtuosè agendum, quod diligens inquisitor non adiscat. 70

Nihilominus quod hæc distinctio sit conveniens ex eo est manifestum, quod illam tradunt D. Th. *p. 2. quæst. 74. art. 1. ad secundum, & quæst. 76. art. 3. c. & 2. d. 22. quæst. 2. art. 2. C. & de malo art. 8. c.* & cum D. Thom. Cajet. & alii *exposit. D. Thomæ part. 2. quæst. 76. art. 3. & 4.* Silvest. *v. ignorantia, num.* 5. Tabien. *num. 1. circa finem*. Armill. *num. 5.* Navarr. *cap. 23. num. 46. & tom. 3. cap. Sciendum, num. 3. de pœnitent. d. 2.* Suarez *in Decal. lib. 1. cap. 16. num. 4.* Suarez *part. 2. disp. 4. sect. 1. num. 16. & seq.* Bonac. *de peccatis, disp. 2. q. 8. p. 3. n. 3. & de cens. d. 1. quæst. 2. p. 1. num.* 3. & alii DD. communiter. 71

Dicendum propterea est distinctionem hanc ignorantiæ in invincibilem, & vincibilem convenienter assignari. Vincibilem enim ignorantiam dari est per se manifestum. At verò nedum pueri, & amentes, qui non habent liberum rationis usum, invincibiliter ignorant, verùm etiam in habentibus rationis usum datur invincibilis legis ignorantia ex triplici causa, vel quia nihil de lege audierunt, vel quia non habent docentem, vel quia non habent, nisi decipientem. 72

Primò igitur impossibilitatem sciendi habet qui cùm sit ignorans nullo modo excitatur ad inquirendam scientiam. Etenim sciendum est ex D. Th. *part. 2. quæst. 9. art. 4.* quod homo in primo motu in quocumque negotio indiget moveri ab extrinseco, nimirum à Deo; aliter enim daretur processus in infinitum, si homo in quocumque actu ex priori se moveret, & non esset devenire in aliquem primum actum tam intellectus, quàm voluntatis, in quo homo moveretur per Dei instinctum, & excitationem. Sic igitur ignoranti non excitato, est impossibile, ut se moveat ad inquirendam scientiam tanquam sibi ad agendum necessariam. Et hoc est, quod dicitur à Suarez *p. 2. d. 4. sect. 1. n. 19.* & aliis esse invincibilem ignorantiam, si in mentem ignorantis nunquam venit cogitare de scientia acquirenda, vel de aliqua re, ex qua ad id posset moraliter excitari, vel si eodem modo nunquam intellexit illud medium esse sibi accommodatum ad scientiam acquirendam, cujus ratio propria, & à priori est, quia non potest homo in quocumque negotio se movere, nisi Deo tanquam universali principio excitante illius mentem, & movente voluntatem, 73

unde

undè homo per hujusmodi excitationem fiat in actu, ut se moveri possit. Deus verò mentem excitat, vel per externa objecta sensibus proposita, vel per internam excitationem mentis. Ideò, qui nihil prorsus nec distinctè, nec in confuso audivit vel cognovit de lege, legem invincibiliter ignorat ex defectu principii proximi, quo possit se movere ad legis notitiam acquirendam.

74 Pariter secundò, si homo ignorans excitatus ad repellendam ignorantiam non habeat medium necessarium, per quod scientiam acquirat. quia v.g. nec per se sibi sufficit, nec potest peritos consulere loquentes scripto, vel verbo, scientia tali impedimento durante est sibi impossibilis, & invincibilis. Tertiò si ignorans habeat quidem doctorem à quo adiscat, & qui sibi datus sit in magistrum, tamen ille, vel ex propria ignorantia, vel ex malitia decipit, & falsum docet, & ignorans alium omninò non habet à quo doceatur. In hoc enim statu positus ignorans, qui per se solum non potest scire, & non habet nisi deceptorem à quo adiscat, invincibiliter ignorat. Montes. *p.2.q.76. art.2. num.*38. Silvestr. *v. ignorantia, n.*5.

75 Quia tamen in jure, quod est valdè difficile judicatur impossibile, ideò videtur, quod detur alius modus invincibilitatis moralis, ut scilicet censeatur ignorantia moraliter invincibilis, si ignorans non habet nisi media valdè difficilia ad obtinendum scientiam, & expellendum ignorantiam. Et ita, quod ignorans dicendus sit moraliter ignorare invincibiliter, si ad arbitrium prudentis viri adhibuit proportionatam, & sufficientem diligentiam ad sciendum, vult Suarez *dict. sect.* 1. *num.* 16. *&* 20. Et Alvarez *part.2. quæst. 6. art.*8. *num.*4. illius ait, esse invincibilem ignorantiam, qui adhibuit media per se ordinata ad acquirendam scientiam, & in hoc posuit studium, & moralem diligentiam, Silvester quoque *v. ignorantia, num.*5. illam dixit ignorantiam invincibilem, quæ humano studio est insuperabilis, sive quia nullo modo superari potest, ut est illa, quæ est in pueris, & amentibus, sive quia superari potest, sed cùm maxima difficultate, ut in sensu debilibus. Idem quoque sentit Armilla *num.*5. Sic & Almayn. apud Suarez dixit invincibiliter ignorare, qui adhibuit diligentiam ad sciendum, quam tenetur. Medina *p.*2. *q.* 76. *art.* 3. *fin.* dixit ejus esse ignorantiam invincibilem, qui fecit, quod probus, & timoratus solet facere, & adhibuit media, quæ communiter solent adhiberi. Greg. Mart. *p.2.q.76. art.*1.§.*quæstio hæc*, voluit invincibilem esse ignorantiam, quæ diligentia, & studio (attenta persona, negotio, & circumstantiis) superari non potest, & *ead. quæst. art.2. dub.*4. *concl.*1. eum dicit ignorare invincibiliter, qui adhibuit, ut sciret diligentiam, quam prudentes adhibere solent, & adhuc ignorat.

76 Verum admisso, quod in moralibus valdè difficile dicatur impossibile, in præsenti tamen casu sola difficultas etiam maxima propriè loquendo non facit ignorantiam invincibilem, nec propriè invincibiliter ignorat, qui adhibuit sufficientem diligentiam, ut sciret, si adhibita majori diligentia scire potest. Quamvis hujus ignorantia dici possit probabilis. Nam hic loquimur de ignorantia, ut excusante à culpa, & pœna: at verò si simus in casu in quo spectato negotio, & circumstantiis etiam summa, & difficillima diligentia sit adhibenda, quam ignorans potest adhibere, ejus ignorantia non erit invincibilis, qui potest majori adhibita diligentia scire, & talem diligentiam tenetur adhibere. Si verò simus in casu, in quo ignorans ut sciat non tenetur majorem adhibere diligentiam ut sciat, tunc excusabitur, non quia non possit scire, cùm possit scientiam acquirere, si majorem adhibeat diligentiam, sed quia majorem diligentiam non tenetur adhibere, & sic probabiliter ignorat.

77 Sic Parochianus, vel subditus Religiosus, qui de agendis consuluit suum Parochum, vel Superiorem æstimatum virum doctum, licèt sibi sit facillimum consulere alium, ad id non tenetur; quia lex dedit illi Parochum, vel Superiorem in magistrum, à quo in agendis dirigatur. Si ergo Parochianus decipiatur à suo Parocho, Parochiani ignorantia est quidem excusans, sed non est invincibilis, cùm de facili Parochianus possit ab alio erudiri. Et è contra difficultas etiam maxima non excusat, nec facit ignorantiam invincibilem, & excusantem. Ut v.g. ponamus quod Parochus rusticum Parochianum docuerit fornicationem esse licitam, si aliàs rusticus iste sufficienter excitatur, ut saltem dubius sit, & esse debeat de Parochi doctrina, etiam si sibi sit difficile, & summè difficile invenire, qui eum doceat, tenebitur à fornicatione abstinere, & doctorem quærere sapientiorem, nec poterit interim securè fornicari, & si excusabitur, ut alium magistrum non quærat, hoc erit, quia non erit sufficienter excitatus de necessitate quærendi alium magistrum, cùm aliàs Parochus sit sibi datus in magistrum à lege. Non ergo sola difficultas adiscendi excusat, nec facit ignorantiam invincibilem, si scientia verè sit possibilis.

Hinc est, quod deficit illa descriptio ignorantiæ invincibilis, quam tradit Suarez *n.*19. ut sit illa, in qua homo nihil facere omittit eorum, quæ facere potest, & debet, ut scientiam acquirat. Nam illud *debet*, hic non debet poni, quia etiam si ignorans non debeat assumere aliquod medium ad fugiendā ignorantiam, si tamen illa per illud medium potest vinci, ignorantia est vincibilis. Erit verò invincibilis si ignorans nullo modo sit excitatus ad ignorantiam vincendam. 78

Sic v.g. ignorantia Jacob nescientis mulierem, quam cognoscebat non esse suam uxorem dicta fuit invincibilis à Medina *p.*2. *q.*6. *art.*8. & Alvarez *ibid. n.* 4. & communiter ab aliis, sed ratio ab eis allata insufficiens est, quia nimirum non debuit majorem adhibere diligentiam; sed vera ratio est, quia non potuit majorem adhibere, quia non fuit aliquo modo excitatus de necessitate alicujus diligentiæ, ideò proximè non potuit diligentiam adhibere. 79

Ideò hæc regula maximè attendi debet, ut distinguatur inter eum, qui non est excitatus ad quærendam scientiam, & eum qui ad hoc est excitatus, & jam saltem probabiliter, & non leviter suspicatur se ignorare id, quod tenetur scire. Nam qui non est excitatus propriè invincibiliter ignorat, sed qui est excitatus, & potest adiscere etiam si cum difficultate, non ignorat invincibiliter, nec ex impotentia excusari potest; si verò excusari possit ex eo, quod ad majorem diligentiam non teneatur, hoc non erit, quia ignorantia sit invincibilis, sed quia lex non obligat ad faciendum totum id, quod simpliciter potest fieri, ut scientia legis obtineatur. Quod respectu humanæ legis de facili contingere potest. Qui enim aliquem rumorem insufficientem ad credendum audivit de nova extravaganti edita Romæ, neque in loco, ubi est, potest veritatem cognoscere, non tenetur venire Romam, ut sciat, an illa verè fuerit edita. Et sic dari possunt multi casus, in quibus ignorans sciat se ignorare, & se posse scientiam acquirere per hoc, vel illud medium, & tamen non teneatur media illa adhibere, quia lex ad id non obligat. Et tunc erit quidem vincibilis ignorantia, sed probabilis, & excusans non ex impossibilitate propriè loquendo, sed quia ignorans non tenetur scientiam per talia media acquirere. 80

Ad primum argumentum respondetur pro nunc, & dicitur primò, quod qui nihil prorsus audivit de fide, vel de lege, non potest facere quod in se est, ut fidem, seu legem adiscat, & ideò infidelitas in eo non est peccatum, sicut nec legis ignorantia, sed negativum quid est, quod est pœna peccati. Respondetur secundò, quod nec verum est, quod sit lex à Deo statuta, ut facientem, quod in se est in ordine ad justificationem, Deus illuminet de omnibus, & singulis, quæ scire tenetur, aliter in nullo justo inveniri posset invincibilis ignorantia etiam legis humanæ, quod sine dubio est evidentissimè falsum. 81

Ad secundum dicitur, quod loquendo de potentia ad cognoscendum non possumus non loqui de potentia, & physica, & morali. Sed cùm ad cognoscendum præter intellectum sit enim necessaria species intelligibilis, potest esse, quod in homine non sit species repræsentativa objecti. Et quia homo præditus speciebus non exit in actum secundum, nisi excitatus, potest esse quod nullatenus sit excitatus ad aliquarum specierum usum. Et item potest esse, quod per se ipsum non sit sufficiens ut adiscat, aliàs verò careat omni libro, & magistro, & instrumento necessario ad sciendum, & sic quod etiam physicè sit impotens ad sciendum. Sic v.g. carceratus in territorio hæreticorum, qui in carcere nec habet, nec potest habere libros, nec habere potest magistrum veritatis, nec potest exire, ut quærat, invincibiliter ignorat ex impotentia etiam physica. 82

Ad tertium dicitur aliud esse, quod ignorantia sit vincibilis, & aliud, quod sit contracta per culpam, si enim ignorantia sit pœna contracta per culpam; potest non esse vincibilis, quia potest esse involuntaria, ut est ignorantia ejus, qui nihil audivit de fide, Deo in pœnam præcedentis peccati negante illi illuminationem fidei. Et licèt Gabriel 2. *d.* 41. *quæst. unic. art.*3. *d.*3. *d.*3. apud Alvarez *p.* 2. *disput.* 157. 83

ad primum arg. voluerit, quod ignorantia procedens ex aliqua causa aliàs illicita, & culpabili sit culpabilis in ordine ad effectum subsecutum; Tamen hoc est falsum ex duplici capite. Primò scilicet si ex vi præcepti de fugienda ignorantia non sit per se necesse abstinere ab eo illicito, tunc enim ignorantia subsecuta, nec censetur voluntaria, nec culpabilis. Secundò si ignorans adhuc invincibiliter ignorat illius illiciti fugam esse medium opportunum ad fugiendam ignorantiam; nam tunc ignorans invincibiliter non adhibet medium illud opportunum ad ignorantiam expellendam; & ideò inculpabiliter ignorat.

84 Ebrii autem ignorantia potest esse culpabilis, & vincibilis, quia potest esse volita in causa sua, & talis est, si ebrius prævidit, aut prævidere potuit, & debuit futuram ex ebrietate ignorantiam. Quatenus enim hæc ignorantia potuit vinci, non est moraliter invincibilis: Nec obstat, quod nunc physicè vinci non possit, quia sufficit, quod vinci potuit, & debuit: hoc enim sufficit ad hoc, ut illa ignorantia verè sit voluntaria, & judicanda vincibilis. Nihilominus tamen pœnitentia prioris culpæ facit, ut invincibilis jam sit ignorantia, quæ nunc vinci non potest, licèt antea potuerit vinci. Et ita qui quando potuit negligens fuit, ut sciret, si postea verè sit impotens, ut sciat, pœnitentia prioris negligentiæ facit ignorantiam præsentem involuntariam, & invincibilem. Greg. Mart. *p.2. q.86. art.2. dub. concl.1.* Alvar. *ibid. disp.151. n.17.* Vult verò Martinez *concl.2. & ad secundum*, ut hoc idem præstet pœnitentia virtualis, imò etiam in articulo mortis pœnitentia imperfecta quantum ad dolorem de præterito, si adsit propositum in futurum adhibendi diligentiam necessariam. Quia esto pœnitentia non sit talis, quæ sufficiat ad justificationem, ex quo tamen revocatur voluntas negligentiæ per absolutum novum propositum adhibendi diligentiam, fit ut ignorantia non sit voluntaria, sed invincibilis. Et sic tam physicè, quàm moraliter est invincibilis.

SUMMARIUM.

85 *Difficultatis ratio. Videtur non dari inconsiderationem vincibilem.*
86 *Datur inconsideratio invincibilis.*
87 *Datur inconsideratio vincibilis.*
88 *Non considerare cum quis potest, & debet est vincibile.*
Ex duplici suppositione potest esse quod quis non consideret.
Ex hoc inconsideratio est invincibilis, vel vincibilis, si suppositio non tolli, vel tolli potuit, aut possit.
89 *Punctum difficultatis.*
90 *Sufficere ad voluntarium advertentiam virtualem, quidam dicunt.*
Advertentia virtualis triplex.
91 *Rationes præfatæ opinionis.*
92 *Actum inconsideratum non esse peccatum, si non præcedat aliqua formalis cognitio, alii volunt.*
93 *Rationes hujus opinionis.*
94 *Opinio Suarez.*
95 *In deliberatione non datur processus in infinitum.*
Unum objectum non movet ad cognitionem alterius non connexi.
96 *Nec nisi appareat connexio.*
97 *Ad hoc ut homo deliberet, non sufficit sola finis cognitio.*
98 *Per judicium de fine, & ejus amorem fit homo potens ut se moveat ad exercitium.*
99 *Necesse est ad deliberandum, quod mens excitetur à Deo per cognitionem objecti.*
100 *Etiam objecti cogniti in habitu dari potest invincibilis inconsideratio.*
101 *Conditionis invincibiliter ignoratæ est invincibilis inconsideratio.*
102 *Videtur quod conditionis habitualiter scitæ non detur invincibilis inconsideratio.*
103 *Sed oppositum est verum.*
104 *Dari potest legis inconsideratio invincibilis.*
105 *Inconsideratio est invincibilis, si inconsiderati objecti nulla præcessit excitatio, 106.*
107 *Advertentia virtualis sufficit, si sit memoria confusa prioris advertentiæ.*
108 *Non sufficit advertentia causæ, nisi in ea actu reluceat effectus.*
109 *Inconsideratio agentis ex habitu est vincibilis.*
110 *Mens D. Thomæ explicatur.*
111 *Argumenta primæ sententiæ solvuntur.*
Inconsideratio aversionis à Deo non invincibilis in peccatore.
Dari potest inconsideratio qualitatis peccati.
112 *Rarius continget, quod inconsideratio malitiæ non sit vincibilis.*
113 *Inconsideratio qualiter voluntaria.*

Quæst. Primæ

ARTICULUS IV.

An detur etiam actualis inconsideratio invincibilis, & vincibilis, sicut datur ignorantia.

Videtur enim nullam dari inconsiderationem vincibilem, nam non est in potestate actu non considerantis actu considerare, quia non est in potestate ejus se movere, & applicare ad considerandum. Intellectus enim non est potentia movens ad exercitium actus, sed est potentia naturalis, quæ non movet, nisi mota, & aliundè ad agendum, & considerandum applicata, soliusque voluntatis est movere, & applicare ad exercitium agendi, ut habet D. Th. *p.2. q.9. art.1.* Nisi pro quanto antecedenter ad præsentiam objecti, intellectus tanquam potentia naturalis moveatur connaturaliter ad considerandum. Ubi igitur intellectus non considerat, non potest se ipsum movere, ut consideret. Tunc enim ab objecto non movetur, quia non habet illud actu præsens; nam si haberet illud præsens, actu consideraret. Sed tunc nec potest moveri à voluntate; quia voluntas non potest ferri in incognitum, & inconsideratum; ubi igitur intellectus nihil considerat de aliquo objecto, non potest voluntas movere intellectum ad considerationem objecti; igitur inconsideratio illa est respectu inconsiderati ab intrinseco invincibilis, & perpetuò durans, quousque ab extrinseco per Dei providentiam intellectus excitetur ad considerationem per objecti præsentationem. Unde ex hoc etiam sequitur, quod inconsideratio semper sit involuntaria, & inculpabilis; quia non potest esse directè volita, cùm non sit actu cognita. Sed nec potest dici voluntaria indirectè; quia hoc ipso, quod homo non considerat, non est in potestate hominis, ut se moveat ad considerandum; unde nec tenetur se movere ad considerandum; voluntarium verò indirectum est, cùm homo non facit, quod potest, & tenetur facere, ut docet D. Th. *p.2. q.6. art.3.* Hominem igitur non considerare actu, dum non considerat, non est indirectè voluntarium. 85

86 Communis tamen sententia est dari inconsiderationem invincibilem, & involuntariam, & inconsiderationem vincibilem, & voluntariam. Certum igitur est primò dari aliquam inconsiderationem invincibilem, & sic penitus involuntariam tam directè, quàm indirectè, quæ si sit antecedens facit ut actus ex ea sequens sit involuntarius, & inculpabilis. Ita Cajet. *p.2. q.6. art.8. & in summ. v. Inconsideratio*, & Medin. *p.2. qu.6. art.8. ad fin.* Greg. Martin. *ibid. & p.2. qu.76. art.2.* Alvarez *disp.153. num.5.* Serta *ibid. dub.2.* Montes. *p.2. qu.6. art.8. num.193. & quæst.76. art.2. num.54.* Suarez *p.2. tract.2. disp.4. sect.3. num.7.* & alii. Et ratio est, quia ut Cajet. habet, non est in potestate hominis facere, ut sibi occurrant omnia illa, quorum habet habitualem scientiam, aut memoriam; potest igitur contingere, ut objectum considerandum nullo modo offeratur intellectui nec in se, nec in alio, quod possit excitare ad cognitionem illius, & tunc inconsideratio est naturalis, invincibilis, & involuntaria; quod probat ratio suprà allata.

87 Certum est secundò dari aliquam inconsiderationem vincibilem, & ideò voluntariam, & culpabilem, etiam si sit illius, quod homo tenetur considerare. Hoc docuit expressè D. T. *p.2. q.6. art.3.* ibi: *Eo modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis sicut & actus voluntatis, ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere, & tunc sicut non velle, & non agere, cùm tempus fuerit est voluntarium, ita & non considerare.* Et ibid. art.7. *ad tertium*: *Quandoque in his, quæ per concupiscentiam aguntur non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari agibili: & tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere, & non velle; similiter autem & non considerare, potest enim voluntas passioni resistere.* Hoc idem

dicit

dicit *ibid. art.*8. *c.* ubi hanc voluntariam inconsiderationem vocat ignorantiam malæ electionis, vel ex habitu, vel ex passione proveniens. Et *p.*2. *q.*74. *art.* 7. *ad secundum*, ex hoc reducit peccatum in rationem superiorem, quia non cogitare de lege æterna est eam negligere, & est omittere, quod non debet omitti. Idem docuit Scotus *in* 2. *dist.* 42. *quæst.*1. & tenent Theologi omnes, quorum plures infrà referam.

88 Ratio autem est, quia cùm voluntatis sit movere, & applicare intellectum ad considerandum, benè potest contingere aliquando, quod intellectus actu non consideret, quia voluntas illum ad considerandum non moveat. In quo casu consideratio est vincibilis, & voluntaria saltem eo modo, quo posse, & non agere, dum est tempus agendi est voluntarium. Quod amplius explicatur, nam licèt intellectus dum actu non considerat, non possit in sensu composito considerare, tamen quod non consideret, non considerare ex aliqua antecedenti suppositione provenit; hæc verò duplex esse potest, scilicet primò antecedens, & necessaria, seu quæ non est in hominis potestate, secundò ut sit voluntaria. Primum tripliciter potest contingere, nimirum primò ex defectu potentiæ naturalis, quia est in eo impeditus usus rationis ex aliquo defectu partis sensitivæ; secundò ex defectu principii formalis, & specificantis, quia non habet species intelligibiles, & quidem involuntariè; tertiò, quia nullo modo est excitatus ad considerandum, & in omnibus istis casibus inconsideratio est invincibilis, quia homo non potest considerare, nisi habeat principia considerandi, & sit excitatus ad considerandum; quod si aliquo horum caret antecedenter ad omnem voluntatem suam; & prorsus involuntariè jam hanc inconsiderationem nec potest vincere, cùm suppositionem non possit auferre. Si verò suppositio sit voluntaria, tunc vel est voluntaria solùm de præterito, vel est voluntaria etiam de præsenti. Si est voluntaria solùm de præterito, ut est ebrietas voluntariè habita, quæ tollit facultatem considerandi liberè, & humano modo, tunc inconsideratio præsens secundùm aliquos de præsenti est invincibilis, & involuntaria. Sed tamen hoc non admittitur, quia voluntarium hoc de præterito, quod est voluntarium in sua causa, ut dictum est *art. sup.* sufficit ad hoc, ut inconsideratio moraliter censeatur vincibilis, & voluntaria, durante virtualiter voluntate præterita, nisi revocetur, & sic inconsideratio virtualiter est volita de præsenti. Quia ebrius non potest de præsenti tollere ebrietatem, donec ipsa cesset connaturali modo. Unde hujusmodi inconsideratio est voluntaria solùm de præterito, quia potuit homo non inebriari, & liberè se inebriavit. Sed si suppositio sit voluntaria etiam de præsenti, quia in potestate inconsiderati est eam tollere quandocumque voluerit, inconsideratio est etiam de præsenti vincibilis, & voluntaria, quia illius propria causa est voluntas.

89 Stante igitur quod inconsideratio aliquando sit invincibilis, & aliquando sit vincibilis, quærendum est, quæ regula est servanda ad cognoscendum an inconsideratio dicenda sit invincibilis, & involuntaria, an potiùs vincibilis, & voluntaria. Si autem rectè hæc quæstio perpendatur, non habet difficultatem ex eo, quod dubium sit, an sit vincibile, & volontarium id quod potest fieri, & debet, & non fit, hoc enim nunc pro indubitato supponitur, sed difficultas est, quomodo actu cogitare sit in potestate ejus, qui nihil cogitat actu. Plures propterea sunt in hac parte DD. sententiæ.

90 Prima est eorum, qui existimant, quod ad hoc ut actus sit voluntarius non sit necesse, quod sit actu formaliter cognitus, sed sufficiat advertentia virtualis illius, ut sic licèt, qui operatur actu, non advertat ad aliquam circumstantiam actus, & conditionem illius, ut v. g. ad malitiam actus, & tamen actus ille est voluntarius, & si est malus, est peccatum, si præcessit virtualis advertentia malitiæ, nimirum quia potuit, & debuit advertere. Triplex verò hic potest cogitari advertentia virtualis, vel scilicet, quia maneat virtus alicujus advertentiæ actualis, & formalis, in quo sensu advertere virtualiter dicuntur artifices, qui in virtute prioris deliberationis operantur, etiam ad id, quod faciunt non advertentes; & sicut qui iter arripuit ex deliberatione versus Romam, suum iter prosequitur actu nihil de Roma cogitans. Advertentia igitur actualis, & formalis manens virtute in operante ex vi illius dicitur advertentia virtualis. Alio modo advertentia virtualis dici potest advertentia actualis alicujus objecti, in cujus cognitione tantquam in causa continetur virtualiter cognitio alterius. Tertiò autem modo dicitur advertentia virtualis, quando actus, seu objectum sic consonat volenti, ut nolit conferre de illo, ut contingit, quando quis operatur ex habitu, vel consuetudine, quia iste non deliberat actualiter, quando secundùm illam operatur. Hæc igitur sententia vult, quod ad actum voluntarium sufficiat advertentia aliqua ex præfatis modis virtualis, & sic etiam tunc inconsideratio est vincibilis, & culpabilis, quando adest in inconsiderato advertentia virtualis. Et ita hanc sententiam tenuit Gerson *Alphabet.* 33. *lit. H*, & *Alphabet.* 24. apud Vasquez *p.* 2. *q.* 107. *cap.*2. Sed Gerson ab aliis citatur pro opposita sententia. Hanc igitur tenent Greg. Martinez *p.*2. *quæst.*74. *art.*8. *tract. de decl. mor. d.*1. *concl.*3. Serra *ibid. art.*8. *dub.*3. *q.*3. Montesinus *tom.*2. *disp.*7. *q.*1. *num.*17. Zumel. *quæst.* 76. *art.*3. *disp.*2. *dict.*4. & 5. Val. *disput.* 6. *quæst.*6. *p.* 1. quos sequitur Martinez de Prado *tom.*1. *cap.*2. *quæst.*6. *num.* 5. Pro hac eadem sententia verò referuntur Cajet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.*1. *dub.*3. Raphael de Turre *ibid. dub.* 1. & quamplures alii, qui tamen benè loquuntur, quia verum est, quod aliqua attentio virtualis sufficit ad hoc ut inconsideratio sit vincibilis, & voluntaria, ut infrà explicatur. Probatur autem hoc primò auth. D. Th. 1. 2. *q.*6. *art.* 3. *ad tertium*, & *q.*74. *art.*7. *ad* 3.

Probatur quoque ratione primò: Nam ad hoc, ut quis voluntariè peccet, non requiritur actualis consideratio de aversione à Deo, & sufficit cognitio malitiæ. Pariter ad hoc, ut quis peccet mortaliter, sufficit, quod cognoscat actum esse malum, & non est necesse, quod actu advertat illud esse mortale, vel veniale; cùm imò hanc distinctionem ignorent infideles; igitur jam constat aliquid esse voluntarium, quod non est actu excogitatum; non igitur ad voluntarium requiritur actualis aliqua cogitatio actus vel objecti, sed sufficit interpretativa, & virtualis. Secundò, nam si esset necessaria actualis aliqua consideratio objecti, ad hoc ut actus esset voluntarius, sequeretur, quod nullus peccaret, qui non sentiret morsus conscientiæ, quia ubi cognoscitur malitia actionis, statim conscientia remordet: sed multi peccant sine minimo conscientiæ remorsu, imò sæpè credentes se obsequium præstare Deo; igitur peccant nullam actu habentes cognitionem de peccati malitia. Quod verò dari possit peccatum sine conscientiæ remorsu, probatur ex illo Pauli 1. ad Timoth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Tertiò qui culpabiliter ignorat, ex simili ignorantia peccat non habens advertentiam malitiæ, & tamen indubitatè peccat ex advertentia virtuali, & interpretativa; igitur ad hoc ut actus etiam in genere moris sit malus, non est necessaria formalis advertentia mali. Quartò qui peccat ex passione non advertit ad malitiam, sed impetu fertur in id, ad quod passio inclinat, & tamen non excusatur, eò quia inconsideratio illa est volita in passione voluntariè non repressa. Et hoc adeò est verum, ut nihilominus ad peccatum imputetur, si nec advertat ad malitiam in communi, eò quia sufficit, quod passio voluntariè sit admissa. Quintò qui expertus est se alicui tentationi succumbere, si advertit tentationem insurgentem, & eam non rejicit, non per hoc à peccato excusatur, si tentationi consentit, licèt ad malitiam non attendat; quia ex quo expertus est, se tentationi consentire potest, & debet statim illi resistere. 91

Alii in oppositum arbitrantur non dari voluntarium respectu objecti inconsiderati, ita quod & inconsideratio, & actus ex inconsideratione habitus non sit voluntarius nec peccatum, nisi præcesserit vel actualis expressa aliqua consideratio etiam malitiæ actus, vel distincta, vel confusa, vel saltem dubietas aliqua, vel scrupulus. Quamobrem juxta hanc sententiam non sufficit advertentia virtualis objecti, vel circumstantiæ, vel malitiæ volitæ, sed inconsideratio est invincibilis, quam non præcedit aliqua expressa actualis, & formalis consideratio, itaut non possit imputari ad culpam actus, quatenus sit de objecto, vel conditione, aut malitia præfato modo inconsiderata. Ita sentiunt Vasquez *p.*2. *q.*74. *art.*7. *disp.*107. *cap.*3. & *quæst.*76. *art.*2. *disput.*123. *cap.*2. *num.*6. & *disp.*124. *cap.*2. *num.*5. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.*16. *num.* 41. & apud Martinez de Prado *cap.* 2. *q.* 6. *num.* 1. Franciscus de Lugo, Gravadus, Diana, & Oviedo, Bonac. *de peccatis disp.* 2. *quæst.*2. *part.*3. *num.*12. Probant verò hanc sententiam ex D. Thoma *qu.* 15. *de ver. art.*4. *ad* 10. 92

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

93 Probatur verò ulterius ratione primò, quia ex D. Thom. *p.2. quæst.4. art.6.* consultatio non procedit in infinitum, sed necesse est devenire ad unam primam cognitionem naturalem, quæ sit consultationis principium; igitur ubi in nobis non est firmum principium ex quo consulamus, non habemus proximum posse ad consulendum, & deliberandum; ubi verò non præcedit objecti cognitio aliqua actualis, non est in nobis principium firmum deliberandi de objecto; & sic inconsideratio non potest esse volita, ut etiam in principio articuli probare nititur argumentum ibi allatum. Secundò, nam propterea suo muneri satisfacit Confessarius, si à pœnitente, qui confitetur ea oblivione se non jejunasse, petit, an sibi in mentem venerit obligatio jejunandi, vel aliqua dubitatio de illo, & si negat judicat eum non peccasse. Tertiò nam id suavitas divinæ legis suadet; unde non est credibile ab eo mortale peccatum committi, qui de malitia actus nullam prorsus advertentiam habuit. Tum quartò, quia nullus peccati mortalis reum faciet, projicientem lapidem de fenestra in plateam, in qua multi confluunt, si per oblivionem prorsus id fecerit.

94 Suarez autem *p.2. disp.4. sect.3. num.25. & sequent.* distinguendo difficultatem solvit, & ait primò, quod ad hoc ut inconsideratio sit volita directè, & in se, necesse est quod illam præcedat, & actus voluntatis, & actualis consideratio reflexa per quam inconsideratus reflectendo supra se ipsum consideret se non considerare, vel inconsideratum esse circa aliquod objectum; quia voluntarium directè non est sine actu positivo voluntatis, qui non fertur in incognitum, & inconsideratum; & sic inconsideratio affectata, & directè volita non est sine præcedenti consideratione ipsius inconsiderationis. Dicit secundò, quod ad hoc, ut inconsideratio sit volita in se ipsa etiam indirectè necessaria est eadem reflexio actualis intellectus, per quam cognoscat se inconsideratum esse. Nam nihil esse potest volitum in se, nisi in se sit propositum voluntati, ut ipsa possit liberè operari, vel suspendere actum circa ipsum; Nam in hoc distinguitur voluntarium in se à voluntario in alio. Posita autem illa reflexione circa inconsiderationem illam, voluntas potest nullum actum habere circa illam, nec circa intellectum applicandum ad majorem illius objecti considerationem, sed solum circa hic, & nunc faciendum, & tunc illa inconsideratio est indirectè voluntaria per solam carentiam actus, conditio autem vel circumstantia, vel malitia operis non considerata erit voluntaria in alio, vel indirectè, in ipsa scilicet inconsideratione, vel certè propinquius in ipsa voluntate operandi cum tali inconsideratione. Dicit tertiò, quod inconsideratio potest esse volita in alio directè, vel indirectè, nimirum per actum positivum volendi aliud, vel per negationem actus liberam, quod sic declarat. Nam ad volendum necessariò præcedit judicium circa rem agendam cum sufficienti reflexione, & ponderatione ipsius objecti, & cum aliqua saltem imperceptibili collatione commodi vel incommodi, necessitatis, vel indifferentiæ talis objecti, & bonitatis illius, cùm voluntas ab actuali usu intellectus pendeat. Supposito verò hoc judicio homo est jam constitutus in actu, ut voluntas possit antequam deliberet applicare intellectum, ad distinctè considerandum, quod fuit confusè conceptum; neque ad hoc requiritur nova reflexio intellectus, sed sufficit ea, quæ intellectus actui, seu judicio illo supposito est intrinseca; igitur tunc si voluntas non applicet intellectum ad cognitionem objecti distinctam, inconsideratio illa erit voluntaria vel indirectè, per carentiam actus, quem posset voluntas, & deberet habere, vel per actum positivum, quo applicavit intellectum ad aliud considerandum, vel quo voluit sequi passionem, quæ talem considerationem impedit. Dicit quartò, quod tunc voluntas non censetur negligens, cùm juxta negotii qualitatem mediocrem adhibuit diligentiam ad considerandum id, quod erat considerandum.

95 Pro hujus difficultatis solutione dicendum est primò in deliberatione à parte ante non dari processum in infinitum, sed deveniendum esse ad aliquam primo primam cognitionem, & advertentiam negotii, quæ non est in nostra potestate, & ad quam homo non potest se movere, & applicare, sed à Deo movetur, & applicatur. Hoc est certum ex S. Th. *p.2. q.9. art.1. & q.14. art.6.* & de hoc nullus discipulorum D.T. dubitat, in quo convenit etiam secunda, & tertia sententia. Dicendum est secundò intellectum per cognitionem unius objecti non excitari, nec fieri in actu, ut intelligens possit se movere ad cognitionem alterius objecti, nisi habeat illud objectum connexionem aliquam cum illo alio. Nam verum super ente fundatur, sicut verò in ratione entis unum ens non infertur ex alio, nisi detur inter illa entia connexio, vel dependentia, ut unum ab alio dependeat, vel sit illud à quo aliud dependet; ita in cognoscendo ea unius cognitione non infertur cognitio alterius, nisi entia sint connexa simul vel connexione alicujus causalitatis, vel ordine unius ad aliud, ut est in relativis, & sic per causas cognoscimus effectus, & per effectus causas, nec unum relativum cognoscimus sine alio; sed ubi inter entia non sit connexio aliqua, intellectus per cognitionem unius non fit in actu, ut proximè possit aliud cognoscere, vel movere voluntatem ad aliud amandū.

96 Dicendum verò est tertiò, quod licet objectum habeat connexionem cum alio, & contineat virtualiter aliud in esse cognito, non tamen quælibet cognitio illius objecti constituit intellectum in actu, & dat illi proximum posse respectu cognitionis alterius virtualiter contenti. Neque enim ad hoc sufficit quælibet objecti confusa cognitio, sed est necessaria cognitio taliter distincta, quæ attingat connexionem objecti cogniti cum alio. Hoc certissimè probatur ex eo, quod de Beatis docent Catholici Doctores, scilicet quod nullus eorum ex vi Dei visio cognoscit in singulari omnes creaturas possibiles, nec per Dei visionem fit in actu, ut eas cognoscere possit, quia nullus Deum videt cum tanta comprehensione Deitatis, ut attingat connexionem illius ad quamlibet creaturarum possibilium in singulari. Et respectu creaturarum, quæ esse habent in æternitate unus non tot videt, quot videt alius; seu eas non videt, quas videt alius, & hoc ex eadem ratione, quia visio unius non terminatur ad Deitatem sub ea connexione, & ordine, quem habet ad singulas creaturas, sed solùm, ut in Deitate relucent hæ creaturæ, & non aliæ. Manifestum igitur est, quod ad hoc ut intellectus fiat in actu per unius objecti cognitionem, ad hoc ut cognoscat aliud objectum, non sufficit, quod illud objectum contineat virtualiter aliud, nec sufficit quælibet minus distincta cognitio illius objecti, sed requiritur taliter distincta, ut attingat connexionem illius objecti cum alio. Sic potest cognosci res, ut est ens, non cognita bonitate illius, & potest cognosci causa, ut est ens in se, non cognita ejus virtute causativa. Et ita in proposito nostro objectum continens virtualiter aliud potest cognosci ita confusè, ut illud aliud non reluceat, neque ex vi tali cognitionis possit aliud cognosci.

97 Dicendum est quartò, quod in practicis loquendo primo prima cognitio, in quam resolvitur deliberatio, & quæ est in nobis à Deo est cognitio finis, & boni, quod in practicis est primum principium agendi, & se movendi. Sed tamen non quælibet boni cognitio est sufficiens, ut constituat intellectum in actu, ut intelligens possit se moveri ad cognitionem cujuscumque boni in particulari, nisi cognoscatur connexio, & ordo finis ad illud particulare bonum, quæ connexio nequit cognosci, nisi aliundè intellectus excitetur taliter, ut connexio finis cum tali bono cognoscatur. Habetur hoc dictum à S. Thoma *p. 2. quæst. 14. art. 6.* ibi: *Accipitur enim in inquisitione consilii duplex principium, Vnum propriè ex ipso genere operabilium: & hoc est finis, de quo non est consilium, sed supponitur in consilio ut principium, ut dictum est. Aliud quasi ex alio genere assumptum: sicut & in scientiis demonstrativis una scientia supponit aliqua ab alia, de quibus non inquirit. Hujusmodi autem principia, quæ in inquisitione consilii supponuntur, sunt, quæcumque sunt per sensum accepta utpote quod hoc sit panis, vel ferrum; & quæcumque sunt per aliquam scientiam speculativam, vel practicam in universali cognita, sicut quod mœchari est à Deo prohibitum, & quod homo non potest vivere, nisi nutriatur nutrimento convenienti: & de istis non inquirit consiliator.* Itaque ergo judicium quod est de amore boni est illud primo primum, ad quod homo excitatur, & excitari debet, ut possit homo se movere, & ad inquisitionem consilii, & ad deliberandum de mediis, & ad mediorum electionem, & finis assecutionem. Sed ad hujusmodi inquisitionem, & deliberationem non sufficit actualis finis cognitio ex parte intellectus, & ejusdem amor ex parte voluntatis; sed requiritur cognitio talis, quæ attingat connexionem finis ad hæc, vel illa media determinatè.

98 Itaque ad deliberandum non sufficit cognitio finis ejusque amor, sed duplex alia cognitio prærequiritur, scilicet principiorum universalium sapientiæ, & scientiæ moralis,

per

per quæ habentur regulæ agendorum: & ulterius cognitio mediorum etiam sensibilium, per quæ finis amatus assequi possit. Sed summè hic considerandum est, quod supposita scientia habituali, aut notitia legis, & mediorum, quæ sunt necessaria ad legis observantiam homo per judicium de fine, & ejus amore fit in actu, ut proximè possit quantum ad exercitium actus se movere ad considerandum omne considerabile ad finis assecutionem. Quia notitia habituali utimur quando volumus, quia hic est actus libertatis, ut habitibus utamur ad libitum voluntatis, ut habet D. Th. *p.p. q.107. art.1. c.*

99 Verùm si contingat, quod finis habeat diversa media, & quidem plura, imò infinita ad quorum nullum habeat connexionem determinatam, sed ratione finis possint infinita amari, indiget voluntas determinari etiam ad speciem actus, & ad mediorum electionem. Primum autem specificans est objectum, ut ab intellectu cognitum, & voluntati præsentatum, ut habet D. Thom. *part. 2. quæst. 9. art. 1.* Necesse igitur est etiam ut intellectus excitetur ad hujus objecti cognitionem, ut hoc modo possit excitare voluntatem ad hujus objecti amorem. Neque ad excitandum intellectum ad speciem actus, seu ad objectivam determinationem sufficit vel voluntas, vel intellectus ipse. Nam voluntatis non est movere ad speciem actus, seu specificare actum, sed hoc est objecti, ut habet ibid. D. Thom. Intellectus verò etiam si habeat notitiam habitualem objectorum, cùm sit in potentia indifferenti ad omnia, non potest se determinare ad unum illorum. Nam ut habet ibidem Divus Thom. quod est in potentia, non fit in actu, nisi per aliquod, quod sit in actu, non autem per id, quod est in potentia; ideò necesse est, quod intellectus ipse excitetur ad cognitionem hujus, vel illius objecti. Quod quidem in nobis, ut plurimum fit per excitationem sensus, in Angelis verò fit per aliquam virtutem intelligibilem, ut cùm unus Angelus alteri loquitur, secundùm D. Thom. *p.p. quæst. 107. art. 1. ad tertium.* Quando verò ex aliqua causa medium habeat ad aliquã determinationem cum fine, ex hac determinatione cognita ex amore nõ potest voluntas determinari, ut applicet intellectum ad actualem considerationem talis objecti, sed tamen opus est, ut intellectus excitetur ad cognitionem talis determinatæ connexionis; quia ex sola confusa cognitione finis non potest determinari ad considerationem potiùs hujus, quàm alterius boni particularis, nisi appareat connexio specialis potius ad hoc bonum, quàm ad aliud. Per legem autem fit connexio boni præcepti ad bonum in communi, sed nisi appareat hæc connexio, non erit in actu intellectus, ut moveat voluntatem, ut voluntas applicet intellectum ad attendendum legi, & consulendum, & deliberandum de ejus observantia. Concluditur igitur, quod ad hoc ut possit homo se moraliter movere, præter potentiam physicam ad cognoscendum, & amandum, & præter notitiam habitualem requiritur, quod intellectus excitetur ab extrinseco, nedum ad cognitionem finis, sed illius objecti, circa quod habendum est consilium, quod fit per hoc, quod intellectui præsentatur objectum illud vel in se ipso, vel in alio, in quo illud continetur.

100 Dicitur igitur quintò, quod datur invincibilis inconsideratio etiam objecti aliundè cogniti in habitu, & sic datur actus voluntatis etiam quantum ad aliquam conditionem objecti invincibiliter inconsideratus. Et tunc est, quando intellectus non fuit sufficienter excitatus, unde in mentem ejus non venit, vel objectum, vel conditio objecti. Ratio est, quia in quocumque negotio datur primo prima excitatio intellectus, per quam excitatur ad primam objecti apprehensionem, & quæ excitatio non est in potestate hominis; tum quia ejus, qui est in potentia simpliciter non est reducere se de potentia ad actum, & cùm homo sit in potentia ad infinita cognoscenda, ejus non est primo se reducere ad actum cognitionis hujus, & non illius. Tum quia si ad omnem objecti cognitionem deberet homo se excitare, ex una scilicet objecti consideratione excitando se ad aliam, daretur processus in infinitum; ideò danda est prima aliqua cognitio, ad quam vel sit excitatus à natura, vel ab extrinseco excitetur; Ad nullius verò objecti particularis cognitionem homo est à natura excitatus, & determinatus; Dei igitur est per suam providentiam excitare intellectum hominis ad primam rei considerationem, quæ est apprehensio aliqua quod quid est ipsius rei. Qua excitatione deficiente intellectus non potest rem considerare, & sic est invincibiliter inconsideratus.

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

Hoc autem est verum nedum de totali objecti inconsideratione, sed etiam de inconsideratione conditionis alicujus objecti ejusdem. Et quidem hoc difficilius potest reperiri, nisi præsupposita ignorantia invincibili ipsius conditionis. Quod igitur supposita ignorantia invincibili conditionis objecti actualis inconsideratio illius sit necessaria, & invincibilis, est per se manifestum, quia non potest intellectus in actu secundo considerare, si non est in actu primo ad actu considerandum; qui verò nec habet, nec habere potest scientiam de objecti conditione nec est, nec esse potest in actu primo illam considerandi. 101

Sed ubi quis non laborat ignorantia invincibili conditionis objecti, videtur, quod non possit in eo dari invincibilis inconsideratio conditionis supposito intellectu excitato ad objecti cognitionem. Ratio est, quia homo potest actu considerare de re, quidquid in habitu scit rei convenire; nam ut habet D. Thom. *p.p. quæst. 107. art. 1. Intelligibile est in intellectu tripliciter. Primò quidem habitualiter vel secundùm memoriam ut August. dicit. Secundò autem ut in actu consideratum, vel conceptum. Tertiò ut ad aliud relatum. Manifestum est autem, quod de primo gradu in secundum transfertur intelligibile per imperium voluntatis, unde in definitione habitus dicitur, quo quis utitur cum voluerit.* Igitur habens notitiam habitualem objecti, & conditionum ejus, ex imperio voluntatis potest se transferre de habituali ad actualem cognitionem conditionum objecti, quas cognoscit in habitu. Et in hoc est diversa ratio ipsius objecti, & conditionum ejus. Quia respectu objecti intellectus est simpliciter in potentia determinata, cùm possit considerare infinita objecta, ideò necesse est, quod excitetur aliquo modo ad objecti hujus considerationem sive immediatè ab extrinseco, sive ex vi considerationis alterius objecti, cum quo hoc habet connexionem. Sed supposita objecti cognitione ex hoc jam est in actu, ut possit per imperium voluntatis se transferre de habituali ad actualem considerationem omnium conditionum, quas scit convenire objecto. 102

Nihilominus dicitur ex Cajet. *loco suprà citato*, quod nec est in potestate hominis, ut recordetur actu omnium, quorum habet notitiam in habitu; unde secundùm DD. datur oblivio naturalis. Cùm enim in memoria res sint cognoscibiles in potentia, & quidem indifferenti, & indeterminata, non est homo proximè potens ut actu recordetur potius istius rei, quàm alterius, illamque actu consideret, nisi excitetur ad ejusdem actualem considerationem. Cujus evidentissimam experientiam habemus ex eo, quod sæpè etiam contingit, quod ex aliqua confusa cogitatione excitati conamur recordari alicujus, & intus in mente inquirendo, & conferendo laboramus ut recordemur illius, & tamen recordari non possumus. Apparet igitur, quod nec de scientia habituali ad actualem scientiam specificatam potius hujus, quàm alterius non transimus, nisi ad id excitemur sive ex immissa rei apprehensione aliqua immediatè, sive quia excitamur per cognitionem distinctam objecti alicujus, in qua relucet illa alia res. Ideò earum conditionum objecti difficilior est oblivio, quas convenire objecto est valdè manifestũ, quia v.g. nec sunt omninò propriæ illius, sed communiter similibus objectis conveniunt, & sæpiùs menti occurrunt, unde & in conceptu objecti facilius relucent. Nec doctrina allata à D.T. est in oppositum, quia ibi loquitur de motione quantum ad exercitium actus, & supposita præcedenti sufficienti notitia actuali determinante imperium rationis ad hoc, ut imperet determinatè actualem considerationem potiùs hujus rei, quàm alterius, quod ne detur processus in infinitum reduci debet in aliquam mentis excitationem ab extrinseco, scilicet à Deo immissam. Quamobrem nedum in casu urgentis necessitatis, in quo non detur tempus omnia considerandi, sed etiam ubi est commoditas plenissimæ deliberationis, & ubi qui deliberat est prudentissimus vir, dari potest incõsideratio invincibilis alicujus conditionis objecti habitualiter scitæ, quia ipse nullo modo excitetur ad illius actualem considerationem: imò quia insufficienter excitatus, etiãsi conetur, & tota mẽte laboret, nõ possit illius reminisci. 103

Dicitur propterea sextò, quod potest dari invincibilis inconsideratio legis; & quod hæc semper est talis, quotiescumque qui deliberat de actione per legem prohibita nullo modo fuit excitatus ad actualem legis considerationem, vel per aliquam illius memoriam immissam, vel per 104

cognitionem alterius, in qua illius aliqua memoria reluceret. Sed data legis advertentia, inconsideratio bonitatis, vel malitiæ actionis nec est, nec moraliter esse potest invincibilis. Quia in cognitione legis nimis clarè relucet bonitas, vel malitia illius. Et nimis evidens est, quod actio contra legem est mala, & digna pœna ad justum arbitrium superioris. Prima pars hujus dicti probatur ex jam dictis; cur enim contingere non possit, quod homo nullo modo excitetur ad considerandum, quod aliqua actio sit contra legem, etiam si aliàs prudentissimus sit? Nam & sapientes aliquorum non recordantur. Ubi verò mens nullo modo sit excitata ad legis alicujus particularis considerationem & memoriam, non potest illius reminisci, vel illam considerare: illius igitur oblivio, aut inconsideratio est invincibilis. Et in hoc sensu vera est secunda sententia.

105 Sed numquid absolutè verum est, quod illa secunda sententia affirmat, scilicet inconsiderationem esse invincibilem quotiescumque objecti non considerati nulla præcessit actualis, & formalis cogitatio distincta, vel confusa? Videtur enim ita dicendum. Quia dato etiam quod ex principiis universalibus homo possit se applicare ad considerationem objecti particularis, & conditionum ejus supposita aliquali objecti cognitione, si ad hoc faciendum non excitetur, non potest ad id se movere. Ex alia verò parte videtur, quod id non sit necessarium, sed sufficiat excitatio per principia generalia, ut per synderesim, quæ semper dictat bonum esse faciendum, vel per regulas generales, ut quod non est deliberandum nisi plenè consideratis omnibus circumstantiis negotii: quod in omnibus semper attendi prius debet, an actio sit conformis rectæ rationi, vel legi æternæ. Nam ex his considerationibus mens fit in actu, ut saltem supposita cognitione aliqua objecti possit homo se movere, ut omnia actu consideret, quæ conveniunt objecto.

106 Sed respondetur nihilominus, quod semper inconsideratio est invincibilis, quando objecti inconsiderati nulla præcessit actualis aliqua cogitatio vel in se, vel in alio, quia excitatio per principia universalia, nec semper adest, nec si adest sufficit excitatio per cognitionem objecti, ad hoc ut actu omnes ejus conditiones considerentur. Et quidem excitatio per synderesim non deficit, sed tamen non semper excitatur mens per aliàs regulas generales; & excitatio hæc per generales regulas non sufficit ad determinandum intellectum ad hujus vel illius determinatam cognitionem, nisi in eis actu aliquo modo reluceat ordo ad particulare hoc, vel illud. Et in syllogismo practico non sufficit excitatio ad majorem propositionem, nec per hoc quod intellectus cognoscit majorem est excitatus ad subsumendam hanc minorem, nisi ad hoc aliundè excitetur. Et nec sufficit, si mens sit excitata per cognitionem objecti, quia neque objecti cognitio quælibet sufficit ad inferendam cognitionem quarumlibet conditionum ejus. Ideò semper inconsideratio est invincibilis, quando objecti non considerati nulla præcessit actualis consideratio; & excitatio per alterius considerationem non sufficit, nisi sit talis, quod in ea actu aliquo modo reluceat illius consideratio. Hæc verò declarantur: Nam v. g. esto synderesis excitet cognitionem hanc universalem bonum honestum est amandum, & fugiendum malum, dum quis cogitat de comestione carnium, homo non est sufficienter excitatus, ut malitiam comestionis cognoscat, ex illa sola cogitatione generali, quod malum est fugiendum, si non sit excitatus, ut sub illa majori subsumat, & consideret adesse legem jejunium præcipientem, & sic excitetur ad considerationem legis, sed hujus legis omnino obliviscatur. Pariter esto homo sit excitatus per universalem regulam dictantem considerandum esse, an actio sit contra legem, si tamen ulterius non sit homo excitatus ad considerandum, quod adest lex jejunii, non erit sufficienter excitatus, ad hoc ut consideret hic, & nunc comestionem esse contra jejunii legem, sed est necesse quod procedat aliqua confusa notitia illius legis. Patet ergo quod nec excitatio per regulas generales, nec excitatio per cognitionem objecti sufficit ad hoc ut mens sit in actu, ut se moveat ad considerandam objecti qualitatem, ut puta legis obligationem, vel actus malitia, nisi præcedat aliqua, vel confusa qualitatis illius notitia.

107 Hinc judicium ferri potest de prima sententia, & videri an sufficiat advertentia virtualis ad hoc ut non consideratio sit vincibilis. Triplicem verò advertentiam virtualem cum illa sententia distinguat; Prima non est sine aliqua actuali, & formali attentione objecti. Artifices enim qui operantur ex usu, & videntur sine advertentia operari, verè sine aliqua confusa advertentia non operantur. Et in eo qui habet iter Romam versus, semper est aliqua confusa advertentia illius suæ prioris deliberationis. Nec verum est, quod advertentia virtualiter maneat in aliquo, nisi actu maneat aliqua confusa memoria illius, quod prius distinctè fuit consideratum. Ideò hæc advertentia virtualis sufficit, ut non consideratio sit vincibilis, quia per talem advertentiam, quæ non est nisi confusa aliqua memoria prioris distinctæ advertentiæ potuit mens se movere ad distinctam memoriam, & considerationem ejus, quod non consideravit.

Sed secundus modus attentionis virtualis non sufficit. 108
Quia non quælibet cognitio causæ continet virtualiter proximè cognitionem effectus, sed ad hoc ut per cognitionem causæ mens sit excitata ad cognitionem effectus, necesse est ut cognitio causæ sit adeò distincta, ut in ea reluceat ordo aliquis ad effectum, vel quòd mens aliundè habeat quodquid est effectus, seu illius saltem quid nominis, ut sic possit applicare universalitatem causæ ad effectum particularem. Sic ergo iterùm dicitur, quòd in syllogismo practico mens non est in actu, ut inferat conclusionem per solam cognitionem majoris, seu per quidquid est subjecti, aut causæ, nisi mens etiam excitetur ad minorem per apprehensionem minoris extremitatis. Et universaliter debet cognosci connexio causæ ad effectum, ut ex causa cognoscatur effectus. Non ergo sufficit advertentia causæ, nisi sit talis, & tam distincta, ut in ea actu saltem confuso reluceat ordo ad effectum determinatè. Si verò advertentia causæ sit hoc modo distincta, jam rei non consideratæ præcessit aliqua actualis advertentia.

Tertius modus advertentiæ virtualis est impossibilis. Qui 109
enim ex habitu agit, non agit sine aliqua advertentia, etiam si inadvertentiam distinctam affectet. Unde inconsideratio agentis ex habitu est vincibilis, quia eam præcedit aliqua actualis consideratio, imò in eo inconsideratio est affectata, si ipse non vult considerare.

De mente autem D.T. dubitari non potest nam *p. 2. q. 6.* 110
art. 3. ad 3. & q. 74. ad 2. exprese admittit inconsiderationem vincibilem, sed ex eo quod homo non consideret quando potest, & tenetur, *quæst. verò 15. de ver. articul. 4. ad* 10. loquens de delectatione mala, ait, quod antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum, ipsius, non habet interpretativum consensum. Sed expressius *par. 2. quæst. 74. artic. 6.* tunc ait habere locum peccatum delectationis morosæ, postquam ratio deliberavit, quod motus delectationis est inordinatus. Et in hoc D. Thom. sequuntur Cajet. *in sum v. delectatio morosa*, & ibidem Silvestr. *quæst. 1. d. 4.* & Armilla *num. 1. & v. cogitatio num.* 2. Ex qua doctrina habetur, quod etiam delectatio, quæ actu experimento est nota, potest esse inconsiderata quantum ad malitiam illius, seu quantum ad hoc, quod est esse contra legem. Nec obstat si dicatur de mente D. Thom. non esse, quod malitia delectationis sit inconsiderata invincibiliter, sed solùm quod ex præventione sensus non sit plenè deliberata, & ideò homo excusetur à peccato mortali. Nam hoc etiam dato, urget D. Thom. auctoritas, qui admittit cognitionem delectationis evidenter sensu cognitam, stare cum inconsideratione malitiæ indeliberata, & sic invincibili, ex eo quod mens non sit excitata plenè ad malitiæ inconsiderationem. Quamvis doctrina D. Thom. procedat etiam in delectatione merè intellectiva, quæ sit de aliquo actu non sensitivo, sed intellectivo, in qua ratio non prævenitur à sensu, & tamen procedit eadem doctrina, ut non peccet homo, nisi advertat delectationem esse contra legem.

Ad primum argumentum, primæ sententiæ admittitur, quod inconsideratio aversionis à Deo non est invinci- 111
bilis in eo qui fidem habet, & considerat actionem esse contra legem Dei, quia moraliter non est possibile, quod hujusmodi excitatus ad cognitionem malitiæ actus, seu oppositionis ad legem non sit sufficienter excitatus ad cognitionem aversionis à Deo. Præterquam quod additur, quod quidquid sit an inconsideratio aversionis à Deo sit vel non sit invincibilis, semper homo peccans avertitur à Deo, quia aversio à Deo est effectus consequens ad peccatum ex natura rei, sicut & reatus pœnæ. Negatur

verò

verò quod non possit dari inconsideratio invincibilis, quod actus sit peccatum mortale, & quod hæc inconsideratio, si sit antecedens, à mortali non excuset. De quo sermo erit infrà. Infideles verò non invincibiliter ignorant distinctionem peccati venialis, & mortalis; Quod si omne peccatum judicant esse mortale, seu grave semper ex conscientia erronea graviter peccant, dum peccant. Ad secundum dicitur quam plures peccare, ex ignorantia, & inconsideratione vincibili; qui propterea peccant sine remorsu conscientiæ. Ubi enim quis laborat, ignorantia vincibili inconsideratio est vincibilis, si non excitatio ad considerandum est ex ignorantia præcedenti; sed etiam si mens excitetur sæpè cogitatio illa confusa non permittitur excitare judicium conscientiæ. Et per hoc patet ad tertium & ad quartum dicitur, quod qui peccat ex passione non peccat sine aliqua excitatione, per quam possit se movere in bonum, & non sequi passionem, & ideò ejus inconsideratio est vincibilis, aliter ut dixit D. T. suprà delectatio morosa, non esset peccatum, si esset inadvertentia invincibilis, quod actus esset contra legem, & per hæc patet responsio ad quintum.

112 Tandem verò consideratur, quod esse potest magna differentia inter objecta non considerata, nam unum alio potest facilius considerari, & regulariter facilius, & frequentius mens excitatur respectu unius, quàm alterius. Nam v. g. rarius continget, quod mens non sit excitata per aliquam saltem confusam cognitionem circa malitiam actus, vel obligationem legis. Synderesis enim cujus officium est remurmurare malo, & inclinare ad bonum, ut advertit D. T. *part.*1. *qu.*79. *art.*11. *c.* Et quæ semper remurmurat in peccante, licet non percipiatur propter inclinationem habitus, vel impetum passionis, ut habet idem D. T. 2. *d.*39. *quæst.*3. *art.*1. ad quartum, & de Vert. *quæst.*16. *art.*3. *c. & ad primum, & secundum* de facili & sæpiùs excitat in mente cognitionem aliquam legis, seu judicium aliquod universale continens aliquam saltem confusam legis, & malitiæ cognitionem, ex qua homo possit adjuncta notitia actionis se monere, ut deliberet an actio sit mala, vel bona. Maximè in eo, qui habitualiter scit actionem esse, vel non esse contra legem. Ideò rarius contingere poterit, quod inconsideratio malitiæ sit invincibilis. Et ulterius attendi debet, quod etiam si inconsideratio non sit propriè invincibilis, tamen poterit esse inculpabilis, & probabilis, quia non adsit negligentia, sed inconsideratus usus sit sufficienti diligentia, & consideratione, licet veritatem non fuerit assecutus.

113 Qualiter verò inconsideratio sit voluntaria Suarez *p.*2. *d.*4. *sec.*3. *num.*26. arbitratur, quod ad hoc ut inconsideratio sit volita in se, sit necesse, quod sit cognita per actum reflexum, per quem agens cognoscat se inconsideratum esse. Et adhuc admittit, quod stante hac reflexione in intellectu, voluntas possit se habere negativè respectu inconsiderationis, ita ut nec eam velit, nec nolit. Sed utrumque horum patitur instantiam. Volitum enim indirectè quod est omissum, & dicitur aliàs interpretativè volitum, non requirit cognitionem voliti; & ad hoc ut aliquod sit hoc modo in se volitum, sufficit quod potuerit, & debuerit considerari, & poni, & non fuerit consideratum, & volitum. Quod autem posita reflexione illa, per quam quis cognoscit se esse inconsideratum, voluntas possit se habere negativè circa inconsiderationem, ex eo non admittitur, quod voluntas ad præsentiam objecti est quidem indifferens ut velit vel nolit, sed non ut suspendat omnem actum, quia cessare ab actu est non vivere, & potentia vitalis semper vivit, si habet objectum præsens, in quod vitaliter tendat; & in eo casu non applicare intellectum ad majorem considerationem non est pura negatio volendi, sed est nolle considerare, seu positivè velle inconsideratè agere.

SUMMARIUM.

114 *Ordo doctrina.*
115 *Opiniones ad utramque partem.*
116 *Non omnis ignorantia vincibilis est improbabilis, & culpabilis.*
Ignorantia illius, qui vel non tenetur scire, vel non tenetur majorem adhibere diligentiam, ut sciat, est probabilis.
117 *Teneri unumquemque pœnitere, & converti in Deum, ut scientiam consequatur, aliqui dixerunt.*
118 *Non tenetur ignorans, ut sciat, nisi ad adhibenda media ad acquirendam scientiam instituta.*
119 *Ex vi obligationis sciendi non tenetur homo pœnitere.*
Quomodo sit verum, quod Deus facientem quod in se est illuminat.
120 *Oratio qualiter sit necessaria ad obtinendum scientiam.* 121.
122 *Deus noster magister, quem implorare debemus, ut nos doceat.*
123 *Homo non summam, sed moralem diligentiam tenetur adhibere, ut sciat.*
Licet facere quod communiter fit à prudentibus.
124 *Non imputatur casualis eventus illi qui operatur quod alii communiter operantur nulla adhibita diligentia.*
125 *Ubi actioni sit annexum periculum remotum ignorantia vel inconsideratio probabilis est, si quis adhibeat diligentiam, quam adhibent prudentes.*
126 *In dubio probabiliter ignorat, qui adhibet diligentiam quam adhibent prudentes.*
127 *Ubi dubium & periculum sit proximum consilio prudentum opus est, si proprium non sufficit.*
128 *Quid faciendum ubi sit timor de insufficientia consulentis.*
129 *Viro docto sufficit, si sufficientem diligentiam adhibuit.*
130 *Quid faciendum in dubio: remissivè.*
131 *Et in dubio facti sufficit facere quod prudentes faciunt, licet non tollatur remotum periculum mali.*
Nutrix quando non peccet habendo filium in lecto.
132 *Rusticus quando peccet, si jejunium ignoranter violet.*
Rusticus non tenetur ex lege obligante ad scientiam præceptorum audire Missam Parochi.
Rusticus frangendo jejunium ex ignorantia culpabili, an dupliciter peccet.
133 *Unusquisque tenetur quærere & scire spectantia ad statum suum.*
Eorum, quæ spectant ad statum suum, dari potest ignorantia probabilis.

Quæstionis Primæ

ARTICULUS V.

Utrùm detur ignorantia, vel inconsideratio vincibilis, quæ tamen sit probabilis & involuntaria, & non culpabilis.

Usque modò disputatum est de ignorantia, & inconsideratione invincibili, quàm manifestum est esse involuntariam, nunc inquirendum remanet, an sicut omnis ignorantia invincibilis est involuntaria, & inculpabilis, ita è contra omnis ignorantia vincibilis sit voluntaria, & improbabilis, seu culpabilis, & dato quod aliqua sit probabilis, quid requiratur ad hoc ut judicetur talis? 114

Omnem enim ignorantiam vincibilem esse improbabilem, & culpabilem tenent illi DD. qui volunt in idem coincidere ignorantiam antecedentem, invincibilem, probabilem, & inculpabilem, & per oppositum eamdem esse ignorantiam consequentem, vincibilem, crassam, & culpabilem. Isti sunt Sanchez *l.*1. *mor. cap.*16. Suarez *l.* 5. *de leg. cap.*12. *num.*1. Bassæus *v. Ignorantia n.*3. Navar. *cap.*23. *num.*46. *& cap. sciendum num.*3. *de pœnit. dist.*2. Serra *par.*2. *qu.*76. *art.*1. Sed certè DD. isti minus benè loquuntur. Nam ignorantia ejus, qui scire non tenetur licet scire possit est vincibilis, & tamen nec est improbabilis, aut crassa, aut culpabilis. Propterea alii dixerunt ignorantiam probabilem esse privationem scientiæ in eo, qui adhibuit debitam diligentiam ad sciendum. Ita Vasquez *part.*1. *d.*123. *cap.*3. *n.*7. Bonac. de peccatis *disput.*2. *quæst.*8. *part.*3. *num.* 3. & apud eum Filliuc. Sed melius Navar. *d. cap.*23. *num.*46. duos casus ignorantiæ probabilis ponit, scilicet ignorantia ejus, quod quis non tenetur scire, & ejus quod ignoratur post factam debitam diligentiam, ut sciretur Silvester v. ignorantiæ *num.* 5. quem sequitur Martinez de Prado *cap.*2. *q.*12. *n.*13. dixit ignorantiam probabilem esse illius qui ignorat ea, quæ etiam omnes, vel major pars populi ignorat, sed hæc est descriptio ignorantiæ à quodam exemplo, & quæ potius dici debet ignorantia præsumpta probabilis quàm probabilis in rei veritate, & coram Deo, quia potest esse, quod culpabiliter ignoretur id, quod aliquis tenetur scire, licet id ignoret major pars populi, si ipse fuit excitatus, ut scientiam quæreret, & neglexit. 115

Dicen-

116 Dicendum igitur est cum D. T. *p.2. qu.76. art.3.c.* quod ignorantia ex hoc est involuntaria, quod vel est invincibilis, vel est ejus, quod quis scire non tenetur, nimirum ejus ad quod sciendum homo non tenetur adhibere diligentiam. Et hæc est ignorantia probabilis, quæ in duas dividitur vel scilicet, quia homo non tenetur scire, quod ignorat, vel quia non tenetur adhibere omne studium possibile adhiberi ad hac, ut adiscat; ideò si adhibita debita diligentia adhuc ignorat probabiliter ignorat, & justè seu inculpabiliter. Dicitur verò hæc ignorantia probabilis, quia est justa, nec potest improbari, sed à superiore probari debet & excusari. Ignorantiam etiam probabilem ejus, qui post adhibitam diligentiam ignorat Navar. vocat invincibilem moraliter, sed minus propriè hoc dicitur. Assimilatur quidem invincibili ex eo quod est justa, & inculpabilis ac si esset invincibilis; sed tamen verè illa est vincibilis, etiam moraliter, quia non est impossibile moraliter quòd quis in negotio adhibeat summam diligentiam, & extraordinariam, & nec est excusabilis ignorantia ex sola invincibilitate, sed etiam ex eo, quod lex non obligat ad omnem scientiam, & ad omnem sciendi diligentiam. Quod verò dictum est de ignorantia, dicitur etiam cum propositione de inconsideratione.

117 Inquirendum igitur remanet, quænam, & quanta diligentia adhibenda sit ad hoc, ut ignorans dicatur probabiliter seu justè ignorare, aut esse inconsideratum. Fuit autem circa hoc multorum sententia, quod ignorantia divinæ legis, aut legis naturalis etiam si non sit culpa, sed pœna peccati, non sit justa, nec excuset, nec sit probabilis, ideòque dixerunt hominem teneri facere totum, quod in se est, etiam abstinendo ab aliis peccatis, & præparando se ad gratiam, & adhibendo orationes, & sic totum omne, quod est in se faciendo, ut scientiam à Deo obtineat qui illam non negabit facienti quod in se est. Ita tenuit Adrian. *quodlib.* 2. *quæst.*1. *&* 4. *q.*1. & Gregor. Arimin. *in* 2. *d.*29. *qu.*1. *art.*1. quem sequutus fuit Capreol. *ibid. ad* 1. *argum. ex* 2. *loco adductis, quæst.*1. *art.*3. Silvest. *v. ignorantia, qu.*7. Et pro eadem sententia fuerunt apud Alvarez *p.2. disp.*153. Altisiod. *tract.*3. *cap.*2. *qu.*3. Gerson. *tr. de vita spir. cap.*4. *corol.*3. relati ab Adrian. item Gabriel. 2. *d.*22. *quæs.*2. *d.*1. Gulielm. Paris. de legibus *cap.*22. Hujus sententiæ fundamenta accipiuntur ex pluribus locis scripturæ, quæ refert Medina *p.2. quæst.*76. *art.*4. Sed præcipuum est ex eo, quod facientem quod in se est Deus de necessariis ad salutem infallibiliter illuminat; igitur non est ejus ignorantia probabilis & justa, si totum quod in se est, non faciat convertendo se ex toto corde ad Deum, pœnitendo, & orando, ut scientiam necessariam obtineat. Secundò omnis ignorantia vel est culpa, vel est pœna; ergo nulla est probabilis, & justa, quia etiam si sit pœna est volita in sua culpa, & sic in neutro est justa excusatio, sed est justa damnatio. Totum verò hoc argumentum confirmatur ex author. S. August. Episc. 105. ad Sixtum.

118 Nihilominus dicitur primò, quod per se loquendo ex vi legis obligantis adscire non tenetur, homo ad media quæ ex natura rei, vel institutione legislatoris non sunt ordinata ad scientiam acquirendam, sed solùm ad media ordinaria, & ad scientiam acquirendam instituta. Medina *par.*2. *quæst.*76. *art.*3. *dub.*4. *ad* 1. Martinez *p.*2. *q.*76. *art.*2. *dub.*4. *concl.*1. Alvarez *p.2. quæst.*6. *art.*8. *n.*4. *& qu.*76. *art.*2. *dub.* 153. *num.*4. Montes. *ibid. num.*43. Nam lex quælibet obligans ad finem, non ex eo obligat ad quodcumque medium adhibendum, per quod possit consequi finis, sed sufficit quod adhibeat media, quæ ad finem consequendum sunt instituta. Lex enim ordinata est, & ordinem vult, & servat, ideò non obligat ad ea, quæ sunt extra negotii ordinem, & ex quibus per accidens, & extra ordinarium & proportionatum cursum finis consequi potest. Et quia medium per se ordinatum ad acquirendam scientiam est experiri sensibilia ex quibus rei notitia consequi possit, vel doctos viros scripto vel voce docentes inquirere, & audire. Ideò qui aliquam quamcumque notitiam vel certam, vel dubiam habet de sua ignorantia, & de obligatione ad sciendum legem, tenetur ad hujusmodi media adhibenda. Et sic tenetur benè considerare quid faciant viri pii, & prudentes, & interrogare quoscumque à quibus de negotio seu observantia legis possit informari.

119 Dicitur secundò, quod ex vi præcepti sciendi non tenetur ignorans, ut sciat, servare omnia alia præcepta, & se præparare ad gratiam, & de peccatis pœnitere, & Deum ex toto corde amare. Hæc est sententia communis, quam sequuti sunt Almain. *tom.*1. *moral. cap.*4. *p.*2. Medina *part.*2. *quæst.*76. *art.*4. Alvarez *ibid. disp.*253. Greg. Martin. *ibid. art.*2. *dub.*4. *concl.*1. Vasquez *part.*2. *disp.*120. & alii communiter. Quod ex eo est manifestum, quod aliter dicendum esset, quod ex vi cujuscumque præcepti, necesse esset servare omnia præcepta, & semper esse in gratia, & nunquam peccare, ad vitandam privationem eorum auxiliorum Dei, & sanctarum illuminationum ad præcepta servanda, & salutem consequendam, quæ Deus justè peccatoribus negat. Secundò quia non datur lex, ut facienti quod in se est, Deus infallibiliter concedat cognitionem cujuscumque veritatis. Nam & de facto in justificatis sunt multæ ignorantiæ invincibiles, etiam circa legem observandam. Sed distinguendum est, quia rerum sciendarum, quædam sunt adeò necessariæ, ut sine illarum cognitione non sit salus, & cum quarum ignorantia non est justificatio, vel salus æterna, quæ etiam à multis dicuntur necessaria necessitate medii ad salutem, & harum veritatum revelatio datur infallibiliter facienti quod in se est; Quæ verò ista sint videri possunt apud tractantes de fide & justificatione. Hoc est hic advertendum, quod necessitas istius cognitionis in hoc casu non est ex lege per se primò, & directè obligante ad scientiam, sed ex lege obligante ad justificationem, & salutem æternam per Christi fidem, & gratiam obtinendam. Et sic tenetur homo ad hoc, ut hujusmodi sciat, non per se primo ut sciat, sed ut sciendo seu credendo justificetur, & salvus fiat. Aliàs verò ut sciat per se ex lege obligante ad scientiam non tenetur pœnitere, & Deum ex toto corde diligere. Aliæ igitur veritates sunt, quarum potest, salva justificatione, & salute æterna, esse in hac vita ignorantia invincibilis, aut probabilis, & inculpabilis, & harum cognitio non est infallibiliter promissa facientibus quod in se est, ut sint justi, & justi perseverent; ideò neque facere quod in se est hoc modo est medium ex Dei institutione ordinatum, & præceptum ad hoc, ut homo sciat, quæ scire debet, sed homini sufficit, quod faciat quod in se est in ordine ad cognitionem acquirendam media cognoscendi inquirendo quantum potest, & debet.

Quantum verò ad orationem, quia illa est medium universale ad obtinendum à Deo omnia media necessaria, & utilia ad salutem, & Deus est supremus magister, & doctor, qui nos illuminat, & docet, juxta illud *Io.* 2. *unctio docebit vos de omnibus*, videri potest, quod ubi homo ignorans non habeat medium humanum, & ordinarium per quod adiscat, teneatur orare Deum, ut doceatur ab illo. Et ita tenet Medina *p.2. quæst.*76. *art.*3. *&* 4. sed in contrarium est, quod non est necessitas procurandi à Deo miracula; ubi verò, quis non potest per media ordinaria, & Dei providentiam ordinariam edoceri, miraculum est, si via extraordinaria scientiam acquirat. Ideò quod pro acquirenda scientia legis non sit necesse orare dixerunt Greg. Mart. *part.*2. *qu.*76. *art.*2. *dub.*4. *concl.*1. Alvarez *ibid. disp.*153. *num.*3. Sed hic distingui debet inter scire, & diligentiam sciendi. Sicut enim necessitas orationis est ad vincendas alias tentationes, ut homo in illas non inducatur, ita poterit ignoranti esse necessaria aliquando, & semper erit utilis vel ut secundam providentiam ordinariam illuminetur, ut intelligat, vel ad impetrandam gratiam ne sit negligens in inquisitione scientiæ, & ne deficiat à faciendo quod potest, & debet facere, ut sciat, & ne sit inconsideratus, & obliviosus, & sic ne in illo ignorantia, aut inconsideratio sit culpabilis, & ne à concupiscentia, & pravis affectibus impediatur ne veritatem cognoscat, & ut habeat cor intelligens & oculos videntes. Sed in ordine ad ea, circa quæ ignorantia potest esse inculpabilis, & justa; unde illa potest homo ignorare sine peccato, sufficit homini, si faciat quod in se est, ut sciat, nec necessitatur orare, ut scientiam per medium extraordinarium accipiat. 120

Hinc habetur intelligentia ejus, quod dicitur Jacob 1. *Si quis indiget sapientia postulet à Deo & dabitur ei*. Et ejus quod dicitur Sap.7. *Postulavi, & datus est mihi sensus, invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ*. Alvarez *d.*153. *num.*8. hæc intelligit de dono sapientiæ, quod non potest esse sine gratia, & ideò ad istam sapientiam acquirendam est necessaria contritio de peccatis, & oratio. Sed absolutè dicendum est Deum esse supremum magistrum, cujus sit docere nos legem suam, juxta illud *Psal.*118. *Doce me justificationes tuas*, & quod hujusmodi doctrinam petere debemus, 121

& peti-

& petimus, dum in oratione Dominica dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*, in hoc enim petimus scientiam necessariam, ut à tentatione non vincamur. Sed Deus qui corda docet, non docet nos per extraordinarias vias regulariter, sed per homines, unde nec Cornelio voluit *Actor*.10. revelare fidei mysteria, & illum docere per Angelum, sed eum misit ad Petrum, sicut 1. *Reg*.3. Samuelem voluit edoceri per sacerdotem Heli, qualiter Deo vocanti respondere deberet. Sic ergo continuo orare debemus, ut sciamus, nimirum, ut non simus ignorantes ex negligentia; & ut intelligentes intelligamus, (quod maximum est) ut non ignoremus practicè, quod scimus in habitu, nimirum ut in agendo non simus imprudentes, & inconsiderati, & ut nobis ignorantia non noceat ad salutem. Quod autem dictum fuit: 1. *Io*.2. *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia*. Et iterum: *Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*. Non benè exponitur à Cann, & Vega apud Alvarez, ut ibi sit sermo de illuminatione, quæ fit per Ecclesiam, & Ecclesiæ Doctores, cùm imò Apostolus dicat: *nos non habere necessitatem, ut doceamur per homines*. Sed nec benè exponitur ab eodem Alvarez *ibid. num*.9. ut sit dictum ad insinuandum, quod si Doctores deficerent, Deus suppleret illuminando, quia Apostolus vult, quod de facto unctio docet justos de omnibus. Ut ergo exponit Cajet. *ibid*. Apostolus loquitur de scientibus in habitu, & sermonem habet de doctrina interiori, quæ est propria Dei interius docentis corda practicè, & in actu, inclinando corda, & illa in observantiam mandatorum dirigendo, quam quidem doctrinam petere debemus, & de hoc dicitur *Psal*. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo*.

122 Supposito igitur, quod homo ad hoc ut sciat legem, quam ignorat, non teneatur media extraordinaria assumere faciendo quod in se est, ut justificetur, remanet videndum, quàm diligentiam adhibere debet, ut per ordinaria media scientiam acquirat, vel experimento proprio, & industria, vel per auditum ab aliis. Conveniunt verò DD. primò, quod hic non possit dari omninò regula certa, sed quod hoc sit positum in arbitrio prudentis, considerata gravitate, & qualitate rei, & conditione personarum. Secundò, quod non sit necesse adhibere summam diligentiam possibilem adhiberi, unde nec sit necesse uti omnibus mediis possibilibus, per quæ possit haberi notitia veritatis. Tertiò, quod sufficiat adhibere moralem diligentiam, & humanam, quam spectata præcepti qualitate, personarum statu, & officio, seu qualitate adhibere solent communiter, & ordinariè homines prudentes. Ita Cajet. 2.2. *quæst*.64. *ar*.8. Medina *p*.2. *qu*.76. *art*.2. *in fin*. Gregor. Martinez *ibid. art*.1. *dub*.4. Alvarez *ibid. disp*.153. *concl*.2. Valentia *controv*. 6. *qu*.6. *par*.1. Zumel. *art*.2. *d*.6. *concl*.3. Martinez de Prado *cap*.2. *qu*.12. Suarez *de censur. disp*.4. *sect*.2. *docum*.2. *n*.17. & 18. & *disp*. 45. *sect*.5. *num*.7. & *part*.2. *disp*.4. *sect*.1. *n*.20. Sanchez *mor. cap*.16. *n*.34. & 36. Sayr. *in clav. reg. l*.2. *cap*.9. *n*.21. Bonac. *de peccatis*, *d*.2. *qu*.8. *p*.3. *n*.19. Vasquez *p*.2. *qu*.76. *disp*.123. *cap*.2. *num*.7. & *disput*.124. *art*.2. *num*.6. Montes. *p*.2. *qu*.76. *art*.2. *num*.40.

123 Distinguit verò optimè Cajet. *loc. sup. cit.* duos casus. Primus est in quo ignorans, vel inconsideratus dat operam rei licitæ, & alius, in quo dat operam rei illicitæ. Primus verò in tres alios subdistinguitur. Primus est illius, in quo nulla est necessaria diligentia sciendi amplius, vel considerandi aliquid, quia fit id, & eodem modo quo fit communiter ab aliis etiam piis, & prudentibus sine necessitate alterius diligentiæ. In hoc casu sive contingat operantem agere contra jus, sive in facto operari ex accidente fortuito aliquod malum, ignorantia, vel inconsideratio est probabilis etiam nulla facta diligentia ad sciendum. Si enim loquamur de hac ignorantia ut est juris, non est necessitas inquirendi, an liceat, vel non liceat id, quod scientibus superioribus fit communiter etiam à piis, & prudentibus sine scrupulo peccati. Nam & consuetudo est optima legis interpres, cùm imò consuetudo vim habeat abrogandi legem, aut ei derogandi. Et præterea non est necessaria inquisitio, aut diligentia in inquirendo, ubi non est dubietas, sed certitudo moralis; at verò moraliter certum est licere id, quod inter fideles, qui vera Christi fide ducuntur communiter fit etiam à piis, & prudentibus tanquam licitum. Ideò in hoc casu, si insurgeret aliquis scrupulus, vel aliquod dubium; non per hoc esset necessaria alia diligentia, sed deponi posset dubium, ex eo, quod ut certum moraliter haberi potest licere, quod communiter judicatur tale etiam à piis, & prudentibus viris. Nisi scrupulus oriretur ex eo, quod nova lex prohibens esset edita, & promulgata, in quo casu fieri deberet diligentia sufficiens ad hoc ut constaret de novæ legis existentia. Nam alias contingere potest, quod nova lex adhuc communiter ignoretur; unde tunc si præsumi possit, & debeat ignorantia juris in communitate, non licèt sine diligentia habita in invenienda veritate tutè fieri, quod fieri videtur à communitate.

124 Si etiam loquamur de ignorantia facti idem dicendum est, nullam scilicet esse necessariam diligentiam ad vitandum periculum fortuiti alicujus damni, si actioni quæ fit, & prout fit communiter non sit annexum aliquod periculum damni, & ideò sine nova diligentia fit communiter. Hujus exemplum, inquit Cajet. habemus *in cap. Joannes de homicidio*, in quo refertur quemdam Joannem presbyterum more solito pulsantem campanam ad convocandum populum ad divina, cadente campanæ tintinabulo quemdam puerum occidisse; & decernitur presbyterum non incidisse in irregularitatem, cùm nullo modo peccaverit, sed mors pueri merè fortuita fuerit. Neque enim qui campanam pulsat eo modo, quo fit regulariter sine alia diligentia, debet advertere, an tintinabulum sit casurum, vel non casurum, cùm campana pulsetur communiter sine timore, quod tintinabolum cadat. Si tamen adesset causa dubitandi, quæ cognita esset, vel prævideri debuisset, in eo casu diligentia adhibenda esset, ut sonaretur campana, sine alicujus damni periculo. Sed tunc essemus extra hunc casum, in quo supponimus actionem fieri sicut fit communiter ab aliis sine necessitate specialis diligentiæ.

125 Secundus casus est, quando actioni adjunctum est aliquod damni periculum, sed remotum. Et in hoc casu ille censetur diligens, qui considerat, & advertit ea, quæ rationabiliter considerari debent pensatis circumstantiis negotii, & personarum. Inadvertentia enim eorum, quæ prudentes regulariter non considerant est probabilis, & fortuita. Et quæ prudentes communiter non cogitant, si eveniant, non sunt nobis imputanda. Nec in similibus casibus judicium de necessitate diligentiæ faciendum est ex eo, quod post eventum fortuitum apparet utile, & necessarium, & quod experimento edocti, & facti prudentiores non fecerimus, quia exacta diligentia non est in his necessaria, quam prudentiores adhiberent, sed quæ à prudentibus communiter adhiberi solet in hujusmodi negotiis. Dat exemplum Cajet. in quadam Principissa Hispana, quæ fortuitò ab hortum passa fuit ex timore canum insequentium cervam suam domesticam fugientem ad solitum gremium dominæ suæ. Hic enim casus fortuitus nedum à puella illa non fuit escogitatus, & prævisus, sed nec à Principibus, & viris, qui illius Principissæ curam habebant, & ei adhærebant, & ex ea regni successorem expectabant. Et tamen post factum dicimus Principissam illam non debuisse ire cum cerva, in locum, in quo canes venatici erant. Itaque ergo in casu, quod in opere adsit aliquod periculum mali, sed non omninò proximum, sed remotum, probabilis inadvertentia est, si adhibeatur advertentia, quam adhibent prudentes, licèt non adhibeatur illa, quam adhibuissent prudentiores. Cajet. *loco citato*. Med. *part*.2. *quæst*.76. *art*.3. *in fin*. Alvarez *part*.2. *quæst*.6. *art*.8. *num*.4. Gregor. Mart. *quæst*.76. *art*.2. *dub*.4.

126 Et pariter juris ignorantia, aut inconsideratio erit probabilis, si cùm adsit aliquale dubium, an actio sit prohibita per legem vel non prohibita, ignorans, vel inconsideratus adhibuit diligentiam illam ad hoc ut sciret veritatem, vel talem considerationem adhibuit, quam solent adhibere prudentes, licèt eam non adhibuerit, quam solent adhibere prudentiores. Cajet. & Suarez *ubi suprà*, Sanch. *dict. cap*.16. *n*.36. Vasquez *d. disp*.123. *num*.7. Bonac. *d. part*.3. *num*.19.

127 Tertius casus est, quando periculum mali est proximius, & dubium majus. Et in hoc casu Cajet. ait diligentem esse, qui consilio proprio, aut alieno, ubi timor adhuc superesset periculi hæc operatur. Et quidem de ignorantia juris loquendo, ubi sit grave dubium, an actio sit, vel non sit illicita, & contra legem, si ignorans sit indoctus, & sufficiat sibi si alieno consilio dirigatur, sufficit si consulat viros doctos, carentes tamen morali suspicione, quod malum con-

silium

filium sint daturi, vel ex malitia, vel ex negligentia, vel ex ignorantia. Medin. *p.2. qu.76. art.2. circa fin.* Greg. Martinez *ibid. art.1. dub.4.* Alvarez *disp.153. concl.2.* Sanch. Suarez, Vasquez, Bonac. *locis cit.* Et ex Zumel. *part.2. qu.76. art.2. disp.4. circa fin.* advertit Sanch. *d. num.36.* quod benè esse poterit, ut alicui sufficiet consulere aliquem, quod non alteri sufficiet. Vetula enim, & rusticus excusatur consulendo Parochum, & quidem solum, & tamen sæpè vir urbanus non excusabitur, nisi consulat plures. Alvar. *p.2. qu.76. art.2. disp.153. n.20.* Serra *ibid.* Montesin. *n.42.* Parochianum quoque alium, quàm Parochum consulere debere, si negotium sit magni momenti, adverterunt Alvarez *p.2. qu.76. art.2. dis.153. n.20.* & Serra *ibid. dub.2.* Et in rustico, mercatore, & similibus ignorantiam, seu inconsiderationem esse probabilem, si conciones frequenter audit, interest ubi lex Dei declaratur, & ut sciat, facit, quod communiter alii faciunt: in Religioso verò, aut litteraturæ studiis dedito, si studet, libenter interrogat, & similia agit, dixerunt Silvest. *v. Ignorantia*, *num.21.* Armilla *num.8.*

128 Nam & hic attendi debet, an respectu personæ quærentis consilium adsit timor moralis de insufficientia consilii accepti ab hoc, vel ab illo, & si sit possibile moraliter consulere alium. Nam si adsit timor insufficientis consilii accepti à Parocho, & potest consuli alius doctior, & melior, cui credi possit sine hæsitatione, ille consuli debet etiam à vetula, & rustico; ubi verò moraliter sit impossibile consulere alium, satisfacit conscientiæ suæ, si consulit Parochum, qui ab Ecclesia datus est sibi in magistrum. Facilius verò est, quod in vetula, vel rustico non sit necessitas consulendi alium, quàm Parochum, quia difficilius est, quod in ea sit timor deceptionis in consilio Parochi, quem aliàs præsumere debet doctum satis, & sufficientem ad consulendum, cùm sit approbatus ab Ecclesia ad hoc officium, unde præsumi debet, quod in casu in quo ipse nesciat tutum consilium dare, non erit temerarius, ut sententiam præcipitet, sed vel ipse consulet peritiores, vel remittet petentem ad eosdem. Ubi verò consulere peritiores sit vel simpliciter, vel moraliter impossibile, securus est Parochianus si sequitur consilium sui Parochi in casu dubio, & nisi certo constet de insufficientia Parochi ex mala ejus voluntate, vel imperitia proveniente.

129 Sed si quis de jure dubitat, & sit doctus, debet ipse consilium accipere, & bona fide inquirere veritatem, studium sufficiens adhibendo, vel pro suo arbitrio alios viros doctos consulere. Nam & hoc arbitrarium est in viro docto. Sicut arbitrarium est judicare, qui sint consulendi, Serra *p.2. q.76. art.2.* Ei pariter arbitrarium est judicare, an diligentia adhibita sit sufficiens. Suarez *de censur. disp.4. sect.8. num.17.* Montes. *p.2. q.76. art.2. n.41.* Quando verò reflectendo se super diligentia adhibita bona fide sibi visum fuerit sufficientem adhibuisse diligentiā servatis regulis juris servandis in legum interpretatione, & prudenti electione opinionum circa legum obligationem, si contingat illum errasse, & non omninò veritatem attigisse, ignorantia erit probabilis, & error justus, nec censendus erit negligens.

130 Quod si post sufficientem adhibitam diligentiam, adhuc remaneat dubius. Quid tunc facere debeat in dubio, sive negativo, sive positivo, dixi *de stat. & off. hom. tom.1. q.186. art.8. inspectione tertia dub.1. 2. 3. & 4. à n.232. & pag.689.* Hic solum hoc advertendum, quod coram Deo nulla est ignorantia probabilis, vel justa, vel inculpabilis, si qui tenetur scire, post adhibitam diligentiam etiam maximam, non deponit prudenter dubium, sed dubio manente excitatur ad aliam diligentiam adhibendam, & usquequo manet practicè dubius tutiorem viam sequi debet, cùm non possit operari honestè ex dubia conscientia. Hoc enim est intrinsecè malum operari ex conscientia practicè dubia. Unde quæ hic dicuntur intelligenda sunt, dum quis post factum invenitur se ex ignorantia operatum fuisse id, quod est contra legem. Nam ante factum, qui dubius est, seu qui excitatus est ad studium inveniendæ veritatis practicæ, ut possit agere sine peccato, tenetur omnem adhibere diligentiam, ut prudenter dubium practicum deponat. Et si dubium non potest deponere prudenter, debet ab operatione dubia abstinere, & se periculo peccandi non committere.

131 Pariter in dubio facti consilium alterius, vel proprium adhiberi debet. Non verò semper est necessarium ut vitetur omninò damni periculum, sed sufficit aliquando si tollatur proximum, & illud ex quo frequenter, aut de facili damnum sequitur, unde non est moralis timor damni. Sic enim Cajet. excusat matrem tenentem in lecto infantulum, dum lectus est extensus, & mater non habet filium prope se, & ipsa consuevit semper manere in eo situ, in quo in principio dormiendi se posuit, & implacabilitas infantis non permittit eum extra lectum habere, quia cum his circumstantiis non adest timor moralis damni, seu suffocationis infantis. Unde *in cap. Consulisti 2. qu.5.* non omninò prohibentur parentes tenere in lecto infantes, sed admonentur ut sint diligentes, & ne ex eorum negligentia mors sequatur. Ubi tamen esset lex specialis, quæ omninò prohiberet nutricibus habere in lectulo infantes, illa servanda esset. In his igitur actionibus in quibus reperitur majus periculum damni, & facilius major diligentia, & consideratio est necessaria. Absolutè tamen etiam in istis sufficit moralis, & tanta quanta solent in similibus factis adhibere prudentes, ut præfati DD. censent; sic enim moralis timor aufertur, & diligens censetur, qui facit, quod prudentes faciunt, licèt aliquando fortuitò præter intentionem aliquid mali accidat.

Ex his excusant multi à jejunio illum, qui omisit ex ignorantia jejunium, cùm tamen adfuerit in die Dominico Missæ Parochi, qui tamen jejunium in hebdomada cadens non indixit; vel si non interfuit Missæ rogavit eos, qui interfuerunt, & dixerunt Parochum nullum jejunium publicasse. Ita Sanchez *num.37.* post Cordubam, Azor. & Rodriq. Sed si is, qui ex se jejuniorum dies nescit, non adsuit Missæ Parochiali, nec eos, qui adfuerunt interrogavit, censebitur culpabiliter ignorare, nec excusabitur à jejunio. Quod tamen limitat Sanchez, quando ille aliquod principium saltem dubitandi habuit, an aliqua jejunia in illa hebdomada occurrant, quia si ad id non advertit, erit ignorantia probabilis. Idem sensit Pasqual. *in praxi jejunii dub.376.* Sed hoc instantiam patitur: Nam quod Parochianus rusticus, qui non it ad Ecclesiam, culpabiliter ignoret dies festos, & jejunii, habet Montesinus *p.2. qu.76. art.2. n.41.* quod si hoc admittitur jam ignorantia sequens est voluntaria in hac omissione eundi ad Ecclesiam, nec juvat, quod postea intra hebdomadam nihil occurrat rustico, unde colligat præceptum jejunii, quia totum hoc illi imputabitur ratione omissionis præcedentis, & negligentiæ antecedentis. Sed hic considerandum est, quod ignorans ad hoc ut sciat, seu ex lege ut obligante ad sciendum non tenetur alia præcepta servare, & facere totum id, ad quod aliundè obligatur, ut benè advertunt Medina *part.2. quæst.76. art.3. in fin.* Alvar. *disp.153. num.5. & 6.* Montesin. *ibid. art.2. n.40.* Rusticus verò tenetur in die festo audire Missam, non ex lege obligante ad sciendum, sed ex lege obligante ad præbendum Deo religiosum illum cultum. Aliàs verò aliundè potest ille facillimè scire dies festos, & dies jejunii, qui etiam publici sunt, & communiter noti. Et ideò si contingat, quod rustico in mentem nulla cogitatio, aut suspicio obligationis jejunii venerit, oblivio hæc est naturalis, & invincibilis. Idem verò Pasqual. refert Cordubam *lib.2. quæst.21.* tenuisse eum, qui non ivit ad Ecclesiam die Dominico, ubi in Missa audiret festivitatum, & ieiuniorum indictionem, peccare dupliciter, & quia omisit scire, & quia non jejunavit, sed ipse Pasqualig. habet quod semel peccat, quia dum non ieiunat, tunc non peccat, cùm id sit ignoranti tunc impossibile, unde transgressio ieiunii non est peccatum in se, sed in sua causa, nimirum in omissione scientiæ, & ideò tunc iste peccat, cùm ultimò omittit scire, non quando omittit publicationem ieiuniorum, cum alia via possit scire. Sed de hoc puncto erit infrà specialis inquisitio. Nunc dicitur, quod cum in quocumque instanti antequam hic ignorans frangat ieiunium, possit saltem dubitare de obligatione ieiunii, & ab eius violatione abstinere, tunc peccat, cùm jejunium ex ignorantia non probabili frangit, & tunc peccat, quia potest, & debet ieiunium servare, & non servat. 132

Colligitur secundò ex dictis regulam illam, ut scilicet censeatur ignorantia non probabilis, sed culpabilis, cùm quis ignorat, vel non considerat ea, quæ ex officio tenetur scire, aut considerare, non esse universaliter veram in foro conscientiæ. Suarez *de censur. disp.4. sect.8. n.15.* Vasquez *part.2. qu.76. disp.123. c.2. n.6.* Sanchez *lib.1. moral. cap.16. num.27.* Si enim regula illa esset universaliter vera, nulla posset dari ignorantia iuris alicuius invincibilis, vel probabilis, quia nullum est ius, quod scire non teneantur illi, 133

quos

quos illud jus obligat. Verùm ergo eſt, quod ignorantia, aut inconſideratio eorum, quæ quis ex officio tenetur ſcire rarius poteſt eſſe, aut invincibilis, aut probabilis. Unuſquiſque enim tenetur inquirere leges, quę ad officium ſuum ſpectant. Greg. Martinez *p.2.q.76.art.2. dub.5. concluſ.7.* Alvarez *ibid. diſp.153. n.16.* Serra *dub.2.* Monteſ. *n.53.* Tabiena *v. Ignorantia, num.1.* Et unuſquiſque de facto tantam ſcientiam debet habere de concernentibus ad ſtatum ſuum, aut officium, ut ſciat communia, nimirum ea, quæ communiter ab aliis ejuſdem ſtatus, & officii non ignorantur, & quod de aliis particularibus, ſeu ſpecialibus ſciat dubitare, ut citati DD. tenent, ut occaſione adveniente veritatem poſſit inquirere ſicut debet. Et de judice idiota dixit Gregor. Martin. *loco citato*, quod non debet judicare ſine aſſeſſore. Nihilominus contingere poteſt, quod aliquis probabiliter ignoret id, quod ad ſtatum ſuum, aut officium pertinet, vel quia nulla cogitatione, aut excitatione præventus eſt, qui habet officium, ut vel ſaltem dubitaret, an daretur lex hoc, vel illud prohibens, vel ut hic, & nunc legis recordaretur, & illius conſiderationem haberet, vel quia ex probabilis judicio bona fide erat. Et nihilominus, quod in Mercatoribus, Confeſſariis, Judicibus, Advocatis circa leges communes pertinentes ad eorum officia, non poſſit ad longum tempus dari ignorantia, aut inconſideratio invincibilis, aut probabilis, advertit Alvar. *p.2. diſp.153. n.20.* quia non eſt morale, quòd inadvertentia in prædictis duret ſine negligentia.

134 Colligitur tertiò, illam regulam, veram non eſſe, ſcilicet coincidere in idem ſcire, & debere ſcire, quaſi moraliter abſolutè cenſeri debeat ſcire, qui ſcire tenetur, & illum, ut talem puniri debeat, qui neſcivit, quod tenebatur ſcire. Ad hoc enim quod ignorantia ſit culpabilis non ſufficit, quod ignorans teneatur ſcire, ſed neceſſe eſt, quod proximè moraliter id poſſit; contingit verò ut aliquando homo non ſit in actu, ut poſſit moraliter ſcire, nimirum ſi vel nullo modo ſit excitatus ad hoc, ut ſcientiam quærat, vel non habeat neceſſaria ad acquirendam ſcientiam, vel non teneatur adhibere majus ſtudium ad ſciendum, vel conſiderandum, quàm illud, quod adhibuit, vel bona fide, & non ex negligentia oppoſitum verum credidit.

135 Colligitur quartò, actum poſſe eſſe probabiliter ignoratum, vel inconſideratum quantum ad aliquam conditionem, ut v. g. quantum ad malitiam illius. Sic enim Cajet. *2. 2. qu.64. art.8. circ. fin. & v. Inconſideratio, & Arim. n.1.* dicunt eum, qui ſcit contractum eſſe uſurarium non peccare, ſi contrahat ex oblivione, & tunc non recordetur contractum eſſe uſurarium, ſi aliàs talis erat animus illius, quod non contraxiſſet, ſi recordatus fuiſſet. Diſplicuit tamen Zumel *part.2. quæſt.76. art.3. diſp.2. dict.6.* conditio illa, ſi taliter affectus erat, ut non contraxiſſet, ſi ſciviſſet tunc contractum eſſe uſurarium, & Zumel ſequitur Sanchez *d. cap.16. n.28.* quia propoſitum illud non celebrandi contractum, ſi ſciretur eſſe uſurarium, nihil intereſt, quia ad hoc ut inconſideratio ſit invincibilis, ſufficit, quod homo proximè moraliter non poſſit cogitare, quidquid ſit de propoſito illius in eo inſtanti, in quo non conſiderat, quia conſiderare non poteſt, cùm non ſit, vel in minimo excitatus ad conſiderandum. Sed hæc replica petit difficultatem, an ignorantia concomitans excuſet à peccato. De qua erit infrà ſpecialis articulus.

136 Colligitur quintò, quod quando quis ex inconſideratione peccat, ad hoc, ut inconſideratio cenſenda ſit probabilis etiam ſi homo potuerit conſiderare, ſufficit altera ex his conditionibus, vel quod verè adhibuerit debitum ſtudium, ut conſideraret, quod debebat conſiderare, vel quod bona fide credidit, ſe illud ſtudium ſufficiens adhibuiſſe; in tali enim ignorantia eſt involuntaria, & juſta ſeu probabilis. Et hoc eſt verum, ex doctrina Cajet. ſuprà tradita, etiam ſi opus, quod quis aggreditur ſit periculoſum, nam etiam tunc probabiliter eſt inconſideratus, qui conſideravit, quantum bona fide credidit eſſe neceſſarium.

137 In altero autem caſu, ſcilicet quando ignorans dat operam rei illicitæ ſcienter, quod inconſideratio conditionis, vel circumſtantiæ non ſit probabilis, ſed illi ad culpam, & ad pœnam imputandum ſit, quod malè agit etiam inconſideratus, voluit Gabriel *4. d.15. quæſt.14. art.3. dub.2.* addens eum, qui dat operam rei illicitæ, etiam ſi adhibeat omnem diligentiam nedum peccare, ſed teneri reſtituere, unde ſentit, quod quando quis dat operam rei illicitæ effectus ſubſequutus imputatur ad culpam, etiam qualibet diligentia adhibita, ut non ſequeretur; quod etiam tenuerunt DD. *in cap. Continebatur, de homic.* teſte Covar. & Sanchez. Sed dicitur certum eſſe eum, qui dat operam rei illicitæ peccare mortaliter, vel venialiter ea ſpecie peccati, qua malum eſt illud illicitum agere. Certum eſt etiam quod de jure Canonico, danti operam rei illicitæ, quandoque imputatur homicidium, etiam ſi caſuale, & non intentum, quantum ad irregularitatem, de quo videndi ſunt Scribentes *ad cap. Tua nos, ſuprà de homicid. & cap. ultimò infrà eod. tit.* Et propterea D. Th. *2.2. quæſt.64. art.8. c.* dixit: quod dans operam rei illicitæ ſecundùm jura, ſi ſequatur homicidium non evadit judicii reatum. Nam in caſibus in jure expreſſis hujuſmodi punitur, etiam ſi diligentiam adhibuerit. Nihilominus per ſe ex natura rei loquendo, & maximè in foro conſcientiæ quantum ad punctum noſtræ quæſtionis eadem eſt ratio de dante operam rei licitæ, & illicitæ, & etiam dantis operam rei illicitæ, ignorantia eſt invincibilis, ſi ille non potuit ſcire, vel conſiderare, & eſt probabilis, ſeu juſta, ſi vel non tenebatur ſcire, aut conſiderare, vel adhibuit diligentiam ſufficientem, ut ſciret vel conſideraret, Cajet. *part.2. quæſt.76. dub.3. d.3.* Greg. Mart. *part.2. qu.76. art.2. d.5. concl.8.* Alvar. *ibid. diſp.154. num.3.* Monteſin. *num.56.* Zumel *diſp.2. in fin.* Vaſquez *diſp.124. cap.2. num.3.* Silveſt. *v. Ignorantia, quæſt.6.* Covarr. *cap. Alma mater 1. p. §.10. num.6.* Suarez *de cenſur. d.4. ſect.8. n.13.* Sanchez *l.1. in Decal. cap.16. num.38.* Sic enim S. Auguſt. *lib. contra Mendac. cap.14.* excuſat Judam à peccato incæſtus propter ignorantiam, & D. Th. *p.2. q.76. art.3.* à parricidio excuſat filium, qui ignoranter occidit Patrem exiſtimando eſſe alium hominem.

Tandem advertendum, quod inconſideratio, & oblivio poteſt præveniri, & debet id fieri adhibendo ſigna aliqua, quæ tempore oportuno excitent in negotio memoriam operantis; quod maximè fieri debet ab illis, qui ex multitudine negotiorum obruuntur, unde unius conſideratio alterius conſiderationem impedit, vel qui naturaliter debilem habent memoriam. In hoc verò ſufficit illa præventio, quam communiter homines habere ſolent. Et illa quoque ſufficit, quam bona fide, facta reflexione, prudens credit ſufficere. Et advertit etiam Sanchez *d. cap.16. num.40.* facilius contingere poſſe, ut ſit probabilis, & excuſabilis actualis inconſideratio, quàm habitualis ignorantia; eo quod illam prævenire non ſit ſemper in noſtra poteſtate, nec teneamur ſemper extraordinaria remedia adhibere ad illam præcavendam. Sed ignorantiam poſſumus ſemel adiſcendo pro omnibus actionibus in toto vitæ curſu occurrentibus præcavere. 138

SUMMARIUM.

139 *Non omnem ignorantiam culpabilem eſſe craſſam, multi tenent.*

140 *Alii oppoſitum ſentiunt.*

141 *Affectata ignorantia eſt, quæ eſt directè volita.*

142 *Affectata eſſe poteſt ex multiplici cauſa.*

143 *Ignorantia affectata ex priori ignorantia indirectè volita, non eſt affectata.*

144 *Ignorantia juridicæ diſtinguitur in craſſam, & non craſſam.*

Craſſa eſt illa, quæ eſt ex culpa lata.

145 *Diſcrimen inter ignorantiam craſſam, levem, & leviſſimam.*

Craſſa eſt ignorare, quæ de facili ſciri poſſunt.

146 *Ignorantia culpabilis Theologicè ſumpta non diſtinguitur in craſſam, levem, & leviſſimam.*

Peccatum veniale non habet perfectam rationem culpæ.

147 *Diviſio ignorantiæ in probabilem, craſſam, & affectatam eſt juridica, & magis propriè competit ignorantiæ juridicæ.*

Ignorantia culpabilis Theologicè melius dicitur ignorantia indirectè, vel directè volita.

148 *Omnis ignorantia voluntaria non affectata, & eſt volita in alio, & eſt volita in ſe indirectè.*

Quæ-

Quæstionis Primæ

ARTICULUS VI.

Vtrùm omnis ignorantia, aut inconsideratio vincibilis, & improbabilis sit, vel crassa, & suppina, vel affectata?

139 Difficultatem non parvam habet hæc quæstio, ob opinionum diversitatem, & tamen ejus resolutio maximè necessaria est ad jura intelligenda. Itaque ignorantiam culpabilem, non esse semper crassam, sed dividi in culpabilem, seu improbabilem, & in crassam, & supinam in propriis terminis docuerunt Gloss. hic *in v. supina*. Anchar. *num.* 3. Franc. *num.* 9. D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 75. *in fin.* Sanch. *l.* 1. *summ. cap.* 16. *num.* 7. & *l.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 34. & 36. & apud eum Salas *p.* 2. *quæst.* 6. *art.* 8. *tract.* 3. *disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 6. *in fin.* Bonac. *de peccatis, disput.* 2. *quæst.* 8. *part.* 3. *num.* 5. Martinez de Prado *cap.* 2. *qu.* 12. *num.* 13. Hi enim distinguunt inter summam negligentiam ejus, qui vel nullam diligentiam fecit, ut sciret, vel valdè modicam, & ejus qui aliquam fecit diligentiam, sed non sufficientem, & dicunt eam solam esse ignorantiam crassam, quæ est ex summa negligentia. Imò Palaus *tract.* 2. *disp.* 1. *part.* 15. *n.* 4. existimat, quod ignorantia crassa sit illa, ad quam vincendam nulla est adhibita diligentia; illa verò sit culpabilis, & non crassa, ad quam vincendam modica diligentia est adhibita.

140 Sed alii existimant quod omnis ignorantia moraliter culpabilis sit aut affectata, aut crassa; si enim non sit affectata, vel ad eam vincendam adhibita est mediocris saltem diligentia, hæc est inculpabilis ignorantia, & probabilis, vel nec mediocris diligentia est adhibita, & hæc est crassa, & supina. Et ita senserunt Corduba *l.* 2. *quæst.* 1. Suarez *de cens. disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 10. & *part.* 2. *disp.* 4. *sect.* 1. Soren. *p.* 2. *disp.* 29. §. *Quod diximus*, Leander *tract.* 1 *disp.* 9. *qu.* 15. *in fin.* Et hoc probatur quia Canones ignorantiam distinguunt in probabilem, crassam seu supinam, & affectatam, ut patet ex Greg. 9. *cap. Apostolicæ* 9. *supr. de* Cler. *excom.* In qua divisione nulla ponitur ignorantia media inter probabilem, & crassam. Et ratio est, quia ignorantia si est involuntaria moraliter est justa, & probabilis, si verò est voluntaria, vel est voluntaria directè, & est affectata, vel est voluntaria indirectè, & est crassa.

141 In hac difficultate hoc communiter asseritur, quod ignorantia affectata est illa, quæ est directè volita, ut sic ignorans liberius peccet, vel ut prætextum excusationis habeat, si legem non servat, *cap. Cum inhibitio*, §. *Si quis, de Clandes. desp.* & ibi DD. communiter cum D. T. *p.* 2. *q.* 6. *ar.* 8. & *quæst.* 76. *art.* 4. & ibi expositores Silvest. v. Ignorantia, *n.* 5. Potest enim ignorantia esse directè volita, cùm est directè cognita, ut cùm aliquis scit se vel nescire quænam pars contradictionis sit vera, seu scit se esse dubium de rei veritate, seu scit se rei non habere plenam veritatem. Itaque hæc est essentialis differentia inter ignorantiam affectatam, & non affectatam, sed voluntariam, quod ista est voluntaria solùm indirectè, seu interpretativè, quia ignorans ex negligentia nescit quod potest, & debet scire. Sed illa est volita directè, ut D. T. citatus, & alii explicant. Ad hoc verò ut ignorantia sit affectata, sufficit si sit hoc modo directè volita, ex eo quod ignotans vult nescire.

142 Est tamen hic distinguenda causa, qua quis non vult scire; nam potest esse multiplex, ut quia ignorans non vult laborare, vel quia vult liberius peccare, vel quia vult habere prætextum excusationis in peccato, vel ob aliquam aliam similem causam. Sed & ignorantia ipsa formaliter potest esse finis, si scilicet finis voluntatis sit nescire legem, ut lex ignoretur, quod est legis scientiam propriè contemnere. Ad affectatam ignorantiam non est necesse, quod ipsa sit formaliter finis voluntatis, sed sufficit, quod ipsa sit scienter & directè volita ex quocumque fine id contingat. Multum tamen differt hæc affectata ignorantia quando est ex fine liberius peccandi, seu habendi excusationem peccati, & quando est affectata ex causa fugiendi laborem, vel alia simili. Quia prior ignorantia est effectus, & signum intentioris voluntatis non servandi legem, & sic arguitivè auget culpam, & de ea dicitur quod auget voluntarium, & non minuit peccatum, quod tamen infrà est explicandum. Pro nunc enim hoc sufficit dixisse, quod ignorantia affectata est illa quæ est scienter, & directè volita.

Hoc quoque advertendum est, quòd ignorantia non erit affectata, si quis velit nescire, quia putat id non esse necessarium, etiam si opinio ejus sit ex ignorantia crassa, & culpabili. Quia hìc debet attendi prima radix nolendi scire, quæ si sit ex aliqua ignorantia solùm indirectè volita, qualis est ignorantia crassa; tunc ignorantia licèt proximè directè sit volita, quia tamen est volita ex errore indirectè volito, censetur moraliter tanquam solùm sit indirectè volita. Ideò non est affectator ignorantiæ; qui vult nescire, quia putat se non teneri ut sciat, ut advertit Suarez *part.* 2. *d.* 4. *sec.* 1. *num.* 13. Sed ille affectat ignorantiam, qui sciens se obligatum ad sciendum vult nescire, ex quocumque posteà fine extrinseco moveatur, ut nescire velit. Ideò error voluntarius licèt sit directè volitus, tamen si hoc procedit ex priori ignorantia vel invincibili, aut probabili, non est error affectatus, & culpabilis, & si est ex ignorantia crassa non est error affectatus, sed crassus. Sic ignorantia Judæorum non debet dici proprìè affectata, nec rationabiliter dicitur talis à Gregor. Martinez *part.* 2. *quæst.* 76. *art.* 1. *dub.* 1. *ad* 3. Verè quidem Judæi noluerunt credere in Christum, sed hoc fuit ex ignorantia crassa scripturarum, quæ ex superbia, odio, & invidia illorum habuit fomentum, unde intelligentes non intellexerunt, & audientes non audierunt. Eodem modo ignorantia Pauli Apostoli ante ejus conversionem non fuit propriè affectata, ut benè advertit Serra *p.* 2. *qu.* 76. *art.* 4. quia non fuit scienter volita, sed ex priori ignorantia, ex qua credebat Christi fidem adversari legi, & Prophetis: sic igitur ad ignorantiam affectatam requiritur quòd sit nedum directè, sed scienter volita. 143

Dicitur verò secundò, quod ignorantia culpabilis præsumpta, quæ est ignorantia externi fori etiamsi non affectata necessariò dividenda est in latam, levem, & levissimam sicut dividitur culpa, & ideò ignorantia crassa, seu supina illa sola est, quæ est ex culpa lata. Ratio est, quia cùm jus humanum non videat interiores animi motus, non potest judicare de illis, ut videat quando ignorantia sit verè voluntaria, vel non sit, sed has solùm à posteriori colligit, & ex iis, quæ frequentius accidunt. Ex quo oritur ut contingat aliquando, aliquem culpabiliter ignorare, quod juridicè non constabit, neque constare poterit, unde illa ignorantia juridicè erit probabilis. Et è contra poterit evenire, ut coram Deo ignoretur involuntariè, quod juridicè præsumitur voluntarium, & culpabile. Distingui ergo debet ignorantia Theologica, seu in foro conscientiæ, & juridica, seu in foro externo. Qua distinctione supposita, sicut culpa juridica dividitur in latam, levem, & levissimam, ita ignorantia juridica non affectata, quidem, sed tamen culpabilis distinguitur in eam, quæ est ex culpa lata, vel levi, vel levissima. Ignorantia verò crassa est ignorantia, quæ est ex lata culpa, præter quam datur ignorantia juridica levis, & levissima. Quod habetur *ex cap. Quæsitum, de pæn. & remiss.* & docent ad hunc textum Glossa *in v. supina*, Anchar. *num.* 3. Franc. *num.* 9. Archid. *num.* 1. Barbos. *num.* 13. Silvest. *v. Ignorantia, num.* 5. D. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 75. §. 2. *in fin.* Tablen. *v. Excomm.* 7. *qu.* 1. *n.* 1. *in fin.* Angel. *v. Excomm.* 7. *casu ult. n.* 5. Specul. *tit. de dispens.* §. *Juxta, n.* 41. Navarr. *cap.* 23. *n.* 45. Sanchez *l.* 9. *de matr. disput.* 32. *num.* 32. Bonac. *de peccatis, d.* 2. *quæst.* 8. *part.* 3. *num.* 5. Martinez de Prado *cap.* 2. *q.* 12. *n.* 13. Basseus *v. Ignorantia, num.* 3. 144

Eam verò ignorantiam esse ex lata culpa, ad quam depellendam ignorans vel nullam, vel modicam diligentiam adhibuit, sentiunt Sanchez, & apud eum Castro, Bonac. & Martinez; sed Palaus *tract.* 2. *d. p. puncto* 15. *num.* 4. hoc impugnat quia qui modicam mediocrem diligentiam adhibuit, ut sciret, probabiliter ignorat, unde apud ipsum ignorantia crassa est illius, qui nullam præstitit diligentiam, ut sciret. Sed hujusmodi consideratio utilis est ad cognoscendum quænam sit ignorantia crassa Theologica, & in foro conscientiæ. Nam aliàs unde semper constabit Ecclesiæ, quod quis, vel nullam, vel modicam diligentiam adhibuerit, ut sciret? Unde etiam patet multò minus accommodari posse ad ignorantiam crassam juridicam eam diffinitionem, per quam dicitur, ignorantiam crassam esse illam, per quam quis ignorat ex negligentia, quæ scire potest, & debet; 145

debet; quam diffinitionem tradunt Suarez *part.2. disp.4. sect.1. num.20.* & apud Sanchez *l.9. de matrim. disp.32. n.32.* Monaldus, & Ugolinus; nam in jure non omnis culpa, & negligentia est lata, & crassa, ideò non omnis ignorantia ejus, quod potest, & debet sciri est ex culpa lata, & est crassa, seu supina. Sed quoniam apud jus positivum culpa lata est deviatio incircumspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines ejusdem professionis, & ideò culpa lata est ignorare id, quod communiter scitur, *l. lata culpa ff. de verb. signif.* Silvest. *v. Culpa, n.2. & v. Ignorantia, n.5.* Tabien. *v. Culpa, nu. vn.* Armilla *n.9.* Bassæus *n.1.* Navar. *cap.23. num.45.* Et hoc idem voluerunt Gloss. & Anchar. suprà citati. Nam certè crassus homo dicitur, qui coram se posita minimè videt, & attendit, & ideò ignorantia crassa est, & lata culpa præsumitur in ignorante, si nescit ea, quæ publica sunt, & communiter ab hominibus suæ professionis cognoscuntur: sed magis formaliùs, & pressiùs ignorantia crassa describitur, si dicatur, quod est ignorantia eorum, quæ debent, & de facili possunt sciri. Tabien. *v. Ignorantia, num.2.* Armilla *num.6.* Neque enim negari potest, quin sit gravis negligentia, & digna pœna negligere scire ea, quæ ad se spectant, cùm de facili, & sine difficultate sciri possunt. Fagnan. *cap. Ne innitaris, num.31. de Constit. ex l. si aniam*, ibi: *Si cùm peritioribus tractatum habuisses facile cognosceres, Cod. de ingen. & manu.* Cùm ergo culpa juridica sit non facere id, ad quod quis est obligatus, *l. qui non facit, ff. de reg. jur.* Rota *dec.246. n.4. part.5. recens.* ideò juridicè culpabiliter ignorat quicumque non scit, quod tenetur scire, & cujus ignorantia est ex aliqua negligentia. Rota *decis.555. num.1. part.4. tom.3. recent.* Hæc tamen negligentia sciendi distinguitur in latam, levem, & levissimam, & lata censetur, si quis negligat scire, quod de facili potest sciri, & tale sine dubio est id, quod est publicum, & scitur communiter ab hominibus ejusdem status, & professionis. Et hæc ignorantia dicitur crassa. Et propterea Rota *decis.103. num.37. part.10. recent.* talem voluit esse ignorantiam illius, qui dicebat se ignorare id, de quo erat publica vox, & fama. Levis verò negligentia est non scire, quæ difficilius cognoscuntur, qualia sunt, quæ à solis diligentioribus, & prudentioribus cognoscuntur. Levissima est non scire difficillima, qualia censentur esse, quæ à solis diligentissimis cognoscuntur. Et hæc dicitur ignorantia levissima. Et in hoc sensu vera est prima sententia, quæ vult, quod non omnis ignorantia culpabilis sit crassa. Quod est verùm de ignorantia juridica.

146 At verò Theologicè loquendo non datur media ignorantia, inter probabilem, & crassam ignorantiam. Quia in ordine ad pœnam æternam sufficit quæcumque culpa mortalis, & respectu Dei, & in animæ foro attenditur veritas, non præsumptio; & ideò omnis vincibilis, & culpabilis ignorantia in re gravi est gravis culpa, & digna ut puniatur æterna pœna; quia semper gravissimum est Deum offendere, & ejus gratiam amittere. Præterea inter hæc duo membra non datur medium, scilicet vel ignorantia ejus, quod quis potest, & debet scire, est directè volita, & est affectata, vel est indirectè volita, & est Theologicè crassa. Verùm est dari posse negligentiam sciendi, quę etiam Theologicè sit levis, quia solùm sit peccatum veniale. Et in hoc sensu ignorantia probabilis, & culpabilis etiam Theologicè dividi potest in levem, & crassam, ut ex Silvest. advertit Suarez *de censur. disp.4. sect.10. n.11.* Sed Theologicè nulla culpa mortalis est levis, sed gravissima, & digna æterna pœna. Culpa verò venialis apud Theologos propriè non habet rationem offensæ Dei simpliciter, ut docet D. T. *de malo, quæst.7. art.2. ad 10.* Et ideò peccatum veniale non habet simpliciter, & perfectè rationem peccati, sed est quasi dispositio ad illud, ut docet idem D. Th. *part.2. q.88. art.1. ad 5. & 2. d.41. qu.1. art.3.* Unde peccatum veniale non tollit gratiam. D. T. *4. d.22. q.1. art.3. qu.1. ad primum.* Et non contrariatur virtuti. D. Th. *de malo, quæst.7. art.6. ad primum.* Et propterea ignorantia, quæ est negligentia venialiter culpabili tanquam quid imperfectum in genere culpæ reducitur ad ignorantiam culpabilem mortaliter. Et sic ignorantia, vel est sine culpa simpliciter, & perfectè, & est ignorantia justa, & probabilis; vel est simpliciter, & perfectè culpabilis, & hæc est affectata si sit directè volita, vel est crassa, si in re gravi sit volita indirectè.

147 Sed quia distinctio ignorantiæ in probabilem, crassam, & affectatam est distinctio à jure positivo inventa, *ut cap. Apostolicæ 9. suprà de Cler. excomm.* ideò magis propriè verificatur de ignorantia juridica. Et hæc distinctio minimè coincidit cum distinctione ignorantiæ in probabilem, & crassam Theologicè explicatam, sed crassa Theologica erit sæpiùs levis, imò forsan levissima juridica, eo quod licèt sit coram Deo graviter culpabilis, hæc culpæ gravitas in externo foro, vel non attendatur, vel non præsumatur. Et è contra, v. g. ubi lex positiva non obligat ad culpam, ignorantia, quæ non erit saltem graviter coram Deo culpabilis, possit esse apud forum externum culpa legalis, & quidem gravis. Unde hujusmodi distinctiones non sunt confundendæ.

Dupliciter verò ignorantia dicitur indirectè volita. Primò negativè, quia non est volita scientia, & hoc modo ignorantia est volita in se ipsa, sed indirectè. Hoc autem causatur semper ex occupatione intellectus ad aliquid aliud, & ex amore voluntatis ad id, quod impedit studium adiscendi, vel ex nimia hominis occupatione ad alia negotia. Alio modo ignorantia est volita in alio, ut est ignorantia ebrii, quæ est volita in ebrietate. Ita Suarez *par.2. tract.2. disp.4. sect.1. n.14.* Sed hoc instantiam patitur. Nam omnis ignorantia non affectata est volita ratione alterius voliti, quia non ratione sui, sed ratione alicujus alterius, cum quo scientia, vel scientiæ studium est incompossibile. Et propterea ob hanc rationem D. Th. *part.2. quæst.6. art.3. & quæst.71. art.5.* docuit peccatum omissionis non esse sine aliquo actu, quia non est omissio, nisi occasione alicujus commissionis, cùm tamen omissio essentialiter nō sit actus, sed pura, & nuda actus omissio. Et sic ignorantia ut est peccatum non est, nisi omissio studii adiscendi, vel omissio actualis considerationis, & sic est volita solùm interpretativè, & indirectè, ea ratione, qua volitum dicitur, quod potuit, & debuit esse volitum, & volitum non fuit. Et hoc modo etiam est volita ignorantia ebrii, quidquid sit, an ideò scientia ab ebrio non sit volita, quia est volita ebrietas. Sic enim & in occupato in aliis negotiis ignorantia, ideò est volita, quia volita fuerunt alia negotia, cùm tamen ignorantia in se ipsa non sit volita, quia non est volita scientia, Et sic benè Conrad. *part.2. quæst.76. art.4.* dixit, quod ad indirectè volita reducitur volitum per accidens, seu in alio. 148

SVMMARIVM.

149 *Ratio difficultatis.*
150 *Secundum aliquos dicitur antecedens, &c. respectu actus voluntatis vage.*
151 *Debet dici antecedens, &c. respectu ejusdem actus voluntatis.*
152 *Duas esse hic distinctiones alii volunt.*
153 *Distinctio est trimembris, vel aliter potest explicari.*
154 *Actus idem intellectus, & voluntatis est se ipso prior, & posterior in ordine ad diversa objecta.*
Actus intellectus, & voluntatis sese mutuo antecedunt, & sequuntur.
155 *Iudicium executionis quando ignorantia est consequens est volitum eodem actu voluntatis, quem causat sub diversa ratione.*
156 *Et ideo ignorantia hec est simpliciter consequens.*
157 *Ignorantia concomitans est ejus, qui etiam si sciret ageret.*
Non sufficit ad concomitantem ignorantiam dispositio purè habitualis.
158 *Concomitans est causa actus, ut non humani.*
159 *Concomitans non est culpabiliter voluntaria.*
160 *Aristoteles cognovit ignorantiam consequentem.*
161 *Concomitans non negatur a Damasceno.*
162 *Tristitia, & gaudium de actu ignoranter facto sunt signa fallibilia.*

Quæstionis Primæ

ARTICULUS VII.

Respectu cujus rei ignorantia dicatur antecedens, concomitans, & consequens?

SUpponit quæstio ignorantiam dividi in antecedentem, 149
concomitantem, & consequentem. Hanc enim divisionem tradit D. Th. *part.2. quæst.6. art.8. & qu.19. art.6.*

c. &

c. & quæst. 76. art. 3. & 4. & alibi sæpè, & eam admittunt communiter Theologi, & etiam Canonistæ. Et hæc est distinctio essentialiter attendenda, ubi est quæstio de ignorantia excusante à culpa, & à pœna, quia ignorantia à culpa non excusat, nisi sit antecedens, ut probabitur. Videtur verò quod distinctio ad rem non faciat, quia non videtur, quomodo voluntas consequens voluntatem causet aliquo modo involuntarium, & tamen dicitur esse involuntarium secundùm quid, quod fit ab ignorante, qui non fecisset, si scivisset.

150 Est ergo prima sententia generalis, quod hæc distinctio accipitur non per respectum ad actum à voluntate imperatum, sed per respectum ad actum voluntatis imperantem. Sed tamen existimat, quod non fiat comparatio ad eundem numero actum voluntatis, sed ad actum voluntatis absolutè, & vagè, & sic quod ignorantia respectu unius actus dicatur antecedens, & respectu alterius consequens. Suarez *par. 2. tract. 2. d. 4. sect. 1.* Greg. Martinez *p. 2. q. 6. a. 8. dub. 1.* & ibi Montesin. *n. 167.* Ildefonsus *ibid. disp. 96. num. 35. & seq.* Qui ultimus rem explicat dicens, quod hæc distinctio sumitur respectu illius actus voluntatis, qui primò continet actum ex metu faciendum: quod sic explicatur, quia ignorantia dicitur antecedens, quia antecedit voluntatem illam, qua homo vult actum ex ignorantia factum, & dicitur concomitans, quia illum concomitatur; sed non dicitur consequens respectu ejusdem voluntatis, qua vult directè actum ex ignorantia factum, sed qua vult ignorare, & sic indirectè vult etiam actum ignoranter factum.

151 Sed legenti D. Th. manifestè apparet mentem ejus esse, quod comparatio ista fiat respectu ejusdem actus voluntatis. Nec potest aliter dici, quia cùm voluntas consequens sit causa malæ voluntatis, unde dicitur, quod causat involuntarium secundùm quid, & in hoc convenit cum voluntate antecedente; in hoc solo potest esse discrimen, quod ignorantia consequens eundem actum, quem causat, non antecedit simpliciter, sed ab illo præceditur, quia si ad illum actum numero non consequeretur, cùm aliàs illum antecedat, esset respectu illius simpliciter antecedens, & sic causaret simpliciter involuntarium, quia ille actus omninò esset ex ignorantia per ipsum eundem actum involuntariam, illique accidentarium, & extraneum esset, quod ignorantia aliundè per alium actum fuisset voluntaria. Nec enim ille alius actus voluntatis influeret in hunc numero actum, qui quidem esset ex ignorantia per eundem actum prorsus involuntaria; & sic esset ex ignorantia involuntaria, nec posset dici voluntarius, nisi per meram aliquam extrinsecam denominationem, & à voluntate præterita, quomodo actus ebrii dici possunt voluntarii in voluntate ebrietatis. Et tamen neque hoc dici posset, quia imò per actum, quem ignorantia hic, & nunc simpliciter antecederet, & causaret, & qui actus hic, & nunc esset in se ipso involuntarius, censeri posset revocata illa prior voluntas ignorantiæ, nec censeretur nunc durare in sua virtute, cùm nunc voluntas ex ignorantia ex nunc involuntaria vellet, quæ tamen nunc esset capax volendi, vel non volendi ignorantiam. Quod in ebrio locum non habet. Et additur, quod non est peccatum prius voluisse ignorantiam, sed peccatum est ex ignorantia velle, cùm quis potest, & debet scire, si ergo tunc cùm quis vult, ignorantia non est voluntaria, non interest ad culpam, quod ignorantia voluntaria fuerit, quia nunc voluntas non approbat ignorantiam de præterito volitam, sed imò nunc dicitur involuntariè ignorare, & agere, cùm tamen nunc possit ignorantiam approbare, vel reprobare.

152 Aliter verò rem explicat Suarez *par. 2. tract. 2. d. 4. sect. 1.* Ait enim hanc distinctionem licèt datam per tria membra, duplicem continere distinctionem; aliam scilicet, per quam ignorantia dividitur in eam, quæ est causa actus, & in eam, quæ actus non est causa: alteram verò per quam ignorantia dividitur in voluntariam, & non voluntariam; subdit verò quod membra prioris divisionis subdividi possunt per secundam, ut detur ignorantia causa actus, quæ sit voluntaria, & non voluntaria: & pariter voluntas, quæ non est causa actus, sed actum concomitatur, & involuntaria, & voluntaria esse possit. Addit quoque quod D. Thomas distinctionem illam bimembrem voluit explicare, & ratio nominum de facili potest reddi, vel explicando distinctionem respectu diversorum; vel certè dicendo comparationem fieri ad voluntatem absolutè sive ad ignorantiam, sive ad actionem terminatam, & ignorantiam illam dici antecedentem, quæ omninò antecedit voluntatem tam ignorandi, quàm operandi ex ignorantia, consequentem verò dici, quæ subsequitur saltem voluntatem ignorandi, concomitantem verò, quæ concomitatur voluntatem operandi, sive posteà antecedat voluntatem ignorandi, sive subsequatur.

153 Sed absque dubio hic modus explicandi hanc distinctionem, nec est conformis menti S. Thomæ, nec attingit punctum, cum divisionem, quæ verè est trimembris multiplicet in duas, & rem magis confundat, quàm explicet. D. Thomas enim expressè distinctionem trimembrem facit, & comparationem accipit respectu actus volendi, quo voluntas vult operari, ut satis clarè apparet ex textu; & ratio id convincit. Cùm enim punctum quæstionis sit, an actus admixtus ignorantiæ sit voluntarius, vel involuntarius ex vi ejusdem ignorantiæ, & sic quæstio sit, an hic actus hic, & nunc habitus ab ignorante sit voluntarius, vel involuntarius ex vi ignorantiæ, debet ignorantia considerari in ordine ad hunc actum numero. Quando enim dubitatur, an ex aliqua re in hoc numero actu sit, vel non sit hæc vel illa qualitas, debet considerari res illa in ordine ad illum numero actum, quia causa, ut causa in ordine ad suum effectum considerari debet; igitur hic debet considerari ignorantia in ordine ad eundem actum numero, de quo dubitatur, an ignorantia causet, ut sit, vel non sit voluntarius. Et licèt ad hoc juvare possit notitia ignorantiæ undequaque accepta, quia ubi ulterior causæ notitia habetur evidentior effectus notitia haberi potest, tamen per se, & formaliter considerari debet habitudo rei, quæ affertur causa ad rem, in quam causare debet effectum, & ad formalitatem ipsam effectus.

154 Hæc autem consideratio triplex est, quia ignorantia in ordine ad illum actum numero, quem judicium ignorans causat, se habet, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. Et ut incipiamus ab hoc ultimo, in quo est difficultas, considerandum est, quod actus intellectus, & voluntatis in ordine ad diversa objecta sese antecedunt, & ad se consequuntur. Sic idem actus, ut est intentio finis, est ratio sui ipsius, ut est electio. Et licèt idem actus non sit sui causa realis, tamen ex parte actus est sui ratio, & ut dicitur, causa virtualiter, & ex parte objecti, & passivæ attingentiæ datur vera realis, & actualis causalitas, & prioritas causalitatis, & posterioritas, nam prius amatur finis, quàm medium, quia realiter actualiter medium non amatur, nisi dependenter à fine. Sic ex parte intellectus assentientis unico actu principiis, & conclusioni assensus principiorum est ratio assensus conclusionis. Hic verò ordo servatur etiam inter actus voluntatis, & intellectus; ut idem actus voluntatis sit & prius, & posterius actu intellectus sub diversa ratione, & importet realem dependentiam, & independentiam ex qua dicatur prior, & posterior. Sic idem actus intellectus, ut est judicium de amore finis antecedit simpliciter voluntatis actum, & idem actus ut est judicium de eligendo medio, est posterior actu voluntatis, ut est intentio finis.

155 Est ergo in proposito considerandum, quod judicium errans ex ignorantia est prius, & posterius actu electionis ex vi talis judicii habitæ, sic tamen ut simpliciter debeat dici posterius, & secundùm quid prius. Est enim prius si illam malam electionem causat, & res ita se habet, quod eligens non eligeret si sciret; sed est posterius, quia per prius est, quod volens velit considerare de mediis, quàm quod eligat medium aliquod ex consideratis. Et omnis electio per prius est; volitio considerationis medii eligendi, quam sit volitio medii electi, licèt sit unus numero actus electionis, qua voluntas, & vult intellectum judicare de electione, & vult se eligere, & eligit. Igitur unus ille numero actus, qui est electio medii, & est electio judicii, & considerationis, & actualis notitiæ intellectus, & electio sui ipsius actus electionis, & est electio medii. Ita tamen quod ut est electio considerationis est prior se ipso, ut est electio medii. Et si judicium sit ignorans, jam ignorantia per illum eundem actum est volita: igitur ignorantia est consequens respectu ejusdem actus, sed simul hæc ignorantia est prior eodem actu, ut est electio medii; quia judicium ignorans est causa illius electionis, & ex hac parte potest diminuere voluntarium, & facere, quod electio medii, si verè est ex ignorantia sit minus voluntaria.

Nihi-

156 Nihilominus talis ignorantia quidquid in contrarium voluerit Almain. apud Medinam 1.2.*q.6. art.8.* dicitur simpliciter consequens respectu illius actus, & secundùm quid antecedens. Tum quia per accidens erit, si contingat ignorantiam fuisse volitam ante actum illum electionis. Et ad rem nihil facit, quod fuerit ante volita, etiam directè, & affectata, quia nihil prorsus faceret ad diminutionem voluntarii in electione, & actu electo, nisi esset volita per eundem actum electionis, & tunc cùm voluntas eligit operari, & nisi ex illa ignorantia sic volita vellet, & eligeret. Tum secundò, quia per prius est, quod illa ignorantia sit volita illo eodem actu, quam quod illum antecedat causalitate sua, & non causat, & antecedit, nisi ut per prius volita, & sic nisi ut consequens voluntatem; res verò non denominatur simpliciter, nisi ab eo, quod per prius sibi convenit, & sibi subordinat aliud. Tum quia bonum est ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu, ignorantiam verò subsequi voluntatem est defectus, & malum; ideò ad hoc ut voluntas dicatur simpliciter subsequens actum, sufficit, quod sit per illum volita. Itaque igitur licet ignorantia si est causa actus antecedit illum, si tamen est per eumdem actum volita, simpliciter dicitur voluntas subsequens, & secundùm quid antecedens.

157 Concomitans verò dicitur ignorantia si non sit causa actus volendi, sed illum eumdem actum numero concomitatur. Est enim considerandum, quod ignoranter peccans dupliciter se potest habere ad actum ex ignorantia habitum, scilicet quod ignorans illum non haberet, si sciret, vel quod illum nihilominus haberet, etiam si sciret. Sed hoc dupliciter contingere potest, nimirum quod ignoranter peccans sit ita dispositus, quod nihilominus ageret, si sciret. Vel scilicet, quia hujusmodi dispositio sit purè habitualis, quia nimirum agens ex ignorantia est habituatus, & habitualiter inclinatus ad simile genus actionis, ut quia est intemperans, & ideò etiam si sciret hanc non esse suam uxorem, ab ea non abstineret, vel quia est actualiter dispositus per actum voluntatis, vel formaliter, vel virtualiter saltem tunc durans, ut v. g. si qui occidat hominem putatum bestiam habeat actu voluntatem, vel formaliter, vel virtualiter durantem, per quam vult occidere inimicum, ubicumque illum invenerit. Ad voluntatem concomitantem non sufficit dispositio habitualis ad operandum scienter, Martin. 1.2.*q.6. art.8.* Suar.*disp.4.sect.1.n.9.* quia peccatum actuale, vel meritum non consistit in habitibus. Et quia habitibus utimur, si volumus, unde contingere potest, quod habitualiter dispositus ad genus operis ignoranter habiti illum non haberet, si sciret. Sed tunc voluntas est concomitans cùm agens ignoranter per aliquem actum voluntatis est ita dispositus ad substantiam actus ignoranter facti, quod nihilominus ageret, etiam si sciret. Quod satis innuit D. Th. 1.2.*q.76.art.1.* Nam aliter ex inclinatione, quam homo habet in bonum potius præsumi deberet, quod malum non faceret, quod ex ignorantia facit.

158 Duæ verò remanent difficultates explicandæ. Prima est, an ignorantia concomitans sit aliquo modo causa ipsius voluntatis, & actionis, quam dicitur concomitari. Nam si aliquo modo est causa illius, jam erit antecedens, non verò concomitans. E contra verò non potest negari aliqua causalitas, cùm actus habitus ignoranter semper, ut sic sit non voluntarius, ex eo, quòd ignoranter habitus. Respondetur verò, quod judicium omne ignorans est causa illius actus voluntatis, quem dirigit, quia ab eo judicio specificatur actus voluntatis, & quantum ad exercitium voluntas per illud judicium se movet ad volendum. Nihilominus illud judicium ignorans ignorantia concomitante, ut ignorans non est causa actus volendi, quem dirigit, si actus consideretur secundùm substantiam suam. Quia ignorantia non est causa, nisi per accidens, & tanquam removens scientiam, quæ si adesset, impediret actum. Ubi igitur ignorantia privat scientia tali, quæ non esset impedimentum actus, sed imò si scientia adesset, nihilominus actus esset, sicut facit ignorantia concomitans, talis ignorantia, nec per accidens actum causat, D.Th.1.2.*q.76.art.1.& ibid.* Cajet. Conrad. Medin. Martin. Serra, Montesin. Vasquez, & alii. Et nihilominus actus hic semper habet ex ignorantia quod non est humanus, & non est voluntarius, ut habet D.Th. 1.2.*q.6. art.8.* & ejus expositores: igitur etiam ignorantia concomitans causat actum in quantum non est humanus, seu facit, quod actus non sit voluntarius, & sic etiam voluntas concomitans est secundùm quid antecedens, ut advertit Suarez *part.2.tract.2.disp.4.sect.2. num.12.*

Secunda difficultas est, an possit dari voluntas concomitans, quæ sit culpabiliter voluntaria. Hoc enim fieri posse dixerunt Suarez *part.2.tract.2. disp.4.sect.1. num.9.* Vasquez *part.2.qu.9.art.8.* Montesin.*ibid.num.172.& qu.76. art.1.n.4.* Sed meritò hoc rejicit Greg. Mart.*part.2.qu.76.art.3. dub.un. ad* 4. Ignorantia enim dici debet antecedens, concomitans, vel consequens respectu illius actus voluntatis, quem causat judicium ignorans, ut probatum est. At verò si ignorantia sit volita illo eodem actu, quem causat judicium ignorans, illa est simpliciter voluntas consequens, ut pariter est probatum; igitur voluntas concomitans non potest esse per illum actum culpabiliter voluntaria; igitur nec potest esse voluntaria ab aliquo actu voluntatis antecedente, à quo dependeat illud judicium ignorans, quia & tunc voluntas esset consequens, & esset simul volita eodem actu voluntatis, quem causat judicium ignorans; quia tunc voluntas voluisset secundùm præcedentem ignorantiam operari. Itaque conveniunt ignorantia antecedens, & concomitans, quod utraque est invincibilis, aut probabilis, distinguuntur verò, quod illa est causa actus secundùm substantiam, ista non. Omnis verò ignorantia improbabilis semper est consequens. Quamobrem ignorantia antecedens duas habet conditiones. Prima quod est invincibilis, aut probabilis, & sic inculpabiliter involuntaria, & in hoc convenit cum ignorantia comitante. Secunda quod est causa per accidens actus voluntatis, & in hoc à comitante distinguitur. Ignorantia verò consequens semper est improbabilis, & culpabiliter voluntaria. 159

Colligitur sufficientia distinctionis datæ. Et cum aliqui apud Martinez 1. 2. *quæst.5. art.* 8. *dub.* 1. & Ildefonsum *disput.96.num.*47. & Montesin. 1. 2. *quæst.6. art.8. numer.* 170. negaverint dari ignorantiam consequentem, eo quod ejus non meminerint Arist. & S. Greg. Nyssenus, hoc rejicitur. Nam certè Arist. *lib.3. Ethic.cap.1.* ut patet ex textu & expositione, D. Thom. ibidem *lect.1.* expresè tractat de ignorantia consequente. Præterquam quod ignorantia subsequens continetur sub illo membro, quod est aliquid fieri ex ignorantia, vel ob ignorantiam, quod D. Th. posteà distinxit, & meritò in duo membra, & consideravit, quod si ignorantia sit volita quocumque modo licet sit causa aliquo modo actus ignorati, hæc non debet dici ignorantia antecedens, sed subsequens, nec causat involuntarium, nisi secundùm quid. 160

Et pariter cum alii apud eumdem Ildefonsum negaverint dari ignorantiam concomitantem, quia ejus non meminit, Damasc. *l.2. de fide, cap.24.* jam ostensum est qualiter ignorantia aliquando concomitetur actum, & quia non causat involuntarium, D. Damascenus verò loquebatur ibi de ignorantia, ut causat involuntarium, nil mirum, si non fuit loquutus de ignorantia concomitante. 161

Tandem advertendum, quod tristitia de actu ignoranter habito, quæ oritur adveniente notitia, ponitur signum voluntatis antecedentis, Tabien. *verb. ignorantia, in fine*. Gaudium verò quod resultat dum quis expulsa ignorantia gaudet de actu ignoranter facto ponitur signum voluntatis consequentis, aut etiam concomitantis. Sed neutrum signum est infallibile, quia utrumque potest habere causam ex eo, quòd post actionem ignoranter habitam accidit, & per quod rerum conditio mutata fuit, Greg. Mart. 1.2. *quæst.6. artic.8. dub.un. ad* 6. 162

SUMMARIUM.

162 *Etiam actus imperatus à voluntate mala est peccatum.*
164 *Non omnis ignorantia est mala.*
165 *Ignorantia ejus, quod quis scire potest, & tenetur est mala.*
166 *Ignorantia imputatur ad peccatum ratione negligentia.*
167 *Ignorantia propriè secundùm se non est peccatum; est verò peccatum inconsideratio.*
168 *Quidam volunt ignorantiam habitualem esse peccatum.*
169 *Hoc improbatur.*
170 *Non habere id quod præcipitur haberi est materia,* *vel*

vel effectus, vel pœna peccati, sed non est peccatum.
171 *D.Th. non se retractat.* 172. 173.
173 *Qualiter carere scientia sit peccatum.*
174 *Ignorantia actualis quale peccatum secundùm aliquos.*
175 *Ignorantia actualis est secundùm se peccatum.*
176 *Ignorantia invincibilis eorum quæ quis tenetur scire non est peccatum de facto, licet sit tale ex genere.*
177 *Peccatum ignorantiæ est in intellectus, & in voluntate diversimode.*
178 *Quando quis peccet peccato ignorantiæ.*
179 *Quæ unusquisque scire teneatur.*

Quæst. primæ

ARTICULUS VIII.

Utrùm ignorantia secundùm se sit peccatum.

163 Licet non sit peccatum, nisi sit voluntarium, non tamen solus actus voluntarius, aut ejus omissio est peccatum, sed cujuscumque potentiæ actus qui sit per legem prohibitus fieri, sive sit cogitare, sive sit facere, est peccatum; Nam peccatum non est, nisi dictum vel factum, vel cogitatum contra legem; Ideò peccatum est actio, vel omissio actionis, quæ ex sui ratione est contra rectam rationem, quia objectum ejus est inhonestum, & à recta ratione dissonum. Sic homicidium secundùm se & ex genere suo est peccatum, quia contra rationem, quod homo privatus ex privata causa voluntariè mortem alteri inferat. In hoc igitur sensu etiam quæritur an ignorantia secundùm se sumpta sit peccatum, sicut est peccatum vel homicidium, vel fornicatio, vel omissio missæ in die festo, vel omissio jejunii in quadragesima, vel quicumque actus exterior malus.

164 Multa autem in præsenti certa haberi debeat, & si etiam in puncto principali consideretur proprietas loquendi, non potest esse rationabilis difficultas. Certum enim est primò non omnem ignorantiam esse malam, sed imò aliquam dari bonam, & utilem. Habetur hoc ex *cap. Quamvis* 38. *dist. seu ex S. August.* in Enchir. ad Lauren. *tom.*3. *cap.*17. ubi habet, quod *sunt quædam, quæ nescire, quam scire sit melius*. Et idem adverterunt S. Greg. *lib.*14. *mor. cap.*14. *ad illud Iob* 19. Si ignoravi, mecum erit ignorantia mea, *& S. Io. Chrys. hom.*19. *de fato*. Et ratione probatur, quia inter alia vitia numeratur curiositas. D.Thom. 2. 2. *qu.*167. *art.*1. Nam licet cognitio veritatis de se non sit mala, sed sit perfectio intellectus, tamen per accidens est mala, si sit occasio superbiæ, juxta illud 1. Cor.8. *scientia inflat*, vel quia homo scientia abutitur ad malum, vel quia ipsamet cognitio sit incentivum ad malum, qualis est cognitio quæ ex lectione librorum, qui amatoria, & turpia describunt, vel quia etiam studium alicujus veritatis cognoscendæ impedit ab aliis actionibus necessariis, vel magis utilibus, unde homini utilius esset ista ignorare, licet veritatem cognoscere non sit malum. Itaque igitur datur ignorantia quæ non est mala, sed potius est saltem per accidens bona, & utilis, & quæ licet sit voluntaria non est peccatum, sed & potest ad virtutem pertinere prout in bonum finem ordinatur.

165 Certum pariter est secundò ignorantiam eorum, quæ unusquisque scire tenetur esse malam, quia non habere, quod quis haberè tenetur est malum, & sic ignorare, quæ quis tenetur scire, non est sine peccato, si sit voluntarium. Sic enim hæresis, vel infidelitas est peccatum, D.Th.2.2.q. 10.*art.*1. Et propterea 1.Cor.14. dicitur: *si quis ignorat ignorabitur*; quia ut exponunt D.Th. *ibid. lect.*7. & Bern. *serm.*85. in Cant. qui ignorat præcepta divina, quæ scire tenetur, ignorabitur & ipse, juxta illud Christi Matt.25. *Nescio vos*. Et ita in hunc sensum ignorantiam esse malam dixerunt Chrysost. hom.26. in Epist. ad Rom. S. Bern. *epist.*77. ad Hugonem, & alii Sancti communiter.

166 Certum quoque est tertiò ignorantiam non imputari ad peccatum, nisi ratione alicujus negligentiæ adiscendi ea, quæ quisque scire tenetur, ut tradiderunt S. August. *l.*3. *de lib. arb. cap.*18. *&* 19. *lib. de grat. & liber. arbitr. cap.*3. Joann. Chrysost. *hom. de laudibus* Pauli, & Theologi omnes supracitati, & docuit etiam Arist.3. *Ethic. cap.*9. & est ratione evidens, quia non est peccatum, nisi sit voluntarium, ideò ut dixit S. August. *d. cap.*19. *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quia negligis quærere quod ignoras.*

Cùm verò difficultas sit, an sola negligentia sciendi sit peccatum, sed etiam peccatum sit ipsa ignorantia secundùm se, habet hæc quæstio evidentem solutionem, si attendamus verba D. Thom. 1. 2. *quæst.*76. *art.*2. *ad tertium*, ibi: *Dicendum, quod sicut in peccato transgressionis peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solum actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria, & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa inconsideratio est peccatum.* Hinc enim D. Thom. distinguit inconsiderationem ab ignorantia, & expressè admittit, quod ipsa inconsideratio sit peccatum. 167

Quamvis verò hæc doctrina sit certissima, & prorsus evidens, mirum esse potest, quod aliqui etiam ex Discipulis D. Thom. contrarium senserint. Nam quantum ad ignorantiam propriè dictam, quæ est privatio scientiæ habitualis, quamvis dicant malitiam, quæ reperitur in hac habituali ignorantia totam esse ex negligentia, tamen etiam ignorantiam ipsam secundum se esse peccatum affirmant. Ita tenent Greg. Martinez 1.2.*quæst.*76.*art.*2.*dub.*3.*conclus.*2. & Alvarez *ibid. disp.*155. Serra *ad* 2. *conclus.*1. ubi tamen *in respons. ad* 4. negat hanc ignorantiam secundùm se esse peccatum, quia ait esse peccatum ratione negligentiæ. Sed ne sibi contradicat sensus esse debet, quod, si ly secundùm se sumatur reduplicativè, ignorantia non est secundùm se peccatum; est verò peccatum secundùm se, si ly secundùm se, sumatur specificativè, quia scilicet, ignorantia ipsa in se ipsa est formaliter peccatum. Hoc verò probant tum ex D.Th. 2.*sent. dist.*22.*q.*2. *art.*1.*ad tertium*. Tum quia hoc, quod est non habere scientiam debitam est peccatum. Tum quia homo tenetur scire habitualiter multa, ut tempore suo uti possit scientia acquisita. 168

Sed hæc nihil prorsus probant, unde certum est ignorantiam habitualem non esse formaliter peccatum, prout docent Cajet.2.2.*qu.*66.*art.*1. Conrad. Zumel.*disp.*1. Curiel. *dub.*1. Vasquez *disp.*518.*cap.*2. *&* 124.*in fine*. Innoc. Quintus 2. *d.*22. *qu.*2. *art.*2. Durand. *ibid. qu.*3. Silvest. *v. Ignorantia*, Martinez de Prado *cap.*2. *qu.*12. *num.*6. Suarez *disput.*4. *sect.*1.*num.*12. & alii communiter. Et ratio evidentissima est, quia peccatum formaliter, ut ex S. August. *l.*22. *cap.*27. contra Faustum probat D.Th.1.2.*q.*71.*art.*6. *& q.*76.*art.*2.*ad primum*, est dictum, vel factum contra legem; unde peccatum est actus carens recto ordine rationis, & honesti finis secundùm eumdem D.Th.1.2.*q.*21.*art.*1. Quamvis quia affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, & ideò & privatio actus habentis rectum ordinem ad finem sit peccatum, & sic peccatum, vel est actus à lege prohibitus, vel omissio actus à lege præcepti; cùm ergo ignorantia propriè non sit privatio actus, sed habitus, ideò non est peccatum. 169

Quod confirmatur, quia peccatum id est, quod est contra præceptum Dei, non est enim peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum, ut ex Ambros. *lib. de Paradiso* habet D.Th.2.2.*q.*79.*art.*2.*ad* 1. At verò præcepta non dantur de habitibus, seu de actu primò operandi, sed de actu secundò, ut tradit D. Th. 2.2. *quæst.*44. *art.*2. *ad primum*. Nec juvat dicere cum Gregor. Martin.1.2.*q.*76.*art.*2.*dub.*3. quod indirectè, & mediatè dantur præcepta de habitibus; nam v. g. Episcopi tenentur habere scientiam, juxta illud 1. *ad Tim.* Oportet Episcopum esse doctorem, & fidelem tenentur habere cognitionem habitualem rerum, quæ sunt fidei. Et quicumque tenetur operari, tenetur etiam in habitu scire necessaria ad operandum, ut possit exire in actu secundùm quotiescumque necessè fuerit; Et sic qui tenetur ad actum secundùm operandi, tenetur etiam ad habendum principium operationis, seu actum primum ad operandum, quia operari non potest sine actu primo, & principio operandi; ideò qui scientiam non habet, est in proximo peccandi periculo, quia est in proximo periculo nesciendi acto, quod sciri debent, tunc cùm urget necessitas actus secundi, peccat verò, qui manet in peccandi periculo. Hæc inquam non obstant, quia imò non habere id, quod præcipitur haberi, non per modum actus secundi, sed per modum finis, quomodo præcipitur, ut habeatur 170

tur

tur vita æterna, vel per modum medii ad finem, quomodo præcipiuntur haberi gratia, & alii habitus, qui sunt neceſſarii ad opera præcepta, non eſt peccatum, ſed peccati effectus, aut peccati materia, ſeu peccati pœna. Sic privatum eſſe vita æterna, ſeu viſione beata, ſupponit quidem peccatum in damnato, & eſt ejus effectus, & ſimul eſt pœna peccati, ſed non eſt peccatum, licet peccatum ſit illam non procuraſſe, ſed imò voluntariè amiſiſſe; ſic igitur peccatum eſt negligentia conſecutionis divinæ viſionis, ſed illam non habere eſt peccati effectus, & peccati pœna, unde in damnatis maxima pœna eſt eos privatos eſſe beatitudine divinæ viſionis, ut habet D.Th. 3.*cont.gent.cap.*141. Eodem modo licet homo teneatur habere gratiam habitualem; & habitus fidei, charitatis, &c. tamen privatio gratiæ non eſt peccatum. Et ex hoc magis probatur aſſertio poſita ex D. Th. 1. 2. *qu.*76. *art.*2. *ad ſecundum*, ibi: *Dicendum quod privatio gratiæ, & ſi ſecundum ſe non ſit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam poteſt habere rationem peccati, ſicut & ignorantia.* Verè enim ſic eſt, quod ſcientiam neceſſariam negligere eſt peccatum, & ideò peccatum eſt velle non habere ſcientiam, & ſic velle permanere in periculo peccandi negligendo ſcientiæ acquiſitionem, ſed ſcientiam non habere ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſed eſt effectus negligentiæ ſciendi, & eſt etiam materia peccati, & pœna quædam, quia eſt privatio perfectionis, quæ haberi poſſet, & deberet. Actualis verò inconſideratio quæ adeſt, tunc cùm homo poteſt, & tenetur actu ſcire, quia eſt omiſſio actus debiti eſt ſecundùm ſe peccatum.

171 Ad primum verò argumentum contrariæ ſententiæ deſumptum ex auctor. D.Thom.2.*d.*22. *q.*2.*art.*1. Reſpondent Vaſquez *part.*2. *diſp.*118. *cap.*2. & alii. D.Th. retractaſſe in ſumma id, quod loco citato docuerat. Imò idem Vaſquez *ibid.cap.*1. aſſerit, D.Th. *ibid.ad primum* dixiſſe, quod ignorantia, quæ eſt in intellectu ſit peccatum formaliter. Verùm nimis faciliter aſſeritur D.Th. retractaſſe dicta ſua, qui ubi id facere voluit, etiam expreſſit. Quod verò dicitur de ignorantia, quæ eſt in intellectu, ut ſit peccatum formaliter nullum habet fundamentum in textu D. Th. citato, qui ibi nihil prorſus habet de hac quæſtione, ſed ſolùm ait, quod non omne peccatum eſt in voluntate, ſicut in ſubjecto, licet ſit in ea, quatenus eſt in ejus poteſtate, an verò ignorantia quæ eſt in intellectu, quatenus eſt peccatum, nimirum omiſſio diligentiæ, in acquirendo ſcientiam, ſeu actualis inconſideratio, quæ ſecundùm ſe eſt peccatum, ſit peccatum formaliter, vel materialiter tantùm, alia eſt quæſtio, de qua videnda ſunt, quæ habet D.Th. 1.2.*q.*20. & tradunt ibi expoſitores.

172 Reſpondent igitur alii D. Th. non ſe retractaſſe *in ſent. loco citato*, quia ibi D.Th. vult ignorantiam eſſe peccatum, quia nimirum non ſit tantum effectus, aut cauſa peccati, ſed quia peccatum ſit in ipſa ignorantia. Quod non negat *part.*2. *locis citatis*, ſed ſolùm vult, quod in ignorantia non ſit peccatum, niſi habeat adjunctam negligentiam. Ita habet Serra 1.2.*q.*76.*art.*2.*dub.*1. *ad primum*, ſed hoc non eſt ad mentem D.Th.1.2.*q.*76.*art.*2.*&* 2.2.*q.*53. *art.*2. *ad ſecundum*, quia ibi apertè habet, quod ignorantia eſt peccatum ratione negligentiæ, & *d.q.*76.*art.*2. *ad tertium*, expreſsè de ſola negligentia ſciendi, & inconſideratione affirmat, quod ſit peccatum, & *& in reſponſ. ad ſecundum*, dicit, quod ſicut privatio gratiæ ſecundum ſe non eſt peccatum, ita nec ignorantia, niſi ratione negligentiæ. Propterea Alvarez *part.*2. *diſp.*151.*n.*14. aliter explicat D. Th. dicens enim *in ſentent. loco cit.* loqui de ignorantia, ut opponitur ſtudioſitati, non verò præciſè ut opponitur ſcientiæ.

173 Nihilominus quod D. Thom. non ſit ſibi contrarius, & non retractet ſententiam ſuam, quamvis melius, & formalius loquatur *in* 1. *&* 22. *locis citatis*, probatur *ex reſponſ. ad tertium ejuſdem art.*1. *diſt.*22. Cùm enim argumentum petiiſſe hanc difficultatem, quæ habetur ex eo, quod ignorantia eſt privatio habitus, peccatum verò in actu conſiſtit, reſpondet, & ait: *quod quamvis ſcientia, cui opponitur ignorantia, non ſit actus, qui eſt operatio, ſed habitus, tamen per operationem aliquam, quæ eſt in poteſtate voluntatis acquiritur; & ideo hoc ipſum, quod eſt ſcientiam habere voluntatis ſubjectum eſt, & per conſequens hoc, quod eſt ſcientia carere, & inde eſt, quod culpa rationem habet.* Conſtat autem ex his verbis, quod de mente D. Th. ignorantia ſicut non eſt in poteſtate voluntatis, niſi ratione operationis, per quam ſcientia acquiritur, ita ſcientiæ carentia, quæ eſt ignorantia, non eſt in voluntatis poteſtate, niſi ratione non acquiſitionis illius, quæ ut eſt in voluntate importat negationem voluntatis acquirendi ſcientiam, & in intellectu non acquiſitionem ſcientiæ; unde id, quod eſt peccatum eſt hujus voluntatis, & hujus acquiſitionis privatio, ignorantia verò eſt præfatæ voluntatis objectum, & præfatæ negligentiæ effectus, ſi ergo ſumatur ignorantia, ut præſcindit à negligentia non eſt peccatum. Et per hæc patet reſponſio ad alia præfatæ opinionis argumenta.

174 Quantum verò ad aliam partem, ſcilicet ad ignorantiam actualem, quæ eſt actualis inconſideratio ejus, quod quis tenetur conſiderare, ſive etiam actualis error contra id, quod quis tenetur ſcire, aliqui dixerunt, quod ignorantia hæc ſecundùm ſe non eſt peccatum, quod poteſt habere fundamentum in doctrina Cajet. 1.2.*q.*76. *art.*2. dicentis, quod ignorantia opponitur ſcientiæ, non verò opponitur virtuti morali; non eſt verò peccatum, niſi quod virtuti opponitur, Alvarez 1.2.*q.*76.*art.*2.*diſp.*151. exiſtimat, quod ignorantia, ut opponitur ſcientiæ non ſit peccatum, ſecus de ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur, quatenus cadit ſub negligentia oppoſita ſtudioſitati. Et hoc idem habet Greg. Martinez *ibid. dub.*1.

175 Dicendum tamen eſt, quod actu ignorare, vel non conſiderando, vel errando circa id, quod quis ſcire tenetur, & ſecundùm ſe eſt omiſſio, vel commiſſio oppoſita virtuti, & ſecundùm ſe eſt peccatum oppoſitum, vel ſtudioſitati, vel fidei, vel cuicumque virtuti, ex qua oritur obligatio conſiderandi, & veritatem cognoſcendi. Cùm ergo hic non ſit ſermo de ſcientia abſolutè, & de ignorantia, ut eſt nuda privatio ſcientiæ, ſed de ſcientia, ut ex virtute morali eſt neceſſaria, & de ignorantia, ut eſt privatio ſcientiæ neceſſariæ, vel error contra ſcientiam neceſſariam, abſolutè dicendum eſt hanc actualem ignorantiam ejus, quod quis ſcire tenetur eſſe ſecundùm ſe peccatum ex genere ſuo, quia eſt vel actualis omiſſio actus præcepti, vel actualis commiſſio contra legem. Et ita hanc partem cum D.Th. docent Med. 1.2.*q.*76.*art.*1. & ibi Monteſin. *n.*20. Card. de Lugo *de fide*, *diſp.*8.*n.*25.

176 An verò dici debeat, quod ignorantia invincibilis ſit ſecundùm ſe peccatum ex genere, affirmat Medina *loco citato ad tertium*, ſed negat Alvarez *diſp.*152. Hoc primò eſt certum, quod ignorantia invincibilis de facto non eſt peccatum, cùm non ſit culpabiliter voluntaria. D. Thomas 1.2.*q.*76.*art.*2. Silveſt. *verb. Ignorantia, num.*8. Armilla *num.* 5. Sed tamen quatenus eſt ignorantia ejus, quod ignorans ſcire tenetur, dicendum eſt eam eſſe peccatum ex genere, ſicut homicidium caſuale eſt ex genere peccatum, licet excuſetur ex ignorantia. Sic ignorantia ſi eſt omiſſio ſcientiæ debitæ eſt peccatum ex genere, de facto tamen non eſt peccatum, quia eſt invincibilis, vel eorum quæ quis ſcire non tenetur. Vincibilis verò ignorantia, quæ eſt ex negligentia ſciendi id, quod ignorans tenetur ſcire, ſemper eſt peccatum, Silveſt. *v. ignorantia*, *num.*5. Tabien. *in princ.* Armill. *num.*1. Medin. 1.2.*q.*76.*art.*2.*dub.*3. Alvar. *diſp.*151. *num.*4. Suarez *diſp.*1.*ſect.*1.*num.*11. qui *num.*17. benè contra Cordubam probat non dari ignorantiam invincibilem culpabilem. Sic etiam apud Medinam invincibilem ignorantiam eſſe, quæ non eſt peccatum, & vincibilem, quæ eſt peccatum dixerunt Gabriel 2.*d.*22.*q.*2.*art.*1. & Almain. *moral.tract.*1. *cap.*4.

177 Hinc ſequitur, quod peccatum ignorantiæ aliquando eſt in voluntate ſola, aliquando etiam in intellectu. Nam in ignorantia habituali peccatum conſiſtit in ſola negligentia, quæ quidem in voluntate eſt. Sed privatio ſcientiæ, quæ eſt in intellectu non eſt peccatum. Et tamen peccatum erit omiſſio actualis cujuſcumque operationis neceſſariæ ad ſcientiæ acquiſitionem. Et hoc modo etiam in intellectu peccatum erit actualis ſcientiæ non acquiſitio. Sed hoc jam ſpectat ad ignorantiam actualem, quæ quidem in ſe eſt peccatum, quando eſt omiſſio ſcientiæ, ſeu conſiderationis debitæ. Et tunc ignorantia importat peccatum, quod eſt in voluntate ratione negligentiæ, & in intellectu ratione omiſſionis actualis inconſiderationis, ut advertit Conrad. 1.2.*quaſt.* 76. *artic.*2. *ad tertium*. Sed diſtinguitur etiam negligentia, ut opponitur ſtudioſitati, & ſic eſt in voluntate, & ut opponitur prudentiæ, & importat omiſſionem ſollicitudinis in imperando, & ſic negligentia eſt in intellectu, Cajetan.

part.2. quæst.76. art.2. ubi Alvar. *d.151. num.10. & 11.* Serra *dub.2.*

178 Si quis verò interroget, quando nam obliget præceptum sciendi, seu acquirendi? Respondetur, quod cùm hoc sit præceptum affirmativum, obligat pro eo tempore, pro quo homo debet, & potest actu adiscere. Unde tunc solum homo peccat peccato negligentiæ adiscendi scientiam cùm præceptum adiscendi obligat, D.Thom. *part.2. quæst. 76. art.2. ad quintum*, & ibid. Conrad. Med. *ad quartum, dub.1.* Alvar. *disp.155. numer.4.* Serra *dub.3.* Silvest. *v. ignorantia, num.8.* Tabien. *num.1.* Sed hic distingui debet inter legem, per quam præcipitur sciri aliquid secundùm se, quomodo lex fidei obligat, ut habeatur notitia eorum mysteriorum, quorum est necessaria fides explicita, & inter legem, quæ præcipit scire per aliud, nimirum in ordine ad observantiam legis. Nam ubi scientia præcipitur secundùm se, si præcipitur ut habenda semper, & ab initio usus rationis præceptum sciendi obligat per modum præcepti negativi, ut nunquam sit homo sine scientia. Et ideò toties peccat, quoties potest adiscere, & id negligit, & benè advertit Alvarez *disp.155. num.4.* quod iste in confessione debet exprimere quot vicibus potuit adiscere, & neglexit: sed si scientia præcipitur, ut habenda determinato tempore, sufficit, quod homo adiscat pro eo tempore, pro quo possit esse doctus in tempore, in quo talis debet esse. Sed ubi scientia est necessaria in ordine ad observantia legis, per se sufficit, quod tempore observantiæ homo sciat. Per accidens verò tenetur adiscere ante, si non sit possibile, quod adiscat, tunc cum legis urget observantia. Debet enim se ponere in statu, in quo non sit periculum, ut ex ignorantia legem frangat. Et sic tunc toties peccat, quotiès est necesse adiscere, & id negligit.

179 Unusquisque autem tenetur scire mysteria fidei, quæ explicitè sunt credenda, leges universales communiter obligantes, & ulterius leges speciales pertinentes ad statum, & officium suum D. Th. *part.2. quæst.76. art.2. c. & quæst.3. de malo, art.7.* Martinèz de Prado *cap.2. quæst.12. num.13.* Med. *part.2. quæst.76. art.2. dist.1.* Montes. *num.53.* Quamvis non sit necesse scire omnia in actu, sed sufficit, quod homo scire possit, & sciat tempore, quo urget scientiæ necessitas; ideò dicitur unicuique sufficere, si sciat ea, quæ sciunt communiter viri suæ professionis, & circa alia sciat tempore opportuno dubitare, ut veritatem possit inquirere, & invenire. Casu verò quod quis fuerit negligens per pœnitentiam fit probabilis ignorantia, quæ prius erat improbabilis, & culpabilis, ut etiam supra dictum est.

S V M M A R I V M.

Quæst. primæ

ARTICULUS IX.

An ignorantia improbabilis, seu crassa sit speciale peccatum.

180 ITa enim esse dicendum videtur, eo quod speciale peccatum est, quod opponitur speciali virtuti; ignorantiæ verò crassa opponitur speciali virtuti, nimirum virtuti studiositatis, ut habet D. Th. *2.2.q.166.art.2.ad tertium*, & docet Cajet. *part.2. quæst.76. art.2.* Secundò, nam si quis v.g. ignoret, quod hodie sit jejunandum, & tamen adhuc jejunet, ignorantia illa est peccatum, quia est crassa, seu culpabilis, ut supponitur, & tamen non est in specie intemperantiæ contra præceptum jejunii, quia jejunii præceptum non fuit violatum, erit igitur in specie aliqua sibi propria. Tertiò, nam stat ignorantiam esse peccatum veniale, & peccatum commissum ex ignorantia esse mortale, ut patet in eo, qui furatur ex ignorantia venialiter culpabili; igitur peccatum ignorantiæ tunc est alterius speciei à peccato furti, aliter peccatum ignorantiæ esset mortale, sicut & mortale est peccatum furti.

181 Hanc verò sententiam Vasquez *part.2. quæst.76. disp.119. cap.1.* tribuit Cordubæ *l.2.qu.6.* & Cajet. *p. part. 2.quæst.76. art.2.* ex eo quod dicunt negligentiam sciendi opponi virtuti studiositatis. Et pro eadem sententia refertur etiam Victoria à Greg. Martinez *1.2. quæst.76.art.2. dub.2.* Vasquez autem *d. disp.119. cap.2.* distinguit inter ignorantiam practicam, & speculativam, & ait, quod ignorantia rerum agendarum, nec opponitur virtuti studiositatis, nec est speciale peccatum; aliter sequeretur, quod magis peccaret, qui peccat ex ignorantia, quàm qui peccat scienter, quia ille peccatet, & contra virtutem, contra quam agit, ut v. g. contra justitiam, si furatur, & ulterius contra virtutem studiositatis, quia ignoranter ageret. Ignorantia verò speculativa si sit pravæ dispositionis, nimirum error contra fidem est infidelitas, vel hæresis, sed si sit negligentia sciendi, est contra virtutem studiositatis. Instat verò contra hunc modum dicendi Montes. *1.2.quæst.76. art. 2. num.26.* quia ignorantia Decalogi est practica, & tamen qui Decalogum negat est hæreticus. Sed respondet Vasquez, quod scientia Decalogi, ut est ex fide, est speculativa ex modo, & respicit Decalogum, ut est à Deo revelatum per se primo, & sub eadem ratione sub qua credenda est etiam Trinitas.

182 Alio modo distinguunt Sanchez *l.1.moral.c.17.n.11.* Serra *1.2.quæst.76.art.2.dub.3.* Greg.Martinez *ibid. dub.2. not.1.* Montesio *ibid.n.25.* inter scientiam, quæ per se præcipitur, & scientiam, quæ præcipitur in ordine ad aliud, & dicunt ignorantiam, quæ est privatio scientiæ, quæ per se præcipitur, esse speciale peccatum, sed ignorantiam, quæ est privatio scientiæ, quæ præcipitur per aliud, non esse speciale peccatum, sed generale, Greg. Martinez *part.2.qu.76.art. 2.d. 2.* distinguit alio modo, & ait, quod negligentia sciendi, vel est ex contemptu scientiæ, seu ex intentione non sciendi, & tunc est peccatum speciale oppositum virtuti studiositatis, sed si quis simpliciter ignorat non ex intentione ignorantiæ, tunc ignorantia non est speciale peccatum, quia nec studiositas est virtus specialis in hoc sensu, sed est virtus generalis, sicut inobedientia. D.Anton.verò *1.part.tit.20.* dixit ignorantiam affectatam esse speciale peccatum.

Dicendum mihi videtur, quod ignorantia seu negligentia sciendi, aut considerandi sic absolutè non est speciale peccatum, quia non ex unius solius virtutis præcepto, sed plurium potest esse, & est prohibita. Unde additur, quod in singulari ignorantia, seu negligentia sciendi, aut considerandi est in specie peccati oppositi virtuti illi, ex qua homo tenetur scire, aut considerare. Primum horum scilicet, quod ignorantia absolutè non sit speciale peccatum, videtur habere difficultatem, quia studiositas est virtus specialis contra quam est negligentia sciendi, & considerandi.

183 Sed sciendum est ex D. Thom. *2.2. q.166. art.2.* & Cajet. *ibid.* quod cùm materia propria virtutis studiositatis sit uti potentiis cognoscitivis ad cognoscendum, seu studium veritatis cognoscendæ tunc, & quando opus est, & quantum opus est, duplex est studiositatis actus. Primus est refrænare appe-

appetitum ne immoderatè feratur, vel ad ſtudium illius veritatis, cujus cognitio non poteſt à nobis obtineri, ut refrænare ſtudium, & voluntatem, ne quis prætendat evidenter agnoſcere res fidei, vel ne immoderatè feratur ad ea, quæ non licet ſcire, vel conſiderare, nimirum ſtudium ſcientiarum prohibitarum, ut v. g. magiæ, aſtrologiæ judiciariæ, ſeu rerum turpium, & quæ ſint fomentum pravorum deſideriorum. Secundus actus è contra eſt non refrænare, ſed inclinare, & urgere appetitum, ne ob labores, qui in ſtudio veritatis inveniuntur, detineatur à veritatis indagandæ ſtudio. Ex his duobus actibus verò, ut docet D. Th. *d. q.*166. *art.*2. *ad tertium*, primus eſt magis principalis, & magis eſſentialis, quia appetitus ſciendi per ſe reſpicit cognitionem, ad quam ordinatur ſtudioſitas, ideò hæc virtus principalius reſpicit hoc, quod eſt moderari vehementiam appetitus in ſciendo, quàm removere extrinſeca impedimenta, quæ à ſtudio veritatis detinent. Quantum verò ad primum actum ſtudioſitati opponitur curioſitas ſciendi, ſed quantum ad ſecundum eidem opponitur negligentia, per quam voluntas negligit uti potentiis cognoſcitivis ad cognoſcendam veritatem.

185 Verùm advertendum eſt ſecundò, quod cognitio veritatis poteſt conſiderari, vel ut eſt bonum creaturæ intellectualis, & ejus maxima perfectio, ad quam eadem natura inclinatur, vel ut eſt medium particulare ordinatum ad hunc, vel illum finem, ſeu ex ſpeciali aliqua virtute ad proprium finem conſequendum aſſumptum. Virtus ſtudioſitatis non reſpicit cognitionem veritatis, ut eſt medium ad particularem finem ordinatum, ſed ut ſcire eſt bonum naturæ intellectivæ abſolutè, ad quod natura eadem inclinatur. Nam ut habet D. Th. 2. 2. *q.*166. *art.*4. ſtudioſitas reſpicit cognitionem ſecundùm quod natura in illam inclinatur; unde & eſt pars potentialis temperantiæ, cujus eſt moderari appetitum ne ſuperfluè tendat in id, ad quod inclinatur natura. Sic ergo ſtudioſitas, quæ moderatur inclinationem naturalem cognoſcendi reſpicit cognitionem veritatis illiuſque ſtudium, ut eſt quoddam bonum, & perfectio naturæ, & refrænando animum, ne ſit curioſus, & urgendo illum ne ſit negligens, & torpeat ignavia, & otio vincatur, aut affectione ad aliquid ſtudium adiſcendæ veritatis impediens, ponit medium virtutis inter curioſitatem, & negligentiam.

186 Sed tertiò conſiderandum eſt, quod cùm ſtudioſitas reſpiciat de formali cognitionem in ordine ad voluntatem, nimirum ut eſt bonum, & perfectio intellectualis naturæ, ideòque materia illius proxima ſit ſtudium veritatis habendæ diſtingui debet in ſtudioſitatem formaliter, & materialiter ſumptam, ſicuti diſtinguitur obedientia ſecundùm D. Thom. 2. 2. *q.*104. *art.*2. *ad primum*, & debet dici; quod ſit virtus ſpecialis, & generalis. Eſt quidem virtus ſpecialis, prout reſpicit formaliter cognitionem veritatis, & perfectionem, quam fert naturæ intellectuali; ſit verò virtus generalis, prout reſpicit cognitionem hujus, vel illius veritatis, ſeu etiam hanc, vel illam cognitionem. Probatur hoc: nam virtus quælibet formaliter reſpicit proprium objectum, & per reſpectum ad illud ſpecificatur; igitur ſtudioſitas formaliter dicitur talis, & hæc ſpecifica virtus ab aliis diſtincta, in quantum reſpicit veritatis cognitionem abſolutè, quæ eſt ejus proprium, & formale objectum, ſed ex hoc etiam materialiter ſumpta eſt virtus generalis, quando enim virtus reſpicit objectum communiſſimum, & ſub communiſſima ratione comprehendente ſub ſe plura, ac plura habentia plures, & diverſas cauſas ex quibus habeant honeſtatem, & quæ poſſunt ſpectare ad diverſas virtutes ex quarum ratione habeant neceſſitatem omnia illa particularia ad illam virtutem materialiter ſe habent, & ſic illa virtus habet rationem univerſalis, & generalis reſpectu illorum, ſicut obedientia omnia præcepta in ſingulari materialiter reſpicit, & in ordine ad illa eſt virtus generalis, & inobedientia illorum generale vitium eſt, quod non habet ſpecialem malitiam diſtinctam à malitia propria ex contrarietate ad particulares alias virtutes deſumpta. Sic igitur ſtudioſitas reſpicit tanquam objectum formale cognitionem veri abſolutè, & imponit homini neceſſitatem, ut ſtudeat moderatè veritati, ſed reſpectu cognitionis hujus, vel illius veri ſe habet, ut virtus generalis, & hujuſmodi cognitiones ad ſtudioſitatem materialiter ſe habent, unde negligentia acquirendæ veritatis reſpectu hujus, vel alterius cognitionis eſt vitium generale non addens ſpecialem malitiam ad illam, quam negligentia habet ex oppoſitione ad hoc, vel illud præceptum, vel ad hanc, aut illam virtutem.

187 Ex his dicitur primò, quod ignorantia vincibilis, ſeu craſſa formaliter ratione negligentiæ cognoſcendi veritatem abſolutè eſt peccatum ſpeciale, ſed non eſt tale, niſi quando ex contemptu cognitionis veritatis homo negligit illi ſtudere, ſicut neque inobedientia eſt peccatum ſpeciale, niſi ut importat contemptum præcepti, ut quia inobediens nedum materialiter non obedit, ſed formaliter, quia ratio non obediendi eſt, quia non vult abſolutè obedire. Et hoc probabile eſſe dixit Gregor. Mart. *part.*2. *q.*76. *art.*2. *concl.*1. Ubi in reſponſione ad primum habet, quod ſtudioſitas in exercitio ſe habet, ut modus aliarum virtutum. Idem quoque ſentit Serra *ibid. dub.*3.

188 Dicitur ſecundò, quod ignorantia, ſeu negligentia ſciendi materialiter ſumpta, & communiter non eſt vitium ſpeciale, ſed generale inventum in omni ignorante, quod non habet ſpecialem malitiam ex oppoſitione ad ſtudioſitatem, ſed ex oppoſitione ad illam virtutem ejuſque præceptum ex quo hic, & nunc homo tenetur vel ſcire, vel conſiderare. Et ſic ignorantia, ſeu negligentia ſciendi, aut conſiderandi res fidei, tunc cùm fidei præceptum obligat, habet malitiam commiſſionis, vel omiſſionis contra fidei præceptum. Sic in judice, qui ex juſtitia tenetur juſtam judicare; ignorantia juris tunc cum ex juſtitia tenetur ſcire jus, ut contra illud non decernat in præjudicium tertii, habet malitiam injuſtitiæ, & ſic de aliis, quia ut habet etiam Monteſin. *part.*2. *qu.*76. *art.*2. *n.*24. ignorantia operabilium non eſt ſpeciale peccatum, ſed eſt illius ſpeciei, ex cujus præcepto ignorans ſcire debet, quid ſibi ſit operandum. Quod & eſt verum de ignorantia juris, quidquid in contrarium dixerit Valentia apud Monteſin. *ibid.*

189 Quamobrem non eſt hic opus diſtinguere inter cognitionem ſpeculativam, vel practicam. Eſt enim eadem prorſus ratio de utraque, ex virtute enim ſtudioſitatis nullam cognitionem poteſt homo contemnere. Sed ſtudioſitas ex ſe, & per ſe reſpectu ſcientiæ hujus, vel illius objecti nullam ſpecialem obligationem inducit; ſed hæc ex aliqua alia virtute procedit, ſive hæc virtus ſit fides, quæ etiam ad ſpeculativam cognitionem exiſtentiæ, Unitatis, & Trinitatis Dei obligat, ſive ſit Religio, quæ ad cognoſcendos ſacros ritus obligat, ſive ſit juſtitia, quæ neceſſitat ad ſciendum ea, quæ ſciri debent, ne alicui fiat injuria; ſive ſit charitas, quæ obligat ad ſciendum quidquid ſcire opus eſt, ut diligatur Deus ſuper omnia, & proximus propter Deum. Et eadem ratione non eſt opus diſtinguere inter ſcientiam, quæ ſit præcepta ſecundùm ſe, & propter opus, quia ignorantia, quæ eſt ſcientiæ privatio, ubi ignorans non ignoret ex contemptu, nunquam eſt mala malitia ſpeciali, niſi illius peccati, quod opponitur illi virtuti particulari, ex qua eſt neceſſitas ſciendi.

190 Et hic advertendum, quod non benè dixerunt Vaſquez *part.*2. *diſput.*119. *cap.*2. & Monteſin. *part.*2. *queſt.*76. *art.*2. *num.*29. quod omiſſio ſcientiæ rerum fidei ſit peccatum contra ſtudioſitatem; Nam cùm ex virtute fidei teneatur homo ſcire, quæ fidei ſunt, omiſſio hujus ſcientiæ eſt contra fidei præceptum, & ad infidelitatem reducitur generaliter ſumptam. Sicuti, & contra fidei præceptum eſt diſplicentia credendi, ut advertit idem Monteſin. *num.*30. Hinc deducitur, quod non benè Vaſquez *part.*2. *diſp.*119. *c.* dixit errorem contra Decalogum eſſe contra piam affectionem credendi, non verò contra fidem. Quod impugnat Monteſin. *part.*2. *queſt.*76. *art.*2. *num.*29. quia cùm ex fide teneatur homo credere, quæ in ſcriptura continentur, ideò error contra Decalogum eſt contra fidem. Sed veritas eſt, quod error contra aliquod præceptum Decalogi eſt in duplici ſpecie peccati; nam quatenus eſt diſſenſus ab eo, quod Deus docuit, & Eccleſia ut Dei doctrinam credendam propoſuit, eſt peccatum contra fidem, ſicuti tale peccatum eſt non credere alia, quæ Eccleſia ut credenda proponit. Sed cum ex hujuſmodi errore quis contra præceptum Decalogi operatur, ut quia v. g. eſt homicida, error iſte eſt etiam in ſpecie homicidii.

191 Unde etiam ſequitur, quod contemptu præciſo, qui ignoranter aliquam legem non obſervat, non peccat duplex peccatum, unum contra legem, quam contemnit, & aliud contra virtutem ſtudioſitatis, quia neſcit, quod ſcire tene-

tenetur; quia studiositas est virtus generalis respectu hujus, vel illius scieotiæ, & in en, qui ignoranter peccat, ignorantia oon habet malitiam, nisi illius speciei, in qua est peccatum commissum ex ignorantia contra legem; quia & ex solo præcepto legis obligante tunc ad hoc, vel illud agendum, est tunc necessaria scientia, Montesin. *part.2. q.6.art.8.n.178.& q.73.art.2.disp.5.n.132.*

192 Colligitur tertiò, quod sicut in aliis peccatis missionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat, ita est etiam de peccato ignorantiæ. Non eoim continuò ignorans peccat, sed solùm quando est tempus acquirendi scientiam, qoam habere tenetur D. Thom. *part.2. quæst.76. art.2. ad quintum*, & alii DD. communiter. Hic verò distingui debet tempus acquirendi scientiam, à tempore utendi illa. Tunc enim ignorans peccat ex non usu scientiæ, cum ex ignorantia peccat, vel cum actu non exit in actum sciendi, si scientia ipsa secundùm se sit præcepta. Sed quia qui non habet scientiam acquisitam, ea uti non potest, & potest contingere, quod tempore, quo est necessitas utendi scientia non possit tunc ignorans illam acquirere, ideò ad vitandum proximum periculnm peccandi ex non nsu scientiæ, tunc cùm est necesse, opus est, quod ignorans præveniat, & adiscat, ideò per prius necesse est, ut ignorans scientiam acquirat, ut tempore necessariò ea uti possit. Et sic ignorans tunc actu peccat non acquirendo scientiam, quando præceptum affirmativum illam acquirendi obligat.

193 Ad hoc autem ut ignorans peccet non acquirendo scientiam tres conditiones requiruntur. Prima est, quod advertat se ignorare, & teneri acquirere scientiam; si enim ad id non advertat non potest se movere ad scientiæ acquisitionem. Ita Suarez *de fide, disput.15. sect.1. num.6.* Verum considerari debet, ne hæc inadvertentia sit vincibilis, & voluntaria, & culpabilis, quia tunc non excusaret, si qualitercumque prius ille fuisset excitatus ad advertendum, & non advertisset. Secunda conditio est, ut tunc cùm ignorans advertit se ignorare pro illo tunc obliget præceptum acquirendi scientiam. Nam præceptum affirmativum non obligat pro semper, & non est peccatum, si non observatur tunc cum non obligat. Sic igitur ignorans, si dum advertit se ignorare, præceptum adiscendi non obligat, non peccat, si tunc non adiscit. Ita Suarez *ubi supra*, si tamen periculum esset, ne deficeret tempus, in quo ignorans adiscere posset, teneretur prævenire, & tunc præceptum adiscendi obligaret. Et pariter si probabile periculum esset, ut ignorans suæ obligationi in futurum non adverteret, tunc cùm præceptum adiscendi est obligaturum debet periculum tollere, & vel tunc adiscere, vel oblivioni imminenti occurrere per aliquod ex quo tempore debito excitetur, ut advertat. Tertia conditio est, ut ignorans qui se ignorare advertit, & tunc obligat præceptum adiscendi, possit tuuc adiscere, & babeat, vel doctorem, qui eum doceat, vel librum in quo discat, vel aliud medium, per quod scientiam acquirat. Si ergo his tribus concurrentibus ignorans negligat adiscere peccat. Et toties peccat, quoties sic adiscere omittit, & sic numero peccata multiplicat, si inter unum, & aliud peccatum moralis interruptio intercesset it, sicut dicere solent Theologi de peccato non restituendi, seu retinendi alienum, Suarez *ubi supra*, Alvarez *part.2.q.76.art.2.disp.155.n.4.*

194 Colligitur quartò, quod etiam si contingat ignorantem culpabiliter legem ipsam non violare, sed observate, ut ignorantem culpabiliter diem jejunii adhuc jejunare, nihilominus peccatum ignotantiæ debere confiteri, quia licet jejunaverit, scientiam tamen obligationis jejunii neglexerit, tunc cum illam acqnirere debuit, & ex hoc incurrit periculum vinlandi ex inadvertentia jejunium. Et sic licet scientia legis sit necessaria, ne ex scientiæ defectu lex violetnr, nihilominus etiam si contingat legem observari, ipsa tamen ignorantia volnntaria legis, seu negligentia illam adiscendi est peccatum, quod in præfato casu est in confessione explicandum, Alvarez *d. disp.555. num.4.* & ex Azor. *part.1. lib.1. cap.12. quæst.5.* Zumel. *part.2. quæst.76. art.2. disput.2. post 3. dictum in solut. ad secundum*, Sanchez *l.1. moral. cap.17. num.11.* Et tunc ignorans tenetur numerum oegligentiarum exprimere, ut sciat Confessor quoties ipse potuit, & debnit scientiam acquirere, & neglexit. Et per hoc patet responsio ad secundum argumentum ex positis in principio.

Colligitur quintò contingere posse, ut ignorantia in 195
aliquo sit plnra peccata diversarum specierum, licet enim peccatum ignorantiæ non multipliciter ex multitudine rerum ignoratarum præcisè, unde non est alterius speciei ignorantia illius, qui unum solnm ignorat ex illis. Nam malitia igoorantiæ est ex oppositione ad virtutem, ex qua est necessitas scieotiæ, unde quando res ignoranrur, quarum scientia ex unius tantùm virtutis præcepto est necessaria unius speciei peccatum est, quia uni tantum præcepto ignorantia opponitur. Et sic ignorare mysteria fidei unius speciei peccatum est, sive unum, sive plura mysteria sint ignorata, tamen ubi res ignoratæ spectant ad diversas virtutes, & sic ignorans tenetur scire ex præcepto diversarum virtutum, si scire negligat tot peccata specie distincta committit, quot sunt præcepta virtutum diversarum, ex quibus scire tenetur, Suarez *ubi suprà num.7.* Unde est, quod si ex eadem ignorantia imminet periculum homicidii & furti, & adulterii, illa est in specie homicidii & furti, & adulterii. Ideò qui ignorans prævidet ex ignorantia sua esse in periculo peccandi vagè, committere illius speciei peccatum quod committeret, si scienter haberet actum voluntatis, per quem vellet peccare vagè nullum peccatum determinando. Et si prçvideret periculum duorum, vel trium, vel plurium peccatorum copulatim, vel disjunctim, peccaret peccato illius speciei, ac si expresse vellet periculum committendi illa peccata, vel copulatim, vel divisim, Sanchez *l.1. moral. cap.17. n.16.*

Colligitur sextò, qualiter ignorantia in materia fidei sit 196
peccatum contra fidem, & tamen non sit infidelitas, neq; propriè pars infidelitatis. Ratio hujus est, quia ignorantia mysteriorum fidei, si sit privativa, non est dissensus, per quem intelligens fidei repugnet, sed simplex negatio cognitionis eorum, quæ fides docet, quæ non tollit piam affectionem àd credendum, & stat cum fide. Quod si hæc ignorantia sit positivus error, adhuc directè, & immediatè non opponitur fidei, & divinæ revelationi, sed opponitur alicui præambulo ad fidem, scilicet huic oppositioni Deus hoc revelavit, seu hoc est de numero eorum, quæ Ecclesia ut revelata à Deo proposuit; hujusmodi verò propositio non innotescit nobis primo ex divina revelatione, sed per sensum, & humanam rationem. Et sub hac ratione, non verò ut eam credimus, etiam ex revelatione divina dum credimus fidei mysteria, opponitur illi propositioni ignorantia fidei, & ideò talis error stat cum fide, quæ est assensus, vel dissensus. Infidelitas est assensus iis, quæ fidei sunt contraria, vel dissensus ab illis, quæ sunt fidei. Et hic assensus, aut dissensus piam affectionem credendi aufert, & ex directo destruit fidem, neque cum fide stare potest. Sed ignorantia vel non est assensus, vel dissensus, vel etiam omisso assensus veritatis fidei, sed est nescientia quod quid est, seu nescientia ejus, quod fides docet, nimirum nescire, qnod fides hoc vel illud doceat, vel jubeat, seu nescire quod fides exigat, & ideò ignorantia fidei stat cum fide, neque tollit piam voluntatem credendi; Nam & benè stat, qnod qui culpabiliter fidem ignorat sit paratus credere. Neque enim asserere, quod fides hoc, vel illud doceat, vel non doceat, est non credere, quod fides docet, vel non credere, etiamsi fides doceat, sed solùm est errare, an fides jubeat hoc, vel illud esse credendum. Et ideò hæc ignorantia non est infidelitas, Suar. *ubi sup. n.18.* Vasq. *part.2. disp.119. n.7.* Hæc tamen ignorantia ad infidelitatem reducitur.

Colligitur septimò, licet Greg. Martinez *part.2. q.76. art.* 197
2. dub.2. ad tertium, admittat posse contingere, quod negligentia sciendi sit peccatum veniale, & actus contra legem ex ignorantia factus sit mortale, tamen hoc admitti non potest, ut infrà ex professo probatur. Ex his verò manent soluta argumenta in principio articuli posita.

S V M M A R I V M.

198 *Non posse dari ignorantiam invincibilem legis naturæ quidam asserunt.*

199 *Diversorum opiniones.*

200 *Datur inconsideratio, & privativa ignorantia aliquorum præceptorum naturæ ad tempus.*

201 *Difficile quod error contra naturalia præcepta sit probabilis.*

202 *Nul-*

202 *Nullus error contra legem naturæ propriè est invincibilis.*
203 *Datur error probabilis circa aliquod præceptum naturale.*
204 *An dari possit ignorantia probabilis Decalogi variè fuit opinatum.*
205 *Quid de aliis præceptis.*
206 *Triplex status doctrinæ humanæ.*
206 *In impuberibus dari potest ignorantia probabilis aliquorum præceptorum Decalogi.*
207 *Non potest in illis dari ignorantia præcepti de honorandis parentibus.*
208 *Quid de præcepto colendi Deum.*
209 *Quid de aliis præceptis.*
210 *Multa legis naturæ principia limitantur in casibus particularibus.*
211 *Impossibile est, quod præceptorum Decalogi secundùm se detur ignorantia probabilis.*
212 *Nequit dari error probabilis contra præcepta Decalogi secundùm se.*
213 *Multitudo opinantium non sufficit ad excludendum errorem crassum.*
214 *Nec pro aliquo tempore potest in aliquo pubere dari error probabilis contra præcepta Decalogi.*
215 *Ignorantia non excusat ab idololatria.*
216 *Nec præcepti de honorandis parentibus, nec aliorum Decalogi dari potest error probabilis.*
217 *Præceptorum Decalogi dari potest error probabilis, si considerentur sub aliquibus circumstantiis, & in particularibus casibus.*
217 *Multa hujus assertionis exempla.* 218.
219 *Non omnia hæc exempla approbantur.*
220 *Circa alia præcepta naturæ dari potest probabilis error.*
221 *Primorum principiorum nec ignorantia, nec inconsideratio datur.*
222 *Dari potest ignorantia juris naturalis ex ignorantia facti.*
223 *Insufficienter excitatio ad plenam cognitionem objecti non datur ignorantia juris invincibilis.*
224 *Ignorat crassè qui nescit si potest, & debet.*
225 *An in casu dubitantis, an præceptum naturale obliget dari possit ignorantia privativa invincibilis.*

Quæst. primæ

ARTICULUS X.

Utrùm legis naturalis possit dari ignorantia invincibilis.

198 CUm hucusque probatum sit, & quotuplex sit ignorantia, & qualiter ignorantia voluntaria sit peccatum, consequenter inquirendum est, quorum possit esse ignorantia. Et cùm manifestum sit legum posse esse ignorantiam ex libera voluntate hominis, vel ignorantiam affectantis, vel scire negligentis, videndum est, an legum possit esse ignorantia invincibilis, & involuntaria. Et quia lex naturalis generatione prior est, quæritur primò, an possit dari legis naturalis involuntaria, & invincibilis ignorantia. Dari enim non posse tenuerunt Gratianus *post cap. Turbatur* 1.q.4. Alex. 2.*part. qu.*153.*num.*3. Castro *l.*2.*de leg. pœnal.cap.*14. Gerson *Alphab.*61.*lit.K*, Durand. 3.*dist.*25.*qu.* 1.*ad primum*, Henric.*quodl.* 4.*quæst.*33. Adrian.*quodl.*1.*art.*3. *& quodl.* 4.*art.*1. Victoria *Relect. de homic. numer.*35. Et probari potest hæc sententia ex illo ad Rom.2. *Ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Ostendunt enim opus legis scriptum in cordibus suis.* Cùm igitur lex naturæ sit scripta in corde, non potest dici ignorari ab aliquo invincibiliter, sed solùm ex crassa ignorantia. Unde propter hoc *Rom.* 1. de Infidelibus dictum fuit, *obscuratum est insipiens cor eorum.* Idem quoque probatur auctor, Arist. *lib.*3.*Ethic. cap.*1.

199 Sed alii in hac parte distingunt inter præcepta universalissima juris communis, quæ sunt per se omnibus nota, & de quibus D.Thom. 1.2. *quæst.*94. *art.*6. dixit, quod non possunt deleri à cordibus hominis in universali, & inter præcepta alia secundaria, quæ non sunt per se omnibus nota, sed sunt veluti conclusiones deductæ ex illis primis principiis; & hæc etiam sunt in duplici differentia, quia quædam sunt, quæ per necessariam consequentiam de facili deducuntur ex primis illis principiis per se notis omnibus; alia autem sunt, quæ non sine difficultate, ex eisdem per se notis deducuntur, quia in illis notam clarè relucent, nec immediatè, & proximè, sed mediatè, & remotè ab illis deducuntur. Dicunt igitur dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis quantum ad illa præcepta, quæ nedum non sunt per se nota omnibus, sed non nisi cum difficultate, & medio longiori discursu ex principiis universalissimis juris naturalis deducuntur, de quibus etiam D.Th. *d.art.*6. dixit, quod deleri possunt de hominum memoria. Ita Silvest. *v.lex, quæst.*3.*d.*4. Sotus 4.*d.*33.*qu.*1.*art.*2. Medina *part.*2.*q.*76.*art.*1.*dub.*4.*concl.*1.*& ibid.* Alvarez *disp.*153.*n.*10. Gregor. Martinez *dub.*5. Serra *dub.*2. Zumel. *disp.*4. Curiel. *dub.*3. Vasquez *disp.*122. Valent. *disp.*6.*q.*6.*part.*1. Salas *tract.* 13.*disp.*3.*sect.*4. Lorca *disp.*30. *mem.*2. Martinez de Prado *cap.*2.*qu.*12.*§.*5.*num.*16. Sayrus *in Clavi regia, lib.*2.*c.*9.*n.*17. Sanchez *lib.*1.*moral.cap.*16.*num.*33. Corduba *l.*2.*q.*4. Montesin.*part.*2.*qu.*76.*num.*46. qui addit, quod horum potest esse inconsideratio.

Mihi in hac parte distinguendum primo videtur inter 200 ignorantiam, & inconsiderationem, & inter ignorantiam privativam, & pravæ dispositionis, quæ est error. Nam aliquando inconsideratio invincibilis alicujus spectantis ad præcepta naturalia contingere potest, quia etiam eorum quorum scientiam habemus, naturaliter obliviscimur, nullo excitante memoriam, ut probatum est suprà *art.*4. Ubi etiam non adest Doctor, qui legem naturalem doceat statim, & explicet, ignorantia privativa aliquorum præceptorum naturæ habetur necessariò, & invincibiliter, per aliquod tempus. Nam quod non nisi per discursum, & investigationem, & ex plurium singularium experientia cognoscitur tale est, quod in tempore antequam discursus compleatur necessariò ignoratur. Multa verò sunt naturalia præcepta, quorum cognitio non habetur nisi per discursum, & per tempus etiam longum, nisi eorum cognitio habeatur per doctorem; hujusmodi ergo per aliquod tempus necessariò ignorantur. Demus exemplum de existentia Dei, & sic de ejus cultu. Deum enim esse non est nobis per se notum, ut cùm D.Th. 1.*part. qu.*2.*art.*1. tradunt Theologi, & ideò ubi ejus notitia statim non habeatur per fidem, obtinenda est per discursum, & demonstrationem, ut habet idem D.Th. *ibid.art.*6. Hoc verò non parvum tempus requirit. Hujusmodi enim cognitio per effectus acquiritur, ut explicat D.Th. *ibid. art.*2. Et significavit Apost. *ad Rom.*1. dicens: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Necesse igitur est, ut prius intellecta sint, quæ facta sunt, nimirum quod prius natura rerum, & naturæ cursus cognoscatur, quod sine experimento temporis non perficitur. Et ideò ob hanc etiam causa necessariam esse revelationem Dei, & magisterium fidei, ad tollendam necessitatem hujus temporalis ignorantiæ præceptorum aliquorum naturalium, docuit D. Thom. 1.*part.q.*2.*c.& ad primum*, sic dicens: *Ad ea etiam quæ de Deo ratione naturali investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata, à paucis, & per longum tempus, & cùm admixtione multorum errorum ad homines perveniret.* Et licet ad hoc juvare potest piorum parentum instructio, tamen qui in sylvis nutritus non habet instructorem, vel qui habet parentes imbutos errore circa Deum, & aliquod aliud præceptum naturale, & solum per rationem naturalem debeat errores vitare, quia nullum habet fidei, vel veritatis naturalis fidelem magistrum, non nisi per tempus potest falsitatem paternæ instructionis cognoscere, & veritatem scire. Potest igitur ad tempus aliquod dari invincibilis ignorantia alicujus præcepti naturalis.

Loquendo autem de ignorantia pravæ dispositionis, 201 quæ est error, hoc primo præsupponi debet, quod errans jam est excitatus ad cognoscendam veritatem, ex parte objecti, quia habet saltem conceptum quid nominis illius. Qui enim negat Deum, scit quid significetur nomine Dei, unde si vult uti scientia universali ad excludendum errorem, id potest facere, & ex universali scientia principiorum legis habet majorem recti syllogismi practici, & ex notitia objecti, unde sub majoris subsumat minorem, & sic contra errorem concludat. Verumtamen potest contin-

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

tingere, quod talis non sit plenè excitatus ad cognitionem alicujus circumstantiæ consistentis in facto, & sic quod possit ignorare invincibiliter illam circumstantiam, aut qualitatem. Et secundò præsupponendum est, quod ad hoc, ut error sit probabilis non sufficit, quod non habeatur demonstratio veritatis, sed requiritur, quod habeatur medium probabile, quod possit determinari prudenter ad assensum ejus, quod in re est contrarium veritati, licet non appareat. Nam si intellectus non habet motivum sufficiens ad determinandum intellectum ad id, quod in re est veritati oppositum, esto simul non habeat medium inducens ad assensum veritatis, intellectus debebit manere suspensus, & dubius, non verò poterit rationabiliter, & sine peccato adhærere errori. Quamvis igitur possit contingere, quod aliquis non habeat rationem demonstrativam alicujus præcepti naturalis, valdè tamen difficile est, quod quis habeat motivum verè probabile, per quod probetur oppositum illius præcepti, & ideò valdè difficile est, quod detur error contra legem naturæ, qui sit probabilis, minus verò difficile erit, quod aliquod præceptum naturæ remaneat dubium, vel quia intellectui non occurrat ratio, quæ illum determinet ad unam partem, vel quia etiam ex utraque parte sit apparentia, & probabilitas.

202 His sic præmissis dicitur, quod propriè, & rigorosè loquendo non datur error contra legem naturæ, qui sit invincibilis. Probatur: quia nullum naturale est impossibile supposito divinæ Providentiæ auxilio, quod nulli deest; scientia verò tam speculativa, quàm practica de objecto naturali, est naturalis homini, nulli igitur est impossibilis, & sic neque ignorantia est invincibilis. Tum secundò, quia quilibet syllogismi practici habet majorem naturaliter notam, quia pro majori serviunt præcepta legis naturæ universalia, omnibus quidem notissima, & quæ de corde hominum non possunt aboleri, ut docet D. Th. *part. 2. qu.94. art.6.* *Signatum enim est super nos lumen vultus Dei*, ut nunquam deficiat. Minorem verò syllogismi hujus subministrant objecta ipsa naturalia sensibus pervia, unde intellectus semper habet parata principia ex quibus si velit, possit naturalia legis præcepta cognoscere, & circa illa non errare. Nec obstat si dicatur, quod saltem moraliter impossibile est, quod quis sine errore omnem veritatem naturalem cognoscat, ut constat ex citatis verbis D. Th. *1. part. qu.1. art.1. c.* quia hæc est impossibilitas quædam generalis, & vaga, similis illi per quam dicitur impossibile esse, seu necesse esse, ut veniat scandala. Matt.18. Sicut igitur hac necessitate scandalorum stante quilibet potest vitare peccata, & scandala Deo adjuvante, ita stante illa vaga impossibilitate acquirendi sine errore scientiam præceptorum naturalium sine revelatione, & doctrina fidei, quilibet per naturalia principia, Deo adjuvante, potest sine errore naturalia præcepta scire. Et ideò propriè, & in rigore nullus error contra legem naturalem est invincibilis simpliciter, aut moraliter. Et in hoc sensu vera est prima ex relatis sententiis. Addas quod difficultas, quæ sit ad inveniendam veritatem præceptorum naturalium, & maximè est, vel ex pravis habitibus, vel ex errore aliquo prævio, vel ex aliqua simili causa subdita libertati, & sic impedimentum hoc est in potestate hominis, & ideò ab eo vincibilis, si homo illam velit vincere. Nihilominus tamen limitanda est assertio, ut non procedat in aliquo errore temporaliter invincibili, & invincibili ignorantia, aut inconsideratione alicujus circumstantiæ, aut qualitatis objecti, circa quod est error.

203 Dicitur nihilominus secundò, quod alicujus præcepti naturalis potest dari error probabilis. Probatur, quia dantur præcepta naturalia, quorum connexio ad principia naturalia per se nota non est evidens, & manifesta, sed implicita, & latens, & ex circumstantiis accidentalibus in particulari facto redditur ambigua; unde circa hujusmodi etiam inter fideles, & doctos, & pios viros dantur oppositæ opiniones, affirmantibus aliquibus aliquid esse de jure naturæ præceptum, vel prohibitum, & id aliis negantibus, & experientia est notorium. Licet verò ex sic opinantibus alter eorum erret; hic error circa rem dubiam innixus rationi probabili est probabilis; quod si quis hunc errorem velit etiam vocare invincibilem moraliter, non contendo de vocibus, sed considero, quod cùm ex sic contraria opinantibus unus veritatem attingat, & errorem vincat, non est ergo impossibile errorem vincere, licet in alio error non sit improbabilis ratione dicta. Ex quo verò admitto dari errorem probabilem in materia legis naturalis, non per hoc concedo, quod ex duabus opinionibus judicatis probabilibus quilibet possit eligere sibi, quam voluerit, & secundùm illam operari absque alia inquisitione, & examine. Hoc enim falsum puto, quia ex principiis intrinsecis veritas inquiri debet, & unusquisque tenetur facere, quod in se est, ut veritatem inveniat, & ideò pro posse contrarias opiniones examinare. Sed hac inquisitione præmissa juxta exigentiam conditionis personæ, & ad prudentis arbitrium, si bona fide unam eligit quam veram putat, illam sequi potest, & si hæc opinio sit error, erit error probabilis.

His verò sic in communi præmissis descendendo magis 204
ad particularia, ut appareat quorum præceptorum possit dari ignorantia invincibilis, aut probabilis. Primò occurrit videndum, an hujusmodi ignorantia possit dari respectu decem præceptorum Decalogi. Distinguunt enim plures inter prima præcepta Decalogi, quæ respiciunt cultum Dei, & honorem, seu pietatem erga parentes, ab aliis Decalogi principiis, & dicunt non posse dari ignorantiam invincibilem unius Dei, & hujus quod est parentes esse honorandos. Ita Valentia *part.2. d.6. qu.6. part.2.* Sanchez *l.1. in Decal. c.16. num.33.* Greg. Martinez *part.2. d.76. art. 2. dub.5. concl.3.* Alvarez *disp.153. concl.5. num.11.* Curiel. *dub. 4. §.2.* Martinez de Prado *cap.2. quæst.12. n.18.* Sed loquendo de aliis Decalogi præceptis quidam dixerunt dari posse ignorantiam invincibilem ad breve tempus, non autem longo tempore. Ita Greg. Martinez *d. dub.5. conclus.4.* Alvarez *d. disput.153. conclus.6. num.11.* Azor. *part.1. cap.13. q.1.* Sayr. *in Clavi Regia, l.2. cap.9. num.18.* Ubi ad breve tempus concedit dari posse ignorantiam præcepti de Deo colendo, & honorandis parentibus, Lorca *disp.30. num.2.* Sed Valentia *disp.6. quæst.6. part.1.* & Montesinus *tom.2. disp.8. quæst.5. num.47.* admittunt dari posse aliquorum præceptorum Decalogi ignorantiam etiam per longum tempus. Sed alii distinguunt, & dicunt, quod præcepta Decalogi quando nulla circumstantia vestiuntur, quæ à culpa excusare videatur, non possunt per totam vitam invincibiliter ignorari; interveniente verò aliqua circumstantia apparenter excusante possunt toto vitæ curriculo invincibiliter ignorari, Corduba *l.2. quæst.4.* Curiel *part.2. quæst.76. art.2. dub.4. §.2.* Vasquez *disput.122. art.2.* Sanchez *l.1. moral. cap.16. num.33.* Serra *part.2. qu.86. art.2. d.2.* Martinez de Prado *cap.2. qu.12. §.5. num.22.*

Circa alia præcepta verò extra Decalogum, quæ sunt 205
magis remota à primis principiis practicis, quàm præcepta Decalogi posse dari ignorantiam probabilem, etiam per totam vitam tenent ex Corduba, Vasquez *suprà, & loco citato*, Sayr. *n.19.* Alvarez autem *concl.7. n.13.* & Greg. Martinez *concl.7.* horum ignorantiam probabilem admittunt dari posse per longum tempus.

Habemus ex S. Thoma duo principia ex quibus magna 206
lux habetur ad difficultatem hanc explicandam. Primum consideravit etiam Serra *d. dub.2.* & habetur *in 4. d. 27. qu.2. art.2. c.* ubi ex Arist. *lib.1. Ethic.* distinguit triplicem statum rationis hominis. *Primus est, cùm quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus status est, cùm homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad intelligendum. Tertius est, cùm homo, & ab alio jam capere potest, & per se ipsum considerare.* Subdit verò D. Thom. quod primum statum homo habet in infantia usque ad finem primi septennii circiter. Secundus autem status incipit circa finem primi septennii, & durat circiter usque ad finem secundi septennii, in quo incipit tertius status, quantum ad personalia, circa quæ ratio citius convalescit, quantum verò ad extrinseca circa finem tertii septennii. Relicta verò infantia in qua homo non est capax laudis, vel culpæ, quia nec per se, nec ab alio cognoscere potest, considerandi sunt alii duo status, & distinguere oportet pueros impuberes, à puberibus adolescentibus, & viris. Et dicendum est, quod satis facilè est, ut in impuberibus adsit pro aliquo tempore probabilis ignorantia etiam alicujus præcepti Decalogi, si illorum parentes circa aliquod illorum errent; quia negari non potest, quin respectu impuberum probabilis non sit doctrina parentum, & quod impuberes non moveantur probabili, & inculpabili motivo, si auscultant patres suos, cùm tunc talis sit eorum conditio, ut per se ipsos plenè intelligere non valeant, sed ab alio capere debeant.

Et

207 Et nihilominus præceptum de honorandis Parentibus est adeò clarum, & immediatum universalissimis principiis, ut sit impossibile dari ejus ignorantiam, vel in parentibus, vel in filiis; hoc enim nimis clarè dictat naturæ lumen. Si tamen ejus ignorantia, & error posset in parentibus, adhuc non est possibile imaginari, quod ejus detur probabilis ignorantia etiam in impuberibus, quia natura ipsa nimis clarè intimat, & promulgat cuicumque hoc præceptum. Solus ergo potest excipi casus illius, qui in sylvis nutritus, nec notitiam habeat quid nominis parentum, & ignoret dari parentes. Hic enim potest etiam ignorare legem de honorandis parentibus. Et nihilominus hæc ignorantia est ex ignorantia facti, seu entis, nimirum ex ignorantia existentiæ parentum; aliàs verò cognitio quid nominis parentum nimis manifestum est, quod parentes sunt honorandi.

208 De Deo autem loquendo, semper distingui debet ignorantia existentiæ Dei, quæ est ignorantia entis similis ignorantiæ facti, ab ignorantia juris obligantis, vel ad Deum colendum, vel etiam ad Deum inquirendum. Sic ergo possibile est, quod in impubere filio alicujus Idolatræ, seu Athei pro aliquo tempore sit ignorantia unius Dei etiam invincibilis, & ex consequenti ignorantia veri præcepti religionis obligantis ad unius Dei cultum. Verùm, quia secundùm doctrinam D.Th. 1. 2. *q.*89. *artic.* 6. *c.* etiam impubes in primo instanti usus rationis tenetur se convertere in debitum finem, qui Deus est in rei veritate, ideò nec in impubere ignorantia veri Dei erit invincibilis, aut probabilis, si sufficienter excitatus ex innato lumine naturali, & rerum cognitione, & ordine veritatem non inquirat, & vincibilis, & crassa incipiet esse ignorantia ejus ab eo tempore, quo potuerit, & debuerit veritatem invenisse.

209 Malitia etiam homicidii multum evidens est. Sic ergo concludendo dicendum est, quod impubes, vel inter pios parentes, aut tutores vivit, vel inter eos, qui errore contra jus naturæ imbuti sunt, & sic sunt falsi magistri, & seductores. Si impubes falsos magistros non habet, cùm illi non deficiat notitia legis naturalis quantum ad prima principia, & si sibi non sufficit, non desint magistri veritatem legis naturæ docentes, in ordine ad hanc naturæ legem, eadem ferè est ratio de illo, & de puberibus. Nam & ad hujus legis perfectam notitiam sufficit Deo auxiliante discursus naturalis ex principiis naturæ per se notis. Unde in hoc est discrimen aliquod inter impuberes, & puberes, quod impuberes imperfectiorem usum rationis habent, ut per se ipsos non sufficiant ad plenam intelligentiam, sed indigeant parentum, aut tutorum auxilio. Unde in quacumque occasione jus naturæ obliget, quod non possunt per se ipsos possunt per parentum doctrinam. Ubi tamen habeant parentes errore imbutos, aut malitia perversos impuberes decipi possunt, imò etiam puberes, & ideò non mirum si ex deceptione possit in eis esse ignorantia vel invincibilis, vel probabilis. Quæ tamen etiam vincibilis judicari poterit, & improbabilis spectatis circumstantiis rei, ingenio, & dispositione impuberis, excitationibus ad bonum, quas habuit, circumstantiis temporis, loci, & personarum, habita semper consideratione synderesis contra vitia naturæ legi contraria semper reclamantis.

210 Secundum principium habetur ex D.Th. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. ubi docet, quod principia practica, seu communia legis naturæ principia sic sunt vera ut in pluribus, quod ex circumstantiis, & conditionibus singularibus fit, ut non sint honesta, neque obligent, & sic quod secundùm se præcisis circumstantiis est honestum, & debitum, ut stat sub aliquibus circumstantiis fit inhonestum, & indebitum, imò prohibitum. Quod D. Th. ostendit exemplo legis naturalis obligantis ad reddendum depositum, & tamen domino petenti sibi reddi depositum, tunc cum eo vult uti ad impugnandam patriam irrationabile est depositum reddere. Itaque circumstantiæ vim habent, ut reddant irrationabile, & prohibitum, quod per se præcisis circumstantiis est rationabile, & præceptum.

211 Sic ergo de puberibus loquendo impossibile est, quod detur ignorantia probabilis præceptorum Decalogi, si secundùm se sumantur; & præcisis circumstantiis, sed benè contingere potest, ut dentur circumstantiæ adeò apparentes, ut homines probabiliter putent legem aliquam naturę non obligare in casibus particularibus, licet verè illa lex obliget. Prima pars probatur primò ex D.Th. 2. 2. *q.* 122. *art.* 7. ubi habet, quod præcepta Decalogi sunt prima principia legis, & quibus statim ratio naturaliter assentit, sicut manifestissimis principiis. Non, inquit verò, quod sint principia per se ex terminis nota, ut benè Cajet. ibid. advertit; sed quod ratio ipsa, quæ est facultas discursiva eis tanquam manifestissimis assentit; deducuntur enim ex principiis universalissimis per se notis facillimè, & sine difficultate per consequentiam necessariam; ideò si illa sumantur secundùm se absolutè nullus ea probabiliter ignorat, si sit in eo statu, in quo & per se intelligere, & ab alio capere possit.

Distingui tamen debet ignorantia privativè, & contrariè sumpta, quæ est error, & dicitur ignorantia pravæ dispositionis. Nequit enim dari error circa Decalogi præcepta, qui non sit supinus, & crassus, quia nulla est difficultas, sed facillimè eorum veritas ex principiis per se notis deducitur. Et ejus, quod est contrarium præceptis Decalogi secundùm se nec datur, nec dari potest probabilis ratio. 212

Neque ad hoc sufficit, quod alii id teneant, vel quod sic tenuerint Patres eorum, aut Principes, aut alia hujusmodi media extrinseca, cùm ab intrinseco nihil sit, quod suadeat probabile esse, quod Deus non sit, quod homicidium, aut adulterium, aut furtum sit rationabile, & contra quodcumque motivum extrinsecum urgeat fortissima ratio ex principiis naturaliter notis, ex quibus facili negotio veritas innotescit. Et hinc obiter consideratur, quod tantùm abest, quod auctoritas unius, vel alterius Doctoris inducat probabilitatem in moralibus sufficientem; quod neque plurimi DD. imò nec Civitatum, aut Regnorum consensus, & neque antiquitatis beneplacitum sufficit ad excusandum ab errore, & ad inducendam illius probabilitatem, si per rationes ab intrinseco de facili falsitas erroris potest deduci. Et hujusmodi rationes, & motiva ab intrinseco attendi debent, & ponderari in eligendis opinionibus. Aliter si sufficeret multitudo, errantium ad excusandum ab errore, & ad reddendum illum probabilem excusarentur in universum Pagani, Judæi, & Saraceni, cùm sint quamplures qui eorum sequuntur errores. 213

Ideò in hac parte sine exceptione personarum, & temporum dicitur non posse dari ignorantiam contrariè sumptam seu errorem contra pręcepta Decalogi in aliquo pubere, qui sit probabilis, & non sit voluntarius, & inexcusabilis, quia ex una parte sola auctoritas Parentum, Magistratuum, Principum, Civitatum, aut Regnorum, non sufficit ad hoc, ut rationabiliter determinet intellectum, & voluntatem ad assensum illius erroris, cujus nulla dari potest probabilitas intrinseca, sed unusquisque de facili potest erroris falsitatem agnoscere? Ideò nedum pro longo tempore, sed nec pro tempore aliquo dari potest error probabilis, & excusabilis contra præcepta Decalogi secundùm se sumpta. Et licet in impubere, qui ducitur doctrina aliorum possit esse probabilis error circa aliquod hujusmodi, ut dictum est, nec tamen potest esse pro toto tempore impubertatis, quia nimis evidens est consequentia, per quam ex lumine vultus Dei signato in mente nostra, præcepta Decalogi deducuntur. 214

Hinc est, quod Idololatria non habet excusationem in eis, qui habent usum rationis perfectum in eo statu, in quo & ab alio capere, sed etiam per se ipsum potest intelligere. Sive error idololatriæ sit, quia homines ut Deos colant, sive quia colint plures Deos, sive quia nullum Deum colant, nam Deum esse unum, ideoque solùm esse colendum est veritas, quæ licet non sit evidens ex terminis, tamen, ut habet Cajet. 2. 2. *q.* 122. *art.* 1. discursu naturali facili negotio sine Doctore concluditur. Et ideò quod in his nec ad breve tempus admittendus sit error in aliquo probat Curiel *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *dub.* 4. Martinez de Prado *cap.* 2. *q.* 12. §. 5. *nu....* Nullamque datam fuisse nationem ita rudem, & hebetem, ut laboraret ignorantia invincibili unius Dei generali, & confusa multis DD. citatis probat Solorzanus *de jure Indiarum tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 13. *à num.* 70. *ad* 79. & cum Vega *l.* 6. *in Concil. Trid. c.* 20. concesserit dari posse hominem tam rudem, qui pro brevissimo tempore laboret ignorantia invincibili unius Dei, & possit excusari ab idololatriæ crimine hoc non admittit, quamvis de eo dubius sit, Raphael à Turre 2. 2. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. Et dicendum est dari non posse, quia in hoc non est præcipitandus assensus, & nulla datur; 215

vel

vel dari potest probabilis ratio, quæ verè probabili apparentia ostendat, vel Deum unum non esse omnium rerum principium, vel eum non esse solum ut Deum colendum. Et propterea quod ignorantia non excuset idolatras à peccato, habetur Sap. *cap.* 13. & ad Rom. *cap.* 1. *&* 2. *Nam & Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. *Psal.* 18. Et invisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ut sint inexcusabiles omnes, qui habentes notitiam significationis ipsius Dei, vel negant Deum esse, vel eum coli debere, vel asserunt posse plures Deos coli.

216 De præcepto autem honorandi parentes evidentissimum est non posse dari errorem, qui non sit crassissimus, & voluntarius, unde nec aliquando fuit aliqua natio, quæ senserit parentes non esse colendos. Et idem dicitur de præcepto prohibente homicidium, quod adeò manifestam consequentiam habet ad illud principium per se notum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ut non sit dabilis rusticus adeò hebes, ut de facili non possit inhonestatem homicidii deducere sine Doctore per rationis lumen. Et idem dicitur de peccato non mœchandi, & non furandi, & non concupiscendi rem, vel uxorem alienam. Quia nullus est tam rudis, qui non sentiret sibi injuriam, & injustitiam fieri, si alius ipsum vellet occidere; vel ejus uxorem, aut bona subripere, opere, vel etiam desiderio. Sic igitur præceptorum Decalogi si secundùm se sumantur, non potest dari ignorantia positiva, seu error invincibilis, & probabilis.

217 Sed si loquamur de præceptis Decalogi ratione adjunctæ alicujus circumstantiæ, & in particulari casu, poterit aliquorum dari probabilis ignorantia, seu error. Quia poterit esse quod adsit circumstantia ex qua aut verè, aut apparenti probabilitate limitetur universalitas talis præcepti. Quod multis exemplis declaratur, ut v. g. posse ignorari probabiliter, si præceptum naturæ urgeat ad subveniendum ex bonis propriis patri in gravi aliqua necessitate existenti dicunt Curiel, & ex eo Martinez de Prado *num.* 29. Et certè de eo, quod est filium non posse ingredi Religionem, si relinquat parentes in gravi necessitate, etiam fuerunt diversæ opiniones. Nam aliqui voluerunt, quod possit filius relicto patre in gravi necessitate ingredi Religionem, quod est contra communem sententiam, & contra quos disputavi *de stat. & off. hom. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 6. *num.* 11. Sic ergo, & multò magis tempore Gentilitatis potuit dari casus cum talibus circumstantiis, in quibus haberetur apparentia probabilis, quod in aliquo casu præceptum subveniendi parentibus non obligaret. Similiter circa præceptum non mentiendi, & non jurandi falsum potuit esse ignorantia probabilis. Sic enim Azor. & Sanchez *d. num.* 33. Martinez *num.* 33. admittunt etiam nunc in aliquibus rusticis posse dari ignorantiam probabilem, per quam judicent licere mentiri propter aliquod maximum bonum. Et Sanch. *d. num.* 33. & Martinez *num.* 25. admittunt multos probabili ignorantia credere non esse peccatum perjurium ob vitam, & honorem propriè, vel alienum tuendum. Et circa legem homicidii Curiel *d. dub.* 4. & ex eo Martinez *n.* 29. concedunt probabilem esse posse ignorantiam in aliquo, qui existimant licere occidere privata authoritate contemnentem Deum, vel qui tyrannicè opprimit Rempublicam, vel occidere se ipsum in defensionem castitatis, aut alterius virtutis, aut pro bono communi.

218 Pariter quantum ad præceptum de non furando Curiel, & Martinez de Prado docent posse esse in aliquo probabilem ignorantiam, quod liceat furari ad subveniendum gravi necessitati propriæ, vel alienæ. Et quantum ad præceptum castitatis, quod possit dari præcipuè in pueris probabilis ignorantia, de eo, quod pollutio sit peccatum tradunt Sanchez *d. num.* 33. Palaus *tract.* 2. *d.* 1. *p.* 15. *num.* 6. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 118. Layman, Bonacina, & Salas apud Martinez de Prado *num.* 26. Invincibilem etiam, seu probabilem Ignorantiam de pluralitate uxorum prohibita admittunt Sotus *in* 4. *d.* 33. *q.* 1. *art.* 2. Medina, Alvarez, Gregorius Martinez *locis citatis*, & Martinez de Prado *num.* 24. Et cum D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 4. *ad quintum*, dicat non excusari eum, qui ea ignorantia judicavit hoc non esse peccatum, Medina *d. art.* 2. *d.* 4. & Alvarez *d. disp.* 153. *n.* 14. id interpretantur verum esse in Christianis, in quibus ferè nunquam longo tempore admittenda est ignorantia invincibilis circa malitiam simplicis fornicationis, secùs verò in infidelibus, & instructione carentibus.

Quamvis verò hujusmodi exempla ego omninò non approbem, maximè quia, ut dicebam, ad ignorantiam contrariam probabilem, necesse est, ut adsit probabile motivum, quod urgeat, & sit sufficiens ad determinandum intellectum ad hoc ut judicet, legem universalem notam, & lumine naturæ manifestam in hoc, vel illo casu locum non habere, quod non est ita facilè invenire, vel in fornicatione, vel in voluntaria pollutione, vel ubicumque circumstantia non habet maximam apparentiam honestatis, & talis, ut possit judicari legem non extendi ad casum tali circumstantia vestitum. Nihilominus apparet de mente DD. esse quod ratione harum circumstantiarum potest dari probabilis error circa naturæ legem, in casibus particularibus. 219

Quæ verò dicta sunt de præceptis Decalogi, multò magis vera esse possunt de aliis legis naturæ præceptis, quæ magis remotè distant à primis, & universalissimis principiis legis naturæ. Nam circa ista posset etiam dari ignorantia probabilis de aliquibus secundùm se sumptis, quæ valdè remota sunt à principiis per se notis. Circa quod advertendum, quod ubi consecutio præcepti alicujus particularis ad prima principia legis naturæ non est evidens nobis, & certa, ex hoc potest faciliùs probabiliter opinari, quod tale præceptum non obliget. Inde est quod ex hac causa nunc in quampluribus materiis opposita sentiunt DD. de similium præceptorum obligatione. Et nunc quoque multæ, & oppositæ sententiæ sunt de indissolubilitate matrimonii, quatenus matrimonium est in officium naturæ, ut videre est apud Sanchez *l.* 2. *disp.* 13. Et propterea dari posse errorem, seu ignorantiam probabilem de perpetuitate matrimonii, imò & unitate uxoris, & circa delectationem morosam in Venereis dixit Vasquez *d. dis.* 122. *cap.* 2. *in fine*. Et quod repudium ante legem Christi fuerit licitum voluerunt Medina, & alii apud eundem Sanchez *d. disp.* 13. *num.* 6. Unde (quidquid sit de his opinionibus gratia exempli adductis) hoc verum est, quod lex naturæ in omnibus suis præceptis non est nostræ imbecillitati adeò clara, & manifesta, ut non sit exposita disputationi, & ita ut proptereà non sint dabiles opiniones probabiles ad utramque partem. 220

At verò loquendo de ignorantia privativa primò certum est non posse dari ignorantiam privativam primorum principiorum legis naturæ; quia hujusmodi principiorum cognitio est nobis naturalis. Pertinet enim eorum cognitio ad synderesim, ut habet D. Th. 4. *d.* 24. *q.* 2. *art.* 4. *c.* Synderesis verò est habitus nobis connaturalis, juxta eundem S. Th. 1. 1. *q.* 79. *art.* 12. Quamobrem impossibile est, quod in homine sit ignorantia, quæ sit privatio habitus synderesis, seu cognitionis primorum principiorum. Sed nec datur, aut dari potest in aliquo privatio actualis cognitionis eorumdem primorum principiorum, quia synderesis nunquam extinguitur, seu nunquam amittitur, sed semper repugnat ei, quod est contra naturalia principia, ut habet D. Th. 2. *dist.* 39. *q.* 3. *art.* 1. *c.* ubi ad quartum habet, quod synderesis semper remurmurat in peccante, etsi ipse non percipiat propter inclinationem habitus, aut impetum passionis. Et idem habet D. Th. *q.* 16. *de ver. art.* 3. *c. & ad primum, & secundum*. Itaque circa prima principia naturalia, nimirum quod bonum est agendum, & malum fugiendum, in habente usum rationis, nec habitualis ignorantia, nec actualis inconsideratio datur, sed semper lucet synderesis scintilla aliqua; & sic pro hac parte non potest dari nedum error, sed nec actualis inconsideratio, nec habitus privatio. Quamobrem in syllogismo practico prima major est, & naturaliter nota tam habitu, quàm actu. Unde quod dixit Mont. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *n.* 46. quod scilicet primorum principiorum juris dari potest inconsideratio, intelligi debet, de non primo primis, non verò de actu synderesis, quæ semper contra malum remurmurat. 221

Hoc supposito dicitur, quod illorum præceptorum naturæ potest dari, vel ignorantia, inconsideratio invincibilis, aut probabilis etiam pro tempore, pro quo obligant, quæ supponunt ens, vel factum, vel circumstantiam, vel qualitatem entis, cujus potest dari ignorantia, aut inconsideratio invincibilis, & probabilis. Ratio est, quia si obligatio juris naturalis fundatur super illo ente, aut facto, aut circumstantia, aut qualitate, non est sine illis, & sine illorum cognitione non cognoscitur esse. Sic qui invincibiliter 222

liter ignorat Deum esse, ignorat præceptum religionis de colendo Deo. Qui invincibiliter ignorat parentes esse, ignorat invincibiliter præceptum pietatis de honorandis parentibus. Qui natus in sylvis, & à feris nutritus nullum vidit hominem, aut mulierem ignorat propagationem naturæ per matrimonium, leges matrimonii. Qui invincibiliter non considerat hunc quem credit lupum esse hominem, invincibiliter non considerat legem prohibentem homicidium. Qui invincibiliter non considerat hanc non esse Rachelem uxorem suam, invincibiliter non considerat legem prohibentem illi commisceri. Et quia hujusmodi entia, facta, circumstantiæ, aut qualitates quamplurimæ possunt invincibiliter, aut probabiliter ignorari, ideò legis naturalis fundatæ super hujusmodi potest dari ignorantia, aut inconsideratio invincibilis, aut probabilis.

223 Ideò dicitur, quod legis naturalis præcipientis affirmativè pro tempore pro quo obligat, potest dari inconsideratio, aut etiam ignorantia invincibilis. Si enim contingat aliquem non excitari, ut consideret circumstantiam temporis pro quo lex obligat etiam legis obliviscitur, & hoc invincibiliter, quia ad hoc ut homo possit proximè se movere ad actualem considerationem circumstantiæ illius temporis non sufficit notitia legis in communi, sed necessaria est specialis excitatio ad considerationem illius circumstantiæ, cujus propterea potest naturaliter oblivisci. Sed legis ipsius secundùm substantiam potest dari oblivio invincibilis pro eo tempore pro quo obligat, quia ut cum Cajetano dicebamus *sup. art.* 4. Eorum etiam quorum notitiam habitualem habemus frequenter sine culpa invincibiliter obliviscimus. Si quis etiam detur sine sua culpa non sufficienter instructus de omnibus præceptis naturæ, poterit aliquod præceptum inculpabiliter ignorare etiam pro tempore, in quo præceptum obligat. Dicitur verò secundò, quod ubi pro tempore, pro quo præceptum naturæ obligat homo excitatur sufficienter ad plenam cognitionem objecti etiam quantum ad circumstantias, non potest dari in homine sic excitato inconsideratio, vel ignorantia privativè, nisi quæ sit vincibilis, & crassa, & culpabilis, solumque poterit in casibus suprà explicatis dari probabilis error, aut dubium. Ratio est, quia objectum legis naturalis, vel secundùm se sumptum, vel suis vestitum circumstantiis habet ad rectam rationem, vel necessariam connexionem, vel necessariam repugnantiam, quia lex naturæ non præcipit, nisi actus virtutum, qui sunt secundùm se boni, vel non prohibet, nisi actus per se malos, D. Th. 1. 2. *q.* 94. *art.* 3. Homo ergo sic sufficienter excitatus ad plenam cognitionem objecti, tunc cum legis naturalis præceptum urget, vel considerat quantum potest, & debet, vel non. Si non considerat, inconsideratio, seu etiam ignorantia, quæ inde sequitur est vincibilis, crassa, & supina. Quia homo non debet operari, nisi priùs ex pleno consilio videat, an actio ejus sit conformis rectæ rationi, seu quod idem est, legi naturali. Sed si considerat, jam sumus extra casum ignorantiæ, aut inconsiderationis privativæ. Quia si ille discurrendo veritatem forsan etiam priùs ignoratam consequitur ignorantia cessat. Si verò errat, & malè discurrit, erit error vincibilis, & crassus, vel in aliquo casu erit probabilis forsan juxta prædicta. Sed si discurrendo practicè remanet dubius, tenetur sequi viam tutam, & si ex dubia conscientia agit vincibiliter, crassè, & culpabiliter agit. In nullo ergo casu potest in aliquo esse privativa ignorantia, aut inconsideratio inculpabilis, in quo homo pro tempore, quo obligat præceptum, est excitatus sufficienter ad hoc, ut possit, si velit, plenè cognoscere objectum, quod est materia legis naturalis.

224 Dicitur tertiò, quod etiam extra tempus illud præcisum, in quo præceptum aliquod naturæ obligat, ignorantia illius erit censenda vincibilis, & crassa, si quis tali legis naturæ laboret ignorantia, ut non sit dispositus, & aptus legem servare pro tempore suo. Sic enim ex ignorantia non excusabitur, si in tempore illo præciso, in quo præceptum affirmativum obligat, illud non observet, licet, tunc faciat, quod in se est, ut legis obligationem inquirat, si interim dum discurrit, consiliatur, & inquirit expirat tempus, pro quo præceptum obligabat. Ideò tenetur unusquisque scire, quod communiter sciunt homines suæ cogitationis, ut non necessitetur, tunc solùm adiscere cùm urget obligatio præcepti, sed debet ante adiscere, ut pro illo tunc sciens id, ad quod tenetur, illud punctualiter observet. Sic enim necesse est præveniendo adiscere, si non sufficit adiscere tunc cùm instat necessitas operandi.

Et sic videtur, quod in hoc casu ignorantia privativa præcepti naturalis esset invincibilis, si antequam instet tempus, pro quo obligat præceptum affirmativum aliquis non potuit illius habere scientiam particularem, quam postea etiam excitatus non potuit consequi pro illo instanti, pro quo præceptum obligabat. Sed hujusmodi casus non admittitur. Tum quia præcepta affirmativa regulariter non obligant pro instanti indivisibili. Tum quia nec est casus regulariter possibilis, quod aliquis non potuerit scire, quæ alii suæ conditionis sciunt communiter. Tum quia licet sufficiat, ut de occultioribus, quæ communiter non sciuntur, expressè, & explicitè habeatur tanta notitia, ex qua adveniente casu, in quo lex obliget, aliquis sciat dubitare, tamen dato hujusmodi casu rationabilis dubii, debet dubitans servatis juris regulis dubium practicum deponere, & id servare, quod in eo casu dubio, lex naturæ præcipit observari, nec se periculo peccandi exponere. Et ita in hoc casu non est pura ignorantia privativa, sed remanet conscientia dubia. Ex qua tamen nec debet dubius operari, sed debet scienter, & prudenter dubium practicum deponere, & quod sibi rationabile, & tutum videatur operari. Et certè in hoc casu, si dubium remaneat ex priori crassa ignorantia, dubitans ejus pœnitere debet, alter si præceptum reale legis naturæ non servet, non excusabitur à peccato, quia id ex crassa ignorantia originem trahet. 225

SUMMARIUM.

Quæst. Primæ,

ARTICULUS XI.

Utrum legis fidei, seu divinæ supernaturalis dari possit ignorantia invincibilis, seu probabilis.

APud antiquos fuit multorum sententia non dari ignorantiam invincibilem, seu probabilem legis fidei, seu divinæ supernaturalis. Cùm verò tribuatur hæc sententia Hugoni de S. Victore *l.* 2. *de Sacrament. p.* 2. *cap.* 5. Suarez *disp.* 17. *de fide, sect.* 1. *num.* 2. advertit eum solùm dixisse infideles non salvari, quod verissimum est, non verò dicit damnari ob speciale peccatum infidelitatis. Communiter ergo pro hac sententia referuntur Altisiod. *in summ. l.* 3. *tr.* 3. *cap.* 2. *q.* 3. *circa fin.* Gulielm. Parisien. *de fide c.* 2. *& de legib. cap.* 21. Alexand. Alen. 2. *p. q.* 112. *aliàs* 127. *n.* 8. *& q.* 153. *mem.* 3. D. Bonav. 3. *d.* 25. *art.* 1. *q.* 2. *ad ult. & q.* 3. 226

q. 3. ad penul. Gabriel. *ead. dist.* & clariùs *in d. dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. Adrian. *quodl.* 2. *q.* 1. *in fin. & quodl.* 4. *q.* 1. §. *ad secundum autem*, Gerson. *de vita spirit. lect.* 2. *& lect.* 4. *coroll.* 3. *aliàs* 3. *par. Alphab.* 61. *&* 62. Silv. *v. ignorantia*, Cordub. *l.* 2. *q.* 4. *concl.* 2. *&* 3. Castro *l.* 2. *de lege pœnal. cap.* 14. qui tamen admittit invincibilem ignorantiam ad breve tempus fundantur verò in eo principio sępiùs repetito, quia facientem, quod in se est, Deus illuminat; De Christo enim dicitur Jo. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Igitur nulla est in his ignorantia invincibilis. Et confirmatur, quia ex quo *in omnem terram exivit sonus eorum*, scilicet Apostolorum, Paulus ad Rom. 10. non admittit aliquam excusationem ignorantiæ circa divina in omnibus. Et confirmatur etiam ex S. August. *epist.* 180. *& lib. de Grat. & lib. arb.* ubi hujusmodi ignorantes non excusat à pœna damnationis.

227 Nihilominus communis sententia admittit dari posse legis fidei, seu divinæ supernaturalis ignorantiam invincibilem. Ita D. Th. 2.2. *q.* 10. *art.* 1. *c.* & ibi Cajet. & Banues, Medina *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *dub.* 4. Greg. Martinez *dub.* 4. Alvarez *disp.* 153. *num.* 10. Serra *dub.* 2. Zumel & Curiel Montesin. *num.* 64. Card. de Lugo *disp.* 13. *de fide*, *num.* 24. Vasquez *disp.* 120. *&* 121. Durand. *in* 3. *dist.* 25. *q.* 1. *ad primum*, Sotus *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 2. Can. *relect. de Sacram. in gen. p.* 2. Victoria *relect. de Ind. n.* 32. Petrus Soto *tract. de ratione medend. peccat. p.* 2. Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 13. *q.* 2. Valent. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 1. Sanch. *l.* 1. *in Decal. c.* 16. *n.* 32. Suarez *de fide, disp.* 17. *n.* 5. Conrad. *de contract. q.* 30. Almainus *tr.* 1. *moral. c.* 4. Armac. *l.* 8. *de quæst. Armenorum*, *c.* 39. Vega *l.* 6. *in Concil. Trid. cap.* 18.

228 Primò hic considerandum est quid sit ignorantia fidei, & juris supernaturalis; non enim idem est fidei ignorantia, & infidelitas, sed maximè distinguuntur. Multa enim sunt ad credendum ex præcepto fidei necessaria. Est enim necessaria credendorum apprehensio, & eorumdem notitia tam habitualis, quàm actualis; necesse enim est primò apprehendere, quod detur lex fidei, & quid lex fidei credendum, & agendum præcipiat, quod ex parte sciunt etiam ex Hæreticis, & Turcis, & Judæis, multi qui Religionis Christianæ notitiam habent, & secundò scire necesse est credibilitatem mysteriorum fidei, & sic quod detur obligatio ex lege fidei ad illa credenda. Sed prætereà tertiò necessarius est assensus, per quem quis fidei mysteria audit, & credit. Fides in solo assensu consistit, ut habet D. Th. 2. 2. *q.* 8. *art.* 5. *ad tertium*. Apprehensio respicit fidem, & legem ejus, & mysteria, ut sunt entia significata per propositiones, sub ea ratione, sub qua ens est priùs vero, & bono. Et circa hunc actum versatur donum intellectus, per quod mens illustratur, ut penetret terminos propositionum, & attingat illos, & eorum significatum. Per hoc enim donum datur intellectui acumen, ut penetret intima eorum, quæ audit à proponente fidem. Cui acumini opponitur hebetudo, per quam mens ad intima penetrare non sufficit. Sed prætereà secundò est necessarium judicium practicum de credibilitate mysteriorum fidei: quod jam respicit illa, ut vera secundum communem rationem credibilis. Et simul ut bona bonitate credibilitatis, & sic necesse est, quod intellectus judicet mysteria fidei esse credibilia. Hoc totum docuit D. Th. 2. 2. *q.* 8. *art.* 6. *c.* dicens: *Sic ergo circa ea, quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra. Primo quidem, ut intellectu penetrentur, vel capiantur: & hoc pertinet ad donum intellectus. Secundò autem oportet, ut de his homo habeat judicium rectum, ut æstimet his esse inhærendum, & ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo judicium quantum ad res divinas pertinet ad donum sapientiæ, quantum vero ad res creatas pertinet ad donum scientiæ, quantum verò ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilii.* In proposito igitur nostro ignorantia fidei sumitur pro carentia utriusque notitię præcedentis fidem, sive sit carentia apprehensionis eorum, quæ sunt fidei, sive carentia judicii recti de eorum credibilitate. Utraque verò ignorantia potest esse simplicis negationis, & pravæ dispositionis, & utraque potest esse habitualis, & actualis, & de utraque videndum est, an possit esse invincibilis, & probabilis. Dissensus verò ab illis, quæ proposita sunt est infidelitas, & in baptizato est hæresis, si sit voluntarius, & pertinax.

229 His verò suppositis tres casus distinguuntur, scilicet primò ejus, qui nihil prorsus de fide audivit, secundùm illius, cui proposita est doctrina fidei, sed insufficienter, tertius illius, cui fides sufficienter est manifesta. Indubitatum est in primò casu dari ignorantiam invincibilem fidei, & impossibilitatem manifestam credendi. Quod probavit Apostolus ad Rom. 10. dicens: *Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante.* Veritates enim fidei sunt supernaturales, & ratione naturali investigabiles, & prætereà fides ex natura sua est ex auditu. Impossibile igitur est credere, quod non est auditu, & est impossibile esse auditum, quod non est prædicatum, seu manifestatum loquutione. Qui igitur nihil de fide audivit, non potest credere.

Secundus verò casus distinguitur; Nam qui aliquid audivit de fide, sed insufficienter, vel quod audivit nec est sufficiens ad prudenter dubitandum de falsitate sui ritus, & fidei necessitate, vel saltem est sufficiens ad dubitandum. 230
Ratio distinctionis, quia ad prudenter judicandum, an aliquod sit credibile non sufficit proponere illud, quod credi debet; sed necesse est proponere motiva, quę illud probent credibile. Quod si non proponuntur sufficientia motiva, propositio est insufficiens ad necessitandum ad finem. Ut enim colligitur ex D. Th. *quodl.* 3. *art.* 10. & docent Cajet. 2.2. *q.* 1. *art.* 4. Victoria *relect. de Indis concl.* 1. *&* 2. Vasq. *p.* 2. *disp.* 120. *cap.* 5. Montes. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *n.* 71. Infidelis statim, ac audit docentem res fidei non tenetur positivè præbere assensum. Si ergo propositio fidei sit adeò insufficiens, ut qui de fide audivit, nec prudenter potest dubitare de fidei necessitate est infidelis invincibiliter; præcepta enim Dei sunt rationabilia, & non obligant ad imprudenter agendum, & secundùm Ecclesiasticum *cap.* 18. *Qui citò credit, levis est corde*. Ille igitur cui fides proposita est, sed adeò insufficienter, ut prudenter nec possit dubitare de fidei necessitate, vel suæ sectæ falsitate, non potest se movere, nec ut prudenter credat, nec ut prudenter de fide inquirat, & ideò laborat invincibili ignorantia, Cajet. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. Medina *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *dub.* 4. Suarez *disp.* 97. *de fide*, *sect.* 1. *n.* 9. Montes. *ubi suprà*. Qui *n.* 72. probat, quod imò peccat, qui leviter credit, & nedum ex levitate credendi, sed quia ponit se periculo errandi. Nam & potest esse, quod fidem Christi proponens, sit hæreticus, & doctor falsus, unde nec statim est omni spiritui credendum, sed examinanda quæ proponuntur, an sint prudenter credibilia. Ubi verò infidelitas in qua quis vivit contineat errorem vincibilem, & improbabilem contra legem naturæ; jam iste potest, & tenetur veritatem inquirere, sed non per hoc tenetur inquirere de fide supernaturali determinatè, si nihil de ea audivit. Si tamen aliquid audivit, sed tale, quod nec sit sufficiens ad dubitandum, an fides sit necessaria; tenebitur ille ad inquirendam veritatem consonam homini naturæ, sed non tenebitur fidem quærere. Nam & inventa naturali veritate, quam tenetur inquirere; nisi magis informetur de fide, non tenebitur eam quærere.

Sed ille, cui fides est proposita adeò sufficienter, ut prudenter possit dubitare de fidei veritate, & necessitate, & sic de falsitate suæ sectæ, peccat contra fidem, si fidei dissentit absolutè, & si majorem fidei notitiam non inquirit. Ita DD. citati. Peccat primò contra legem fidei, ut continet præceptum negativum prohibens dissensum, si absolutè contrariè dissentit fidei; quia qui est dubius de alicujus veritate, licet ex hoc non teneatur eam credere, quia quod est dubium, potest esse falsum; tamen nec potest positivè contrariè dissentire; quia, quod est dubium, potest esse verum. Ideò talis in generali debet assentire ei parti, quam veram inveniet, & interim non peccat, si suspensus maneat nec uni, nec alteri parti assentiat; igitur ille, cui sufficienter est proposita fides taliter, ut prudenter possit de ea dubitare, non potest determinatè illi dissentire, quia potest esse vera, sicut de facto est, licet ipse dubitet. Montes. *p.* 2. *q.* 76. *a.* 2. *numer.* 71. Nihilominus quia conversio in Deum, ut in ultimum finem est necessaria ad honestatem cujuscumque actus, ideò cognitio, & assensus ad ea, quæ sunt ultimi finis est necessarius etiam in eo puncto, in quo homo acquirit usum rationis juxta captum illius ætatis, ut ex tunc non operetur, nisi ordinando se & omnia in Deum tamquam in finem. Et sic in eo puncto, in quo primo audit dari etiam finem supernaturalem, ut possit, & teneatur saltem dubitare de necessitate tendendi in eum finem tenetur se convertere in illum. Non quia tunc teneatur 231

tur determinatè assentiri veritati sibi propositæ insufficienter absolutè, & de qua prudenter non est, nisi dubius; sed quia in communi debet assentire veritati, & sub conditione etiam fini, ut supernaturali, ut ex eo puncto quatenus verè necesse sit, possit ipse operari propter talem finem, sine cujus intentione, & ordine nullus est completè perfectus.

232 Tenetur verò quærere veritatem, & si negligat peccat, & jam non est probabiliter seu invincibiliter ignorans; quando verò peccet, qui negligit scire; quando potest, & tenetur, dictum est supra *art.* 8. *num.* 88. & *art.* 9. *num.* 202. Quomodo etiam teneatur ad extrinsecam, diligentiam, nimirum ad inquirendum, & audiendum Doctorem fidei, & etiam ad interiorem implorationem divini auxilii, ut non decipiatur, sed illuminetur ut docentis verba audiat, & veritatem percipiat, dictum est etiam supra *art.* 5. *num.* 130. & 131.

233 Cùm igitur ex triplici capite ignorantia possit esse invincibilis, vel quia ignorans non sit sufficienter excitatus ad hoc ut sciat, vel scientiam quærat, vel secundò quia non habeat doctorem à quo adiscat, vel tertiò, quia non habeat nisi doctorem mendacem, & deceptorem; Serra *p.* x. *q.* 76. *art.* x. *dub.* 2. Ex primò capite nedum in infidelibus, sed etiam in baptizato potest esse invincibilis ignorantia totius legis supernaturalis, Medina *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 4. §. *Ex prædictis*, & hoc etiam per totam vitam, si contingat, v.g. infantem baptizatum fieri captivum, & duci ad partes, ad quas nullus fidei rumor perveniat. Cæterùm moraliter loquendo ex hujus conditionis defectu rarum erit, quod in baptizatis admittatur invincibilis ignorantia eorum, quæ tenentur sciri; cùm non desint, qui res fidei doceant; cùm & parentes Catholici simul cum lacte nutriant suos in fide; sed & in Hæreticis habetur notitia fidei Romanæ, unde non potest dici, quod nihil de vera fide audierint. Sed quia non quilibet auditus fidei sufficit, ad hoc ut infidelis necessitetur ad fidem quærendam, aut amplectendam, addo quod Victoria *Relect. quinta de Indis*, *sect.* x. *propos.* 5. *num.* 14. dixerit non sibi constare an Barbaris Indis hactenus doctrina fidei fuerit ita proposita, ut tenerentur credere sub novo peccato, insufficientiam reducens nedum in defectum miraculorum, sed in malum exemplum, scandala, & multas impietates Christianorum in illis partibus; ideò potest esse, quod in infidelibus, etiam ubi aliquid de fide fuit auditum, detur ignorantia invincibilis, ex defectu sufficientis propositionis rerum fidei.

234 Quam tamen insufficientiam non tam de facili admiserim. Tum quia Infideles errant etiam ex ignorantia crassa circa legem naturalem, unde est quod simul ex ignorantia crassa non cognoscunt falsitatem suæ Religionis, & malum statum in quo reperiuntur. Tum quia lex fidei Christianæ pura, sancta, & immaculata talis est, ut ejus oppositum si sincera mente consideretur non appareat probabile. Tum quia esto aliqua propositio fidei sit insufficiens, ad hoc ut necessitet ad statim credendum, rarium erit insufficiens ad dubitandum dubium autem de falsitate propriæ fidei, & de veritate fidei Christianæ sufficit, ut necessitet ad quærendum, & adiscendum, quod si infidelis id negligat, jam est infidelis ex negligentia, non ex invincibili ignorantia.

235 Hinc enim obiter advertitur, quod qui est sufficienter excitatus, ut quærat fidei Christianæ veritatem, licet adhuc dici possit invincibiliter ignorare fidem pro tempore necessariò ad hujusmodi inquisitionem, & antequam inveniat veritatem, statim tamen ac pensatis circumstantiis personæ, loci, & temporis succedit tempus, in quo veritatem invenisset, si eam quæsivisset, incipit infidelitas esse privativa, vel contraria, & ex negligentia culpabilis. Poterit verò excusari, si infidelis verè vel non habet, quem consulat, & à quo adiscat, vel si à magistro decipitur contra suam voluntatem, Monc. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *num.* 68. ubi quod in infideli potest esse abolita cogitatio de supernaturalibus, ut jam naturali oblivione non recordetur propositionis fidei, jam antea per multum tempus sibi factæ.

236 In fidelibus autem potest esse ignorantia invincibilis aliquorum mysteriorum, ad quæ explicitè credenda non obligantur, seu quæ communiter non prædicantur, aut docentur, & explicantur, seu solemniter in Ecclesia non celebrantur. Sed eorum, ad quæ explicitè credenda obligantur, qualia sunt, quæ continentur in symbolo Apostolorum, vix dari potest casus, quod ignorantia sit invincibilis, aut probabilis, Med. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 4. *concl.* 4. Greg. Martinez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1. Serra *dub.* x. & alii communiter.

In tertiò verò casu ejus, cui sufficienter proposita est fides, ut prudenter credere possit, dicitur quod statim tenetur servare præceptum fidei, & ut negativum, non dissentiendo à veritate fidei proposita, & ut affirmativum credendo explicitè Deum ut finem supernaturalem, qui nos redemit per Christum. Tenetur enim statim credere Deum ut finem supernaturalem, quia tenetur ad id, quod est necessarium ad hoc, ut in singulari possit operari honestè, & etiam meritoriè, & est necessarium ut primò primum principium agendi supernaturaliter: modò sic est, quod ordo operum in Deum ut finem supernaturalem est necessarius, ut opera sint supernaturalia, & proportionata statui gratiæ, ordinantur verò in Deum per fidem; necesse igitur est, ut homo statim credat, ac potest id præstare prudenter, ut sic Deum possit amare, & non nisi ex Dei amore semper agere. 237

In hoc tamen est distinguendum inter assensum respectu ultimi finis, & aliorum articulorum quorum actualis fides non est ad rectè agendum in omni tempore necessaria. Nam istos articulos non tenetur statim exercitè credere is, cui sufficienter sunt propositi, sed sufficit, si pro tunc illis non dissentiat. Quod tamen est quid metaphysicè assertum, potiùs quàm moraliter. Nam statim, ac quis audit motivum sufficienter ostendens articulum aliquem esse credibilem, si non dissensit, assentiet. Quidquid sit an metaphysicè loquendo velit suspendere omnem actum circa talem articulum. Nam si exit in actum circa talem articulum, vel erit dissensus positivus, & hic erit malus, & infidelis, vel erit non dissensus positivus, & hic simul erit assensus, quia positivè non dissentire, non est nisi ex assensu, sed respectu ultimi finis, qui est Deus nos beatificans per fidem Christi mediatoris statim ac infideli sufficienter proponitur talis finis, debet ille positivè credere, quia debet se constituere in actu per id, quod est primum principium agendi, ut possit sicut debet semper agere propter finem talem. 238

Censebitur verò sufficienter proposita fides, si motiva talia & taliter proponantur, ut sufficiant inducere certitudinem moralem de credibilitate articulorum fidei. Dubium autem de fide teneri credere viris doctis, & si non credat peccare contra virtutem studiositatis, dixit Vasquez quem tamen impugnat, Montes. *p.* x. *q.* 76. *art.* 4. ubi vult hanc peccare peccato temeritatis. Sed dicendum est quod sola authoritas privati Doctoris de se non est sufficiens, ut necessitet ad credendum nisi motiva quæ adducit ad id sufficiant. Quod maximè verum est, respectu infidelis, qui nihil credit, vel priùs nihil de fide audivit, & qui non tenetur credere, quod vir, licet doctus, non sit in materia religionis deceptus, sicut de facto tot insignes philosophi fuerunt decepti, & quotidiè viri aliàs doctissimi errant. Sicut non tenetur infidelis statim credere, quod vir doctus sit etiam pius, & nolit decipere. In fideli tamen, qui jam credit Ecclesiæ proponenti, si vir doctus sit talis, quod omnibus pensatis debet ei præstari fides, & proponit articulum ut ab Ecclesia propositum ad credendum, tenebitur fidelis dubius circa illum articulum illi credere. 239

Ad motiva in principio articuli adducta in oppositum, respondetur & dicitur ad primum, quod jam satis est manifestum, ex dictis *art.* 3. quod licet Deus facientem quod in se est illuminet quantum opus est, ut justificetur, tamen non datur lex ut illuminet illum in omnibus; & qui nihil audivit de fide, non potest facere quod in se est ex fide, & ut fidem recipiat, nec datur lex, quæ obliget hominem, ut faciat quod in se est, ut justificetur, & ut abstineat à peccatis ad hunc finem ut sciat, quæ tenetur scire, ut probatum est *art.* 5. & ideò in eo, qui non est excitatus ad fidem, ignorantia est invincibilis, licet aliàs sit malus, & impius. Paulus verò ad Rom. 10. loquitur de illis, quibus fides fuit proposita sufficienter. 240

SVM-

SVMMARIVM.

241 *Non dari ignorantiam invincibilem ejus, quod quis scire debet, multi asserunt.*
242 *Opposita sententia communior, & vera.*
243 *Legis positiva dari potest inconsideratio invincibilis.*
244 *Iuris dubii potest dari ignorantia probabilis.*
245 *Legis novæ potest dari ignorantia invincibilis.*
246 *Legum particularium potest dari ignorantia invincibilis.*
247 *Legum quæ non sunt insertæ in corpore juris dari potest ignorantia invincibilis.*
248 *Legum communium dari potest ignorantia in mulieribus, militibus, &c.*
249 *Rarius potest contingere, quod juris debiti detur ignorantia invincibilis, licet dari possit facilius inconsideratio, vel ignorantia probabilis, 250.*
250 *In foro externo ignorantia regulariter non præsumitur invincibilis.*

Quæst. Primæ

ARTICULUS XII.

Vtrùm juris positivi dari possit ignorantia invincibilis, seu probabilis.

241 Difficultas est de ignorantia illius juris, quod unosquisque ex statu suo seu ex officio scire tenetur, Hujus enim non dari ignorantiam invincibilem dixerunt Alex. 2. *p. q.* 162. *memb.* 3. Durand. 3. *d.* 25. *q.* 1. *ad* 1. Cast. *l.* 1. *cap.* 2. *& l.* 2. *cap.* 14. Adrian. *quodl.* 1. *art.* 3. *ad tertium*, Navar. *Prælud.* 1. *in fin. & cap.* 23. *num.* 47. Valentia *p.* 2. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 1. *cap.* 16. *q.* 5. Conrad. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. §. *Circa jam dicta*, ubi quod ignorantia juris debiti non potest esse antecedens. Et probatur *ex cap. Si in laicis* 38. *dist.* Et ratione, quia cùm lex non obliget ad impossibile, unusquisque potest scire legem, quam tenetur observare, si verò negligit eam scire, crassa est ignorantia, & vincibilis, sed si non negligit eam addiscit, illamque non ignorat, igitur vel in eo non est ignorantia, vel est vincibilis.

242 Communior tamen sententia affirmat dari posse ignorantiam invincibilem etiam eorum, quæ ad cujuscumque statum & officium pertinent, sic enim docent Alvarez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *disp.* 553. *concl.* 8. *& ibid.* Gregor. Martinez *dub.* 5. *concl.* 7. Serra *dub.* 2. Curiel *dub.* 5. Medina *dub.* 3. Zumel *disp.* 4. Vasquez *disp.* 122. *cap.* 2. Salas *tr.* 13. *d.* 8. *sect.* 4. Val. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 1. Lorca *disp.* 30. *memb.* 2. Silvest. *v. lex nu.* 3. *dicto* 4. Suarez de Censuris *disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 15. Sanchez *lib.* 1. Moral. *cap.* 16. *num.* 27. Martinez de Prado *cap.* 2. *q.* 12. *num.* 34.

243 In hac controversia primò hoc habendum pro certo, legis positivæ etiam, quantùm ad ea quę spectant ad officium, dari posse inconsiderationem invincibilem; memoria enim humana labilis est, & potest contingere, quod homo etiam diligentissimus, & memoriæ tenacis, aliquando obliviscatur, & non occurrat illi lex, & non sit à quo excitetur ad illius considerationem.

244 Indubitatum est secundò legis positivę dari posse ignorantiam probabilem. Hoc enim manifestum est experientia. Nam de legum multarum existentia & obligatione quamplurimæ inter DD. sunt controversiæ, & opiniones oppositæ, quarum sine dubio una est vera, & opposita falsa, & tamen qui illam sequuntur, non peccant, quia bona fide si procedant, & diligentiam adhibeant, ut veritatem cognoscant, æternæ legi satisfaciunt, si faciunt juxta id, quod verius esse, & rationabilius inveniunt. Hinc est axioma commune Juristarum, quod juris dubii, seu controversi dari potest ignorantia probabilis, & excusans Rota *in recen. dec.* 268. *n.* 2. *& dec.* 662. *n.* 7. *p.* 2. *& decis.* 159. *n.* 10. *&* 16. *& dec.* 287. *n.* 14. *p.* 6. Fagnan. *cap. Quoniam n.* 33. *&* 49. *de constit.* & ex Alex. *cons.* 19. *num.* 11. *l.* 7. Fuscus *v. ignorantia conc.* 11. *n.* 13.

245 Certum est tertiò dari posse ignorantiam prorsus invincibilem legis novæ. Nam licet lex à sui promulgatione obliget præsentes, & absentes etiam transacto aliquo statuto tempore, tamen potest de facili contingere, ut lex promulgata non fuerit ad omnium aures deducta. Nullus verò potest scire legem, & ejus obligationem, nisi lex promulgata deducatur in ejus notitiam, quia homo naturaliter non potest divinare. Et hoc est verum nedum de legibus universalibus respectu omnium, sed etiam de legibus particularis loci, & respectu ejus, qui est de loco, quia benè contingere potest, quod tempore editæ legis multi sint à loco absentes, & quod postquam redierint, non statim eis lex innotescat, ut advertit Francus hic *n.* 9.

246 Certum etiam est quartò, quod dari potest ignorantia invincibilis, seu probabilis legum particularis loci, Greg. Martin. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *d.* 5. *concl.* 7. Alvarez *disp.* 153. *n.* 16. Serra *dub.* 2. Licet enim leges loci obligent advenas, potest benè contingere, quod peregrinus aliquis, aut advena pro aliquo tempore legem loci particularem ignoret. Et ideò quod leges municipales loci non ligent ignorantes, dixit Gloss. hic *in v. sententiis*, *& in v. supina*. Et subditi etiam possunt aliquando ignorare probabiliter statuta loci, ut sicut dicit Franc. hic *num.* 6. ex Innoc. *in cap. dum supra de conversat. conjug.* si quis de novo venisset ad locum statuti, & statutum non esset notum communiter. In Judice tamen loci hæc ignorantia non tam facilè admitti poterit, nisi juxta dicenda, quia statim tenetur illa statuta municipalia loci perquirere, cùm secundùm illa teneatur judicare.

247 Dicitur verò quintò etiam legum communium, quæ non sunt insertæ in corpore juris dari posse ignorantiam invincibilem, vel probabilem. Propterea excusari potest judex loci, si ignoret aliquam consuetudinem loci, quæ non sit descripta in libro statutorum, quia consuetudo est jus non scriptum, & potest esse, quod etiam communiter non sciatur. Similiter excusari aliquando potest, si ignotet aliquam extravagantem, quæ non est in corpore juris inserta, Bart. apud Tusch. *v. ignorantia concl.* 10. *n.* 3.

248 Dicitur sextò quod legum aliquarum, quæ sunt insertæ in corpore juris communis, vel in libris statutorum Civitatum, & locorum potest dari ignorantia vel invincibilis, vel probabilis in pluribus personis, ut in impuberibus, militibus, rusticis, mulieribus, & similibus, qui vel non sunt capaces ut leges tantas, & tam multiplices vel percipiant, vel memoria teneant, & pro omni oportunitate considerent, *l. penul. in* 2. *respons. ff. de jur. & fac. ignor.* Rota *in recent. decis.* 723. *num.* 10. *p.* 2. *& decis.* 252. *num.* 14. *p.* 9. Fag. *cap. Ex parte num.* 16. *de Regul.* Tuschus *v. ignorantia concl.* 13. *num.* 1. *& seq.* Feder. de Sen. *cons.* 199. *num.* 2. Dyn. *cons.* 5. Castren. *cons.* 298. *l.* 1. Sic obligare agricolam ad hoc ut sciat omnes leges agriculturæ, & mercatorem ad omnes omninò leges mercaturæ durissimum putarunt Greg. Martinez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. *d.* 5. *concl.* 7. & Alvarez *disp.* 153. *num.* 16.

249 Et nihilominus dicitur septimò rarius contingere posse, ut ignorantia juris positivi sit propriè invincibilis, quamvis contingere faciliùs possit, quod sit probabilis. Ratio est, quia eorum quæ unusquisque observare debet, tenetur etiam habere saltem talem notitiam ad minus confusam, ut occasione agendi adveniente sciat dubitare, quod strictius verum est de illis, qui ex officio particulari scire tenentur. Potest ergo contingere, ut vel oblivione naturali non recordentur, vel quod bona fide sibi videatur, adhibuisse diligentiam sufficientem, ut scirent, si lex adsit, sed quod ignorent invincibiliter, contingere potest solùm, quando nullam notitiam habuerint legis nec distinctam, nec confusam, & quod non ex eorum negligentia sit talis notitiæ carentia. Quod quidem rarius potest contingere.

250 Ad argumenta in oppositum respondetur, *& ad cap. si in laicis* 38. *dist.* dicitur, quod loquitur de ignorantia quantum ad forum externum, quæ regulariter invincibilis non præsumitur eorum, quæ quis ex officio tenetur scire, vel ex statu suo. Et non valet dicere, quod non est necesse, quod rustici, vel mulieres, vel milites sint professione Theologi, vel juristæ, aut Canonistæ, quia si hoc non est necesse, oportet tamen eos consulere Doctores, ut non deficiant ab eo, quod debent. Et quatenus non teneantur ad summam aliquam diligentiam, poterit esse, quod eorum ignorantia sit probabilis, non verò (nisi rarius) quod propriè sit invincibilis. Et sic patet responsio ad secundum.

SVM-

SVMMARIVM.

Quæst. primæ

ARTICULUS XIII.

Vtrum ignorantia possit esse causa peccati.

251 DE duplici ignorantia habet hæc quæstio difficultatem, scilicet de antecedente, & de affectata. De illa, quia cùm excuset à peccato, non videtur, quod possit esse causa peccati. De ista, quia si esset causa peccati minueret saltem peccatum, quod tamen communiter negatur.

252 Hoc primò præsupponitur, quod de fide est aliquos peccare ex ignorantia, quidquid in contrarium aliqui senserint, asserentes nullum esse peccatum ex ignorantia, ut refert D. Bernardus Epis. 77. ad Hugonem contra quos clamat sacra Scriptura. Psalm. 24. dicens: *Delicta juventutis mea, & ignorantias meas ne memineris Domine*: & Actorum 3. *Et nunc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*. Quod & probatur ex aliis locis, quæ adducit D. Bernar. *ibid. & ser.* 36. in Cant. & docent S. Clemens *l. 5. recognit.* S. Hier. *lib. 1. c. Pelag. & cap.* 46. in Ezech. S. Aug. *qq. vet. testam. q. 67. & lib. de Nat. & grat. cap.* 67. S. Ambros. *lib. 2. de interpret. cap.* 5. S. Jo. Chrys. hom. 7. in Matt.

253 Certum debet esse secundò, quod ignorantia, cùm sit quid privativum, non potest esse causa per se positivè influens & directè producens effectum, sed solùm potest esse causa, ut removens prohibens, nimirum, inquantum est privatio scientiæ, quæ potest esse impedimentum peccati, & de facto esset in illo, qui si scivisset, non peccasset, D. Th. 1. 2. q. 76. *art.* 1. & ibi expositores, & alii DD. communiter.

254 Ideò tertiò indubitatum est, quod ignorantia tunc solùm est causa, quando privat illa scientia, quæ impedivisset peccatum, si adfuisset, D. Th. *ubi supra*, & ibi Conrad. §. *nota autem*, Silves. *v. ignorantia n.* 7. Suarez *p. 2. tr. 2. disp. 4. sect. 1. & sect. 2. n.* 19.

255 Cùm verò triplex sit ignorantia, scilicet antecedens, concomitans, & consequens, de antecedente loquendo, quamvis videantur DD. dissentire, antecedentem voluntatem esse causam peccati, negantibus Adrian. *quodl.* 4. Medina *prim. 2. q. 76. art.* 1. E contra Alvarez *p. 2. disp.* 150. referente pro opposita sententia Cajet. & Conradum *p. 2. q. 76. art. 1. & postea num.* 6. subdente meliorem esse modum loquendi Cajetan. secundùm quem ignorantia invincibilis debet absolutè dici causa peccati. Nihilominus res ista difficultatem non habet. Nec D. Th. *ubi supra* inquit, quod ignorantia antecedens sit causa peccati, sed quod est causa actus peccati. Et ita propriè dici debet, nimirum quod ignorantia non est causa peccati formaliter, sed solùm materialiter, quia est causa illius actus secundùm substantiam, qui si fieret scienter esset peccatum, & sic est causa actus, qui est peccatum ex genere, sed de facto in re non est peccatum excusante id ignorantia, & hoc est quod ad illum *art. 1. q. 76. prima 2. docent* Cajetan. Conrad. §. *Vbi nota*, Medina, Martin. *concl.* 1. Serra, Montes *n.* 7.

256 Ignorantia verò concomitans non est causa peccati, nisi secundùm quid. Primum probatur, quia illa ignorantia non est causa peccati, nec etiam per accidens tanquam removens prohibens, quæ non privat scientia quæ impediret peccatum, sed imò data scientia adhuc peccatum & forsan facilius, & liberius esset. At verò ignorantia comitans non privat nisi illa scientia, quæ non impediret actum peccati, & peccatum ipsum; non est igitur causa actus peccati, D. Th. 1. 2. *q. 76. art.* 1. & ibi Cajet. Conrad. Med. Martin. Alvar. *disp.* 150. Serra, Montes, & alii, Sylves. *v. ignorantia num.* 7. Et nihilominus actus ille, qui fit ignorantia concomitante non est humanus omninò, quia non est voluntarius, cùm incognitum voluntatium esse non possit, & ideò ignorantia concomitans est causa actus in ratione non humani, & non voluntarii, quia actus sine scientia voluntarius esse non potest. Et nihilominus actus ignoranter factus potest considerari vel secundùm substantiam & speciem, quam habet ex objecto, vel secundùm quod est hic numero actus. De actu primò modo sumpto intelligi debet, quod ignorantia comitans non est causa actus, quia qui ignorantia comitante, v. gr. occidit inimicum, illum occideret etiam si sciret, & sic ignorantia ista non est causa, quod inimicus occidatur. Sed de actu secundò modo sumpto, dicendum quod ignorantia concomitans respectu illius est antecedens, & verè est causa, quod ille actus numero sit in rerum natura; nam si qui occidit inimicum ignoranter, scivisset illum inimicum illum occidisset, sed tunc occisio illa ex scientia proveniens fuisset in individuo alius numero actus. Non enim est eadem numero voluntas quæ tendit in cognitum, & incognitum.

Consequens autem ignorantia est per accidens causa pec- 257
cati etiam formaliter, ut citati DD. docent. Actus enim, qui est ex tali ignorantia est peccatum de facto, & ut talis imputatur. Hujus verò peccati causa per accidens est voluntas consequens. Nam quatenus aliquo modo antecedit est causa actus, quia est privatio scientiæ, quæ si adesset, actus non esset. Sed quatenus est voluntaria, est causa, quod actus sit peccatum de facto, quia non causat non voluntarium, unde est voluntaria privatio scientiæ. Et sic removendo involuntarium removet id, quod impediret ne actus esset peccatum. Quia tamen dari potest voluntaria, quæ non antecedat actum, nec sit causa illius, sed ad illum concomitanter se habeat, quia sic homo ex ignorantia indirectè voluntaria peccat, quod etiam peccaret, si expresè sciret. Tunc ignorantia ista, quæ simpliciter est consequens, cùm sit voluntaria. Non est causa per accidens actus peccati, quia non tollit eam scientiam, quæ actum peccati impediret. Quia tamen est ignorantia consequens & voluntaria, ideò licet quia ignorantia est, diminuat aliquid, tamen quia voluntaria est, ideò causat per accidens peccatum, quia removet involuntarium, quod impediret, ne actus ille esset peccatum.

Hinc de affectata ignorantia dicendum est, quod est cau- 258
sa peccati per accidens, si sit talis, quod, si ignorans dum agit actu sciret, non peccaret. In hoc enim casu antecedit causalitate; & sic est causa actus peccati, Alvarez *p. 2. disp.* 150. *concl.* 2. ex D. Th. *p. 2. q. 76. art. 4. & q. 3. de malo art. 6. ad quintum*. Verùm affectata ignorantia sæpè est comitans actum, & talis quod ignorans nil minus peccaret, si adverteret. Et tunc ignorantia non est causa per accidens actus peccati, sed quia est voluntaria est causa per accidens, quod actus ille sit peccatum, quia tollit involuntarium, quod peccatum impediret; semper tamen aliquid involuntarii causat, ut videbitur, & ut sic facit, quod actus non sit omninò humanus, & sic tam affectata, quàm qualibet ignorantia causat aliquid in peccato. Et per hæc patet responsio ad objecta in principio articuli.

SVMMARIVM.

270 *Illud*

Quaest. Primae

ARTICULUS XII.

Utrùm ignorantia causet involuntarium.

259 QUia ignorantia non dicitur excusare à peccato, nisi quia causat involuntarinm, hoc primò est explicanoum, qualiter scilicet ignorantia involuntarinm causet, ut ex hoc possit eaplicari qualiter à peccato excnset.

260 Primò antem hic distingui debet involuntarium in involnntarinm negativè seu privativè, & contrariè: inter voluntarinm enim, & involuntarium datur medium non voluntarinm, D. Anton. *p. 1. tit. 4. cap. 3. §. 5.* Conrad. *p. 2. q. 6. art. 8. §. adverte*, & ibi Martinez *dub. 2. ad quartum*, Alvarez *disp. 156. num. 9.* Involuntarium negativè, seu privativè est illud, quod est conforme alicui voluntati formaliter, vel virtualiter existenti in operante. Hoc enim, ex quo non est contra dispositionem volnntatis operantis, sed illi conforme, non censetur involuntarium contrariè, sed negativè, vel privativè. At verò voluntarium contrariè est illud, qnod est contrarinm alicui voluntati formaliter vel virtualiter existenti in operante, vel saltem quod in operante non supponit aliquam voluntatem actu formaliter aut virtualiter existentem in operante, eui sit conformis; quia hoc dato involnntarinm, si aliàs sit malum, semper erit contrarium inclinationi voluntatis de se inclinatae in bonum, & sic erit involuntarium contrariè.

261 Sic ergo ad quaest. dicitur primò, quod ignorantia omnis causat aliquo modo involuntarium, quia ad minus causat non voluntarium. Quoniam omnis ignorantia est privatio scientiae, sine qua non est voluntarium, quia non potest esse volitum, quod non est cognitum. Dicitur verò, quod ignorantia per se causat involuntarium, quia licet ignorantia non sit causa per se ipsius actus, sed per accidens, cùm non causet, nisi removendo scientiam quae impediret actum, tamen causando per accidens actum, per se, idest non accidentaliter, & contingenter, sed necessariò & ex vi privationis scientiae, causat involuntarinm. Et sic per se sumitur non ut distinguitur cootra per aliud, sed nt distinguitur contra accidentaliter, Cajet. *p. 2. q. 76. art. 3. d. 1.* Greg. Martin. *p. 2. q. 6. art. 8. dub. 3. §. Hoc supposito.*

262 Cùm verò non omnis ignorantia causet involuntarium contrariè, & propriè dictum, illud causat illa ignorantia, quae privat illa scientia, quae si adfuisset, impedivisset actum, Silves. *v. ignorantia n. 4.* Conrad. *p. 2. q. 6. art. 8. §. D. Th. deducit, & q. 76. art. 2. §. Nota autem.* Quia si scientia impedivisset actum, signum est, qnod actus sit contra inclinationem voluntatis.

263 Dicitur etiam quod pœnitentia, seu displicentia, quae habetur adveniente scientia de actu ignoranter babito, est signum involuntarii, Conrad. *p. 2. q. 6. art. 8. circa arg. Sed contra, & §. Respondet.* Med. *ibid.* & Martinez *dub. 8. concl. 1.* Nam & hujusmodi pœnitentia est signnm, quod factum ignoranter sit contra inclinationem voluntatis. Sed nihilominns, hoc est signum fallibile, ut Conrad. considerat *ib. §. Adverte*, & Martin. *in resp. ad 6.* Nam potest esse, quod post factum mutata sit conditio operantis, ex qua fiat, ut nunc displiceat, quod prius placuisset.

264 Dicitur secnndò, quod ignorantia antecedens semper causat involuntarium propriè, seu contrariè sumptum. Ita D. Th. *p. 2. q. 6. art. 8. & q. 76. art. 3. & 4.* & ibidem expositores ejus D. Anton. *p. 1. tit. 4. c. 3. §. 5.* Sed considerandum est, qnod actus ex ignorantia antecedente proveniens est simpliciter voluntarius, & simpliciter involuntarius. Nam respectu objecti cogniti est simpliciter voluntarius, sed respectu ejus ut ignorati est simpliciter involuntarius. Sic enim in frangente jejunium comestio carninm est voluntaria simpliciter, qui enim eas comedit, id scienter & liberè facit. Sed tamen illa comestio, ut est prohibita per legem, est ignorata, & sic, ut est contra legem, est simpliciter involnntaria.

Et Suarez *p. 2. tr. 2. disp. 4. sect. 2. num. 6. & seqq.* infert, 265
quod ignorantia antecedens est causa voluntarii directi, & est causa involuntarii. Est causa voluntarii directi, & simpliciter, quia est causa actus, qui est directè, & simpliciter volnntarius respectu objecti, ut cogniti. Nec obstat, quod ignorantia antecedens sit involuntaria; quia qnod causat actum tanquam removens prohibens primò potest esse ignorantia, quia imò privatio scientiae ejus, quod impediret actum, est causa quod actus sit, & liberè sit à voluntate: & potest esse ignorantia involuntaria, neque enim necesse est, nt quod causat volnntarium removendo prohibens, sit voluotarium. Sed hoc non benè dicitur, nec est verum, quod ignorantia sit causa actus, ut voluntarii; est quidem causa, qnod actus sit, sed quod actus liberè sit, non est ab ignorantia, ut à causa etiam removente probibens, sed à conditione bominis habentis tunc liberum usum rationis, & ex deliberatione operantis. Unde ignorantia in ebrio, vel satuo est non minus causa actus per modum removentis prohibens, quam sit in non ebrio, & tamen in ebrio non est causa actus voluntarii. Itaque ignorantia est causa actus, qui in habente usum rationis est liber respectu objecti cogniti, sed non est liber, eo quod sit ab ignorantia, sed quia est à scientia. Unde nec verum est, quod involuntarium possit esse causa voluntarii, quia quod sequitur ex causa necessaria, seu non voluntaria, ut est ab illa liberum esse non potest, licet non sit impeditum, quin aliundè libertatem habeat. Et ita ignorantia antecedens, quae est involuntaria non impedit, quod actus in ordine ad objectum cognitum sit voluntarius.

Difficultas etiam est, an ignorantia antecedens semper 256
causet involuntarium propriè, & contrariè, quia ad voluntatem antecedentem non est necesse, quod dnm quis ex ignorantia involuntaria vult aliquid, tunc in eo instanti sit in eo actualis inclinatio voluntatis contraria; igitur per se ignorantia antecedens causat involuntarium privativè, non verò contrariè. Propterea Suarez *d. sect. 2. n. 17.* admittit primò ignorantiam antecedentem convenire cum concomitante, ut utraque causet involuntarium privativè, non contrariè. Deinde dicit discrimen esse in virtuali affectu, quia quando in rigore voluntas est antecedens homo censetur ita affectus, ut si sciret, non faceret. Unde sentit, quod quando in volente nullus sit affectus actualis, vel virtualis contrarius volitioni mali ignorati, tunc voluntas sit concomitans, non verò antecedens, Montesinus autem *p. 2. q. 6. art. 8. n. 189.* non requirit in voluntate antecedente, quod actus ignoranter volitus sit cootrarius alicui voluntati actu existenti in volente. Nam distinguit inter id, qnod fit ea vi, vel motu, vel ignorantia; quia quod fit ex vi, est contra voluntatem efficacem actu existentem in eo, qui ex vi agit. Sed quod fit ea metu, est contra voluntatem inefficacem, sed quod fit ex ignorantia non est contra voluntatem, quae fit, sed quae esset, si ignorans scivisset.

Sed ex dictis supra respondetur, quod ad involuntarium 267
contrariè sufficit, quod volitum ex ignorantia sit contra inclinationem voluntatis, ut rationalis. Quod enim est ignoratum est non volitum privativè, verùm si hoc non volitum licet sit contrarium naturae rationali, tamen est conforme inclinationi actuali, quae sit formaliter, vel virtualiter in voluntate, dicitur solùm involuntarinm privativè, vel negativè, quia positivè est conforme actuali voluntatis inclinationi, & dispositioni. Sed ubi non est in voluntate inclinatio actualis conformis malo ignoranter volito, esto non detur etiam inclinatio voluntatis contraria actui ex ignorantia procedenti, censetur adesse virtualiter, quia inclinatio ipsa naturae rationalis in bonum, & repugnantia ad malum, quod est contra naturam censetur esse actualis quaedam, & virtualis contraria actui malo ignoranter volito, & sic actus malus ex ignorantia volitus est contra inclinationem, & actum efficacem voluntatis, qui quantum sit ex dispositione voluntatis aliunde nec actualiter formaliter, nec virtualiter affectae ad illum malum actum fuisset, si non defuisset scientia.

Montesinus *d. n. 189.* existimat etiam, quod actus pro- 268
veniens ex ignorantia antecedente non possit dici mixtus ex

vo-

voluntario, & involuntario. Sed certè evidens est illum esse voluntarium respectu objecti cogniti; & involuntarium respectu incogniti. Sed & *num.*188. existimat, quod actus causatus ex ignorantia antecedente aliquando sit exterior tantùm, ut in occidente ignoranter patrem. Sed hoc non benè dicitur; sed imò ex ignorantia antecedente semper per prius causatur actus internus voluntatis, per quem actus exterior eligitur, & imperatur.

269 Dicitur tertiò, quod ignorantia concomitans non causat involuntarium contrariè, sed negativè. Quantum ad primam partem hoc asseritur communiter à D. Th. *p.*2. *qu.*6. *art.*8. *& quæst.*76. *art.*3. *& ibid.* à Cajet. Conrad. Medina, Martin. *dub.*2. *concl.*1. Alvarez, Serra, Vasquez, Montesin. Zumel, Curiel, & aliis. Et ratio est manifesta, quia actus factus ignorantia concomitante non est contrarius, sed conformis inclinationi actuali, & saltem virtuali voluntatis; & est talis, qui haberetur etiam si non deesset scientia. Quod etiam faciat non voluntarium docent communiter citati DD. & alii; quia quod privat scientia privat voluntario, cùm voluntarium esse non possit, quod est incognitum.

270 Difficultas esse potest, an hoc non voluntarium dici debeat negativum, vel privativum. Nam privativum vocat illud Suarez *d. disp.*4. *sect.*2. *num.*11. quod non placet Ildefonso *p.*2. *q.*6. *art.*8. *disp.*97. *n.*104. Sed privativum dicendum esse ratio dictat. Privatio enim est negatio formæ in subjecto apto nato, & si addatur, quod necesse sit, quod forma debeatur subjecto, hoc etiam in præsenti non deficit. Nam homo nedum est aptus natus agere liberè, & ideò actus ejus est capax libertatis; sed homo tenetur non agere, nisi ex scientia, & ex deliberatione, & ex libertate. Et ideò actus hominis inconsideratus, & non liber, est privatus forma, cujus est capax, & quæ sibi esset debita.

271 Hoc verò, quod fit ignorantia concomitante esse involuntarium in se ipso, voluntarium autem in alio, ait Montesin. *p.*2. *q.*6. *art.*8. *n.*173. Et certè actus ille, qui ignoranter habetur, est in se ipso involuntarius, & hoc nedum est verum de actu externo imperato, sed etiam de interiori actu voluntatis eligentis, & imperantis actum; nam & illud velle, quatenus respicit objectum non cognitum, est involuntarium. Dicitur tamen voluntarium in alio, scilicet in illo actuali velle formaliter, aut virtualiter existente in volente, & quo vult objectum illud incognitum saltem virtualiter, & taliter, quod actu formaliter vellet illud, etiam si sciret. Et ita etiam est verum, quod ait idem Montes. *n.*174. ex Nyss. nimirum, quod id quod fit ignorantia concomitante, est involuntarium in principio, & dum fit, sed est voluntarium in fine, quia ignorans post factum adveniente scientia illud factum approbat, & ratum habet, nisi ejus dispositio mutetur.

272 Dicitur quartò, quod voluntas consequens non impedit, quin actus sit simpliciter voluntarius, unde non facit involuntarium, nisi secundum quid. Itaque quod fit ex voluntate consequente, est simpliciter voluntarium. D. Th. *p.*2. *q.*6. *art.*8. *& qu.*76. *art.*4. & ibi Cajet. Conrad. Med. & alii, Suarez *p.*2. *tr.*2. *disp.*4. *sect.*2. *n.*18. Et ratio est, quia ignorantia non causat involuntarium, nisi quatenus & ipsa sit involuntaria, sed ubi homo liberè vult ex ignorantia operari, liberè vult ignoratum, & secundùm se, & ut ignoratum. Quamobrem ignorantia consequens, quæ est voluntaria, non facit involuntarium D. Th. *p.*2. *quæst.*6. *art.*8. *& q.*76. *art.*4. & ibi Cajet. & alii, D. Anton. *p. p. tract.*4. *cap.*3. §.5. Imò quia ignorantia consequens potest simul se habere, ut concomitans, in hoc casu nec facit involuntarium aliquo modo, sed tantùm facit non voluntarium. Vasquez *par.*2. *q.*6. *art.*8. Et nihilominus ignorantia consequens facit involuntarium secundùm quid, quando est secundùm quid antecedens, & agens est in ea dispositione, quod si sciret, non ageret; & propterea Conrad. *part.*2. *qu.*6. *art.*8. §. *Secunda pars*, ait quod facit involuntarium conditionatè, quia ignorans sub conditione, quod sciret, non faceret, quod ignoranter facit.

273 Existimat autem Suarez *part.*2. *tr.*2. *disp.*4. *sect.*2. *n.*21. quod ignorantia consequens faciat voluntarium, indirectum, seu in causa. Nam vel ignorantia immediatè est causa omissionis, & tunc effectus sequens ad illam omissionem est volitus in ipsa omissione, ut in causa. Sed si immediatè est causa commissionis, tunc effectus est volitus in ipsa commissione tanquam in causa. Si tamen sit prævisus in causa, quia voluntas causæ non facit voluntarium effectum, nisi sit prævisus in causa. Sed puto, quod in his sit advertendum, quod voluntarium indirectum, quod consistit in omissione, semper sequitur voluntatem alicujus alterius, cui est conjuncta omissio, sed quantum ad rationem culpæ, hæc proximè est ex eo quod actus est in se ipso interpretativè voluntarius, nimirum ex eo, quod homo non facit quod potest, & debet, seu non vult quod potest, & debet. Et ita ignoratum consequenter est in se indirectè voluntarium; quamvis hoc non sit, nisi homo aliud agat, cum quo scientia non componitur. Et ita etiam quod ex ignorantia sequitur, si sit omissio, est in se ipsa interpretativè volita, licèt hoc sit, quia est volita ignorantia, quæ est causa illius omissionis. Et hoc genus voluntarii reperitur etiam in commissione, quatenus & illa est quædam omissio, quia qui committit malum, non facit quod facere posset, & quatenus committit, etiam committit quod potest, & non debet committere.

Affectatam quoque ignorantiam non causare involuntarium dixit Medin. *part.*2. *qu.*6. *art.*8. sed eam causare involuntarium secundùm quid, quatenus tollit scientiam dixit Martin. *ibid. d.*3. *cap.*3. & tandem id etiam fatetur Medin. §. *Sed hic advertendum*. Sed debet considerari affectans ignorantiam, & tunc cùm potest, & debet quærere scientiam, & tunc cùm ex ignorantia affectata aliud agit contra legem. Dum enim affectans ignorantiam illam directè vult, peccat ad minus, quia se exponit periculo non observandi legem, & sic jam ad minus consequenter vult periculum peccandi, seu etiam vult hoc vel illud operari, etiam si contingat illud esse prohibitum, vel ex quocumque fine affectet ignorantiam directè, & scienter, saltem vult non habere id, ex quo impediri potest peccatum, & quo ablato contingere potest, ut aliquando peccet. Sed hoc totum fit ex scientia. Dum tamen ex ignorantia contingit illum peccare, & aliàs non peccaret, jam necessariò est secundùm quid involuntarius. 274

Hinc colligitur, quod sola ignorantia affectata, non verò ignorantia crassa æquiparatur scientiæ. Affectata meritò scientiæ æquiparatur, quia continet voluntarium directè, cùm ipsa ignorantia directè sit volita, unde meritò in jure tanquam scienter voluntarium censetur, quod ad hujusmodi ignorantiam volitam consequitur. Sicut voluntaria scienter censetur mors occisi, quæ consequitur ad occisionem directè, & scienter volitam, quamvis mors ignorante postea occisore consequatur, ut in eo, qui occiditur veneno, & post multum temporis à veneno propinato interit, occisore forsan etiam dormiente, sed ignorantia indirectè volita non æquiparatur scientiæ; quia non est scienter, & directè voluntaria. Quod verò aliquando dicatur ignorantiam crassam, & quæ est ex culpa lata æquiparari scientiæ, hoc est verum primò quantum ad reparationem damni, quod tenetur reparare, qui ex crassa ignorantia illud causavit, ac si id scienter fecisset. Et amplius hoc est verum in foro externo, si ignorantia sit ex culpa latissima, vel tali, quæ præsumatur affectata. Addit Suarez *lib.* 5. *de leg. cap.*12. *num.*15. Ignorantiam crassam æquiparari scientiæ quantum ad pœnam latam à jure, quando in lege pœnam imponente non est dictio *scienter*, vel illi æquivalens. Sed de hoc disputandum est infrà; neque enim admittitur communiter. 275

Ex prædictis habetur hæc generalis regula, quod ignorantia antecedens sicut causat involuntarium simpliciter, ita excusat à culpa, & pœna. Quod quidem communissimè DD. admittunt. 276

SUMMARIUM.

277 *Necessitas quæstionis.*
278 *DD. Opiniones.* 279.
280 *Actus ignorantia concomitante factus tam internus, quàm externus non est peccatum.*
281 *Actus sic ignoranter factus intrinsecè non est malus, sed concomitanter.*
282 *Actus ex ignorantia in eo, qui est solùm habitualiter dispositus ad illum, non est peccatum.*
283 *Actio ignoranter habita non est mala, etiamsi concomitatur illam mala voluntas.*
284 *Multiplex modus hujus concomitantiæ.*
285 *Factum ex ignorantia, sed ex voluntate faciendi illud, quidquid illud sit, non est ex ignorantia concomitante, sed consequente.*

286 *D. Th. explicatur* 415. *& seq.* 287. 288.
Ignorantia concomitans per se est justa.
287 *Ignorantia concomitans per sese habet ad actum ignoratum.*
288 *Ignorantia concomitans non excusat ignorantem.*
289 *Non accusat, nec excusat.*
290 *Non auget peccatum, nec minuit.*
291 *Solum secundum quid excusat ignorantem.*
292 *Ignorantia concomitans permittit, quod actus secundum substantiam sit volitus.*
293 *Voluntarium non tollitur per purum non voluntarium.*
Ad hoc ut excusetur agens, necesse est, quod sit involuntarius.
294 *Intentio mala non est causa agendi in eo, qui agit cum ignorantia concomitante.*
Qui peccat ignorans concomitanter, ignorat peccatum formaliter.
295 *Exempla plura in quibus actus habiti ignoranter non sunt peccata, vel non sunt in specie gravioris peccati.*
296 *Actus ex concomitante ignorantia habitus potest esse actus virtutis.*
297 *Percutiens Clericum sic ignoranter non est excommunicatus.*
298 *Sic ignoranter damnificans non tenetur ad restitutionem.*
299 *Ratum habens sic malè ignoranter factum, quando incurrat pœnam.*
300 *Negligens ignorantia non excusat.*
301 *Solutio argumentorum articuli.*

Quæstionis Primæ

ARTICULUS XV.

Utrùm ignorantia concomitans excuset à culpa, & pœna.

277 Cum indubitatum sit ignorantiam invincibilem, & probabilem, si sit antecedens excusare à culpa, & pœna ignorantem, hoc habet non parvam difficultatem de ignorantia concomitante, & hæc difficultas debet in hoc articulo explicari.

278 Est ergo prima sententia eorum, qui dicunt ignorantiam concomitantem non excusare à culpa, ita quod v. g. homicidium sic ignoranter commissum sit verè peccatum, ut si quis putans se occidere feram, occidit inimicum, quem nihilominus occidisset, si scivisset, peccet peccato homicidii, & si occisus sit Clericus, talis homicida sit etiam excommunicatus. Ita apud Alvarez *part.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *dub.* 156. tenent Almain. *tract.* 1. *cap.* 4. Gabriel 2. *d.* 22. *quæst.* 2. *art.* 1. Adrian. *quodl.* 4. *art.* 1. *ad secundum*. Idem quoque voluerunt Covar. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 10. *num.* 15. *vers. Decimo perpensis*. Sayrus *in Clavi regia, l.* 2. *c.* 9. *num.* 35. plures pro eadem sententia referens, qui contrarium apertè docent. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 19. in eo tamen casu, in quo agens ignoranter habet expressam voluntatem nihilominus faciendi tale opus, ut si quis decrevisset non jejunare, & in ea voluntate perseverans, & tamen ignorans esse diem jejunii, non jejunaret. Probatur autem hæc sententia primò, quia ignorantia, quæ non excludit voluntatem mali, non tollit culpam, sed ignorantia concomitans non tollit voluntatem mali ignorati, quia qui ignoranter peccat, nihilominus peccaret, si sciret; igitur neque tollit peccatum, seu ab illo excusat. Secundò, nam ad peccatum sufficit, quod voluntas mala virtualiter maneat, modo in eo, qui cum ignorantia concomitante agit, manet voluntas virtualis mali illius ignorati; In eo enim qui determinavit se velle occidere inimicum, & voluntatem non retractavit, manet virtualiter saltem talis voluntas, & durat in aliqua confusa cognitione, & desiderio, unde etiam tunc peccat.

279 Alii è contra existimant, quod ignorantia concomitans faciat, quod actus ignoranter factus non sit peccatum, & tamen non excuset à peccato. Ita verè sentit Cajet. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. *& ibid.* Medin. Greg. Mart. *dub.* 1. Alvar. *disp.* 156. Serra *dub.* 1. Vasquez *disp.* 125. Montes. *p.* 2. *qu.* 6. *art.* 8. *n.* 176. *& qu.* 76. *art.* 3. *n.* 98. Zumel *disp.* 1. Salas *tract.* 3. *d.* 4. *sect.* 2. *n.* 16. 17. *&* 18. Valentia *disp.* 6. *qu.* 6. *p.* 3. & Durand. 2. *d.* 22. *quæst.* 4. *n.* 5. Suarez *tom.* 5. *de cens. disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 8. Sed quoniam D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *c.* docet, quod ignorantia concomitans non excusat à culpa, ideò DD. diversimodè D. Th. interpretantur, & in modo loquendi distinguuntur; multique afferunt hujusmodi ignorantiam, neque accusare, neque excusare, alii admittunt absolutè, quod excusat.

Dicendum igitur est primò, actum malum tam internum, quàm externum ignoranter habitum ignorantia concomitante non esse peccatum. Ut v. g. quando quis ignoranter hoc modo sagitta occidit inimicum, quem putabat esse feram, neque externa occisio est peccatum homicidii, neque interna voluntas per quam imperata fuit externa illa occisio est mala malitia homicidii, neque ille actus, ut est unus conflatus ex interno imperante, & externo imperato est malus eadem malitia homicidii. Ratio est, quia actus, qui non est humanus, & voluntarius, licèt sit de objecto malo, non est peccatum, quia omne peccatum est actus humanus, & voluntarius; ille verò actus numero, qui habetur ignoranter ignorantia purè concomitante, & aliàs involuntaria, seu invincibili, aut probabili non est actus humanus, & voluntarius, quia fertur in incognitum, voluntas verò in incognitum non fertur; igitur ille idem actus numero sive imperatus, sive imperans, sive ex utroque compositus, qui habetur ignorantia concomitante, non est peccatum. 280

Hoc verò magis explicatur, nam aliud est, quod actus aliquis intrinsecè sit malus, aliud est, quod sit malus concomitanter, quia non excludit concomitantiam voluntatis malæ respectu objecti ignorati. Non enim opponuntur velle aliquid ignoranter, & velle illud idem per alium actum, etiam si non ignoraretur. Voluntas igitur illa, qua quis putans probabiliter hoc esse bestiam, vult illud occidere, & de facto occidit, quia intrinsecè respicit bestiam, & in illam sic tendit ex ignorantia probabili, & involuntaria, & antecedente voluntatem illam numero, ut de facto est absoluta, & efficax, est voluntas, quæ ex objecto non est mala, unde nec infert malitiam in actum externum, qui actus, ut est occisio hominis, verè est non voluntarius, quantum sit ex vi voluntatis, à qua imperatur. Et sic totus ille actus ex externo, & interno voluntatis actum conflatus, ut est hic unus numero moralis actus, & humanus verè est ex ignorantia involuntaria, & ignorantia hujusmodi respectu ejusdem actus numero est verè antecedens, & illum causat, & ex consequenti non potest esse malus intrinsecè, & ratione sui. Verùm concomitanter est malus, si eum comitatur voluntas illa conditionata occidendi illud, quod occiditur, etiam si esset inimicus. Sic ergo, ut benè Cajet. advertit, quia ignorantia concomitans non excludit concomitantiam malæ voluntatis, etiam respectu qualitatis ignoratæ; ideò non facit, quin actus ignoranter factus sit concomitanter malus; facit tamen, quod non sit intrinsecè malus. 281

Et magis adhuc hoc explicatur advertendo, quod agens cum ignorantia triplici modo potest esse dispositus, ut nihilominus ageret, etiam si sciret. Primò, ut hæc dispositio sit merè habitualis. Et in hoc casu primò non est per se, quod ignorans ageret, etiam si sciret, quia habitibus utimur, si volumus, & ideò utrumque oppositorum potest componi cum dispositione habituali, nec per se infallibiliter ex vi habitus sequitur in exercitio actio conformis habitui; & quoddam divinare est asserere, quod hujusmodi actio futura esset talis, qualis est ad quam habitus inclinat. Secundò, quia habitibus nec meremur, nec demeremur. Unde non potest dici esse peccatum id, in quo actu non est mala voluntas, vel mala actio. Et tandem tertiò, quia ut probatum est suprà *art.* 14. Ignorantia invincibilis in eo, qui solùm habitualiter est dispositus ad actum ex ignorantia provenientem non est ignorantia concomitans, sed antecedens, quæ est causa actus, & excusat à culpa. Quamobrem in eo, qui sic habitualiter dispositus agit ex ignorantia, actio non est peccatum aliquod actuale. 282

Vel secundò dispositio est actualis, vel quæ dicitur virtualis, & in aliquo actu perseverans, vel etiam formalis, & expressa, ut quia qui occidit inimicum, quem putavit bestiam, actu etiam expresso, & distincto cogitavit de inimico, & habuit expressam velleitatem, per quam intra se disposuit, & desideravit, quod id, quod ipse probabiliter putabat esse bestiam, esset inimicus ejus, ut illum occideret. Et in hoc casu adhuc occisio de facto habita, & voluntas illam imperans non est mala, licèt eam concomitetur 283

tetur mala illa voluntas, per quam ille desideravit ut id, quod putavit esse bestiam, esset suus inimicus, ut illum occideret. Quia hujusmodi expressa cogitatio, desiderium & voluntas occidendi inimicum, non est causa, v. g. emissionis sagittæ, per quam inimicus potatus bestia occiditur; & sic hæc cogitatio, desiderium, & voluntas occidendi inimicum solùm concomitanter se habent respectu illius individualis occisionis, etiam secundùm substantiam individualem sumptæ, quia occisio illa fuit ex voluntate occidendi bestiam, non verò ex voluntate occidendi hominem, ut DD. pro secunda opinione citati docent.

284 Potest verò multipliciter accidere hæc voluntatis malæ concomitantia. Primò ut dum quis agit ignoratum, simul in eo solùm sit virtualis voluntas agendi id, etiam scienter. Quod contingit, si anteà homo proposuit id agere, si se præsentet occasio. Hoc enim proposito supposito, eoque virtualiter durante, ex vi illius homo infallibiliter ageret scienter, quod ignoranter agit. Et in tali jam adest mala voluntas, si illius propositom est malum. Sic si quis proposuit occidere Titium ubicumque illum invenerit, licèt dum venatur nihil cogitet de Titio, & justa ignotantia ductus occidat Titium putatum bestiam; hæc ignorantia est concomitans, & venator iste, etiam si sciret, Titium occideret in eo casu ex vi propositi prioris de eo occidendo. Secundò hæc concomitantia potest adesse, quia ignotans tunc actu sua voluntate feratur in rem ignoratam ex aliquo alio judicio non inconsiderato, & ignorato. Ut si venator videns, quam putat bestiam, diceret utinam illa esset meus inimicus, quia libentissimè illum occiderem. Vel si dicat, volo me nunc exercere circa venationem, & occisionem bujus feræ, ut evadam in occidendo meum inimicum doctior, & securior. Vel si dicat. O quantum gauderem, si hic esset meus inimicus, ut illum occidere possem! In nullo autem istorum casuum illa occisio est homicidium, nec actus ille sive externus, sive internus est intrinsecè peccatum, quia actus ille numero totus, tantus quantus est in individuo, est ex ignorantia, & non voluntatius, & ideò non est peccatum. Et voluntates malæ explicatæ ad illum numero actum solùm concomitanter se habent, & ideò non faciont quod ille actus intrinsecè sit malus. Medina *part.2. qu.6. art.8. §. Vt verò veritas*. Greg. Martin. *p.2. q.76. art.3. dub.1.* Alvatez *ibid. disp.156. num.5.* Serra *d.1. ad tertium*, Montes. *par.2. q.6. art.8. num.175. &* 176. Suarez *p.2. tract.2. disp.1. sect.1. n.9. & sect.2. n.14.* Benè tamen advertit Montes. quod in eo casu in quo venator se exerceret ad venandum animo adiscendi modum securiorem occidendi inimicum, actio externa esset verè peccatum, & quidem tale, quod reduceretur ad speciem homicidii. Sed non esset peccatum ex ea voluntate, qua tunc venatur, sed ex circumstantia finis mali extrinseca; & ita occisio inimici tunc ignoranter habita, non esset homicidium quatenus esset actio ignorata, sed quia actio ad homicidium ordinaretur.

285 Tertio modo voluntas agendi malum ignoratum, etiam si sciretur, potest se habete ad malam actionem ignoratam, ut illam causalitate antecedat, ut sic se habeat non concomitanter, sed antecedenter, ut si qui putat probabiliter id, quod videt esse bestiam, tamen ipse tunc expresè vult occidere illud, quidquid sit, & etiam si homo sit, & ex tali voluntate sagittam emittit, & occidit. Et in hoc casu occisio est homicidium, quia ignorantia illa non est probabilis, sed voluntaria, & consequens, quia talis vult occidere quidquid illud sit nulla consideratione habita; & ideò non consideratio est voluntaria, & ignorantia non est concomitans, sed consequens, quia per prius est, quod in facto nolit attendere vel æstimare an id sit homo, vel non sit, quàm quod velit, & imperet occisionem; unde talis ignorantia non facit non voluntariam hominis occisionem, quia imò est voluntaria, cùm voluntas respexerit occisum etiam ut hominem, quia occidens voluit occidere, etiam si occisus esset homo.

286 Sed hoc stante, quomodo verificatur id, quod habet D. Thom. scilicet, quod ignorantia concomitans non excusat à culpa? Multipliciter verò explicatur D. Thom. Primò enim Zumel apud Gregor. Martin. *dict. dub.1.* inquit, quod hic tria consideranda sunt, scilicet ignorantia, & quod ignorantia est invincibilis, & quod est concomitans; licèt verò hæc ignorantia quatenus est ignorantia, & invincibilis, excuset, non tamen excusat quatenus concomitans. Sed hoc non est ad mentem D. Thom. qui absolutè dicit, quod ignorantia concomitans non excusat à culpa; cùm tamen ipsa per se sit, & ignorantia, & invincibilis, seu probabilis, aliter non posset esse concomitans, sed esset simpliciter consequens.

287 Alvarez autem *disp.156.* aliter D. Th. explicat, & ait, quod ignorantia ut concomitans non excusat, quia per accidens se habet ad illum actum, sed excusat ratione diligentiæ adhibitæ, v. g. ratione sufficientis diligentiæ adhibitæ ne succedat homicidium. Verùm neque hæc expositio attingit mentem D. Th. Nam primò neque est verum quod ignorantia per accidens se habeat ad actum illum ignoratum, quia voluntati ut imperanti talem actum ignorantia de facto adest, & illam intrinsecè afficit, quia voluntas illa est voluntas objecti probabiliter ignorati sub ratione mali, & ideò ignorantia illi actui ut in individuo sumpto est intrinseca, & per se conveniens. Et præterea ignorantia concomitans, ut concomitans præsupponit sufficientem adhibitam fuisse diligentiam, unde ignorantia concomitans non minus per se est invincibilis, aut probabilis, quam homo per se sit animal, quia ignorantia concomitans est species ignorantiæ probabilis, & involuntariæ, aliter esset ignorantia consequens; unde quia ignorantia ut concomitans est probabilis ratione sufficientis diligentiæ, ideò ignorantia ut concomitans simul facit, ut actus ignoranter factus non sit peccatum, quia non est voluntarius.

288 Ideò aliter dicitur, quia nimirum hic debet considerari, & quis excusatur, & à quo excusatur, D. Thomas inquit, quod ignorantia concomitans non excusat agentem, & operantem; quod verissimum est, quia non facit cum involuntarium circa substantiam actus ignorati, seu circa actum specificè sumptum. Et ita D. Thom. In hoc sensu intellexerunt Cajet. *part.2. quæst.76. art.3. dub.2. & ibid.* Martin. *dub.1. concl.2.* Montesin. *num.98.* Medina *part.1. quæst.6. art.8. §. Vt vero*; licèt enim faciat ut ille actus numero, qui est ex ignorantia non sit peccatum, tamen permittit in volente affectum ad actum illum malum; permittit enim concomitantiam voluntatis illius actus mali, etiam si sciretur esse malum, imò ut concomitans habet per se annexum actum illum malum, quia aliter non esset concomitans, sed antecedens. Quamvis ignorantiæ justæ accidat, & quod sit concomitans, & quod eam concomitetur mala voluntas.

289 Et propterea non excusat, quin operans sit malus; neque tamen accusat, quia ignorantia involuntaria faciens ex se ipsa actum non voluntarium, non accusat neque damnat ratione sui, & quantum est ex se ipsa. Et quia illi ignorantiæ, quæ de facto est concomitans, & habet secum malam voluntatem circa objectum ignoratum accidit tota ista concomitantia, seu mala ista voluntas ex qua fit, ut ignorantia sit concomitans, quæ esset antecedens. Ideò communiter benè dicitur cum D. Th. quod ignorantia concomitans nec accusat, nec excusat. Cajet. *p.2. qu.76. art.3. d.2. & ibid.* Mart. *d.2. ad primum* Serra, & Alvar. *disp.156. n.6.* Montesin. *n.99.* Med. *p.2. qu.6. art.8. §. Vnde sciat* Silves. *v. Ignorantia*, *num.10.* Suarez *de leg. l.5. c.12. num.1.*

290 Et in hoc eodem sensu D. Th. dixit *d. qu.76. art.4.* quod ignorantia concomitans nec auget, nec minuit peccatum; Quia actus ignoranter factus, & qui aliquo modo est ex illa ignorantia non est peccatum. Et quod non est, nec augetur nec minuitur. Eidem verò ignorantiæ ut ignorantia justa est, accidit concomitantia illius malæ voluntatis, per quam scienter fieret, quod fit ignoranter. Et hoc est in sensu, id quod voluit Cajet. *part.2. quæst.76. art.3.* Et docent *ibid.* Medina, Gregor. Martinez, Alvarez, Vasquez, & alii; tamen non facit agentem involuntarium simpliciter respectu mali objecti, & mali actus, quia imò compatitur secum concomitantiam malæ affectionis, in id quod agitur.

291 Nec obstat quod habet Alvarez *disput.116. num.8.* Ubi hanc D. Th. explicationem impugnat, cùm tamen tandem in sensu eam amplectatur. Dicit verò, quod eo ipso quod aliqua ignorantia excusat opus exteroum à peccato, etiam excusat operantem respectu ejusdem operis externi, imò & comparatione actus interioris, à quo talis actus exterior procedit, unde non est mens D. Thom. asserere quod ignorantia concomitans excoset agentem, nec alicubi D. Thom. docuit, quod ignorantia antecedens excusat agentem, ignorantia autem concomitans illum non excusat.

Nam imò ubique D. Thom. nil aliud docuit, quia homini agenti imputatur actus vel ad meritum, vel ad culpam, & hominis agentis est excusari à culpa, vel accusari; & in hoc est discrimen, quod ignorantia antecedens excusat agentem à culpa, consequens verò ignorantia illum accusat, sed concomitans illum nec accusat, nec excusat. Quia licèt faciat quod actus ignoratus sive interior, sive exterior non sit peccatum, & ex hoc secundùm quid etiam excuset agentem, tamen simpliciter non excusat, quia non facit agentem involuntarium, sed permittit concomitantiam malæ voluntatis circa idem actum secundùm substantiam, & circa idem objectum.

292 Sed nec obstant, quæ habet Vasquez *c.2. num.6.* contra Cajet. Falsum est, inquit, quod habet Cajet. nempè ignorantiam concomitantem talis esse naturæ, ut sinat opus factum cum illa esse voluntarium. Non enim loquitur Cajet. de actu illo numero, qui fit cum ignorantia concomitante, seu ex ignorantia, & qui quatenus hic numero cum ignorantia probabili tendit in objectum verè non est voluntarius. Sed Cajet. loquitur de illo actu secundùm substantiam, & specificè sumpto, & de eo dicit, quod ignorantia concomitans permittit illum esse voluntarium, quia ipsa secum compatitur voluntatem ejusdem mali actus & objecti etiam ut cogniti, & propterea benè docet, quod ignorantia concomitans non facit hominum involuntarium, sed solùm non voluntarium. Et habemus de hoc exemplum clarum in assensu opinativo, & scientifico, quia licèt non stent simul opinio, & scientia de eodem objecto, stant tamen simul assensus ex medio demonstrativo certo, & ex inevidenti. Quia licèt assensus ex medio probabili non sit evidens, per se tamen non est inevidens privativè, quia non facit, quod intellectus non possit simul aliunde ex alio medio habere evidentiam de eodem objecto, sed assensus ex medio probabili est negativè inevidens. Non quia ille actus numero, qui est assensus ex medio probabili possit unquam esse evidens, & non sit essentialiter inevidens, sed quia non privat intellectum evidentia aliundè ex alio medio obtinenda. Sic actus ille numero tam interior, quàm exterior, qui est ex ignorantia, quæ dicitur concomitans est essentialiter non voluntarius, & per se ratione sui facit agentem non voluntarium, sed tamen non facit eum simpliciter involuntarium, sed dicitur facere eum non volentem, seu negativè aut privativè involuntarium, quia non facit, quod volens aliundè simul non sit voluntarius simpliciter respectu ejusdem actus externi, & objecti; imò ex eo ignorantia est concomitans, quod simul cum illa est mala voluntas ex scientia tendens in objectum illud ignoratum.

293 Pariter neque obstat, quod habet idem Vasquez *ibidem* contra eundem Cajet. Dicit enim non minus falsum esse, quod Cajet. habet, nimirum voluntarium non tolli per negationem solam, scilicet per non voluntarium, sed per contrarium, scilicet per involuntarium. Nam voluntarium per involuntarium quatenus involuntarium est, non potest tolli, sed cum illo potest manere: propriè autem tollitur per non voluntarium; hæc autem negatio proximè sequitur ex negatione scientiæ. Et propria ratio excusans omninò à culpa non est involuntarium, sed non voluntarium. Hæc Vasquez, qui nec ad veritatem, nec ad sua principia consequenter loquitur, & non distinguit inter excusare à culpa hunc vel illum actum, & excusare à culpa ipsum agentem simpliciter. Nam ad hoc ut actus excusetur à culpa, sufficit quod non sit voluntarius. Et nihilominus, si benè consideretur hic actus non est purè negativè, & contradictoriè non voluntarius, sicut nec assensus ex medio probabili est purè negativè inevidens. Quia ut benè Cajet. habet, contradictoria negatio nihil ponit, At verò actus ignoranter factus, & assensus inevidens ex medio probabili sunt actus positivi, licèt privati scientia, & evidentia, unde nec voluntarium quando tollitur per actum, tollitur per puram negationem contradictoriam, & per solùm non voluntarium, sed per actum, qui alicui actui voluntatis est contrarius, & non est pura negatio contradictoria actus volendi. Verùm ad hoc, ut agens excusetur à culpa, ut docet idem Vasquez *cap.3.* non sufficit, quod habeat aliquem actum non voluntarium, quia stat quod agens simul cum illo actu non voluntario possit habere actum circa eundem actum externum, & objectum simpliciter voluntarium, & sic stat quod homo agens sit simpliciter voluntarius; igitur ad hoc ut homo agens ex capite non voluntarii excusetur à culpa simpliciter, necesse est quod sit positivè involuntarius per actum totaliter excludentem voluntarium, & non sufficit, quod ex uno motivo, vel actu sit solùm non voluntarius, si aliunde permittatur esse voluntarius simpliciter.

Eodem modo non obstat, quod asseruit Corduba *l.2. quæst.19.* nimirum quod intentio mala in agente cum ignorantia concomitante manet virtualiter, & quod tunc licèt agens ignoret materialiter, quod agit, non ignorat tamen formaliter. Nam qui determinavit se nolle jejunare, licèt posteà diem jejunii ignorans non jejunet, ignorat quidem diem jejunii materialiter, sed illud formaliter non ignorat, quia iste jam decrevit in die jejunii non jejunare: verùm ut benè advertunt Gregor. Martin. *d. dub. 1. concl. 1.* & Alvarez *dict. disp.156. num.8.* & Vasquez *dict. disput.125. cap.2. num.5.* talis ignorans respectu illius actus est ignorans tam materialiter quàm formaliter. Quoniam tota illa mala intentio, & decretum non jejunandi accidentaliter, extrinsecè, & solùm concomitanter se habet ad illam fractionem jejunii. Non enim illa jejunii violatio est ex illa præterita voluntate non jejunandi, sed ex eo, quod tunc non jejunans putat non esse diem jejunii. 294

Hinc descendendo ad particularia sequitur, quod intemperans, qui libidinosè est affectus erga mulierem, si illa loco propriæ uxoris ei subjiciatur ipso justè ignorante, non peccat, si illam cognoscat imò tenetur reddere, si ipsa petat, licèt aliàs nihilominus libentissimè illa abuteretur, si illam non esse suam uxorem cognosceret. Similiter si quis accedat ad mulierem, quam ignorat nuptam, & licèt sit in ea dispositione, ut accederet ad illam, etiam si cognosceret nuptam, si verè ignorantia non est consequens, & voluntaria, non est adulter, quia actus ille in ratione adulterii non est voluntarius. Item avarissimus homo, qui habet voluntatem accipiendi alienum quotiescumque poterit, si invento in propria domo, v. g. auro, quod verè est alienum illud accipiat putans esse suum, non peccat peccato furti. Sic quoque venator, qui putans probabiliter feram, occidit inimicum, non est homicida. Hæc enim & similia exempla traduntur communiter à DD. citatis, qui sentiunt ignorantiam concomitantem excusare à culpa actum ignoratum. 295

Imò ex dictis sequitur posse contingere, quod actus ignoranter habitus etiam si sit de objecto malo possit esse actus virtutis, & laudabilis & de se meritorius. Med. *p.2. qu.6. art.8. §. Addo ad hæc, & ibid.* Mart. *dub.2. concl.2.* Ut patet ex dato exemplo ejus qui amasiam meretricem invincibiliter putet esse suam uxorem; tenetur enim ei petenti reddere debitum, & reddere tunc est actus virtutis justitiæ, & ideò quantum sit ex parte sua meritorius, nisi meritum tolleret prava voluntas, quæ illum actum concomitatur. 296

Sequitur quoque ex prædictis, quod sicut ignorantia concomitans excusat actum ignoratum à culpa, ita excusat illum à censura, & pœna, & ita quidquid in contrarium dixerit Covar. *in cap. Alma mater par.1. §.10. num.15. vers. Decimò perpensis*, qui percutit clericum, quem putavit esse laicum, si aliàs etiam percusisset eum, si cognovisset esse clericum, non est excommunicatus ex vi can. *Si quis suadente Diabolo 17. quæst.4.* si verè ignorantia fuit purè concomitans, & non simul consequens, quia percussio illa non fuit in hoc casu ex voluntate irrogandi injuriam Clericatui, & quatenus de facto intulit, id fuit involuntarium; unde percussio illa, sicut non est sacrilegium voluntarium, sic non est subdita censuræ, ut tradunt Vasquez *part.2. disput.125. cap.3.* Ildefonsus *part.2. quæst.6. dub.97. num.94.* Suarez *de cens. disput.5. sect.8. num.8.* Addit verò Vasquez eum, qui sic laborat ignorantia concomitante, si aliquem offendat, non teneri ad restitutionem; quod ut advertunt Ildefonsus *part.2. quæst.6. art.8. num.94.* & Card. de Lugo *disp.8. sect.6. num.72.* est verum de restitutione ex causa injustæ acceptionis; nam aliàs qui habet alienum ignoranter cessante bona fide tenetur restituere. Advertendum est etiam, quod si censuræ sit subdita, v. g. nedum actio percussionis Clerici, sed etiam ratihabitio illius, sicuti in canone 11. Bullæ cœnæ excommunicantur ratam habentes percussionem Cardinalium, Patriarcharum, &c. si qui percussit ignoranter Clericum posteà cognito Clericatu ratam habeat percussionem factam, erit excommunicatus, 297

catus, sed non quia percusserit, sed quia percussionem ratam habuit. Cæterùm gaudium quod habetur post malum factum cum ignorantia concomitante adveniente scientia, vel ratihabitio facti sunt quidem actiones malæ, & peccata, sed non faciunt, quod factum ignoranter fuerit, vel sit peccatum Greg. Martin. *part.2. qu.6. art.8. d.2. conc.3.* Montes. *qu.76. art.3. num.*101. Quod si quis ignoranter hoc modo percussit clericum, non propterea erit excommunicatus, si factum posteà ratum habeat, ut præfati DD. habent, & tradit Vasquez *p.2. disp.*125.*n.*3. & Suarez *d.4. sect.*1.*num.7. &* 8.

300 At verò si venatori, cui occurrit fera, veniat in animum inimicus, & ipse nulla alia facta diligentia illum occidat, licèt putet esse feram, est verè homicida secundùm Martin. *p.2. disp.76. art.3. d. p.* & Suarez *tract.2. d.4. sec.2. num.*15. Quod tamen debet intelligi, si interfuit aliqua negligentia, non verò si venator jam fecit diligentiam sufficientem, per quam sit sibi certus animal illud esse bestiam.

301 Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dicitur, quod probat, quod ignorantia concomitans non excusat volentem à culpa, quia compatitur secum voluntatem actus aliàs involuntarii quia ignorati. Et ad secundum dicitur eodem modo, quod volens est malus illo interno actu malo, quo malum vult; sed tamen actus externus, imò & internus imperans actum externum, quia est ex ignorantia inculpabili, non est malus.

SVMMARIVM.

302 *Sensus quæstionis.*
303 *Ignorantia invincibilis excusat ab hæresi.*
304 *Quæ ignorantia invincibilis.*
305 *Qui docetur bona fide à viro docto probabiliter ignorat.*
306 *Ignorantia probabilis excusat in utroque foro.*
307 *Ignorantiam crassam non excusare ab hæresi plures docent.*
308 *Ad hæresim requiri incorrigibilitatem alii asserunt.*
309 *Ignorantiam etiam affectatam excusare alii volunt.*
310 *Ignorantiam crassam excusare in foro interno non in externo tradunt alii.*
311 *Motiva harum opinionum.*
312 *Plures distinctiones consideranda.*
313 *Circa mysteria, quæ non sunt explicitè credenda, ignorantia excusat ab hæresi.*
314 *Non scire expressè, quæ non sunt sufficienter proposita, non est ignorantia crassa.*
315 *Respectu eorum, quæ non est necesse explicitè credere, non est ignorantia crassa in rustico, &c.*
316 *Respectu eorum, quæ sunt sufficienter proposita, vel non adest crassa ignorantia, vel si crassa, non excusat ab hæresi.*
317 *Supposita sufficienti propositione fidei, quando adesse possit ignorantia.*
318 *Ignorantia crassa ejus, quod quis tenetur explicitè credere, non excusat ab hæresi.*
319 *Probatur hoc ex D. Th.* 320. 321.
322 *Si error ex ignorantia non esset hæresis, paucissimi essent hæretici coram Deo.*
323 *Ejusdem speciei est error ex ignorantia, & scientia, licèt hic sit pejor.*
324 *Error ex ignorantia est hæresis, & punitur ab Ecclesia.*
325 *Error ex ignorantia in pagano est in specie paganismi.* 326.
326 *Non est ignorantia crassa in eo, cui fides sufficienter non est proposita.*
327 *Non probatur, quod nomen hæresis non dicatur de errore contra fidem, qui sit ex ignorantia.*
328 *An errans teneatur credere Episcopo, vel Inquisitori.*
329 *Vbi veritas non sit definita ab Ecclesia non tenetur quis credere.*
Vbi veritas est definita ab Ecclesia hæreticus in utroque foro est, qui non credit Episcopo, vel Inquisitori nomine Ecclesiæ, sufficienter proponenti veritatem.
330 *Episcopi, vel Inquisitoris propositio moraliter est sufficiens.*
331 *Qui admonitus ab Episcopo, vel Inquisitore non credit, habendus est ut hæreticus in utroque foro.*
332 *Nisi propositio sit insufficiens.*
333 *Facilius censendus pertinax vir doctus.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.
334 *Protestatio de credendo, quod credit Ecclesia, quando juvet.*
335 *Hæreticus non dicitur, nisi qui scienter negat fidem.*
336 *Non est eadem ratio de homicida, & hæretico.*
Quæ habent effectum retractabilem, non denominant simpliciter, nisi habeant firmitatem.
337 *Quis hæreticus in foro externo, & interno.*
338 *Qui ex ignorantia errat in fide abjurare debet.*
339 *Quæ consideranda, ut præsumatur hæresis.*
340 *Ignoranter crassè errans circa fidem debet abjurare.*
341 *In ordine ad multas pœnas legis non est hæreticus, qui non est pertinax.*
341 *Intellectus cap. Dixit Apostolus 24. quæst.3.*
342 *Et cap. Hæresis 24. qu.3.*
Et cap. Damnamus de Summ. Trin.
343 *Qui ignoranter culpabiliter errat in fide, recedit ab objecto formali fidei.*

Quæstionis Primæ

ARTICULUS XVI.

An ignorantia etiam consequens aliquando excuset ab hæresi.

IGnorantia consequens cùm sit voluntaria, à culpa non excusat; quod enim fit ignoranter consequente ignorantia, fit voluntariè, cùm agens hujusmodi possit, & debeat scire, & scire negligat, & ignoranter agat, quia negligit scire, quod potest scire, & tenetur. Et nihilominus dubitatur, an aliqua detur ignorantia, quæ licèt sit consequens, & vincibilis, excuset ab hæresi, & ex consequenti à pœnis contra hæreticos latis. 302

Est enim certum, & prorsus indubitatum ignorantiam invincibilem, seu probabilem, & antecedentem eorum, quæ sunt fidei excusare à culpa hæresis, & à pœnis latis contra hæreticos. Sotus 4. *d.22. q.2. art.2. post 5. conclus. casu* 1. Pegna *p.1. direct. quæst.7.* Castro *de justa hæret. punit. 1. c. 9.* Ricciull. *de jure Person. extr. l.5. c.7. num.6.* Sanctarell. *de hær. cap.*1. *dub.5. n.20.* Farinac. *de hæres. qu.179. num.23. 25. & 26.* Sousa *lib.1. Aphor. cap.12. n.7. &* 11. Carena *p.2. tit.1. §.11. n.63.* Sallelles *tom.3. lib.5. cap.3. reg.386. n.23.* Cardin. de Lugo *de fide disp.20. sect.6. num.*171. 303

Censetur verò esse in aliquo ignorantia invincibilis, seu probabilis, nedum si quis nihil prorsus audivit de fide, vel quod audivit, fuit insufficiens motivum ad hoc ut necessitaret illum ad credendum, vel quia non habuit à quo fidem adisceret; sed etiam si quis falsò edoctus fuit ab eo, cui tenebatur credere, ut ignarus à Doctore, & pio, discipulus à Magistro, Filius à Patre, Parochianus à Parocho, vel Episcopo. Sallelles loco citato. Ubi, quod hæc ignorantia excusat tam in foro externo, quàm in interno, & non solùm ab hæresi, sed à suspicione hæresis, & ex consequenti ab omni abjuratione. 304

Quod tamen intelligendum credo, si qui docent, nimirum Doctor, Pater, Parochus habentur ut Fideles, & Catholici Romanæ, & universalis Ecclesiæ communionem habentes: aliter enim non posset in eo, qui docetur admitti bona fides, & probabilis, seu rationabilis ignorantia, si adesset, vel adesse deberet probabile dubium de fidelitate docentis. Sed nec semper hæc probabilis ignorantia præsumitur in eo, qui errat in fide. Sed de hac ignorantiæ præsumptione infrà erit sermo. 305

Nunc verò satis est, quod ubi ignorantia rerum fidei sit probabilis, & de illa constet in foro externo, talis ignorantia excusat tam coram Deo, quàm coram hominibus. Et hoc probatur manifestè ex illo Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quod de peccato infidelitatis intellexerunt S. August. *l.3. ad Bonif. c.3. & Epist. 50. in fin. & tract.89. in Io.* & ad illum locum *Io.* D. Thom. Cajet. & alii. Hinc enim tanquam indubitata veritas colligitur, quod qui fidem ignorant, quia quæ fidei sunt non audierunt, excusantur à peccato infidelitatis. 306

De ignorantia verò crassa loquendo diversæ valdè sunt sententiæ. Prima universaliter negat ignorantiam crassam, seu vincibilem, & consequentem, excusare à culpa hæresis, & excommunicatione lata contra hæreticos. Nam ignorantia consequens, & voluntaria, seu crassa non 307

excusat à peccato. Quod probatur primò, quia aliter vix dari posset in mundo peccatum hæresis, quia quis est ex hæreticis, qui non erret per ignorantiam? Et quis non crederet, si sciret, & non ignoraret Deum esse, qui res credendas revelavit, & veram Ecclesiam illas revelasse? Nam & hæretici hæc ignorant, & ita hæretici non essent, si ignorantia crassa excusaret ab hæresi. Secundò, nam voluntarium indirectum sufficit ad peccandum contra virtutem; igitur sufficit in baptizato ad peccandum peccato hæresis. Est enim evidens, quod peccans ex ignorantia crassa contra justitiam peccat peccato injustitiæ. Et ejusdem rationis, & speciei est adulterium scienter, vel ex ignorantia crassa commissum. Igitur etiam error indirectè voluntarius ex ignorantia, si in homine baptizato reperiatur, est hæresis, sicuti hæresis est error directè voluntarius. Tertiò, nam ad hoc, ut quis peccet peccato infidelitatis Paganismi, aut Judaismi sufficit, quod quis erret in fide ex ignorantia crassa, ut est de se manifestum; igitur hoc idem sufficiet ad hoc, ut vir baptizatus peccet peccato hæresis. Quartò, quia in homine baptizato error circa res fidei indirectè voluntarius verè opponitur fidei, & illam tollit, sicut peccatum contra materiam charitatis verè opponitur charitati, & illam tollit; est igitur peccatum infidelitatis: quod in homine baptizato est hæresis. Ideò, quod ignorantia crassa, seu consequens non excuset ab hæresi dixerunt Sotus 4. *dist.*22. *q.*2. *art.*3. *post* 5. *concl.* Lopez *p. p. instruct. cap.*20. *tit. de excom. reservatis in Bulla Cœnæ, casu* 1. Palacios *in* 3. *dist.*15. *disput.*7. *concl.*4. *&* 5. Quod ad ignorantiam nimis crassam restringunt Valentia *tom.*3. *disp.*1. *qu.*11. *p.*4. licèt id absolutè non affirmet, quod posteà absolutè voluit Sayrus *in Thesaur. lib.*3. *cap.*4. *n.*15. Et hoc magis alii limitant dicentes solam ignorantiam affectatam non excusare ab hæresi. Ita Canus *l.*12. *de locis cap.*9. *& seq.* Navarr. *l.*2. *de restit. part.*2. *dub.*8. *num.*200. *in p. edit.* in quam partem inclinat Corduba *l.*1. *qu.*17. *§.*17. & Torrensis *de Trinit. qu.*32. *art.*4. *in* 2. *p. comment.* Nam ignorantia affectata voluntarium non minuit, ut habet D. Th. *p.*2. *q.*76. *art.*4. & cum eo omnis schola. Et hoc alii magis limitant, ut sola ignorantia affectata non excuset, tunc cum ignorantia affectatur ex falsa opinione contra Ecclesiam, quasi parvi momenti sit Ecclesiæ propositio, vel ad finem liberiùs errandi in fine, Sanchez *l.*2. *mor. cap.*7. *num.*23. quem alii sequuntur.

308 Secunda sententia extremè contraria est, quod nedum ignorantia crassa, & affectata excuset ab hæresi, sed quod ad hæresim non sufficiat etiam scienter errare contra fidem, nisi error sit pertinax, & contumax, & non obstante monitione durans, ut sic ad hæresim sit necessaria incorrigibilitas, & non possit peccare quis peccato hæresis statim, sed requiratur, quod per aliquod tempus homo monitus contumax perseveret in errore. Et hæc sententia solet tribui Archidiac, & Silvest. *v. hæresis p. qu.*2. *num.*5. Glossa *Clement. unic. de summ. Trinit. v. pertinaciter*; Præcipuè verò tribuitur Alciat. *l.*2. *de Summ. Trinit.* Sed DD. isti non loquuntur de hæresi in foro conscientiæ, sed in foro externo, & de hæresi præsumpta. Videtur verò probari hæc sententia ex illo Pauli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*. Hinc enim colligi videtur hæreticum non esse, quem æstimandum, nisi sit obstinatus post secundam, vel trinam monitionem.

309 Tertia sententia est, quod ignorantia crassa, imò & affectata excusat ab hæresi, ita quod ad hæresim sit necessaria scientia, & involuntarium directum, non tamen sit necessaria obstinatio, & exercita perseverantia in errore, sed sufficiat, quod quis scienter erret contra fidem, Et ita senserunt Cajet. 2. 2. *qu.*11. *art.*2. *ad tertium*, & ibid. Bannes, & Aragon. Vasquez *p.*2. *qu.*76. *art.*3. *disp.*126. *cap.*2. Durand. 4. *d.*13. *q.*5. *num.*6. Palud. *ibid. qu.*3. *art.*1. *n.*4. Suarez *de fide disp.*19. *sect.*3. *num.*8. Sanchez *l.*2. *mor. cap.*7. *num.*20. Sallelles *l.*5. *c.*3. *Regula* 386. *num.*25. Silvest. *v. hæresis p. in princip.* Armilla *num.*2. Angelus *v. hæreticus in initio*. Navarr. *cap.*11. *num.*22. Canonistæ *ad cap. Firmiter, de summ. Trinit.* Covarr. *l.*3. *variar. cap.* Simanc. *tit.*31. *num.*10. *& toto tit.*38. Peña *in* 2. *p. direct. comment.* 1. Toletus *l.*6. *cap.*3. *num.*7. Castro *de justa hæretic. punit. l.*1. *cap.*9. *& l.*2. *cap.*17. Ricciull. & Sanctarell. apud Carenam *p.*2. *tit.*1. *§.*11. *n.*66. Palaus *tract.*4. *disp.*3. *p.*2. *n.*3. Card. de Lugo *de pœnit. sect.*4. *§.*6. *& de fide disp.*17. *sect.*4. *& disput.*20. *sect.*6. *num.*174. *& sequent.* & apud eum Hurtado, Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 36. & apud istos quamplures alii.

Quidam tamen distinguunt, & dicunt hoc procedere in foro conscientiæ. Nam in foro fori circa ea, quæ unusquisque tenetur credere, vel quæ quis tenetur scire ex officio, vel quæ passim, & communiter omnes illius qualitatis sciunt ignorantia non creditur, neque præsumitur, Menoch. *cons.*8. *num.*275. Farinac. *de hæresi qu.*176. *num.*27. *&* 28. Simancas *tit.*27. *num.*13. Decian. *in tract. crimin. l.*5. *cap.*37. *num.*15. Peña *p. part. qu.*7. *com.*22. *in* 2. *Regula*. Palaus *dict. part.*2. *num.*5. Diana *d. resol.*36. Carena *part.*2. *tit.*1. *§.*11. *num.*68. 310

Quod verò saltem in foro conscientiæ ignorantia qualibet excuset ab hæresi probatur primò, quia ubi non est scientia, ibi non est pertinacia, non enim pertinax dici potest, qui ignoranter negat, quod est fidei, paratus se emendare, sed hæresis est error cum pertinacia, ex D. Thom. 2. 2. *qu.*11. *art.*2. *ad tertium*. August. *epist.*102. *cap. Dixit, Apost.* 24. *qu.*3. *& ibid. cap. Qui in Ecclesiam, cap. Damnamus, de summ. Trinit. cap. Excommunicamus, de hæret. cap. Cum contumacia de hæret. in* 6. *& Clem. unic. de summ. Trinit. & extravag. Vas electionis de hæret.* Et ita *ad d. cap. Damnamus de summ. Trinit.* docuerunt Gloss. *in v. corrigenda*, Abb. *antiq. num.*3. Hostiens. *num.*18. Jo. Andr. & Bellarm. *in princ.* Panorm. *num.*5. Fagnan. & communiter DD. qui ergo non errat scienter in fide non est hæreticus. Secundò, nam non est formaliter hæreticus, qui non recedit ab objecto formali fidei, quod est veritas divina proposita per Ecclesiam: At verò qui ex ignorantia errat in fide paratus credere, ubi sibi constet Ecclesiam id docere, non recedit à formali objecto fidei, non est ergo formaliter hæreticus. 311

Sed distinguendum hic est inter hæresim, & hæreticum, ut fecit Cajet. *p. p. qu.*32. *art.*4. & inter forum conscientiæ, & in ordine ad culpam coram Deo, & forum contentiosum, & in ordine ad pœnas à jure positivo latas, & inter errorem oppositum illis, quæ quis explicitè scire, & credere tenetur, & errorem circa ea, quæ sufficit credere implicitè? Nam in foro conscientiæ, & coram Deo ignorantia crassa non excusat à peccato hæresis, si quis erret circa ea, quæ expressè tenetur credere; quamvis in foro externo, & in ordine ad plures pœnas in hæreticos latas, sit necesse, quod quis sit hæreticus scienter, seu etiam respectivè obstinatus, & pertinax. Hæc verò asserta explicantur, & probantur. 312

Datur igitur primò distinctio veritatum fidei, quia aliquæ sunt, quæ errans tenetur explicitè scire, & credere; aliæ verò sunt, quæ errans non tenetur explicitè scire, & credere, sed sufficit, quod ea implicitè credat in fide Ecclesiæ, credendo scilicet quidquid credit Ecclesia, vel si eas credit Ecclesia. Nam de istis veritatibus, quæ non est necesse, quod aliquis ea explicitè, & expressè credat, ignorantia etiam aliquo modo voluntaria potest excusare ab hæresi; quia non est contra fidem, neque alia species infidelitatis non credere explicitè, quod fides non obligat ad explicitè credendum, sed solùm ad credendum implicitè in aliorum fide, scilicet in fide Ecclesiæ. Modo qui ex ignorantia voluntaria errat circa aliquam fidei veritatem, quam adhuc non tenetur credere explicitè, & expressè, aliàs verò firmiter credit, quidquid credit sancta Mater Ecclesia, cujus judicio se submittit, non peccat contra fidem, quia implicitè credit, & quidem firmissimè illam veritatem, quam ignorans negat explicitè, & ad satisfaciendum præcepto fidei circa hujusmodi sufficit implicita fides. Et error in isto non est ex absoluta voluntate, sed conditionata, nec error ille est incompossibilis cum fide, quia assensus conditionatus conditione, si aliud fides non doceat, solùm materialiter, & secundùm quid fidei opponitur, sed simpliciter stare potest simul in eodem subjecto cum fide. 313

Et nihilominus alia distinctio omninò attendi debet Vel enim veritas circa quam aliquis errat ipsi erranti fuit sufficienter proposita, ut veritas fidei à Deo revelata, & ab Ecclesia proposita, ut credenda, vel saltem ut probabiliter dubitare teneatur, quod sit veritas fidei, vel non est sufficienter proposita. Si non est sufficienter proposita, ut nec obliget ad ejus fidem explicitam, nec ingerere possit rationabile dubium, quod sit veritas de fide, errans circa illam non laborat ignorantia crassa, vel culpabili, sed ignorantia invincibili, vel certè probabili, Nam & respectu veritatum, quas aliquis non tenetur explicitè credere, nec tenetur eas scire explicitè, vel facere diligentiam, ut illas sciat, & ita 314

respe-

respectu earum negligentia sciendi, imò affectatio non sciendi per se non est culpabilis contra fidem, cùm ad talem explicitam scientiam habendam non teneatur; quamvis hæc negligentia sciendi aliundè possit esse culpabilis, tanquam contra propriam charitatem, ex qua proprias perfectiones, & maximè intellectuales tenetur quis sibi procurare, cùm de facili potest id facere; sed ex vi præcepti fidei, non tenetur homo explicitè scire, quod non tenetur explicitè credere; ideò negligentia id sciendi non est culpabilis, & ejus ignorantia est probabilis, quia est ignorantia ejus, quod ignorans non tenetur scire.

315 Ita non est ignorantia crassa, vel affectata in rustico, vel muliere, vel mercatore, vel milite, vel alio simili, qui nedum negligit, sed scienter directè non vult esse Theologus, nec vult scire omnes propositiones de fide. Quia ad hujusmodi explicitam notitiam non tenetur. Nec interest, quod si hoc ignoret videtur esse in periculo errandi in fide; quia cessat omne periculum erroris formaliter, si firmiter credit, quidquid credit Ecclesia. Error autem materialis non est contra fidem. Et hunc etiam potest vitare, nihil temerè affirmando circa materiam gravem, quæ ad fidem pertinere possit. Et ubi rationabiliter suspicari possit aliquid esse, vel non esse de fide suspendendo judicium, & se fidei Ecclesiæ remittendo.

316 Sed si veritas fidei, quæcumque illa sit, est alicui sufficienter proposita, ut prudenter non possit homo illi dissentire, tunc vel non habet locum ignorantia, quia adest scientia, vel si ignorantia est crassa, vel non probabilis, non excusat ab hæresi. Est enim hic considerandum, quod hic non est sermo de præcepto fidei præcisè ut est affirmativum, & obligat ad exercitium credendi, sed ut est etiam negativum, & obligat ad non negandum veritatem fidei, vel non dissentiendum ei veritati, quam fides docet. Et ulteriùs advertendum, quod ad hunc effectum sufficit, ut veritas fidei sit proposita sufficienter saltem ad hoc, ut obliget ad dubitandum, an veritas sit, vel non sit de fide, hæc enim scientia, & notitia licèt dubia sufficit ad hoc, ut homo teneatur suspendere judicium, & assensum, & ut non possit absolutè negare, seu dissentire illi veritati, de qua dubitat, an sit una ex revelatis à Deo, & propositis ab Ecclesia. In hoc ergo casu vel non habet locum ignorantia, vel illa est probabilis, vel non excusat ab hæresi.

317 Non habet locum ignorantia, si is, cui fides est sufficienter proposita apprehendit veritatem propositam esse unam de illis, quæ credi debent, vel etiam saltem de hoc dubitat. Potest verò esse in hac parte ignorantia actualis, quæ est oblivio, vel inconsideratio. Et hæc si sit naturalis, seu probabilis, excusat, quia jam illa non est voluntaria, nec imputatur ad culpam. Potest etiam esse ignorantia, si is, cui proposita est veritas sufficienter solùm, ut possit dubitare, interim negligat scire determinatè veritatem, & dubietatem suam tollere. Sed respectu veritatum, quas non tenetur quis explicitè credere, illa ignorantia, & negligentia non erit culpabilis ex vi præcepti fidei, cùm illud non obliget ad illam scientiam.

318 Sed quandocumque, & quotiescumque quis potest, & tenetur explicitè scire, vel non dissentire explicitè veritati fidei, eò quòd sibi sit sufficienter proposita, ut obliget ad assensum, vel saltem ad non dissensum, si quis dissentiat ignorantia, quæ tunc sit crassa, vel non probabilis, non excusat eum ab infidelitate, & ab hæresi. Et sic dicitur universaliter quod ignorantia crassa, vel non probabilis non excusat errantem contra fidem ab infidelitate, & ab hæresi, si errans sit baptizatus, quia tunc negat veritatem fidei, cùm potest, & tenetur non negare.

319 Probatur autem hoc primò auctoritate D. Th. *p.p. qu.42. art.4.c.* ibi: *Et circa hæc opinari falsum, hoc ipso inducit hæresim, maximè si pertinacia adjungatur.* Benè autem Cajet. ponderavit dictionem illam *maximè*, ex qua apertè habetur, quod licèt tunc præcipuè inducatur hæresis, cùm error est pertinax, tamen & sine hujusmodi pertinacia propriè, & rigorosè sumpta hæresis est error voluntarius contra fidem, à qua scilicet errans tenetur explicitè non dissentire. Secundò idem probatur ex D. Tho. *quodl.3. art.10. c.* ibi: *In his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri; in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum hæresiarcharum; nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequatur. In rebus enim dubiis, non est facile præstandus assensus, quinimò, ut August. dicit in lib.3. de doctrina Christiana, consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit. Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Apertè hic D. Thom. docet, quod in rebus fidei ignorantia non excusat, & quod in dubiis non debet quis temerè unum, vel oppositum asserere, sed inquirere, & consulere, & interim nihil determinatè asserere, quod possit veritati fidei repugnare.

320 Sed & hoc idem D. Thom. docuit *quæst.8. de malo, art.1. in 7. arg. & ejus respons.* Erat enim hoc septimum argumentum. *Præterea hæresis est quoddam vitium. Sed in eo, qui incurrit hæresim ex pura ignorantia, non causatur hæresis ex aliquo prædictorum vitiorum: ergo aliquod vitium est, quod non oritur ex præmissis, & sic sufficienter assignantur septem vitia capitalia.* Ad hoc verò argumentum sic respondet.

Ad septimum dicendum, quod quatuor videntur ad defectum cognitionis pertinere, scilicet, nescientia, ignorantia, error, & hæresis; inter quæ nescientia est communius, quia importat simplicem carentiam scientiæ, unde & in Angelis Dionys. quandam nescientiam ponit, ut patet in sexto capite Eccl. hierarc. ignorantia verò est quædam nescientia eorum, scilicet, quæ homo natus est scire, & debet. Error verò supra ignorantiam addit applicationem mentis ad contrarium veritatis: ad errorem enim pertinet approbare falsa pro veris. Sed hæresis supra errorem addit aliquid, & ex parte materiæ, quia est error eorum, quæ ad fidem pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum: quæ quidem pertinacia ex superbia oritur. Magna enim superbia est, ut homo sensum suum præferat veritati divinitus revelatæ; hæresis ergo ex simplici ignorantia proveniens, si sit peccatum, ex aliquo prædictorum vitiorum oritur: Imputatur enim homini ad peccatum, si non curat addiscere ea, quæ scire tenetur: videtur autem hoc ex accedia provenire, ad quam pertinet refugere spirituale bonum, inquantum est impeditivum boni corporalis. Admittit ergo expressè D. Th. dari hæresim, quæ ex simplici ignorantia proveniat, & quæ sit peccatum, quia imputatur ad peccatum homini, si non curat scire, quod scire tenetur, ex hoc & accedia provenire videtur.

321 Sed ad hoc idem probandum valent, quæ habet D. Th. *4. d.13. qu.2. art.1. ad 6.* ibi: *Ad sextum dicendum, quod in fide sunt aliqua, ad quæ explicitè cognoscenda omnis homo tenetur: unde si in his aliquis errat, infidelis reputatur, & hæreticus si pertinaciam adjungat. Si autem sunt aliqua, ad quæ explicitè credenda homo non tenetur, non efficietur hæreticus in his errans, ut si aliquis simplex credat Iacob patrem fuisse Abrahæ, quod est contra veritatem scripturæ, quam fides profitetur, quousque hoc sibi innotescat, quod fides Ecclesiæ contrarium habet, quia non discedit per se loquendo à fide Ecclesiæ, nisi ille, qui scit hoc, à quo recedit de fide Ecclesiæ esse. Et quia quædam sunt quæ in fide Ecclesiæ implicitè continentur, ut conclusiones in principiis, ideò in his diversæ opiniones sustinentur, quousque per Ecclesiam determinatur, quod aliquid eorum contra fidem Ecclesiæ est, quia ex eo sequitur aliquid contrarium fidei directè.* Distinguit D. Th. inter infidelem, & hæreticum, & eum, qui errat circa explicitè credenda vocat infidelem, & etiam hæreticum si adjungatur pertinacia, sic docens expressè, quod talis contra fidem peccat, licèt non dicatur hæreticus, nisi pertinaciam addat.

322 Idem verò probant rationes, quas pro se affert prima sententia. Et quidem urget, quod primò adducebatur, quia nimirum paucissimi essent, qui coram Deo essent hæretici, seu peccarent peccato hæresis, si ab ea ignorantia crassa excusat; quia paucissimi sunt, qui scienter veritati à Deo revelatæ resistant. Non enim vim argumenti tollit, quod habet Cardin. de Lugo *disput.20. de fide sect.6. num.194.* nimirum, quod plurimi sunt, qui ab hæresi non excusantur, quia illis Ecclesiæ Catholicæ auctoritas est sufficienter proposita, ut illam credere teneantur, & qui ab ea sibi nota recedunt, vel ex carnis illecebris, vel vitæ licentia, vel divitiarum, aut dignitatis mundanæ affectu. Cujus signum est quod multi in morte Ecclesiæ fidem recognoscunt. Verùm quis non videat, quod si non sunt censendi coram Deo hæretici, nisi qui in morte ab hæresi recedunt,

dunt, hi sunt paucissimi? Et tamen aliàs paucissimi etiam essent, & ferè nulli, qui in morte fidem Ecclesiæ non profiterentur, si scirent fidem, quam in vita professi sunt, esse falsam. Sed responsio non distinguit inter scibile, & scire. Ex sufficienti enim propositione rerum fidei sequitur scibilitas, quia nimirum ab eo cui fidei veritas est sufficienter proposita credibilitas propositæ veritatis sciri potest, & debet. Sed ex sufficienti hac propositione non potest deduci actualis scientia, quia potest esse, & sic ut plurimum contingit in hæreticis, ut vel ex ruditate ingenii, vel ex motivis contrariis, vel etiam ex prava aliqua affectione mentem excæcante is, cui proponitur fides, vim propositionis veritatis non percipiat, & in propriæ sectæ credulitate persistat, quia ita persistendum esse credat, & se in hoc Deo obsequium præstare existimet, sicut existimant hæretici, sic non ex scientia, sed ex crassa ignorantia ab Ecclesiæ magisterio recedentes. Nam certum est quod Judæis à Christo veritas fidei Christi fuit sufficienter proposita, & tamen eorum error fuit ex ignorantia crassa, ut habetur dictum à Petro Apostolo Actor. *cap.3.*

323 Sed à priori magis urget secunda ratio, quia nimirum species peccatorum desumitur ab objecto, unde voluntarium indirectum, & directum non differunt specie. Sic enim ejusdem speciei est homicidium voluntarium & casuale ignoranter patratum. Quod enim dixit Hurtado *disp.* 82. §.60. Quod peccatum ex scientia est magis voluntarium, & quod error ex ignorantia habet pro objecto negationem studii & diligentiæ, error verò ex scientia habet pro objecto negationem auctoritatis Ecclesiæ, & qui ex ignorantia errat negat solùm objectum revelatum, & non vult scire propositionem Ecclesiæ, hæreticus verò negat objectum revelatum, & Ecclesiæ auctoritatem, quam jam cognoscit sibi adversari, & ideò illi duo errores specie distinguuntur. Quod inquam, sic dicitur, valdè deficit. Primò enim ex quo peccatum ex scientia sit magis voluntarium, non probat nisi quod intra eandem speciem sit intensius, & gravius, ubi alias ex objecto nulla est differentia. Deinde falsum est, quod qui errat ex ignorantia crassa non offendat auctoritatem Ecclesiæ, & eam non neget, seu ab ea non dissentiat, Cùm liberè non credat, quod Ecclesia credendum proponit, & præcipit, stante in hoc distinctione, quod in errante ex ignorantia hic contemptus est voluntarius interpretativè & indirectè, sed in errante scienter est voluntarius directè. Et dato, quod qui errat ex ignorantia crassa non neget omnem veritatem, quam negat, qui errat ex scientia; hoc non sufficit ad distinctionem specificam, Nam ejusdem speciei est hæresis ejus qui negat totum symbolum fidei, & ejus qui unum ejus articulum solùm non credit: quia hæc est materialis differentia & individualis, non specifica, cùm non sit in ordine ad diversum objectum formale. Sunt igitur ejusdem speciei contra fidem error ex crassa ignorantia, & ex scientia.

324 Quod verò habet Card. de Lugo *dict. disput.20. num.*180. *&* 181. ut rationem hanc solvat, & asserit errores hos ex crassa ignorantia, & scientia esse ejusdem speciei, sed secundùm esse gravius primò, & puniri ab Ecclesia, & hunc solùm venire sub nomine hæresis formalis; jam reducit quæstionem ad nomen, & ad forum externum; & nihilominus etiam hoc non sufficit, quia ab Ecclesia ubi sibi constet de ignorantia crassa errantis in fide errantem punit, licèt non iis pœnis, quæ in jure contra scienter errantes sunt latæ.

325 Idem probat alia ratio ex hoc desumpta, quod in aliis duabus speciebus infidelitatis, qui errat ex crassa ignorantia committit peccatum paganismi, vel judaismi. Et si dicatur ex Suarez de fide *disp.19. sec.3. num.25.* dari posse infidelitatem privativam sine pertinacia. At verò infidelitas positiva, & contraria qualis est hæresis, non potest esse sine aliqua fidei notitia, saltem per sufficientem propositionem: meritò instatur, quia & dari potest in baptizato omissio fidei; & vis rationis allatæ in hoc stat, quod error Pagani, vel Judæi, si sit ex ignorantia crassa, & solùm indirectè voluntarius, & est peccatum contra fidem, & est in specie paganismi, aut Judaismi; igitur, & in baptizato error ex ignorantia crassa, & voluntarius indirectè, & est contra fidem, & est in specie hæresis.

326 Pariter nec sufficit dicere cum Cardinali de Lugo *n.*187. quod in omnibus illis speciebus infidelitatis est eadem ratio, quia nulla ex illis est propriè infidelitas cum solo peccato ex ignorantia, quia per nullam ex illis expelleretur habitus fidei infusus, si error esset solùm ex ignorantia culpabili, & fides non esset sufficienter proposita. Nam hic supponitur falsum, quia supponitur dari ignorantiam culpabilem fidei, si fides non sit sufficienter proposita, quod est manifestè falsum, cùm nullus teneatur leviter credere, & sine sufficienti motivo, imò credere leviter sit imprudentia. Et sic, qui fidem, vel ignorat, vel negat, cùm non est sibi sufficienter proposita invincibiliter ignorat, aut errat; & tunc solùm culpabiliter ignorat, aut errat, si fidei sufficienter propositæ mysteria ex negligentia ignorat, vel negat. Imò, ut dicebatur fidelis respectu eorum quæ non tenetur explicitè credere, potest absque eo quod peccet contra fidem eorum explicitam ignorantiam directè velle, contentus se illa credere implicitè in fide Ecclesiæ. Manet igitur invicta ratio ista, & quia negari non potest, quin verè peccet peccato judaismi, qui ex ignorantia crassa errat fidem Judæorum amplectendo, ita negari non potest, quod non sit propriè peccatum hæresis, si quis baptizatus ex ignorantia crassa erret in fide.

327 Sic etiam quarta urget ratio, quia scilicet, qui errat in fide ex ignorantia crassa peccat contra fidem; ergo peccat peccato infidelitatis; & non peccato Paganismi, vel Judaismi; ergo hæresis. Non verò sufficit hic cum Cardinali de Lugo *num.*182. negare primam consequentiam. Nam & ipse fatetur, quod hujusmodi error est vera infidelitas, & quidem talis, quæ in genere infidelitatis est individuum completum. Quod verò reducta quæstione ad quæstionem de nomine asserat nomine specierum infidelitatis propriè non dici, nisi de errore contra fidem, qui fit ex scientia, hoc non probatur, & non valet arguere à nomine concreto Hæretici ad nomen abstractum hæresis, ut infrà probatur.

328 Itaque cùm ignorantia crassa in materia fidei supponat sufficientem propositionem fidei talem, ut saltem inducat in audiente rationabile dubium veritatis rei propositæ; hoc semper est considerandum, an fidei veritas ei, qui errat circa fidem, fuerit sufficienter proposita. Potest verò circa hoc esse dubium, an errans ex ignorantia, si moneatur ab Episcopo vel Inquisitore, vel aliis viris doctis de suo errore, teneatur credere, vel si perseveret in errore, sit censendus errare voluntariè circa fidem. Negant aliqui, eo quia sola Ecclesia est certa regula veritatis, Episcopi verò, Inquisitores, & viri docti falli, & fallere possunt. Ita Sanchez *l.2. Mor. cap.7. num.*26. & Sayrus *l.3. de cens. cap.4. num.*17. ubi vult, quod iste peccet contra fidem obligantem ad mutandam sententiam, sed non sit hæreticus, quia non est verè pertinax, & pro se citat Canum *lib.*12. *de locis cap.9.* Valentiam *tom.3. disp.1. quæst.11. part.1. difficult.4.* & pro eadem sententia stant Torres, Salas, & alii apud Dianam *part.4. tract.7. resol.*36. Sed alii distinguunt, & asserunt præfatum in foro interiori non esse hæreticum, esse tamen talem in foro externo. Ita Diana *d. resol.*36. citans pro se Merollam, Vasquez, Suarez, & Lorcam. Sed hunc esse in utroque foro hæreticum vult Palaus *tom.1. tr.4. disp.3. part.2. num.6.*

329 Sed distinguendum est: Nam vel sumus in casu veritatis nondum definitæ ab Ecclesia nec expressè, nec virtualiter & per necessariam consequentiam, & hoc modo non tenetur quis viris doctis credere, aut Episcopo, aut Inquisitori; quia adhuc veritas non est de fide certa, nec per necessariam consequentiam ex veritate de fide deducitur, unde veritas nondum est proposita ab Ecclesia ut tenenda, & credenda. Vel sumus in casu veritatis jam definitæ ab Ecclesia, & ab ea proposita ut credenda. Et in hoc casu distinguendum est cum Suarez de fide *disput.19. sect.3. num.*21. quem Diana malè pro se citat. Et videndum est, an modus admonitionis sit sufficiens, ut faciat evidentiam credibilitatis sufficientem ad obligandum ignorantem ad hoc, ut judicet veritatem illam esse de illis, quæ sunt ab Ecclesia propositæ ut credendæ, & in hoc casu ille est in utroque foro hæreticus, si non credat, & dissentiat. Aliter nullus esset hæreticus, quia nullus ferè est, qui erret in fide, quia credat Deum vel veram Ecclesiam revelasse falsum, sed quia cùm veritas sit sibi proposita ut revelata à Deo, seu ut ab Ecclesia verè proposita ut credenda, hoc ille non vult credere. Ad hæresim igitur sufficit, quod quis nolit credere id, quod sibi, ut revelatum à Deo & ab Ecclesia

clesia est propositum ita sufficienter, & ex talibus motivis, ut prudenter non possit nisi judicare, quod verè illud sit credibile.

330 Et hoc modo moraliter loquendo sufficienter proponi dicitur, quod proponitur ab Episcopo, vel Inquisitore, qui sunt ministri fidei ab Ecclesia ad hoc deputati, ut fidem doceant, & de eorum ore fideles fidem veram percipiant; & ideò hæreticus in utroque foro est, qui non obstante monitione Episcopi, vel Inquisitoris proponentis veritatem, ut definitam per Ecclesiam, adhuc in suo errore persistit. Nec ratio oppositæ sententiæ urget, quia iste non tenetur credere Episcopo, vel Inquisitori, sed Ecclesiæ per Episcopum, & Inquisitorem docenti. Et hoc ex eo verius apparet, quod vix possibile est, quod propositio Episcopi, aut Inquisitoris, aut etiam viri docti, & pii, non inducat rationabile dubium de veritatis propositione ab Ecclesia, quando isti veritatem proponunt, ut definitam ab Ecclesia, vel ut consequentem per necessariam consequentiam ex doctrina Ecclesiæ. Igitur esto tunc, qui errat in fide possit suspendere actum, si nolit illis ministris credere, eo quia ipsi possunt illum decipere, & sic detur locus (quod potest aliquando dari) non habendi actum fidei pro tunc, præcepto fidei, ut est affirmativum, tunc non obligante; tenetur tamen non dissentire, quia ad hoc obligat præceptum fidei, ut est negativum. Neque enim licèt in dubio absolutè negare id, quod judicatur posse esse verum de fide.

331 Et ideò est communis sententia Iurisperitorum, habendum esse ut hæreticum illum, qui per Episcopum, aut Inquisitorem, aut doctos homines ab eis missos admonitus de suo errore contra fidem in eo persistit, ut docuerunt Card. *ad. Clem.* 1. *de summa Trinit.* Bartol. *l. Tutor* §. *tutores num.* 1. *ff. de suspectis tutoribus*, & alii quos referunt & sequuntur Penna *p.* 1. *com.* 26. *ad quæst.* 12. Farin. *de hæresi quæst.* 169. *à num.* 10. Ugol. & Rebuff. apud Palaum ubi suprà, Simanca, & Albertinus apud Dianam *d. res.* 36. Quod quia non fundatur in præsumptione, sed quia verè qui ignorat fidem, tenetur credere Ecclesiæ ministris fidem docentibus, & sufficienti motivo ostendentibus credibilitatem alicujus veritatis; ideò doctrina illa Jurisperitorum vera est in utroque foro.

332 Si tamen admonitio facta à viris doctis, vel forsan in aliquo casu facta ab Episcopo, vel ab Inquisitore sit insufficiens, & talis cui prudenter potest resisti in eo casu non esset hæreticus in aliquo foro, quia veritas fidei non esset sibi sufficienter proposita, & ita adhuc laboraret ignorantia invincibili, vel probabili. Sed rarius contingere poterit, quod in his casibus admonitio non sit sufficiens.

333 Advertit verò idem Pal. & Sanch. *d. c.* 7. *num.* 26. & Farin. *quæst.* 179. §. 2. *num.* 14. facilius judicandum esse pertinacem hominem doctum, quàm rusticum, non est adeò capax, ut sciat regulas fidei, & motiva credibilitatis percipiat, unde potest contingere, quod monitio sit sufficiens respectu viri docti, & non respectu rustici. Sed etiam considerari debet, quod cùm simus in casu veritatis definitæ ab Ecclesia, si ignoranti ostendatur Ecclesiæ diffinitio contenta, vel in Concilio, vel in aliqua Constitut. Apostolica, sufficiet, ut obliget ad credendum, & ut ignorantia non excuset.

334 Et ex his etiam resolvi potest quæstio, an protestatio pertinaciam excludat? Si enim simus in casu veritatis nondum definitæ ab Ecclesia, & quæ ex definitis non deducitur adhuc per certam consequentiam, sed dubiam, & adhuc salva fide opinabilem, protestatio maximè valet ad liberandum nedum ab hæresi, sed ab omni hæresis præsumptione, ut habetur ex *cap. Dixit Apost.* 24. *quæst.* 3. & in hoc sensu locum habet doctrina Pennæ *p. p. quæst.* 12. *com.* 26. & Farin. *de hær. quæst.* 178. *num.* 150. & aliorum quos isti referunt. Sed ubi veritas de fide sit certa, protestatio erit contra factum, & inutilis, nisi veritas sit talis, cujus præsumi non possit notitia in protestante, ut habet Palaus *d. p.* 2. *n.* 7. Nisi enim probabilis ignorantia in eo præsumi possit, protestatio ad nihilum deserviet, ut excuset ab errore, qui de facto est vera hæresis, à qua non excusat ignorantia, nisi sit invincibilis, aut probabilis.

335 Verùm, ut dicebatur, distingui hic debet inter hæresim, & hæreticum, & ita quod non omnis errans contra fidem in proprietate vocabuli, dicatur hæreticus, & distingui debeat hæresis Theologicè, à Canonicè sumpta in ordine ad pœnas legis positivæ, sive hæresis imperfecta in genere voluntarii, & perfecta à qua sola errans in fide simpliciter dicatur hæreticus ex usu, & institutione nominis hæretici. Hoc totum explicat D. Th. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *cap. sic dicens: Dicendum, quod nomen hæresis Græcum est, & electionem importat secundum Isidor. unde, & hæretica, divisiva dicuntur, & quia in electione fit divisio unius ab altero, electio prohæresis dicitur, ut patet 9. metaphys. divisio autem contingit alicui parti per recessum à toto. Prima autem congregatio, quæ est in hominibus est per viam cognitionis, quia ex hac omnes aliæ oriuntur: unde, & hæresis consistit in singulari opinione præter communem opinionem. Unde & philosophi, qui quasdam positiones habebant præter communem sententiam aliorum sectas vel hæreses proprias constituebant. Sed quia nullus denominatur ab eo, quod inest sibi imperfectè, sed solum quando confirmatur in illo, sicut non dicitur iracundus, cui inest passio iræ, sed qui passibilis est de facili ab ea, neque qui habet dispositionem dicitur sanus; ideo neque hæreticus nominatur, nisi qui in singulari opinione firmam habet stabilitatem, unde etiam competit ei nomen hæresis, secundum quod in electionem sonat, quia quod in electione fit quasi ex habitu firmato procedit, competit ei etiam nomen hæresis, secundum quod Latinum est ab hærendo dictum, quia suæ opinioni vehementer inhæret. Et quia congregatio corporis mystici per unitatem veræ fidei primo constituitur, ideo hæreticus secundum nos dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, discedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem.* Inde est, quod hoc nomen hæreticus ex usu, & communi significatione significat eum, qui scienter à communi Christi fide recedit, quia qui recedit ignoranter, non recedit tanquam vehementer inhærens errori ex electione.

Nec obstat si dicatur, quod qui casu ex ignorantia crassa interficit hominem, dicitur homicida; igitur & qui ignoranter errat in fide dicetur hæreticus. Nam primò non est eadem ratio, quia homicida ex usu nominis dicitur, qui injustè occidit hominem, sed hæreticus dicitur, qui pertinaciter errat in fide. Tum quia peccatorum alia sunt quæ habent ad extra effectum irreparabilem, sicut est homicidium, quod infert mortem & irreparabiliter aufert vitam. Alia verò sunt, quæ vel nullum effectum producunt ad extra, sed in actu immanenti de facili mutabili consumantur, vel inducunt effectum de facili variabilem, & emendabilem, sicut est hæresis externa, quæ in verbis consistit, & quæ de facili potest retractari. In iis, quæ habent irrevocabilem effectum, quia denominatio pendet maximè ab effectu, peccator facilius denominatur à quocumque actu, etiam per ignorantiam habito, quia actus ille, etiam si ex passione aut ignorantia proveniat, firmitatem habet ex effectus immutabilitate, & irreparabili damno, non minus ac si scienter, & ex malitia habitus fuisset, & tale peccatum est homicidium. Sed in his, quorum damnum est de facili reparabile, si aliàs etiam peccandi actus proveniat vel ex passione, vel ex ignorantia, facilius usus introduxit, ut à similibus peccatis peccans non denominetur simpliciter talis, nisi scienter, & sic firmiter peccet. Et nihilominus secundò respondetur, & retorquetur objectio, quia in ordine ad quamplures effectus legis positivæ non censetur homicida, qui casualiter, aut ex ignorantia etiam crassa occidit aliquem, sed simpliciter homicida dicitur, quando homicidium est directè voluntarium, & hoc est illud, quod est per industriam, unde per Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. Episcopi dispensare non possunt in irregularitate contracta ex homicidio voluntario etiam occulto. Unde & in genere homicidii, quid imperfectum est homicidium, quod non est scienter ex industria patratum, & tale in ordine ad plures legis effectus, & pœnas non denominat hominem homicidam. 336

Sed ad rem nostram etiam distingui debet forum internum ab externo. Nam in foro interno coram Deo, & in ordine ad pœnam æternam hæreticus est, quicumque voluntariè sive directè, sive indirectè errat in fide. Sed forum externum, qui interiorem mentis dispositionem non percipit, nisi ex effectibus sensibilibus aliis regulis ducitur, & præsumptionibus inhæret, & aliquando pro hæretico non habet eum, qui verè est talis, quia ad extra talis præsumi non potest. Quamobrem in foro externo hæc regula principaliter attenditur, ut non admittatur ignorantia excusans ab errore contra ea, quæ aliquis tenetur explicitè credere, qualia sunt, quæ continentur in symbolo, seu quæ ab hominibus, similis conditionis communiter sciuntur, seu quæ ex officio sciri debent, quia in his non potest præsumi ignorantia nisi crassa, vel improbabilis, quæ ab hæresi non excusat; 337

& ideò

& ideò errans in his habetur pro hæretico, neque excusatio ignorantiæ admittitur. Quæ tamen admittitur respectu eorum quæ errans non tenebatur explicitè credere, sed solùm implicitè, oam circa ista ignorantia potest esse de facili invincibilis, vel probabilis, cùm errans non teneatur illa explicitè scire, & credere. Ut ex Penna *p. p. Direct. quæst.7. n.22. & p.2. ad cap.1. de hæretic. com.22.* Azor. *p.p. l.8. cap.6. q.7.* Simanc. *tit.26. n.5.* Farin. *de hæres. q.*179.§.3. *num.*34.*&c.* Sousa *lib.1. Aphor. c.*12. *n.*13. *& seq.* notat Sallelles *l.5. cap.3. Reg.*386. *n.*34.

338 Ex quo idem Sousa *num.*18. Simanc. *d. tit.* 26. *num.*8. Farinac. *d.*§.3. *num.*36. & Sallelles *num.*35. deducuntur, quod errans in fide per ignorantiam, si ipsa non sit invincibilis, seu probabilis, abjurare debet purè simpliciter sine conditione pro qualitate culpæ, aut suspicionis de errore formali, majoris, vel minoris, vehementis, vel levis secundùm arbitrium Inquisitoris.

339 Et ad dirigendam præsumptionem qualitatis erroris ejus, qui errat in fide, consideranda est primò qualitas personæ, si sit vir, vel fœmina, civis, vel rusticus, pubes, vel impubes, si perspicax, si notitiam habeat credendorum, & qualem, si orta ex Catholicis, aut potius ex Hæreticis, in qua civitate, suspecta ne, an fideli, & inter quos fuerit educata. Deinde secundò consideranda est qualitas articuli, circa quem persona inquisita errat, an sit ex articulis, quæ credere tenetur explicitè, vel solùm sit de illis, qui credi sufficit implicitè, & solis viris doctis sunt manifesti. Prætereà attendi debet à quibus errans seductus fuit, an scilicet à Parentibus, Parochis, Superioribus, quibus credere tenebatur, vel ab aliis, quibus non est obligatio credendi. Item attendi debet, an errans statim, ac monitus fuit, resipuerit. Hæc enim & alia similia consideranda esse monuerunt Penna *p.p. direct. com.22. reg.2. & 4. & part.3. comm.* 40. Farinac. *q.*179. *n.*33. *& seq.* Carena *part.3. tit.*12. §.9. Sousa *lib.* 1. *Aphor. c.* 12. *n.*14. Sallelles *d. reg.*386. *n.*23. *& seq.* Azor. *p.* 1. *lib.*8. *c.*6. *quæst.*9. & alii.

340 Quia ex prædictorum consideratione Ecclesia poterit colligere, an errans scienter, vel ex ignorantia culpabili, vel ex ignorantia probabili erraverit; & ideò an sit censendus vel hæreticus, vel de hæresi suspectus, & qualiter, & qua pœna sit puniendus. Etsi inveniatur errantem errasse ex ignorantia voluntaria, quia ignoravit, quod potuit, & debuit scire, licèt non habendus sit ut hæreticus in ordine ad illas pœnas, quæ in jure latæ sunt contra scienter errantes, non erit tamen excusandus à tota pœna, & præcipuè non erit excusandus ab abjuratione pro qualitate culpæ, aut suspicionis, ut dictum est.

341 Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dicitur, quod non probat, nisi quod non censetur hæreticus in ordine ad pœnas omnes juris, nisi qui est in errore pertinax. Sed considerandi sunt distinctè Canones adducti. Nam August. *epist.* 162. cujus doctrina refert *cap. Dixit Apostolus* 29. 24. *quæst.* 3. excusat ab hæresi eum, qui sententiam falsam prava animositate non defendit, si quærit cauta solicitudine veritatem. Iste autem non laborat ignorantia crassa, nec interim absolutè dissentit iis, quæ sunt fidei, sed veritatem quærit. Loquitur igitur August. de eo, cui non est adhuc proposita veritas fidei, ut prudenter obligetur ad credendum; quia iste superfluè, & imprudenti solicitudine quæreret veritatem, quam ante oculos haberet; sed loquitur de eo, cui veritas in ratione credibilis non est sufficienter manifestata, nisi ut de suæ sententiæ falsitate dubitet, & ut hunc excludat ab hæresi, exigit, ut ille solicitè veritatem quærat, interim suspendendo judicium. Hic verò non laborat ignorantia crassa, vel non probabili.

342 Cæterùm ut habetur *ex cap. Hæresis* 27. *eadem causa, & quæst.* hæresim habet quicumque malè sentit de fide. Et August. *lib. de util. credend. cap.*2. ut habetur *eadem causa, & quæst. cap. Hæreticus*, benè distinguit inter hæreticum, & illusum, ut hæreticus sit, qui ob malum finem falsas opiniones scienter gignit, aut sequitur, illusus verò, qui ab altero decipitur, & sic ex ignorantia errat. Et sic verè usus obtinuit, ut hæreticus simpliciter dicatur, qui scienter errat in fide, cum quo tamen stat, quod non excusetur ab hæresi, & non sit imperfectè hæreticus, qui ex ignorantia crassa in fide errat. *Ex cap. autem Damnamus* 2. *de summ. Trin. & cap.1. eod. tit. in 6. & Clem.* 1. *eod. tit. & aliis Canonibus citatis* non habetur, nisi quod hæreticus dicitur, qui præsumit, seu pertinaciter adhæret errori, quod est verum ad incurrendas illorum Canonum pœnas; & quia in jure Canonico non habetur pro hæretico simpliciter, nisi qui scienter, & pertinaciter errat in fide, non verò quia si quis non credat, quod credere potest, & tenetur non sit hæreticus coram Deo, seu non peccet peccato hæresis.

Ad secundum negatur, quod universaliter omnis qui 343
contra fidem errat ex ignorantia, non recedat ab objecto formali fidei. Imò ex hoc retorquetur argumentum, quod per se loquendo, qui errat contra fidem sibi sufficienter propositam ex ignorantia voluntaria & culpabili, recedit à fidei objecto formali. Non enim est discrimen inter errantem ex scientia, & ex ignorantia in hoc, quod est voluntariè negare esse verum, quod Ecclesia proposuit, ut revelatum à Deo. Sed in hoc, quod hoc in ignorante est voluntarium indirectè, & in sciente est voluntarium directè; voluntarium verò indirectè, & voluntarium directè non mutant speciem, ut est communiter manifestum. Dicendum igitur est, quod in proposito ignorantia vel etit invincibilis, aut probabilis, & sic moraliter involuntaria, si vel articulus fidei ignoratus non sit sufficienter propositus, aut si sit de illis, ad quæ credenda explicitè ignorans non tenetur; quia cùm talis articuli ignorans non teneatur habere scientiam expressam, illius ignorantia etiam si esset affectata, non est culpabilis per se ex eo, quod sit contra præceptum fidei, ideò est probabilis, & censetur involuntaria. Non igitur mirum si in tali ignorante omissio actus fidei, vel etiam error non sit contra objectum formale fidei, & si sic errans non perdit fidem, cùm talis error non censeatur voluntarius. Sed si ignorantia est crassa, & culpabilis, & sic voluntaria, voluntas de præsenti licèt indirecta, tollit totam illam virtualitatem, & efficaciam, quam possit præbere voluntas illa virtualis, quæ aliàs adesset, & censeretur adesse, ex eo quod ignorans si non ignoraret, sed sciret, crederet, quod ignoranter negat, & negare non debet; cùm illud sit de illis, quæ explicitè credere debet, & est sibi sufficienter propositum, & sic ille voluntariè non credit. Et ita sicut homicidium ex ignorantia crassa commissum, licèt solùm indirectè volitum est formaliter contra formale objectum justitiæ, & fornicatio ignoranter hoc modo habita licèt indirectè volita est contra objectum formale castitatis, non obstante quod homicida, aut fornicator non occidisset, aut fornicatus fuisset, si scivisset; ita qui sic ignoranter negat, quod credere debet, voluntariè recedit ab objecto formali fidei non obstante, quod crederet, si sciret.

S V M M A R I V M.

344 *Ignorantia antecedens juris particularis excusat.*
345 *Etiam juris Pontificis, ut Episcopi Romæ.*
346 *Opiniones diversæ*, 347.
348 *Ignorantia antecedens juris excusat, sed in foro externo non præsumitur.*
349 *Etiam in foro externo, quando præsumitur.*
Vt quando habet mixturam facti.
Item si jus sit controversum, aut dubium.
350 *Item Extravag. quæ sunt extra corpus juris.*
351 *Ignorantia consequens non excusat.*
352 *Ignorantia ejus, quod quis scire tenetur non præsumitur probabilis, nisi probetur.*
353 *Ignorantia comitans quomodo excusat.*
354 *Argumentum à contrario sensu non semper est validum.*
Sub nomine Ordinariorum venit Papa.
355 *Ignorantia juris regulariter non præsumitur probabilis.*
Damnatus ex falsa præsumptione scientiæ ad pœnam, quomodo pœnam exequi teneatur.
356 *Ignorantia excusans à culpa excusat à pœna.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XVII.

Vtrùm juris communis ignorantia excuset à culpa, & pœna juris.

SUpponitur tanquam certissimum ex præsentis textus 344
definitione ignorantiam antecedentem juris particularis lati ab inferioribus Papæ excusare ignorantes, prout etiam

etiam advertunt hìc Gloſſ. *in v. ſententiis, & in v. ſupina, & notab.* 1. Jo. Andr. Archid. Anchar. Domin. *num.* 25. Franc. Barboſ. *num.* 2. & eſt ſententia communis Theologorum dicentium univerſaliter ignorantiam excuſare. D. Th. *p.* 2. *quæſt.* 76. *art.* 3. & ibi Cajet. Conrad. Medina, Gregor. Martinez, Alvarez, Serra, Zumel, Cutiel, Vaſq. Et in ſpecie de ſententia excommunicationis Sotus 4. *d.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. Silveſt. *v. excommunicatio* 2. *num.* 6. Candidus *diſp.* 22. *art.* 31. *dub.* 5. *d.* 8. Corn. *de cenſ. in gen. dub.* 2. Sanchez *l.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 9. Suarez *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 8. *n.* 6. Bonac. *de cenſ. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *p.* 1. *nu.* 6. Palaus *tom.* 6. *diſp.* 1. *p.* 8. *n.* 7. Leander *tr.* 1. *de cenſ. diſp.* 9. *q.* 2. & apud eum Bannes & Hurt.

345 Quod quidem extenditur etiam ad leges, & ſtatuta Pontificis lata ab eo, ut eſt proprius Urbis Romæ Epiſcopus, quia hoc modo ſe habet, ſicut alii Ordinarii, & propriarum Diœceſum Epiſcopi, Sanchez *l.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 31. Suarez *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 8. *num.* 10. Palaus *de cenſur. diſput.* 2. *p.* 8. *num.* 7. & *tract. de peccatis, diſput.* 17. *num.* 2. Vaſquez *de excomm. dub.* 16. *num.* 6. Leander *ubi ſuprà quæſt.* 3. Et ideò quod vertitur in dubium eſt, an hæc ignorantia excuſet à culpa, & pœnis, & ſententiis, ſeu cenſuris à jure communi, ſeu à Pontifice, ut totius Orbis Epiſcopo latis.

346 Videtur enim, quod non excuſet, tum ſumpto argumento in contrarium ex præſenti textu, in quo decernitur, quod ignorantia excuſet à ſtatutis Ordinariorum; igitur non excuſat à ſententiis latis in jure communi, ſeu à Summo Pontifice, Secundò idem probatur ex regula *Ignorantia* 13. *de reg. jur. in hoc* 6. *& l. juris, l. error, & l. regul. ff. de juris, & facti ignorat.* ubi continetur, quod juris ignorantia non excuſat, quod etiam eſt commune aſſertum Canoniſtarum, & Juriſperitorum, ut per Rotam *deciſ.* 10. *in fin. de dolo, & contum. in nov. & in recent. deciſ.* 560. *n.* 8. *par.* 2. *& deciſ.* 159. *n.* 8. *& deciſ.* 287. *n.* 13. *par.* 6. *& deciſ.* 166. *nu.* 17. *part.* 8. ubi quod non excuſat à rigore, *& deciſ.* 118. *n.* 9. *&* 261. *n.* 5. *&* 6. coram Mantica.

347 Sed è contra ignorantiam antecedentem cujuſcumque juris excuſare à peccato contra legem, & à pœna legis tanquam indubitatum prorſus, & certiſſimum docuerunt D. Th. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. & ibi Cajet. & Conrad. & Medina *dub. unic.* Greg. Martin. *dub. unic.* Alvarez *controv.* 157. Serra, Vaſquez *diſp.* 123. & ibi Zumel, Cutiel, Salas, Lorca, & alii D. Th. expoſitores. Silveſtr. *v. ignorantia*, & ibi Tabien. *num.* 2. *&* 3. Armill. *num.* 7. D. Anton. *p. p. tr.* 20. *v. ignorantia*, Suarez *de leg. l.* 5. *c.* 12. *n.* 6. *&* 7. Bonac. *de peccatis d.* 2. *q.* 8. *p.* 3. *n.* 8. *& de cenſ. d. q.* 2. *p.* 7. *n.* 6. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 16. *n.* 21.

348 Dicendum eſt quæſtionem hanc habere certiſſimam ſolutionem, ſi advertatur, quod aliud eſt ignorantiam non præſumi, & non credi, ideoque actum ignoranter factum non excuſari, aliud eſt ignorantiam juris cujuſcumque, ſi adſit, & ſit antecedens non excuſare agentem à culpa contra legem, & à pœna legis. Certè in foro externo ignorantia ejus, quod quis ſcire poteſt, & tenetur, non præſumitur, neque creditur, niſi probetur, ut infrà magis explicandum eſt, dum ex profeſſo de præſumptione ignorantiæ tractabitur. Et hic eſt ſenſus Regulæ *Ignorantia*, 13. *de reg. jur. in* 6. & aliarum legum, quæ ſunt citatæ in argumentis. Quia nimirum ignorantia juris non excuſat in foro externo, quia non præſumitur, neque creditur, niſi probetur, ut benè docent Roſella *v. ignorantia*, *num.* 15. Silveſt. *q.* 8. *d.* 3. *ad fin.* Caſtro *l.* 2. *de lege pœnali, cap.* 14. Sanchez *l.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 10. Et propterea quod ignorantia juris ſuffragetur, ſi probetur illam fuiſſe antecedentem, dixit Rota *deciſ.* 662. *num.* 8. *part.* 2. *recent.* Et habetur evidentiſſimè ex jure admittente excuſationem ignorantiæ juris in militibus, mulieribus, pueris, in minoribus, in quibus ignorantia præſumi poteſt, *l.* 1. *C. de jur. & facti ignor.* Fagnan. *cap. ex parte num.* 10. *de Regular.* Anchar. *conſ.* 393. *num.* 7. quem ſequitur Tuſchus *verb. ignorantia, concl.* 11. *num.* 9. *&* 12. Quamobrem ignorantia juris dicitur non excuſare, quia non præſumitur eſſe, nec creditur, niſi probetur. Coram Deo tamen, qui omnia talia videt, qualia ſunt, & etiam coram Judicibus, ſi de ea conſtet, ignorantia antecedens excuſat ignorantem. Nec datur poteſtas in terra, quæ oppoſitum decernere poſſit; quia non datur poteſtas, quæ naturas rerum poſſit mutare. Nec fieri poteſt, ut quod eſt ignoratum involuntariè, & ex ignorantia eſt, ſit voluntarium, quia impoſſibile eſt voluntatem liberè velle, quod ignoratur. Sed & pariter eſt impoſſibile, quod ſit peccatum, quod non eſt voluntarium; igitur eſt impoſſibile, quod ſit peccatum, quod ex ignorantia antecedente eſt factum. Sic enim, ut etiam advertit Silveſtr. *verb. ignorantia num.* 13. D. Th. *quodl.* 1. *art.* 19. in negligentiam ſciendi legem Eccleſiaſticam à Pontifice latam colligit culpam tranſgreſſionis illius.

349 Inde eſt, quod etiam in foro externo, ubi præſumi poteſt ignorantia probabilis excuſat, ut quando juris ignorantia habet mixturam facti. Ægid. *deciſ.* 704. *num.* 1. Rota *deciſ.* 3. *de præſcript. in nov. & deciſ.* 159. *nu.* 13. *par.* 6. *recent. & deciſ.* 413. *n.* 2. coram Coccino, & DD. communiter *in cap. De quarta, de Præſcript.* Item ſi jus ſit controverſum, ignorantia excuſat, quia ignorantia juris controverſi æquiparatur ignorantiæ facti, Felin. *in cap. de quarta, num.* 27. *de præſcript.* Capyc. *deciſ.* 10. *n.* 19. *&* 20. Rota *in Roman. de Salomonibus* 14. *Novemb.* 1575. coram Seraphino, & in alia Romana *cenſus* 27. *Junii* 1580. coram Lauretano, *& deciſ.* 268. *n.* 3. *&* 608. *num.* 14. *part.* 2. *recent. & deciſ.* 287. *num.* 14. *p.* 6. *& deciſ.* 166. *num.* 18. *p.* 8. *recent.* Pariter ſi jus, quod ignoratur ſit dubium, Panormit. *cap. Quoniam num.* 2. *de conſtit.* Fagnan. *cap. Ex parte, num.* 45. *de Regul.* Et Adden. ad Panormit. *loco citato*, idem exiſtimat ſi lex ſit obſcura, non certa, ſed ambigua. In his enim caſibus præſumi poteſt in agente ex ignorantia legis ignorantia probabilis veræ intelligentiæ ipſius legis; & ideò ignorantia à legis tranſgreſſione excuſat.

350 Addendum quoque quod Conſtitutionum Pontificum, quæ non ſunt inſertæ in corpore juris non præſumitur ſcientia ſecundùm Rotam *deciſ.* 48. *num.* 18. *p.* 8. *recent.* quod probat ex textu præſentis capitis, & Bartol. *l. Cùm prolatis, ff. de re judic.* Alciat. *de præſumpt. reg.* 3. *præſumpt.* 31. *num.* 5. Gemin. *conſ.* 78. *num.* 1. *& ſequent.* Cardin. *conſ.* 48. *num.* 1. Ex hoc inferens dari ignorantiam probabilem extravagantum, quæ non ſunt in corpore juris, & harum ignorantiam, non dici ignorantiam juris, ut dicit textus in *Proœm. Decretalium verſ. Sanè*, Quamobrem hæc Rota ſentit, quod in textu præſentis *cap. Ut animarum*, ſub nomine ſententiarum, & ſtatutorum Ordinariorum veniant etiam Conſtit. Extravagantes non inſertæ in corpore juris, & propterea earum dari poſſe ignorantiam probabilem, quæ ignorantem excuſet. Hoc tamen quod dicitur, ſcilicet ignorantiam extravag. non dici ignorantiam juris communis, ſuprà fuit improbatum; aliud enim eſt, quod talis ignorantia excuſet, quia poteſt præſumi probabilis, quod eſt verum. Et aliud, quod non ſit ignorantia juris, ſed facti, & hoc eſt falſum nec colligitur *ex proœm. Decret. lib.* 6. ut legenti eſt manifeſtum.

351 Eſt verò etiam certum ſic in genere, quod ignorantia conſequens, quæ eſt vel craſſa, vel affectata non excuſat, ut ex præſenti textu conſtat, & tenent Gloſſa *in v. ſupina, &c.* & alii Canoniſtæ, & Theologi cum D. Th. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *&* 4. & ibi expoſitores, Silveſt. *v. ignorantia*, *n.* 13. Tab. *num.* 2. Armill. *n.* 6. *&* 7. D. Anton. *p. p. tit.* 20. *v. ignorantia*, Suarez *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 10. *n.* 4.

352 Cùm verò unuſquiſque teneatur ſcire leges, quæ ad illum pertinent ſpectato ſtatu, conditione, & officio ſuo, ut tradunt D. Th. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 2. D Anton. *p. p. tit.* 20. *verb. ignorantia*, Silveſt. *verb. ignorantia, num.* 6. & alii DD. communiter. Et ita ut licèt non ſit neceſſe, ut ſciat actu omnes leges memoriter, tamen neceſſe ſit, ut eas ſciat tempore, quo obligant, ita ut ſaltem in occaſione ſciat dubitare, & teneatur conſultis viris doctis ſcire, quid ſibi ſit agendum, vel ex ſe ipſo ad præſcriptum legum deliberare. Ideò in foro externo ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur, ſeu ignorantia juris, ad quod unuſquiſque tenetur, præſumitur, aut craſſa, aut affectata, niſi probetur, quod ſit antecedens, D. Anton. *p. p. tit.* 20. *v. ignorantia*, Silveſt. *v. ignorantia num.* 13. Martin. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *d.* 2.

353 Concomitans verò ignorantia, cùm ut dictum eſt ſuprà *art.* 15. excuſet actum ignoranter factum à culpa, excuſat etiam à culpa, & pœna legis poſitivæ quantum ſit coram Deo? Nam in foro externo de facili præſumetur craſſa. Quatenus tamen conſtaret illam eſſe comitantem, licèt habeat adjunctam malam voluntatem, certè excuſare deberet.

354 Ad primum argumentum in oppoſitum reſpondetur textum hujus noſtræ decretalis non continere legem novam,


ſed

sed esse declarationem juris naturalis, ut ex Soto advertit Serra *part. 2. quaest. 76. art. 3. d. 2. ad primum*. Suarez *de de cens. d. 4. sect. 10. num. 5.* Nam vel intelligi debet de sola ignorantia invincibili, seu probabili, vel etiam de ignorantia improbabili, vel crassa. Hoc secundum non est dicendum, quia ignorantia improbabilis ab omni jure reprobatur regulariter. Et expressè Bonifacius 8. excipit ignorantiam crassam, vel supinam volens hujusmodi ignorantes statutis pœnalibus ligari. At verò, quod ignorantia probabilis, & antecedens excuset ignorantem, est de lege naturali, & est commune ignorantiæ cujuscumque legis, quæ sit probabilis. Et ideò etiam si daretur, quod sub nomine Ordinariorum, hic non veniret Pontifex, respondetur argumentum à contrario sensu, minimè hic locum habere posse. Tum quia non habet locum, quando casus expressi, & non expressi est eadem ratio; sicut est in præsenti, cùm juris communis etiam faciliùs dari possit ignorantia, Silvest. *verb. ignorantia, quaest. 8.* Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 32. num. 10.* Tum quia non habet locum, ubi ex lege naturali, quod competit uni oppositorum, competit alteri. Est verò de jure naturali, quod ignorantia probabilis antecedens excuset ignorantem. Et nihilominus prout dictum fuit suprà in expositione textus, hic sub nomine Ordinariorum venit etiam Pontifex, qui est totius Orbis Ordinarius summus. Martin. *p. 2. q. 76. art. 4. d. 2. reg. 6.* Serra *ibid. art. 3. dub. 2. ad primum.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 9. n. 8. & 11.*

355 Ad secundum jam responsum est, & Regula juris regulariter vera est, quia regulariter juris communis in foro externo præsumi non debet probabilis ignorantia, sed hoc est verum etiam in foro conscientiæ, quod hæc probabilis ignorantia eorum, quæ quis potest, & tenetur scire, rarius datur; & ideò meritò nec regulariter præsumitur. Suarez *l. 5. de leg. cap. 12. num. 8.* Si tamen contingat forum externum malè præsumere scientiam, vel ignorantiam culpabilem, ubi ignorantia verè est probabilis, & excusans, quod sententia judicis in foro externo obliget, ita tamen, quod si absque scandalo potest damnatus non exequi pœnam ad eam sustinendam, in foro conscientiæ non teneatur dixit Suarez *de leg. lib. 5. c. 12. n. 8.*

356 Ex dictis verò colligitur quod ignorantia excusans totaliter à culpa, excusat totaliter à pœna, & quæ non excusat à culpa, non excusat à pœna. Et quæ excusat à parte culpæ, excusat à parte pœnæ. Et quæ excusat à culpa, ob quam lata est pœna, excusat à pœna illa, & quæ excusat à culpa mortali, excusat à censuris. Non est verò semper eadem ratio de censuris, & irregularitate, quia hæc aliquando etiam sine culpa incurritur. Est tamen eadem ratio ubi irregularitas est pœna lata pro culpa. Aliquando etiam pœna redundat in non peccantem, non tamen ut pœna, sed ut incommodum legale. De his vide DD. *ad p. 2. q. 76. art. 3. & 4.* Suarez *l. 5. de leg. cap. 12.*

SUMMARIUM.



Quæst. primæ

ARTICULUS XVIII.

Utrùm ignorantia legis positivæ novæ, per quam prohibetur sub pœna novà id, quod per antiquiorem legem positivam, vel per jus naturale, aut divinum prohibitum erat, excuset ignorantem à culpa, & pœna per illam novam legem imposita.

Videtur enim, quod non excuset primò, quia *in Cap. Cum illorum de sentent. excommunic.* supponitur ignorantes incidere in canonem *si quis suadente*, cùm dicatur posse dispensari cum percussoribus Clericorum juris ignaris. 357
Secundò ex *l. Vulgaris, §. Si quis viginti, ver. si quis æs, ff. de furtis.* Ubi furans æs existimans esse aurum, & è contra, furtum admittit solius rei captu. Ex quo textu Bartol. *ad l. Divus 14. ff. ad l. Cornel. de sicar. num. 1.* judicat esse sacrilegum, qui furatur calicem, quem æstimabat non esse consecratum, attendique debere effectum, non furantis æstimationem. Tertiò nam dans operam rei illicitæ videtur consensum præstare etiam iis, quæ præter ejus intentionem accidunt. Nam *cap. fin. de homicid.* censetur irregularis, qui mandavit percutere, sed non occidere aliquem, si mandatarius excedat fines mandati. Et ideò hanc partem sustinent Gloss. *capit. Nobis, el 1. v. Non nisi, de sentent. excommunic.* & latè probare conatur Covar. *cap. Alma mater, p. p. §. 10. n. 9. & seq.* Item Scotus 4. *d. 6. quaest. 8.* Major 4. *d. 18. quaest. un. ad secundum.* Gabriel. 4. *d. 6. quaest. 2. art. 3. d. 8.* Adrian. *quaest. 3. de clavibus*, Driedo *l. 2. de libertate christiana, cap. 9. & 10.* Bartholomæus Medina *p. 2. quaest. 74. art. 3.* Corduba *l. 2. q. 27.* Rosell. *v. ignorantia, n. 13. concl. 3.* quos refert, & sequitur Comitolus *lib. 5. q. 3.*

Sed alii distinguentes dicunt sententiam hanc veram esse de lege universali, & Pontificia, non verò de lege lata ab aliquo Papa inferiore, & fundant se in præsenti textu, quia Bonif. Octavus decrevit ignorantiam probabilem excusare à sententiis, & pœnis latis per statuta Ordinariorum, & ideò qui hujusmodi statuta ignorat, excusatur, non verò qui ignorat jus commune, vel Pontificium. Et ita senserunt Gloss. in præsenti textu *v. statuta juncto verb. ignorantes* Anchar. *repet. in cap. Canonum statuta num. 223. de constit.* D. Anton. 3. *p. tit. 24. cap. 33. in fin. & cap. 75. §. 2. fin.* Major. 4. *d. 18. quaest. 4.* Adrian. 4. *de confess. quaest. 3.* Victoria *summa de excom. num. 337.* Petrus de Ledesma *tract. de excomm. cap. 3.* Hurtado, Rosel. Ugol. apud Sanchez loco citando Corduba *l. 2. q. 27.* 358

Dicendum nihilominus est, quod probabilis ignorantia, & antecedens legis novæ cujuscumque excusat à culpa, & pœna lata per illam legem, non obstante, quod legem novam ignorans sciret actum prohibitum esse per aliam legem antiquiorem, vel per legem divinam. Quamvis enim hic non excusetur à culpa, quæ consistit in transgressione legis antiquæ, vel naturalis sibi notæ, & pœnis per similem legem latis puniri debeat, non tamen peccat contra novam legem ignoratam, nec subditur pœnæ illius. Nam non peccat contra legem, qui legem probabiliter ignorat. Sed nec justum est puniri pœna legis eum, qui legem non transgreditur. Nam pœna per novam legem imposita lata est contra legis novæ transgressores. Et habet hoc in jure non leve fundamentum. Nam *cap. Proposuisti dist. 82.* Innoc. I. decernit Clericos incontinentes non esse deponendos juxta constit. Siricii Papæ, quia eam ignorabant. Ubi Gloss. *v. ignorantibus, & verbo non negabitur*, hujus rationem reddit, quia decretum non ligat ignorantes. Et tamen casus erat de eo, quod aliàs manifestum erat prohiberi jure naturæ. Item *l. Eum qui 18. §. si injuria ff. de injur.* decernitur injuriam inferentem circa personam non esse amplius sua æstimatione puniendum, *& l. qui injuria 55. ff. de furtis*, habetur, quod dans operam rei illicitæ non punitur ultra animi mensuram, quia voluntate ac proposito maleficia distinguuntur, *cap. Cum voluntate, de sentent. excommun.* Item dans operam facto damnato, & ignorans illius qualitatem minus punitur, nec incurrit pœnam latam pro illa qualitate, ut habetur *cap. si quis cum matre, & cap. si quis eum duabus 33. qu. ult.* igitur ex hoc quoque colligitur, quod ignorans prohibitum lege naturali esse prohibitum ex lege Ecclesiastica, non incurrit pœnam latam contra inobedientem 359

Eccle-

Ecclesiasticæ legis Felin. *d. cap. 2. 6. vers. Pro prima opinione*. Item quando nova constitutio est declaratoria juris antiqui extenditur ad præterita, ut tradunt DD. *cap. 2. de Constit.* neque tamen extenditur quantum ad pœnam in ea statutam, nec novum jus ignorans eam incurrit, ut advertit ibi Felin. *num. 6. vers. secundo facit*. Et ita quod jus novum cùm sit novum quantum ad pœnam impositam, habendum sit ut novum, & de illo, ut de jure novo censendum sit, dixerunt Anton. *ad d. cap. 2. de const. num. 13. & 21.* Imola *n. 6.* Felin. *n. 6.*

360 Et quod textus noster *cap. Ut animarum*, loquatur de omni lege pœnali ab Ordinariis edita probatum est suprà. Quod verò ab hujusmodi lege excuset ignorantia probabilis, si sit antecedens apparet ex textu, qui absolutè loquitur; imò verisimile est, ut advertit Francus *num. 8.* quod textus decisio data fuerit ad hujusmodi quæstionem solvendam. Nam aliàs, quod ignorantia antecedens cujuscumque juris, si detur, excuset non egebat declaratione, aut decisione, cùm sit id de jure naturali manifestum. Sed dubium esse poterat, ubi lex nova sub nova pœna prohibeat, id quod prius prohibitum erat, an ignorantia antecedens excuset à novæ legis transgressione eum, qui non ignorat antiquam prohibitionem, & textus eam excusare statuit. Sic enim textum intellexerunt Gloss. Jo. Andr. Domin. *nu. 25.* Franc. *num. 8.* & apud eum Anchar. & Butr. & est de mente Hostiens. *cap. A nobis el 1. vers. ad quod dicimus, de sent. excom.* & ibi Jo. Andr. *num. 5.* Anchar. *num. 4.* Henric. *num. 15.* & dicit æquiorem Panorm. *num. 9.* idem Jo. Andr. *in addit. ad specul. 4. part. rubrica de constit. gloss. penul.* Anton. *cap. 2. num. 21. de constit.* ubi Felin. *num. 6.* Silvest. *v. excomm. 2. not. 3. §. 6. & verb. ignorantia, quæst. 8. dict. 3. ad finem.* Tabiena *v. excomm. 7. quæst. 1. num. 2.* Navar. *in manual. cap. 23. num. 47.* Greg. Martinez *p. 2. q. 76. art. 4. dub. 2. reg. 5.* Alvarez *ibid. disp. 158. num. 7.* Serra *ibid. art. 3. dub. 2. concl. 2.* Suarez *lib. 5. de leg. cap. 12. num. 6. & de cens. disp. 4. sect. 8. n. 10.* Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 32. n. 17.* & plures alii ex infrà referendis.

361 Colligitur primò, quod ubi prohibitum de jure naturali, vel communi positivo de novo prohibetur sub pœna excommunicationis, ignorantia antecedens novæ legis excusat ab excommunicatione. Nam de pœna excommunicationis adest etiam specialis ratio ex hoc, quod illa supponit contumaciam, ad quam vincendam, & elidendam fertur, ut apertè colligitur ex illo *Matt. 18.* ubi facultas excommunicandi fuit collata: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus:* ex hoc enim manifestum est, illum excommunicandum, qui sit contumax, & Ecclesiæ inobediens, non est verò contumacia, ubi adest ignorantia. Atque ideò hanc sententiam docent ad præsentem textum Jo. Andr. *n. 1.* Domin. *n. 25.* Franc. *n. 8.* Hostiens. *cap. à nobis, el 1. de sent. excomm.* & ibi Anton. *num. 8. & 9.* Panorm. *n. 9.* Felin. *num. 5.* Silvest. *v. excomm. 2. notab. 3. §. 6. & v. ignorantia, quæst. 8. dict. 2. & 3. num. 15.* Tabien. *v. excommun. 7. q. 1. num. 2.* Sotus *4. d. 22. q. 1. art. 2. fin. in 4. conclus.* Petrus de Soto *lect. 3. de excommun. §. secundùm sit.* Ledesma *2. p. 4. q. 24. art. 6. ad fin.* Bartholomæus à Ledesma *de excomm. dub. 5.* Ludovicus Lopez *2. p. cap. 13. §. Igitur pro elucidanda.* Petrus de Ledesma *de matrim. q. 55. art. 6. d. 5. & ad quartum.* Navarr. *cap. 23. num. 47.* Jo. de Lignano, Imola, Castro, Ovandus, Rodriquez, Graffius, Cennedo, Vega, Corduba, Julius Clarus, & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 32. num. 9.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 8. num. 20.* Azor. *lib. 1. cap. 3. quæst. 3. & cap. 16. quæst. 1. & l. 7. cap. 7. quæst. 4.* Bonacina *de censur. disp. 2. quæst. 2. p. 1. num. 7.* Cendid. *disq. 22. art. 31. dub. 6.* Avila, Filliuc. Bauny, Ægidius, Luysius, Diana, Tannerus, Cœlestinus, Reginaldus, Villalobos, Sayrus, Bassæus, Corneyo, Hurtad. quos refert, & sequitur Leander *tract. 1. quæst. 6.* Vasquez *de excommun. dub. 16. n. 6.*

362 Colligitur secundò idem dicendum esse de lege nova imponente pœnam suspensionis, vel interdicti. Quia non sola excommunicatio fertur ob clavium contemptum, & contumaciam, sed etiam suspensio, & interdictum, ut docet hic Franc. *num. 8.* atque ideò præviam monitionem requirunt, quando in pœnam futuri delicti imponuntur, ut de suspensione est textus expressus in *cap. reprehensibilis, de appellat.* & idem dicendum esse de interdicto docent Hostien. *ibi super ver. excommunicationis, vel interdicti*. Joan Andr. *num. 2.* Anchar. *num. 1.* Panorm. *num. 3. & 4.* Nevo *num. 7. & 8.* Decius *num. 4.* Innoc. *cap. 1. num. 3. de excess. Prælat.* Silvest. *v. suspensio quæst. 4.* Armilla *num. 17. & v. interdictum numer. 28.* Navar. *cap. 27. num. 59.* Cardin. Diaz, Rodriq. Lopez, quos refert & sequitur Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 32. num. 17.* Ea igitur causa, qua excommunicatio noviter lata non ligat ignorantem, eundem non ligant suspensio, & interdictum, prout etiam tenent DD. suprà citati.

Colligitur tertiò idem dicendum esse de irregularitate ubi ipsa sit imposita pro delicto, ut tunc legis irregularitatem de novo imponentis ignorantia antecedens ab ea excuset. Negarunt quidem hoc Suarez *tom. 5. de cens. disp. 40. sect. 5. num. 10.* Sotus *4. d. 22. quæst. 1. art. 2. in fin.* Alvarez *p. 2. disp. 158. num. 5.* & apud Dianam ubi infrà, Vasquez, Azor. Avila, Hurtad. & Martinus de Ledesma. Verùm, quod assertum fuit, est verum nedum ratione communi, quia ignorantia antecedens excusat à lege pœnali; sed quia etiam irregularitas est pœna contemptus, ut tradunt Panor. *in cap. Pastoralis §. verùm num. 15. de Appellat.* Navar. *cap. Cùm contingat, causa 14. nullitatis remedio 2. num. 7. & cap. Accepta, de restitut. spoliat. oppos. 8. illat. 9. num. 35.* Unde deficiente contemptu minimè incurritur, ut tradit idem Panorm. *per hoc cap. 2. de const.* Navar. locis citatis, *& in summ. cap. 27. num. 252. ver. 8.* Imò quod ad eam incurrendam requiratur dolus voluerunt Dominicus *cap. Is qui §. is verò num. 1. de sentent. excomm.* Navar. duobus prioribus locis citatis, Sanchez *l. 9. de matrim. disp. 32. num. 17.* Diana *par. 4. tract. 2. num. 85.* & apud eum Reginaldus, Peregrinus, Meroll. & Coninch, Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. part. 17. num. 6.* Leander *tract. 1. de irregular. disp. 4. quæst. 3.* & apud eum Hurtado, Bonacin. *de censuris disp. 1. quæst. 2. part. 1. num. 13.* 363

Limitatur tamen hæc assertio, ut non sit vera de irregularitate mixta, scilicet quæ non est tantum pœna pro delicto, & in ejus odium lata, sed simul est imposita ratione significationis, & indecentiæ actus ad ministerium ordinum, sicut est irregularitas, quæ incurritur ex homicidio; sufficit enim ad incurrendam irregularitatem ex homicidio, quod homicidium sit voluntarium etiam si ex justa causa, ut patet in judice justè damnante reum ad mortem; multò magis igitur erit irregularis, qui privatim voluntariè hominem occidit, licèt ex ignorantia excusetur ab inobedientia legis positivæ, quæ imposuit homicidæ irregularitatem non præcisè, ut pœnam inobedientiæ contra legem; sed ratione indecentiæ actus, etiam si actus non sit culpa, ut post Merollam advertit Diana ubi suprà. Verum est, quod Palaus *tom. 6. disp. 6. p. 6. num. 3.* quem sequitur Leander *tom. 5. tract. 1. disp. 4. quæst. 6.* oppositum sustinent. Verùm cum & ipsi fateantur irregularitatem pro homicidio injunctam esse judici, ob decentiam, homicidæ verò & ob decentiam, & in pœnam; quod quidem verum est, & rationi conforme; igitur ex duplici causa imposita irregularitas contra homicidam non cessat una causa cessante, scilicet culpa, quia semper militat alia causa, quæ est decentia, nam & minus rationi conforme esset, ut ob mortem illatam judex esset irregularis, qui justè illam infert, & non esset irregularis ille, qui illam causat injustè, & ex hoc solo excusaretur, quod legem imponentem illam ignoraret. 364

Colligunt quartò nonnulli, quod si reservatio peccati sit inducta tanquam pœna in odium peccati, ut fecit Sixtus Quintus contra malè promotos ad ordines, ignorantem antecedenter hujusmodi legem, si illam transgrediatur non incidere in casum reservatum, & posse absolvi à quocumque Confessario. Ita Sanchez *d. disp. 32. num. 18.* Portell. *v. ignorantia num. 21.* Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. p. 17. num. 8.* Vericell. de Apostol. Miss. *quæst. 78. art. 14.* Neque obstare dicunt, quod reservatio auferat jurisdictionem à Confessario, quia hoc est verum de reservatione posita simpliciter propter bonum commune, non verò de illa, quæ in odium delicti, & in ejus pœnam imponitur, quia hæc non aufert jurisdictionem, nisi respectu delinquentis contra legem. Card. de Lugo *disp. 20. de pœnit. num. 11.* hanc sententiam refert, sed illam nec approbat, nec reprobat. Sed oppositum est asserendum, negando suppositum hujus opinionis, scilicet quod detur reservatio absolutionis, quæ sit nuda, & pura pœna. Nam reservatio absolutionis ex natura sua ordinatur in remedium peccati, seu ut impedimentum detinens à peccando, & ne ex spe facilis absolutionis homo facilius in malum consentiat. Quod verò imponatur etiam 365

in

in odium peccati, non per hoc imponitur in solam peccati vindictam, & pœnam, sed in peccati impedimentum, & peccati odium se habet, ut motivum impulsivum, cùm tamen causa finalis sit legis impositæ firmior observantia, seu difficilior transgressio. Ideò ignorantia etiam probabilis, si non est talis, quæ excuset à culpa transgressionis legis prohibentis, non excusat à reservatione.

366 Colligitur quintò ignorantiam antecedentem legis irritantis actum excusare à nullitate, quando nullitas inducta non est ex solemnitatis defectu, sed in delinquentis pœnam, prout distinxit Anton. de Butrio *cap. 2. num. 19. de constit.* quem sequitur Sanchez, *dict. num.* 18. Videndum tamen semper erit diligenter, an nullitas sit inducta in vindictam actus mali, & ut pœna illius; Nam aliàs decretum irritans secundùm commune axioma juris ligat etiam ignorantes.

367 Limitandum tamen est principale assertum juxta dicenda in sequenti artic. ut non procedat quando lex nova, nihil novi inducit, nisi quod pro transgressione prioris legis naturalis, aut positivæ inducit pœnam. In hoc enim casu pœna imponitur pro transgressione prioris legis, & ut prior lex observetur, ignorantia autem pœnæ universaliter ab incursu pœnæ non excusat, cùm non ignoratur lex, contra cujus transgressionem pœna est imposita, ut in sequent. artic. probatur.

368 Ad primum in oppositum dicitur, quod in *cap. Cùm illorum de sentent. excomm.* non est sermo de ignorantia probabili, & antecedente, sed de consequente, & improbabili, seu crassa, quia sermo ibi est etiam de ignorantia facti, quam tamen evidens est excusare, si sit invincibilis, & antecedens, Sanchez *dict. disput.* 12. *num.* 10. Nam ut ex Hostiens. & Panorm. ibi *num.* 15. advertit Palaus *tract.* 2. *d.* 1. *punct.* 17. *nu.* 6. textus ille loquitur de foro externo. In foro autem externo nemo præsumi poterat laborare ignorantia probabili canonis tam clari, & manifesti, Navar. *cap.* 27. *num.* 141. Suarez plures referens *tom.* 5. *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 59.

369 Ad secundum dicitur, quod furtum ut furtum est puniendum, quia est acceptio rei alienæ invito domino, ideò furti damnatur, qui unum furatur, putans esse aliud. Et nihilominus ignorantia rei furatæ coram Deo potest diminuere culpam, si quis rem furetur, quam putat modicam, non ablaturus eam, si sciret esse rem magnam. Quamvis in foro externo hujusmodi excusatio non admittatur, nisi probetur. Ad id verò, quod ex Bart. addebatur dicitur ejus doctrinam reprobari per Covar. *p. part.* §. 10. *num.* 13. *in cap. Alma Mater*, nec potest sustineri, nisi in casu in quo teneretur furans præsumere calicem fuisse consecratum, ex quo calices communiter sunt consecrati. Et certè ignorantia hujusmodi in furante calicem erit concomitans, nec in foro externo admittetur, ut antecedens, & talis, quod judicetur fore, ut furans non furatus fuisset, si scivisset calicem fuisse consecratum.

370 Ad tertium dicitur, quod qui plus peccat, quàm intenderit, punitur, quando ignorantia non fuit antecedens, sed delinquens potuit, & debuit considerare, quod poterat id mali evenire, quod evenit. Et hæc est ratio textus citati volentis irregularem esse, qui mandavit percutere, & non occidere, quia potuit & debuit considerare, quod poterat evenire, ut percussus occideretur. Cæterùm, quod occidens etiam ignoranter sit irregularis, est ex speciali ratione indecentiæ, ob quam etiam judex damnando ad mortem fit irregularis.

SVMMARIVM.

371 *Ignorantia pœnæ excusat à pœna ordinaria.*
372 *Obligatio ad pœnam sequitur ad consensum in delictum velit, nolit, delinquens.*
373 *Ignorantia excommunicationis ab ea excusat.*
Excommunicatio est medicinalis pœna summam contumaciam supponens.
374 *Idem de aliis censuris.*
375 *Idem de irregularitate, ut est mera pœna.*
376 *Ignorantia solius pœnæ, ab ea non excusat*, 377.
377 *Pœna non est voluntaria.*
378 *Etiam si delinquens per se ipsum pœnam exequi debeat.*
379 *Nisi ignorantia sic diminuat culpam, ut pœna judicetur excedens.*
380 *Ignorantia legis solam pœnam imponentis non excusat.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XIX.

An solius pœnæ ignorantia probabilis excuset à pœna.

Cum enim non ignoretur lex prohibens, qui legem transgreditur, non excusatur à culpa, sed dubium est an saltem excusetur à pœna, si ignorabat pœnam contra transgredientem legem impositam. In hac verò quæstione mihi primò videtur habendum pro certo, quod ignorantia pœnæ non excusat inobedientem à pœnæ incursu, si illa sit pœna ordinaria, & non excedens demeritum culpæ secundùm se sumptæ. Ita Navar. in Manual. *cap.* 23. *num.* 47. & *cap.* 27. *num.* 16. & *num.* 274. Et à fortiori tenent DD. citandi absolutè asserentes ignorantiam pœnæ non excusare. Ratio est, quia per se notum est, quod delinquenti debetur pœna, unde consentiens in delictum in pœnam velit, nolit, consentit, nec laborat pœnæ ignorantia, quæ sit invincibilis, aut probabilis, & antecedens. Sic certum est, quod ignorantia æterni suplicii non excusat ab eo peccantem moraliter, quia hæc est pœna peccato proportionata, & non peccantis, sed judicis vindicantis est judicium ferre de qualitate & proportione pœnæ ad delictum, aliàs verò nullus est, qui nesciat delinquentem esse puniendum. 371

Et ita ad hoc faciunt, quæ adducuntur à DD. existimantibus absolutè, quod ignorantia pœnæ non excusat, & quod obligatio ad pœnam connaturaliter sequitur, ad consensum in delictum. *Instit. de oblig. quæ ex delicto, in princ. & l. Imperatores ff. de jure fisci.* Unde admittens delictum pœnæ amator est. Auth. *de non alienando.* §. *Quia verò* *col.* 2. *collat.* 2. Et qui vult antecedens, nempè delictum, vult etiam consequens, scilicet pœnam, *l. illud ff. de acquir. hæredit.* Nam ut habet D. Th. 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 5. *q.* 2. Culpæ principium intra nos est, cùm omne peccatum sit voluntarium: pœnæ autem extra nos, nec ad illam est necessaria voluntas, sed de ratione ejus est, ut voluntati repugnet, Ideò ad hoc, ut peccator obligetur ad pœnam, non est necesse, quod pœnam in particulari cognoscat, quæ sæpius etiam ex arbitrio judicis est determinanda; sed sufficit, quod sciat culpæ deberi pœnam, imò absolutè neque hoc est necessarium, sed sufficit, quod voluntariè delinquat; quia ad delictum sequitur pœna velit, nolit, qui delinquit. 372

Sed cùm multiplex sit pœna, quæ pro delictis imponi potest, & imponitur à lege, & aliqua etiam sit lata solùm pro contumacia; ideò non eodem modo ab omni delinquente omnis pœna incurritur, & aliqua esse potest, quæ scientiam sui postulent. Hinc conveniendum puto cum illis, qui sentiunt ignorantiam excommunicationis excusare ab excommunicationis incursu. Negant quidem hoc aliqui, nimirum Driedo *lib.* 2. *de liber. Christ. cap.* 9. *in fin. & cap.* 10. §. 4. *dubitatio*, *vers. ad primam dubit.* Covar. de hoc latè disputans *in cap. Alma mater p. p.* §. 10. *num.* 9. Martinus de Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 24. *art.* 6. Alvarez *p.* 2. *quæst.* 158. *num.* 5. Corduba *l.* 2. *quæst.* 27. Sed assertio posita probatur, quia excommunicatio non fertur nisi ob contemptum, & contumaciam, *cap. Nemo Episcoporum* 11. *quæst.* 3. Imò non fertur nisi prævia monitione. *Cap. sacro de sent. excom.* Non est verò contumacia aut contemptus, sive competens monitio, nisi delinquens sciat excommunicationem latam esse in sic delinquentem. Nam & esse posset, quod delinquens abstineret, si sciret, se futurum excommunicatum, si delinquat. Præterea animi medicina non agit, nisi cognita, quia animi cognoscentis, & malè amantis infirmitati non succurritur sine cognitione, excommunicatio verò est pœna medicinalis, *cap.* 1. *de sentent. excomm. in* 6. Amplius excommunicatio est ultima pœna *c. corripiuntur* 24. *quæst.* 3. requirit igitur summam contumaciam, qualis est, si delinquens non obstante notitia excommunicationis, contumax persistat in delicto, Med. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *fin.* Martin. *ibid. dub.* 2. *reg.* 4. Montes *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *num.* 105. Item excommunicationem necesse est, quod præcedat monitio sub comminatione excommunicationis, ut docent Sotus, 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 2. 3. *concl.* Henriq. *l.* 13. *cap.* 27. *nu.* 31. 373

Sanchez

Sanchez *d. disp.* 12. *num.* 13. quia aliter non adesset summa contumacia, & contemptus, si non adesset excommunicationis notitia. Quamobrem quod ignorantia excommunicationis excuset ab excommunicatione tradiderunt Angel. *v. excomm.* 7. *casu ult. num.* 3. Silvestr. *v. excom. ultimo quæst.* 3. §. 4. Navar. *cap.* 27. *num.* 16. & 274. Sotus 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 4. Ludovicus Lopez 2. *p. cap.* 13. §. *Igitur pro elucidanda*, Bartholomæus de Ledes. *de excommuni. dub.* 5. Henriq. *l.* 13. *cap.* 21. *num.* 1. & *cap.* 23. *num.* 2. Rodriq. Ovandus, Vega, Canedo, & Graff. quos sequitur Sanchez *l.* 9. *de matrimon. disput.* 32. *num.* 13. Suarez *tom.* 5. *de cens. disput.* 4. *sec.* 9. *num.* 19. Bonacina *de cens. d.* 1. *quæst.* 2. *p.* 13. Palaus *tractat.* 2. *disput.* 1. *p.* 17. *num.* 5. & apud eum Coninch. Philiar. Filliuc. Bauny, Cornexo, Azzor. Candidus, Bassæus, Sylvius, Coufers, Machado, Villalobos, quos refert, & sequitur Leander *tom.* 4. *tract.* 1. *disp.* 9. *q.* 7. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 41. & *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 16. Laym. *tract.* 1. *par.* 1. *c.* 5. *n.* 8.

374 Extenditur verò hoc ad alias censuras, nimirum ad suspensionem, & interdictum, eò quia & hujusmodi sint pœnæ medicinales contumaciam, & contemptum supponentes, Sanchez *d. disput.* 32. *num.* 21. Suarez, Palaus, Bonac. Leander ubi supra, & alii plures apud ipsos, Quamvis contrarium senserint Soto 4. *d.* 3. *quæst. unic. art.* 9. *fin.* Ledes. *p. p.* 4. *q.* 7. *art.* 9. *dub.* 2. *fin.* & 2. *p. q.* 24. *art.* 6. *fin.* Henr. *l.* 13. *c.* 23. *n.* 2.

375 Et nihilominus hoc idem ex eadem causa quia scilicet supponat contumaciam, & contemptum, ad irregularitatem extendunt quando est mera delicti pœna Sanchez, Bonac. & Palaus *num.* 6. Navar. *cap.* 23. *num.* 47. Diana *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 85. Leander *tom.* 5. *tr.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 5. & apud eum Philiar. Rodriq. Coninch. Merolla, Portel. Cornexo, Machado. Hoc tamen limitandum est, ut non verificetur in irregularitate ex homicidio, per dicta suprà *art.* 22. *n.* 486. Et si contrarium senserit Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 31. *sec.* 6. & *tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 9.

376 Sed loquendo de aliis pœnis etiam dictis extraordinariis, dicitur quod ab illis non excusat ignorantia sola pœnarum. Et quidem non datur pœna justa, quæ sit omnibus pensatis extraordinaria, & exorbitans, & demeritum culpæ excedens. Quamvis verò dicatur extraordinaria illa pœna, quæ culpæ præcisè secundùm speciem sumptæ non est proportionata, quamvis consideratis circumstantiis, & v. g. frequentia delinquendi contra legem, vel aliquod imminens grave periculum, si lex non custodiatur, pœna illa sit justa, & proportionata. Nihilominus absolutè dicitur, quod ignorantia solius pœnæ non excusat, nisi ad eam incurrendam requiratur contumacia ultima, & summa & contemptus, quia opposita sententia definit primò in facto, quod scilicet possit dari ignorantia tanta pœnæ, quæ ab illa valeat excusare.

377 Hoc enim non subsistit, quia unusquisque delinquens scienter contra legem, scire potest, & debet, & de facto scit saltem in genere illum subdi pœnæ legis, seu esse puniendum secundùm legum præscriptum, & sic velit, nolit se obligat ad pœnam legis sustinendam. Secundò quia semper militat ratio illa, ex D. Th. loco citato desumpta; Quia nimirum non est necesse, quod pœna sit voluntaria, quia principium pœnæ est ab extrinseco, igitur nec est necesse, quod pœna sit cognita determinatè, & in specie, sed meritum pœnæ per se ex natura rei consequitur culpam independenter à delinquentis cognitione, & voluntate. Ideò nec est necesse explicitè consentire in culpam, ut est causa pœnæ, sed consensus in culpam, ex hoc saltem est virtualis consensus in pœnam, quia pœnæ reatus per se inseparabiliter culpæ est annexus. Quamvis verò culpa patrata cum ignorantia pœnæ videatur levior; hæc non est diminutio tanta ex qua diminuenda sit pœna, eò magis quod delinquens saltem in genere pœnam cognoscit, & scit se obligari ex culpa contra legem ad subeundum pœnam contra sic delinquentem à lege institutam. Et ita quidquid in contrarium dixerunt Navar. *in Manuali cap.* 23. *num.* 47. & *cap.* 27. *num.* 274. Serra *p.* 2. *quæst.* 76. *artic.* 7. *dub.* 2. Pal. *tract.* 2. *d.* 1. *p.* 17. *num.* 7. ignorantiam solius pœnæ non excusare meritò docuerunt Sotus 4. *d.* 3. *quæst. unic. art.* 9. *fin.* Ledes. 1. *p.* 4. *quæst.* 7. *art.* 9. *d.* 2. *fin.* & 2. *p.* 4. *quæst.* 24. *art.* 6. *fin.* Lopez 2. *p. cap.* 13. *ad tertium*, Medina *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *fin.* Martinez *ibid. art.* 4. *d.* 2. *reg.* 4. & 10. Alvarez *disp.* 158. *n.* 5. Serra *d. art.* 2. Montes. *art.* 3. *n.* 86. Suarez *t.* 3. *in* 3. *p. disp.* 31. *sec.* 6. & *tom.* 5. *d.* 40. *sec.* 5. *n.* 9. Sanchez *l.* 9. *de matr. disp.* 32. *num.* 21. & 22. Et ex hoc benè Serra *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. benè impugnavit nonnullos volentes eum, qui scienter accedit ad consanguineam, sed ignorat huic culpæ adesse privationem debiti annexam, posse debitum petere. Nam hoc nec est verum, nec tutum, nedum quia ignorantia solius pœnæ non excusat. Sed quia hæc debiti privatio non tam est pœna, quàm impedimentum, & inhabilitas quædam ad copulam, sicut consanguinitas est impedimentum ad matrimonium.

Nec admittenda est limitatio Palai loco citato, ut ubi delinquens per se ipsum pœnam exequi debeat, ignorantia pœnæ illum à pœna excuset. Nam aliud est, quod ubi delinquens per se ipsum pœnam exequi debet, non teneatur illam exequi ipso facto sine judicis sententia damnante, vel declarante, quod certè saltem in quampluribus casibus est verum, ut dixi etiam *tract. de elect. canon. cap.* 25. *quæst.* 51. Aliud est, quod ad illam pœnam non teneatur, quia illam ignoravit. Hoc enim ex supradictis probatur non esse verum. 378

Hæc tamen alia limitatio admitti potest, ut si spectatis omnibus ignorantia ita diminuat culpam, ut pœna imposita censeatur excedens, tunc ignorantia ab illo rigore pœnæ excuset, Suarez *de censur. disp.* 4. *sec.* 9. *n.* 22. 379

Colligitur quoque veram esse limitationem positam *art. super.* scilicet ignorantiam legis positivæ solùm pœnam imponentis contra delictum ab alia lege prohibitum non excusare à reatu illius pœnæ; quia hæc non est ignorantia legis, ut prohibentis aliquid, sed ut imponentis pœnam pro actu aliàs prohibito; in idem verò coincidunt ignorare legem præcisè ut pœnam imponentem, & ignorare pœnam non ignorato delicto pro quo pœna infertur. Ideò ubi lex nova contra delictum per aliam legem prohibitum pœnam imponit, quia nimirum non imponit pœnam pro inobedientia contra se ipsam legem novam, sed pro inobedientia contra legem antiquam, hujus legis ignorantia non excusat à reatu pœnæ, quia pœnæ ignorantia, ut dictum est, ab hoc reatu non excusat. 380

SUMMARIUM.

381 *Ignorantia antecedens facti excusat à culpa, & à pœna.*
Non conscius peccati mortalis non peccat, si accedat ad communionem.
Quæ ignorantia invincibilis, & probabilis.
Gaudium de actu malo ignoranter facto est peccatum, sed non facit, quod actus præteritus fuerit peccatum.
382 *Ignorans qualitatem malam actus, excusatur ab ea specie peccati.*
Hujus plura exempla.
Et regula valet etiam in corporalibus.
383 *Et valet, etiam si quis det operam rei illicitæ.*
Occidens ignoranter patrem non est impius.
Occidens ignoranter Clericum non est excommunicatus.
384 *Qui ignoranter damnificat, non tenetur restituere ratione injustæ acceptionis.*
385 *Dans operam rei illicitæ quando sit irregularis ex homicidio.*
386 *Percutiens Titium Clericum putatum Celsum Clericum est excommunicatus.*
387 *Qui vult percutere Celsum Clericum, si casu percutiat Titium Clericum non est excommunicatus.*
388 *Qui percussit, vel occidit feram putatam Clericum, non est excommunicatus, nec irregularis.*
389 *Eventus malus non imputatur, si non fuit prævisus.*
Qui dicatur negligens in prævidendo.
Ebrio quando imputetur eventus malus.
390 *Excusatur, qui non tenetur credere qualitatem facti.*
Filius adulteræ justè possidet ut heres bona mariti adulteræ.
391 *Ignorantia consequens non excusat.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XX.

Vtrùm ignorantia facti, si sit antecedens, excuset à culpa, & pœna.

381 EX antecedentibus dictis, & probatis manifesta est hujus quæstionis resolutio. Quia nimirum ignorantia facti, si sit antecedens, excusat ignorantem à culpa, & à pœna pro illa culpa imposita, *cap. si à simonia 1. quæst. 1. cap. si beneficia de præbend. in 6. & cap. ignorantia de reg. jur. in 6.* Quod tanquam certum, & indubitatum habetur ab omnibus. Sic qui probabiliter ignorat se non habere conscientiam peccati mortalis, sine culpa accedit ad communionem, Alvar. *disput.* 154. *num.* 3. Et hanc facti ignorantiam facilius contingit esse probabilem in facto alieno, quam in proprio. D. Ant. *p. p. titul.* 20. *verb. Ignorantia*. Hæc verò ignorantia erit invincibilis, si ignorans nullo modo fuit excitatus, ut scientiam quæreret, vel ut consideraret: erit verò probabilis, si adhibuit diligentiam, quam in negotio adhibere solent prudentes. Suar. *de cens. disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 12. Si verò ignorantia non est talis, quæ excuset à culpa, neque excusat pœna. Suarez *ibid. num.* 13. Quod est verum etiam si agens det operam rei illicitæ. Ubi verò ignorantia verè fuit probabilis, gaudium de actu malo ignoranter facto est quidem malum, sed non facit quod actus præteritus fuerit peccatum. Martin. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. *dub.* 2. *concl.* 3. Montes. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *n.* 101.

382 Extenditur autem principalis assertio primò, ut si pœna sit imposita pro qualitate actus, ignorantia qualitatis excuset à qualitate culpæ, & pœna contra actum, ut qualificatum imposita. Sic qui ignorans habet rem cum aliena credens esse suam uxorem, non est adulter, ut in facto Jacob cognoscentis Liam, quam credebat esse Rachelem est manifestum. Similiter, qui percutit clericum ignorans clericatum, non est sacrilegus, nec excommunicatus, *cap. Si verò el* 2. *de sentent. excommunic.* Item venator, qui ex ignorantia probabili occidit hominem, quem putavit esse feram, non est homicida, nec pœnis homicidæ subditur, D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. & ibi Alvarez *disput.* 154. *num.* 3. Armilla *verb. ignorantia, num.* 9. D. Ant. *p. p. tract.* 4. *cap.* 5. §. 5. Serra *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *d.* 2. Quod si Bartol. *l. Divus, nu.* 3. *ff. ad l. Corneliam, de sicariis*, quem commendat Felin. *eod. cap. Si verò, in fin.* dixit regulam hanc esse veram in spiritualibus, in quibus consideratur affectus, non verò in temporalibus, in quibus consideratur solus effectus: meritò rejicitur à Covar. *cap. A. ma mater, p. p.* §. 10. *num.* 15. *vers. Vndecimò*. Cùm enim pœna non infligatur justè, nisi pro culpa, & ignorantia qualitatis, si sit antecedens tollat qualitatem culpæ, vel culpam, si culpa super qualitate fundatur, eadem ratione tollit pœnam, quæ fundatur super culpa. Cajet. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 3. & ibi Alvarez *disp.* 154. & 158. *n.* 4. Silvest. *v. ignorantia, n.* 11. Armilla *n.* 7. Sanchez *d. disp.* 32. *n.* 23.

383 Extenditur secundò, ut ignorantia etiam qualitatis excuset, quamvis ignorans aliàs det operam rei illicitæ. Sic enim, qui credens se occidere inimicum ex justa ignorantia occidit Patrem, non est impius. D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 3. *corp.* Alvar. *disput.* 154. *num.* 3. Sic etiam, ut dicebatur, qui occidit Titium clericum ignorans antecedenter clericatum non est excommunicatus, ut habetur ex *d. cap. Si verò el* 2. *de sent. excomm.* Quamvis enim Glossa *ad d. cap. Si vero in v. ignoraverit*, voluerit tutius esse habere talem pro excommunicato, quod & voluit Silvest. *ver. excomm.* 6. §. 6. *not.* 4. citans pro se Hostiens. & Alanum, tamen hoc non obstante, extensio posita est sustinenda, quia hujusmodi occisor respectu clerici non est in culpa, cùm qualitatem clericatus inculpabiliter ignoraverit, & Clericum non occidisset, si scivisset. Tum secundò, quia licèt hujusmodi occisor daret operam rei illicitæ, quia homicidium operabatur, tamen *in d. cap. Si verò*, excusatur ab excommunicatione. Atque ideò hoc ita tenent ibi Jo. And. *in fine*. Ant. *num.* 8. Anchar. *num.* 3. Panorm. *num.* 7. Henr. *num.* 5. Jo. de Lignano, & Tancredus relati à Silvest. Asten. 2. *p. lib.* 7. *tit.* 3. *art.* 2. *p.* 31. Covar. *cap. Alma mater p. p.* §. 10. *num.* 15. Cajet. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *dub.* 3. ibi Alvar. *disput.* 154. & 158. *num.* 4. *articul.* 2. *dub.* 5. *conclus.* 8. Silvestr. Martin. *art.* 2. *d.* 5. *conclus.* 15. *verb. ignorantia, nu.* 11. Armill. *num.* 7. Montesin. *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *num.* 56. & 104. Suarez *de censuris disput.* 4. *sect.* 8. *num.* 13. Serra *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 2. Sanchez *d.* 32. *disput. num.* 24. & apud eum Graffius, Medina *part.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *in comment.* §. *ignorantia circumstantiæ*, & *art.* 4. *circa finem*. Candidus *disq.* 21. *articul.* 31. *d.* 8. & 9. Hurtad. Vasquez, Henriq. Sayrus, & Avila, quos refert & sequitur Leander *tract.* 1. *de cens. disp.* 9. *q.* 9. Bonacina *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 8. & 9.

Et hoc adeò extenditur, ut qui aliàs dat operam rei illicitæ, si interim ex ignorantia antecedente damnificet alium, 384
non teneatur ad restitutionem, nisi ratione rei acceptæ, vel nisi sit damnatus à judice.

Excipi tamen debet casus irregularitatis ex homicidio 385
causali, nimirum cùm Clericus dat operam rei illicitæ sibi prohibitæ specialiter ob periculum homicidii, cui est exposita. In hoc enim casu etiam si ignorantia sit talis, quæ excuset à culpa, non excusat Clericum ab irregularitate, si hominem occidat, quia jus positivum hanc pœnam Clerico homicidæ danti operam rei illicitæ imposuit, quo Clericos à similibus exercitiis arceret. Serra nihilominus *p.* 2. *quæst.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. *coroll.* 1. asserit occidentem hominem putatum feram inculpabiliter, non esse irregularem. Et Leander *tom.* 5 *disp.* 4. *quæst.* 7. absolutè pronunciat, quod ignorantia invincibilis juris, aut facti excusat homicidam ab irregularitate. Sed nihilominus ubi aliquis dat operam rei illicitæ, quod ignorantia non excuset homicidam ab irregularitate, docuit D. Th. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *c.* Quod Alvarez *p.* 2. *q.* 76. *disp.* 154. *num.* 7. ait esse intelligendum, quando res illicita est prohibita intuitu homicidii, quod regulariter ex ea sequitur. Martin. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *d.* 2. *reg.* 13. excipit opus illicitum de se inductivum homicidii. Sed melius dicitur tunc irregularitatem habere locum, quando opus illicitum specialiter est prohibitum Clericis intuitu homicidii.

Explicari etiam debent prædicta, ut ad incurrendam 386
censuram, vel pœnam sufficiat cognoscere qualitatem, ob quam actus est prohibitus, & pœna mulctatus, licèt non cognoscatur, ut existens in eo individuo, circa quod ignorans intendit agere. Sic qui occidit casualiter Petrum clericum, quem credebat esse Paulum clericum, est excommunicatus. Non enim hic ignoravit qualitatem clericatus, sed voluit occidere etiam Clericum, quamvis erraverit occidendo unum Clericum pro alio. Covar. *cap. Alma mater p. p.* §. 10. *num.* 15. *ver. octavò*. Corduba *l.* 2. *qu.* 26. §. *Secundò probatur*. Bartholomæus à Ledesma *de pœn. dub.* 17. Vega *t.* 1. *cap.* 85. *cas.* 107. quos sequitur Sanchez *d. disput.* 32. *num.* 27. Sayr. *l.* 3. *de censuris, capit.* 27. *num.* 5. Corneyo *de cens. in gen. d. cap. fin.* Candid *disq.* 22. *art.* 31. *dub.* 10. contra Gregor. Martin. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *d.* 2. *regula* 3. Serra *ibid. art.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2.

Nec obstat, si dicatur, non esse excommunicatum, 387
qui projiciens lapidem, quo Titium Clericum lædat casu percutit Sejum Clericum illac transeuntem. Non enim est eadem ratio, nam in hoc casu affectus percutiendi Titium clericum malus fuit, sed aliàs percussio Clerici exterior fuit merè casualis. Sed in priori casu, & affectus, & actio externa ex intentione, & non casualiter terminata ad Clericum per se fuit sacrilega in effectu, & injuriosa contra statum clericalem; & ideò sic percutiens, vel occidens est excommunicatus, & etiam irregularis, si actio sit talis, ut ex suo genere irregularitatem inducat.

Colligitur quoque ex dictis, eum non esse excommuni- 388
catum, qui credens se percutere Clericum reverà percussit laicum. Et illum non esse irregularem, qui reverà occidit feram ex opinione, & intentione occidendi hostem. Quia quando pœna non est imposita contra desiderium, & voluntatem, & intentionem, sed contra actionem externam, mala opinio, & intentio non subjicitur illi pœnæ, quia pœna lata est contra actum externum realem, non contra falsò opinatum. Ita Gloss. *in cap. In audientiam, v. injuriarum, de sentent. excomm.* Panor. *cap. Si vero el* 2. *eodem tit. num.* 7. ubi Anchar. *num.* 4. Feder. *cons.* 13. Asten. *lib.* 7. *tit.* 3. *art.* 2. *q.* 30. & 31. D. Ant. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 1. §. 2. Ang. *v. excomm.* 5. *casu* 1. *nu.* 25. Silvest. *v. excomm.* 6. §. 6. *not.* 2. Alvarez *p.* 2. *disp.* 158. *num.* 4. Covar. *cap. Alma mater, p. p.* §. 10. *v.* 18. Lopez, Bartholomæus à Ledesma, Graff. Manuel, Vega, quos sequitur Sanchez *d. disp.* 32. *n.* 28. Ubi & benè adver-

advertit immeritò Covarruv. tribuere Gloſſ. & Hoſtienſ. quod voluerint hunc eſſe excommuninicatum, dum ſibi non conſtet percuſſum non eſſe Clericum. Quia nec dicti DD. hoc aſſeruot, ſed ſolùm volunt, quod percutiens ob conſcientiam erroneam debeat ſe habere ut excommuoicatum, donec de veritate ſit certus. Eandem ſententiam ſcilicet præfatum non eſſe excommunicatum habent Suarez *de cenſ. diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 53. Vaſquez *de excomm. d.* 14. *num.* 3. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 22. Leander *tr.* 1. *de cenſuris, diſp.* 9. *q.* 14.

389 Colligitur prætereà, quod eventus malus, qui ſequitur ex facto alicujus non illi imputatur, niſi in eo fuerit prævifus, vel debuerit prævideri. Etiam ſi quis det operam rei illicitæ. Quia oon eſt voluntarius eventus, qui non fuit prævifus, quia vel non potuit, vel noo debuit prævideri, Martinez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *dub.* 2. *reg. ultima*. Et ita ebrio non imputatur homicidium, niſi fuerit prævifum, aut debuerit prævideri. Et tamen ex eventu malo ebrietas voluntaria aggravatur, D. Aoton. *p.* 1. *tit.* 4. *c.* 5. §. 5. Et quod ebrio, vel furioſo ab ebrietate, & furia reverſo poſſit imponi pęna ad cautelam dixit idem D. Aoton. *p.* 1. *tit.* 4. *cap.* 14. §. 3. Ubi etiam dat exempla oegligentiæ in prævidendo effectum futurum. Negligens enim eſt, ſi cooperiens tectum domus oullo poſito ſigno projieit regulas in viam: Et ſi ubi ſunt homines projiciat lapides ad animalia. Negligens verò oon eſt ruſticus, ſi eo arborem incidente, per accidens eo neſciente tranſit aliquis, qui à ruente arbore opprimitur.

390 Pariter colligitur excuſari eum, qui vel non voteſt, vel non tenetur credere, quod factum ſit hujus, vel illius qualitatis. Sic enim filius adulteræ, ſi bona patris putativi, & matris mariti poſſidet, juſtè poſſidet, quia oon tenetur credere matri diceoti eum eſſe illegitimum, Alvarez *p.* 2. *diſp.* 154. *n.* 3. Et videri poſſunt, quæ de hoc ſcripſi *tr. de elect. cap.* 25. *q.* 18. *n.* 170.

391 Prædicta verò intelligi debent de ignorantia antecedente, nam ignorantia conſequens, ſeu craſſa regulariter noo excuſat. Et præterea ignorantia antecodens excuſat ab eo ſolo peccato, cujus eſt cauſa, Alvarez *p.* 2. *q.* 76. *diſp.* 156. *n.* 4.

SVMMARIVM.

392 *Opiniones diverſæ* 393. 394.
395 *In foro Dei omnis ignorantia culpabilis eſt craſſa.*
396 *Nulla ignorantia conſequens excuſat a culpa tranſgreſſionem legis naturæ, & divinæ.*
397 *Nulla ignorantia conſequens excuſat à culpa tranſgreſſionem legis poſitivæ.*
398 *Niſi lex prohibeat ſolum actionem ſcienter habitam.*
399 *Ignorantia conſequens non excuſat à pœna abſolutè lata.*
400 *Vbi pœna requirit ſententiam judicis, non obligat in conſcientia ante.*
401 *Ignorantia conſequens non excuſat ab excommunicatione, & cenſuris.*
402 *Ignorantia quæ eſt ex veniali culpa excuſat à peccato mortali, & pœna ei debita.*
403 *Suſpenſio non fertur, niſi pro culpa mortali.*
N. ſi ſit valdè levis.
404 *Idem dicitur de interdicto.*
405 *Idem de irregularitate.*
406 *In foro externo ignorantia ex levi, vel leviſſima cauſa excuſat.*
407 *Irregularitas non incurritur, niſi ex ignorantia craſſa.*
408 *Vbi lex imponit pœnam tranſgredienti legem ſcienter, ignorantia craſſa excuſat.*
Dictio ſcienter *importat ſcientiam.*
409 *Ignorantia craſſa non æquiparatur ſcientiæ, neque importat dolum.*
Ignorantia craſſa, & ſupina ſunt eadem.
Ignorantia affectata æquiparatur ſcientiæ.
410 *In foro externo ignorantia, quæ præſumitur doloſa, non excuſat.*
411 *Ignorantia non poteſt præſumi doloſa, niſi præſumatur affectata.*
Paſſer. in Lib. I. Sexti Decret.
Ignorantia craſſa non æquiparatur dolo.
412 *Quando requiritur dolus non ſufficit lata culpa.*
413 *Vbi lex ſupponit temeritatem craſſa ignorantia excuſat.*
Quid ſit temerè fieri.
Idem ubi lex imponit pœnam agente conſultò.
414 *Idem ubi lex requirit præſumptionem.*
415 *Idem ubi requirit auſum, &c.*
416 *Affectus à ignorantia æquiparatur ſcientiæ.*
Non excuſat à pœna legis.
417 *Etiamſi ſit affectata ex pigritia.*
418 *Oppoſitum rejicitur.*
419 *Nolle ſcire, quod quis non tenetur ſcire, non eſt ignorantia culpabilis.*

Quæſt. primæ

ARTICULUS XXI.

Vtrùm in aliquo caſu ignorantia licet conſequens, & improbabilis, excuſet à culpa, & à pœna.

RAtio difficultatis eſt, quia ſecundùm multos DD. ut 392
viſum fuit ſupra *art.* 5. non omnis ignorantia conſequens, ſeu non probabilis eſt craſſa, & ſupina. At verò ex textu præſentis *cap. Vt animarum*, ignoraotia, quæ non eſt craſſa, & ſupina excuſat. Idcircò quod ignorantia vincibilis tam juris, quàm facti, licet ſit voluntaria, ſi tameo non eſt craſſa, aut ſupina excuſet à cenſuris & aliis pęnis ſpiritualibus latis per ſtatuta, oedum Epiſcoporum, ſed etiam ſummi Pontificis, multi teneot. Et quidem quod ab excommunicatione excuſet ignorantia licet vincibilis, ſi non ſit craſſa, vel ſupina dixerunt Silveſt. *v. excomm.* 7. *caſu ult. q.* 3. Angel. *caſu ult. n.* 3. Tabien. *v. excomm.* 7. *q.* 1. *n.* 2. Petrus de Ledeſma *de matrim. q.* 45. *art.* 5. *p.* 1. *dub.* 3. *concl.* 2. Ludovicus Lopez 2. *p. inſtruct. cap.* 13. §. *Sed jam ad ſecundum punctum*, Heoriquez *l.* 13. *cap.* 23. *n.* 2. Sotus 4. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *col.* 4. Graff. *p.* 1. *deciſ. l.* 4. *c.* 9. *n.* 20. Salas *p.* 2. *tr.* 3. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 6. quos refert, & ſequitur Sanchez *l.* 9. *de matrim. d.* 32. *n.* 31. *& l.* 1. *ſumm. cap.* 16. *n.* 7. Item Diana 3. *p. tr.* 5. *reſol.* 13. citans pro ſe Portell. *v. ignorantia in addit. n.* 25. Bonac. *diſp.* 5. *de cenſ. q.* 2. *p.* 1. *n.* 10. Barb. *tom.* 3. *lib.* 1. *ſexti decretal. l.* 2. *c.* 2. *n.* 8. ubi pro cootraria ſeotentia refert Sotum, & Graffium eiſdem locis, quibus Sanchez pro ſe affert. Iterùm eandem ſententiam docet Diana *p.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 17. adducens pro ſe Tannerom *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 10. *dub.* 3. *n.* 4. Cœleſtinum *tr.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Serra *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. Ex bis tamen DD. aliqui, ut Sotus *loc. cit.* diſtinguunt inter excommunicationes latas à ſummo Pontifice, & ab inferioribus, & dicuot ignorantiam culpabilem, etiam ſi non craſſam non excuſare ab excommunicationibus latis à Pontifice, de quo etiam videri poſſunt Silveſt. & Tabiena *loc. cit.* pro hac ſententia referentes Angelum.

Et de irregularitate, quod ad eam incurrendam non ſufficiat levis culpa dixerunt Villadiego *tr. de irregular.* §. *Vlterius dixi*, Silv. *v. Homicidium* 2. *n.* 2. *&* 15. *verſ. Vigeſimo tertiò*, quos refert Sanchez *d. diſp.* 32. *n.* 34. Ubi abſolutè ſentit, oon incurri irregularitatem, niſi ob culpam latam poſt Navarr. *in ſumm. Hiſpana c.* 27. *n.* 236. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. c.* 3. *n.* 1. Petrus Navarr. *l.* 2. *de reſt. c.* 1. *dub.* 6. *in nov. edit. n.* 61. *verſ. coll.* 2. Silv. tamen loquitur de culpa leviſſima, & hanc dicit excuſare, quando quis dat operam rei licitæ. Horum verò ratio eſt, quia hujuſmodi pęnæ ſupponuot contumaciam, & contemptum, contumacia verò in ignorante ex levi culpa non habet locum. Et quia *c. Quæſitum de pænit. & remiſſ.* æquiparantur procurantes, & ſtudioſè oegligentes, quæ æquiparatio non ſubſiſteret, ſi ſtudioſa oegligentia non eſſet lata culpa, ob quam ibi Sacerdotes Græci filios in lacte opprimentes noo excuſantur. 393

Sed è contra omnem voluntariam ignorantiam arbitrantes eſſe craſſam, aut ſupinam, nullam ignoraotiam craſſam excuſare à culpa, & pęna, renuerunt Suarez *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 10. *n.* 10. Corduba *l.* 2. *q.* 1. *n.* 4. Vaſq. *p.* 2. *diſp.* 117. *c.* 1. *n.* 3. *& de excomm. dub.* 15. *in princ.* Corneyo *diſp. ult. de cenſ. dub. ult.* Candid. *diſq.* 21. *art.* 34. *d.* 4. Filliuc. *tr.* 11. *c.* 8. *q.* 12. *n.* 162. Villal. 1. *p. tr.* 16. *d.* 12. *n.* 8. Loyſ. *de cenſ. l.* 1. *d.* 5. *dub.* 4. Gordonus *tom.* 2. *l.* 7. *q.* 6. *art.* 6. *n.* 3. Machado *l.* 1. *p.* 3. *tom.* 1. *doc.* 15. *n.* 2. quos refert, & ſequitur Lean. *tr.* 1. *de cenſ. d.* 9. *q.* 15. *&* 17. 394

& in hanc sententiam inclinant Bonacina *loco citato*, & Bassæus *v. ignorantia*, quatenus oppositam solùm vocant non improbabilem.

395 Sed ut probatum est supra *art.* 5. Nulla est in foro Dei, & conscientiæ ignorantia non probabilis, seu voluntaria, & consequens, quæ non sit crassa, & quæ à culpa excuset. In foro verò externo, in quo culpa distinguitur in latam, levem, & levissimam, & ulteriùs sæpè pęnæ inseruntur contra scienter delinquentes, contingit, ut aliqua ignorantia consequens non crassa, imò & crassa excuset à pœna per jus positivum imposita.

396 Dicitur igitur nullam omninò ignorantiam consequentem excusare à culpa transgressionis legis naturalis, & divinæ, & à pœna, quæ in foro Dei est lata contra transgressionem legum præfatarum. Ita D. Th. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. & 4. & est omnium DD. placitum: quoniam cùm ignorantia consequens non causet involuntarium, jam ab ignorantia consequente non excusatur transgressio contra legem naturæ, aut divinam, quin sit voluntaria; igitur neque excusatur, quin sit culpa, quia omnis voluntaria legis transgressio est culpa.

397 Dicitur secundò, quod in foro conscientiæ nulla ignorantia consequens excusat à culpa transgredientem legem positivam humanam, nisi lex sit talis, quæ ad culpam non obliget: multæ enim leges sunt, quæ ex legislatorum mente non obligant ad culpam, ut manifestum est de constitutionibus Ordinis Prædicatorum, & nonnullorum aliorum Ordinum. Hæc quoque conclusio est D. Th. *loco citato*; & eadem ratione est manifesta, quia ubi lex obligat ad culpam, voluntaria legis transgressio est culpa, quod verò fit ex ignorantia consequente voluntariè fit. Et si fiat objectio de lege pœnali imponente pœnam solùm contra scienter transgredientes legem, respondetur, quod nunc non loquimur de reatu pœnæ, sed de reatu culpæ. Leges verò hujusmodi regulariter absolutè prohibent actionem, licet non imponant pœnam, nisi contra scienter agentes.

398 Si tamen daretur lex, quæ non prohiberet actionem, nisi scienter habitam, tunc ignorantia excludens scientiam propriè non excusaret à culpa, sed excusaretur agens ignoranter, quia non comprehenderetur sub lege, ex eo quia actio absolutè non esset prohibita, sed solum prohibitum esset agere scienter.

399 Dicitur tertiò, quod ubi lex positiva pęnalis absolutè prohibet actionem, & absolutè transgredientibus legem pœnam imponit, nulla ignorantia consequens, seu voluntaria, aut non invincibilis, nec probabilis in foro Dei excusat à reatu pęnæ, unde si pęna est ex illis, quæ incurruntur ipso facto in conscientia, ut sunt censuræ, & irregularitates, nulla ignorantia consequens in foro Dei ab his pœnis excusat. Et in hoc sensu propterea Suarez *lib.* 5. *de leg. cap.* 12. *num.* 10. dixit ignorantiam non excusare à pęna, quam lex imponit ipso facto, quàm nec judex potest minuere. Et ibidem *num.* 12. benè advertit etiam hic non esse considerandam distinctionem inter legem punientem actum jam damnatum, & actu damnantem in foro conscientiæ. Et sic secunda sententia benè asserit omnem vincibilem, & non probabilem ignorantiam esse crassam; Nam & in ordine ad hujusmodi pœnas satis est contumax, qui voluntariè legem transgreditur. Et hujus assertionis ratio est manifestissima, & demonstrativa. Nam non excusatur transgrediens legem etiam in foro externo; ubi constet transgredientem ignoranter potuisse, & debuisse scire, nisi lex ipsa in transgrediente scientiam petat, quia etiam in foro externo æquiparantur scire posse, & liberè, & voluntariè nescire. Et quod in foro externo excusetur, qui ignoranter peccavit, est quia præsumitur, vel non potuisse scire, vel non debuisse majorem diligentiam adhibere, ut sciret. Vel quia in eo foro negligentia judicatur levis. In foro autem Dei veritas patens est, & conspicua; & ita ignorantia, vel est ejus, quod quis non potuit, vel non debuit scire, vel saltem ad sciendum non debuit adhibere majorem diligentiam, quàm adhibuit, & sic ignorantia, nec censetur voluntaria, nec est consequens; vel est ignorantia ejus, quod ignorans potuit, & debuit scire; & hæc ignorantia sicut non excusat à culpa, sic nec excusat à pœna, quę absolutè pro culpa contra legem est imposita. Et quæ non est culpa levis, sed est mortalis.

400 Ubi tamen pęna legis in foro conscientiæ non obligat ad sui executionem, nisi præsupposita sententia judicis, saltem declaratoria criminis, delinquens in conscientia non tenetur ad pœnam ante judicis sententiam. Et ideò in hoc casu ignorantia excusat juxta regulas fori externi, de quibus infra est sermo. Unde non benè Suarez *dict. num.* 12. voluit non esse attendendam distinctionem pœnæ latæ à jure, & ferendæ ab homine: Quia imò & attendi debet distinctio inter pœnas spirituales medicinales, quæ statim obligant in conscientia, & aliàs pęnas à jure latas, vel ab homine ferendas, quarum executio pendet à judicis sententia. Quia in istis ignorantia excusat, si non sit crassa, seu ex dolo, aut lata culpa, juxta dicenda infra.

401 Ideò ubi lex ad incurrendum excommunicationem, vel aliam censuram, vel irregularitatem non requirit expressè scientiam, sed censuram fert absolutè contra transgredientes legem, nulla ignorantia consequens excusat à censura, vel pęna; quia in foro Dei satis est contumax contra Superiorem præcipientem, qui peccat mortaliter contra legem.

402 Nam & coram Deo culpa distingui potest in latam, levem, & levissimam, sed omnis culpa mortalis est lata. Si tamen negligentia sciendi sit culpa venialis, tunc excusat à mortali transgredientem legem, & ex consequenti à pęna lata contra culpam mortalem, & sic excusat ab excommunicatione, quæ si sit major, sine dubio non fertur, nisi ubi culpa sit mortalis, ut tradunt D. Th. 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. Navarr. *cap.* 27. *num.* 253. Suarez *de cens. d.* 4. *sect.* 4. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *propos.* 3. Sanchez *l.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 29. Leander *disp.* 8. *q.* 8. *tract.* 1. & est omnium sententia.

403 De suspensione verò, eam aliquando imponi posse pro peccato veniali dixerunt Cajet. *in summ. in v. suspensio*, Armilla *ibidem num.* 1. Navar. *cap.* 27. *num.* 151. & 159. Medina *in summ. l.* 1. *cap.* 11. §. 8. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 34. *num.* 1. Avila 3. *p. d.* 3. *conclus.* 1. Alii verò distinguunt inter suspensionem totalem, seu simpliciter, & suspensionem partialem, quam dicunt minorem, quæ solum ab uno effectu suspendit, ut v. g. ab eligendo, vel à distributionibus unius horæ, & dicunt suspensionem secundùm quid posse imponi pro veniali, & hoc probare rationem prioris sententiæ, scilicet, quia excommunicatio minor incurritur pro veniali, cùm tamen sit pęna gravis privans passiva participatione Sacramentorum, Leander *tract.* 4. *disp.* 2. *q.* 9. *tom.* 4. Verùm ut advertit Navar. *cap.* 27. *num.* 153. licet ex una parte excommunicatio minor ratione rei, qua privat, sit pęna gravissima, & major multis suspensionibus, tamen simpliciter est pęna levior, quia medicinalis, & facillimè tollitur. Sed aliæ censuræ nonnisi ex Pontificia dispensatione, & cum majori difficultate tolluntur, ideò ratio dictat, ut non imponantur nisi pro culpa gravi, nisi suspensio sit talis, ut considerata re, qua privat, & conditione, sub qua privat ad horam, vel breve tempus aliquo effectu, possit meritò æquiparari excommunicationi minori, & dici minor suspensio, quod non est verum de omni suspensione partiali. Nam suspensio ab officio, vel à beneficio, vel à divinis, est pęna gravissima, & ideò dicendum est suspensionem à jure latam non incurri, nisi pro culpa mortali, ut tenent Sotus *d.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Sanchez *d. disput.* 32. *num.* 29. Et apud eum Henriq. Rodriq. & Sà, Palaus *de cens. p.* 3. *num.* 4. Layman *tract.* 5. *p.* 3. *cap.* 3. Leander *tract.* 4. *de cens. disp.* 2. *q.* 9. *tom.* 4. & apud eum Corneyo, Ægidius, Hurtad. & Alter. & alii communiter. Advertendum tamen suspensionem ab homine posse ferri ita levem, ut dicebatur, ut justè pro veniali infligatur; si sit levis non dum ratione effectus, quia non infert damnum magnum in honore, vel re familiari, sed etiam feratur ad breve tempus. Nam aliàs suspensio ad tempus indefinitum inflicta vix potest esse levis.

404 De interdicto autem quod possit imponi pro veniali senserunt Cajet. *v. interdictum in princ.* Lopez *p.* 2. *c.* 41. *de interdicto* §. 4. Sed quod interdictum locale non possit imponi, nisi pro culpa mortali docuerunt Silv. *v. infirmit.* 3. *q.* 3. Ang. *n.* 5. Navar. *c.* 27. *n.* 168. Sotus 4. *d.* 22. *q.* 1. *a.* 1. Covar. *c. Alma mater p.* 2. §. 1. *n.* 4. & 5. Suarez *disp.* 36. *sect.* 3. *n.* 6. Leander *tract.* 5. *disp.* 2. *q.* 12. & apud eum Henriquez, Avila, & Bauny. Imò ad hoc interdictum ferendum gravius peccatum

tum requiri, quam ad ferendam excommunicationem adverterunt Bonacina *de interdicto part.* 3. *num.* 3. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 1. *q.* 9. *num.* 27. Palaus *d.* 4. *p.* 3. §. 2. *num.* 2. Leander *d. q.* 9. Pariter verò quod nec interdictum personale imponi possit, nisi pro culpa mortali, si infertur pro culpa propria docuerunt Sanchez *dict. disp.* 32. *num.* 29. Suarez *dict. disp.* 36. *sect.* 3. *num.* 5. Luysius *l.* 9. *de cens. dub.* 1. Leander ubi supra *q.* 13. & apud eum Baooy. Et ideò interdictum à jure latum non incurritur, nisi ob culpam mortalem. Quamvis à judice possit imponi interdictum adeò leve ex parte materiæ, & ad breve tempus, ut censeatur pœna levis, & culpæ levi proportionata Suarez *dict. disp.* 36. *sect.* 3. *num.* 3. Luysius *lib.* 6. *disp.* 51. *dub.* 3. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 1. *q.* 9. *num.* 25. Navarr. *cap.* 27. *n.* 159. Sanchez *d. n.* 24. Palaus *de cens. tr.* 4. *disp.* 4. *p.* 3. §. 2. & alii.

405 Item de irregularitate quod possit contrahi ob culpam venialem dixit Cajetanus 2. 2. *q. art.* 8. *col.* 3. §. *Et confirmatur, & in summ. v. irregularitas, vers. scias tamen*, Castro *l.* 1. *de lege pœnali cap.* 5. *doc.* 4. Card. *l.* 2. *q.* 26. Aragon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *folio* 340. *col.* 2. Rodriquez *tom.* 1. *c.* 175. *num.* 5. Sed oppositum meritò senserunt Sot. *l.* 3. *de just. q.* 1. *art.* 9. Navarr. *l.* 2. *de restit. dub.* 6. *num.* 61. *in nova edit.* Bartholomeus Ledesma *dub.* 5. *de excomm. concl.* 1. Bannes 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *tract. de irregul. dub.* 2. §. *ultimo*, Lopez *p.* 2. *cap.* 13. *in solut. ad* 3. *de excomm.* Sanchez *d.* 2. 29. & apud eum Salon, & Sà. Tam enim censuræ, quàm irregularitas, ut infligitur pro delicto sunt pœnæ gravissimæ, & in usu valdè acerbæ, ideò impositæ à jure non censentur impositæ nisi pro culpa gravi, & mortali.

406 Sed loquendo in foro externo stat aliquando ignorantiam verè invincibilem non excusare, quia non apparet, nec præsumitur talis, è contra verò ignorantiam verè crassam coram Deo excusare, quia apparet levis, vel omninò sine culpa. Ideò duo dicuntur, ominitum primò, quod ignorantia, quæ est ex culpa levi, vel levissima excusat in foro externo, ne quis damnetur, vel declaretur incurrisse pœnam legis; quia hujusmodi ignorantia non præsumitur provenire ex gravi, sed ex levi, & in foro externo veniali negligentia; quamvis forsan coram Deo aliter sit. Quamvis enim coram Deo quis de facili potuisset scire, quod ignoravit, vel potuisset, & debuisset facere majorem diligentiam, quàm fecit, quia ad id fuit intrinsecus excitatus sufficienter, & ideò ille coram Deo verè ignoret culpabiliter, & crassè, tamen in externo foro non præsumitur hæc culpa gravis, & lata in eo, qui difficilia ignorat, vel ignorat ea, quæ non sciuntur communiter ab aliis suæ conditionis, & professionis; & ideò hujusmodi ignorantia, quæ dicitur esse ex culpa levi, excusat in foro externo à censuris, & pœnis. Hoc enim est, quod statuitur in nostro textu, in quo decernitur ignorantiam excusare à sententiis Ordinariorum, nisi sit crassa, vel supina. In foro autem externo illa ignorantia est crassa, quæ est ex lata culpa. Et hæc est, quia ignorantur, quæ communiter sciuntur ab hominibus ejusdem conditionis, vel quæ de facili ab eisdem sciri possunt, ut probatum est supra *art.* 6. Et ita loquendo in foro externo vera est prima sententia. Et nihilominus dicitur secundò, quod etiam in foro externo ubi in individuo constet aliquem de facili potuisse scire, quod scire debuit, nec ignorantia censetur levis, etiam si aliàs ignoratum sit difficilè scibile, nec excusat etiam in foro externo, ut infra magis est explicandum, dum erit sermo de præsumptione ignorantiæ in foro externo.

407 Verum est, quod quantum ad irregularitatem aliqui senserunt requiri culpam gravem ad incurrendam irregularitatem homicidii, ut Silvest. *v. homicidium* 2. *q.* 23. & Villadiego *tr. de irregular.* §. *Ulterius*, apud Sanchez *disp.* 32. *n.* 34. Alii verò dixerunt, quod si irregularitas incurritur committendo, sufficit levissima culpa, si omittendo, desideratur levis, ut videntur sentire Jo. Andr. *c. Quæsitum, n.* 2. & ibi Panorm. *n.* 3. *de pœnit. & remiss.* & tenent expressè Armilla *v. irregular. n.* 6. & 11. Covar. *Clemen. si furiosus* 2. *p.* §. 4. *n.* 5. Majolus *l.* 5. *c.* 48. §. 3. *n.* 1. Verum quidquid sit de irregularitate ex homicidio, quæ non imponitur solùm tanquam pœna pro delicto, sed etiam ex significatione, & ob indecentiam, quam habet homicida ad altare, ubi irregularitas est pura pœna non incurritur nisi ex ignorantia crassa, & ita textum *in d. c. Quæsitum*, *de ignorantia crassa* explicant Hostiens. *paulo post princ.* Jo. Andr. *n.* 1. *in fin.* Ant. *n.* 8. Card. *n.* 2. Panorm. *n.* 2. Et ideò irregularitatem non incurri, nisi ex lata culpa dixerunt Navar. *c.* 27. *n.* 36. Henriq. *l.* 14. *cap.* 3. *n.* 1. Petrus Navarr. *l.* 2. *de restit. c.* 1. *dub.* 6. Sanch. *d. disp.* 32. *n.* 34.

408 Dicitur autem ultimò, quod ubi lex non imponit pœnam contra inobedientem absolutè, sed sub conditione aliqua implicante scientiam, tunc ignorantia etiam crassa excusat à pœna. Sed consideranda sunt diligenter verba legis, quæ efficaciam habent significandi scientiam. Prima igitur dictio consideranda est dictio *scienter*. Sed circa istam, & circa alias necesse est distinguere forum internum Dei, quod innititur veritati, & forum externum, quod fundatur in præsumptione. Et sic distingui debet ignorantia, & scientia vera, à præsumpta. Dicitur igitur quod in foro conscientiæ ignorantia quamvis crassa, & supina excusat à pœna lata contra transgredientes legem scienter. Scientia enim ignorantiæ opponitur, nec adest, ubi adest ignorantia; igitur neque est locus pœnæ contra transgredientem ignoranter, ubi pœna lata est contra transgredientem scienter. Item ubi lex absolutè prohibet actum, ad hoc ut transgrediens ignoranter non excusetur à pœna necesse est, quod ignorantia sit crassa, & consequens; Cùm igitur lex non prohibet sub pœna actionem, nisi fiat scienter aliquid ampliùs requiritur, nec potest sufficere, quod actio habeatur ex ignorantia crassa; aliter non esset discrimen, & superfluè, & sine effectu in lege apponeretur verbum *scienter*, si non esset necessaria scientia, sed sufficeret transgressio ex ignorantia. Et si dicatur coincidere in idem scire, & posse, ac debere scire, *l. Quod simili ff. de rebus creditis in fine*. Respondetur id esse verum quoad culpam, non quoad pœnam, & ubi pœna non est lata, nisi expressè contra scienter prævaricantes. Nam de mente omnium facere aliquid ignoranter, non est facere scienter, Cajet. *v. excomm. cap.* 47. Navar. *in manual. cap.* 27. *num.* 141. cum Joan. Imola, Bonif. Silv. *v. ignorantia*, *q.* 8. *dicto* 4. *num.* 18. post Innoc. & Panorm. *in Clem. Eos, de consanguin.* Greg. Martinez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *d.* 2. *reg.* 9. Alvarez *disp.* 158. *fin.* Serra *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. *coroll.* 3. Suarez *l.* 5. *de leg. c.* 12. *n.* 13. & 14. & *de cens. disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 2. Tabien. *v. ignorantia n.* 3. (Ubi tamen notat hunc ignorantem delinquentem aliqua pœna esse puniendum, licet non ordinaria,) Covar. 4. *dec.* 2. *p. cap.* 6. §. 8. *num.* 21. & *cap. Alma mater p.* 1. §. 10. *n.* 17. *vers. eamdem sane rationem*, Sanchez *l.* 9. *de matrim. disp.* 32. Candidus *disq.* 22. *art.* 32. *dub.* 1. Petrus de Ledesma *in summ. cap.* 3. *de excomm. dub. ult. d.* 3. Bonacina *disp.* 1. *de cens. q.* 2. *p.* 4. *n.* 9. Basilius *de matr. lib.* 10. *c.* 5. *n.* 10. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 13. & *tr.* 6. *resol.* 7. Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 1. *p.* 18. *n.* 1. Leander *tr.* 1. *de cens. disp.* 9. *q.* 18. & apud istos quamplures alii, Curiel *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *dub.* 4.

409 Et in hac parte in foro conscientiæ non est distinguendum inter ignorantiam crassam, & supinam, quoniam hujusmodi non distinguuntur, ut supra dictum est, & in foro conscientiæ si ignorantia non est affectata, & directè volita, qui agit ignoranter, non agit scienter, nec formaliter, nec æquivalenter, quia ignorantia ex negligentia non affectata, in rei veritate, nec est fraudulenta, nec est dolosa. Nam & in negotio urgente, si ignorans non fuit excitatus ad sciendum, ignorantia est invincibilis. Si verò fuit excitatus, & fecit diligentiam prudenter sufficientem, ignorantia est probabilis. Sed si directè nullam voluit facere diligentiam, vel non sufficientem, ignorantia est affectata, & directè volita, quæ non excusat, quia verè est dolosa, & fraudulenta, sed si aliunde abstractus homo negligens fuit, hic neque dolus est, neque fraus, & hæc est ignorantia crassa, quæ in rei veritate non est scientia, & hæc excusat, ubi ad incurrendam pœnam requiritur scientia.

410 Sed aliter dicendum est in foro externo; quia nimirum illa sola ignorantia crassa in eo foro excusat à pœna lata contra scienter inobedientes, quæ non præsumitur dolosa, & fraudulenta, & quæ non æquiparatur dolo. Ita Silvest. *v. ignorantia q.* 8. *d.* 4. *n.* 18. post Panorm. *in d. Clem. eos de consang.* Et Anton. de Butr. *c.* 2. *n.* 9. *de const.* quem sequitur Sanchez *d. disp.* 12. *n.* 39. asserit non excusari, eum, qui laborat ignorantia intantum crassa, vel crassissima, quæ importaret latissimam culpam, & dolo æquipararetur. Pariter Henriq. *l.* 13. *c.* 23. *n.* 3. in hoc sensu dixit non excusare ignorantiam supinam. Quod licet neget Leander. *d. disp.* 9. *q.* 19. tamen debet intelligi, vel in foro conscientiæ, vel de ignorantia,

quæ non sit tam supina, quæ possit æquiparari dolo. Eam verò ignorantiam æquiparari dolo existimat Sanch. *loc. cit.* quæ sit ingens temeritas.

411 Verum nihilominus est, quod non est tam facilè, quod ignorantia non affectata sit talis, quæ æquiparetur dolo, & scientiæ. Etenim facillimum est quidem, quod ignorantia nec præsumatur, nec credatur, & quod sit talis, quæ nec possit probari: in quo casu non adest excusatio à pœna, quia in foro externo non apparet ignorantia. Sed ubi ignorantia nec verè, nec præsumptivè est affectata, & de hoc satis constat, non videtur, quod locum habere possit præsumptio doli, aut quod ignorantia scientiæ sit æquipollens, & non excusans. Nam quatenus v. g. quis dicat se ignorare spectantia ad officium suum, quæ communissimè sciuntur, non admittetur excusatio, sed præsumetur scientia, quatenus tamen probaret ignorantiam non affectatam, non posset dici, quod ipse scienter legem transgressus fuisset, nec posset puniri pœna talis legis quæ lata esset contra scienter transgredientes. Idem dicitur, quatenus, quis allegaret se ignorare ea, quæ facillimè universaliter possunt à quocumque non ignorari; nam & in isto præsumeretur scientia, vel ignorantia affectata, sed ubi de simplici ignorantia crassa constaret, excusandus esset à pœna legis lata contra scienter inobedientes. Aliud ergo est, quod ignorantia non sit præsumenda, vel ejus exceptio non admittenda; aliud est, quod ignorantia crassa non excuset in hoc casu, si de ea constet, vel quod dari possit ignorantia nec verè, nec præsumptivè affectata, quæ æquipolleat dolo, & ideò non excuset. Hoc enim negatur, & dicitur ignorantiam crassam puram excludere dolum, & fraudem. Et quod alii voluerint aliquam ignorantiam, vel supinam, vel crassissimam, & ex latissima culpa provenientem æquiparari dolo, intelligi debet de ignorantia, quæ saltem præsumptivè sit affectata, ideòque fraudulenta, seu dolosa.

412 Hinc modo magis probatur, quod ignorantia crassa excuset à pœna lata contra scienter inobedientes. Quoties enim exigitur dolus non sufficit lata culpa bonam fidem non excludens, *l. Sed & si lege §. scire ff. de pet. hered.* ibi: *Non puto esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erravit. Et l. igitur 12. vers. & generaliter, ff. de liberali causa*, ibi: *Et generaliter quoties aliquis justis rationibus ductus, vel non justis, sine calliditate tamen putavit se liberum, dicendum est hunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit: Et l. si quis id, quod &c. ver. doli mali ff. de jur. omn. jud.* ibi: *Doli mali ideò in verbis edicti fit mentio. Quia si per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu aliquis fecerit, non tenetur.* Et ideò quod ubi lex pœnalis exigit expresè, vel tacitè dolum, quod non sufficiat lata culpa ad incurrendam pœnam legis dixerunt Panorm. *cap. 2. num. 6. de constitut.* Nevo *num. 45. & 53.* Anton. *num. 9.* Imol. *num. 12.* Felin. *cap. Si vero el 2. de sent. excomm.* Silvest. *v. ignorantia q. 8. dicto 4. num. 18.* Tabien. *v. ignorantia num. 3.* Covar. *4. decret. 2. p. cap. 6. §. 8. num. 21.* Sanchez *dict. disp. 32. num. 36.* Alvarez *part. 2. q. 76. disp. 158. fin.* Ubi addit ignorantiam crassam excusare ab excommunicatione, Canon. *Si quis suadente 17. q. 4.* quia ad hoc requiritur dolus. (De hoc tamen alias.) Quamvis igitur ignorantia crassa sit ex lata culpa, quia tamen excludit dolum, excusat in hoc casu à pœna legis, quia ubi lex requirit scientiam, requirit expresè dolum, quia facere dolosè importat scienter facere per Dom. *cap. is qui, §. is vero, n. 1. de sent. excomm. in hoc sexto*, quem sequitur Sanch. *d. n. 36.*

413 Idem verò dicendum de hac alia dictione *temere*. Ut enim habet D. Th. *2. 2. q. 53. art. 3. ad secundum*, id temerè dicitur fieri contra legem, quod ex legis fit contemptu, & ex superbiæ radice provenit, & ex consequenti, quod fit scienter contra legem; neque enim contemnitur, quod ignoratur, Cardin. *in Clemen. 1. §. Si quis, notab. 1. de stat. Monach.* & ibi Anchar. *num. 5.* Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 10. num. 4.* ubi subdit, quod temerè significat idem, quod *consultò*. Unde meritò Cajet. *2. 2. q. 53. art. 3. ad secundum*, ait diligenter animadverti debere quando imponitur in sacris canonibus excommunicatio contra inobedientes temerè; Verba enim juris nec superfluè apposita, nec impropriè sumenda sunt, maximè in materia pœnali. Itaque igitur cùm idem sit agere temerè, quod agere consultò ex legis contemptu, manifestum est, quod ubi lex ad incurrendam pœnam exigit temeritatem, ignorantia crassa, quæ dolum excludit, & bonam fidem non tollit, à pœna illa legis excusat. Et licet aliquando temerè fieri dicatur, quod fit inconsultò, & fatuè sine consilio; Unde Suarez ubi supra censet temerarium violatorem dici, si eum aliquis suspicionem legis, aut dubietatem habet, nullam adhibet diligentiam ad sciendum an lex sit; quia temerè se exponit transgressionis periculo, tamen Sanchez *d. disput. 32. num. 38.* hoc rejicit, quia licet iste quantum ad culpam temerarius dicatur, quia peccandi periculo se exponit, tamen jura ad pœnam incurrendam plus requirunt. Tamen duo advertenda sunt, & quidem primò ex D. Th. *loco citato*, quod temerè agere propriè distinguitur ab agere præcipitanter, quod est agere sine recto consilio, nam temerè agere, ut notat ibi Cajet. ad agere præcipitanter addit contemptum, & sic agere temerè est agere præcipitanter, quia est species illius, sed addit ad illud contemptum, & ideò propriè non agit temerè, nisi qui agit ex legis contemptu materiali: secundum est, quod qui habet dubitationem de lege, si directè non vult inquirere veritatem, jam habet ignorantiam affectatam, & legem propriè contemnit, cùm contemnat ejus scientiam, sed si non rejicit directè considerationem legis, sed legem non considerat, quia aliundè divertitur à legis consideratione, tunc non contemnit, nec affectat legis ignorantiam, & tunc ignorat non affectatè, sed crassè, & hæc ignorantia excusat à pœna, ubi sola temeritas punitur.

Pariter *præsumere* importat idem, quod *temerè*, & *scienter agere*, & sic importat temeritatem, & dolum, Cajet. *v. excomm. cap. 81.* D. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 54.* Silvest. *v. excomm. 7. casu 14. dub. 5.* Tabien. *excomm. 5. casu 11. q. 6. num. 7.* Navar. *cap. 27. num. 155. & cap. Accepta de restit. spoliat. oppos. 8. illat. 9. num. 32.* Cardin. *Clem. 1. de privileg. quæst. 30.* Imol. *Clem. 1. num. 11. de rescript.* Unde est quod ubi lex pœnalis est contra præsumentes, ignorantia licet crassa excusat à pœna, Sanchez *d. disput. 32. num. 38.* & apud eum Henriq. Lopez, & Petrus de Ledesma Candidus *disq. 22. art. 32. dub. 2.* Leander *tr. 1. disp. 9. q. 20.* 414

Quamobrem simul universaliter dicitur idem esse dicendum, quando lex pœnalis dixerit, *si quis ausus fuerit, si quis ausu temerario, si quis consultò fecerit*; neque enim ausus propriè sumptus, vel temeritas, vel actio ex consultò est sine scientia, unde in omnibus istis casibus ignorantia licet crassa à pœna legis excusat, Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 10. num. 1.* Sanchez *d. n. 38.* Leander *d. q. 20.* 415

Ignorantia autem affectata non excusat nec à culpa, nec à pœna, etiam si pœna sit lata contra scienter, aut temerè, aut consultò, aut cum præsumptione inobedientes; ignorans enim affectatè legem contemnit, is enim affectatè ignorat, qui habens aliquam suspicionem, vel dubietatem, vel notitiam confusam de lege, & sic excitatus ad legem inquirendam, & observandam, directè vult legem non inquirere, sed ignorare, ut, si sibi placeat, sine conscientiæ remorsu, lege non obstante possit agere; quod est legem parvi pendere scienter, & contemnere. Et quidem considerandum est, quod ignorantia ex duplici motivo potest esse affectata; primo scilicet ex intentione liberiùs peccandi. Et hæc ignorantia absque dubio continet contemptum legis, imò ipsa provenit ex legis contemptu, quia ex intentione liberius violandi legem lex ignoratur, Unde hæc ignorantia nec excludit, sed supponit directam voluntatem contemptus legis. Quamobrem indubitatum est, quod hujusmodi affectata ignorantia non excusat temeritatem, & dolum importat. 416

Alio modo potest esse ignorantia affectata, non ex intentione violandi legem, sed ex impatientia laboris, vel ex aliquo simili motivo, ex quo tamen ignorans directè vult ignorare seu notitiam legis non vult acquirere. Et nihilominus etiam in hoc casu adest temeritas, & contemptus, & dolus, quia iste directè contemnit legem, quæ obligans ad sui observantiam, obligat per priùs ad sui notitiam, & ideò nolle notitiam legis per se ex natura rei semper præsupponit voluntatem aliquam violandi legem, quia non nisi ex contemptu legis est, quod quis directè velit se exponere periculo violandi legem, & sic ex fine operis, quisquis affectat legis, ignorantiam, ejus intendit prævaricationem, illamque negligit, & contemnit, quamvis motivum impulsivum ex parte operantis sit aliquid aliud, ut v.g. fuga laboris. 417

Quam-

Quamobrem semper ignorantia affectata & æquipollet scientiæ, & continet temeritatem & dolum, & nunquam excusat etiam à pœna lata contra scienter, vel temerè legem violantes. Et ideò hanc partem docuerunt in præsenti Gloss. Probus apud Jo. Mon. *num.* 8. Anch. *num.* 3. Domin. *num.* 5. Francus *num.* 4. Gloss. *in Clement.* 1. *v. scienter*, *de consanguin.* D. Anton. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 34. Silvest. *v. excomm.* 9. *casu* 41. *num.* 46. *& v. ignorantia quæst.* 8. *dict.* Tabien. *verb. excomm.* 5. *casu* 49. *num.* 3. *not.* 2. Petrus de Ledes. *in summ. cap.* 8. *de excommun. dicto ult.* Suarez *tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 3. Sanchez *l.* 9. *de matr. disp.* 32. *num.* 20. Greg. Mart. *par.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *dub.* 2. *reg.* 16. Candidus *disq.* 21. *art.* 35. *dub.* 3. Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *p.* 18. *num.* 1. Rosella, Graff. Henriq. Ægid. Layman, Avila, Cornexo, Villalobos, Machado quos refert, & sequitur Leander *tr.* 1. *disp.* 9. *q.* 21.

418 Quamvis verò Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 10. *numer.* 38. Bonac. *de Censur. disp.* 2. *quæst.* 5. *part.* 4. *num.* 9. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 7. *& part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 17. *& part.* 7. *tract.* 4. *res.* 14. *& tract.* 5. *resol.* 11. & apud eum Duard. & Cælest. voluerint, quod etiam ignorantia affectata excuset, ubi lex scientiam requirit, tamen hoc non obstante prior sententia amplecti debet, quæ est communissima, & firmis rationibus munita, ut apparet ex dictis. Ignorantiam etiam affectatam excusare à pœnis latis contra hæreticos tradit Martin. *part.* 2. *quæst.* 76. *art.* 4. *dub.* 2. *reg.* 11. Et est de mente eorum, qui dicunt ignorantiam affectatam excusare ab hæresi. Sed certè non meretur veniam, qui ex quo directè vult nescire, simul directè contemnit præceptum fidei obligans adscire, & simul non curat, si in fide erret, quod contingit de facili in ignorante.

419 Sed in his advertendum semper est, quod negligere scire, imò directè nolle explicitè scire id, ad quod ignorans non obligatur, & sic affectare ignorantiam circa ea, quæ homo non tenetur explicitè credere, non est contra fidei præceptum; neque hæc est ignorantia culpabilis, unde non mirum si excuset & ab hæresi, & à pœnis hæreticorum eum, qui omninò firmiter credit, quodcumque credit Ecclesia. Sed quod aliquis teneatur scire aliquid, & directè nolit scire, hæc est affectata ignorantia, quæ scientiæ æquipollet, nec excusat à pœna, etiam ubi pœna fertur contra scientet malè agentes.

SUMMARIUM.

420 *Rationes ad utramque partem quæst.*
422 *Opinio aliquorum.*
423 *Ignorantia consequens secundùm quid diminuit culpam, & pœnæ reatum.*
424 *Affectata non diminuit peccatum.*
425 *Obiicitur contra assertum.*
426 *Licet actus, ut est ex ignorantia sit minus deliberatus, omnibus tamen pensatis peccans non minus graviter peccat.*
427 *Ignorantia affectata potest desinere.*
428 *Discrimen inter ignorantiam comitantem, & affectatam.*
429 *Affectata ex formali voluntate peccandi auget culpam.*
430 *Alia nec auget, nec minuit, nisi secundùm quid.*
431 *Ignorantia etiam ubi non excusat à pœna ordinaria minuit rigorem judicis.*
432 *Actus malus vestitus mala circumstantia aliquando est minus peccatum.*
433 *Peccatum Judæorum non fuit ex ignorantia affectata.*
434 *Voluntas ignorantiæ legis est etiam directa voluntas transgressionis legis, & æquivalet scientiæ.*
435 *Affectata non minuit culpam simpliciter.*

Quæst. primæ
ARTICULUS XXII.

Utrùm ignorantia omnis, quæ non excusat à culpa, saltem diminuat culpam.

Ex una enim parte videtur, quod nulla ignorantia culpam diminuat, quia aliter ignorantia excusaret semper à pœna ordinaria, quod falsum esse probatum fuit *art. sup.* Non enim conveniens est, quod æqualiter puniantur, qui inæqualiter delinquunt, qui verò scienter delinquunt, non puniuntur nisi pœna ordinaria; igitur hac puniri non posset, qui delinquit ex ignorantia, si minus delinqueret. Item secundò ignorantia est peccatum, ut etiam probatum est supra *artic.* 11. Igitur ignorantia peccatum auget, quia peccato peccatum addit. 420

E contra verò videtur, quod omnis ignorantia etiam affectata peccatum diminuat. Nam actus omnis, qui est ex ignorantia, habet minus de deliberatione, & de voluntario; igitur actus, qui est ex ignorantia affectata habet minus de deliberatione, & de voluntario; igitur minus habet de peccato, cùm actus malus sit peccatum, quia est deliberatè voluntarius. Secundò, nam peccatum Judæorum fuit ex ignorantia affectata, ut habet D. Th. 3. *part. q.* 47. *art.* 5. Et tamen illud, quia fuit ex ignorantia, excusat S. Petrus Actorum 3. Tertiò peccatum ex ignorantia, etiam affectata est volitum solùm indirectè; igitur est minus peccatum. Quartò quia peccatum ex ignorantia minus punitur ex dicto Christi Lucæ 12. igitur est minus. 421

Alvarez *disp.* 159. supposita ex Cajet. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 4. distinctione ignorantiæ affectatæ in eam, quæ est ex intentione liberius peccandi, qua laborabant illi, qui Job 21. *dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*, & quæ est ex negligentia sciendi, vel ex nimio affectu ad aliquid, ut ex nimia æmulatione paternarum traditionum, qualis fuit ignorantia Pauli Apostoli; existimat, quod hæc secunda ignorantia licèt affectata, excuset aliqualiter, & diminuat culpam. Quod probat ex D. Th. *in hoc artic.* & D. Aug. *lib. de gratia*, *& lib. arb. cap.* 3. *& l.* 4. *cont. Donatistas cap.* 5. *& q.* 31. *in Levit.* & D. Gregor. 15. Moral. *cap.* 25. & S. Jo. Chrys. *hom.* 3. *super primam ad Timoth.* Et fundatur amplius in primo argumento supra posito, quia nimirum hæc ignorantia minuit voluntarium. 422

Unum primò est hic certum, quod ignorantia crassa pro ea parte, qua est antecedens, diminuit peccatum, & excusat aliqualiter. Ita D. Th. *part.* 2. *q.* 76. *art.* 4. & cum eo omnes Theologi; quia hujusmodi ignorantia voluntarium diminuit, licet enim hæc ignorantia simpliciter sit consequens, quia voluntaria, tamen saltem secundùm quid antecedit actum, quem agens non haberet, si sciret, & ex hac facit, ut actus habeat de involuntario, & sic sit minus peccatum. 423

Dicitur autem secundò, quod nulla ignorantia affectata diminuit peccatum, nimirum diminuit in peccante culpam, & pœnæ reatum ejusque demeritum. Ratio est, quia non est ignorantia affectata, nisi sit directè volita in se ipsa scienter. Cùm verò lex quælibet ex vi sua obliget ad scientiam sui, & sui considerationem; quia obligat ad omne id, quod est in potestate subditi, & est ex parte sui simpliciter necessarium, ut legem humano modo, & libero observet, ad quod scientia, & consideratio legis est summè necessaria. Ideò qui legem directè non vult scire aut considerare, tunc cùm illam scire, aut considerare tenetur; jam ex hoc legem directè transgreditur, & contra legem peccat. Unde supra *art.* 8. probatum est ignorantiam legis esse peccatum, & quidem ejusdem speciei cum illo, quod est ejusdem legis transgressio, quia ex lege præcipitur etiam scientia. Igitur qui scienter legis ignorantiam vult, etiam scienter legem transgreditur. Non ergo culpam transgressionis diminuit, quia scienter in legem peccat nesciendo. Adde quod ignorantia affectata habet adjunctam voluntatem facilius peccandi saltem materialiter, quia cùm scientia mali de se sit impedimentum peccandi, directè velle non scire legem, est dire- 424

ctè nolle id, quod est impedimentum peccati. Quamvis igitur non omnis ignorantia affectata habeat adjunctam voluntatem facilius peccandi formaliter, per quam scilicet rejicitur scientia ex motivo formali liberius peccandi sine impedimento, tamen omnis ignorantia affectata habet conjunctam voluntatem, quæ per se saltem materialiter est voluntas liberius peccandi, quia est voluntas non habendi id, quod peccati est maximum impedimentum, & sic habet adjunctum contemptum legis ignoratæ, unde in ordine ad legem, quam contemnit, non causat involuntarium, quia jam legem contemnit, qui directè eam vult ignorare, & non vult per scientiam à legis inobservantia deneri.

425 Sed difficultas est, quod qui habet ignorantiam affectatam, dum peccat, ex ignorantia peccat, & ita quod etiam sç, ius non peccaret, si non ignoraret: igitur ille actus, qnem causalitate antecedit ignorantia, prout est ex ignorantia minus habet de voluntate, & de deliberato; igitur in ratione peccati non potest esse tantæ malitiæ, & demeriti ac si esset ex scientia. Quod confirmatur, quia facere, quod non cognoscitur esse peccatum, certè minus malitiæ habet, quàm facere, quod cognoscitur esse malum, quia hoc habet magis de contemptu legis, & de injuria. Sed si hæc ratio valet, probat quod omnis ignorantia affectata diminuat culpam, quia quidquid sit, an quis voluerit ignorare, ut liberius peccaret, vel ex alio motivo, quando tamen actu peccat ex ignorantia facit, quod non cognoscit, & minus deliberatè facit, & actus ille externus, seu imperatus, quicumque ille sit, quia ex ignorantia aliquo modo est, simul est non voluntarius, vel minus voluntarius. Si ergo hæc ratio valet, jam omnis ignorantia etiam affectata formaliter diminuit peccatum.

426 Respondetur igitur, quod non omne, quod diminuit culpam alicujus actus diminuit culpam simpliciter in ordine ad peccantem, & facit illum minus peccatorem, ut consideratum est etiam supra *art.* 15. ubi de ignorantia concomitante habitus est sermo. Reatus enim culpæ in peccatore non ex uno simplici actu, sed ex omnibus simul sumptis desumitur. Sic qui considerans, quod Petrus est suus consanguineus non vult ejus mortem, quam tamen aliunde vult absolutè, quia eum putat inimicum, habet plures actus voluntatis, quorum unus etiam non est malus, sed tamen Petrus est in effectu simpliciter homicida, quia vult mortem inimici non obstante velleitate vitæ consanguinei. Sic in præsenti in peccante ex ignorantia affectata plures actus considerari debent. Nam voluntas ex ignorantia imperans actum contra legem, habet adjunctam aliam voluntatem saltem virtualiter durantem, qua directè non vult legem scire, & non vult per scientiam impediri à lege, quod est jam liberè legem contemnere obligantem ad sui scientiam, & ad fugiendum periculum violandi illam. Quamvis ergo voluntas illa imperans transgressionem legis ex ignorantia sit minus libera, & voluntaria, & minorem peccati gravitatem habeat, tamen non excusat peccantem neque ex parte, nisi valdè secundùm quid, & ita quod hæc diminutio non est moralis considerationis, quia saltem voluntatem ex ignorantia imperantem actum contra legem concomitatur alia voluntas contemnens legem per dictam voluntatem ignorantiæ legis. Ideò propriè loquendo dicitur, quod actus ex ignorantia affectata moraliter æquiparatur actui, qui fit ex scientia, & agens non excusatur simpliciter, nec ex toto, nec ex parte, sed moraliter debet judicari, ac si ex scientia ageret, quod agit.

427 Ex his verò colligitur, quod si affectatio ignorantiæ transierit, scilicet voluntas illa non sciendi legem jam defecerit, ut nec actu formaliter, nec virtualiter remaneat, ut quia jam à multo tempore quis noluit scire, & postea in ignorantia permansit, quia non fuit excitatus ad sciendum, & oblitus suæ obligationis diligentiam non adhibuit, ut sciret, quam adhibuisset, si suæ obligationis aliqualiter recordatus fuisset. In simili casu ignorantia non potest amplius dici affectata, quia voluntas illa directa non sciendi evanuit. Sed est censenda ignorantia, vel crassa, vel forsan invincibilis, quæ vel ex parte, vel ex toto excuset.

428 Hinc etiam considerandum est discrimen inter ignorantiam concommitantem, & affectatam quia quod fit ignorantia concommitante, si consideretur ille actus, imperatus, qui fit intrinsecè, nullo modo est voluntarius, imò est ex ignorantia invincibili, aut probabili; quamvis talis sit, quod permittit concommitantiam voluntatis ejusdem actus mali ignoranter imperati, ideò ignorantia concommitans agentem nec accusat, nec excusat; unde meritò, nec moraliter actus imperatus cum simili ignorantia censetur volitus scienter, cùm imò ex ignorantia involuntaria, & inculpabili sit imperatus. Sed actus imperatus ex ignorantia affectata, est imperatus ex ignorantia voluntaria, & verè intrinsecè est voluntarius, eo modo quo actui imperato convenit esse voluntarium; quia ille idem numero qualis est, ex ignorantia voluntaria; est, & adeò, quod qui operatur ignoranter ipsam ignorantiam directè voluit, & hæc voluntas adhuc in ignorante saltem virtualiter manet. Unde hæc ignorantia non excusat, sed moraliter scientiæ æquipollet.

Illa tamen distinctio ignorantiæ affectatæ, valet ad videndum an ignorantia augeat, vel non augeat culpam. Nam ignorantia affectata ex formali voluntate liberius violandi legem, auget voluntarium, & culpam, ut docet D. Th. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. & ibidem Cajet. Conrad. Med. *dub.* 2. *concl.* 2. Serra *concl.* 1. Alvarez *disp.* 159. *num.* 5. D. Anton. *p.* 1. *tit.* 20. *v. ignorantia*, Silvest. *v. ignorantia num.* 10. Tabien. *num.* 2. *&* 3. Armill. *num.* 4. Montes. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. *num.* 150. *& q.* 76. *art.* 4. *num.* 114. Hoc tamen optimè explicat Conradus *d. art.* 4. §. *Nota autem*, & ait quod hoc debet intelligi à posteriori, & arguitivè, quia arguit in ignorante contemptum legis quodammodo formalem, quia ipsa est effectus intensioris voluntatis erga peccatum, cùm ignorans ideò ignoret, quia vult facilius, & delectabilius sine impedimento transgredi legem, & sic arguit in ignorante intensiorem voluntatem in malum, quam sit in scienter violante legem. 429

Sed ignorantia affectata ex voluntate, quæ solum materialiter est voluntas tollens impedimentum violandi legem, simpliciter loquendo nec auget voluntarium, & culpam, nec diminuit, non enim auget voluntarium respectu inobedientiæ legis, quia non est volita ex tali intentione, & motivo, sed aliundè, unde non importat excessum voluntarii in ordine ad legis transgressionem. Sed nec culpam minuit, quia scientiæ æquipollet. Quod tamen de hac ignorantia affectata ex alia causa, quam ex formali voluntate violandi legem minuat culpam dixerunt Martinez *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. *dub.* 3. *post* 3. *concl.* Alvarez *disp.* 159. *num.* 7. Serra *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. Silvest. *v. ignorantia num.* 10. Tabien. *n.* 2. Suarez *p.* 2. *tr.* 2. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 24. Montes. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 8. *num.* 129. Sed non est verum, nisi valdè secundùm quid, & præcisè respectu actus ignoranter imperati, sed ita tamen, quod cùm habeat adjunctam transgressionem formalem legis, cùm sit ignorantia directè contra legis præceptum volita, & periculum etiam violandi legem, non minuit culpam simpliciter, sed moraliter æquipollet scientiæ. 430

Ad argumenta igitur in oppositum respondetur. Et primò ad ea, quæ probant nullam ignorantiam culpam diminuere. Ad primum enim dicitur, quod ubi pœna ordinaria latitudinem habet, semper minus punitur, qui peccat ignoranter, quàm qui peccat scienter. Sed ubi pœna est indivisibilis, qualis v. g. est excommunicatio, & hæc pœna per legem est lata absolutè contra transgredientes legem, ignorantia licet secundùm quid minuat culpam, quia illam non tollit, non diminuit pœnam, quæ per modum indivisibilis fertur contra voluntariè violantes legem, inter quos est qui ex ignorantia crassa legem transgreditur. Et nihilominus valet, vel ut facilius obtineatur remissio pœnæ, aut absolutio censuræ, aut saltem ut facilius pœna commutetur; & sic semper aliquid facit, quod valeat ad diminuendum pœnam legis. 431

Ad secundum respondet D. Th. *loco citato ad secundum*, quod ubi circumstantia, licet mala, habet vim minuendi alterius actus culpam fit, ut plura peccata, seu ut actus cum illa circumstantia fit minus malum, quàm sit sine illa, quia illa circumstantia non addit tantam malitiam, quantam habet actus sub opposita circumstantia. Sic homicidium commissum ab homine sobrio est majus peccatum, quàm commissum ab ebrio; licet in ebrio præter peccatum homicidii sit peccatum ebrietatis primum autem eorum, quæ probant ignorantiam affectatam diminuere culpam solutum est ex dictis. 432

Ad

433 Ad secundum dicitur, quod D. Th. 3. *p.* 2. *q.* 47. *art.* 5. *corp.* solum dicit, quod ignorantia Judæorum fuit aliquo modo affectata. Quod quidem verissimum est, quia fuit ignorantia erroris, & infidelitatis. Quod partim fuit ex scientia, quia legem Christi audierunt, & sciverunt, ut habet D. Th. *loco citato*, & colligit ex illo Christi Jo. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Sed quia audientes non audierunt, & intelligentes non intellexerunt, ideò radix infidelitatis in eis fuit ex ignorantia aut inconsideratione crassa, & quia excæcati non perceperunt, quæ à Christo audierunt. In præsenti verò debet considerari prima radix. Nam error volitus, sed ex præcedente ignorantia nec est directè volitus ut error, nec est error propriè affectatus, sed est error ex ignorantia procedens, ideò est error, qui minus habet de culpa, quia est error ignoratus.

434 Ad tertium dicitur primò, quod directa voluntas ignorantiæ legis, est directa voluntas transgressionis legis, ut præcipientis sui scientiam. Et additur secundò, quod proptereà etiam transgressionis illius, quod lex principaliter præcipit est voluntas in alio, scilicet in ignorantia volita, & tamen æquivalenter est voluntas directa. Quia voluntas ejus, cui per se est connexum malum, moraliter censetur mali voluntas, sic qui vult ire per viam apertam dum pluit, vult madefieri; & qui incedit per lutum, vult deturpari. Ita & qui vult ignorare legem, vult se exponere periculo aperto legem violandi, quod est jam transgredi legem. Unde meritò dicitur, quod ignorantia affectata æquipollet scientiæ, & continet dolum.

435 Ad quartum dicitur, quod locus ex Lucæ 12. non potest, nec debet intelligi de ignorantia affectata. Dicitur enim: *qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Non dicitur verò, qui affectavit non cognoscere. Textus igitur ille debet intelligi de simplici ignorantia crassa. De qua etiam loquuntur DD. citati ab Alvarez suprà, qui absolutè de nesciente loquuti sunt, sed qui affectatè nescit, non tantum nescit, sed nescit ex industria, & directa electione. Et ideò quod hæc affectata ignorantia simpliciter non diminuat culpam absolutè docuerunt Sanctus Gregor. *l.* 15. Moral. *c.* 25. ad illa verba Job 22. *scientiam viarum tuarum nolumus*, Isidor. *l.* 2. *de summo bono c.* 27. S. Hilar. *in Ps.* 118. non longè ab initio, D. Th. 4. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *& p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *corp.* ubi Cajet. Conrad. alii expositores, & cæteri DD. communiter.

S V M M A R I V M.

436 *Sensus quæstionis.*
437 *Inculpabiliter fatuus, ebrius, &c. non peccat, si in ebrietate malum faciat.*
438 *Eventus malus in sua causa non prævisus non imputatur ad culpam.*
439 *Eventus dicitur prævisus quando est actualiter consideratus, ut futurus.*
440 *Et quando potuit, & debuit prævideri.*
441 *Eventus dicitur non prævisus, si de eo nulla adfuit cogitatio, vel suspicio.*
Eventus rarus non debuit prævideri.
442 *Eventus, qui sequitur ut in pluribus potest, & debet prævideri.*
443 *Eventum, qui rarò sequitur, tenetur prævidere, qui ad id speciali ratione est excitatus.*
444 *Eventum, qui raro sequitur, prævidere regulariter non tenemur.*
445 *Sufficit quod malus eventus sit prævisus in genere.*
446 *Ad hoc ut eventus censeri debeat prævisus non sufficit, quod potuerit evenire.*
447 *Peccata, quæ ebrii non committunt, nisi irritati, sunt casualia: aliquando tenentur prævideri.*
448 *Multa sunt ex genere peccata, quæ in ebriis non sunt, quia damnum non inferunt.*
449 *Quæ damnum inferunt debent prævideri, & vitari.*
Hujus generis blasphemia, infidelitas, perjurium.
450 *Peccata carnis, quando imputata secundum aliquos.*
451 *Non semper dormiens tenetur vitare alterius damnum.*
452 *Ebrio imputatur actus prævisus, si sit talis, qui in scientia esset peccatum.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.
453 *Sententia Vasquez & aliorum.*
454 *Ebrii peccata inchoata in causa, & facto completa sunt in se ipsis peccata.*
455 *Executio causæ peccati est causa peccati, sed non est ipsum peccatum causatum, nisi in intentione, causaliter, & inchoativè.*
456 *In dormiente, aut ebrio omissio præcepti est in se mala, & peccatum.*
Ebrietas, & somnus ideò mala, si sunt causa omissionis: sed hæc malitia est in illis, quia mala omissio, cujus sunt causa.
457 *Actiones naturales licet liberè causata non sunt in se ipsis peccata.*
Qui dedit venenum alicui non peccat in operatione veneni, quæ est naturalis.
458 *Actiones ex natura sua à voluntate dirigibiles, quæ sunt potentiæ liberæ, ut sint in se ipsis peccata, sufficit, quod sint volita de præterito voluntate non retractata.*
459 *Pœnitentia facit non voluntariam omissionem malam, quæ fuit volita in causa.*
460 *Quantum duret peccatum eventus voliti in causa.*
461 *Quid dicendum, si Deus peccatori dormienti infundat gratiam.*
462 *Reiiciuntur quidam modi dicendi aliquorum.*
463 *Omissio mala, sive commissio sequens ad somnum, & ebrietatem debet explicari in confessione, quando est peccatum.*
464 *Qualiter ebrius incurrat pœnam, vel teneatur ad restitutionem.*
465 *Qualiter ebrietas excuset, vel non excuset.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XXIII.

An ignorantia, quæ in exercitio vinci non potest tempore, quo quis agit contra legem, potuit verò vinci, & debuit ante, excuset à peccato.

sive

Utrùm actio externa legi contraria sit in se ipsa peccatum, si tempore quo agens agit ignorat invincibiliter legem vel factum: vel potiùs solum sit peccatum in causa volitum, & attentatum.

436 CAsus est, si aliquis quando potuit, & debuit non didicit ea, quæ sunt status sui, aut officii, & posteà est in statu, ut tunc ea adiscere non possit, si tunc ex ignorantia peccet illa ignorantia invincibilis illum excuset, ita ut actio illa externa ex ignorantia habita non sit in se peccatum, sed potiùs sit solus antecedentis peccati effectus, sive quæritur; an homicidium patratum ab ebrio, tunc cùm est incapax usus rationis, excusetur à culpa, quia patratum ab eo, qui tunc est incapax libertatis, vel potius, hoc non obstante, sit peccatum in se ipso, non verò solus effectus peccati antecedentis, scilicet ebrietatis.

337 Multiplici distinctione difficultas ista explicatur. Primò enim distingui debet, an qui se ponit in eo statu, & causa, ex qua peccata oriuntur, id faciat culpabiliter, vel inculpabiliter; puta, an quis inculpabiliter fiat ebrius, vel fatuus. Si enim id fiat inculpabiliter, tunc quia actio mala, quæ consequitur nec est voluntaria in se ipsa, nec in sua causa; ideò tunc actio mala nullum est peccatum, cùm non sit peccatum, nec in se, nec in sua causa, D. Th. 2.2. *q.* 150. *art.* 4. *c.* & Cajet. ibi, *& in summa v. ebrietas*, & cæteri communiter.

438 Sed si status ex quo causantur peccata, & actiones malæ incurritur culpabiliter datur alia distinctio. Vel enim futuræ actiones malæ fuerunt prævisæ, aut potuerunt, & debuerunt prævideri, vel non fuerunt prævisæ. Si nullo modo istæ actiones fuerunt prævisæ, sed casu acciderunt; tunc non sunt peccata, nec ad culpam imputantur. Ratio est, quia hujusmodi actiones non sunt in se ipsis voluntariæ, quia imò supponitur eas tunc haberi, cùm homo vel caret usu rationis, vel laborat ignorantia invincibili, & sic invincibiliter ignorat, quod malè agat. Sed neque sunt

voluntariæ in sua causa. Quia non est voluntarium in causa, quod nullo modo fuit in causa prævisum, D. Th. *p.* 2. *q.* 20. *art.* 5. *c.* & *q.* 73. *art.* 8. & 2.2. *q.* 150. *art.* 4. & ibidem Cajetan. Vasquez *p.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *disp.* 127. *cap.* 3. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 42. Montes. *p.* 1. *q.* 76. *art.* 4. *num.* 131. Sed si eventus mali, & malæ actiones prævidentur futuræ ex eo statu, in quo quis se liberè ponit, & culpabiliter, tunc actiones illæ sunt peccata, quia sunt voluntariæ in causa sua. Qui enim vult causam sibi notam, vult quoque effectum, quem prævidet ex causa futurum, ut citati DD. & alii communiter tradunt.

439 Indubitatum autem est actionem malam futuram esse prævisam, quando eligens causam ex qua futura est mala actio actu formaliter, & expressè causalitatem, & futuritionem considerat. Nec sufficit ad hoc cognitio habitualis; quia peccatum non est habitus, sed actus, & cum habituali scientia stat invincibilis inconsideratio, aut oblivio actualis, & ideò inculpabilis omninò non prævisio futuri eventus mali. Tunc ergo solùm futura mala actio dicitur scienter prævisa, quando est actu actualiter considerata.

440 Sed nihilominus moraliter, tunc etiam dicitur interpretativè, aut indirectè prævisa, quando licet actu non sit considerata, potuit tamen, & debuit actu considerari, Montesin. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *num.* 141. Utrumque tamen horum est necessarium, ita quod si homo eligens causam futuri mali eventus, vel non potuit, vel non debuit illum prævidere, sicut inculpabiliter, & involuntariè assumit causam, ita inculpabiliter in causa, & involuntariè futurum eventum incurrit, qui nec dicitur prævisus, quia de facto non fuit prævisus, & ampliùs vel non potuit, vel non debuit prævideri, & sic inculpabiliter est non prævisus, Cajet. 2.2. *q.* 150. *art.* 4.

441 Tunc verò dicendum est eligentem id, quod est causa mali futuri non prævidisse illud, quando nullam habuit rationem dubitandi, aut cogitandi de illo. Sic qui inebriatur, sed nullam habuit rationem dubitandi, aut cogitandi, v. g. de futura fornicatione ex ebrietate, inconsideratione naturali, & inculpabili censetur voluisse fornicationem in ebrietate, unde illa non censetur voluntaria, nec imputatur ad peccatum. Ita Vasquez *p.* 2. *disp.* 127. *cap.* 3. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. Et ratio est, quia qui non est excitatus ad aliquid cogitandum, seu considerandum, non potest illud considerare; quia nec intellectus, nec voluntas possunt agere, nisi ab objecto excitentur ad agendum. Similiter si moraliter loquendo non adsit periculum mali eventus, illeque merè casualiter consequatur, non poterat prævideri, quia casualia contingentia non possunt in causa prævideri. Vel certè non tenetur homo prævidere, quæ casualiter, & valdè raró eveniunt. Unde si detur malum, quod non nisi valdè raró, & casualiter sequitur in ebrio aliquo, non tenebatur illud prævidere; & ideò si non fuit prævisum id fuit sine culpa, nec ad peccatum imputatur, sicut non imputatur ad peccatum eventus malus prævisus, si qui illum prævidet, adhibet sufficientem diligentiam, ut non eveniat, Montes. *p.* 2. *q.* 76. *a.* 4. *num.* 141.

442 Ideò hic præ oculis habenda est regula tradita à D. Thoma *p.* 2. *q.* 20. *art.* 5. Vel enim eventus malus ex causa assumpta per se sequitur, si non semper omninò, saltem ut in pluribus. Et in hoc casu indubitatum est, quod qui causam assumit, tenetur prævidere id, quod per se saltem ut in pluribus ex causa sequitur. Sed & potest illud prævidere valdè faciliter. Semper enim homo excitatur ex synderesi, ut consideret bonitatem, & malitiam objecti, est verò satis manifestum malum esse id, ad quod per se, ut in pluribus malum sequitur. Quamobrem qui inebriatur, si jam expertus est in se ex ebrietate per se ut in pluribus sequi, quod operatur aliquod malum, ut puta quod se polluit, iste, & potest, & debet hoc prævidere, & si non prævidet, non excusatur, quia hæc est inconsideratio voluntaria, & culpabilis; quia ipse id potuit, & debuit prævidere, Cajet. Vasquez, & Sanchez citati Montesin. *par.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *num.* 134.

443 Sed si eventus malus ad causam sequitur per accidens casualiter, & raró, seu ut in paucioribus, tunc locum habere potest inconsideratio, vel invincibilis, vel probabilis. Et attendi debet, an in facto, qui assumit causam excitatus fuit ad prævidendum futurum malum. Nam data excitatione prævisio mali non est invincibilis, seu impossibilis. Quamobrem tunc nisi illum excuset inconsideratio probabilis, quia ipse consideratis considerandis putavit malum sibi non futurum, non excusatur à peccato. Sic igitur qui liberè se inebriat, & expertus fuit aliquando, licet raró, & in paucioribus se Deum blasphemare; si excitatus fuit ad hoc malum sibi hic, & nunc prævidendum, & illud non prævidit, ex negligentia plenioris considerationis non excusatur à peccato blasphemiæ, quia illud non prævideri, quia illud prævidere potuit, & prævidere illud tenebatur, si aderat in casu specialis ratio illud prævidendi, & timendi.

Quamvis si hoc periculum in individuo non erat proximum, non tenebatur, qui se inebriavit illud timere, & prævidere, unde illius inconsideratio fuit probabilis, & inculpabilis. Et ita regulariter dici potest cum D. Th. *loco citato*, quod ubi malum ab eo, qui se inebriat non est prævisum, si malum per se ut in pluribus ad ebrietatem in tali individuo consequitur, non excusatur ebrius ab illo malo, quia tunc non prævisio fuit crassa, & voluntaria. Sed ut habet etiam Montes. *loco citato*, si malum ab ebrio non prævisum sequitur ad ebrietatem per accidens, & ut in paucioribus, regulariter ebrius excusatur ab illo malo, quia regulariter non prævisio est, vel invincibilis, vel probabilis, eo quia si in casu non sit specialis ratio timendi illud periculum, ut illud præcavendi, non tenetur qui se inebriat illud prævidere. 444

Verùm summoperè advertendum, quod ad hoc, ut malus futurus eventus dicatur prævisus in causa, & ut talis imputetur ad peccatum, sufficit, quod sit prævisus in genere, ideò ut benè advertit Cajet. 2.2. *q.* 160. *art.* 3. & Montes. *p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *num.* 141. reputatur peccatum in ebrietate prævisum, non solùm si sit prævisum in sua specie, puta quia, qui se inebriat novit se blasphemare, imò nedum si est prævisum in genere, ut si novit se peccatum linguæ committere, modò blasphemia, modò revelatione secreti, modò detractione, modò turpiloquio; sed etiamsi sit prævisum in communi, quia scit se ebrium in aliquo peccare, licet nesciat in quo genere tunc peccabit. Nam malum est in sua causa volitum, si sit in ea prævisum, & voluntas mala est, quæ malum etiam in communi prævisum eligit. Tunc verò æstimatur malum non prævisum, quod nullo modo prævisum est, prævíderique rationabiliter non potuit, aut debuit. 445

Existimat quoque Cajet. §. *Sed restat*, quod peccata, quæ solent ab ebriis committi, licet non ab omnibus committantur, debeant haberi tanquam prævisa ab eo qui liberè se inebriat, quia hujusmodi potuerunt, & debuerunt prævideri. Sicut enim, inquit, inter prævisa homicidia computatur, si quis casu hominem in monte occidit, non prævidens, an mors ille sit meabilis ab homine, an non, ex quo aliqui sunt meabiles, aliqui non: sic inter prævisa peccata numeranda sunt, quæ aliquis nesciens, si in se hæc sequentur, ebrietati, ut suæ dispositioni sibi ignotæ quoad hoc, se committit, cùm possit utraque pars contingere. Sed certè non credo, quod sola possibilitas futuri mali eventus sufficiat, ad hoc, ut malus eventus censeatur prævisus, vel debuerit prævideri, & D. Th. *p.* 2. *q.* 20. *art.* 5. non imputat ad peccatum ea, quæ ex aliqua causa raró solent evenire. Ideò nedum necesse est, quod assensus malus, sit possibilis, sed necesse est, quod timeri possit, & debeat, ut futurus, ad hoc, ut censeri debeat prævisus, etiam si prævisus non fuerit. Futurus verò regulariter censeri debet eventus, qui solet, ut in pluribus evenire, & nihilominus potest in singulari contingere, ut quod solet evenire in pluribus non sit timendum in hoc casu. Sed & est considerandum, non dari certum quoddam genus peccatorum mortalium, quæ ebrii committere soleant, quoniam ebrietas potiùs dormire facit, & alia peccata secundùm diversas circumstantias, & occasiones accidunt. 446

Quantum enim ad ebrios duplex genus peccatorum distingui debet. Nam quædam sunt, quæ ebrii non committunt, nisi ab aliis irritati. Et ista peccata regulariter esse casualia, ebriumque illa non teneri prævidere, dixit Vasquez *d. disp.* 127. *c.* 3. *n.* 10. Quod tamen limitavit Sanchez *d. cap.* 16. *num.* 43. ut non procedat, ubi quis se in eo loco inebriaret, in quo prævideret fore, ut ab aliis irritaretur. Nam in hoc casu sicut extra ebrietatem peccaret, nec excusaretur, qui irritatus, v.g. percuteret, seu vulnera- 447

ret

ret irritantem; ita peccat qui prævidens ſe fore irritandum, & ſe ebrium irritatum percutere aut vulnerare non fugit periculum, vel ſe non inebriando, vel recedendo à loco, in quo prævidet, vel prævidere debet, quod irritabitur, & irritatus percutiet irritante.

448 Aliud quoque conſideratur, nimirum multa ebriorum facta ex ſuo genere, iniqua non reputari culpabilia, etiam ſi prævideantur, quia vel nullum damnum inferunt, & ita in ebrietate facta deſtituuntur ratione malitiæ, quam haberent in ſana mente facta. Ut verba, & facta contumelioſa. Nam hæc tempore ebrietatis non æſtimantur communiter contumelioſa, ſed tanquam facetiæ admittuntur, & ita ipſimet adverſus quos dicunt tantum abeſt, ut loco contumeliæ illa accipiant, ut potius oblectuntur, & rideant. Vel quia mala ſunt ejus generis, ut petant ſcienter committi.

449 Quæ tamen damnum inferunt proximo imputantur, ſi prævideantur: quia non minus lædunt in ebrietate, quàm in ſana mente. Inter ea verò quæ petunt ſcienter fieri, ut ſint mala. Vaſquez ubi ſuprà numerat blaſphemias, infidelitatem, & perjuria. Et idem habet Monteſ. 1.2. *qu.76. art.4. num.*137. Sed hoc meritò reprehendit Sanchez *d. cap.* 16. *num.*44. quia hujuſmodi de ſe mala ſunt, & volita in ſua cauſa, ſi ſint prævifa, nec Deus acceptat illa, ut facetias. Et ita imputari blaſphemias dixerunt Cajetanus *dict. art.*4. *dub.*2. §. *Ad horum evidentiam*, Toletus *tract.7. cap.* 61. *num.*4. Excipit etiam Monteſ. niſi blaſphemia ſit cauſa ſcandali. Nam in hoc caſu eſſet ſpecialis ratio alterius peccati. Sicut & de contumelia ait conſiderandum, an poſſit cauſare ſuſpicionem aliquam mali, & infamiæ contra aliquem.

450 Peccata carnis quoque prævifa nimirum fornicationem, & pollutionem imputari ebrio: ſecus verò, ſi in ſomno eveniant, dixit idem Vaſquez ibid. quia cùm ſomnus ſit cauſa naturalis, ebrietas autem præter naturam, non eſt mirum ſi aliqua in ſomno imminentia non imputentur ad culpam quæ imputantur in ebrietate. Damnum verò proximi prævifum ex utraque cauſa pullulans caveri debet, aliter ad peccatum imputatur. Verum hæc non omninò placent Sanchez *d. num.*44. Nam quantum ad fornicationem prævifam in ſomno, quia fornicatio eſt contra bonum prolis, & ſic eſt in tertii præjudicium, ideò, ſi ſit prævifa, eſt cavenda, ſicut & alia proximi damna; quantum verò ad pollutionem prævifam futuram in ebrietate, ſi quidem ſit prævifa, ut futura non ex ſola vini potatione, ſed quia ebrius tactibus, vel illicitis mediis, & inhoneſtis ſe ad pollutionem provocabit, tenetur, qui ſe inebriat cavere, aliter illa imputatur ad peccatum, ſed ſi ſolum prævideatur ut futura ex nimia vini ingurgitantia, pollutio ſic prævifa, nec tamen intenta, ſi ſequatur, non eſt mortalis.

451 Hæc Sanchez: mihi quantum ad prævifa futura in ſomno conſiderandum videtur, quod poteſt contingere, ut quis habeat unde poſſit uti jure ſuo, & non teneatur de damno alterius, cui ſi immineat damnum à dormiente ſit imputandum, ſi damnum non fugit, cùm non habeat jus impediendi ne alius dormiat, & ne dormiat in eo loco, & tempore. Et ſic non eſt ſemper obligatus, qui vult dormire, ut caveat damnum futurum tertio, ſed is qui ſcit ſibi imminere damnum ex ſomno alterius, quem non poteſt de jure impedire, tenetur ſibi providere, & proprium damnum fugere.

452 Quantum ad ebrium verò hæc regula ſervanda eſt, ut tunc eventus malus futurus imputetur ad culpam, ſi ſit prævifus, aut debuit prævideri, quando ille eventus eſt talis, qui viro ſanæ mentis imputaretur ad peccatum ſpectatis omnibus circumſtantiis. Cæterùm ſi ſimus in caſu, in quo ad peccatum requiritur ſcientia, ſeu rationis uſus ad hoc, ut actus ex objecto ſit malus, ita quod carentia uſus rationis extrahat actum à genere mali, actus nedum quia ignoranter factus, ſed quia non ſit ex genere malus, ſicut verba contumelioſa dicta ab ebrio, jam non ſunt contumelia, & ſic non ſunt ex genere mala; in eo caſu ebrietas excuſat, non præcisè ratione ignorantiæ, & involuntarii, ſed quia actus eſt extra genus mali actus, & nec eſſet malus, ſi eſſet in ſciente per poſſibile, vel impoſſibile; ſic enim contumelia, quæ eſt facetia, & ut talis accipitur, non eſt contumelia, neque etiam in ſciente.

453 His verò ſuppoſitis, jam reſpondendum eſt ſecundæ partis quæſtionis præſentis, quæ eſt an mala actio voluntaria ſolum in cauſa, quæ in ſe ipſa dum exercetur nec eſt, nec poteſt eſſe voluntaria, ſit nihilominus ſecundùm ſe peccatum, vel potius non habeat aliam rationem malitiæ, quàm ſit illa, quam habet in cauſa ſua, Vaſquez 1.2. *qu.75. art.5. diſp.94. cap.2. & 3.* exiſtimat omiſſionem ad ebrietatem, vel ſomnum ſequutam, ſeu quamcumque actionem ab ebrio, vel dormiente habitam non eſſe formaliter peccatum in genere moris, neque intrinſeca, neque extrinſeca denominatione, ſed eſſe effectum peccati. Itaque igitur duo aſſerit; Primum eſt, quod dare cauſam omiſſioni præcepti, vel commiſſioni contra legem ſit peccatum, & quidem nedum reflexè, ſed directè ejuſdem ſpeciei, in quo eſſet omiſſio, vel commiſſio ſcienter in ſe volita. Sed inquit hoc imputari ad peccatum in eo momento, in quo datur ei cauſa. Cæterùm quando jam homo ebrius, vel dormiens omittit, vel committit contra legem, illa omiſſio, ſeu commiſſio eſt quidem peccati effectus, ſed non eſt in ſe formaliter peccatum, nec informatur malitia morali, ut cùm voluntates conſtituat idem peccatum, ſicut informatur actus exterior, quamdiu ſub voluntatis poteſtate perſeveret, & cum interiori idem omninò in genere moris componit. Ratio autem eſt, quia actus qui nec eſt, nec eſſe poteſt liber, quia jam non eſt in poteſtate voluntatis non eſt capax malitiæ moralis. Nec valet dicere, quod omiſſio, ſeu commiſſio ſit voluntaria in ſua cauſa, quia liberè, v. g. electa eſt ebrietas ad quam omiſſio, vel commiſſio contra legem ſequitur. Nam talis voluntas nullum alium influxum in genere moris potuit in illam habere, niſi quod liberè dedit ei cauſam; quod quidem fuit peccatum; ſed non poteſt facere, quod illa ſit in poteſtate voluntatis ſuppoſita cauſa data. Et ita hanc eamdem ſententiam tenet Suarez *tom.2. de Relig. l.3. numer.7.* Sanchez *l.1. moral. cap.16. numer.45.* ubi pro hoc eadem ſententia refert D. Thomas *in 4. diſt.17. quæſt.2. art.2. qu.4. ad ſecundum.*

Sed oppoſitum dicendum eſt, nimirum peccatum, quod eſt voluntarium in cauſa eſſe attentatum per volitionem, & inchoatum in mente, & executione cauſæ, tunc verò incipere eſſe in ſe ipſo, & eſſe de facto, cùm homo non retractata priori voluntate actu omittit præceptum, vel contra legem committit. Hæc eſt expreſſa mens D. Thom. 2.2. *qu.79. art.3. ad tertium, & qu.2. d. malo art.1. ad 11. & 2. d.* 35. *art.*3. loco enim citato 2. 2. ſic habet: *Si verò ſit propter ejus culpam, puta; ſi aliquis de vero ſe inebriaverit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet, dicunt quidam, quod tunc incæpit peccatum omiſſionis, quando ubi quis ſe applicat ad actum illicitum, & incompoſſibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato, quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinum, non omitteret; Unde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Unde dicendum eſt, quod omiſſio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria.* 454

Quod enim voluntas cauſæ peccati ſit peccatum voluntatis, & quidem ejus ſpeciei, cujus eſt peccatum illud, cujus cauſa eſt volita, eſt verum, neque hoc negat D. Th. apud quem certum eſt intentionem peccandi eſſe peccatum, ſed hoc non eſt peccatum operis, ſed voluntatis. Quod verò poſitio cauſæ peccandi, puta omittendi præceptum, non ſit exterior omiſſio; ſed propriè dici debeat cauſa omiſſionis, ut v. g. ſomnus non eſt omiſſio Miſſæ, vel omiſſio recitandi matutinas in choro, probat D. Thom. quia poteſt eſſe, quod qui dormit non dormiat, & ſomnus non duret, & ita quod qui dormiebat ſuo tempore recitet matutinas. Et ſic urget argumentum hoc; Nam qui liberè elegit ſomnum, qui ſit ſufficiens cauſa & moralis non audiendi Miſſam de præcepto, tunc peccat cum ſomnum eligit, quia tunc vult omiſſionem præcepti in ſua cauſa, & ſic mente tranſgreditur præceptum Eccleſiæ, & tamen tunc non omittit Miſſam, quia imò poteſt contingere, quod Miſſam non omittat. Tunc igitur non eſt peccatum omiſſionis, & eſt peccatum operis, licet ſit ut eſt peccatum voluntatis, & etiam ut eſt cauſa peccati. 455

At verò quod omiſſio ipſa ſit ſecundùm ſe peccatum, licet tunc eveniat, cùm homo non eſt ſui juris, quia vel dormit, vel eſt prius ebrius, benè tradidit Cajet. 2. 2. *qu.* 150. *art.*3. §. *ad horum evidentiam*, & Monteſ. 1. 2. *qu.76. art.*4. 456

*art.4.num.*137. inde habetur, quod ipsa est voluntaria omissio actus debiti. Esse enim voluntarium in causa est esse voluntarium, & ad hoc ut actus, vel omissio actus sit peccatum sufficit, quod sit contra legem, & sit voluntaria. Et secundò hoc probatur, quia si v. g. omissio Missæ non est mala, & malum objectum; igitur nec est mala voluntas omissionis; quia voluntas non est formaliter mala, nisi sit de malo objecto. Pariter nec ebrietas est mala, quia sit causa omissionis Missæ, si omissio Missæ mala non est. Quamobrem non est verum, quod habet Vasquez *num.*5. nimirum malitiam primario repetiri in actu, qui est proxima causa omissionis, ut puta in somno, si sit causa malæ omissionis, quia hujusmodi causa per ordinem ad omissionem futuram primo prihibita est. Hoc quidem vel ex terminis implicat, quia quod est prohibitum, quia causa omissionis, per se ab intrinseco est secundario, & per aliud prohibitum; quia quod est tale, quia est causa alterius, est analogicè tale, & secundariò per ordinem ad illud cujus est causa; & quod est per se primo tale; unde quod prohibetur, quia est causa omissionis, ideò prohibetur, quia per prius est prohibita omissio. Quæ si non esset mala, & prohibita, ineptè & sine ratione prohiberetur, v. g. somnus ex eo præcisè, quod sit causa omissionis. Ubi verò causa eventus mali est etiam in se mala sicut est ebrietas tunc duo committuntur peccata, nimirum ebrietatis, & v. g. omissionis Missæ, quæ ex ebrietate causata fuit, Montes. 1.2. *q.76. art.4. n.*135.

457 Sed ut fundamenta Vasquez non subsistere appareat considerandum est, quod eventuum, qui ex actione hominis sunt futuri, quidam vel non sunt actiones, ut mors, vel ruina domus, vel sunt actiones agentis naturalis, quæ non subsunt libertati ex natura sua, unde nec actu, nec aptitudine sunt imperabiles à voluntate, sed sunt actiones naturales, in hoc solum à voluntate dirigibiles, quod voluntas naturales causas ad agendum applicare potest, eis verò applicatis actio merè naturaliter sequitur. Et hujusmodi eventus possunt quidem esse effectus liberi, sed non possunt esse actiones humanæ, nec in se ipsis possunt esse, vel virtutes, vel peccata; quia sunt actiones naturales. Ex hoc patet, quod consequentia illa, & sequela Vasquez momenti non est, dum numero 12. inquit, sequi ex nostra sententia, quod qui venenum propinavit, tamdiù actu peccet, quamdiù venenum operatur. Hæc enim consequentia inanis est, quia operatio veneni naturalis est, nec est actio hominis, sed hominis actio est applicare venenum, & hoc est peccatum, sed veneni operatio effectus purus est applicationis; sed peccatum non est, quia non est actio hominis, quæ saltem aptitudine possit esse libera, si homo sit mentis compos. Pariter nec sequitur, quod qui nimium comedit tamdiù peccet, quamdiù cibus superfluus in damnum naturæ agit. Quia actio cibi alterantis non est hominis, unde nec actu, nec potentia est humana, & solum potest esse effectus hominis applicantis cibum ad alterandum.

458 Sed aliæ sunt actiones subditæ libertati, & proximè ab ea imperabiles, quæ sunt actiones hominis de se subditæ rationi, & per illam imperabiles. Et hujusmodi sunt interficere hominem, fornicari, seu actionem omittere, ut non audire sacrum in die festo. Hujusmodi verò licet contingat non esse volita in se ipsis proximè, quia agens, vel omittens non sit sui compos, tamen possunt esse volita indirectè, & in alio, quod omninò sufficit ad hoc, ut sint actiones, vel omissiones humanæ. Unde tunc etiam cùm jam non sunt in se ipsis volitæ, nec possunt esse in dormiente, sunt volitæ in sua causa, & indirectè, & moraliter censentur esse, ac si essent in se ipsis volitæ.

459 Pariter non sequitur illud aliud, quod deducebat Vasquez *num.*9. scilicet sequi ex nostra sententia dari posse casum, in quo homo sit justificatus per gratiam, & tamen simul actu peccet, nimirum si pœnituerit de appositione causæ, ut v. g. quod dormietit, tunc erit justificatus, & cùm tamen jam non possit Missam audire, peccabit eam non audiendo. Nullo modo enim hoc sequitur; quia ad fugiendum peccatum sufficit retractare voluntatem appositionis causæ, ex qua sequitur vel omissio mala, vel commissio. Quia hoc sufficit ad hoc ut omissio, vel commissio tunc, cùm est, non sit volita in sua causa. Nec est verum, quod voluntas causæ non retractata duret solum habitualiter, nam virtualiter duret, si non retractetur, quia durat in effectu suo, qui est incompossibilitas servandi legem posita illa causa, vel aliud aliquid simile. Quod licet duret etiam rettactata voluntate causæ, non durat tamen in ratione voliti, & ideò nec omissio, aut commissio est volita, quia non est volita in se ipsa directè, ut supponitur, nec est volita in voluntate causæ, quia illa est retractata.

Et hinc colligitur quantum duret in his casibus actuale peccatum, vel omissionis, vel commissionis; tantum enim durat, quantum durat voluntas causæ, & impedimenti positi, & externa actio peccaminosa, seu omissio actionis. Quod si fiat in potestate voluntatis removere actionem malam, ut si cessante somno adhuc tempus est, vel non omittendi, vel non committendi contra legem; quia v. g. potest non omittere Missam, vel cessante ebrietate potest non persequi, aut non percutere proximum, peccat, si omittat vel percutiat. Sicut si cessante somno, aut ebrietate jam apparet impossibilitas vitandæ omissionis, vel damni illati, quam jam applicatæ sunt causæ, quæ non possunt removeri, & alias illæ necessariò naturaliter agunt, si tamen homo verè exindè pœniteat, & doleat de assumpto somno contra rationem, vel incuria ebrietate, jam quod infallibiliter sequitur, sive sit omissio, sive injustum damnum remanet non volitum, & ideò non imputatur ad peccatum. 460

Quod verò dicebat Vasquez adhuc sequi inconveniens, si Deus dormienti antequam pœniteat de irrationabiliter assumpto somno infundat gratiam; sequitur enim, quod erit justus per gratiam infusam, & nihilominus posteà dicetur peccare omittendo Missam: dicitur quod continet consequentiam verè inanem in omni sententia. Vel enim dicitur, quod homo peccator justificari non potest (sicut verè non potest) nisi per actum pœnitentiæ se disponat ad justificationem; & in hac sententia suppositum est impossibile, scilicet quod Deus in dormiente peccatore possit infundere gratiam justificantem. Vel dicitur, quod saltem de potentia Dei absoluta potest homo saltem habitualiter justificari sine pœnitentia peccati commissi, & quod stant simul esse actualiter peccatorem, & habitualiter justum. (Quod quidem ego puto esse falsum) & tunc, qui sic sentiunt admittent casum, & dicent illum esse habitualiter justum, & actu ex parte sui peccatorem. Et sic consequentia illa est prorsus inconsequens, & implicans in terminis; quia si non potest esse quod quis sit habitu justus, & peccator, qualis est qui non retractat peccatum; iam suppositum est impossibile, scilicet, quod Deus peccatori dormienti concedat gratiam justificantem. 461

Colligitur propterea nec dicendum esse, quod hujusmodi omissiones, aut commissiones malæ non sint peccata, sed effectus peccati, ut voluit Vasquez; neque quod sint peccata in causa sua, ut dixit Azor. *part.2. cap.14. qu.3.* apud Sanchez *d. cap.16. num.46.* Neque quod sint peccata solum denominatione extrinseca, ut voluit Sanchez *l.9. de matrim. disp.45. num.16. & seqq.* qui dicto *cap.26. num.46.* omnes istos modos dicendi approbat. Sed dici debet, quod hujusmodi omissio, seu commissio mala est propriè peccatum in se, quia ad hoc sufficit, quod sit actio mala vel omissio volita, qualitercumque volita sit, sive in se ipsa, sive in sua causa. 462

Hinc est, quod ubi voluntas causæ ante secutam malam omissionem, vel commissionem sit mutata, in confessione sufficit explicare peccatum commissum in voluntaria appositione causæ, quam sequitur posteà malus eventus. Quia tunc revocata illa voluntate, malus eventus non est peccatum, licet sit effectus peccati. Et ideò tunc non est necessè exprimere omissionem malam, vel commissionem, quæ non est peccatum, nisi talis omissio, vel commissio sit, sine cujus expressione status peccatoris intelligi non possit, quantum necessè est, ut peccatori consulatur in futurum. Sed si voluntas causæ non fuit retractata, omissio, vel commissio mala sequens, cùm sit in se peccatum debet exprimi in confessione, & ita fit de facto à pœnitentibus. 463

In omni verò sententia dicitur, quod si omissioni, vel commissioni sit imposita pœna vel irregularitatis, vel excommunicationis, vel alia, eam incurrit, qui omittit, vel committit contra legem. Nam & hoc est verum, etiam si voluntas causæ retractetur. In quo tamen vis legum attendi debet, & an ad demeritum requirant scientiam vel non requirant, vel potius pœnam inferant contra externam 464

omis-

omissionem, vel actionem malam qualitercumque voluntariam. In hoc enim casu pœna incurritur secuta omissione, vel actione mala, etiam si voluntas causæ in qua illa omissio, vel actio fuit volita fuerit retractata. Idem dicitur de restitutione, quæ obligat ratione rei acceptæ, vel damni dati, ideò sufficit, quod quis voluntariè in causa damnum dederit, ut restituere teneatur, Vasquez *d. disp.* 127. *cap.*4. Sanchez *d. cap.*16. *n.*47.

465 Patet etiam ex dictis, qualiter somnus, aut ebrietas excuset vel non excuset. Debet enim considerari an ebrietas v. g. sit vel antecedens, vel concomitans, vel consequens malam omissionis, aut actionis voluntatem. Nam si sit concomitans neque accusat, neque excusat, ut de ignorantia concomitante dictum est. Sed si sit antecedens, excusat à toto, & tam à culpa, quàm à pœna. Tunc verò est antecedens, quando inculpabiliter incurritur, vel in ea futurus malus eventus non fuit prævisus, ita quod non prævisio futuri mali eventus fuit inculpabilis, nimirum invincibilis, aut probabilis, quia invincibilis ignorantia aut probabilis à toto excusat. Sed si non prævisio futuri mali eventus fuit voluntaria, & culpabilis, tunc si non est affectata inconsideratio excusat, si non à toto, à tanto, unde mitius est puniendus, qui ex ebrietate peccavit, ut explicat latè Cajet. 2. 2. *quæst.*150. *art.*3. Ideò ebrium sic voluntarium non excusari ab irregularitate, aut excommunicatione lata contra actionem habitam in ebrietate, dixit Martin. 1.2. *qu.*76. *art.*4. *dub.*2. *regula* 17. *&* *reg.*18. subdit, quod hujusmodi pœnæ incurruntur etiam si ebrius pœniteat ebrietatis.

SUMMARIUM.

466 *Cajetani placitum.*
467 *Ex negligentia sciendi veniali ignoranter volitum non est peccatum mortale.*
468 *Negligentia sciendi potest esse levis etiam ex parvitate materiæ.*
469 *Quod est in se peccatum veniale fit mortale, si sit causa mali prohibiti, & ex deliberatione eligitur.*
470 *Hujusmodi venialis ignorantia excusat a pœna lata in culpam mortalem.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XXIV.

Utrùm ignorantia culpabilis solum venialiter excuset à mortali peccato, & consequenti à pœna supponente mortale peccatum.

466 CAjet. *part.*2. *qu.*76. *art.*4. §. *in eod.* distinguit inter peccata commissa ab ignorante, quia aliqua sunt in se deliberatè volita, quamvis ex ignorantia, & hujusmodi ait esse peccata mortalia, non excusante ignorantia licet solum venialiter mala. Sed alia sunt, quæ ex vi ignorantiæ non sunt peccata in se deliberatè volita, nec sunt peccata propriæ speciei, sed alterius, ut puta ebrietatis, aut venationis non discretissimæ, & tunc quia peccatum sequens, non sortitur propriam speciem, quantumcumque secundùm se esset mortale, aut gravioris ordinis, non facit actum ex veniali mortalem, neque ex mortali levioris ordinis mortalem gravioris ordinis, quamvis aggravet ex circumstantia. Quia circumstantia non habens propriam speciem, numquam aggravat in infinitum, & numquam transfert in proprium ordinem. Unde si ebrietas aliqua sit peccatum veniale, homicidium subsequens non faciet peccatum mortale, & pariter si circumspectat aliqualiter venator est peccatum veniale, & homicidium sequens non faciet mortale. Et si ebrietas, vel venatio sint peccata levioris ordinis, quam homicidium, non trahentur in ordinem gravitatis homicidii, quamvis aggraventur ex tali effectu. Hæc Cajet. Sed jam suprà probatum est, peccatum ex ignorantia commissum semper esse ejusdem speciei cum eo, quod scienter committitur, si sit de eodem objecto, & ideò quod ignoranter fit, si est circumstantia mala, est addens speciem, vel aggravans in infinitum; unde data distinctio non subsistit, sed in hoc eadem est ratio de omni eo, quod ignoranter fit.

467 Dicendum igitur est, quod omnis commissio contra legem vel omissio, si non sit ex ignorantia invincibili, vel probabili excusante à culpa, est peccatum mortale ex suo genere: Sed tamen in individuo, si ignorantia sit solùm venialiter culpabilis, quod sit ignoranter, non est peccatum mortale, sed veniale, Alvarez 1. 2. *quæst.*76. *art.*4. *disp.* 154. Martin. 1.2. *qu.*76. *art.*2. *dist.*2. *ad tertium, & art.*4. *d.*1. *conclus.*4. Suarez *part.*2. *tract.*2. *disp.*4. *sect.*2. *num.*18. Et ratio est, quia quod fit ignoranter ex ignorantia solum leviter culpabili non est perfectè voluntarium, ignorantia enim involuntarium facit, & solum censetur voluntarium, si ignorantia sit ex negligentia voluntaria; si ergo negligentia sit in suo genere imperfecta, eo quod imperfectè volita, erit etiam imperfectè volitum peccatum, quod ex negligentia sciendi consequitur, quod enim est volitum in causa, non potest esse perfectè volitum, nisi causa sit perfectè volita, ideò nisi negligentia sciendi sit perfectè voluntaria, neque perfectè voluntarium est peccatum, quod non nisi ex voluntaria negligentia sciendi est voluntarium.

Accedit, quod hic nedum potest adesse culpa venialis ex imperfectione actus, & quia negligentia non sit volita ex plena deliberatione; sed etiam ex levitate materiæ, quia præceptum obligans ad adhibendam diligentiam sciendi, quæ ad opus sunt necessaria, habet latitudinem, & non obligat ad omnem exactissimam diligentiam possibilem, & dari potest levis negligentia in eo qui fuit diligens, sed aliqualiter leviter negligens fuit, & tunc cùm diligentia sit præcepta eodem ipso præcepto virtutis, quo actus ipse præcipitur, aut prohibetur, si non violatur graviter hoc præceptum ut obligans ad diligentiam & studium adiscendæ legis, nec etiam violatur graviter præceptum idem, ut obligat ad virtutem, quia ex eadem ratione, qua obligat ad virtutis actum, obligat ad studium & diligentiam scientiæ habendæ, unde si hoc præceptum non violatur graviter negligendo scientiam, quia sub mortali non obligat ad majorem diligentiam, nec etiam violatur graviter ex eo, quod illud præceptum ignoranter non observetur quantum ad actum præceptum principaliter, vel prohibitum. 468

Nec obstat, si dicatur, quod tactus impudicus venialiter malus fit malus mortaliter, si ex eo sequatur pollutio; ut dicitur 1.2. *q.*74. *art.*8. Nam non dicimus nos, quod peccatum veniale de se non fiat mortale, si actus sit causa ejus, quod est prohibitum sub mortali, & hoc fiat deliberatè: Nam imò & quod de se est licitum, si sit causa mali omnibus pensatis in individuo fit malum, ac quidem mortale peccatum in materia gravi, si fiat deliberatè, & detur lex prohibens non dari causam voluntariam talis mali; sed nihilominus ex defectu voluntarii, quod esset mortale, fit veniale, vel nullum peccatum, unde nec pollutio imputabitur ad mortale, si non sit perfectè voluntaria nec in se, nec in sua causa. Sic & in proposito, si quis deliberatè nollet scire quid minimum secundùm se, tale tamen, quod hic & nunc esset necessarium ad virtutem, actus ignoranter factus contra legem esset peccatum mortale; quia esset contra legem, nec deesset illi ratio sufficiens, voluntarii, Sed ubi scientia vel ex imperfecta deliberatione negligitur, vel deficit illa exactior diligentia, ad quam habendam lex non obligat sub mortali; tunc negligentia non est perfectè voluntaria, & ideò neque malum ignoranter factum est perfectè voluntarium, & sic neque est mortale peccatum. 469

Colligitur ex his, quod ubi ignorantia venialiter mala excuset actum ignoranter factum à culpa mortali, excusat etiam ab excommunicatione, censuris, irregularitate, & pœnis, quæ culpam mortalem supponunt, Mart. 1.2. *q.*76. *art.*4. *reg.*15. 470

SUMMARIUM.

471 *In foro interno ignorantia quæ est potest allegari: sed in foro externo non potest allegari nisi præsumi possit, aut probari.*
472 *Ignorantia juris non præsumitur.*
Præcipuè in officiali.
473 *Iura propria nullus præsumitur ignorare.*
474 *Et in Episcopo ignorantia etiam extravagan.*
475 *Et in viris ingenio, & literis excellentibus.*
476 *Et in eo qui partem alicujus scripturæ scivit.*
477 *Iuris publici ignorantia non præsumitur: Et quod sit jus publicum.*
478 *Iuris communis, & statutorum, quæ in corpore juris inserta*

serta sunt, non præsumitur ignorantia.

479 *Extravagan. quæ non sunt inserta in corpore juris, statutorum &c. dari potest ignorantia probabilis etiam in judice.*

480 *Juris dubii præsumitur ignorantia.*

481 *Quodnam sit jus dubium.*

482 *Non licet sine examine sequi probabilem quamcumque opinionem, & alia remissivè.*

483 *Multæ opiniones per principia intrinseca improbabiles, quas tutò sequi non licet.*

484 *Juris privati cujuscumque non præsumitur in eo ignorantia.*

485 *Quid in dubio an jus sit validum.*

486 *Quid in dubio an lex sit.*

487 *Ex absentia probatur ignorantia.*

488 *Juris ignorantia præsumitur in mulieribus, minoribus &c.*

489 *Hoc explicatur.*

490 *In successore præsumitur ignorantia jurium ejus, cui succedit.*

491 *In eo qui palam operatur contra legem, præsumitur ignorantia.*

492 *Facti ignorantia præsumitur.*

493 *Facti proprii ignorantia non præsumitur.*

494 *In Episcopo eorum, quæ in Diœcesi fiunt, non præsumitur ignorantia.*

495 *Præsumptio ignorantiæ non valet nisi allegetur.*

495 *Præsumptio scientiæ non est juris, & de jure.*

496 *Ignorantia probanda.*

497 *Ubi ignorantia non sit verisimilis, præsumitur scientia.*
Ubi plures præsumptiones ignorantiæ illa præsumitur.

498 *Ignorantia difficilis probationis: unde non exigit demonstrativam probationem.*

499 *Ignorantiæ probatio admitti debet, & qualiter juramento probatur.*

500 *Arbitrarium an juramentum sufficiat.*

501 *Juris ignorantia difficilius probatur ex juramento.*
Probatur absentia.

502 *Facilius admittitur probatio ignorantiæ facti ex juramento.*
Hæc probatio non admittitur nisi in subsidium.

503 *In quibus casibus non sufficiat probatio per juramentum.* 504. 505. 506.

507 *Etiam conjecturis probatur ignorantia vel scientia.*

508 *In dubio quando ignorantia præsumatur.*

509 *Ubi ignorantia præsumitur, transfertur onus probandi scientiam id adversarium.*

Quæst. primæ

ARTICULUS XXV.

An & quando in foro externo ignorantia tam juris, quàm facti allegari possit, & probari.

471 CORam Deo, & in foro conscientiæ ignorantia si est invincibilis, aut probabilis, & sine culpa, statim se ipsa allegatur, nec probatione indiget, Deo vidente omnia prout sunt sine errore aliquo vel defectu. Et respectu etiam hominis judicis in hoc foro ignorantia, quæ verè est, à quocumque potest allegari, nec alia indiget probatione, quia alleganti creditur, tam pro se, quàm contra se. Sed in foro externo aliter res se habet. Quia enim ignorantia est interius in mente, quàm Ecclesia non videt, ex solis exterioribus colligi potest, & probari debet, nec potest validè allegari, nisi possit præsumi, & probari, unde videndum est quando, & in quibus, & ex quibus ignorantia præsumi possit, & probari.

472 Datur ergo in hoc prima regula, quod ignorantia juris non præsumitur, Panormitan. *cap. Pastoralis numer. 1. de fide instrument.* & ex Gloss. *in l. mater, §. cæterum de inoff. test.* & Bart. *in l. omnes populi, num. 7. ff. de constitut. & jur.* Rota *decis. 662. num. 7. part. 2. recent.* Silvest. *v. ignorantia num. 20.* D. Anton. *part. 1. tit. 20. v. ignorantiæ*, Suarez *de cens. disp. 4. sect. 8. num. 19.* Ubi quod in foro externo non creditur, vel quod lex in mentem non venerit, vel quod quis sufficientem diligentiam non adhibuerit, ut sciret. Non enim præsumitur quis ignorare id, quod ipse potest, & tenetur scire. Regula enim data intelligitur de lege obligante respectu ejus; quem lex comprehendit, & obligat. Nam aliàs nullus tenetur scire leges, quæ illum non obligant, sed alios. Ita mulieres non tenentur scire leges, quæ solos obligant viros, neque sæculares eas, quæ solùm obligant Ecclesiasticos, neque Clerici Sæculares eas, quæ solùm obligant Regulares. Unusquisque enim solùm tenetur scire leges, quæ ad se pertinent, & secundùm quas vivere debet. Et de istis dicitur quod illarum ignorantia regulariter non præsumitur.

473 Jura enim sua nemo præsumitur ignorare, Bart. *in leg. sed & si lege §. scire num. 3. de pet. hæred.* quem sequitur Rota *decis. 152. num. 16. tom. 2. part. 4. recent.* Quia quæ homo tenetur scire, tenetur etiam adiscere, & indagare, at verò non ignorantia, sed scientia præsumitur eorum, quæ quisque tenetur indagare, Put. *decis. 271. in noviss. num. 4.* Rota *decis. 615. nu. 4. tom... part. 3. 4. recent.* post Rom. *cons. 481. num. 8.* Tunc verò maximè regula data verificatur, ut ignorantia juris non præsumatur, quando datur aliquis fumus scientiæ ex conjecturis, Rota *decis. 25. num. 24. part. 9. recent.*

474 Hæc verò prima regula locum habet præcipuè in aliquibus generibus personarum. Primò, enim non præsumitur in officiali quocumque in iis, quæ spectant ad officium suum, & circa quæ debet esse solicitus, Panormitan. *cap. Innotuit num. 9. de elect.* Rota *decis. 204. num. 20. part. 9. recent.* & apud eam Dec. *cons. 160. num. 5.* Menoch. *præsump. 23. n. 66. l. 6.* Surd. *decis. 182. num. 9.* Nam in officiali præcipuè locum habet regula illa, quod præsumitur scire id, ad quod tenetur, Gloss. *in reg. Præsumitur, de reg. juris in 6.* Card. *in Clem. 1. quæst. 7.* & ibi Imola, & Bonif. *de consanguin.* Rom. *cons. 481.* Dec. *d. cons. 160.* Rota *decis. 166. part. 1. divers.* Ideò quod extravagantum quæ sunt extra corpus juris, non præsumatur ignorantia in Episcopo, advertit Panormit. *ad d. cap. Pastoralis num. 1. de fide instrum.* Eò quia Episcopus teneatur investigare, ut sciat extravagantes, quas Romæ edunt Pontifices, extravagantem tamen novam potuit nescire. Et in judice non præsumitur ignorantia statuti loci, si sit insertum in corpore statutorum, vel si statutum sit notorium, aut allegatum & probatum. Tusc. lit. I. *concl. 11. n. 2. & seq.*

475 Secundò, ignorantia non præsumitur in viris, qui nobilitate, ingenio, & literis valdè præcellunt, Rota *decis. 3. num. 35. part. 7. recent.* Et quod ignorantia juris non præsumatur in persona qualificata, tradidit Rota *decis. 40. num. 14. part. 6. recent.* Nam jus ignorare licet indoctis, & rudibus, non verò eis, qui sua prudentia instructi sunt, *l. Regul. ff. de juris, & facti ignor.* Illustriss. Fagnan. *cap. Ne innitaris num. 426. de constit.*

476 Tertiò, is de quo constat habuisse scientiam unius partis legis, aut scripturæ, non præsumitur ignorasse aliam partem. Ideò in eo, qui scivit reservationem pensionis, non posse præsumi ignorantiam decreti contenti in literis reservationis dixit Rota *decis. 300. num. 5.* coram Mantica *ex l. Non est ferendus, ff. de transact.* cùm hanc non esse ignorantiam probabilem docuerit Mandell. qui plures consonantes refert *in cons. 18. num. 1. & 2.* Et simili modo in Cremonen. pensionis 23. Junii 1578. coram Rubeo fuit resolutum eum, qui de commenda fecit mentionem, scivisse etiam consensum datum super illa in eisdem Bullis *per d. leg. Non est ferendus, ff. de transact.*

477 Pariter quartò præsumi non potest ignorantia juris publici, & notorii Panormit. *in cap. Pastoralis num. 1. de fide instrum.* & ibi Felin. *num. 7.* & apud eum Baldus, Ancharan. & alii. Censetur verò lex esse notoria, si de ea sit facta fides in judicio, ut de illa constet in actis, Felin. *ibid.* Sed & notoria seu publica censeri debet, quando constat de ejus publicatione, Anton. & Imola, & Felin. *d. cap. Pastoralis num. 4.* Quando etiam lex scitur universaliter ab omnibus, vel à majori parte hominum ejusdem conditionis, & qualitatis, satis publica, & notoria dici debet. Nam *suprà art. 6.* probatum est in foro externo haberi pro crassa, & supina ignorantia eorum, quæ à majori parte hominum ejusdem conditionis non ignorantur; in idem verò coincidunt ignorantiam non præsumi, vel præsumi ignorantiam crassa, quia, quando dicitur, quod ignorantia non præsumitur, est sermo de ignorantia invincibili aut probabili.

478 Inde est quod quintò rarius præsumi potest ingnorantia juris

juris communis inserti in corpore juris, vel etiam statutorum, quæ in libro statutorum communium ordinata sunt, vel etiam extravagantum, quæ licet sint extra corpus juris, tamen à longo jam tempore emanarunt, & communiter observantur, Panorm. *d.c. Pastoralis, num.1. de fide instrum.* Hujusmodi enim communiter sciuntur, & publica sunt, & notoria, unde eorum non præsumitur probabilis ignorantia.

479 Nihilominus regula posita multipliciter limitatur. Nam primò, quod constitutionum extravagantium, & particularium statutorum, quæ non sunt inserta in corpore juris, nec sunt notoria aut publica, sicut & consuetudinis particularis non notoriæ præsumi possit ignorantia probabilis nedum in subditis, sed etiam in judicibus, & personis publicis ex *cap. Pastoralis, de fide instrumentorum* colligunt Panormit. *in princ.* & Felin. *num.4.* & tenent communiter illi, qui sentiunt sententiam latam contra extravagantem non esse nullam. Et hoc fortius procedit in declarationibus, aut legibus editis à S. Congregationibus; hujusmodi enim leges licet publicatæ Romæ, antequam per mundum divulgentur, possunt probabiliter ignorari, nec præsumptio est scientiæ illorum, donec verè in facto fiant publicæ, seu notoriæ. Nam & legem aliquam editam fuisse est quid facti, quod antequam fiat publicum, potest ignorari. Et quod Doctorem excuset ignorantia extravagantis non insertæ in corp. juris & quod Doctori alleganti, extravagantem non sit credendum, tradit Tuscus *lit. I, conclus.11 n.8.* In hac parte tamen Judices dum allegatur à parte aliqua extravagans non inserta in corpore juris servare debent decretalem *Pastoralis, de fide instrumentorum*. Sicut de extravagantibus latis ante Greg. IX. servanda sunt statuta ab eo *in proœm. decretalibus*, & de latis ante Bonif. VIII. statuta ab eo *in proœmio lib.6.*

480 Secundò limitatur regula, ut juris præsumatur ignorantia, si jus sit dubium, & controversum, ignorantiam enim juris dubii & controversi tanquam probabilem excusare, & æquiparari ignorantiæ facti senserunt, Felin. *in cap. de quarta n.27. de præscr.* Capp. *decis.10. n.19. & 20.* Rota In una Romana de Salomonibus 14. Novembris 1575. coram Seraph. & in Romana census 27. Junii 1580. coram Lauretano, *& decis.159. num.10. part.9. recent.* Idem quoq; tenent post Innocentium *c. Per tuas n.2. de Simon.* Cardin. *in Clem. fin. qu.4. de reg.* Felin. *in c.2. col.7. de re judic.* Navar. *cons.7. de reg.* Fagnan. *c. Quoniam n.33. de constitut.* Et propterea licet regulariter non præsumatur ignorantia juris, hoc tamen non procedere in jure valdè dubio dixerunt Felin. *c. de quarta n.27. de præscript. glos. ult. in l. si vir,* ubi Bartol. *n.1. ff. de donat.* Rota *decis.214. n.5. & decis.561. part.1. & decis.132. n.7. part.2. divers. & decis.662. n.7. part.2. & decis.360. n.8. part.6. recent.* ubi quod ratione difficultatis materiæ, & quia sit controversa juris intelligentia potest esse, & præsumi in aliquo probabilis ignorantia. Et tamen ignorantiam juris dubii non excusare quando possunt consuli peritiores habetur *ex l. Regula ver. sed juris ignorantia, ff. de jur. & fact. ignor.* Specul. *in tit. de sum. Trin. n.6.* Barb. *cons.18.* quos sequitur Fagnan. *c. quoniam n.49. de constit.*

481 Existimatur autem jus posse esse dubium, quando habet non parvam mixturam facti, de quo potest adesse ignorantia, Rota *decis.159. n.13. part.6. recent.* Item si contineat verba ambigua, & quæ diversum possunt habere sensum, & non nisi ex regula dubia suscipiunt interpretationem: sic eadem Rota, ibi *n.11.* dixit ignorantiam juris valdè dubii procedere ex ipsa subscriptione scripturæ, quia subscribens censetur approbare omnia contenta in scriptura, quæ regula non est vera nisi subscribens sciverit omnia contenta in scriptura, & tamen negari non potest, quin sub hac conclusione cadere possit aliqua dubietas. Pariter jus dubium est, si super ejus intelligentia sint diversæ & contrariæ sententiæ, unde in eo præsumitur ignorantia probabilis, qui aliquam ex probabilibus legis interpretationibus, quam ipse veram existimat, amplexus fuit. Ideò Rota *decis.662. n.7. part.2. recent.* dixit illius ignorantiam fuisse probabilem, & talem esse præsumendam, qui sicut prius deciderat Rota coram Lancellotto, crediderat testamentum quoddam fuisse validum, & validam pariter cujusdam institutionem.

482 Verum hic distingui debet error probabilis ab ignorantia probabili, sicut & triplex dubium, quod hic potest contingere, nimirum primò an lex sit, secundò an sit valida, tertiò an hunc, vel alium sensum habeat. Ubi enim circa hujusmodi dubia sint de facto variæ opiniones probabiles, & ut tales approbatæ in foro externo, non potest præsumi ignorantia culpabilis, si aliquis secundùm aliquam ex illis opinionibus operatus fuit. Neque tamen approbo, quod unusquisque laboret ignorantia inculpabili, si ubi sunt plures opiniones circa legem, quamlibet ex illis sine examine illarum amplectitur, ex eo solo quod ab hoc, vel illis auctoribus judicata fuit probabilis; quod est ex sola fide humana velle se dirigere; quod est illicitum ei, qui tantum hominis habet, ut ex principiis intrinsecis, & regulis juris naturalis aut positivi potest veritatem dijudicare. Nec enim potest dici ejus ignorantia invincibilis, qui facili studio, si veritatem velit examinare, potest cognoscere ex duabus opinionibus contrariis unam falsam esse, vel certè notabiliter valdè minus veram, & tutam. De qua re multa scripsi, *de stat. & off. hom. tom.1. qu.186. art.8. in spec. 3. art. n.236. & pag.692.*

Et nihilominus considerari debet, quod multæ sunt circa intelligentiam jurium opiniones, quæ ex principiis intrinsecis manifestè sunt improbabiles, & facili negotio à quocumque, vel mediocriter perito, ut falsæ cognosci possunt. Ideò in jurisperito, vel docto homine, vel judice aut alio officiali non præsumetur probabilis ignorantia, vel error circa intelligentiam legis, ex hoc quod sequutus sit hujus, vel paucorum DD. interpretationem satis clarè verbis, & menti legislatoris repugnantem; hujusmodi enim error imprudenter voluntarius est. Ideò si quis in praxi sine solido fundamento, & sufficienti relictis communibus opinionibus, & approbatis, singulares sequi velit robore praxis destitutus, si contra legem agat, tenebitur se defendere, & rationabilitatem sui facti probare; quia potius in contrarium erit præsumptio, vel temeritatis in opinando, vel singularis, & crassæ cujusdam, vel etiam affectatæ ignorantiæ. 483

Distinguere etiam opus est jus justitiæ, cui quilibet renunciare potest, & jus legis obligantis ad agendum juxta illius præscriptum. Non enim de facili præsumitur ignorantia juris sui in aliquo, ut dictum est, & propterea Rota coram Seraph. *d.1459. num.14.* docuit, quod de illis, quæ concernunt interesse plurium præsumitur scientia, vel eos fuisse in crassa, & supina ignorantia, quæ etiam in multas personas vix potest cadere, nisi sit dolosè affectata. Et nihilominus ex hoc etiam faciliùs est, quod ubi juris sunt plures interpretationes faciliùs unusquisque innitatur etiam irreprehensibiliter illi parti, quæ sibi favet. Quia bonum utile insensibiliter intus operatur, ut quæ favent utilitati appareant magis, & sic magis urgeant ad sui assensum, & ex alia parte si quis velit sequi illam partem, quæ minus sibi favet, si in hoc decipiatur, præsumptio erit pro involuntaria deceptione, & ignorantia. Circa leges verò considerandum est, quod cùm lex obliget ad sui observantiam, obligat quoque potius ad sumendam illam interpretationem, quæ favet observantiæ legis, & ad non discedendum ad oppositum nisi ex prudenti deliberatione. 484

Ubi verò dubium sit an jus sit validum, si dubium sit de jure privatæ justitiæ, ut de validitate contractus, aut testamenti, aut legati, & sit dubium positivum, & rationabile, quia ex utraque parte sunt rationabilia motiva, locum habere poterit præsumptio ignorantiæ probabilis, cùm de facili contingere possit, & contingat sæpè, quod hujusmodi jura sint invalida, & quod partium unaquæque adhæreat etiam prudenter illi parti, quæ sibi favet. Sed ubi dubium sit de validitate legis, si constat de lege, præsumptio est pro legis validitate. Semper enim præsumptio est pro Principe quod justè agat, & præcipiat. Si tamen dubium sit positivum, quia res est controversa, & est probabile legem esse, vel de materia injusta, vel à non habente jurisdictionem, vel ex alia causa inducente nullitatem an lex obliget, multi tenent subditum non teneri obedire, quod tamen ita universaliter dictum reprobavi *de stat. & off. hom. tom.1. qu.186. art.8. in spect.3. qu.4. num.291. & seq. pag.711.* ideò hujus juris controversi dari poterit præsumptio ignorantiæ probabilis. Nam & hoc est considerandum, quod id, quod verè est minus probabile potest videri probabilius & potest contingere, quod quis credat verius esse, quod in hoc dubio probabili non sit necessè obedire. 485

Sed ubi sit dubium an lex sit, vel non sit, possessio stat pro libertate subditorum. Verùm ubi verè lex sit promulgata juxta stylum curiæ, ad hoc ut obliget sufficit, quod divul- 486

divulgetur per fidem humanam; unde si ita divulgetur, ut qui audit teneatur credere prudenter, jam lex non est dubia. Quantum tamen ad forum externum, & ad præsumptionem, si constet de sufficienti divulgatione, præsumetur scientia legis, sicut idem erit, si communiter lex habeatur ut promulgata, quamobrem tunc solum poterit præsumi probabilis ignorantia legis, si vel constabit, quod lex non sit divulgata, vel hoc præsumi debebit, vel aderit specialis aliqua circumstantia, qua posita præsumi debeat legem ab aliquo fuisse ignoratam.

487 Inde est, quod ex absentia alicujus ab aliquo loco, in quo lex fuit edita, & promulgata, seu divulgata colligi potest præsumptio ignorantiæ legis, quia benè contingere potest, quod absens ignoret, quæ in loco fiunt, à quo abest, Rota *decis.*136.*n.*3.*part.*3.*recent.* Et ideò ex absentia probatur ignorantia.

488 In mulieribus etiam minoribus, rusticis, rudibus, militibus, & similibus personis admittitur præsumptio ignorantiæ juris. Ratione enim sexus & minoris ætatis præsumitur ignorantia in fœminis & minoribus, Gloss. *in authen.de incestis nupt.in verb.sciens.* Angelus, Alexand. & alii quos sequitur, Rota *decis.*723.*n.*10.*part.*2.*recent.* Idemque ex *l.regula* §.1.*de jur.& fact. ignor.* dixit Rota *decis.*252.*n.*14.*part.*9.*recent.& decis.*82.*n.*12. coram Buratto, Menoch. *præsumpt.*23.*n.*17.*&* 19.*l.*6.& eadem Rota *decis.*634.*n.*8.*par.*1.*recent.*Gratian.*tom.*4. *discept.*704.*n.*16. Quod etiam ignorantia excuset militem habetur *l.*1.*C. de jur. & fac.ignor. & l.regula eod. tit.* Quippè quem arma magis, quam leges scire oportet, Fagnan. *cap.Cum percussio, de Cler.ægrot.n.*10.*& cap. ex parte n.*8. *de regul.ubi n.*10. addit quod jura, quæ dicunt militibus, minoribus, & aliis hujusmodi prodesse juris ignorantiam admittunt duas declarationes. Prima est, ut id valeat solum cùm agitur de excusando illos à pœna, *l.Quis adulterium* §.1.*ff.de adult.& l.qui suprà,C.de incest. nupt.*Gloss.*in cap.& si necessè, de donat.inter vir.& uxor.* Secunda est, ut procedat quando agitur de damno vitando alias secus ex Feder. de sen. *cons.*102.*num.*3. & Bald.*cons.*163.*num.*4.*l.*1.

489 Sed non placet hæc limitatio. Crediderim quidem non semper ignorantiam excusare etiam mulieres, quia nec semper ignorantia excusat. Et quia nec ignorantia excusat, ubi quis potuit, & debuit consulere peritiores, Rota *decis.*3.*de sent.excommun.* coram Mohed. Nam nec ignorantia mulieres, minores, milites, rusticos &c. excusat, si ignorent ea, quæ communiter cognoscunt, qui sunt ejusdem conditionis. Cæterùm si simus in casu in quo ignorantia excusare possit, ut in jure recondito, quod vix doctioribus innotescit, excusabit mulieres, milites &c. etiam si non tractetur de pœna aut damno vitando. Quia ubi requiritur voluntarium ignorantia probabilis tollens voluntarium unumquemque excusat; Unde ubi in præfatis præsumi possit ignorantia probabilis, illa excusabit universaliter.

490 Præsumitur etiam ignorantia in iis, qui succedunt in jure alterius; de facili enim contingit, ut isti jura omnia non sciant earum rerum in quibus succedunt, earumque vel privilegia, vel exemptiones, vel servitutes, vel obligationes, *l.qui in alterius,ff.de reg.jur.* Rota *decis.*324. *num.*16. *tom.*2.*part.*4.*recent.& decis.*25.*n.*14.*part.*6. nisi quod dicitur ignorari sit notorium, Tuscus *lit. I, conclus.*18.*num.*2.*&* 3.

491 Quando etiam aliquis operatur contra legem palam, & publicè ignorantia præsumitur, cùm non sit verisimile, quod quis palam, & publicè legem transgrediatur, & se manifestè pœnæ legis submittat, ut ex Imol. *in Clem.*4. & Vital.*ibid.de consangu.*probat Grat.*tom.*4.*discep.*631.*n.*12.

492 Secunda regula generalis est, quod ignorantia facti præsumitur nisi scientia probetur, *reg.art.*47. *de reg.jur. in* 6.& juxta notata per Bart. *in l. Si quis patrem in fin. ff. ad maced.* Rotam *decis.*250.*n.*8.*& decis.*499.*& decis.*98.*num.*6. coram Seraph.*& decis.*10.*num.*5.*& decis.*377.*num.*4.coram Mohed. *& decis.*499.*num.*11.coram Coccino, D.Anton. 1.*p. tit.*20. *v. ignorantia*. Et ideò quod ignorantia facti nemini præjudicet, dixit Pasqual. *decis.*353.*num.*4. Maximè verò præsumitur ignorantia facti ubi simus in facto antiquo, ut adnotavit Puteus *l.*3.*decis.*207.*num.*1. faciliter quoque intrincatorum, & difficilium ignorantia in quolibet præsumitur, nisi ignorans requisitus fuit, ut inquireret, Tuscus *lit.D, conclus.*15.*num.*4. Item faciliùs præsumitur ignorantia si factum sit alienum, cùm facilè sit unumquemque aliena facta ignorare, *l.si procuratorem,* §.*si ignorantes,ff.mandat.* Rota *decis.*77.*num.*1.*part.*3.*recent.* Ideò facti alieni ignorantia præsumitur, *l.verius,ff.de probat.* Din. *in cap.Præsumitur,de reg.jur. in* 6. & alii plures quos sequitur Rota *decis.*4. *num.*8. *part.*9.*recent.& decis.*312.*num.*6. coram Penna. Quod præcipuè verum est ad damnum vitandum, Rota *decis.*34.*n.*2. *de probat. in nov.* Et præsertim in eo, qui pluribus negotiis est occupatus, Rota coram Mantica *decis.*27.*num.*9. Quantum autem ex *cap. super hujus tituli*, habetur etiam in Papa potest cadere ignorantia facti, quod etiam animadvertit, Rota *decis.*666.*num.*8.*part.*1.*recent.* Et quod in Principe possit dari ignorantia sui decreti advertit Tuscus *lit.I, conclus.*15. *n.*1. *& n.*2. quod judex ordinarius ignorare præsumitur facta à se ipso. Hanc tamen ignorantiam debere esse invincibilem, ut excuset censuit Rota *decis.*3. *numer.*36. *part.*7.*recent.*sed certè sufficit esse probabilem, nisi invincibilis dicatur ignorantia illius, quod licet potuisset scire, non tamen debuit.

Nihilominus in multis casibus facti ignorantia non excusat, nec præsumitur. Nam primò ignorantia facti proprii non præsumitur, *l.ult.ff.pro suo,leg.Quamquam,ff.ad senat.consult. Vellejan.*Menoch.*præsumpt.*23.*num.*32.*l.*6. Rota *decis.*381.*num.*6.*fin.part.*2. *recent.* Fagnan. *cap.super literis, num.*47.*de renunc.* Ideò ignorantiam facti proprii non posse allegari censuit Rota *decis.*204.*num.*10.*& decis.*239.*num.*11. coram Eminentiss. Othobono. Et inde est etiam quod circa facta aliena, quæ quisque tenetur indagare, & scire ignorantia non præsumitur, Fagnan. *cap. ad Falsariorum num.*10.*de crim.falsi*, Tuscus *lit.I,conclus.*18. *numer.*15. Et propterea in Episcopo non præsumitur ignorantia eorum, quæ fiunt in Diœcesi propter visitationes, quas statutis temporibus obire tenetur, Dec. *cons.*118. *num.*2. Lap. *alleg.*50. quos sequitur Rota *decis.*63.*num.*6. coram Penna. Pariter in eo facti ignorantia non præsumitur, qui tenorem instrumenti habet quod negotium continet cum omnibus suis qualitatibus, *l.non ferendus, ff.de transact.* Bartol. *in l. Cùm hæres,ff.de lib.leg.*Surdus *cons.*250.*num.*30. Rota *decis.*90. *numer.*13.*tom.*2.*part.*4.*recent.* Sic neque eorum, quæ spectant ad plurium interesse, ut suprà dicebatur præsumitur ignorantia, Rota *decis.*1459. *n.*14. coram Seraphino. In vendente quoque ignorantia rei venditæ non præsumitur, prout probavit Rota *decis.*180.*n.*3. coram Millino. 493

In illis autem casibus in quibus ignorantia præsumitur non valet hujusmodi præsumptio in foro externo, nisi allegetur, Fagnan. *cap. significatum num.*2. *de regular.* Aliàs verò præsumptio scientiæ non est juris, & de jure, ut non admittat probationem in contrarium. Propterea, quod in dubio admittatur probatio ignorantiæ dixit Panormit. *cap.*2.*num.*9.*de constitut.* 494

Quando igitur aliquis intentionem suam fundat in ignorantia, eam probare debet. Neque enim de facili creditur alleganti ignorantiam, Panormitan. *cap.*1.*num. de postulat.* sed illam probare debet, sive verè, sive præsumptivè, Felin. *cap.Negligenti col.*2. *de præscript.* Seraphinus *decis.*916. *num.*11. & quidem plenè probanda est, Rota *decis.*342. *num.*2.*part.*2.*recent.* ubi *num.*3. quod ignorantia debet esse probabilis & justa, & quod ad ignorantiam probandum non sufficit generalis præsumptio *ex regula præsumitur*, *de reg.jur.in* 6. dum contrariis conjecturis eliditur, quia stantibus conjecturis scientiæ, ignorantia non est probabilis, Bartol. *in leg.si cui*, §.1.*num.*3.*ff.de accusat.* Et quod sufficiat hujusmodi conjecturas esse remotas, & quod sola conjunctio sanguinis sufficiat ad hoc ut ignorantia non sit omninò probabilis, dixit Rota *decis.*238.*num.*20.*part.*8.*recent.* 495

Et ideò quando ignorantia non est verisimilis præsumitur scientia, unde probatio dicitur vera, & non præsumpta, Rota *decis.*156.*num.*15. *part.*8. *recent.* Quæ pluribus citatis latè probat Rubeus in Annot. *ad decis.*3.*num.*68. *& sequent. ibid. num.*70.*&* 71. quod ignorantia non dicitur excusabilis quando quis habuit notitiam in genere, & tenebatur investigare. Nam & quilibet tenetur quærere jura sua, *& num.*85. advertit, quod quando dicitur, quod fundans intentionem suam super ignorantia debet illam probare non ex sola præsumptione generali, & non solis præsumptivis probationibus, sed plenis, id intelligitur, si afferatur una sola præsumptio, vel conjectura, vel plures debiles, & imperfectæ, secus si plures concurrant efficaces, & perfectæ, nam tunc probatio non dicitur præsumptiva, sed vera, & concludens Rota in Civitat. Castelli bonorum 18. 496

Mar-

Martii 1611. coram Carlin. Morquemon. *seu decis.*336. *num.*4. *part.*1. *recent.* & in Oscen. Arcludiacon. 10. Junii 1602. coram Lancelloto. Quia nec incogniti juris est asserere, quod cumulatis præsumptionibus, & conjecturis simul junctis oriatur plenissima ignorantiæ præsumptio & omnibus numeris absoluta.

498 Verum considerandum, quod cùm ignorantia sit quid privativum ejus directa probatio, si non impossibilis juxta legem, Azor. *C. de probat.* difficillima tamen erit, ut adnotavit idem Rubeus *numer.*88. ex pluribus relatis à Francis. Vivian. *decis. Baren.*505. *num.*21. *l.*2. Osasch. *decis. Pedemont.*101. *num.*24. & Costa *de juris, & facti ignorantia inspect.*84. *num.*1. Unde est, quod judex nequit in istis casibus mordicus insistere requirendo liquidissimam aliquam probationem, cùm non debeat evidentiam prætendere in rebus difficillimæ probationis, sed satis est humana certitudo per Sotum *l.*3. *de just. & jur. q.*4. *art.*3. *vers. supersunt autem.*

499 Admittenda igitur est probatio ignorantiæ in dubio, Gloss. *hic in 6. notab.* Panurmit. *cap.*2. *de constitut. num.*9. & ibi Felin. *num.*10. Silvest. *v. lex. qu.*7. Et ideò audiendus est, qui ignorantiam vult probare, *cap.*2. *de constit.* Silvest. *v. ignorantia num.*13. Tabien. *num.*4. Armill. *num.*8. Et in genere loquendo probatur juramento ejus, qui se ignorare dicit, cùm sit quid existens in mente, & inter cordis penetralia latens, Gloss. *cap. Si verò, el 2. de sent. excommun. ver. propria*, Navarr. *cons.*1. *de constitut. num.*6. & 7. *in* 1. *edit.* Covar. 2. *var. cap.*19. *num.*1. *ver.*3. *admittenda est*, Mascard. *de probat. conclus.*831. *num.*1. Rota *decis.*19. *num.*3. *de dolo in nov.* & *decis.*621. *num.*4. *part.*1. Panurmit. ubi suprà, & *cap. Innotuit*, *num.*22. *de elect.* Tabien. *v. ignorantia nu.*4. Reverendissimus Fagoan. *cap. Nobis num.*78. *de simonia*, Rubeus ubi suprà *num.*68. Sanchez *de matrim. l.*9. *disput.*32. *num.*5. Quod tamen verum esse admittitur, ubi aliundè ex aliis præsumptionibus non probetur scientia, tunc enim non sufficit juramentum ad probandam ignorantiam, quod Castro *l.*2. *de leg. pœnal. cap.*14. intelligit, quando conjecturæ essent nimis evidentes, ut rem ipsam quasi indice demonstrare viderentur. Non enim facilè credendum est, adeò quempiam esse suæ salutis immemorem, ut pejerare velit. Sic enim, & Covarr. *reg. possessor.* 3. *part.* §. 4. *ver.*10. ait non satis esse juramentum dicentis se ignorare, quando adversus eum esset magna juris præsumptio ex longi temporis præscriptione, Sanchez ubi suprà.

500 Verùm arbitrarium esse, an judex admittere possit juramentum tanquam sufficiens ad probandam ignorantiam dixerunt Panormitan. *cap.*2. *num.*9. *de constitut.* & ibi Felin. *num.*12. Dec. *num.*18. ubi quod hæc probatio non debet admitti, nisi in subsidium defectus alterius probationis, Bero. *ibid. num.*54. Card. *in Clem.*1. *qu.*8. *de consanguin.* & *in Clem.* 1. *in fin. de pœnit.* Menochius *de arbit. lib.*2. *cent.*2. *casu* 186 *num.*6.

501 Sed omninò puto distinguendum esse inter ignorantiam juris, & ignorantiam facti. Nam de ignorantia juris sufficienter juxta morem curiæ promulgati loquendo, quamvis ignorantiam juris promulgati juramento affirmaverint Gloss. *cap. Proposuisti v. non probatur ad fin. distinct.*82. & *cap. Qui & humanis in fin.*12. *quæst.*2. Nihilominus dicendum est potius præsumi scientiam legis promulgatæ, nisi ignorantia aliundè probetur, Innoc. *cap.*2. *numer.*1. *de constitut.* Vehemens enim conjectura scientiæ legis est legis promulgatio, Sanchez *d. disput.*32. *num.*5. Probatur verò ignorantia juris, probata absentia à loco promulgationis, vel divulgationis ipsius legis, vel ex alia consimili causa, ex qua etiam elidatur præsumptio scientiæ, & quæ justam ignorantiæ causam præstare solet, Bald. *cap.*2. *de constitut.* & ibi Panormitanus *num.*10. Felin. *numer.*19. Dec. *in fin.* Berous *num.*54. Sicut probaretur justa ignorantia, si probaretur ætas infantiæ, quoniam illa, quidquid videt, ignorat, *l.*1. §. *impuberes*, *Cod. de falsa monet.* Menoch. *d. casu* 186. *num.*16. D. Anton. *part.*1. *tit.*20. *v. ignorantia.* Cæterùm non tam facilè dari potest casus, in quo per solum juramentum probari possit juris promulgati ignorantia post tempus à jure statutum, ad hoc ut jus censeatur devenisse in notitiam subditorum. Juramento quoque fieri ut ignorantia non præsumatur affectata advertit Tabien. *v. ignorantia n.*4.

Faciliùs verò admitti debet juramentum ad probandam ignorantiam facti: quamvis neque hæc probatio admitti debeat, nisi deficiente alia probatione, *l.*2. §. *Divus el* 1. *de jure Fisci*, & tradunt DD. *ad cap.*2. *de probat.* Tabien. *v. ignorantia n.*4. 502

Alios autem casus in quibus ad probandam ignorantiam non sufficit juramentum numerat Menoch. videndus *d. casu* 186. Nimirum quando allegatæ ignorantiæ adversatur aliqua juris præsumptio, ut quia factum sit publicum, & notorium. Quod fortius procedit, si præsumptio sit juris, & de jure, ut probat Felin. *d. cap.*2. *de constitut. num.* 12. Rom. *cons.*481. *num.*10. Et idem est, si adsit vehemens suspicio. Et fortiùs dicendum est, si per adversarium probata sit scientia. Tunc enim cessat assertio ignorantiæ, cùm probata est scientia, Rota *decis.*233. *num.*3. & 238. *n.*4. *tom.*2. *part.*4. *recent.* Tabien. *v. ignorantia n.*4. ubi lex, vel factum est publicè notum. 503

Secundò non esse admittendam probationem juramenti solius, quando agitur de præjudicio tertii, Felin. *d.*2. *num.* 34. Dec. *propè finem*, Tabien. *v. ignorantia num.*4. Nisi vel adsit simul alia præsumptio, vel præjudicium sit leve, Panurm. *cap. Quosdam in fin. de præsumpt.* Berous *d. c.*2. *de constit. in fin.* 504

Tertiò multi DD. idem dicendum arbitrati sunt, ubi statutum prohibet allegare ignorantiam, Tabien. *ver. ignorantia num.*4. Verùm si daretur tale statutum omninò intelligendum esset de ignorantia crassa, quia aliàs esset iniquum, & legi naturali, & divinæ adversaretur, quæ excusationem justæ ignorantiæ admittit, ut latè probat Menoch. *citatus v. & seq.* 505

Quartò non sufficit juramentum ad probandam ignorantiam, & ejus justitiam, Felin. *d. cap.*2. *de constit. num.*16. justitia enim ignorantiæ, & actus eam justificantes non consistit in animo allegantis ignorantiam, sed externi sunt, & probari debent suis probationibus, Felin. *d. n.*16. Card. *cons.*4. & *cons.*36. 506

Nedum ergo juramento sed aliis probationibus probatur ignorantia etiam conjecturis, Gratian. *discept.*118. *numer.* 13. Sed & scientia conjecturis probatur, & ex qualitate personæ, v. g. si sit jurisperita, ex conjunctione sanguinis, ex simul cohabitatione, & ex rei notorietate simul sumptis probari scientiam concludenter, quamvis singula non sufficerent, censit Rota *decis.*25. *n.*24. *part.*9. *recent.* 507

In dubio autem ubi omnibus ponderatis remaneret dubium, an sit potius ignorantia, quàm scientia, ignorantiam præsumendam esse, quia ignorantia præsumitur, ubi scientia non probatur, tradiderunt Gratian. *discept.*35. *num.* 41. Rota *decis.*181. *num.*7. *part.*7. *recent.* Et quia in dubio ignorantia non dolus præsumitur, Salleles *l.*5. *cap.*7. *reg.* 418. *num.*99. *ex S. August. lag.*1. *de Trinit.* Quod in delictis rectè procedit, sed in materia justitiæ multa considerare deberet judex, & maximè quod in dubio tutior est pars possidentis. Unde verè sic est, quod in hujusmodi casibus prudens arbitrium judicis decernere debet. 508

Tandem verò advertitur, quod ubi ignorantia præsumitur, transfertur onus probandi scientiam in adversarium, ut advertit Rota *decis.*916. *n.*10. & 12. coram Seraph. D. Anton. *part.*1. *tit.*20. *v. ignorantia.* 509

DE CONSTITUTIONIBUS.

Cap. Ut animarum II. §. Statuto.

SUMMARIUM.

510 *Episcopus non potest aliquid statuere contra jus Pontificium, & immunitatem, & privilegia.*
511 *Episcopus statuta condere potest.* 512.
513 *Etiam ligantia laices.*
514 *Episcopus etiam in Synedo potest edere statuta sine consensu Cleri, licet non sine consilio Capituli.*
515 *Consuetudine præscribi posset, ut Episcopus edat statuta sine consilio Capituli.*
516 *Statuta Episcopi synodalia sunt perpetua.*
517 *Episcopus extra synodum edit statuta, sed non sunt perpetua nisi fiant de consilio Capituli.*
518 *Legatus Papæ edit statuta perpetua.*
519 *Potius servandum jus commune, quàm statutum Episcopi.*
520 *Statutum etiam contra futura delicta pœnas statuit.*
In dubio verba statuti potius intelligi debent ut dent formam futuris negotiis. 520.
521 *Episc. per statutum non potest excommunicare habentem privilegium ut excommunicari non possit.*
522 *Episcopus in loco exempto non erigit tribunal.*
523 *Episcopus extra Diœcesim non potest ligare: Hoc quadrupliciter exponitur.*
524 *Statutum Episcopi non ligat existentes extra territorium.*
Contra absentem fertur sententia ab homine. 524.
525 *Territorium quid sit.*
Prælati exempti habent territorium. 525.
526 *Duæ negationes non semper affirmant.*

510 POnitur in hoc §.2. regula principalis, quæ est, quod subditus Episcopi existens extra territorium non ligatur ejusdem Episcopi statuto.

511 Hic igitur supponitur Episcopum posse condere statuta etiam pœnalia, Gloss. Archid. *num.*1. Ancharanus *num.*9. Dom. *num.*6. Franc. §. *statute numer.*5. Barbosa *numer.*15. Crot. *num.*3. Mars. *num.*8. Gom. *num.*50. Quamvis enim, ut hic habent Anchar. *num.*9. Franch. §. *statute num.*7. Domin. *num.*25. Episcopus non possit ferre leges aut statuta contra jus Divinum, aut Canonicum, *cap. institutionis* 25. *quæst.*2. *& cap. cum simus* 9. *quæst.*3. *Clem. Ne Romani, de elect.* alioquin posset puniri, *cap. Denique §. fin. dist.*4. *Clem.*1. *de ætat. & qualit.* Martinez 1.2. *quæst.*90. *art.*3. *dub.*2. §. *secundo sequitur*, Et posset dici perjurus, Panormitan. *in cap. Ego N. num.*3. *de jure jur.* & quidquid statueret contra Canones esset nullum, *cap. quod super, de major. & obed.* & ibi Felin. *num.* 12. Panormitan. *in cap. fin. num.*9. *de consuet.* Dec. *in rubr.*2. *de constitut. in fin.* Gratian. *discept. forens. cap.*894. *numer.*14. *&* 15. Rochus de Curte, Henriq. Bott. de Synodo, Angujan. Alzed. Lotter. Sperell. Ugolin. Marta, quos sequitur Barbosa *de off. Episcop. alleg.*93. *num.*20. Piasec. *in praxi part.*2. *cap.*1. *art.*2. *num.*2. Ciarlin. *controv. forens. cap.*61. *num.*27. Unde non valeret statutum, quod non posset appellari à sententia sua, *cap. venientes de jure jur.* Bal. *in cap. Cum omnes, de constitut.* Ancharanus *cap. Canonum statuta quæst.*11. *eod. tit.* Feder. de senis *cons.*17. Quem sequitur Ancharanus *hic n.*9. Sicut nec potest statuere contraria legibus Pontificiis, *cap. omnia* 25. *quæst.*1. *cap. Cum inferior. de major. & obedient. cap. Venientes, de jure jurand. Clem. Ne Romani, de elect.* Quemadmodum nec contra statuta confirmata à Papa cum præcepto speciali, ut observentur, ita quod statutum jam censeri debeat Papale, Seraphin. *decis.*538. *num.*1. ex Felin. *in cap. Cum accessissent num.*4. *de constitut.* & Dec. *ibid. num.* 3. Neque contra immunitatem Ecclesiæ, unde nec quantum ad propriam personam posset renuntiare libertati in favorem totius cleri inductæ, nec aliquem ex Clero suo potest subiicere jurisdictioni laicali, *cap. Decernimus, de judic.* Item nec potest privilegiis concessis à Sede Apostolica derogare, vel contra ea aliquid statuere, *cap. Verba nobis, de locato.* Item neque contra consuetudinem generalem legitimè præscriptam, quæ vim habet legis generalis *l. de quibus, ff. de legibus, §. sine scripto Inst. de jure nat. cap. consuetudo dist.*1.

512 Nihilominus Episcopi, & alii inferiores Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem, & universalem habentes statuta condere possunt, tum jus naturale, aut commune declarando; tum vel addendo pœnam contra transgressores juris naturalis, aut communis, vel pœnam à communi jure statutam augendo, *ut cap.*1. *de locato.* Tum circa materiam indifferentem, quæ est præter jus naturale, aut commune præcipiendo, & prohibendo etiam sub gravibus pœnis, *cap. prodest* 23. *qu.*5. Et sic conformiter ad jus commune ad bonum commune promovendum, & vitanda scandala possunt statuta edere, *cap. Catholica* 11. *dist. cap.*1. *juncta gloss. v. generaliter, de consecrat. dist.*3. *cap.*2. *de major. & obedient.* & in præsenti Decretali, ubi DD. supracitati, & Panormitan. *in cap.*2. *de major. & obed.* & docent Canonistæ communiter *ad cap. cum omnes, & cum accessissent supra de constitut.* Ubi Panormitan. Decius, & Hostien. Silvest. *v. lex quæst.*4. & ibi alii Summistæ Suarez *l.*4. *de legibus cap.*4. Barbosa *de off. & potest. Episcopi allegat.*93. *n.*23. & plures alii apud illum, Ciarlin. *controv. forens. cap.* 61. *n.*8. Piasec. *part.*2. *art.*2. *n.*1.

513 An verò Episcopus suo statuto possit obligare laicos, Gomez *num.*32. existimat, quod textus iste intelligi debeat de Clericis, & quod ex eo non possit colligi, quod Episcopus possit statuere contra Laicos, & ideò *num.*33. ait, quod Episcopus in foro contentioso non potest ligare Laicum ad peccatum per suum statutum, nisi ob negligentiam judicis sæcularis, vel nisi in foro conscientiæ, qui non circumscribitur loco. Sed dicitur quod Papa, & Episcopi, qui dati sunt pastores ut oves Christi ducant ad caulas Paradisi possunt statuere contra Laicos ad exclusionem eorum, quæ impediunt à consecutione vitæ æternæ, & ideò ad exclusionem peccati, & eorum quæ Divinum cultum aut salutem animarum impedire possunt, *cap. Novit. de Iudic.* Dom. & Franc. Mars. *num.*8. Neque obstat quod potestas Laica, & Ecclesiastica sint diversæ, quia benè stat, quod idem sit materia diversarum potestatum. Et sic Laici Principis est excludere peccatum, ut est malum naturale contrarium publicæ paci, & humanæ tranquillitati. Sed & Prælati Ecclesiastici est attendere, ne per peccatum salus æterna impediatur, Panormitanus *cap. penult. num.*5. *de consuetudin.* Nec verum est, quod hic textus loquatur solùm de Clericis, quia loquitur absolutè de statuto Episcopi in ordine ad quoscumque, quos ligare possit.

514 Duplicis verò generis sunt leges seu statuta Episcopalia. Alia enim sunt edita in Synodo Diœcesana, & alia extra Synodum. Tenentur enim Episcopi singulis annis Synodos habere ex decreto Concilium Trident. *sess.*24. *cap.*2. Quamvis verò Episcopi teneantur ad sumendum consilium Capituli pro statutis condendis, tamen non tenentur ad habendum ejus consensum, & sic accepto Capituli, seu Cleri consilio in Synodo, potest Episcopus contra id, quod judicavit major pars decernere, & statuere, & ejus statuto stari debet, prout declaravit Sac. Congreg. Concilii apud Quarantam, *v. Synodus Diœcesana*, & Piasecium *part.*2. *art.*2. *num.*8. sub his verbis: *Illustriss. & Reverendiss. D. uti Frater. Sacra Congreg. Illustriss. PP. qui Trident. Conc. interpretando a S. D. N. præfecti sunt, per libellum Amplit. suæ nomine porrectum consulta respondit, eamdem Amplit. tuam in Synodo Diœcesana facere posse constitutiones absq; consensu, & approbatione Cleri, debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus à jure expressis, non obstante, quod ex forma Rom. Pontif. in celebranda Diœcesana, & Provinciali Synodo expresse habeatur, ut constitutiones in Synodo publicandæ à Patribus per verbum* placet *confirmentur, cui Congreg. sententiæ Amplitudo tua inhærens in suam Synodum noviter peragendam incumbat, & benè valeat in Domino, quem ut illi, in hujusmodi Pastoralibus ac salutaribus muniis sua gratia semper adsit, ex animo rogamus. Romæ die* 17.

Apri-

Aprilis 1592. Et hæc fuit etiam sententia antiquorum Canonistarum. Quod enim in edendis statutis Episcopus teneatur adhibere consilium Capituli, habetur ex Alex. III. *in c. Quinto* 5. *de iis, quæ fiunt à Præl.* & docuerunt ibi Panorm. *num.* 4. Jo. Andr. & Anchar. in superiori *cap.* Hostien. *in cap. fin. de his, quæ fiunt à majori parte Cap.* Rota *decis.* 615. *p.* 1. diversorum, & coram Verall. *decis.* 305. *par.* 1. Et iterum Panorm. *in cap. At si Cler.* §. *De adulteriis n.* 17. *de jud. & in c.* 1. *num.* 3. *de capell. Monach.* Archid. suprà *cap.* 1. *nu.* 13. *in hoc tit.* Felin. *cap. quod super his de major. & obed.* Barbosa *de off. Epis. all.* 93. *nu.* 24. Ciarlin. *controvers. for. cap.* 61. *num.* 12. Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 2. *num.* 5. Et ita solus Episcopus in Synodo habet votum decisivum Sanchez *l.* 8. *de matr. disp.* 17. *num.* 33. latè hoc probans. Barbosa *de off. Epis. all.* 24. *num.* 3. Quem sequitur Ciarl. *d. cap.* 61. *num.* 12. verè enim solus Episcopus est legislator in Synodo, & cæteri illi assistunt ut consultores.

515 Ex eodem verò Hostien. *in summ. de his, quæ fiunt à Præl. num.* 2. arbitratur Piasec. *d. art.* 2. *num.* 8. quod si adesset consuetudo in contrarium, esset irrationabilis, nec tenenda, quia nimirum Capitulum posset allegare causas, ex quibus Episcopus moveretur ad sequendum meliores rationes pro expeditione. Sed non ita de facili improbandæ sunt consuetudines. Et antequam per jus positivum fuisset ordinatum, ut Episcopus statuta non ederet sine consilio, id facere poterat sine aliqua culpa; unde id facere nec est peccatum, nec nutrivum peccati, & per novam legem posset id licere, ideò etiam consuetudine posset præscribi. Crotus *hic n.* 4.

516 Hujusmodi verò statuta edita in Synodo Diœcesana esse perpetua, nec deficere mortuo Episcopo, habetur ex Gloss. *hic in ver. statuto Episc.* & advertit Barbosa *num.* 16. *& de offic. Episcop. allegat.* 93. *num.* 24. Et de his statutis intelligitur antiquorum DD. sententia *in cap. fin. de off. Deleg. & in hoc cap. asserentium*, Episcopum posse edere perpetua statuta, quod & voluit Franc. *hic num.* 6. Bartol. Ugol. & Fusch. quos refert, & sequitur Ciarl. *d. cap.* 61. *num.* 6.

517 Verùm etiam extra Synodum potest Episcopus leges condere, & statuta facere, Suarez *lib.* 4. *de leg. cap.* 5. *num.* 2. Martinez *p.* 2. *quæst.* 90. *art.* 2. *dub.* 2. §. *Tertio sequitur*, Vasquez *p.* 2. *disput.* 153. *cap.* 2. Bonac. *de leg. d.* 1. *quæst.* 1. *p.* 2. *num.* 5. Qui DD. tenent absolutè Episcopum posse leges hujusmodi condere etiam sine consilio Capituli. Quod tamen limitat, & explicat Ciarlin. *d. cap.* 61. *num.* 12. ut sit verum non de statutis Synodalibus, sed de editis, vel bannimentis, & cridis Episcoporum, quæ fiunt extra Synodum, quæ quidem non continent statuta perpetua, sed quæ morte Episcopi evanescunt. Nam certè Episcopi sunt in hac possessione promulgandi edita, & ordinationes suo tempore duraturas irrequisito Capitulo & Clero. Et sic hujusmodi leges, si fiant accepto consilio Capituli, erunt perpetuæ, etiam si fiant extra Synodum. Non enim ligantur Episcopi ad non edendas leges nisi in Synodo; quatenus verò non possint eas edere sine Capituli consilio, si hoc consilium adhibeat, jam non est, unde dicatur eas non esse perpetuas. Usus verò habet, ut etiam sine consilio Capituli statuta edant Episcopi, sed ipsa non sunt perpetua, sed cum vita Episcopi desinunt obligare. Si verò Episcopus Capituli consilium accipiat, poterit nihilominus eo invito, seu contra ejus votum statuta edere, cùm non teneatur consensum Capituli obtinere, seu solùm ejus consilium petere, & audire. Crotus *n.* 5.

518 Legatum etiam Papæ posse condere statuta perpetua latè probat Marscotus *n.* 53. *&* 54.

519 Quod verò hic habet Barbosa *num.* 15. scilicet, quod statuta Episcopi, si sint confirmata per Pontificem, debeant magis observari, quàm jus commune, in proprietate sermonis non est verum, quidquid in contrarium dixerint DD. ab eo citati. Nam vel statutum Episcopi confirmatum à Papa est contra jus commune, vel non; si sit contra jus commune, illud est servandum, & non jus commune, quia tunc jus commune non obligat, sed constitutio Pontificia derogans tunc juri communi est servanda. Si verò statutum non est contra jus commune, utrumque est servandum, cùm possit utrumque servari. Ubi verò concurrant statutum Episcopi etiam confirmatum à Papa, & jus commune in casu in quo Papæ confirmatio juri communi non derogat, jus commune est servandum, & sic ubi jus commune viget, magis est servandum, quàm statutum Episcopi etiam per Papam confirmatum.

Sic igitur cùm Episcopus possit edere statuta, datur in 520
textu exemplum de Episcopo statuente, ut si quis furtum fecerit, sit excommunicatus. In quo duo adnotantur; Primum ex Gloss. quod licèt per sententiam non possit quis excommunicari vel puniri pro futuro delicto, benè tamen hoc fieri potest per modum statuti; sic enim de facto Pontifices, & Prælati præcipiunt, ne aliquid fiat sub pœna excommunicationis etiam ipso facto, & jure incurrendæ. Secundum ex Dominico *num.* 25. & Francis. *num.* 9. Mars. *num.* 59. quod in dubio verba statuti potius debent intelligi ut dent formam futuris negotiis, quàm præteritis, *ut in cap.* 2. *suprà de Constitut.* Gloss. *in verb. receperint, & cap.* 1. *infra de Cleric. non resident.* Mars. *num.* 59. Quando tamen statutum loquitur super remissione pœnarum, puta si statutum dicat, quicumque fuerit bannitus solvendo decem liberetur, dubium est, an intelligatur etiam de his, qui solverunt ante factum statutum, & de illis etiam intelligi ex Gloss. *in l. Cum in secunda ff. de injusto testament. in fin.* docet Petrus de Anchar. *hic oppos.* 10. *num.* 9. Sed negat Mars. *num.* 60 post Imolam, & Domin. Potest verò Episcopus statuere, & statuendo prohibere delicta futura, etiam sub pœna excommunicationis. Imò hic distinguunt Archid. *num.* 3. & Franc. §. *statuto num.* 7. inter excommu-
nicationem latam à jure, & ab homine. Nam licèt privi- 521
legiatus, ut non possit excommunicari, non possit excommunicari ab homine, potest tamen excommunicari à jure. Quia nimirum potest statutum ferri sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sub quo statuto comprehendatur etiam, qui aliàs ex privilegio non potest excommunicari. Et sic statuto Episcopi, quo prohibet aliquid sub pœna excommunicationis latæ sententiæ subditur etiam is, qui habet privilegium, ut non possit excommunicari. Et hoc idem voluit Franc. *infra cap. Ne aliqui, de privileg.* Ratio autem, quam affert Archid. est, quia excommunicatio lata per statutum, non est excommunicatio hominis, sed juris; inter has excommunicationes verò distinguit Canon. *cap. Nullus* 3. *quæst.* 4. Verùm cùm sit indubitatum dari plura discrimina inter excommunicationem juris, & hominis, hæc doctrina non applicatur in præsenti. Quia respectu privilegiati pœna illa excommunicationis, cùm sit contra jus privilegii, non est sententia juris, nec est à canone, vel à jure, sed ab homine arrogante sibi contra jus, quod sibi non convenit, sed est prohibitum. Ideò esto Episcopus statuto suo possit obligare exemptum in aliquo casu, & illum punire, si tamen exemptus habet privilegium, ut non possit excommunicari, statutum Episcopi præcipientis sub pœna excommunicationis est nullum quantum ad censuram respectu talis privilegiati, licèt sit validum quantum ad alias pœnas, ut satis expressè habetur infra *in cap.* 1. §. *In eos*, & not. Gloss. *in v. quantum ad ista*, & alii DD. *de privileg.*

Habet verò Episcopus super totam Diœcesim plenam ju- 522
risdictionem, & in quacumque illius parte potest erigere tribunal, & judicium exercere; non tamen in loco exempto, licèt intra confines Diœcesis existente, *cap. Cùm Episcopus, inf. de off. Ordin.* Gloss. *in v. Diœcesim.* Dom. *num.* 10. Barbos. *n.* 17.

Sed extra Diœcesim non habet jurisdictionem, & ligare 523
non potest. Hæc tamen regula quadrupliciter exponitur à Franc. §. *statuto num.* 12. Primò ut referatur ad non subditos, & hoc est clarum, si non subditus sumatur formaliter, ita ut non sit subditus nedum ratione domicilii, sed nec ratione delicti, aut rei existentis in Diœcesi, de quare sermo habendus erit infra *cap.* 1. *de privileg.* & videri potest Innoc. *in cap.* 2. *de dilat.* Secundò potest regula referri ad subditum existentem infra territorium, contra quem suus judex non potest statuere pro re extra territorium existente, *l. Cùm unus* §. *is qui ff. de reb. auct. jud. possid.* Tertiò respectu subditi, qui non potest cogi parere suo judici existenti extra territorium, nisi in casu *Clem.* 1. *de for. competent.* Et ibi per Gloss. *in v. temporalem*. Quartò potest referri ad subditum existentem extra territorium, qui statutis sui judicis non ligatur. Et in hoc quarto sensu loquitur hæc Decretalis.

Unde hæc est regula principalis contenta in secunda 524
parte hujus textus, quod subditus existens extra territorium

non ligatur statutis sui judicis aut superioris ordinarii, Hoc tamen non intelligitur de sententia in particulari à judice lata. Quia sicut de delicto commisso in territorio & existente subdito extra territorium potest cognoscere judex territorii, qui potest etiam citare absentem; ita si ille sit contumax potest à suo judice excommunicari, *cap. cum sit, de appellation.* & ad alias pœnas damnari. Sed regula intelligitur de statuto, & de excommunicatione, aut alia pœna lata per statutum, ut post Innoc. *cap. fin. suprà de foro competent.* & per Jo. Andr. *in reg. Cum sunt partium, infra de reg. jur. & in cap. Romana §. contrahentes inf. de foro compet.* docet Franc. *hic §. statuto num.* 13. Et sic statutum, vel sententia generalis lata per modum statuti illa est, quæ non ligat subditum extra territorium existentem. Sicut patet etiam *in cap. constitutis el p. sup. de testib.* Et *in cap. Ad nostram el 2. suprà de jure jur.* Barb. *hic num.* 9. per Tiraquel. *in l. si unquam, v. revertatur num.* 440. *Cod. de revocan. donat.* Tambur. *de jure Abb. t.* 1. *disput.* 16. *quæst.* 1. *num.* 7. ubi ex Suarez *l.* 4. *de leg. cap.* 8. colligit, & benè, quod nec privilegium extra territorium concedentis suffragatur. Jurisdictio enim adhæret territorio sicut nebula in tota palude, ut per Greg. Cabed. Paris. Curt. & Octav. Glorit. notat idem Barb. *n.* 10.

525 Territorium autem est universitas agrorum infra fines cujusque Civitatis, ex eo dictum, quod magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, idest submovendi jus habet. Gloss. & Jo. Monac. *numer.* 4. Anchar. *numer.* 10. An autem Prælati inferiores Episcopo territorium habeant? Videtur enim quod non habeant *ex cap. Cum contingat, de foro competent.* Et est verum de Prælatis non exemptis. Nam Prælati exempti cum suis subditis territorium habent, ut probat Domin. *num.* 19. per Jo. de Lign. & Greg.

526 Ubi igitur subditi Episcopi extra territorium seu diœcesim existant, transgredi possunt ejus mandatum impunè id est sine pœna, ut explicat Gloss. Habetur autem ex hac textus particula, quod duæ negationes non semper faciunt affirmativam. Quando scilicet referuntur ad diversa, sicut in præsenti dum dicitur non paretur impunè, prima negotio respicit obedientiam, & secunda respicit pœnam, ideò utraque negotio negat, & est sensus, quod non incurrit pœnam, qui extra territorium existens non paret statuto judicis territorii. Jo. Monach. *num.* 5. Anchar. *num.* 5. Domin. *num.* 25. Franc. §. *statuto num.* 12. Probus ad Jo. Mon. *n.* 14. & 15. ubi latè de hac re.

SUMMARIUM.

Quæst. secundæ

ARTICULUS I.

Utrùm indistinctè & universaliter sit verum, quod statutum Episcopi non liget delinquentem extra Diœcesim.

Videtur enim dicendum esse quod omnino liget. Nam 527
Cynus *in l. extra territorium, ff. de jur. omn. gent.* existimans hanc decretalem processisse ex ignorantia Canonistarum, ut ex eo id refert Anchar. *hic numer.* 7. simul vult, quod si statutum Episcopi contineat aliquod jure naturali, divino vel communi prohibitum, liget etiam delinquentem extra Diœcesim. Quod probatur ex *l. Si quis in hoc genus, Cod. de Episcop. & Cleric.* ex qua habetur, quod Laicus de delicto patrato intra Ecclesiam à Laico cognoscit, licèt Ecclesia non sit de territorio Laici. Secundò ex *l. fin. de decret. ab ordine*, ubi morari extra territorium est delictum per statutum introductum, & tamen civis delinquens extra territorium punitur pœna statuti, ut dicitur ibi. Tertiò ex *l. mercatores, Cod. de comer.* Si detur statutum prohibens mercatori exercere mercaturam extra territorium, si mercator non pareat, damnatur pœna statuti. Quartò quia statutum per quod alteratur pœna delicti, de jure communi videtur disponere super qualitate non super substantia, nam substantia est ipsum delictum; facilius autem abjicitur qualitas quàm substantia, *l. in delictis, §. si detracta, ff. de noxa.*

Est ergo hæc prima limitatio per quam limitatur à Cyno dispositio hujus decretalis, ut non habeat locum ubi statutum Episcopi disponit de eo, quod aliàs erat jure naturali, aut divino, aut communi prohibitum, & quod in eo casu statutum liget etiam delinquentem extra Diœcesim; unde si per statutum contra delinquentem sit imposita excommunicatio, sic delinquens sit excommunicatus. Hæc tamen limitatio evidentissimè est contra textum, qui loquitur de statuto imponente excommunicationem contra furtum patrantem, constat verò furtum esse lege naturali prohibitum; & tamen decretalis ista vult quod statutum Episcopi sub pœna excommunicationis non liget furantem extra diœcesim. Quamobrem dicendum est decretalem verificari de omni statuto etiam prohibente sub pœna speciali id, quod aliàs est 528

prohi-

prohibitum alia lege, ita quod delinquens contra statutum nec debeat in eo casu, nec possit puniri pœna statuti. Et v. g. si hæc pœnx sit excommunicatio, talis delinquens ob statuti præfati violationem nec sit, nec declarari possit excommunicatus, Glossa *v. furtum*, Archid. *num.*3. Jo.And. latè *num.*3. Anchar. *num.* 7. Domin. Franc. *num.*14. Barb. *num.* 5. & apud eum Joseph. Peruſ. & Spin. Panorm. *cap. à nobis el p. num.* 11. *de sentent. excomm.* & ibi Felin. *nu.*3. Bonac. *num.* 8. Fagnan. *numer.* 8. Covar. *in cap. Alma mater p.* 1. §. 10. *num.* 3. Suarez *de cens. disput.* 5. *sect.* 4. Bonac. *de cens. disp.*1. *quæst.* 1. *punct.*11. *num.* 6. Greg. Mart. *p.*2. *q.*96. *art.*5. *dub.*6. Palaus *tom.*1. *tract.*3. *disp.*1. *punct.* 24. §.5. *diff.* 5.

529 Ugolin. *de cens. tab.* 1. *cap.* 9. §.3. post Silvest. *v. excomm.* 2. *num.*8. *& 9.* Tab. *v. excomm.*4. *num.* 3. Armill. *num.* 30. Alio modo limitat, & ait dispositionem decretalis hujus habere locum tunc solum cum delictum extra territorium est nedum consumatum, sed etiam inchoatum: ad hoc verò ut absens à territorio subdatur, territorii legibus sufficere, si delictum sit intra territorium inchoatum. Sed meritò rejicitur hæc limitatio. Nam statutum pœnale nisi expresſè imponat pœnam pro inchoatione delicti, seu pro delicto attentato licet non consumato, regulariter & absolutè intelligi debet, ut pœna locum non habeat, nisi delictum sit consumatum, & ita nisi xliud exprimat statutum verbis expressis, non incurritur ejus pœna, nisi pro delicto consumato; & sic consumatio delicti attendi debet, & dici, quod si delictum sit consumatum extra territorium non habet locum pœna statuti.

530 Et propterea si v.g. statutum imponat excommunicationem pro homicidio, si quis vulneret aliquem intra territorium, sed non lethaliter, at verò postea insequens fugientem lethaliter vulneret illum & occidat extra territorium, non est excommunicatus, Silvest. *v. excom.* 2. *num.* 8. Ang. *num.* 10. Suarez *de cens. disput.* 5. *sect.* 4. *num.* 8. *& 9.* Bonac. *de cens. disp.*1. *quæst.* 1. *punct.* 11. *num.* 10. Palaus *tractat.* 3. *disp.* 1. *p.* 24. *num.* 24. Eodem modo si quis virginem decipiens ducat eam extrx diœcesim, & stuprum extra illam perficiat, & consumet non subest pœnæ à sui Episcopi statuto impositæ contra perficiens stuprum. Suarez *num.*9. Bonac. *num.* 10. Palaus *num.* 24. Item si quis existens in diœcesi, & ex ea explodens sclopetum occidat aliquem extra diœcesim existentem, non est excommunicatus, vel subjectus pœnæ statuti municipalis vel propriæ diœcesis. Ita DD. citati, qui & advertunt quod è contra pœnis statuti Episcopi subjicitur delinqnens, si delictum consumat intra territorium, licèt extra illud inchoet, ut si ex loco extrx diœcesim occidat aliquem intra illam existentem. Quæ declarant etiam his aliis exemplis. Nam qui ex Ecclesix occidit aliquem extra Ecclesiam, non subest pœnis occidentis aliquem intra Ecclesiam, quas tamen incurrit, qui ex loco extra Ecclesiam occidit aliquem intra Ecclesiam.

531 Verùm diligenter considerandum est, quod delictum consumari potest dupliciter. Delictum enim ut punibile per statutum Episcopi, aut legis positivæ importat actionem externam; at verò sæpius contingere potest, quod inter actionem, & effectum, quem lex intendit vitare, mediet tempus etiam valdè notabile, & quod actio externa in ratione actionis sit consumata in uno territorio, & non consequatur effectum suum, nisi in alio, sic enim v. g. potest esse quod quis propinet venenum alicui, vel illum lethaliter vulneret in diœcesi Papiensi, & tamen ille moriatur in diœcesi Mediolanensi. Et sic duæ consumationes hic attendi possunt, scilicet consumatio actionis, & passionis externæ, & consumatio per eventum effectus actionis. Utrumque verò attendi debet, sed diversimodè. Nam ad actualem incursum pœnæ requiritur consumatio actionis prohibitæ per eventum effectus, si statutum pœnam imponit pro delicto sic quantum ad effectum consumato; ut si lex imponit Censuram pro homicidio, non est enim aliquis homicida, nisi aliquis ab eo sit in effectu vita privatus. Sed quantum ad obligationem ad pœnam, & ad hoc ut agens subdatur legi, & ex vi illius puniendus sit, si actio effectum consequatur, sufficit, quod actio ipsa externx & passio inductivx effectus sit consumata intra territorium.

532 Sic si ex statuto Episcopi pro homicidio sit imposita excommunicatio, huic statuto & pœnæ subditur, sequuta tamen morte, ut advertit Suarez, quem malè intellectum impugnat Gabriel. à S. Vincentio *de cens. quæst.* 15. *numer.* 166. qui intra diœcesim propinavit venenum alicui, vel illum vulneravit lethaliter, licèt mors sequatur percussore, vel percusso existente extra diœcesim. Gregor. Mart. *p.* 2. *quæst.* 96. *art.* 5. in secunda sententia. Et ubi suprà Suarez *num.* 10. Bonac. *num.* 12. Palaus. Quia punitur agens pro mxla actione, ideò agens quia malam actionem perfecit intra territorium quantum sit ex se ipso completè contempsit territorii legislatorem. Et licèt legislator nolit habere locum pœnam, nisi ad actionem sequatur effectus malus, tamen merè materialiter & accidentaliter se habet, quod effectus hic vel alibi sequatur, dum actio, & passio ratione cujus agens est dignus laude, vel vituperio, præmio, aut pœna consumata fuit intra legislatoris territorium.

533 Sic qui lethaliter vulneravit aliquem intra Ecclesiam subditur pœnæ occidentis intra Ecclesiam, & licèt hanc pœnam non incurrat actu, nisi percussus moriatur, tamen nihil postea interest, quod percussus vel intra, vel extra Ecclesiam occumbat. Sicut econtra, si actio percussionis fuit consumatx extra Ecclesiam, qui percussit non subditur pœnæ occidentis aliquem intra Ecclesiam, etiam si percussus intra Ecclesiam mortuus fuerit.

534 Sed hic alia regula generalis servari debet, quia nimirum ubi id, quod per statutum Episcopi prohibetur, est omissio actionis habendæ intrx Diœcesim, nihil interest considerare ubi sit subditus omittens tempore, quo omittit, sed etiam si sit extra Diœcesim, subditur statuto sui Episcopi, quia intra Diœcesim delinquit, licèt extra diœcesim personaliter existat, quia externa omissio prohibita intra diœcesim est tam physicè, quàm moraliter. Qui enim non facit id, quod debet, ibi non facit, & non censetur facere, ubi facere deberet, *l. Qui non facit ff. de reg. jur.* Ideò Clericus v. g. qui non residet tempore debito, etiam si id contingat illo existente extra Diœcesim, subditur stxtuto Episcopi præcipientis illum residere. Domin. hic *n.*25. Silvest. *v. excom.* 1. *num.*8. Ang. *num.*10. Greg. Mart. *p.* 2. *q.* 96. *n.* 5. *dub.*6. Silvest. *v. excom.* 2. *n.*8. Tabien. *excom.* 4. *num.* 3. Armill. *excom. num.*30. Bassæus *n.* 11. Suarez ubi suprà *n.* 9. Bonac. *n.*11. Palans *num.* 14. Et idem juxta hos DD. dicendum est de eo, qui debet interesse Synodo vel Capitulo, & non interest, & universaliter de omni omissione ejus, quod à subdito intra diœcesim fieri debet ex statuto Episcopi, & non fit; in his enim omnibus casibus omissionis pœna stxtuti incurritur.

535 Alia regula traditur, nimirum, quod statutum Episcopi liget, ubi materia circa quam subditus delinquit est intra diœcesim. Et datur exemplum de beneficiato non residente tempore statuto. Ita Silvest. ubi suprà *num.*9. Txbien. Armill. loco citato, Palaus *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 24. §. 5. Gabriel. à S. Vincentio *de cens. d.* 1. *quæst.* 15. *num.* 168. & alii, Hæc regula est vera, sed gratia materiæ, & non explicat à priori veritatem. Vera enim est, quia ubi mxteria, circa quam est, actio est intra diœcesim, etiam intra erit consumatio actionis. Quod quidem multo facilius contingere potest in omissione, quàm in commissione. Agens enim positivè & physicè non agit in distans; ideò non est tam facilè, quod quis existens extra Diœcesim peccet committendo, & positivè agendo intra illam. Sed qui est ad magnam distantiam potest delinquere omittendo facere in diœcesi, quod aliàs potuisset, & debuisset. Ideò absolutè dicitur, quod semper ubi delictum est omissio ejus, quod fieri deberet in diœcesi, est delictum intrx diœcesim patratum, & subjectum pœnæ statuti Episcopi.

536 Extenditur hoc ab aliquibus, ut idem dicendum sit, si Episcopus statuat, ut quicumque furtum fecerit intra mensem restituere debeat, vel si Episcopus statuat, quod faciens furtum ubicumque, nisi intra mensem à die commissi criminis compareat coram judice delicti, vel coram ipso Episcopo sit excommunicatus. Nam iste furtum faciens ligatur non quia furetur, sed quia non comparuit, quod comparere est factum affirmativum faciendum in territorio statuentis. Nam talis fur per edictum potuit ad id arctari, ut ex *cap. Ex tua, de Cler. non residen.* & facit quod notatur *de rapt. capit.* 1. *& cap. Romana §. contrahentes, de for. compet. in* 6. Ita Silvest. *v. excom.* 2. *num.*8. Palaus ubi suprà *num.*15. Azor. Ang. & Salas. In his enim hæc regula attendi debet, quam ex Butr. *cap. à*

nobis el p. de sentent. excomm. tradidit Domin. *hic num.* 14. ut videtur an Episcopus possit præcipere aliquid, ut faciendum à suo subdito intra ejus diœcesim tali, vel tali tempore. Nam si Episcopus id statuat, subditus omittens subditur pœnæ statuti, ubicumque ille fuerit, quando omittit, quia ubicumque ille sit, non extra sed intra diœcesim peccat, & omittit.

537 Verùm cùm hoc locum habere possit juxta dicenda *artic. sequent.* si delictum sit præteritum. Ut si Episcopus dicat, qui furatus fuit compareat, vel satisfaciat, aliter sit excommunicatus. Et quantum ad comparitionem, ut præceptum de ea obliget, debet jam delictum aliquo modo constare, & taliter, ut delinquens possit vocari ad judicium. Tamen, si ut proponitur in casu isto delictum sit de futuro, non potest Episcopus statuere, ut qui furtum fecerit in aliena diœcesi compareat vel coram se, vel coram alio, vel quod satisfaciat, si furetur sub pœna excommunicationis, si furtum committatur in aliena diœcesi; quia ad illam non se extendit sua jurisdictio, & sicut non potest prohibere sub pœna excomm. suo subdito, quod extra diœcesim non furetur, ita nec potest præcipere, quod si contingat illum furari, debeat comparere coram se, vel alio.

538 Tertiò Decretalem hanc limitavit Bartol. *in l.* 1. *Cod. de sum. Trinit.* ut locum habeat solum, cùm statutum Episcopi disponit simpliciter, non verò quando expressè disponit, & comprehendit subditum extra Diœcesim delinquentem; nam in hoc casu delinquens extra subditur pœnæ ipsius statuti. Et hunc modum dicendi approbat Franc. *num.* 14. eumque sequuti sunt apud Covar. loco citando, Hippol. Alciat. Bassæus, & Alex. & Mar. Socin. *cons.* 302. apud Fag. Sed hæc limitatio communiter rejicitur à Butr. *cap. à nobis el p. de sent. excom. & ibid.* à Panorm. *num.* 8. Domin. *hic num.* 14. & apud eum Jo. de Lig. Sylvest. *v. excom.* 2. *nu.* 7. Covar. *cap. Alma mater p.* 1. §. 10. *num.* 3. & apud eum Angel. Paul. Card. Crottus, Paul. Paris. Bertach. & Rocch. Navar. *cap.* 27. *n.* 273. Suar. *de cens. disp.* 5. *sect.* 5. *n.* 17. *& lib.* 3. *de legibus cap.* 32. *n.* 4. Palaus ubi supra *n.* 18. Et est certum limitationem hanc esse contra textum. Quia quod statutum Episcopi non liget extra diœcesim Bartolus refert in intentionem legislatoris, qui non liget, quia non censetur velle ligare, ex quo expressè non extendit statutum suum, ut comprehendat delinquentem extra. Sed textus hoc resolvit in defectum jurisdictionis, quia nimirum Episcopi jurisdictio non se extendat extra diœcesim, cùm ad terminos diœcesis sit illi concessa.

539 Covarruvias nihilominus conveniens cum Bart. in hoc, quod Episcopus possit statutum edere, quod obliget extra Diœcesim, distinguendo limitat quartò regulam textus, & ait, quod ob bonum provinciæ potest Episcopus condere statutum, quod obliget subditos extra diœcesim existentes, & tunc si lex illa violetur non tam punitur delictum extra commissum, quàm offensa facta per subditum propriæ Civitati seu patriæ, seu diœcesi. Suarez verò arbitratur per hoc non solvi difficultatem eo quod superior præsertim Ecclesiasticus, nedum ob utilitatem publicam, sed etiam ob aliàs justas causas, & etiam ob privatam subditi utilitatem potest illi præcipere, ita ut ubicumque etiam extra diœcesim vel territorium præceptum servare teneatur. Ut v.g. Episcopus potest Sacerdoti subdito suo præcipere ne extra diœcesim celebret. Et Provincialis Regularis potest subdito præcipere sub excommunicatione ut jejunet semel in hebdomada, quod facere tenebitur, etiam si extra provinciam versetur.

540 Quamobrem hæc omnia magis extendens Palaus *tom.* 1. *tractat.* 3. *disput.* 1. *punct.* 24. §. 5. *num.* 21. dispositionem hujus decretalis totaliter enervat, & censet satis probabile esse Episcopum posse ligare lege, & statuto delinquentes in alieno territorio; atque adeò posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibere subditis ubicumque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitione dignam. Probat, quia hæc prohiberi possunt per sententiam, & generale præceptum ex Suarez *d. sec.* 5. & Bonac. *d. p.* 11. *num.* 11. igitur & per statutum. Nam dicere legem adstringi territorio, non verò præceptum, non probatur, & hujus ratio quæritur. Sed & Innocent. *cap. a nobis el p. de sentent. excomm.* sensit, quod si Episcopus statuendo dicat, si quis furatus fuerit, sit excommunicatus, quod statutum hoc liget furtum facientem extra diœcesim.

541 Dicendum nihilominus est, quod Decretalis ista continet dispositionem universalem, & quod Episcopus in hujus decretalis terminis, etiam si velit, non potest condere statutum, quod obliget subditus existentes extra territorium, Panor. *d. cap. à nobis el* 2. *num.* 11. *de sentent. excom. & de for. compet. cap. fin. num.* 40. Domin. *hic num.* 14. Silvest. *v. excomm.* 2. *num.* 7. Tabien. *v. excom.* 4. *num.* 3. Armill. *num.* 30. Barbosa *cap. à nobis el. p. num.* 8. *de sent. excom.* & ibi Fagnan. *n.* 8. Suar. *de cens. disp.* 5. *sec.* 5. *n.* 18. Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 11. *n.* 6. Gabriel. à S. Vincent. *de cens. disp.* 1. *q.* 15. *n.* 166. Bassæus *v. excom.* 2. *n.* 11. Et hoc sine dubio est de mente præsentis decretalis, quæ dispositionem suam ut manifestam proponit ex eo, quod jus dicenti extra territorium impunè non paretur. Nam hoc est per se connaturale legi quæ territoria limitavit, & disposuit jus dicentibus terminos provinciarum, seu civitatum, aut diœcesum, ut eorum jurisdictio intra terminos illos contineatur. Et quidem jurisdictio est super homines, sed tamen limitatè ad terminos territorii, cùm non sit jus dicentibus concessa jurisdictio, nisi pro determinato territorio.

542 Sed hoc idem demonstratur explicata Decretali, quæ primò non loquitur de quocumque statuto, sed de illo, quod respicit futurum delictum, nam sub conditione delicti de futuro imponit pœnam excommunicationis, vel aliam. Dicitur enim in textu, *in omnes, qui furtum commiserint &c.* Et ideò non est h c sermo de sententia, quæ imponit pœnam pro delicto præterito, sed de statuto quod decernit pœnam sub conditione delicti de futuro. Deinde non est sermo in textu, an subditus si delinquat extra territorium possit à judice territorii puniri, vel non puniri pœna juris communis. Unde contra hanc decretalem non est, si Laicus Princeps potest cognoscere de delicto aliàs contra legem naturæ, aut jus civile approbatum etiam ab Ecclesia commisso à suo subdito intra Ecclesiam. Sed hæc decretalis solùm vult, quod delinquens extra Diœcesim non potest puniri pœna statuti pro delicto commisso extra territorium.

543 Ut verò suprà dicebatur, licèt ad incurrendam pœnam sæpius necesse sit, quod delictum sit etiam extrinsecè, & consecutivè terminatum, per consecutionem effectus, tamen quando effectus distinguitur realiter separabiliter à passione, & ad illam consequitur, effectus consecutio non est necessaria ad hoc ut delictum dicatur esse intra, vel extra diœcesim, sed delictum ibi dicitur patratum, ubi ipse motus qui est actio, & passio consumatur, v.g. ubi consumatur emissio sagittæ ex qua patiens postea moritur, vel ubi consumatur propinatio veneni, vel alia similis mala actio. Et sic sensus decretalis est, quod statutum Episcopi non ligat subditum suum delinquentem extra diœcesim, nimirum extra diœcesim sua actione inferentem passionem prohibitam, & ad quam postea vitandam actio fuit prohibita.

544 His stantibus examinantur casus, in quibus videtur posse fieri, ut Episcopus vel alius inferior superior aliàs habens facultatem condendi leges possit edere statutum, quod obliget subditus extra diœcesim existentes. Occurrit autem primò casus mercaturæ, quia potest Princeps, seu superior suis subditis præcipere ne extra territorium mercaturam exerceant. Et de hoc habetur lex mercatores 4. *Cod. de commerc.* in qua Imperat. Honor. & Theod. præceperunt ne aliquis subditus Imperio mercaturam exerceret in regno Persarum ultra Nisibin, Callinicum, & Artaxatam. Sed considerandum, quod ibi non prohibetur mercatura secundùm se, unde ex vi legis illius non fuisset illicitum mercaturam in illo regno exercere per literas, sed prohibitum fuit emendi, vel vendendi causa proficisci ultra illas civitates, ut patet ibi: *Nullus igitur post hac imperio nostro subjectus ultra Nisibin, Callinicum, & Artaxata emendi, seu vendendi species causa proficisci audeat &c.* Et hoc factum fuit, *Ne alieni regni (quod non convenit) scrutentur arcana.* Quamobrem ex hujus legis vi illi, qui ob aliam causam existebat in regno Persarum, seu per illud transibat non fuisset illicitum emere, & vendere, & mercaturam exercere, quia prohibitum fuit proficisci emendi, & vendendi causa, & hoc nè occasione ista euntes ad illud regnum scrutarentur ejusdem arcana, non verò directè prohibita fuit mercatura. Verùm quando præcipitur ne aliquis subditus exeat à territorio, tota hæc actio consumatur intra territorium; lex enim ista est negativa, &

com-

completur per non existentiam, & perseverantiam subditi intra territorium; & licèt finis prohibitionis sit, ne subditus accedat ad hoc, vel illud territorium alterius; tamen quod directè præcipitur, est non exitus à proprio territorio, & ita tota hæc actio intra territorium consumatur, si subditus à territorio exeat. Cæterùm negatur, quod possit superior unius territorii absolutè præcipere suo subdito, ut si contingat illum esse extra territorium non possit ibi emere, & vendere, vel mercaturam exercere, licèt prohibere possit, ne exeat, ut mercaturam exerceat.

545 At ex Roman. *sing.* 516. urget Palaus *num.* 16. Quia mercatura exercita extra territorium potest esse in damnum territorii; potest igitur superior territorii prohibere suo subdito ne mercaturam exerceat extra territorium. Verum & hic est considerandum, quod mercatura de se est res indifferens, & non potest esse causa damni nisi ex aliqua circumstantia. Duo autem sunt in mercatura, scilicet emere, & vendere, & sic introducere, vel extrahere res à proprio territorio. Potest igitur superior territorii præcipere suis subditis ne res alterius territorii emant & introducant intra territorium, vel ne res proprii territorii extrahant. Sed utraque harum actionum intra territorium consumatur. Nam & in extractione adest privatio rei ad territorium spectantis, per quam territorium re propria privatur, eaque caret; & sic extractio est actio, quæ intra territorium etiam physicè consumatur.

546 Sic in *l. Nemo* 2. *Cod. Quæ res exportari non debeant* præcipitur ne arma vendantur Barbaris. Verum neque hoc absolutè, & omnino in quocumque casu ibi prohibetur. Sed prohibentur vendi arma intra civitates, & loca imperii, & eadem prohibentur distrahi, ut patet ibi: *Nulla prorsus eisdem tela, nihil penitus ferri vel factis jam, vel adhuc infectis, ab aliquo distrahatur*. Est verò certum quod intra territorium vendere arma in territorio existentia est actio quæ intra territorium habetur. Sicut & armorum extractio intra territorium consumatur, quia intra territorium non est, quod extrahitur. Sed si aliquis subditus imperio Romano existens in territorio Barbarorum illis sua arma non ad hunc finem extracta vendidisset, non incidisset in pœnam illius legis, quæ non prohibebat, nisi vendere arma Barbaris in locis Imperii, & illa extrahere. Sicut verò potest superior statuere ne res territorii extrahantur, ita potest statuere, ne subditi ad hunc vel illum effectum in damnum reipublicæ exeant à territorio, vel ne morentur extra territorium. Quamvis nec verum sit, quod ex *l. fin. ff. de decretis ab ordine* &c. relatum fuit suprà *num.* 527. pro opinione Cyni, scilicet quod in ea lege puniatur qui moratur extra territorium. Nam nihil ibi de hoc puncto, sed damnatur judex, qui extra synedrium judicaverit.

547 Pariter in *l. Romanæ gentis*, 2. *C. de Eunuchis* Leo Imperat. prohibuit vendi Eunuchos Romanæ gentis etiam in Barbaro solo Eunuchos factos. Sed nihil est in hac lege, quod territorii terminos respiciat, sed absolutè prohibetur ne Eunuchi Romanæ gentis vendantur, unde prohibitum fuit eos vendere intra territorium, & etiam ipsis subditis ad territorium spectantibus. Unde ex illa lege nihil pro vel contra resolutionem nostræ quæstionis habetur.

548 Palaus *d. num.* 16. citat *l. final. C. de pœnis*, tamquam per illam disponatur ne scientia subjiciendarum navium hostibus communicetur. Sed nihil de hac re in *l. fin.* habetur. Benè in *l. penult.* quæ est 25. pœna capitalis imponitur, *His quis conficiendi naves incognitam ante peritiam barbaris tradiderint*. Sed neque in hac lege expressè prohibetur aliqua actio ut habita extra territorium. Nihilominus posset prohiberi, ne subditus extra territorium aliquam incognitam artem doceat. Ut v.g. si sit in aliqua civitate ars aliqua propria illius civitatis, ex qua lucrum non modicum Civitati proveniat, posset Superior Civitatis prohibere, ne aliquis subditus artem illam extra Civitatem exerceret, seu aliquem exterum illam artem doceret. Et sic videtur vera sententia Covar. quod ob bonum commune patriæ possit Superior statuere aliquid, ut non faciendum extra patriam per statutum, quod liget subditos extra patriam existentes.

549 Sed si hæc ratio valet, inanis & nulla est ratio, & dispositio nostræ decretalis; quia omne statutum justum respicit utilitatem communem civitatis, vel Provinciæ, aut Regni à cujus Superiore fit: Et sic nullum statutum justum esset, quod non obligaret subditos delinquentes extra territorium, Nec valet dicere cum Palao *num.* 18. & distinguere inter utilitatem generalem, & specialem territorii, ut dicatur solùm pro utilitate speciali posse edi statutum, quod extra territorium liget. Nam solùm pro utilitate ut speciali, & ut propria territorii potest edi lex à superiori territorii, accidentaliter omnino ad hoc se habente, quod utilitas, ob quam datur lex, sit communis aliis territoriis. Et sive hæc utilitas sit immunitas ab injuria, & damno, ad quod impediendum lex datur, sive sit lucrum grande, quod ex statuto speratur, semper est utilitas specialis ex parte territorii, quia non nisi ut est ejus utilitas intenditur. Cæterùm quod utilitas sit ita propria territorii ut illi soli competere possit, hoc merè materialiter se habet, & accidentaliter. Et semper militat regula juris, quæ est, quod in ordine ad utilitatem territorii Superior non habet nisi jurisdictionem limitatam ad territorium, & sic non potest condere leges obligantes extra territorium.

Sed opus est hìc distinguere; nam alia est utilitas territorii illi debita ex lege naturali alicujus virtutis, nimirum ex lege justitiæ, aut pietatis, aut alterius virtutis, ut quod secreta patriæ non revelentur exteris inimicis in patriæ damnum, & quantum ad ista Superior territorii potest subditum suum punire. Et si jure communi pro delictis hujusmodi non sit pœna determinata, sed pœna sit arbitraria, potest Superior territorii etiam per statutum illam pœnam determinare, sed pro suo territorio; neque enim potest pœnam excommunicationis imponere sub conditione futuri delicti vel aliam ipso facto, & quæ secum ferat executionem extra territorium, sed solùm potest decernere, quod in casu, quod subditus suus committat simile delictum, si contingat illum intra territorium damnari, puniatur tali pœna. Et benè dixi, quod potest pœnam determinare, quia cùm non possit delinquentem extra territorium sua lege ligare & obligare & facere quod transgressio legis illius naturalis aut divinæ, aut juris communis in absente sit major culpa, quàm esset non existente sua lege; non potest etiam novam pœnam imponere majorem, quàm sit illa, quæ debetur delicto illo secundum se; sed solùm si hæc pœna sit arbitraria, & pro quanto sit arbitraria, potest Superior per statutum arbitrari semel pro semper, & pœnam illam determinare quantum patitur contingentia rerum mundi, & spectatis iis, quæ regulariter accidunt. Et ita hoc statutum imponeret pœnam non tantùm sub conditione delicti, sed ulterius sub conditione, quod de delicto cognoscatur in territorio, & sic per statutum obligantem delinquentem ad illam pœnam, si sibi per judicem territorii fuerit imposita, vel ad eam per eundem fuerit damnatus. Nunquam tamen fieri potest statutum sub conditione delicti futuri, per quod imponatur ipso facto pœna excommunicationis, vel alia, quæ ipso facto secum ferat executionem extra territorium, quia ad id non se extendit ejus jurisdictio. 550

Sed ubi actio ipsa quæ præcipitur, aut prohibetur secundùm se non est mala, nec aliqua communi lege prohibita. Superior territorii non potest illam præcipere, aut prohibere extra territorium, quia ad id sua jurisdictio non se extendit. Potest quidem v.g. si actio sit damnosa territorio præcipere, ut nullus subditus exeat à territorio animo habendi illam actionem; Et potest præcipere ne subditus existat extra territorium causa habendi illam actionem, ut quod non existat extra territorium, ut artem hanc, vel illam ibi exerceat, vel si vult hanc vel illam artem ibi exercere, vel ne habeat occasionem exercendi ibi illam artem in damnum territorii, ut statim ac voluerit illam exercere, teneatur redire ad territorium, nisi velit uti sua libertate & transferre suum domicilium extra territorium. Sed si velit superior territorii hæc specialia præcipere, debet illa explicare & exprimere. Nam aliàs absolutè non potest suo subdito præcipere, ut extra territorium hoc, vel illud agat, vel prohibere, ne agat hoc, vel illud, vel sub novo titulo, & obligatione ligare illum, ne agat, quod aliàs agere est illicitum. Nec potest dici, quod actio sit injuriosa in territorium, si illa non est talis ex aliqua alia lege, quia actio extra territorium habita ex vi legis editæ à superiore territorii nequit esse mala vel injuriosa. 551

Hinc alii casus tractati à DD. explicantur, ut quando Superior Regularis statuit ne subditus sub pœna excommunicationis consentiat electioni de se factæ v.g. ad Episco- 552

patum sine ejusdem superioris licentia, & universaliter quando per superiorem territorii statuto prohibetur actus, per quem subditus eximitur ipso facto à præcipientis jurisdictione. Dicitur verò hujusmodi vel statuta, vel præcepta valere, nam prius saltem natura est, & quidem prioritate quam dicunt in quo, quod religiosus consentiat electioni, imò & collationi Prælaturæ sibi factæ etiam à Pontifice, quam quod sit exemptus à suorum Superiorum jurisdictione: Et ita actio hujusmodi non habetur extra, sed intra territorium præcipientis, unde subest præcipientis jurisdictioni.

553 Eodem modo si Superior puta Episcopus præcipiat sub excommunicatione, ne quis accedat ad Monasteria & alloquatur moniales, si Clericus ejus subditus accedat ad Monasterium exemptum est excommunicatus. Hujus oppositum tenuit Calder. quem sequitur Felin. *cap. final. n. 16. de foro compet.* sed talem esse excommunicatum dixit Palaus *dict. puncto* 24. §. 5. *n.* 17. loquens de clerico accedente ad hujusmodi Monasterium, quia hoc est contrarium dignitati Clericorum ipsius Episcopatus, quæ ratio si valeret, etiam probaret, quod Episcopo sub excommunicatione per statutum præcipiente quodcumque, Clericus extra Diœcesim delinquens esset semper excommunicatus, cujus oppositum in hac decretali decernitur. Dominicus autem in *cap.* 1. §. *fin. n.* 8. *de foro compet.* post Lapum arbitratur talem esse excommunicatum, licèt actio non consumetur nisi extra diœcesim, quia actio illa accessus est facta intra territorium, licèt sit consummata extra. Sed dicitur, quod actio illa accessus verè etiam physicè consumatur intra territorium. Quod ostenditur quia hujusmodi præcepta vim præcepti negativi continent, & præcipitur non absentia à proprio territorio. Quamobrem accessus ille, ut accessus ad Monasterium potest considerari, ut terminatus per existentiam sui in loco ad quem, scilicet, in Monasterio, & per primum non esse sui intra territorium omnino & diœcesim; Hoc secundò modo accessus, & terminus ejus est intra territorium, non tamquam quid positivum, sed tamquam quid privativum prohibitum. Nam subjectum cui inest illa privatio est territorium, & sic accessus ille privativè consumatur in territorio, quod sufficit.

554 Quod verò ait Suarez *de cens. disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 11. *fin. & sec. num.* 8. quem sequitur Martinez *p.* 2. *q.* 96. *art.* 5. *dub.* 6. circa sententiam secundam, nimirum quod potest Episcopus Sacerdoti suo subdito præcipere, ne celebret extra diœcesim, propriè loquendo est falsum, quia verè non potest Episcopus per statutum prohibere Sacerdoti ne intra, vel extra diœcesim celebret, cùm ad celebrandum habeat facultatem tam à jure divino, quàm à jure communi. Ideò si Episcopus suspendere vellet Sacerdotem ex eo, quod celebrasset extra diœcesim, suspensio esset nulla, Gabriel. à S. Vicentio *de cens. disp.* 1. *q.* 15. *n.* 168. Hoc verò fieri posset, si ob culpam aliquam Sacerdos prius suspenderetur, sed hoc dato exemplum jam non est ad rem. Quia nunc loquitur de statuto imponente pœnam sub conditione delicti de futuro; at verò in casu illo jam est sermo de pœna pro delicto jam patrato, pro quo subditus potest puniri pœna, quæ illum indivisibiliter comitetur ad quemcumque locum, ut articulo sequenti dicetur.

555 Pariter vel non verum est, vel non est ad rem quod Suarez ait *d. num.* 18. scilicet, quod Provincialis potest subdito præcipere, quod jejunet semel in hebdomada. Nam in pœnam id potest facere, sed jam sumus extra terminos quæstionis, absolutè autem, vel hoc erit suprà regulam, & non poterit fieri: Et in omni casu si fiat, & non sit suprà regulam, subditus extra Provincialis territorium existens non tenebitur jejunare, si Provincialis in præcipiendo usus est nuda jurisdictione, quæ spectata sui pura institutione non se extendit extra territorium. Quamvis longè sit diversa ratio potestatis jurisdictionis, quam solam habent Episcopi in suos subditos restrictam ad territorium, & de potestate paterna, & dominativa, quam ex vi voti obedientiæ habent Prælati Regulares ex natura sua non restrictam alicui territorio. Si ergo Prælatus Regularis præcipiat ex vi hujus facultatis paterni cujusdam dominii potest obligare subditum suum ad aliquid agendum ubicumque ille fuerit, & sibi subditus manserit. Et ita nedum verum est, quod habet hic Domin. *num.* 15. post Gulielm. de Monte laud. Nimirum quod Prælati Regulares ligant extra territorium in omni casu, in quo possunt ligare Episcopi, quia Ecclesiæ sunt illis pro territorio. Sed ut ipse Domin. advertit, Prælati Regulares sunt judices personarum simpliciter. Ideò ubi Prælatus procedit ut pater, & directo in bonum potest obligare suum subditum ubicumque sit, quia pro hac parte ipsi non habent territorium limitatum.

Duos alios casus enumerat Anchar. hic *num.* 6. in quibus statutum superioris potest extendi extra locum. Primus est, si id fiat in pœnam alterius territorii. Sed considerandum est, quod in pœnam hominum alterius territorii duo possunt præcipi. Primum est, quod homines proprii territorii ad aliud territorium non accedant, nec adferant venalia, nec adjuvent. Sed ut dictum est hujusmodi actiones, si fiant contra statutum intrinsecè consumantur intra territorium, licèt extrinsecè perficiantur extra. Secundum ut præcipiatur subditis, ut intrent territorium alterius, illique inferant damnum, quod præcipere possunt Principes, qui bella gerere possunt. Sed in hoc casu jam supponitur culpa, & sumus extra nostram quæstionem, quia non loquimur de pœna pro delicto præterito, sed de hoc sermo erit *in artic. seq.* 556

Alter casus quoque non est ad rem nostram, quia est casus in quo prodigo interdicitur administratio bonorum ne ex prodigalitate ea consumat, quod interdictum dicitur extendi ad omnem locum, *l.* 1. *C. de emancip. & leg. is cui bonis.* 6. *de verb. oblig.* Sed dico quod in citatis legibus hoc non continetur, quamvis si prodigo inflicta fuit jam pœna privationis administrationis bonorum, hæc pœna comitetur prodigum ubique juxta dicenda *artic. sequent.* sed si daretur statutum municipale imponens privationem administrationis bonorum prodigo, pœnæ hujus statuti non subderetur prodigè consumans sua extra territorium statuentis. Unde & quod habet ibid. Anchar. asserens fieri posse indirectè, ut statutum liget extra locum, & quod aliqua sunt, quæ afficiunt statum personæ ut excommunicatio, & infamia, hæc inquam ad nostram quæst. non spectant, quia loquuntur de pœna jam lata ob præteritam culpam. 557

Tandem Gomez hic *nn.* 39. 40. & 41. existimat quod regula nostri textus locum habeat in odiosis, non verò in favorabilibus, quia si fiat statutum ut occidenti bannitum detur præmium, hoc est debitum etiam occidenti illum extra territorium. Sed si benè res consideretur hujusmodi statutum habet modum & vim contractus, & in vi contractus obligat. Et imò non obligat operantem extra territorium, ex vi enim talis statuti subditus non obligatur ad occidendum bannitum extra territorium; imò nec obligatur ad petendum, vel recipiendum præmium, sed obligatio quæ est respicit territorium, quia qui sunt in territorio, & ad quos spectat tradere præmium, illud tradere tenentur. Sic igitur semper manet illæsa, & non limitata regula textus quæ vult, quod superior territorii non possit ligare subditum suum extra territorium existentem vel præcipiendo, ut aliquid ibi agat, vel id prohibendo. 558

Colligitur verò ex hac decretali, & ex dictis absentem à loco non teneri legibus loci. Quomodo tamen hæc regula sit intelligenda videri poterit apud tractantes de legibus, & earum obligatione. 559

SUMMARIUM.

573 Respe-

573 *Respectu Prælati Regularis totus mundus est territorium.*

574 *Et hoc etiam respectu Prælatorum inferiorum Generali.*

Quæst. secundæ

ARTICULUS II.

Utrùm sententia Episcopi liget delinquentem extra Diœcesim.

560 SUarez *de censf. disp. 5. sec. 5. num. 2. & 18.* existimat quod nec dum sententia Episcopi si feratur pro delicto præterito, ut si dicatur, qui furatus fuit sit excommunicatus, nisi infra mensem restituat, sed etiam si feratur pro delicto futuro, etiam generaliter, ut est illa *cap. à nobis el p. de sentent. excommun.* liget delinquentem extra territorium. Existimat enim, quod superior in multis casibus possit præcipere & obligare suum subditum existentem extra territorium, quo supposito addit, quod si præcipiat sub pœna excommunicationis, vel sub alia pœna, ligabitur subditus existens extra territorium, si delinquat. Et textum in præsenti explicat, ut loquatur de statuto. Ponit verò discrimen inter statutum & sententiam, quod illud respicit personam in ordine ad territorium, sed sententia respicit personam secundùm se; & ideò illud non ligat extra territorium, sententia verò ligat. Eandem sententiam tenuit Bonac. *de censf. d. 1. qu. 1. p. 11. num. 14.* Et Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 1. p. 24. §. 5. num. 21.*

561 Pro hujus tamen quæstionis resolutione dicitur primò, quod Superior territorii de delicto commisso à suo subdito ubicumque, & etiam extra territorium cognoscere potest. Et ita quod ad hoc sufficit, ut delinquens sit subditus ratione domicilii; subditus enim sive ratione originis, sive ratione domicilii apud judicem territorii etiam de delicto commisso extra territorium potest accusari, & coram illo conveniri, & per illum judicari, & puniri, ut ad hunc textum tradunt Jo. Andr. *num. 6.* Jo. Monac. *num. 3.* Anchar. *num. 7. & 8.* Domin. *num. 19.* Franc. *num. 15.* Silvest. *v. excom. 2. num. 10.* Sotus 4. *d. 22. q. 2. art. 1. concl. 2.* Gabr. à S. Vinc. *de censf. dis. 1. q. 15. num. 66.* & habetur *ex cap. fin. de for. compet. & l. 1. & Auth. quia in Prov. C. Ubi de Crimine.* Quod ita verum est, ut contra similem delinquentem per superiorem territorii procedi possit etiam per viam inquisitionis, ut ex Cyn. & Bartol. advertunt Franc. *num. 16.* & Anchar. *num. 7.* Pariter verò ubi delictum sit inchoatum in uno territorio, & completum in alio, à judice utriusque territorii potest delictum puniri, *l. 1. C. ubi de crimine agi oporteat.*

562 Neque in hoc adversatur nostra hæc decretalis, quia per illam prohibetur solum delinquentem extra territorium puniri pœna statuti municipalis, vult enim delinquentem extra territorium non ligari pœna statuti municipalis, sed si aliàs delictum sit contra jus naturale, aut divinum, aut commune non prohibet illum puniri pœna delicto proportionata, sive hæc sit pœna arbitraria judici, sive jure communi statuta, sive determinata per statutum loci, in quo commissum fuit delictum, ut dixerunt Jo. Andr. *num. 6.* Anchar. *num. 7. & 8.* Franc. *num. 16.* Probus ad Monachum *num. 11.*

563 Quamobrem cùm de hoc delicto cognoscere possit tam judex loci in quo delictum est commissum, quàm judex cui ratione originis, vel domicilii delinquens est subditus, dabitur locus præventioni, & illa judex puniet delinquentem, qui prævenerit, Anchar. *num. 7. & 8.* Sed punitus reus ab uno non poterit puniri ab alio. Inter hujusmodi judices tamen principalis, & cui potius competit judicare est judex loci delicti, ut hìc consideraruntJo. Mon. *num. 3.* & Jo. And. *num. 7.*

564 Dicitur secundò, quod superior territorii supposito delicto, & agens ad illius satisfactionem potest agere contra absentem, & in illum sententiam ferre, & quatenus opus sit illum excommunicare, *l. absentem ff. de pœnis,* Jo. Mon. *num. 3.* Archid. *num. 3.* Domin. *num. 12.* Franc. *num. 13.* Silvest. *v. excom. 2. num. 10.* Tabien. *v. excom. 4. num. 3.* Armil. *v. excom. n. 30.* Sotus 4. *d. 22. q. 2. art. 1. concl. 1.* Suar. Bonac. & Palaus citati, Gabriel. à S. Vincentio *de censuris disp. 1. q. 15. num. 167.* contra Pontium *l. 5. de matrim. cap. 7. §. 2. n. 20.* quem laudat Diana *part. 5. tract. 9. res. 34.* Et ratio est, quia aliter delicta manerent impunita. Si enim qui furtum fecit in Diœcesi Cremonen. & postea transiit ad Parmen. non posset puniri ab Episcopo Cremonen. & per censuras cogi ad satisfaciendum, maneret impunitus, cùm ab Ordinario Parmen. puniri non possit, cùm non sit ei subditus, nec etiam ratione delicti.

Non obstat, si dicatur, quod Episcopus non potest citare absentem per ea multa, quæ adducit Diana loco citato; quia quidquid sit de illo articulo valdè controverso, Episcopus absentem potest citare, si habet domicilium in sua Diœcesi, vel in loco publico, vel medio ordinario loci, in quo reus moratur, ut ipse etiam Diana fatetur, & praxi confirmatur. Nam & judicem loci in quo reus moratur teneri illum citare ad requisitionem superioris ejusdem rei, tradit Silvest. ubi suprà ex *cap. fin. de for. competent.* Et sic Episcopus servata forma judicii servanda, dum proceditur contra absentem, potest contra absentem formare processum, & si opus est illum excommunicare. 565

Nec obstat si amplius dicatur; quod Episcopus absentem non potest punire pœna corporali, ex communi praxi judicantium. Tum quia non est eadem ratio de pœna corporali, & spirituali. Quia excommunicatio ligans in foro animæ secum fert invisibiliter suam executionem, nec alterius jurisdictionem turbat, unde potest quis absens ut excommunicari, & declarari excommunicatus, & decernitur in *cap. Pastoralis, de appellat.* & advertit Domin. *num. 12.* 566

Præterea secundò non est omnino verum assumptum, aliud enim est, quod Episcopus seu judex territorii in absentem non possit corporalem sententiam exequi; quia in hoc turbaretur jurisdictio superioris loci, in quo absens reperitur: Aliud est, quod non possit ad corporalem pœnam damnari absens, & ad illam obligari, ut si contingat illum ad territorium, redire puniri non debeat illa pœna, etiam sine alio judicio & sententia. Primum horum est verum, sed non secundum. Nam primò ubi pro delicto sit imposita ipso facto pœna confiscationis bonorum, vel etiam mortis, judex potest declarare reum etiam absentem incurrisse illam pœnam, & sic illum damnare ad mortem. Idem verò secundò dicitur, etiam si pœna corporalis non sit à lege imposita ipso facto. Nam ubi sit proportionata delicto, poterit judex in eam pœnam absentem damnare, relicta executione sententiæ pro futura possibili occasione, & ita absentem inquisitum & sic fictè confessum damnari ad pœnas corporalis, & etiam ad mortem praxis ipsa confirmat, & de hoc videri potest Farinac. *quæst. 11.* & Philippus de Bictis *quæst. 131.* Imò de generali consuetudine, & in statu Ecclesiastico juxta Const. Paul. III. inter Const. Marchiæ *lib. 4. c. 10.* contumax habetur pro confesso, & potest damnari ad confiscationem bonorum, & ad mortem. Imò ex *constit. 9.* Pii V. in statu Ecclesiastico post annum non potest admitti reus ad faciendas defensiones, nisi habita ad hoc speciali licentia à signatura gratiæ. De quibus videndus Farin. *d. q. 11.* 567

Et neque obstat, quod contumacia absentis sit delictum consumatum extra territorium. Respondet quidem Gabr. à S. Vincentio *de censf. disp. 1. qu. 15. nu. 167.* Absentem non excommunicari propter contumaciam, sed propter delictum aliud, licèt ad hoc requiratur contumacia, ut conditio sine qua non. Sed respondetur, quod contumacia est omissio, quę ab existente extra territorium in quacumque distantia consumatur intra territorium, quia contumax negligit facere intra territorium quod potest, & debet; ideò delinquens contumax justè punitur, etiam si fit in alieno territorio. 568

Limitatur verò, & explicatur assertio posita, ut habeat locum solum ex causa orta intra diœcesim, nimirum pro delicto commisso intra diœcesim; & ita ut pro delicto commisso in alieno territorio non possit absens damnari à judice territorii. Ita Franc. hic *numer. 13.* citans Bacorium, & Dom. & Gabriel. à S. Vincentio *de censf. disput. 1. quæst. 15. num. 166.* ait consentire omnes in hoc, quod Episcopus censuram ferre non possit pro delicto commisso in alieno territorio in subditum suum existentem in alieno territorio. Et quidem si loquamur de non subdito, hoc verum est, & indubitatum non posse Episcopum excommunicare non subditum suum ob delictum commissum in alieno territorio. Constat quoque ex hucusque probatis, 569

quod si pœna excommunicationis, vel alia sit pœna statuti Episcopalis, non potest Episcopus subditum tali pœna punire ob delictum in alieno territorio commissum. Verùm si pœna excommunicationis contra delictum sit imposita de jure communi, sicut potest Episcopus cognoscere de delicto à suo subdito commisso extra diœcesim, ita potest illum damnare omni pœna de jure communi contra delictum imposita, & sic potest illum excommunicare, seu declarare excommunicatum. Præterquam quod ei sub pœna excommunicationis potest præcipere, vel ut compareat coram se, vel ut in termino præfixo parti satisfaciat, & sic illum potest excommunicare, ut benè notat Silvest. *v. excom.* 2. *n.* 10. Ubi ait hoc procedere etiam si subditus existat extra territorium, nimirum in territorio in quo deliquit. Nam & contra illum sic existentem potest Episcopus etiam censuris procedere, servata forma judicii observanda in punitione absentis. Quamvis semper advertendum sit, non posse Episcopum de hujusmodi delictis in alieno territorio à suo subdito commissis cognoscere si sit præventus ab Episcopo loci delicti.

560 Dicitur propterea tertiò, quod ubi agitur de delicto præterito, & ad satisfaciendum pro illo, sententia Episcopi sive generaliter lata, sive specialiter & nominatim obligat, & ligat delinquentem ubicumque ille sit. Est verò discrimen, ut dicebatur, quod non subditum non potest ligare nisi pro delicto commisso in diœcesi. Subditum verò ligat, si est sententia specialis, pro delicto etiam extra commisso, ita tamen quod pro eo delicto non potest puniri pœna statuti Diœcesani, sed si sit sententia generaliter lata Silvest. loco citato ait, quod non ligat subditum pro delicto commisso extra diœcesim, quod est verum de facto, nisi aliter exprimatur, quia sententia generaliter lata, sicut non se extendit nisi ad subditos, non verò ad forenses existentes in Diœcesi, *cap. à nobis el p. de sentent. excommun.* & ibi Panorm. & alii ita à simili non se extendit ad delicta extra diœcesim commissa. Sed tamen cum Episcopus etiam de delictis extra à subditis commissis cognoscere possit; ideò si velit, post etiam sub sententia generali comprehendere delicta extra commissa. Sic posset præcipere, ut qui furtum fecit in aliena diœcesi intra mensem restituere teneatur sub pœna excommunicationis. Est etiam aliud discrimen inter subditum, & non subditum delinquentem, quod si non subditus post delictum fugiat à territorio, non possit eum Episcopus punire, & censuræ subjicere, nisi eum prius citasset, quàm fugisset; sed tunc talis delinquens ad instantiam Episcopi debet à suo Episcopo citari & puniri. Quod si citatus non respondeat potest tunc à suo Episcopo excommunicari. Silvest. *v. excom.* 2. *num.* 10. Gabriel. à S. Vincentio *de cens. disput.* 1. *quæst.* 15. *num.* 172. Sed subditus etiam si fugiat, quia semper manet subditus, potest cogi ad hoc, ut coram suo Episcopo compareat, & si sit contumax excommunicari.

561 Pœna quoque lata contra delinquentem per quamcumque sententiam, cùm sit personalis sequitur personam quocumque ierit. Licèt enim pœna dependeat à jurisdictione ad hoc, ut imponatur, & sic non possit imponi nisi à judice competente, & in hoc adsit dependentia à loco, & territorio, unde pœnam imponere spectat ad judicem vel territorii, in quo fuit commissum delictum, vel territorii originis, aut domicilii delinquentis, tamen obligatio ad pœnam, & duratio illius, nec pendet à vita judicis, aut ejus perseverantia in officio, nec ab existentia delinquentis in suo territorio, vel extra, sed tanquam quid merè personale, & annexum culpæ personali comitatur personam quocumque ierit. Pœna enim sequitur peccatorem, sicut lepra leprosum, *l. ex ea ff. de postul.* unde ex Bartol. *in l. qui ultimo ff. de pœnis*, adnotavit Silvest. *v. pœna num.* 11. quod damnatus ad mortem, quamvis effugiat, nihilominus remanet servus pœnæ ubicumque fuerit, ut nullibi possit testari, aut contrahere, aut hujusmodi facere, & in hoc sensu verum est, quod ait hic Anch. *num.* 6. quod excommunicatio, & infamia porrigitur ad omnem locum, *cap. Ab Ecclesiarum de officio ordinarii*, & dicitur propterea ex regula generali, quod sententia quæ respicit personam diminuendo ejus statum porrigit effectum suum ad omnem locum. Panorm. *cap. Postulasti, de foro compet.* Et hoc est verum universalissimè juxta tenorem sententiæ, & facultatis judicis etiam respectu bonorum, ut si judex habens ad hoc facultatem privet delinquentem etiam bonis ubique existentibus, sententia ad id se extendat, quamvis executio sententiæ non nisi per judicem loci fieri contingat. Nam hoc quidem attendi debet, ut executio fiat servata juris forma. Sed ubi non est necessarius judex, qui sententiam exequatur, sententia lata contra delinquentem illum afficit ubicumque sit, & quocumque se transferat, ut contingit in censuris, quæ obligant in conscientia ipso facto, unde declaratus excommunicatus ubicumque ut talis haberi debet. De his verò consulendi sunt DD. scribentes *ad cap. Postulasti, de for. compet.*

562 Sed si præceptum, vel sententia hominis tam generaliter, quàm nominatim lata respiciat delictum de futuro, sententia æquiparatur statuto, ut tradit Silvest. *v. excom.* 2. *num.* 10. ut scilicet, sententia non comprehendat delinquentes extra territorium. Nam militat ratio præsentis decretalis ex eò habens vim, quod superior territorii non habet jurisdictionem extra territorium. Et non est eadem ratio de delicto jam commisso, & de delicto contingenter futuro. Delictum enim jam commissum dat jurisdictionem, quia continet contemptum etiam proprii superioris, ubicumque committatur, & infert injuriam proprio territorio delinquentis, & de ejus interresse est, ut ejus incolæ sint viri virtutis, & non improbi, & scelesti. Sed ubi subditus est extra territorium, est extra jurisdictionem superioris territorii, nec habet unde illi subjiciatur, & unde ille possit novam pœnam decernere, si contingat ipsum delinquere. Nec est verum, quod ait Suarez, quod scilicet, Episcopus possit suo subdito præcipere ut extra diœcesim non celebret, nisi illum in pœnam delicti jam commissi suspendat à missæ celebratione.

563 In regularibus verò, jam dictom est suprà *num.* 565. non dari territorium ad effectum limitandi Prælatorum jurisdictionem, sed eis territorium est totus mundus, Silvestr. *v. excom.* 2. *num.* 15. Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6. *casu* 11. Bonac. *de cens. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 11. *num.* 5. Habent enim territorium, quod determinat personas illis subjectas, non quod limitet eorum potestatem dominativam, & ex consequenti quod restringat jurisdictionem, quæ ex conjunctione ad potestatem dominativam, & paternam extenditur, & ampliatur, quia jurisdictio illis datur ad perfectionem, & complementum facultatis, & dominii, quod ex voto obedientiæ subditorum in illos redundat. Existimat verò Gabriel à S. Vincentio *de cens. disp.* 1. *q.* 15. *n.* 171. censuram ferri posse à facultate gubernativa spirituali, & particulari ob bonum privatum subditi, tamen existimat id non fieri. Tum quia censura fit à Prælato, ut à Prælato, non ut à Patre. Tum quia censura fieri debet taliter, ut contumax declarari possit, & puniri in foro externo, quod ad facultatem gubernativam domesticam non spectat. Sed dicitur excommunicationem propriè non posse ferri nisi ab habente jurisdictionem, quæ tamen in Prælatis Regularibus est magis extensa ratione dicta.

564 Idem verò Gabriel à S. Vincentio ibidem *num.* 176. solius Generalis cujuscumque ordinis putat territorium esse totum mundum. Aliorum verò Prælatorum territorium tantum esse putat, quantum se extendit facultas mittendi subditos sine licentia Superioris, quam facultatem in Provinciali suæ Religionis ait esse ad 60. milliaria, ultra Provinciam, & in Priori ad 39. milliaria ultra Conventum. Et ratio ejus est, quia non decet, quod tam extensum sit territorium Prælatorum inferiorum, quàm Generalis. Sed dicitur, quod non datur hæc æqualitas, quia facultas Generalis se extendit ad omnes Religiosos, sed facultas Provincialis ad illos solos, qui sunt de sua Provincia. Cæterum respectu subditorum tantum se extendere debet facultas præcipiendi, solvendi, & ligandi, quantum se extendit votum obedientiæ, quod terminos non habet, & indivisibiliter inhæret Religioso, quocumque ierit. Nec territorium potest mensurari a facultate licentiandi fratres; quia in Prælato debet esse facultas revocandi suum subditum à quacumque distantia, & loco, ad quem aufugerit; & ideò Prælatorum regularium territorium est totus mundus.

S V M M A R I V M.

565 *Episcopus quando possit punire exemptum delinquentem in loco non exempto.*

566 *Epis-*

Quæstionis Secundæ

ARTICULUS III.

Utrùm Episcopi statutum se extendat, ut liget delinquentem in loco exempto sito intra Diœcesim.

565 TRes casus hic distingui possunt. Primus est exempti delinquentis intra Diœcesim in loco non exempto. Sed hic casus pertinet *ad tit. de privilegiis*, & servandum est decretum, *cap. Veniens p. illius tituli, in hoc l.6.* quod est, ut privilegiatus possit puniri ab Episcopo ratione delicti in loco non exempto patrati, Franc. *n.10.* nisi habeat plenam exemptionem, qualem Regulares habent, ut probavi *de stat. & off. hom. tom.3. tract. de profes. inspect.*

566 Secundus casus esse potest exempti delinquentis in loco exempto. Et neque hic casus spectat ad hanc quæs. & habet evidentem solutionem ex *d. cap. primo inf. de privil.* & constat exemptum delinquentem in loco exempto non subdi jurisdictioni Episcopi, Jo. And. *num.6.* Franc. *n.10.* & habetur *ex cap. Cum Episcopus sup. de off. ordin.*

567 Tertius casus propriè spectans ad hanc quæstionem est, si subditus Episcopi delinquat contra Episcopi statutum in loco exempto, an ligetur pœna statuti, & possit ea pœna puniri ab Episcopo. Posse enim voluit Federicus de Senis *cons.2.* & probat tum primò, quia cùm locus exemptus sit intra limites diœcesis, est de diœcesi, ut in diœcesi dicatur delinquere, qui in loco exempto delinquit, tum quia neque verum est, quod locus exemptus æquiparetur loco existenti extra diœcesim; cùm extra Diœc. non possit Episc. sedere, & alia multa facere, quæ potest facere in loco exempto posito intra diœc. Clem. *fin. de privil.* Tum 3. quia subditus non potest excipere de jure tertii, scilicet de exemptione competente loco exempto. Tum 4. quia quod non acquiritur Prælato loci exempti ratione privilegii exemptionis, censetur reservatum Episcopo; At verò non est expressum, quod virtute privilegii exemptionis subditus Episcopi existens in loco exempto ibique delinquens, non possit ab eo puniri. Tum quintò, quia aliter delicta manerent impunita. Tum 6. quia Princeps laicus subditum suum delinquentem in Ecclesia potest punire.

568 Suarez autem *de cens. disp.5. sect.4. num.6.* distinguens inter exemptionem perfectam, qualem ait esse cum Prælatus loci exempti exercet ibi jurisdictionem ordinariam, unde locus quantum ad exemptionem ordinariam est exemptus ab ordinario, & inter non plenam exemptionem, & asserit in hoc secundo casu subditum Episcopi delinquentem contra statutum ejus in loco non plenè exempto subdi pœnæ statuti. Unde arbitratur subditum Episcopi delinquentem in Monasterio Regulari posse puniri ab Episcopo: quia Monasterium regulare est exemptum ratione personarum regularium, & illarum intuitu. Consimilem distinctionem tradidit Anchar. *hic num.10. & 12.* per eam concordans opiniones, & asserens veram esse sentent. Federici de Senis, si locus non sit plenè exemptus; veram verò esse sentent. Jo. de Lig. & Jo. Calder. sentientium oppositum, si locus plenam exemptionem habeat.

569 Proculdubio quando hic loquimur de loco exempto, loquimur de loco exempto à jurisdictione Episcopi, quia inanis esset quæstio, an valeat statutum Episcopi, & liget delinquentem in loco, in quo Episcopus jurisdictionem exercere posset, & erigere tribunal, & quæ sunt jurisdictionis exercere in personas loci præcipiendo, puniendo, absolvendo. Nam neque hic locus dici posset simpliciter exemptus; & sine dubio ibi ligat statutum Episcopi, ubi Episcopus habet liberum jurisdictionis exercitium. Sed per locum exemptum intelligendus est, qui est exemptus à jurisdictione Episcopi. Unde in hac parte, nec est necesse considerare, quàm jurisdictionem habeat Prælatus loci exempti in eos, qui in eo existunt, vel delinquunt, quia sufficit ad rem præsentem si Episcopus in eo loco non habeat jurisdictionem.

Dicitur propterea absolutè, quod statutum Episcopi non 570
ligat subditum ejus delinquentem contra statutum in loco exempto. Nam ut suprà dictum fuit, non negatur, quod si hujus subditi actio sit delictum contra jus naturale, aut divinum, aut contra jus positivum commune, non possit puniri ab Episcopo pœna ex vi talium jurium proportionata delicto. Sed dicitur, quod statutum tamquam emanatum à non habente jurisdictionem in loco, non ligat subditum Episcopi in eo delinquentem, & quod talis non potest puniri pœna statuti. Unde si v. g. Episcopus sub pœna excommunicationis præcipiat ne aliquis suus subditus ludat ad azardum, si subditus ludat intra locum exemptum, non est excommunicatus. Et hæc est sententia communis, quam post Jo. de Lign. & Calder. tenent hic Jo. Andr. *num.5. & 6.* Dom. *num.18.* Franc. *n.10.* Innoc. *cap. Cum quidam, de jur. jur.* Silvest. *v. excom.2. n.12.* Tabien. *v. excomm. 4. n.3.* Armilla *n.30.* Gabriel à S. Vincent. *de cens. disp.1. q.15. n.166.* Bonac. *de cens. d.1. qu.1. p.11. n.8.* Et deducitur nedum expressè ex præsenti decretali, sed & *ex cap. Cùm Episcopus infr. de off. ordin. & ex cap. Luminoso 18. qu.2. & ex cap.1. infrà de stat. Monac. & ex Clem. fin. de privil.* Nam quantum ad usum jurisdictionis æquiparantur proculdubio locus extra diœcesim, & locus exemptus, cùm locus exemptus sit exemptus ab Episcopi jurisdictione. Glos. *in Clem.1. verb: aut eorum de for. compet.* Jo. And. Dom. & Franc. citati. Barbos. *in Clem. quamvis num.5. de for. compet.* & apud eum Flores de Mena *l.3. qu.24. n.32.* Nec Episcopus ibi ligare potest, ubi non habet jurisdictionem, unde ibi Episcopo non paretur impunè.

Nec alicujus momenti sunt, quæ adducta sunt in opposi- 571
tum. Primum enim nullius vigoris est, quia nihil interest, quod locus sit intra terminos antiquæ Diœcesis, si ex vi novi privilegii est exemptus ab Episcopi potestate, unde respectu potestatis Episcopi se habet, ac si distaret à Diœcesi per infinita milliaria, imò ac si non esset in mundo. Unde 2. argumentum ruit, & manifestum est, quod locus exemptus æquiparatur in hoc loco existenti extra Diœcesim. Et ad 3. dicitur, quod non est necesse, quod subditus excipiat de jure tertii, quia excipit de jure proprio, quia est in loco, in quo ex vi privilegii non se extendit jurisdictio Episcopi. Et sic 4. non obstat, quia ex quo locus eximitur ab Episcopi jurisdictione non reservatur Episcopo jurisdictio, & ex consequenti nec facultas ligandi, quæ est jurisdictionis. Quintum autem non militat, quia si actio subditi est de se mala, eam poterit punire Episcopus, sed si actio non est mala, nisi quia prohibita per statutum Episcopi, actio habita in loco exempto, nec est mala, nec est delictum, nec est prohibita in eo loco, cùm ad illum locum non se extendat Episcopi jurisdictio; & ita non sequitur, quod aliquod delictum maneat impunitum; nec est aliquod inconveniens, quod actio in uno loco prohibita, non sit prohibita in alio loco. Sextum quoque est jam solutum; quia & Episcopus potest punire subditum delinquentem in loco exempto, licèt non possit illum punire pœna statuti sui.

Colligitur ex his, quod Episcopus subditum delinquen- 572
tem in Monasterio Regulari non potest punire pœna statuti sui. Silves. *v. excom.2. num.13.* Bonacin. *de cens. disput.1. quæst.1. part.11. num.8.* Quia est exemptus ab Episcopi jurisdictione.

Colligitur quoque quid dicendum sit ad quæstionem, 573
quam proponit Silves. *v. excom.2. num.13.* Nimirum si Episcopus statuat sub pœna excommunicationis, ne aliquis furetur, aut fornicetur in loco exempto, vel non exempto, an contra faciens sit excommunicatus. Hanc verò solvit Silvest. dicens, quod si statutum loquitur de monasterio in communi secundùm Domin. hic contra faciens non incidit in censuram. Nec obstat, quia aliter delicta essent impunita,

nita, quia delinquens conveniri poterit coram suo Ordinario, *cap.* 13. *qu.* 6. Nec obstat, quod delictum sit commissum intra Diœcesim, quia excommunicatio lata fuit contra furantem extra diœcesim, & sic non haber locum, ut *in d. c.* 1. Sed si statutum exprimat exempta monasteria, tunc ex Phil. de Perusio ad præsens *cap. ut Animarum*, dicit quod Episcopus ex causa potest edere simile statutum, puta vel in odium justum viventium in loco exempto, vel ob bonum subditorum, & quod subditus contrafaciens tali statuto incidit in censuram, non tamen si Episcopus hoc statutum ederet in pœnam ejus, contra quem fit quia tunc non potest prohibere.

574. Sed hic distingui debet inter accessum ad locum exemptum, & actiones habitas intra eundem locum. Nam verum est, quod ex Bartol. *in l. Religatorum*, *ff. de interd.* & Panorm. *cap. Postulasti*, *nu.* 10. *de for. compet.* habet Silvest. *d. num.* 13. nimirum quod Superior territorii, seu Episcopus, vel ob justum odium habitantium in loco exempto, vel ob publicum bonum, sive ex quacumque justa causa potest prohibere, & accessum ad locum exemptum, & permanentiam in eo; quoniam tam accessus ad locum exemptum, quàm absentia à loco, & territorio proprio est quid, qood intra territorium consumatur, & ideò subest jurisdictioni superioris territorii. Imò addunt Silvest. & Tab. quod si Episcopus prohibeat accessum ad monasterium monialium, & ad eorum Ecclesiam, quod subditus, nec portam monasterii, nec Ecclesiam potest adire. Sed hoc nimis rigorosum est, nisi in præcepto sit expressum.

575 Sed statutum prohibens actiones existentis in loco exempto nullius valoris est, quia jurisdictio Episcopi, vel Superioris territorii non se extendit ad ea, quæ aguntur, & fiunt in loco exempto. Ideò si Episcopus statuat ne aliquis furetur vel fornicetur in loco exempto, puta in Monasterio regulari, statutum non valebit. Et licèt si aliàs Episcopus possit cognoscere de delicto illo, ut de delicto furti commisso à Clerico intra monasterium exemptum, possit ponire Clericum pœna juris communis, vel etiam loci exempti, si adest pœna specialis, & si Episcopus in hoc non sit præventus à judice ejusdem loci; non tamen tunc Clericus poterit puniri pœna statuti.

576 Quæ verò in hac quæstione dicta sunt de Episcopi statutis pari modo intelliguntur de statutis Prælatorum inferiorum habentium quasi Episcopalem jurisdictionem. Nam nec hujusmodi statuta ligant, extra eorum territorium, Silvest. *v. excom.* 2. *num.* 15.

DE RESCRIPTIS.

Gregorius Nonus.

CAPUT I.

IPso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitum non valeat, si ab excommunicato, super alio quàm excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum.

SUMMARIUM.

1 *Praxis Curiæ rescribere cum clausula, Teque absolventes.*
2 *Eadem Clausula uti possunt Episcopi.*
3 *Conclusio seu regula textus.*
4 *Rescriptum proprie, & communiter sumptum.*
5 *Continuatio hujus rubricæ ad præcedentem.*
6 *Iudicium delegatum nequit fieri sine rescripto.*
Rescriptum fundamentaliter est judiciale, 6.
7 *Rescriptum non est de processu.*
8 *Processus est nullus ipso jure, qui fit virtute rescripti ab excommunicato impetrati.*
9 *Iurisdictio delegata odiosa.*
10 *Textus iste non contrarius, cap. Pia, inf. de except.*
11 *Processus iste non revalidatur absolutione excommunicati.*
12 *Dictio non valeat, an importet nullitatem ipso jure*, 13.
14 *Nullitas ipso jure retrotrahitur.*
Rescriptum, aut processus hujusmodi non revalidatur ex consensu partis, 14.
15 *Rescriptum hoc est nullum, etiam si contineat gratiam.*
16 *Et quando sit impetratum simul à non excommunicato.*
17 *An sit verum de rescriptis impetratis ab inferioribus*, 18.
19 *Et de rescriptis Principum sæcularium.*
20 *Consensus partis non validat rescriptum.*
21 *Non valet ad inducendam litem.*
22 *Subreptio orta ex excommunicatione inducit nullitatem ipso jure.*
Nullitas rescripti hujus non est sanabilis per absolutionem, 22.
23 *Est sermo de excommunicatione majori.*
Et absolutè lata, 23.
Et existente tempore impetrationis, 23.
24 *Intelligitur regula etiam de excommunicato occulto.*
25 *Nullitas rescripti est in foro conscientiæ.*
26 *Textus intelligendus de excommunicato non absoluto.*
27 *Ex nulla alia causa excommunicatus impetrat nisi ex nominatis in textu.*
28 *In causa excommunicationis validè impetrat.*
29 *Ligatus duplici censura ex unius causa validè impetrat.*
30 *Excommunicatus potest appellare.*
Non potest adversarium reconvenire in alia causa, 30.
31 *Appellans excommunicatus prosequitur appellationem.*
32 *Quid sit articulus.*
33 *Attendi debet terminus impetrationis.*

1 STante praxi Cancellariæ Apostolicæ, in rescriptis, gratiæ tamen non jostitiæ, apponentur clausulam *absolventes, &c.* per quam ille qui rescriptum impetrat absolvitur ab excommunicatione ad effectum, ut rescriptum ex causa excommunicationis non sit nullum, rarò casus hojus decretalis potest contingere in rescriptis gratiæ, quæ à Sede Apostolica impetrantur. Poterit verò frequentius accidere in rescriptis, quæ emanant ab Episcopis, & aliis Papæ inferioribus; Existimat enim Barbosa hic *num.* 19. post Dom. *num.* 14. & Franc. *num.* 9. quod hoc non possit habere locum in rescriptis inferiorum, ut rescribant cum clausula *absolventes, &c.* & sic operari, ot rescriptum valeat etiam si concessum ad favorem excommunicati: quia inferior non potest dispensare super hac decretali, ot rescriptum datum excommunicato valeat.

2 Sed ratio illa non urget, nam hæc decretalis non loquitur de excommunicato absoluto. Et sibi Barbosa contradicit, qui *in tract. de Clausulis*, *claus.* 179. *num.* 11. *&* 12. per Navar. *in cap. Quorumdam*, *not.* 11. *n.* 18. *&* 22. de Judæis, & Garziam *de benef. p.* 7. *cap.* 13. *nu.* 67. *&* 68. Ugol. *de cens. tab.* 1. *cap.* 4. §. 5. *n.* 189. Ricciull. *de jure personarum*, *cap.* 9. *num.* 11. docet quod Legati, Nontii, & Episcopi in suis rescriptis possunt uti ea clausula, *Teque absolventes, &c.* Et quod illa valet respectu excommunicationum, à quibus possunt absolvere; si ergo semel verum est, quod inferior Papa possit absolvere ab excommunicatione pro aliqua parte, & ad particularem effectum, cur non poterit inferior Papa aliàs potens absolvere ab excommunicatione, absolvere impetrantem ad effectum, ut valeat suum rescriptum? Si tamen impetrans, v. g. ab Episcopo est ligatus excom. à qua Episcopus non potest absolvere, non poterit habilitari, ut validè impetret rescriptum.

3 Continet hæc decretalis unam regulam, quæ fallit in duplici caso. Regula est, quod rescriptum impetratum ab excommunicato est ipso jure nullum, simolque nullus est processus per tale rescriptum habitus. Fallit verò in duobus ca-

sibos

sibus nimirum in causis excommunicationis, & appellationis.

4 Quamvis verò rescriptum magis propriè sumptum, sit illud per quod Papa disponit pro observantia juris, ut cùm dat judicem ad hoc, ut jus suum tribuat illi, cui competit; cùm verò Papa rescribit secundùm jus, nimirum conferendo aliquod beneficium Ecclesiasticum, hoc rescriptum dicatur beneficium, vel gratia, sed cùm rescribit contra jus ad favorem hujus, vel illius privatæ personæ, rescriptum dicatur privilegium; tamen in præsenti rubrica rescriptum communiter accipitur pro omni ea dispositione, quæ non est lex, seu constitutio, aut præceptum, Gloss. *in rubrica*. In hoc verò, *cap. Accipitur*, pro rescripto, sive ad lites, sive ad gratiam quamcumque, in qua contineatur communicatio cum aliis. Sic enim, & collatio beneficii impetrata ab excommunicato est nulla, sicut nullum esset privilegium, si illud obtineret. Gloss. *v. non valet*. Franc. *num.* 3. Barb. *num.* 6.

5 Hinc optima ratione hæc rubrica de rescriptis posita est immediatè post rubricam de constitutionibus: Primò enim agendum fuit de dispositionibus Papæ summi legislatoris in genere, quam de hac, vel illa dispositione, & lege ad materiam specialem spectante, sicut spectat rescriptum; unde Salvest. *v. rescriptum*, ex Gofred. definit rescriptum, ut sit mandatum Principis faciens jus non generale, sed speciale in negotiis, & inter personas in quibus, & inter quas promulgatum est, *l. 1. C. de leg. & constit.*

6 Dubitat verò Gomez hic *num.* 1. qua ratione cum rescriptum sit quid extrajudiciale sit irritum, cùm extrajudicialia non negentur excommunicatis, *cap. Veritatis, de dolo, & contumacia*. Responsio tamen communis est, quod rescriptum est præambulum ad judicium. Nec obstat, quod in contrarium affert Gomez, quia scilicet rescriptum est præambulum divisibile à judicio, cùm multis concedatur impetratio rescripti, quibus negatur prosecutio judicii, *l. 1. C. de prec. Imp. offer.* Nam quidquid sit de hoc, advertendum est, quod judicium delegatum non potest fieri sine rescripto, unde rescriptum per quod datur judici delegato jurisdictio est præambulum, quod est judicii fundamentum, & quidem ex parte actoris se tenens, unde meritò cùm excommunicato negetur agere in judicio, negatur etiam validum rescriptum, per quod in judicio agere valeat. Propriè autem rescriptum non est actus mixtus ex judiciali, & non judiciali, sed est actus extrajudicialis, qui fundamentaliter, & originaliter, & ideò non propriè, sed analogicè est judicialis. Cæterùm nec verum est, quod impetratio ad extrajudicialia, non censetur negata excommunicatis, ut suprà dictum est *num.* 6. & dicetur *num.* 5.

7 Ex disjunctiva autem, qua utitur textus colligit Anchar. *num. 2. not. 2.* quod rescriptum non est de processu, sed est quid ab eo diversum, nisi postquam fuerit præsentatum. Crotus *num.* 2. Nam tunc dicitur de processu, ut per Innoc. & alios in *cap. Conquestionem de restitut. spol.* Quia rescriptum delegatorium à tempore præsentationis accipit suum robur, *cap. Ut debitus, de appellat.* Etenim tunc jurisdictio tribuitur, quæ posteà per citationem continuatur. *Cap. Gratum, de off. deleg.* Hìc verò processus sumitur, ut significat totum illud, quod in judicio ventilatur, & producitur ab utraque parte scribendum à notario usque ad sententiam, *cap. Quoniam, de probat.*

8 Processus autem ille nullus est qui fit ex vi jurisdictionis delegatæ, per rescriptum nullum ab excommunicato impetratum, & eo agente, & instante. Nam si processus fiat à judice ordinario etiam ad instantiam excommunicati, non est nullus ipso jure, licèt sit irritandus ad instantiam partis, & defectum excommunicationis actoris opponentis. Gloss. Dom. *num.* 3. Prob. *num.* 2. Barb. *num.* 34. Ratio autem est, quia jurisdictio ordinaria non incipit ab instantia actoris excommunicati, sed aliundè venit, omninò independenter ab illo, nam & potuisset contingere, quod judex jurisdictionem habuisset, actore excommunicato etiam nondum nato. Sed jurisdictio delegata per rescriptum ab actore excommunicato impetratum conceditur, & sic ab ejus instantia ortum habet.

9 Aliam rationem reddit Rota, nimirum quia jurisdictio ordinaria sit favorabilis, delegata verò extraordinaria sit odiosa, *cap. Ad hæc sup. de rescript.* Vide Sanchez *l. 3. de matrim. disp. 35. num. 9.*

10 Colligitur quoque ex hac distinctione jurisdictionis ordinariæ, & delegatæ, quod hæc decretalis non corrigitur per decretalem *Pia infra de except.* Quia hìc est sermo de judice delegato ab excommunicato impetrato, & ideò verè nullam habente jurisdictionem, ibi verò de judice ordinario, vel delegato impetrato ante excommunicationem. Gloss. Anchar. *num.* 6. Franc. *num.* 21.

Processus igitur hujusmodi ex vi rescripti nulli formatus 11
est nullus ipso jure, & ideò ita nullus, quod nec per absolutionem excommunicati potest validari, quidquid in contrarium senserint aliquæ glossæ, quas rejecit Bernard. ut notat Gloss. hic & Franc. *num.* 5. Barb. *num.* 16. Quod enim ab initio est nullum ipso jure, tractu temporis non convalescit.

Advertunt verò Anchar. *num. 2. not. 3.* Franc. *num.* 2. 12
Crot. *num.* 19. hanc clausulam *non valeat* non importare nullitatem ipso facto, nisi prout fit in hac decretali dicatur *non valeat ipso jure*. Nam si clausula *non valeat* significaret ex se ipsa nullitatem ipso jure, superfluè hic fuisset additum & dictum *ipso jure non valeat*. Nihilominus ubi hoc verbum *non valeat* ponatur simpliciter, quod importet nullitatem ipso jure, multi volunt, & ita in hoc sensu illud interpretantur *in cap. Quia propter de elect.* Panorm. *§. vel saltem, n.* 5. & alii DD. *commun.* prout etiam adnotavi *in tract. de elect. cap. 9. n. 7.* Unde potius dicendum videtur, quod dictio *ipso jure* hic addita fuit majoris expressionis gratia, *arg. leg. qui mutuam, ff. mand.*

Sed ut verum fatear invenio modo in hac sententia diffi- 13
cultatem, ob quam licèt à sententia communi, quam ibi sequutus sum, recedere nolim nisi aliud occurrat, redditur tamen apud me illa sententia minus certa. Nam ut habetur ex Gloss. *in cap. Auditis ver. ex post facto de elect.* Nullitas juris non est idem quod nullitas ipso jure, sed nullitas à jure dicenda est etiam nullitas ope exceptionis, cùm à jure imponitur. Et si spectemus significationem verbi *non valeat* per se non significat, nisi quid commune ad nullitatem ope exceptionis, & ad nullitatem ipso jure, quod non leviter ex hoc textu probatur, qui addidit dictionem *ipso jure*, ut significaret se non loqui de nullitate ope exceptionis, & quod dicitur, textum hoc addidisse ad majorem explicationem; etiam hoc dato, quod non est certum, nec solidè probatum, ex eo habetur quod non sunt synonyma hæc duo, scilicet, *non valeat, & non valeat ipso jure*, quia ut hoc secundum intelligatur necessaria est additio dictionis *ipso jure*. Nam certè in proprietate sermonis, id non valet, quod à jure statutum est, ut ope exceptionis non valeat. Quo stante jam certè hoc verbum *non valeat* simpliciter prolatum est obscurum, & intrat regula trigesima, *In obscuris, inf. de reg. juris*, in qua decernitur, quod in obscuris minimum est accipiendum, & pariter intrat *reg. 15. odia*, & *49. in pœnis, eod. tit. & libro*. Quod verò nullitas sit pœna habetur *inf. cap. dispendia, §. Reus, in hoc tit.* & advertit Dom. ob illa verba textus, simili pœna puniendus. Videtur igitur quod verbum *non valeat* simpliciter etiam probatum minimum significet, & benignè seu strictè sit intelligendum pro nullitate ope exceptionis, non verò pro nullitate *ipso jure*, nisi aliquid aliud addatur, ex quo colligi debeat mentem legislatoris fuisse imponere nullitatem, ut incurrendam *ipso jure*, seu *ipso facto*.

Multa verò hìc habet Gomez de vi, & virtute hujus clau- 14
sulæ *ipso jure*. Hoc advertendum, quod licèt nullitas inducta ipso jure non habeat executionem nisi præcedente judicis sententia saltem declaratoria, exceptis censuris, irregularitate, & si quæ sunt alia secum ferentia executionem, juxta notata *in cap. ut Animarum sup. num. 38. tit. prax. super.* De quo articulo etiam plenius dixi *tract. de elect. cap. 25. quæst. 51.* Nihilominus eadem clausula magnum effectum habet, & de facto diminuit dominium rei, seu rei valorem tollit adeò, ut nullitas actus retrotrahatur ad punctum commissi delicti, aut actus sic nulliter gesti. Unde benè colligit Gloss. quod rescriptum impetratum ab excommunicato, est taliter nullum, & taliter nullus est processus inde habitus, ut neque ex partis consensu possit validari, Jo. Monach. Anchar. *num.* 6. Francus *num.* 4. Prob. *num.* 1. Barbos. *n.* 30.

Rescriptum igitur ab excommunicato impetratum est 15
ipso jure nullum, nullamque judici delegato confert jurisdictionem. Et hoc universaliter verum est, sive sit rescriptum ad lites, sive ad beneficium, vel gratiam, vel donationem, vel dispensationem, vel privilegium, nam ex vi hujus decretalis excommunicatus est inhabilis ad impetrandum

dum Gloss. Franc. *num.*3. Barb. *num.*6. & apud eum Ricciul. & Roman.

16 Et ita nullum, ut si rescriptum sit impetratum ab excommunicato, & non excommunicato simul in causa individua, illud ex parte utriusque sit inane. Et ita etiam in causa dividua, si non excommunicatus fuit conscius excommunicationis sui socii. Crot. *num.*21. Barbos. *num.*4. Sed Gomez loco citato tenet contrarium, & absolutè vult validum esse rescriptum impetratum etiam in causa indivisibili. Quia imò in ea causa non excommunicatus ex natura causæ indivisibilis necessitatur, ut conveniat cum excommunicato in impetrando. Et quia magis dignum trahit ad se minus dignum *cap. Tuam, de ord. cong. cap. quanto de jud.* Duo hic mihi consideranda videntur. Primum an rescriptum sit petenti debitum, vel ex sola gratia concedatur, secundum an non excommunicatus sit in casu in quo potest communicare cum excommunicato. His enim pensatis, dicitur quod si rescriptum est debitum, & non excommunicatus non est in culpa communicando cum excommunicato in petendo rescriptum, non est verisimile, quod Pontifex voluerit innocentem puniri sine sua culpa, & privari rescripto sibi debito ex consortio excommunicati. Et in hoc casu potius dicendum est, quod etiam si causa sit indivisibilis, jus potius non puniat culpa, quam quod velit sine culpa puoire noo excommunicatum ob culpam excommunicati. Et hoc secundo crederem extendendum etiam, si rescriptum ex mera gratia concedatur. Quia ubi in non excommunicato non est culpa communicare cum excommunicato, dignius est quod in Principe misericordia, & gratia, seu clementia vindicativam justitiam superexcedat, & quod potius Princeps sit misericors cum nocente in gratiam innocentis, quàm quod velit ob culpam alterius innocenti negare id, quo est dignus. Sed ubi non excommunicatus est in culpa communicando cum excommunicato in petendo rescriptum, meritò punitur simul cum illo, & sic rescriptum est nullum, nisi sit adeo levis colpa, ut sit dignus venia, & ut sibi non negetur rescriptum si est debitum.

17 Videri autem poterit quod regula verificetur nedum de rescriptis impetratis à Papa, sed à quocumque Papa inferiore. Textus enim iste absolutè loquitur, & ideò absolutè de omni rescripto ab excommunicato impetrato intelligendus. Franc. *num.*6. *versic. in ea* Gloss. & *n.*18. Barb. *numer.*7. Quod intelligendum esset solo jure hujus decretalis considerato. Nam si consuetudo se habet in contrarium, ut referunt Navar. *consil.* 28. *alias* 44. *de sent. excom.* & Suarez *de cens. disp.* 17. *sec.* 1. *numer.* 2. hæc est servanda.

18 Sed & absolutè loquendo dico cum Navar. & Suarez loco citato, quod in jure sub nomine rescripti sic absolutè prolato, non veniunt nisi rescripta supremorum Principum, ac propterea non est certum, sed opinabile quod rescripta à Prælatis inferioribus ab excommunicato impetrata sint ipso jure nulla, & non potius sola exceptionis ope annullanda.

19 Quamobrem propterea regula extendenda videtur, ut sit vera etiam de rescriptis impetratis à Principe Sæculari; quia sub nomine rescripti non minus venit rescriptum Principis, quàm Pontificis, *l.*1. & toto *tit. C. de divers. rescript. l. Quoties, C. de prec. Imper. offer.* Navar. *d. cons.*28. quem sequitur Barb. *num.*8. secundùm Suarez ubi suprà *num.*3. melius dicitur non extendi. Nam in hac rubrica de Canonicis rescriptis est sermo. Et ita de his Canonistæ intelligunt hunc textum nulla sæcularium rescriptorum facta mentione. Et leges pœnales non sunt extendendæ. Nec tam de facili propositiones indefinitæ accipiendæ sunt ut universales, & comprehendentes ea, quæ ad sæculare forum spectant; nisi specialis ratio hoc suadeat.

20 Nec juvat quod rescriptum sit impetratum, ab excommunicato parte alia consentiente; quia nulla pars potest habilitare excommunicatum ad valide impetrandum, cùm ad hoc sit inhabilis à jure, sed hoc solius est Pontificis, *cap. Olim, cum ibi not. de re jud.* Dom. *num.*7. *vers. hoc dictum est* post Butrium *num.*19. Barb. *num.*11.

21 Est verò adeò nullum, ut nec valeat ad inducendam litis pendentiam, cùm hæc non possit introduci sine jurisdictione, Gomez *num.*31. Card. *in Clem. fin. quæst.*4. *ut lit. pend.* quem sequitur hic Barb. *num.*13. Et uno verbo cùm per hujusmodi rescriptum nulla judici delegato tribuatur jurisdictio, ac si illud non fuisset datum nec impetratum, nullum valet effectum producere, quia non entis nullus esse potest effectus.

Hinc est, quod licèt dici soleat subreptionem in beneficialibus inducere nullitatem ipso jure, *cap. Si motu proprio inf. de praben. & cap. Cum nostis, sup. de concess. prab.* subreptionem verò ad lites solum inducere nullitatem ope exceptionis inferendam; hoc non habet locum in rescripto impetrato ab excommunicato, in quo subreptio surgit ab excommunicatione, & ideò subreptio ab excommunicato commissa tacente eo se esse excommunicatum inducit nullitatem ipso jure. Dom. *num.*3. Franc. *num.*2. nullo modo sanabilem, etiam per absolutionem, ut præter DD. scribentes in hac decretali adnotavit Panorm. *cap. Bona, n.*6. *vers. Præterea de ætat. & qual. & cap. Præsentiam, §. Sexta, n.*10. *de off. deleg.* 22

Regula tamen intelligi debet de excommunicatione majori, Gloss. hic Domin. *num.*22. Gomez *num.*42. Panorm. *cap. à nobis, de except. & cap. Intelleximus, de jud.* Card. *in Clem.*1. *quæst.*35. *de privil.* Intelligitur etiam de excommunicato absolutè: nam si aliquis sit excommunicatus sub conditione, pendente conditione, interim validè potest rescriptum impetrare. Prob. ad Mon. *num.*2. Barb. *num.*27. Intelligitur quoque de excommunicato actu tempore impetrationis. Nam si excommunicatio superveniat impetrationi, & commissioni jam datæ, vel gratiæ impetratæ, rescriptum non est nullum ipso jure, licèt ope exceptionis fiet inutile, sed tamen præmissa absolutione, qui impetravit rescriptum poterit eo uti, quia rescriptum non est in se nullum, sed eo uti impeditur excommunicatus, unde nec potest illud præsentare. Put. *decis.*118. in una Floren. *lib.*3. cùm præsentatio rescripti sit pars processus. Ad quem prosequendum est impeditus excommunicatus, qui est inhabilis ad judicia in forma actoris, ut hic habet Domin. *num.*2. Sed si absolvatur ab excommunicatione, tollitur impedimentum, ut jam possit uti rescripto valido, utpote ante excommunicationem impetrato Anch. *n.*16. Franc. *num.*21. Crot. *n.*63. Navar. *d. cons.*24. Barb. *num.*29. 23

Intelligenda verò est regula data de omni excommunicato majori excom. etiam occulta. Nam excommunicatio ad producendos effectus suos respectu excommunicati non indiget judice exequente, sed statim in foro conscientiæ excommunicatum ligat. Neque in hoc casu juvat vel extravag. *ad evitanda*, vel *l. Barbarius de off. Prat.* Quia illa nihil concedit ad favorem excommunicati, sed solùm permittit aliis, ut cum excommunicato non notorio aut non denunciato possint communicare. Silvest. *v. rescriptum n.*2. Suarez *de cens. disp.*16. *sect.*3. *n.*5. Ex vi verò *l. Barbarius*, sustinentur acta habita intuitu publici officii, & communi errore suffragante. In his autem quæ geruntur nomine privato non est differentia inter occultum, & publicum quoad actus validitatem. Innoc. *in cap. Cum dilectus, de consuet.* Panorm. *cap. Consulti, num.* 22. *de Proc.* Jo. Andr. hic. Actor verò in judicio pars est privata, & ad sui utilitatem agens, sicut & rescriptum ad privatam utilitatem regulariter impetrantis conceditur, quod si ille sit excommunicatus etiam occultus, est inhabilis ut validum impetret rescriptum Archid. Anchar. Dom. *num.*5. Franc. *num.*3. & 5. Gomez *n.*38. Crotus *n.*29. Barb. *n.*3. Panorm. *cap. fin. n.*1. *de probat.* Cenced. *decis.*1. *de preb.* Silvest. *v. rescriptum*, *n.*2. Suarez *de cens. d.*17. *sect.*1. *num.*4. 24

Hinc colligitur hujusmodi rescriptum in foro conscientiæ etiam nullum esse, & non licere impetranti eo uti. De hoc quidem dubitat Navar. apud Suarez, eò quod lex ista sit pœnalis, sed hoc non obstat, quia pœna hæc lata contra excommunicatum sequitur naturam censuræ, quæ secum fert executionem. Et ideò quamvis excommunicatus sit occultus in conscientia, ligatur ut non possit uti hujusmodi rescripto nullo, Silvest. *v. rescriptum*, *n.*2. Suarez *de cens. disp.*7. *sec.*1. *num.*4. 25

Et tandem regula intelligenda est de excommunicato non absoluto. Quia si sit absolutus, non est amplius excommunicatus. Et ideò si fiat mentio in rescripto de excommunicatione, etiam si non apponeretur clausula *Teque absolventes*, impetrans censendus esset absolutus. Franc. *num.*18. qui non benè hoc limitat, ut non verificetur in rescripto inferiorum; quia & in illis veritatem habet respectu censuræ, à qua possunt absolvere, ut suprà dictum est. 26

Per relativum autem *alio* excluditur omnis alius casus 27

præter

præter duos illos excommunicationis, & appellationis. Ita quod ex nulla alia causa potest ab excommunicato rescriptum validum impetrari.

28 Præterquam in casu excommunicationis. Nam in causa excommunicationis excommunicatus potest esse actor Glos. *not*.3. Si enim excommunicatus se esse injustè, vel nulliter damnatum, & excommunicatum sentiat, vel sibi injustè negetur absolutio, potest ad Papam recurrere, & ex hac causa validum rescriptum obtinere, *cap. Cum pro causa, cap. Per tuas, de sent. excom.* Gloss. hìc *not*.3. Jo. Andr. Dom. *num*.4. Franc. *num*.2.

29 Quod extenditur, ut si contingat aliquem duplici excommunicatione esse ligatum, possit ex causa unius validè impetrare, nec ex causa alterius poterit impediri, Franc. *num*.2.

30 Fallit secundò in causa appellationis, excommunicatus enim potest appellare, ut notat Gloss. *not*.3. & à Pontifice judices delegatos impetrare. Quod tamen Jo. Andr. & Franc. *num*.3. intelligunt, & benè de appellatione in causa propria non autem de appellatione, aut excom. alterius. Hinc est, quod excommunicatus non potest adversarium suum reconvenire, in alia causa, quam sit illa de qua agitur, & ut se ipsum defendat. Palaus *disp.2. de cens. part*.14. *num*.10. Reconvenire enim est agere, *cap.2. de mut. petit*.8. *cap.2. de ord. cognit.*

31 Potest verò excommunicatus hanc appellationem suam prosequi etiam ante absolutionem, & etiam si sit originarius actor, Jo. And. Fraoc. *num*.3. Tamen si appellet ab interlocutoria finito appellationis processu rejicieur ne transeat ad ulteriora. Sed si appellet à diffinitiva, admittitur indistinctè secundùm Franc. *num*.3.

32 Notatur hìc quod Articulus est pars intentionis continens illud quod actor, vel reus vult probare, *cap. Veniens el. 2. §. Pars autem de testam.* & articuli aliquando dicuntur intentiones, & aliquando assertiones. Gloss. hìc *in princ.*

33 Notatur etiam quod benè ex vi significationis hujus nominis impetratum colligit Gloss. quod hìc attendi debet terminus impetrationis, seu dies datæ, *cap. Eam te, sup. eod. tit. & cap. Tibi, qui infr. eod. tit. & cap. Eum cui, de prabend.*

SVMMARIVM.

34 *Distinguitur sensus quæstionis.*
35 *Excommunicatus non potest per procuratorem impetrare.*
36 *Constitutio Procuratoris ab excommunicato facta non tenet.*
37 *Ex superveniente excommunicatione quando non impeditur procurator.*
38 *Excommunicatus incidens in censuram non potest per procuratorem impetrare.*
39 *Opiniones diversæ*, 40.
41 *An non excommunicatus possit impetrare medio excommunicato.*
42 *Textus loquitur de impetrante pro se.*
Excommunicatus impetrat pro alio, 42.
43 *Sed ope exceptionis impetratio est nulla.*
44 *Excommunicatus pro excommunicato non impetrat validè.*

Quæstionis Primæ

De nullitate rescripti ab excommunicato impetrati.

ARTICULUS I.

Vtrùm non obstante excommunicatione possit validè impetrari rescriptum per Procuratorem.

34 DUplicem sensum potest habere hæc quæstio. Primus est ut Dominus ipse sit excommunicatus, & sic sit quæstio, an excommunicatus per procuratorem non excommunicatum possit impetrare validum rescriptum. Secundus est, si Dominus non sit excommunicatus, sed sit excommunicatus procurator, an validè per eum rescriptum obtineatur.

35 In primo casu habetur resolutio ex dictis à Jo. And. *cap. Consulti de Procurat.* & Anchar. *hic quæst.7. num.7.* ubi universaliter tractant an administratores excommunicati repellantur ab agendo, & multiplici distinctione quæs. solvunt. Vel enim administrator consequitur facultatem, & exercitium administrandi à constitutione facta per Dominum, & hoc modo si Prælatus, vel privata persona constituens repellatur, etiam repellitur administrator ab eo constitutus. Et sic procurator constitutus à Domino excommunicato non potest nomine illius validum impetrare rescriptum. Illius enim personam repræsentat, quæ à jure repellitur, ne petere, & impetrare possit. Unde nec potest procuratorem instituere, Gomez *n*.38. *Et in cap. fin. de procurat.* nulla habetur institutio Procuratoris facta ab excommunicato. Et propterea ibi Panormit. & alii dicunt, quod excommunicatus non potest per Procuratorem impetrare. Procurator enim censetur moraliter eadem persona cum principali; nec agit nisi virtute, & auctoritate principalis; unde procurator excommunicati non potest facere, quod non potest facere excommunicatus.

36 Aliquando verò administrator, postquam semel est constitutus, non recipit à constituente facultatem, & exercitium agendi, sed illud habet à jure, ut vice Dominus, aut syndicus ab universitate constitutus, qui statim à canone facultatem, & exercitium agendi habet, *cap. Quoniam in quibusdam, dist*.89. Et in eo casu si constituens tempore constitutionis erat excommunicatus, non tenet constitutio ab excommunicato facta. Nisi esset excommunicatus toleratus, & errore communi suffragante nomine publici officii ageret, quia tunc constitutio sustineretur.

37 Sed si excommunicatio accidit post constitutionem, non nocet administratori, qui oon agit ex virtute habita ex constitueote, sed à jure supposita legitima constitutione, & non agit nomine constituentis, sed universitatis, *cap. habet 2. quæst*.3. Et ita si esset interesse universitatis, ut ageret ad defensiam Prælati excommunicati, posset Procurator à Prælato constitutus, ut suprà etiam pro Prælato rescriptum petere, & impetrare directè agendo pro interesse universitatis. Hæc verò procedunt in administratore perpetuo, qui nomine Ecclesiæ administrat. Nam administrator temporalis, si administrat nomine constituentis, ut Vicarius Episcopi, non agit validè nomine excommunicati principalis. Et in hoc casu excommunicatio Episcopi superveniens noceret Vicario, *cap. Romana inf. de offic. Vicarii.*

38 Sic ergo patet, quod Dominus excommunicatus nedum si erat excommunicatus, quando constituit Procuratorem, sed etiam si posteà incidat in excommunicationem, non potest per Procuratorem non excommunicatum impetrare rescriptum validum: Non enim potest per Procuratorem agere, *cap. Vltimo de Procurat.* ubi Innoc. & Panorm. & alii, Silvest. *v. Procurat.* Suarez *de cens. disp.16. sec.3. num.4.* Bonac. *disp.2. quæst.2. part.7. num.5.* Leander *disp.12. qu.2.* A S. Vinceotio *disp.3. qu.10. num.128.* nisi in casibus hic expressis, in quibus nec ipse excommunicatus rejiceretur, si per se ipsum peteret. Jo. Monac. *hic n.7.* & post Lap. Franc. *num*.10. Sayrus *lib.2. de cens. cap.7. in fin.* Suarez *disput.16. sect.3.* Palaus *disput.2. part.14. num.7. & 12.* Leander ubi suprà.

39 In alio autem casu non parva controversia est inter DD. Nam aliqui absolutè, & sine distinctione negarunt posse à non excommunicato per Procuratorem excommunicatum impetrari rescriptum validum. Ita Jo. Monac. *à num*.3. Anchar. *num.7. vers. Sed nos loquimur*, Silvest. *v. rescriptum, num*.2. Tabien. *num*.2. Fundantur verò in hoc textu, qui absolutè loquitur, & vult quod rescriptum impetratum ab excommunicato sit nullum, & quia major ratio est irritandi obtentum nomine alieno quàm proprio; quia imò quandoque admittitur excommunicatus ad defensionem causæ propriæ, qui non admittitur ad defensionem causæ alienæ, ut *in cap. Post cessionem, de probat.* Et ideò quod excommunicatus non possit validè impetrare pro alio tenuerunt etiam Panorm. *in cap. fin. num.1. de procur. & cap. ad probandum, de re jud.* & Felin. *in cap. Post cessionem, circa fin. de probat.* à S. Vincentio *de cens. disp.3. quæst.10. num.15.* & alii DD. communiter.

40 Sed è contra Archid. hic *num*.2 existimat, quod textus intelligi debeat de impetrante rescriptum nomine proprio. Quamobrem ait posse quidem rejici Procuratorem excommunicatum, & ope exceptionis posse invalidari rescriptum per eum impetratum, etiam pro casibus hic exceptis, sed illud non esse ipso jure oullum. Idem voluit Lap. Fundantur

verò

verò in eo, quod casus hic excepti loquuntur de impetrante nomine proprio, & pro se; ergo & regula ita debet intelligi, quia exceptio debet esse de regula, ut per Gloss. *in proœm. Clem. & in cap. 1. vers. Vel extra inf. de appell.*

41 Sed Jo. Calder. distinguendo dicebat veram esse sententiam Jo. Monac. & Anchar. si Dominus, aut Procurator erant conscii excommunicationis, veram verò esse opinionem Archid. & Lap. si illam probabiliter ignorarunt, & Antonius de Butrio *in cap. Post cessionem, de probat.* veriorem de rigore juris existimans *opin.* Archid. censet in practica sequendam opin. Jo. Calder. Gomez verò *num. 35.* aliter concordat opiniones extremas oppositas, ut scilicet possit excommunicatus impetrare pro alio in illis casibus, in quibus posset pro se, secus in aliis.

42 Sed cùm simus in materia pœnali, & odiosa, & strictè Interpretanda, rationabilis est sententia Archid. quam tenet etiam Franc. *num. 10.* & Crotus, *num. 22.* Ratio est, quia verba illa textus, *super alio quàm super excommunicationis vel appellationis articulo*, limitant quidem causam pro qua excommunicatus impetrare possit rescriptum, sed non limitant dictionem illam ab excommunicato, sed explicant, & significant causam excommunicationis, & appellationis ejusdem excommunicati, ut sensus sit excommunicatum non posse validè impetrare, nisi in causa suæ excommunicationis, & appellationis. Unde textus loquitur de excommunicato pro se agente, & impetrante. Et sic verum quoque est, quod excommunicatus potest impetrare pro alio, scilicet pro non excommunicato, si agat ut ejus procurator, quamvis contrarium velit Gloss. *in v. alio.*

43 Hoc tamen intelligitur, ut rescriptum non debeat censeri nullum ipso jure, ita tamen ut exceptionis ope possit impediri procurator excommunicatus, ut non impetret, & ut dixit Lap. impetratio hæc nulla erit ope exceptionis.

44 Hinc sequitur rescriptum multò magis esse nullum, quando excommunicatus impetrat pro excommunicato. Ideò quod non valeat rescriptum obtentum ab excommunicato pro alterius excommunicati absolutione, benè dixerunt Jo. Andr. & Dom. *num. 6.* Si tamen excommunicatus impetret pro excommunicato non ut illius procurator, & ex ejus authoritate, sed ex propria voluntate, & facultate rescriptum non erit nullum nisi ope exceptionis, & ex vi aliorum canonum, non ex vi hujus, qui non prohibet excommunicatum impetrare pro alio, sed pro se ipso.

SUMMARIUM.

45 *Excommunicatus in fraudem validè impetrat secundum aliquos.*
46 *Hoc rejicitur. Non est fraus ubi excommunicatio est justa, & valida.*
47 *An possit impetrare pro remissione in possessionem.*
48 *Non potest impetrare super confecutione judicis.*
49 *Nec admitti ad conventionem judicum.*
50 *Potest impetrare, si sit declaratus non excommunicatus.*
51 *Processus in vim rescripti obtenti ab excommunicato est nullus, etiam si sententia sit lata contra illum.*
52 *Nec rescriptum est validum, ex quo sit datum motu proprio, secundum aliquos.*
53 *Oppositum probatur.*
54 *Et hoc est verum etiam in inferioribus.*
55 *Et validum est, si sit ex certa scientia.*
56 *Posse impetrari Auditorem Rotæ, diversimodè fuit opinatum.*
57 *Auditores Rotæ habent jurisdictionem à tempore creationis.*
58 *Non impetratur distribui causam Auditoribus Rotæ, nisi sit impetratum eam committi Rotæ.*
59 *Non potest in suum commodum impetrare rescriptum inquisitionis.*
60 *Posse validè obtinere in favorem Religionis aliqui dicunt.*
61 *Oppositum probatur.*
62 *Non potest validè impetrare rescriptum pro recuperatione famæ.*
63 *Nec pro liberatione à carcere.*
64 *Regula textus est vera sine alia limitatione.*

Quæst. primæ

ARTICULUS II.

An præter duos casus exceptos in textu, dentur alii, in quibus rescriptum ab excommunicato impetratum non sit ipso jure nullum.

Dominicus *num. ult. in fin. 15.* limitationes numerat, 45
quibus etiam, præter duas positas in textu, limitat regulam principalem. Alii etiam alias limitationes assignant, quas opus est examinare, ex quibus aliæ spectant ad partem secundam textus, aliæ sunt explicationes textus, & sunt manifestæ, aliæ autem non subsistunt, undè sunt examinandæ. Prima est quando excommunicatus impetrat contra suum Episcopum, qui occultè illum excommunicavit, ut ejus non valeret impetratio; Ita alii ponunt regulam generalem dicentes excommunicationem latam in fraudem ad effectum impediendi subditum ne possit impetrare rescriptum, non impedire, quin rescriptum impetratum sit validum. Ita Barbosa *num. 22.* referens pro eadem sententia Felin. *in cap. fin. num. 3. de except.* & alios, sed Domin. *num. 4.* ex Speculatore exemplificat in casu valdè particulari, & conditionato, scilicet in terminis Clerici volentis accusare Episcopum, & impetrare contra illum rescriptum, quem Episcopus occultè excommunicat, ut impediat impetrationem rescripti. Sed limitationem admittendam esse non video.

Nam hujusmodi excommunicatio, vel est valida, & ju- 46
sta tam ex parte causæ, quàm ex parte formæ, vel licèt sit justa ex parte causæ, est injusta ex omissa aliqua forma seu solemnitate, vel est injusta & invalida: si est injusta & invalida, indubitatum est, quod non impedit impetrationem rescripti, cùm ipsa non sit excommunicatio, nec impetrans propterea verè sit excommunicatus. Si verò est justa & valida, & sine aliquo defectu lata; non potest dici, quod Episcopus sit fraudulentus, aut dolosus; quia non est fraus, ubi non est injustitia. Nec finis extrinsecus, etiam si esset injustissimus, & pessimus, facit quod actio ipsa justa, & valida sit fraudulenta, seu quod in nostro casu Episcopus fraudulenter Clericum excommunicaverit, cùm usus fuerit jure suo, salva justitia, & non nisi justè ac validè excommunicaverit Clericum. Si autem dicitur, quod excommunicatio fuit justa ex parte causæ, & etiam formæ substantialis, & sic valida ex hac parte, fuit verò injusta ex defectu alicujus formæ accidentalis, ut quia lata occultè non præmissa trina monitione, vel ex aliquo simili defectu, quia jam cessat injustitia contra justitiam commutativam respectu excommunicati; si enim esset hoc modo injusta, simul esset nulla, & invalida, ut si Episcopus excommunicasset Clericum pro crimine manifestè falso, vel in judicio non probato. Quia, inquam, cessat hæc injustitia, quod aliàs non sit servata forma accidentalis ferendi censuram, qualis est trina monitio, excommunicatio est iniqua, & contra justitiam legalem, non verò contra justitiam commutativam. Suar. *de cens. disp. 3. sect. 12. num. 1. & 4. sect. 7. num. 3.* Et sic cessat fraus, & dolus contra Clericum. Qui aliàs cùm sit justè excommunicatus, & sit in culpa, non debet ex culpa sua favorem recipere, ut justè excommunicatus possit contra hanc decretalem validè rescriptum impetrare. Episcopi verò iniquitas in ferenda censura meretur quidem pœnam, sed hæc non est, ut justè ab eo excommunicatus non sit subjectus pœnis excommunicatorum, sed illa à suo judice est ei imponenda. Et interim excommunicatus justè sibi imputet, si impeditur, ne validè rescriptum impetret, qui commisit crimen dignum excommunicatione.

Secunda limitatio est, quando excommunicatus petit 47
defensivè veniendo ad retractationem missionis in possessionem ex primo decreto. Oppositum hujus limitationis sentit hìc Jo. Andr. & Hostien. *in cap. Dilecto, de verb. significat.* Quia ex quo non admittitur ad impetrandum rescriptum, multò minus admittitur ad petendam revocationem possessionis, juxta notata per Innocentium *in d. cap. Dilecto, de verbor. signific.* Barbosa etiam *num. 9.* absolutè affirmat excommunicatum nec in petitorio, nec in possessorio validum rescriptum impetrare posse, referens inter alios Innocent. *in cap. Pastoralis, de appellat.* Sed Domin. *num. 7.*

fundat

fundat se super facultate, quam habet excommunicatus, ut se defendat. Unde juxta doctrinam Bart. *in l. de pupillo*, §. *Si procurator*, *ff. de nov. oper. nunciat.* inquit, quod si excommunicatus venit principaliter ad se defendendum, & in consequentiam petit revocationem possessionis tenutæ, quod debet admitti; secus si principaliter petat ipsam revocari. Addit verò ex Ant. quod si excommunicatus fatetur possessionem esse validam, sed revocandam, quod tunc videtur principaliter petere revocationem: Sed si asserat eam esse nullam, & sic tanquam nullam eam petat revocari, quod tunc videtur principaliter intendere defensionem, Francus *num.* 13. dubitat, an possit excommunicatus impetrare super nullitate. Notitia veritatis hujus limitationis pendet ex quæstione infrà examinanda; an liceat excommunicato se defendere, & etiam si non appellet, nihilominus possit ad sui defensionem rescriptum impetrare. Si enim hoc potest, sicut eum posse probabitur, sequitur quod spoliatus injustè à judice ex vi primi decreti possit, ut se defendat, rescriptum impetrare. Et quidem hoc facere non potest, nisi spoliatio sit injusta, & verè nulla, quia si est valida, non habet unde se defendat, & velle impetrare contra judicis iniquitatem commissam in forma judicii esset agere, non verò se defendere.

48 Tertia limitatio est, quando actor, & reus simul impetrant super consecutivis judicii, & sic super uno de articulis causæ pendentis, puta receptione testium. Est autem hoc indubitatum eum posse in casibus exceptis in hac decretali. Jo. And. Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 15. Barbos. *num.* 24. Et si excommunicatus est reus in omnibus illis casibus, in quibus potest se defendere, potest simul impetrare super consecutivis rescriptum, ut dd. DD. tradunt. Sed ubi excommunicatus est actor in prima causa, Jo. Andr. hic se remittit ad dicta in regula *utile infra de reg. juris*, ubi vult quod excommunicatus super istis possit impetrare, nisi adsit oppositio. Nam posita exceptione, licèt oppositio non obstet rescripto impetrato, tamen obstabit productioni testium, quam faciet posteà, ut actor, & hoc idem sentit Dominicus *num.* 9. *& num. ult.* & ex Socin. Barbos. *num.* 24. Sed oppositum est dicendum cum Anchar. *num.* 5. Franc. *num.* 15. Butr. *num.* 21. & Crot. *num.* 42. apud Barbosam, quia obstat hæc decretalis, ex vi cujus rescriptum impetratum ab excommunicato simul cum processu est ipso jure nullum. Et ratio militat, quia cùm totum resultet ex partibus, si excommunicatus posset validè impetrare partem aliquam, cùm sit eadem ratio de aliis, omnes posset impetrare, & sic posset impetrare totum. Propterea Cyn. *in l. si cujusdam*, *C. de accus.* benè asserit, quod is, qui non potest intervenire ut procurator ad causam principalis judicii, nec etiam potest intervenire super consecutivis, ut eadem sit prohibitio in parte, quæ in toto, quia per partes devenitur ad totum.

49 Quarta est quando excommunicatus, & non excommunicatus conveniunt simul in impetratione judicis, non excommunicato principaliter impetrante, Joan. Andr. *in regula utile*, *inf. de reg. jur.* existimat, quod si tempore quo actor, & reus conveniunt in judice, excipitur contra reum, quod sit excommunicatus, impetratio judicis non valeat, quæ tamen valeat si nulla sit oppositio; & ita quod excommunicatus postea absolutus per rescriptum impetratum possit reconvenire reum, & non tamen ante absolutionem secundùm Lapum. Sed Butr. hoc limitat, & ait verum esse, si actor sit, qui principaliter impetrat, secus si reus excommunicatus principaliter impetraret, ita quod actor non participaret de impetratione, licèt ei consentire, quia consensus actoris non validaret rescriptum. Consensus enim partis non aufert subreptionem, *cap. Cùm olim, de re jud.* & ex consequenti nec defectum excommunicationis, vel nullitatis. Sed Archid. *n.* 3. quem sequitur Anchar. *n.* 6. absolutè negat, quod reus excommunicatus possit admitti ad conventionem judicum. Nam de stylo curiæ actor petit unum, & reus alterum, & judex dat tertium. Ubi ergo reus excommunicatus dat unum nomine suo, jam dicitur impetrare, quod non potest nisi in casibus hic exceptis. In hac enim conventione partes agunt, & semper impetrant. Nam si datur ille, quem una pars petit, illa obtinet, & si datur tertius à judice, utraque pars obtinet, ut non detur nominatus ab altera earum. Et si ambo idem petunt, ambo obtinent. Solùm igitur excommunicatus potest hic negativè se habere, & nullo modo agere.

Quinta quando pronunciatur super exceptione opposita contra excommunicatum, & decernitur, quod ipse non fuerit excommunicatus, & non est appellatum. In hoc enim casu sententia transit in judicatum, & ita excommunicatus sententialiter declaratus non excommunicatus pro tali est habendus, & sic tanquam non excommunicatus prosequitur judicium, & validè impetrat ad prosecutionem judicii. Sed jam hic in foro Ecclesiæ non est excommunicatus, ideò non mirum si potest impetrare in facie Ecclesiæ. Si tamen in foro conscientiæ est excommunicatus, se debebit gerere ut excommunicatus occultus. 50

Sextò quando in vim rescripti obtenti ab excommunicato sententia esset lata pro reo non excommunicato, & contra actorem excommunicatum, reo ignorante illam excommunicationem. Processum enim, & sententiam in hoc casu latam in vim rescripti contra ipsum excommunicatum, qui impetravit rescriptum, valere dixit etiam Lap. hic. Sed Imola distinguit, & si non excommunicatus ad cujus favorem fuit sententiatum, scivit excommunicationem ejus qui impetravit rescriptum, putat processum, & sententiam non valere, & ei imputandum esse, quod non opposuit, quia fuit in culpa. Sed si ignoravit excommunicationem vult sententiam valere. Et hic est sensus limitationis positæ à Dominico. Sed dicendum est limitationem non esse admittendam, prout voluit Jo. And. *in reg. utile*, *inf. de regul. juris*, & idem Dom. *num.* 13. Barb. *num.* 14. Crotus *num.* 58. Neque enim potest valere processus, & sententia, quæ est à non habente jurisdictionem; quam certè non habet delegatus ex vi rescripti ab excommunicato obtenti. Nec obstat, quod dicitur in contrarium, quia nimirum quod statutum est in odium excommunicati redundaret in ejus favorem, quia sententia lata contra illum esset nulla. Nam hoc est per accidens, & ut adnotavit Butr. hic, non irritatur sententia in favorem excommunicati, sed in odium excommunicationis. Et neque sententia irritatur, sed se ipsa inanis est, cùm à non habente jurisdictionem fuerit lata. Nec ignorantia non excommunicati potuit dare jurisdictionem judici eam non habenti. 51

Septima quando fuit concessum rescriptum motu proprio concedentis. Fundatur hæc limitatio in eo quod rescriptum obtentum à Papa concedente motu proprio non dicitur propriè impetratum, sed ex gratia, & liberalitate acquisitum, Dom. *num.* 13. Franc. *num.* 17. Verùm in oppositum est, quod motus proprius non tollit subreptionem, quæ est ex tacita inhabilitate subjecti. Gloss. *in Clem. si Romanus Pontifex*, *de præbend.* quam valdè commendat Felin. & alii *in cap. causam de testibus*, & Panorm. *in cap. Cum olim in 6. colum. de re jud.* Crotus *num.* 31. & ex Menoch. *de arbitr. casu* 201. *n.* 81. & Sanchez *de matrim. l.* 8. *disp.* 21. *n.* 49. & alios colligit Barbosa *claus.* 79. *num.* 18. Imò addit Gomez hic *num.* 22. ex Arch. *in cap. Cenomanensem* 56. *dist.* & Card. *in Clem.* 2. §. *Cæterùm*, *de re jud.* quod si cum motu proprio adesset clausula supplens omnem defectum juris, & facti, non per hoc persona inhabilis dispensaretur. Cùm verò excommunicatus sit inhabilis ad valida rescripta, clausula motu proprio non juvat, nec facit ut rescriptum datum excommunicato motu proprio sit validum. Nec facienda est vis in verbo impetratum, quod videtur significare, quod non obtinetur ad propriam instantiam, quoniam non est contra naturam motus proprii, quod illum præcesserit instantia, seu supplicatio tanquam occasio rescribendi. Nam & rara sunt rescripta sine instantia obtenta. Et ita etiam dicitur impetratum quod motu proprio Papæ est concessum. Et ideò quod rescriptum motu proprio Papæ obtentum ab excommunicato sit nullum, docent Butr. hic *num.* 17. Crot. *n.* 31. & Barb. *num.* 12. 52

Verùm his non obstantibus prior opinio est præferenda. Etenim admittitur, quod motus proprius non tollit inhabilitatem subjecti, si illam concedens ignorat. Sed dicitur quod ex vi hujus decretalis excommunicatus non est inhabilis ad obtinendum quomodocumque datum, sed solùm ad impetrandum. At verò in jure non dicitur propriè impetratum, quod conceditur motu proprio, etiam si aliqua instantia præcesserit; quia Princeps concedendo motu proprio fatetur, quod non ad instantiam, & preces, sed propriæ voluntatis motu concedit, & sic subditus propriè non impetrat, sed motu proprio donatum consequitur. Ex quo colligitur admitti debere, quod excommunicatus possit admitti. Franc. *num.* 17. nimirum quod restitutionem 53

in

in integrum obtinere adversus sententiam vel super reductione laudi ad arbitrium boni viri; si restitutio concedatur motu proprio. Nec obstat si dicatur cum Croto *dict. num.*31. quod intentio Pontificis non est concedere aliquid excommunicato. Quia si hoc probaret, quod quidquid conceditur excommunicato *est ipso jure* invalidum ex defectu intentionis Pontificis concedentis, jam noster textus esset superfluus decernens rescriptum impetratum ab excommunicato esse ipso jure nullum, cùm hæc nullitas censenda esset adesse ex inhabilitate connaturali excommunicationi. Et nostra quæstio esset superflua, sed negatur intentionem Pontificum universaliter esse nihil concedere excommunicatis. Sed intentio eorum est concedere prout jura disponunt, jura verò solùm disponunt, quod rescriptum sit nullum, si sit impetratum.

54 Voluit verò Domin. quod limitatio sua non valeret in inferioribus Papæ. Nam & Legatus Papæ sicut non potest etiam faciendo mentionem de excommunicatione dare excommunicato delegatum, ita neque hoc potest motu proprio. Sed hoc non subsistit, & magis consequenter loquitur Franc. *num.*17. admittens hoc etiam in inferioribus, quia cùm verum sit, quod textus non loquitur de rescripto concesso motu proprio; non est unde hoc negetur, verùm etiam in inferioribus motu proprio rescribentibus, respectu excommunicati quem possunt absolvere.

55 Octava est, quando Papa rescribit ex certa scientia excommunicationis. Hanc limitationem latè probat Probus ad Monachum *num.*4. *& sequent.* ex regula generali, quod quotiescumque Papa, aut Imperator, aut Princeps supremus confert gratiam incapaci ex certa scientia, censetur illum habilitare, quod ex pluribus juribus probat. Sacrilegii enim instar est dubitare an legitimè impetrare potuerit is, quem posito quod inhabilis sit, Princeps ad impetrandum scienter admiserit. Card. *de crim. sacril. cap. sane* 15. *quæst.*3. Princeps enim non concedit, aut disponit, nisi volendo dispositionem suam valere, aliter esset ludibrio, *arg. l.*3. *ff. de test. mil.* Tunc verò manifestum est Papam ex certa scientia excommunicationis concedere, cùm in rescripto de ea fit mentio, & hoc est certius si amplius adsit clausula ex certa scientia. Imò in proposito clausula ex certa scientia nihil juvaret, si in rescripto non fieret mentio de excommunicatione, quæ est quid facti, & quam Papa præsumi potest ignorare. In iis enim quæ sunt facti clausula ex certa scientia non operatur per tradita à Barbos. *claus.*59. *num.*34. sed ubi ex rescripto constat de certa scientia Papæ, rescriptum valet, Crotus *num.*32.

56 Nona quando ad instantiam excommunicati datur auditor in Romana curia. Hæc tamen limitationem solam ex parte esse veram dicunt aliqui. Nam Auditores Rotæ habent facultatem ordinariam ad formandum processum, sed ad sententiandum delegatam. Ideò ubi datur Auditor, si datur præcisè ad processum formandum, non concessa ei facultate, vel ad processum formandum ex nova forma, vel ad sententiandum, illa concessio non est nisi causæ distributio, quam non impedit excommunicatio. Erit tamen nullum rescriptum ab excommunicato impetratum, si in eo vel detur facultas sententiandi, vel procedendi modo speciali, ad quem ordinaria Auditoris facultas non se extendit, Gemin. *num.*18. Franc. *num.*20. Prob. *n.*2. Crot. *num.*39. Barb. *n.*23. Et tamen rescriptum in hoc casu non esset ex toto nullum, sed solùm pro ea parte pro qua novam facultatem delegaret, ut advertunt Dom. Franc. & Prob. qui advertit etiam ex hoc posse contingere, quod processus sit validus, & sententia nulla ob defectum jurisdictionis in judice.

57 Sed Gomez hìc *num.*40. arbitratur, quod hoc rescriptum valeat in totum, & quod etiam sententia data per Auditorem Rotæ ex rescripto ab excommunicato impetrato sit valida. Quod probat, quia cùm sententia sit de processu, per Jo. And. & Abb. *in cap. Quoniam de probat.* si processus est bonus, non potest esse invalida sententia. Sed hæc ratio non valet. Quia stat, quod judex non habeat facultatem nisi ad processum, quem dicunt informativum, vel ad processum usque ad sententiam exclusivè. Quo posito benè stare posset, quod processus esset bonus, & sententia à tali judice nulla, & ideò etiam nulla posset esse sententia Auditoris Rotæ, si facultatem sententiandi non habet nisi ex rescripto ab excommunicato impetrato. Sed magis urget alia ratio à Gomez adducta. Quia nimirum, licèt antiquitus Auditorum Rotæ officium esset ad referendum, decisio verò negotii pertineret ad Papam, quam per specialem commissionem posteà delegabat, nunc Auditores Rotæ facultatem habent sententiandi. Et quidquid sit, an hæc sit facultas delegata, hanc non habent ex rescriptis, per quæ illis dispensantur causæ, sed hujusmodi rescripta continent puram causæ dispensationem, Auditores verò jurisdictionem habent ex dispositione juris à tempore suæ creationis. Et ideò validè processum formant, & sententiam proferunt, licèt illis sit commissa causa per rescriptum ab excommunicato impetratum, quia ex illo rescripto jurisdictionem non habent.

Sed ut verum fatear, vel hæc limitatio non est alia à prædictis, vel debet simpliciter rejici. Duo enim hìc sunt, scilicet commissio causæ in Rota, & distributio causæ jam commissæ huic vel illi Auditori. Vel ergo excommunicatus validè impetravit committi causam Rotæ, quod non potuit fieri nisi, vel in aliquo ex casibus exceptis, vel quia facta fuerit mentio de excommunicatione, sive quia per prius aliquo modo absolutus fuerit ab excommunicatione. Et sic limitatio non est restrictio regulæ, sed ejus explicatio ex supradictis, & aliàs non potest esse dubium, quod si excommunicatus validè impetravit committi causam in Rota, simul potest impetrare, quod committatur huic vel illi Auditori. Sed si invalidè obtinuit causam committi, pariter & inaniter nedum impetraret eam distribui, sed hoc stultè peteret. 58

Decima quando fit commissio inquisitionis in communi ad instantiam excommunicati, & rescriptum loquitur impersonaliter. Circa hanc limitationem tamen DD. non conveniunt. Domin. post Lapum limitationem, prout posita est, admittit, & tunc procedet judex ex officio, vel alium deputabit ad prosequendum. Sed Gloss. hìc *in v. alio* absolutè sentit contrarium ex hac decretali. Et idem tenent Jo. And. hìc & Archid. *in cap.*2. *inf. de appellat.* Sed puto distinguendum cum Franc. *num.*8. & Gomez *num.*75. & dicendum, rescriptum in quo impetratur facultas inquirendi non valere, si rescriptum tendit in commodum excommunicati impetrantis, ut si sibi vel soli, vel simul cum aliis aliquid furtivè sublatum fuit, valere verò, si datur in commodum boni publici ut ad pauperum, & viduarum oppressarum sublevamen. Tunc enim consideratur respublica, non ejus minister, *arg. leg. posthumus*, §. *Si quis ex his*, *ff. de injusto test. l.*1. *C. de prec. Imper. offer.* Dicitur verò à Franco rescriptum non debere esse in commodum excommunicati impetrantis etiam secundario; quod debet intelligi de commodo privato, & particulari suo, vel suorum, non verò de commodo, quod in illum redundet ex bono Reipublicæ, quia aliter hoc modo, nec valeret hoc rescriptum principaliter pro bono Reipublicæ impetratum, quia & hoc bonum est secundario bonum impetrantis. 59

Undecima est, si rescriptum detur favore Religionis, & ita quòd per illud excommunicatus reduceretur ad Religionem. Limitationem istam tamen negat Felin. *in cap. Cum illorum in p. col. de ver. not. de sent. excom. & cap. fin. in p. col. de except.* post Calder. quem ibi allegat, sed Felin. impugnat Gomez hìc *num.*32. Tum quia ubi agitur de Religione non inspicitur modus intrandi, sed effectus, *ut in cap. fin.* 20. *quæst.*3. nam per hujusmodi ingressum omnis macula purgatur, *ut in cap.*1. *de fil. presbyt.* quia Monasterium habetur loco carceris, *ut in cap. Sicut dignum*, §. *Clericos*, *de homic.* Tum secundò quia *d. cap. Cùm illorum*, simpliciter considerat favorem Religionis, nec distinguit an Religiosus intret per rescriptum, vel non. Tum tertiò quia textus iste concedit excommunicato impetrationem rescripti in casu appellationis; ergo pari ratione dicendum est favore Religionis, in qua de utilitate animæ tractatur. Tum quartò quia iste textus locum non habet, quando excommunicatus impetrat rescriptum pro recuperatione famæ, ut dicit Jo. de Anam. *in cap. Dura in* 2. *&* 3. *col. de crim. falsi.* Tum quintò quia extensio de casu ad casum tali casu permittitur etiam in pœnalibus, ex Gloss. *in l. Illud*, *C. de Sacros. Eccl.* Tum quia Abbas est ordinarius Monasterii, & ideò si excommunicatus impetrat ad illum rescriptum videtur potius illius jurisdictionem excitare, quam delegatam dare. Hæc tamen verè non probant, & ideò limitatio non est admittenda. 60

Primum enim deficit, quia imò & dantur inhabilitates ad habitus Religiosi susceptionem: Nam v. g. criminosi; & 61

alieno

alieno ære oppressi recipi non possunt ex Constitut. Sixti Quinti, & multæ conditiones requiruntur in recipiendis de quibus videri possunt quæ scripsi *de statib. & off. homin. tom.3. quæst.18. art.1.* & attendi debet non purus ingressus, sed modus seu conditio intrantis. Qui si habeat impedimentum, quod non possit tolli per superiores Religionis, nec tolletur ex vi rescripti ab excommunicato impetrati. Ad secundùm dicitur, quod imò quia *cap. Cum illorum de sentent. excommunic.* loquitur simpliciter, non potest intelligi de eo qui ingreditur per rescriptum, cùm de hoc specialis mentio fieri debuisset. Et prætereà consequentia hæc inanis est, Papa concessit ut ingredientes Religionem possint à superiore regulari absolvi ab excommunicatione canonis; ergo concessit, quod possint cum eodem dispensare in omni inhabilitate, & etiam in qualibet irregularitate, aut impedimento, & ita quod excommunicatus non facta mentione de excommunicatione validè impetrat. Ad tertium dicit, quod quid impetrat facultatem, ut absolvatur ab excommunicatione, mentionem facit excommunicationis. Si verò sibi absolutio injustè ab inferiori denegetur, jam intrat causa justæ defensionis, quæ excommunicato non negatur. Sic ergo, & ille, qui vult ingredi Religionem, si est in casu justæ defensionis, potest validè impetrare; sed extra hunc casum, si vult impetrare, exprimat suam excommunicationem, & tunc validè impetrabit, si impetrabit. Ad quintum dicitur numquam dari posse extensionem de casu ad casum, quando est sermo de jurisdictione gratis à Papa concedenda; & hæc vanissima consequentia esset, Papa concedit jurisdictionem v. g. Episcopo ut absolvat Titium ab excommunicatione, ergo concedit eamdem ut absolvat Paulum, qui vult fieri Religiosus. Ideò ad textum dicitur, quod vel sumus in casu, in quo potestas ordinaria Superioris Regularis potest; & tunc posset concedi, quod rescriptum obtentum ab excommunicato valeret, & quod solum excitaret jurisdictionem ordinarii. Sed & non multum interesset an valeret, cùm etiamsi esset nullum rescriptum, ille qui illud impetravit, posset sine rescripto obtinere quod cupit. In casu tamen quod rescriptum illud ex taciturnitate excommunicationis non esset nullum, posset valere, si Papa præciperet impetrantem recipi ab Abbate, qui alias eum rejecturus esset. Sed si facultas Abbatis non se extendit ad id, quod fuit in rescripto impetratum, non potest dici, quod per se rescriptum excitetur Abbatis ordinaria facultas, sed nova jurisdictio illi tribueretur, quod excommunicatus non facta mentione excommunicationis non potest impetrare.

62 Quartum argumentum aliam limitationem hujus regulæ continet, quæ erit 12. ut scilicet excommunicatus possit validè impetrare pro recuperatione famæ; Sed neque hæc limitatio admitti debet, nisi in casu reducibili ad causam appellationis, & justæ defensionis, qui casus est exceptus in nostra decretali.

63 Tertiadecima limitatio est, quam ex Joan. de Anania ponit Gomez *num.49.* ut carceratus possit validè impetrare liberationem. Sed neque hæc limitatio fundamentum habet, nisi ad causam appellationis reducatur, vel in rescripto fiat mentio excommunicationis, ut excommunicatus censeri debeat absolutus saltem ad effectum, ut valeat rescriptum.

64 His limitationibus sic examinatis ponitur conclusio directè responsiva quæstioni, & dicitur nullum dari casum præter duos in textu expressos, in quo excommunicatus validè impetret. Nam ex præfatis limitationibus, quamplures veræ non sunt, aliæ ad duos casus exceptos pertinent, aliæ extra regulam sunt, quia loquuntur de excommunicato absoluto, & sic nullus datur casus sub illa regula in quo excommunicatus validè impetret nisi spectet ad casus in textu exceptos.

SVMMARIVM.

65 *Nullitatem rescripti posse validari, aliqui dixerunt.*
66 *Absolutio non revalidat rescriptum.*
67 *Processus in vi rescripti impetrati ab excommunicato nullo opponente factus est nullus, & non validatur tacito consensu.*
68 *Idem processus non validatur tacita pronunciatione judicis.*
69 *Judice pronunciante ineptè fuisse exceptum, potest iterùm opponi.*
70 *Judice expressè pronunciante rescriptum validum rejecta exceptione, non potest opponi nisi appelletur.*
71 *An ubi rescriptum fuit declaratum nullum, reus possit actorem reconvenire.* 72.
73 *Actor an possit renunciare rescripto.*
74 *Tertius non potest repellere actorem ex alia causa.*
75 *Reus negligens in opponendo damnatur in expensis.*

Quæst. primæ

ARTICULUS III.

Vtrùm nullitas rescripti ex excommunicatione proveniens possit revalidari.

Glossa hic *in v. ipso jure* refert Tancredum, & Innoc. *in cap. prudentiam*, §. *sexto*, Bernard. & Compost. *in cap. super liter. eodem tit. sensisse*, quod rescriptum impetratum ab excommunicato valeat, si illi non opponatur exceptio excommunicationis, & sic quod per consensum partis, & judicis revalidetur. Sed etiam dato, quod exceptio excommunicationis fuerit opposita, si judex ea non attenta ad ulteriora procedat, Lapus hic arbitratur quod per hoc judex tacitè pronunciet, & ideò non poterit posteà præfata exceptio proponi, nisi appelletur per notata *in cap. Inter monasterium de re jud. & in l.2. §. Sed si dubitetur, ff. de jud.* Crotus etiam hic à *n.8.* multi conatur probare, quod per absolutionem obtentam ante præsentationem rescripti revalidetur rescriptum. Oppositum tamen sentiunt Gloss. Domin. *n.19.* Franc. *n.4.* & hoc ex eo, quod nullitas à jure inducta ut ipso jure incurrenda nequit tolli per partium consensum tacitum. 65

Sed quod dictum fuit à Croto de absolutione obtenta ante præsentationem rescripti habet instantiam, quia ubi agitur de eo quod pendet à voluntate alterius concedentis, si obtinens est inhabilis ad recipiendum tempore concessionis, nihil interest, quod posteà habilis fiat, quia defuit in concedente voluntas concedendi ei, qui erat inhabilis, ut reciperet, & sic receptio fuit omninò ab intrinseco nulla, & non sanabilis ex voluntate recipientis, & ex habilitate posteà adveniente; & prætereà quod est nullum ipso jure ex superveniente habilitate non convalescit. 66

Hic claritatis gratia, quatuor casus distingui possunt. Primus est quando non fuit data oppositio exceptionis excommunicationis, & sic parte non opponente contra rescriptum, judex processit ad ulteriora, & processum compilavit. Et in hoc casu dicitur, quod juxta decisionem hujus decretalis processus est nullus, qui ex nullo rescripto fuit factus. Et si enim quando nullitas rescripti, & processus non est talis ipso jure, sed ope exceptionis elidi possit, tacitus consensus partium, & judicis validet processum, qui nequit esse irritus nisi parte opponente, & judice eum nullum esse pronunciante. Tamen nullitas, ipso facto à jure inducta non tollitur neque ex tacito partium consensu, neque ex ignorantia partium, vel judicis etiam probabili. Quia non possunt inferiores vincere vim juris actum irritantis. Hujus verò ratio etiam est, quia clausula annullativa ipso jure inducit formam, cui partes non possunt renunciare, quia licet formæ inductæ, ad favorem alicujus possit ille renunciare, ut latè probat Gomez *num.57.* non possunt partes ex consensu eorum renuntiare formæ inductæ ad publicam utilitatem; modò nullitas ipso jure rescripti impetrati ab excommunicato est inducta in odium excommunicationis favore boni publici, & ideò consensu partium etiam expresso nullitas ista non potest tolli. 67

Secundus casus est, quando fuit opposita exceptio excommunicationis, sed judex, ea non obstante, processit ad ulteriora, non tamen expressè pronunciavit exceptionem non debere attendi, sed tamen ex quo judex ad ulteriora processit tacitè pronunciavit eam esse frivolam, & non attendendam. Et in hoc quoque casu, si processus non esset nullus ipso facto, sed solùm esset ope exceptionis annullandus, processus judice sit tacitè pronunciante super invaliditate exceptionis & parte non appellante, 68

lante, remaneret validus. Et hoc est quod docet Gloss. *in Clem.2.v.competente*, ut lite pendente, quæ etiam in hoc sensu benè interpretatur *cap. ex conquestione, & cap. Cum super, & cap. Inter Monasterium, de re jud. & cap. exhibita, de judic.* Sed ubi, ut in nostro casu, oullitas processus est ipso jure, non potest fieri validus ex tacita judicis proounciatione, ut dicunt Gloss. Dom. & Franc. citati.

69 Tertius casus est, cùm & pars dedit exceptionem excommunicationis, & judex expresè pronunciavit super exceptione, sed solùm dixit ineptè fuisse pronunciatum. Et in hoc casu, si exceptio vera est, verè processus est in rei veritate nullus, & exceptio semel rejecta potest iterùm proponi, juxta sancita *in Clem. cum à repulsione, ult. de appellat.* Franc. *d. oum.4.* Processus quidem nullum est, cùm sit ex vi rescripti verè nulli, non apparet tamen oullitas, cùm non constet de veritate exceptionis excommunicationis. Poterit tamen latens nullitas apparere, si iterùm non ineptè proponatur oppositio excommunicationis, & probetur.

70 Quartus casus est, quando & exceptio excommunicationis est probata, & judex super exceptione pronunciavir non de ejus inepta propositione, sed de ejus falsitate, aur insufficientia, ut quod rescriptum fuit obtentum ante excommunicatiooem, vel quod erat absolutus, qui impetravit beneficium, vel quod excommunicatio ipsa nou est sufficienter probata. Et in hoc casu nec propriè sanatur nullitas, sed pronunciatur non adesse excommunicationem, unde rescriptum & processus sit oullus. Item in hoc casu, nisi pars appellet, non potest iterùm opponi, illa exceptio excommunicationis, seu nullitatis rescripti, aut processus. Nam seotentia, nisi illam suspendat appellatio transit in judicatum, & hæc oon est tacita, sed expressa pronunciatio, quæ ligat, & obligat, Franc. *d. num. 4.* & DD. *in cap. super liberis, de re jud. & in cap. ex parte de rescript.* Crotus nihilominus *num.49. & sequen.* conatur probare, quod reus semper de novo possit opponere excommunicationem, quia hoc est gravameo sucressivum, à quo semper potest appellari, Sed uode colligit, quod hoc sit gravamen successivum? Quia inquit actor est excommunicatus, & successivè agit. Sed si hæc ratio valet, semper poterit in infinitum appellari dicente reo, quod qui vi sententiæ quæ transit in judicatum possidet, adhuc gravar, quia possidet, quod reus dicit esse suum. Sed hæc deficiunt, quia sententia quæ transit in judicatum definit hoc esse tale, vel noo esse, & post illam non potest dici, quod non sit tale, quod declaratum est esse tale, & sic non potest dici, quod noo sit Titii, quod esse Titii est sententiatum. Nec potest dici esse excommunicatum, qui non esse tale fuit judicatum.

71 In hoc verò casu in quo reus excipiens succumbit, & exceptio rejicitur, poterit ne reus succumbens reconvenire actorem? Anchar. *num.6. vers. ego credo*, Franc. *num.6.* & Barb. *oum.33.* affirmant, quia ex quo exceptio est reprobata, & rescriptum valet, poterit reus uti velle rescripto, & actorem coram delegato reconvenire, sicut & in isto casu posset coutra propriam confessionem venire, *cap. Mulieri, de jure jur.* Jo. And. hic se remittat *ad speculat. tit. de reconvent.* ubi distinguit & ait, quod si reus justo errore ductus excepit contra actorem, potest posteà si succumbat eum reconvenire, secus non.

72 Hinc solvitur alia quæstio quam movet Gloss. *in v. rescriptum*, ao scilicet ubi reus data exceptione excommunicationis contra actorem eaque probata eum rejecit, possit iterùm in vi ejusdem rescripti declarati oulli reconvenire actorem coram eodem judice. Videtur enim quod non possit, quia ex quo judex semel pronunciavit, vel rejiciendo oppositionem, vel eam approbando senteotiæ ejus est standum. Et ita Gloss. absolutè sentit, quod in hoc casu acto jam exclusus oon possit à reo ex vi rescripti rejecti reconveniri.

73 Tenet enim quod conventio, & reconventio inseparabiliter se habent, & sic quod ablata, & rejecta conventione, non sit locus reconventioni. Sed alii negantes hoc principium, & credentes conventionem, & reconventionem esse separabiles, distinguunt. Nam ubi coovento rejicitur ratione nullitatis rescripti, sive ex parte jurisdictionis judicis, non potest reus, qui actorem rejecit illum ex vi ejusdem rescripti reconvenire. Et sic in hac parte conveniunt cum Glossa citata. Sed ubi conventio est rejecta ex inhabilitate personæ, ut qoia actor sit excommunicatus, sed excommunicatione incursa post impetratum rescriptum, tunc dicunt, quod reus actorem reconvenire potest ex vi rescripti ab actore rejecto impetrati. Ita Anchar. *num.6. vers. conclude ergo*, & apud eum Palmerius, Gomez *num.62.* Crot. *num.62.* quem sequitur Barbosa *num. 32.* At verò Domin. *num.19.* & Franc. *num.7.* rem non definiunt, sed dicunt veram primam opinionem Gloss. si privilegium reconventioois est inseparabile, & veram esse secundam, si est separabile. Sed juxta secundam opinionem admisso, quod in casu dato reus actorem à se rejectum possit reconvenire ex vi ejusdem rescripti, dubium est, an actor ne reconveniatur possit renunciare rescripto, & sic à causa desinere. Posse enim dixit Palmerius apud Anchar. *numer.6.* asserens etiam non obstare *Authent. qui semel, Cod. quomodo, & quando Iudex &c.* quia illa authen. loqnitur in judicio conventionis, in quo non potest actor invito reo à judicio desistere, & actioni renunciare; hoc tameo facere potest in judicio reconventionis. Sed oppositum sensit *specul. tit. de reconvent.* quem sequuti sunt Cyn. *in authen. & consequenter, Cod. de sentent. in 9. quæst.* & Joan. Andr. hic, quia ex quo actor præsentavit rescriptum, acquisitum fuit jus ab ipso reo, in cujus juris præjudicium actor reo invito non potest renunciare rescripto, & à judicio desistere, sed reo coram delegato eum reconvenienti tenetur respondere. Et hoc idem approbat Aochar. *num.6.* & sub conditione, quod privilegium reconventionis sit separabile, Domin. *num.19. & 20.* & Franc. *num.7.* quod sub ea conditione, & ego verum puto.

74 Et hinc etiam obiter est advertendum, quod si verbi gratia, Titius est excommunicatus ex causa Sempronii, si impetret rescriptum contra Tullium, Sempronius non potest Titium ne impetret exceptione repellere, *l.2. ff. de except.* & post Archid. & Joan. Andr. *specul. tit. de rescript. præsent. §. ratione formæ n.37.* Dom. *n.12.* qui ex hoc colligit, quod tertius non potest excipere de excommunicatione in causa vertente cum alio, si sua non interest, etiam si lata fuerit ob causam ipsius tertii.

75 Hic etiam considerandum est, quod in omni casu, in quo redditur judicium nullum, & sic in nostro casu, si rescriptum sit nullum, ideòque & nullus processus, si reus negligens est, & differt opponere exceptionem dilatoriam nullitatis, damnatur in expensis, Domin. *num.21.* Franc. *num.8.*

SVMMARIVM.

76 *Ratio ad quæstionem.*
77 *Non potest excommunicatus ad sui defensam impetrare, nisi appellet.*
78 *Hoc aliqui cum distinctione admittunt.*
79 *Recursus omnis ad Papam est aliqua appellatio.*
Hoc explicatur. 79.
80 *Reus voluntarius, & necessarius.*
81 *Pro omni judiciali injustitia potest excommunicatus impetrare.*
In textu sermo est de appellatione communiter sumpta. 81.

Quæst. secunda.

De valore rescripti impetrati ab excommunicato in causa excommunicationis, vel appellationis.

ARTICULUS I.

Vtrùm excommunicatus, si non appellat, possit validè impetrare ad sui defensionem.

76 Videtur enim, quod id possit facere, ex eo quod licet excommunicato se defendere; at verò videtur quod hoc sit quoddam genus defensionis. Verbi gratia excommunicatus excipit in judicio contra actorem, sed rejicitur, ut igitur se defendat, poterit à Papa impetrare rescriptum, per quod committatur causa suæ rejectionis, & videatur validitas suæ exceptionis. Similiter si excommunicatus sit spoliatus, ut se defendat poterit impetrare rescriptum, per quod committatur visio causæ spolii. Sed

in

in contrarium facit hæc decretalis, per quam decernitur rescriptum impetratum ab excommunicato esse nullum nisi in causa excommunicationis, & appellationis.

77 Et ratio hujus est, quia cùm agere in judicio pro injuria sibi illata, aut damno repellendo sit interdictum excommunicato, *cap. Decernimus, de sent. excomm.* Et ita quòd nedum non possit injuriantem, vel damnum inferentem convenire, sed neque possit, si sit reus, suum actorem reconvenire, *arg. cap.2. de mut. promiss. & cap.2. de ord. cognit.* quoniam reconvenire est quoddam reagere, Suarez *de cens. disp.16. sect.3. n.3.* Solumque excommunicato sit concessum, extra casum excommunicationis validum rescriptum impetrare ex causa appellationis, dicendum videtur excommunicatum validè non impetrare extra casum excommunicationis, nisi appellet.

78 Nihilominus cum distinctione res explicatur. Vel enim impetratur rescriptum ad eundem judicem nulla data nova jurisdictione, ut rescriptum non contineat, nisi quod judex non gravet, & hujusmodi rescriptum ab excommunicato impetratum, nulla prævia appellatione est validum. Quia per illud nulla judici confertur jurisdictio, sed solum admonetur, vel illi præcipitur, ut non gravet impetrantem: ad quod judex ipse tenebatur etiam nullo rescripto impetrato. Sed si per rescriprum impetratur nova jurisdictio, ut quia eidem judici conceditur nova forma procedendi, vel impetratur alius delegatus, quod rescriptum non valeat, nisi excommunicatus appellet, voluit Domin. hic *n.11.*

79 Sed oppositum tenet Francus *num.12.* ex Joan. Andrea *in reg. Vtile infrà de reg. juris*, ubi tenet, quod valeat rescriptum impetratum per excommunicatum super uno ex articulis causæ pendentis coram Ordinario per *cap. Ex parte Decani suprà de rescriptis*. Et hoc mihi videtur verum, quia quidquid sit de injuria extrajudicialiter illata excommunicato, in injuria sibi à judice illata hoc verificari debet, quia si judex etiam ordinarius gravat, & reus excommunicatus recurrit ad Pontificem, jam hic recursus quandam vim appellationis habet; poterit ergo reus excommunicatus, sed à judice gravatus habere recursum ad Papam, & validè impetrare. Quod magis confirmatur ex doctrina ejusdem Domin. *d. num.11. in fine*, ubi habet, quod excommunicatus in omni eo casu, in quo potest se defendere potest petere, & validè impetrare: quia inutilis esset facultas se defendendi, si non posset ad sui defensam petere, & impetrare; quotiescumque igitur reus excommunicatus in judicio à judice, qui v.g. non vult attendere exceptiones, quas dat contra actorem, potest ad Sedem Apostolicam recurrere, & validè impetrare. Suprà tamen *num.47.* ex Domin. & But. dicebatur non habere locum hujusmodi facultatem impetrandi rescriptum, si Judex non gravat in re, sed sententia ejus est justa & valida, licet forsan in modo sit iniqua, quia non fuit servata debita forma; quia agere hoc modo contra judicis iniquitatem, non est principaliter se defendere, sed in judicio agere. Et hinc etiam verum est, quod habet Franc. *num.16.* scilicet, quod excommunicatus non potest impetrare principaliter super nullitate sententiæ, nisi nullitas sit incidens appellationi. Quia si sententia non sit injusta, non competit reo defensio, quia non est passus injustitiam. Esto enim sententia sit nulla ex defectu formæ non servatæ, non est ob hoc contra justitiam commutativam rei condemnati. Et ideò reus non habet ut contra illam sententiam se ab injuria defendat, licet possit, si non sit impeditus, agere ut nullitas illa appareat. Sed hoc excommonicato non est permissum. Sed tamen advertendum, quod hoc verificatur cùm excommunicatus impetrare vult titulo appellationis in causa alia ab excommunicatione; quia si loquamur de nullitate excommunicationis, potest excommunicatus à Papa impetrare judicem, qui de ea cognoscat, *cap. cum causa, cap. per tuas de sent. excomm.*

80 Hinc judicium ferri potest de illa distinctione rei voluntarii, & necessarii, quam tradit idem Domin. *d. num. 11.* Admittit enim, quod reus necessarius possit petere, & validè impetrare. Est verò reus necessarius, qui ad instantiam actoris compellitur respondere, & agere. Hic verò si sit injustè gravatus potest validè rescriptum impetrare, ut vim & injustitiam sibi à Judice factam repellat. Explicat verò Domin. quando reus est necessarius, & ait tunc esse v. g. quando erat statutus terminus ad proponendas peremptorias, quia erat stimulatus ratione termini. Item si sit stimulatus ratione instantiæ. In his enim casibus reus excommunicatus necessitatus ex instantia, aut termino judiciali potest validè impetrare. Sed non video discrimen & quando reus dici possit voluntarius, nam semper est necessitatus; cùm illud judex cogit ad admittendum injustum damnum; ideò quotiescumq; judex illum gravat, sicut potest se defendere, ita potest contra judicem petere & impetrare.

Nec obstat, quod ex hoc sequi videatur, quod ex- 81
communicatus possit validè impetrare in multis aliis casibus, præter hic exceptos, ut in spolio, vel in interdicto uti possidetis, & super injuria prohibenda, vel quod de carcere relaxetur, vel in aliis similibus casibus. Si enim objectio loquitur de injuriis factis excommunicato extra judicium, non facit ad rem, si verò loquitur de injuriis factis à judice, seu in judicio, sicut excommunicato licet ab illis se defendere, *cap. cum inter, cap. dilecti filii, cap. ult. de except.* ita sibi licet petere & impetrare. Neque obstat hæc decretalis, quia quoddam genus appellationis est quicumque recursus, qui fiat ad Papam à gravamine judiciali. Et sic quando in textu conceditur excommunicato, ut possit validè impetrare in causa appellationis, est sermo de causa appellabili, seu à qua posset appellari, seu est sermo de appellatione communiter dicta, prout comprehendit sub se recursum, & omnem modum implorandi officium superioris judicis ad defensam contra gravamen inferioris judicis.

SVMMARIVM.

ARTICULUS II.

Vtrum in omni causa appellationis verum sit quod excommunicatus validè rescriptum impetrat.

ET videtur quod non. Nam excommunicatus, si ap- 82
pellet ab electione, sicut verè potest appellare, *cap. sicut causam, inf. de elect.* vel si appellet ab adversario, *cap. bonæ de appellat.* non per hoc obtinere validum rescriptum super his vel similibus causis; aliter pro omni causa à qua extrajudicialiter posset excommunicatus appellare, posset etiam impetrare rescriptum; quod certè est contra mentem textus.

Breviter dicitur, hic sermonem esse de appellatione 83
omni, quæ sit à gravamine facto per judicem, sive id factum sit per sententiam diffinitivam, sive per interlocutoriam, & sive judicialiter judex processerit, sive extrajudicialiter, ut confirmando electionem sine causæ cognitione. Verum textus non procedit in appellatione extrajudiciali, quæ fiat à gravamine illato per partem, vel à persona privata, ut à gravamine per electionem facto, vel ab injuria ab aliquo illata. Hæc enim extrajudicialia, quæ non fiunt ab habente jurisdictionem, non respiciunt offensum uti reum in judicio, sed imò offensus se habet ut actor originarius dum medio judice vindictam & justitiam petit pro tali causa. Excommunicato verò non licet agere originaliter, & solum, si in judicio injustitiam patiatur, conceditur sibi in judicio se defendere, Domin. *n.13.* Franc. *n.3.* &c.

Cæterum excommunicatus ab omni gravamine sibi fa- 84
cto per judicem, etiam extrajudicialiter procedentem, potest appellare, & sibi competit defensio, sive hæc descendat à jure naturali, sive à jure positivo (quod quid apud Franc. *numer.3.* dixerit in contrarium Hugutio *cap. quidam 4. quæst.1.* Et sic poterit in judicio opponere exceptionem rei judicatæ, sive præscriptionis, sive excommunicationis, aut infamiæ, etiam contra Procuratorem adversarii, *cap. cum inter priorem, de exceptione.* Et in omnibus istis casibus, in quibus excommunicatus potest se

defendere, & appellare, potest etiam petere rescriptum & impetrare, ut ex Innoc. *cap. ab excommunicato in princip. de rescript.* probat Franch. *n.*3. Anchar. *n.*3.

SUMMARIUM.

85 *Quid certum in quaest.*
86 *In casibus exceptis excommunicatus impetrat etiam non facta mentione excommunicationis.*
87 *In aliquo casu potest ope exceptionis impediri à judicio.*

ARTICULUS III.

An in casibus exceptis in textu rescriptum impetratum ab excommunicato valeat, etiam si in illo non fiat mentio excommunicationis.

85 Certum est in casibus non exceptis rescriptum esse nullum, si impetretur ab excommunicato non facta mentione excommunicationis; dictum verò fuit suprà valere, si in rescripto sit clausula *Teque absolventes*, vel si fiat mentio talis excommunicationis, quod constet rescriptum emanasse ad favorem excommunicati ex certa scientia Papæ, imò etiam inferioris Prælati respectu excommunicationis, à quo potest absolvere.

86 Sed si nihil aliud in hoc textu concederetur excommunicato pro casibus exceptis excommunicationis, & appellationis, superfluè excepti fuissent, quia nihil competeret in his casibus, quod de jure communi non competat in omnibus aliis casibus. Nam nihil est, quod excommunicatum absolutum impediat, ne validè impetret. Dicendum propterea est, quod in casibus exceptis in quibus conceditur excommunicato se defendere in judicio, & appellare, & ex consequenti petere, & impetrare, excommunicatus validè impetrat, etiam si in rescripto nulla fiat mentio excommunicationis, sive licet non absolvatur prius ab excommunicatione, Archid. *num.* 2. Domin. *num.* 14. Franc. *n.*3.

Advertit autem Domin. quod si excommunicatio contineret articulum super quo excommunicatus impetrat rescriptum, posset tunc rescriptum annullari exceptionis ope, si opponeretur ante litem contestatam, aliàs valeret rescriptum, & processus per illud factus, *cap. inter Monast. de re judic.* Et in hoc sensu Hostien. *in sum. tit. de except. numer.*3. *§. Et quando, vers. Potest ergo*, dixerat, quod excommunicatus potest appellare, & quamlibet exceptionem opponere, & potest rescriptum impetrare, vel ad defensionem, quamvis de excommunicatione, quæ causam non tangit mentionem non fecerit. Sic ergo si Piato, v. g. sit excommunicatus, quia condemnatus fuit ad solvendum Titio centum, & in hoc Piato se sentit gravatum, si recurrit ad Papam, & impetret Judicem ad videndum, an teneatur solvere illa centum, non facta mentione excommunicationis, Titius poterit excipere contra hoc rescriptum ante litem contestatam, & non valebit processus. Sed contra hoc est instantia. Nam si casus iste continetur sub regula textus, jam rescriptum est nullum ipso jure, & non tantum ope exceptionis, sed si continetur sub secundo ex casibus exceptis in textu casus est permissus; Et sic non potest excipi contra rescriptum. Respondetur tamen, quod casus continetur sub 2. casu excepto, sed rescriptum ob tacitam excommunicationem est subreptitium, & ideò contra illum potest excipi. 87



DE RESCRIPTIS.

Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi.

CAPUT II.

Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur: providè duximus statuendum, ut per illam generalem clausulam: Quidam alii, quæ frequenter in litteris nostris inserit, ultra tres, vel quatuor in judicium non trahantur: quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator: ne locus fraudi forsitan relinquatur, si circa ea possit liberè variare.

SUMMARIUM.

1 *Summa cap.*
2 *Dictio* multi *habet significationem arbitrariam.*
3 *Sumitur sæpè comparativè.*
4 *Dictio* plurimi *an verificetur in tribus.*
5 *Sufficit aliquando allegare jura in communi.*
6 *Non est necesse allegare in particulari jura notissima.*
7 *Nec quando allegantur Doctis & Principibus.*
8 *Nec quando Princeps ea allegat.*
9 *Articulus quid sit.*
10 *Infinitas reprobatur.*
11 *Infinitas eorum, qui conveniuntur in judicio delegato est præjudicialis jurisdictioni Episcoporum.*
12 *Indefinita non semper æquipollet universali.*
13 *Sub dictione* quidam alii, *veniunt mulieres.*
14 *Dictio* quidam alii *non comprehendit causas, sed personas.*
15 *Non potest actor agere de negotiis vel novis, vel majoribus contentis in rescripto.*
16 *Nec citare personas digniores expressis, aut universitatem, aut privilegiatum.*
17 *Eadem ratio de aliis clausulis similibus.*
Regula non habet locum, nisi ubi in rescripto post expressos ponitur clausula. 17.
18 *Nec ubi nullo expresso rescriptum datur per clausulas generales.*
19 *Hæc clausula potest poni in citatione quæ fiat per edictum.*
20 *Legislatores respiciunt, quæ frequenter accidunt.*
21 *Regula non comprehendit rescripta Prælatorum inferiorum.*
22 *In alternativa offerentis electio est illius cui offertur.*
Actor præter expressos potest nominare tres, vel quatuor. 23.
23 *Id non potest nec procurator sine mandato speciali, nec forsan hæres.*
24 *Quid possit facere, qui habet interesse in causa & non est citatus.*
25 *Regula habet locum in judicio Inquisitionis.*
23 *Trahitur in judicio, qui citatur à judice inquirente.* 26.
26 *Trahitur etiam, qui non cogitur.*
27 *Nomina citandorum debent exprimi in prima citatione.*
Sufficiunt certæ circumlocutiones. 27.
28 *Persona certa nominatim citari debet.*
29 *Qualiter citandi incerti.*
30 *Sufficit exprimere nomina citandorum in prima citatione.*
Imò sufficit ea describere in actis. 30.
31 *Non est necesse ut exprimantur in citationem eorum qui expressi fuerunt in rescripto.*
32 *Multa de hac expressione in prima citatione.*
33 *Est sermo de solo rescripto impetrato.*
34 *Intentio Pontificis est tollere fraudes.*
35 *Non licet variare.*
Jus rescripti non potest alteri cedi. 35.

Re-

1 REgula una datur in hoc *cap.* ab Innocentio IV. ut scilicet per clausulam generalem *quidam alii* solum tres vel quatuor possint conveniri, quorum nomina in primo citatorio exprimantur, ne fiat variationis locus.

2 Pontifex verò præmittit causam ex qua motus fuit ad tradendam hanc regulam, quæ causa est, quia in multis juris articulis infinitas reprobatur. Est verò notandum, quod secundùm Probum hic *num.*1. multi dicuntur duo vel tres; sed secundùm Dominicum tres vel quatuor non dicuntur multi, Gomez *num.*2. existimat non esse regulariter verum, quod dictio *multi* quatuor, vel plura non comprehendat: nam aliquando quatuor, vel quinque comprehendit, ut dicit Bald. *in leg. excusantur in princ. ff. de excusat. tutor. v. inducit.* Aliquando comprehendit duo, aut tria, ut est text. *in §. singulorum Institut. de rerum divis. & in §. fin. Institut. de jure pers.* unde bis gestum dicitur multis vicibus factum. Dicendum igitur, quod in rigore duo sunt multi, sicut etiam dictio *plures* in duobus verificatur, juxta *cap. Pluralis de reg. jur. in 6. Pluralis*, inquit, *locutio duorum numero est contenta.* Quod quam plures DD. docent, quos habes apud Barbosam *dict.*265. Et nihilominus harum dictionum, *multi*, aut *plures* significatio non potest certa regula diffiniri, sed arbitrio prudentis relinquitur determinanda secundùm subiectam materiam, prout fit in *cap. latores, de Cler. excomm. min.* & advertit gloss. *in cap. cupientes, §. Cæterum ver. contradicentium, inf. de elect.* & Gomez *hic n.*2.

3 Nam ut d. Gloss. advertit sæpissimè etiam hujusmodi dictiones comparativè sumuntur, in quo sensu, *cap. quia intentum de præb.* duo, vel tria non dicuntur plura, & comparativè sumptæ denotantes excessum important quemcumque numerum; quia nulla datur tanta multitudo, qua non possit dari major.

4 Dictio autem *plurimi* in tribus verificatur, ut per gloss. in *§. & quod sæpè in authent. de trient. & semiss.* Barbos. *dict.* 266. & Gomez *hic num.*3. qui ait quod aliquando in duobus verificatur ut patet *in cap. relatum de cons. dis.* 2. Ex quo tamen *cap. id non deducitur*, quia nec ibi habetur quod Sacerdotes de quibus dicitur, quod plurima in die offerebant sacrificia, id tantum bis facerent, & alias satis durum est, & nisi magis probetur, inverisimile, quod dictio *plurimi* verificetur in tribus, cùm tres vix plures dici possint. Sed iterùm dicitur, quod harum dictionum significatio est arbitraria, & quod attendi debet eas sæpiùs sumi comparativè, in quo sensu quemcumque numerum majorem, ac majorem in infinitum importare possunt.

5 Ponderat autem Domin. *not.*1. *num.*1. quod Innocentius hic generaliter allegat jura non significando in speciali, quæ jura sint, unde desumpta & à quo statuta; ex quo colligit licere allegari generaliter jura, ut puta dicendo hoc jure cavetur. Quod idem Domin. adnotavit infrà *cap. fundamenta not.*3. *num.*2. *de elect. & cap. super eo not.*1. *num.* 1. *de hæretic.* Et tamen idem Domin. *cap.*1. *not.*3. *numer.*3. *infrà de cler. conjug.* dixit illum; qui allegat legem debere allegare quotam. vel saltem auctoritatem legis. Et ad hoc facit quod habet Nicolaus Papa I. ad Episcop. Bituricen. *in cap. Prætereà dist.*23. Imò allegatio specialis non sufficit, nisi in individuo tangat casum, de quo agitur, aliàs dicetur generalis: nam allegatio, quæ non tangit præcisè & in puncto casum, de quo agitur, vocatur allegatio ad balistam: nam taliter allegantes dicuntur ligare arenam sine cemento, ut ex Bartol. Veronen. advertit Gomez *num.*11.

6 Sed dicitur quod aliquando sufficit allegare jura generaliter, aliquando necessè est allegare ea in individuo. Et hujus differentia sumitur tam ex parte jurium, quàm ex parte illorum, quibus allegantur, aut qui jura allegant. Nam primo ubi, quod aliquid sit de jure, est notissimum, ut quia est de communibus & maximè notis regulis juris, non est necessè allegare illud in speciali, & in individuo, sed sufficit dicere prout est de jure, hoc enim sufficit, ut judici, vel altero, ad quem est sermo de jure, excitetur juris memoria.

7 Sed & ex parte ejus, cui allegatur jus hoc idem evenit, & sic Panormitan. *in cap. vestra de cohab. mul.* dixit, quod coram magno doctore sufficit allegare generaliter, quia censetur habere jura in memoria. Et hoc idem dicit Panormitanus sufficere coram Principe, qui præsupponitur habere jura in scrinio *cap.*1. *suprà de constitut.* Quod licet non placeat Gomez *num.*15. ex eo quia Princeps ita potest materialiter jus ignorare, sicut alius idiota; tamen respondetur, quod cùm Princeps teneatur regere Rempublicam secundùm leges, non potest in Principe præsumi legum ignorantia. Et quatenus legum oblitus esset, in casu allegationis legis ejus officium esset legem in individuo à suis sapientibus adiscere, & ex parte allegantis simpliciter sufficeret, si juris in generali mentio facta fuisset.

Sed & ex parte allegantis potest oriri, ut sufficiat allegare jus in genere, nimirum si Princeps ipse jus alleget, ei enim credendum est, si dicit aliquid esse de jure, quia præsumi debet, quod jura & sciat, & fideliter referat. Nec excipi debet leges singulares, aut respectu Pontificis extravagantes, ut excipit Gomez *num.*117. Quia supremus Princeps, & Pontifex, sicut tenetur scire leges omnes à suo tribunali emanatas pro communitate sui Principatus, ut secundùm illas suos subditus dirigat, ut probatum est suprà *cap.*1. *&* 2. *de constitut.* ita præsumi debet eum illas scire, unde nec est necessè coram illo eas allegare in individuo, nec quod ipse eas aliis in individuo alleget. Quamvis utiliùs semper sit, ut coram Pontifice, aut Principe allegentur leges in individuo, ut si forsan illarum non recordetur, auferatur labor leges allegatas verificandi. Multa verò alia habet Gomez *à num.*18. de allegationibus, quæ à privatis aut Doctoribus, & Advocatis, aut consiliariis fiunt, quæ apud illum videri possunt. Est autem inter alia salubre illud consilium, quod dat causarum Patronis, ut ubi in aliquo jure stat fundamentum suæ victoriæ, illud in verbis, & in secreto allegetur coram Judice, non in scriptis, ut pars contraria non habeat unde circa illud jus cavillet, & Sophisticas glossas inveniat in causæ præjudicium. 8

Cùm autem *in cap. super num.*32. dictum fuerit, quod articulus est pars intentionis illius, quod actor, vel reus vult probare, adverti debet, quod hoc nomen multiplicis est significationis, & hic sumitur ut importat partem juris, seu juris capitulum, ut ex Bart. *in l.*3. *§.*1. *ff. de lib. & Posthum.* advertit Gomez *num.*6. 9

Sic enim verum est, quod in multis juris capitulis infinitas & indeterminatio reprobetur. Horum jurium infinitatem reprobantium exempla plura referunt gloss. Archid. *num.*1. & Anchar. *num.*1. quæ apud ipsos videri possunt. In multis enim valdè perniciosum Reipublicæ est, arbitrio hominum relinquere mensuram, & determinationem agendorum. Imò ad hoc est necessaria lex positiva ut legis naturalis, aut divinæ determinationem statuat, cum suavi gubernationi mundi non convenerit Deum hujusmodi materias determinasse, quæ ex hominum & rerum conditione vario modo & non immutabili sunt determinabiles. 10

Propterea optima providentia Innocentii IV. fuit, quod voluerit determinare infinitatem vocandorum in judicium; Nam ut advertunt Gloss. & Probus hic ad Monac. *num.*5. *&* 6. & Gomez *num.*43. multitudo ista indeterminata erat in præjudicium jurisdictionis Ordinariæ Episcoporum; quia quantò plures ex eorum subditis trahebantur ad judicium Delegatorum judicum, tantò minus poterant ipsi de subditorum suorum causis cognoscere. Ideò decretalis ista non comprehendit Ordinarios, sed solùm delegatos: Ordinarii verò possunt citare quot judicant esse citandos, Gratios. Ubert. *de citat. cap.* 9. *num.*269. 11

Cùm itaque in rescriptis Papæ in quibus committuntur causæ cognoscendæ, aliquando exprimuntur solummodò unus vel duo contra quos rescribitur, & posteà additur ista clausula generalis, *& quidam alii*, quæ cùm sit indefinita ad infinitos se posset extendere, infinitatem aufert Pontifex decernens, ut non se extendat nisi ad tres, vel quatuor. Ex hoc verò primo colligit Franc. *num.*1. non semper indefinitam æquipollere universali; & habemus regulam, ut eam non universaliter intelligamus, quando vel non est eadem ratio de aliquibus expressis, & de omnibus aliis, vel quando non potest universaliter intelligi sine aliquo absurdo, vel minus rationabili sensu contrario vel justitiæ, vel æquitati. 12

Quamvis verò dictio *alii* sit significationis masculinæ, nihilominus sub hac clausula etiam fœminæ comprehendun- 13

tur secundùm Joan. Andr. Franc. *num.* 4. Barbos. *num.* 11. *&* 12. & apud ipsum Tiraquell. Mant. Costa, Gam. Peregrin. Franc. Mol. Sed alii hoc negant, advertentes oppositum non probari *ex cap. significavit sup. de rescript.* quia comitissa illa, de qua est ibi sermo conveniri poterat tum primo, quia erat hæres, ut ibi expressè textus dicit, qui hanc rationem reddit. Tum quia in eo rescripto continebatur fœmina; quia forma rescripti erat, ut posset conveniri comes, & quidem alii clerici, vel laici, at verò sub nomine laici, fœmina comprehenditur, ut ex Panormit. *cap. 1. nu. 4. de vit. & honest. Clericorum* advertit Gomez *n.* 63. Alias verò, cùm ex rescripta sint odiosa & stricti juris, non debent extendi præter casum expressum, *cap. Rodulphus, & cap. significante sup. eodem tit.* Et ideò ita sentit Gomez loco citato. Sed opposita sententia est communior, & certè in sermone communi sub nomine aliorum veniunt tam viri, quàm mulieres.

14 Pariter cùm dictio *quidam* sit significationis personalis, non se extendit ad res, seu causas super quibus potest esse lis, & possunt personæ conveniri coram judice. Ideò ex vi hujus textus non prohibetur actor impetrans convenire personas ad quas rescriptum se extendit, super quinque, vel sex causis, vel pluribus negotiis, quia ex vi hujus decretalis solum determinatur numerus personarum, non verò numerus causarum, seu negotiorum, Jo. Mon. *num.* 3. Joan. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 4. *vers.* 2. *casus*, Domin. *n.* 4. Franc. *n.* 7.

15 Quod tamen intelligi debet, ut non fiat extensio ad causas ortas post datum rescriptum *in c. fin. de rescriptis*, Franc. *d. num.* 7. Et dummodò non fiat extensio ad majores summas, seu negotia, quàm sint expressa in rescripto, *cap. sedes, supra eod. tit.* Jo. Andr. Anchar. *num.* 4. Dom. *n.* 5. Franc. *num.* 7. Quamvis ad pares, & minores extensio fieri poterit, & inter has etiam majores ad sui arbitrium cùm in ordine ad causas non sit determinatus impetrans nec ad numerum, nec ad qualitatem. Et si in rescripto fuerit clausula generalis *quibusdam aliis*, in vi hujus clausulæ non poterit impetrator rescripti convenire aliquem pro majoribus negotiis, seu causis, quam sint illa, vel illæ, quæ exprimuntur in rescripto, prout decernitur *in cap. sedes*. Ulterius verò existente in rescripto, hujusmodi clausula generali reus conveniendus poterit petere, & instare, ut actor coram Judice declaret & determinet causas super quibus vult litigare, secundùm Jo. Andr. *n.* 1. Anchar. *n.* 4. Dom. *n.* 4. Franc. *n.* 7.

16 Hæc verò eadem regula servanda est circa personas, ut ex vi clausulæ generalis actor non possit convenire personas majores, & digniores expressis. Sic enim decernitur *in d. cap. sedes*, & tradunt Joan. Andr. *num.* 1. Ancharanus *num.* 4. Gomez *num.* 69. Gratios. Ubert. *de citat. cap.* 9. *num.* 242. Ubi ex Mandos. *informat. 2. communis causa super beneficia* subdit quod vigore dictæ clausulæ numquam intelligitur comprehensus Princeps; sub qua tamen comprehenduntur pauperes, quamvis ipsi tamquam miserabiles personæ remissionem causæ petere possint ex privilegio *leg. un. Cod. quando imper. inter pupill. & vid.* Ideò licet universitas, seu collegium conveniri possit, & censeatur fictione juris singularis persona, tamen si in rescripto sit nominata persona inferioris dignitatis, quam sit universitas, ex vi clausulæ generalis, *quidam alii*, non posset universitas conveniri *d. cap. sedes*, Jo. And. *n.* 1. Dom. *num.* 8. Franc. *num.* 5. Gomez *num.* 68. Quod & verum est, si nulla expressa persona in rescripto, posita fuisset clausula generalis contra quascumque personas; adhuc enim ex vi hujus clausulæ non posset conveniri universitas, vel persona speciali expressione digna. Unde ex Dom. *cons.* 436. Gomez *num.* 68. probat, quod ex vi præfatæ clausulæ generalis non posset conveniri Collegium Auditorum Rotæ. Ideò sub hujusmodi clausulis generalibus nec comprehenduntur personæ privilegiatæ, Barbos. *n.* 5.

17 Eadem verò est ratio de aliis clausulis generalibus similibus, ut sunt clausulæ *nonnulli alii, aliqui alii*, & similes, sicut & procedit in claus. *Cum facultate citandi, & inhibendi, quos, quibus &c.* de qua Marches. *de commiss. part. 1. cap. 5. numer.* 146. & Ubert. *cap. 9. de cit. num.* 268. Sed advertendum, quod in rescripto vel exprimitur una, aut plures personæ, aut nulla persona exprimitur. Primus est casus hujus textus. Nam dictio *alii* refertur ad expressos, estque sensus *& quidam alii* ab expresso, vel expressis in rescripto. Unde hic non est sermo nisi de clausula generali; quæ veniat post expressum, vel expressos aliquos in rescripto, Jo. Andr. *n.* 3. Dom. *n.* 9. & ex Jo. de Lig. & Jo. de Fan. Franc. *n.* 6. Et in hoc casu, sive clausula addita sit indefinita aut particularis generalis, *ut quidam alii, nonnulli alii, aliqui aliis homines illius loci &c.* sive clausula sit universalis, ut si dicatur, *omnes quos tibi actor nominaverit*, aut *omnes de tali collegio &c.* aut *omnesque alii*. Regula hujus textus habet locum, quia & hoc modo clausula infinitatem quandam habet quam textus iste reprobat. Et ita sentiunt Gloss. *ad ver. quidam alii*, Jo. Andr. *n.* 3. Franc. *num.* 6. & etiam de hac clausula *omnesque alios &c.* hunc textum intellexerunt Cassad. *decis. 2. de dolo & contum.* Rota *decis.* 18. *n.* 2. *eod. tit.* & coram Greg. XV. *decis.* 94. *n.* 3. & Gratiosus Ubertus *de citation. c. 9. n. 230. & seq.*

Sed potest aliter dari rescriptum, scilicet nulla expressa 18
persona, sed solum per clausolas generales sive indefinitas, sive universales. Et tunc hic casus non comprehenditur sub regula hujus textus, quæ supponit aliquem exprimi in rescripto, ut citati DD. asserunt. Dubium tamen est, an valeat rescriptum per clausulas generales nulla expressa persona datum. Hoc enim non valere videtur *ex cap. ad hæc sup. de rescript.* Sed alia ex parte rescriptum ob generalitatem negotiorum, & personarum non esse nullum, si fiat sine fraude, & specificatio fiat in libello sentit Jo. And. *hic n.* 4. quem sequitur Francus *n.* 6. qui tamen volunt quod in rescriptis revocatoriis requiratur specialis expressio. Verùm quidquid sentiendum sit de valore rescripti generalis, *cum cap. citatum ad hæc* habeat varios intellectus, pro nunc dicitur, quod quatenus sit validum, non comprehenditur sub regula hujus textus, & quod ex vi illius possunt conveniri plures quam quatuor, ut d. DD. tenent, quia in hoc textu non est sermo nisi de rescriptis in quibus simul cum clausula generali est expressa aliqua persona convenienda.

Sed & est advertendum, quod hæc clausula *quidam alii*, 19
seu *omnesque alios &c.* potest poni etiam in citatione, quæ fiat per edictum, ut dicit Cassad. *decis. 2. de dolo & contum.* Sed non operatur, quando probatur non tutus accessus contra certos, sed si probaretur non tutus ad unam provinciam, seu civitatem contra quoscumque, qui in ea essent citandi, & si generaliter, vel propter dicta, vel sævitiam Principis, vel alias non tamen contra eos, qui citantur, tunc posset ipsa clausula operari.

Et quia frequenter in rescriptis hujusmodi clausula ge- 20
neralis ponitur, ideò, ut ait Gloss. fuit providendum. Ex quo colligitur verum esse quod legislatore respicere habent ad ea, quæ frequenter eveniunt, & quod perpetuis legibus non est liganda Respublica, ob inconvenientia, quæ de raro evenire possunt.

Ponderanda sunt quoque verba illa textus *in litteris no-* 21
stris inseritur. Nam ex eis solvitur quæstio, an regula ista se extendat etiam ad rescripta data ab Episcopis, & Prælatis inferioribus. Nam Archid. *num.* 2. & Domin. hic *num.* 10. & Gratios. Ubert. *de cit. cap. 9. numer.* 267. putant extendi, Ancharanus autem *num.* 4. putat extendi ad legatorum rescripta. Sed non extendi ad rescripta Episcoporum, benè asserunt Gloss. Ancharanus *num.* 4. & ex Butr. Gomez *num.* 42. Cùm enim expressè Papa loquatur de literis suis, non est ut velimus extendere regulam ad aliorum literas. Nec est judicandum quod dictio *nostris* sit hic posita à casu, & superfluè, sed ex proposito, & sic ad restringendam regulam ad rescripta Papalia. Nam cùm etiam hæc regula odiosa sit tanquam continens præjudicium jurisdictionis Episcoporum, ut notavit etiam Panormit. *cap. ad hæc num. 3. sup. de rescript.* strictè debet interpretari, nec ad casum non expressum extendi. Neque enim est eadem ratio de Pontifice & Episcopis, tum quia Prælati inferiores non tam frequenter rescribunt delegando causas. Tum quia si delegant hoc non est in præjudicium alicujus alterius Prælati inferioris habentis jurisdictionem ordinariam, cum isti non dentur regulariter, sub Episcopis. Tum quia facilis est recursus ad Episcopos, imò & ad Legatos existentes in Provincia, ut si forsan contingat fraus, obtineatur remedium. Unde nec ad rescripta legatorum extenditur.

Ad numerum autem trium vel quatuor determinatur in- 22
finitas clausulæ *quidam alii &c.* Cùm tamen textus loquatur alternativè, dicitur quod cùm hæc sit alternativa offerentis, electio alterius partis pertinet ad impetrantem rescriptum, Jo.

Jo. Monac. quem seqoitur Jo. And. *num.* 1. Anchar. *n.* 1. *&* 3. Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 2. *&* 4. Io alternativa enim offerentis electio spectat ad illum cui offertur, ad differentiam alternativæ promittentis, in qua promittens potest eligere minimom, *l. inter stipulantem*, §. *si stipuler*, *ff. de verb. oblig. cap. In alternativis inf. de reg. jur.*

23 Et nihilominus hæc electio est solius principalis in causa, ita quod Procurator fine speciali mandato noo potest eligere vel tres, vel quatuor, vel hos in singulari, vel alios Ancharanus *num.* 3. Franc. *num.* 2. Vel nisi Dominus ratificaret secundùm Bart. *in leg. si stipulatus fuero*, *ff. de verb. obligat.* & secundùm Baldum hic, ex quo Franc. addit, quod oec hætes impetrantis id declarare posset, quia declaratio animi noo transit à defuncto ad hæredem secundùm Gloss. *notab. in leg. Pomponius*, §. *si plures*, *ff. de rei vend.* de qoo *in l. inter stipulantem*, §. 1 *ff. de verb. oblig.* & Francum sequitur Gratiosus Ubertus *de citat. cap.* 9. *n.* 241. Ancharan. tamen *n.* 4. hoc magis dubium esse censet. Qui etiam addit declarationem, libelli spectare ad actorem. Meminisse autem debet actor in hujusmodi optione, & declaratione, quod non potest nominare majores, & digniores expressis, seu eos, qui mentionem specialem exigunt, ut suprà probatum est. Sub hoc autem numero ternario, aut quaternario non clauduntur expressi, sed impetranti licet nominare tres vel quatuor præter expressos, quia dictio *alii*, importat distinctionem, & discretionem ab illis quos supponit antea expressos.

24 Sed quid faciet, qui habet interesse in causa, ex vi clausulæ *quidam alii*, aut *omnesque alios* non potuit citari, quia est ultra quatuor? mnita de illo collegit Gratiosus Ubert. *de citat. cap.* 9. *num.* 261. *& seq.* quæ advertenda sunt. Primum quod nedum potest venire ad causam, sed quod sciens causam agi, si non opponat, sibi præjudicat, juxta *text. & ibi not. per DD. in leg. sæpe*, *ff. de re jud.* & Jo. Andr. *hic num.* 6. Item 2. quod ille potest venire ad causam & ex vi dictæ clausulæ contra actorem absentem agere per contradicta, ut fuit resolutum per Rotam *decis. ultima de rescript.* coram Achill. de Grass. licet ipse dicat sic resolutum fuisse, licet ipse dubitaret; itaque ille potest litem prosequi, & contra actorem reportare sententiam, licet causa contra eum non esset expressè commissa, Puteus *decis.* 385. *l.* 2. Item 3. quod hoc procedit etiam in causa appellat. etiam si ille interesse habens io prima instantia non fuit io causa, quia si in commissione causæ appellationis adsit dicta clausula, potest interesse habens venire Coccin. *decis.* 47. *num.* 11. Item 4. quod quando interesse habens ex vi dictæ clausulæ venit ad causam, actor non potest quoad illum petere dilationem ad partes: Quia debuit venire instructus quoad omnes. Et ita resolutum fuit per Achil. *decis.* 2. *de dilat.* Quamvis dicat id durum sibi fuisse visum. Item quinto, quod quoad sic venientem ad causam lis dicitur legitimè introducta, Achill. *decis.* 2. *ut lit. penden.* Et debet admitti in stato, & terminis, *cap. si hi*, *infrà ut lit. pend.* Quod si ille putet hoc sibi non esse utile, debet impetrare novam commissionem, vel ad eundem, vel ad alium Judicem, Cassad. *decis.* 1. *numer.* 4. *de except.* Antequam enim habens interesse vigore dictæ clausulæ veniat ad causam Judex habet jorisdictionem in illum solum in habitu, & ideò antequam citetur, ille potest rescriptum & validum impetrare, *cap. pastoralis*, §. *quoniam*, & ibi Gloss. *in v. jurisdictionem*, *de rescript.*

25 Ex illis autem verbis *in judicium non trahantur*, Jo. Andr. *hic num.* 1. arbitratur, quod textus non habeat locum in judicio inquisitionis, & quod in eo plures quam tres, vel quatuor citari possint, quia non propriè trahuntur ad judicium, quoniam procedit judex ex officio. Sed Joan. de Fant. apud Domin. existimavit, quo si literæ sint impetratæ, nec ex vi illarum possiot trahi in judicium plusquam tres, vel quatuor personæ, Domin. *numer.* 6. absolutè vult, quod indistinctè regula istius textus locum habeat etiam in judicio inqnisitionis. Certè negari noo potest, quod citatns è judice pendente ex officio non trahatur propriè in judicium. Non enim judex in judicio inquisitioois procedit oisi ot judex, & instante procuratore fiscali, vel delicto accusante, aut justitia exigente. Unde judicium hoc est propriè judicium, *cap. qualiter & quando* 2. *de accusat.* judicium enim dicitur actus trium personarum verè vel fictè, quia aliquando fama locum habet actoris, Silvest. *v. judicium num,* 2. ubi ex Card. diffinit. judicium, quod sit investigatio, quam secundùm ordinem juris facit judex per varios modos, ad veritatem eliciendam, & custodiendam, *cap. judicantem* 30. *q.* 5.

26 Sed ulterius, qui à judice procedente ex officio citatur ad judicium propriè trahitur. Neqne enim ad hoc ut aliquis dicatur trahi requiritur violentia, & coactio. Quod colligitur *cap. Romana*, §. *caveant infrà de foro compet.* ibi, *traheri invitos*; non enim suisset opus addere invitos, si non trahitur nisi qui est invitus, Gomez *num.* 8. ubi etiam contra Bald. *in auth. habita*, *C. ne fil. pro pat.* advertit, quod ad hoc, ut aliquis dicatur trahi in judicium non est necessaria contestatio litis, sed sufficit citatio, ut tenet Panormitanus *in cap. Pastoralis not.* 4. *de causa possessionis*. Ideò quia judice citatur ad judicium propriè diceretur in judicium trahi, esto etiam non traheretur invitus. Quamvis rarum sit, quod quis volnntarius omninò veniat citatus ad judicium, & ad summum venit necessitatus necessitate præcepti.

27 Ulterius verò regula textus vult, quod eorum trium, vel quatuor qui electi sunt, & quos actor convenire vult nomina propria, cognomina, & circumstantiæ per quas certò, & indubitatè cognosci possint in individuo, & ab omnibus aliis distingui debeant in primo monitntio describi, ut omnes vitetur æquivocatio, *cap. licet suprà de test.* Gloss. hic Joao. Mon. *num.* 5. Barbosa *numer.* 2. ex Rota *decis.* 18. *numer.* 2. *de dolo & contum. in noviss.* Quamvis verò non sufficere circumlocutiones sive nomiourn expressione, dixerit Franc. apud Domin. tamen hoc non obstante dicitur, quod ubi circumlocntiones per necessitatem, & indubitatè indocunt notitiam personæ in individuo, sufficiunt Domio. ex Jo. de Fant. & Jo. de Imol. *n.* 13. Franc. *n.* 7. Anchar. *n.* 2.

28 Sic ergo ubi interesse habeotes sont certi debent hoc modo nominatim citari, *cap. fin. infrà de elect.* Quando enim persona scitur, vel sciri potest, oon sufficit citatio generalis, vel per edictum, Felinus *in cap. gratum col. penult. de off. deleg.* Mohedan. *decis.* 8. *in princ. de fide instrument.* Cassador. *decis. ultima numer.* 6. *ut lit. pend.* Rota *recent. part.* 2. *decis.* 258. *numer.* 2. Quod est servandum etiam cum illis qoi possunt de facili certò cognosci, Felin. *in cap.* 1. *post numer.* 8. *vers. & possunt ista*, & alii quos refert & sequitur Ubert. *de citat. cap.* 9. *numer.* 255. Etiam si citandi distarent per 30. milliaria, quia & ad hanc distantiam potest citandorum haberi notitia, ut in una Burgen. matrimonii, coram Ptolomæo 16. Aprilis 1547. Et propterea ubi plures citandi essent, noo excusaretur agens ex eo solo, quod ignorasset aliqoem ex illis adesse, nisi probaret investigasse, an ille existeret, Anchar. *infra cap. fin. de elect.* Ubert. *ubi suprà num.* 256.

29 Quando autem, qui citandi sunt, sint incerti, ot nuntius non possit eos ea citatione citare, quo citat certos, sed debeat fieri alia citatio generalis contra quoscumque sua quomodolibet interesse putantes; cum ratione incertitudinis non possit fieri personaliter, debet fieri per edictum, vel per proclama, nt advertit idem Grat. Ubertus *ubi suprà num.* 253. Sed tamen si contingerit etiam personam certam citari per edictum, tunc in eodem edicto & certi, & incerti citari possent.

30 In prima autem citatione per propria nomina & cognomina describi debent personæ, quas actor intendit conveniri. Hinc primò colligitur non esse oecesse, ut horum nomina exprimantur in qualibet citatione, sed sufficit, si id fiat in prima citatione. Ita Gloss. *in verb. quorum*, & ex Innoc. Hostien. Franc. & Compos. Jo. Andr. *n.* 1. Archid. *n.* 3. Domin. *n.* 7. Sed non desoot qui amplius existimant, quod sufficiat describere in actis horum conveniendorum nomina, quia sic etiam tollitot omnes fraudis periculum, cum Notario fides adhiberi debeat & pro ea præsumatur, *cap. Ad audientiam de præscriptis*, sufficit enim servare mentem legis etiam offendendo *verba l. scire oportet*, *de excusat.* sic Gloss. *in v. Quorum*, Joan. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 3. *vers. quantum ad primum*. Tutius tamen est etiam legis verba servare, nomina horum in prima citatione exprimere. Et ita servari debet. Si tamen id factum non fuisset, posset factum sustineri.

31 Quando verò fieri possit ac debeat hæc expressio indubitatum est quod fieri potest tunc cùm citantur illi, qui in rescripto fuerunt expressi. Sed an hoc sit necessarium, Jo.

Andr. dixit non esse, si tamen actor dicat, se nolle alios virtute d. clausulæ convenire. Sed Ancharan. *num.*3. *vers. circa* sentit absolutè id non esse necessarium, & quod expressi in rescripto possint sine aliorum expressione citari, nec possint illi citati excipere contra citationem. Quia textus solum vult quod nominati tamquam comprehensi sub clausula quidam alii exprimantur in prima citatione facienda de illis, ut patet ibi, quorum nomina in primo citatorio, scilicet eorum inclusorum, ut sic referatur ad totum textum, qui nihil disponit de expressis, ita Anchar. & benè.

32 Quod si in prima citatione, qua isti inclusi sub illa clausula generali citantur nominatur unus, vel duo, aliis non nominatis, rescriptum quoad non nominatos perdit vires, & tenet citatio quoad nominatos, Glos. *in verb. quorum in fin.* Ancharan. *ubi suprà*, Gratios. Uber. *de citationibus cap.*9. *numer.*25. Si etiam actor in actis Notarii nominavit personas, sed ex negligentia, vel malitia judicis, vel notarii, non fuerunt illæ expressè, non nocent actori, qui, quod in se erat, fecit, *cap. anteriorum* 11. *quæst.*3. *cap. ex insinuatione de appellat.* & ex Franc. Joan. Andr. *num.*1. Francus *num.*3. Domin. *num.*7. ubi etiam addunt, quod si judex, vel notarius oblitus fuit exprimere illas personas in prima citatione re integra, & si jus adversarii per id non est factum deterius potest incontinenti errorem emendare; Sed postquam actor aliquos semel expressit non potest variare, & invalidè variaret; quia nominati in primo citatorio ex vi rescripti sunt jam de rescripto, & idem est, ac si in rescripto nominati fuissent & expressi. Unde etiam qui in primo citatorio non sunt expressi sunt extra rescriptum, & respectu illorum nulla ex rescripto datur jurisdictio judici delegato, Gloss. in *v. quorum*, Ancharanus *loco citato*, Domin. *num.*7. Franc. *numer.*3. Unde etiam est, quod si judex mandat solummodo citari Titium, non posita clausula *omnesque alios &c.* executor non potest citare Medium: quia non potest excedere fines mandati & si citaret, nulliter procederet, *leg. præterea, & l. diligenter, ff. mandati, cap. dilecta, de rescriptis*, Gratiosus Ubertus *de citation. cap.*9. *num.*249. Sed nec dari ordinem necessarium inter citationem expressi in rescripto & non expressorum, ita quod actor prius convenire possit non expressos in rescripto, sed à se nominatos ex vi clausulæ, *quidam alii*, tradit Gloss. *v. quorum*, quam sequitur Dom. *num.*11. nisi tamen in fraudem aliquos expressisset juxta formam *cap. sedes sup. de rescriptis*.

33 Cùm verò textus loquatur de impetratore manifestè colligitur, quod est sermo de rescripto impetrato, quodcumque sit hoc rescriptum, etiam si sit ad procedendum per viam inquisitionis, ut suprà dictum fuit. Quamobrem si rescriptum sit datum motu proprio, non comprehenditur sub hac decretali, quia non est propriè impetratum.

34 Apparet autem mentem Pontificis esse auferre fraudes. Duplex autem fraus potest hic contingere; prima, ut contra mentem legis conveniantur plures, quàm quatuor. Et hæc tollitur ex quo conveniendi nominantur in actis, & in primo citatorio, secunda est ut fraudolenter nominentur aliqui, & posteà fiat variatio, & uno vel pluribus ex nominatis ablatis, posteà alii loco eorum nominentur, & propterea decernitur, ut nominatio primo facta sit prorsus immutabilis.

35 Variationem enim omninò prohibet Pontifex, unde esse nullum processum quantum ad posterius nominatos si contingat actorem variare suprà est probatum. Unde etiam sequitur, quod jus rescripti, seu actio principalis in vi illius habita nulli alteri potest cedi. Quoniam rescriptum concessum fuit ei, qui illud per se obtinuit. Ita ex Jo. Andr. Anchar. *n.*3. *vers. sed utrum, ex not. in cap. quia nonnulli suprà eod. tit.* ubi Panorm. *n.*3. hujus reddit rationem, quia nimirum rescripta sunt personalia, unde non excedunt personas in eis contentas.

SUMMARIUM.

36 *Fallit regula in causa indivisibili.*
37 *Et quando materia id requirit.*
38 *Et si alias citatio esset frustatoria.*
Actus nullus non præbet impedimentum, 38.
39 *An regula habeat locum in aditorio Rotæ.*
40 *Non habet locum, si adsit clausula contraria.*
41 *Error nominis potest corrigi.*
42 *Universitas in pluribus casibus potest citari*. 43. 44.
45 *Citatio generalis valet, sed non arctat.*

Quæst. unic.

De veritate regula textus.

ARTICULUS I.

Utrum regula data sit universaliter vera, ita ut nullas patiatur limitationes.

Respondetur nonnullas dari in rei veritate limitationes, 36
& casus in quibus præfata regula non habet locum. Primus est, quando plures quàm quatuor sunt, quibus eadem indivisibilis causa est communis, unde non potest cognosci causa illa, nisi citatis omnibus, etiam si essent plusquam mille, qui in ea indivisibili causa habent interesse. Et sic regula debet intelligi ubi nedum sunt plures personæ, sed etiam plures causæ, vel si est una causa illa non est indivisibilis, Gloss. *v. vel quatuor*, Joan. Monac. *numer.*4. Archid. *num.*2. Ancharanus *num.*3. Gomez *num.*47. Gratiosus Ubertus *de citat. cap.*9. *num.*247. Exemplum est, si tractaretur de aliquo bono octo vel decem personis communi & inter eas dividendo; vel si lis esset an quinque vel sex essent de familia una, vel universaliter, quando res illa super qua est lis pertinet ad multos, quorum singuli in ea habent jus in re, seu dominium. In hoc enim casu nedum verum est, quod omnes isti pro eorum interesse comparere possunt in judicio, sed omnes ab actore sunt citandi, Soc. *de citat. art.*5. *n.*63. *qu.*31. *ver.*2. *quæro*, quem sequitur Grat. Ubert. *de citat. c.*9. *num.*247.

Secunda est, ut infinitas admittatur, quando subjecta materia id requirit, quia tunc infinitas admittitur, ut ex Alex. *in l. qui bona*, *§. fin. ff. de dam. infer.* Advertit Gomez *num.*46. Unde tunc toleratur infinitas, quando verba contrahentium hoc important, Barb. *num.*10. Sed credo, quod hæc limitatio ad priorem reducatur, quia nimirum tunc non sit limitatus numerus trahendorum ad judicium, quando res de qua agitur est communis pluribus ex natura contractus, vel donationis, vel hæreditatis &c. 37

Tertia est, si prima citatio, in qua facta fuit nominatio trium vel quatuor redderetur frustatoria ex causa aliqua, ut puta quia impetrator contra formam, *cap. sedes sup. de rescriptis*, nominavit eos, qui non poterant nominari ex vi clausulæ *quidam alii*. Tunc enim posset impetrator variare, & alios nominare; quia actus qui nullus fuit, non præstitit impedimentum juxta regulam *non præstat inf. de reg. jur.* Gomez *n.*45. 38

Quarta est, ut regula textus non habeat locum in auditorio Rotæ, quia citationes, quæ fiunt in curia, cum fiant ratione ordinariæ, & superioris jurisdictionis, quam habet Papa, præcipuè in causis devolutis, & alias tractandis in curia, non sunt restringendæ, sicut commissiones, quæ fiunt ad partes judicibus delegatis, quæ tendunt ad enervandam jurisdictionem ordinariam, quæ propterea strictè intelliguntur. Hanc limitationem absolutè admittit Barbos. *num.*4. eamque tribuit Rotæ *decis.*2. *de rescriptis in antiqu.* cui etiam eam tribuit Gomez *num.*44. dicens eam fuisse Bernard. de Bisignan. tamen hujus oppositum tenuisse Maria *in tract. citat. in* 7. *quæst.*30. principali & allegasse in contrarium aliam decisionem Rotæ, subditque contra hanc limitationem militare rationem hujus textus. Sed advertit Dom. *num.*7. quod Rota *in decis. illa* 2. *de rescript.* resolvit contrarium, nimirum regulam hujus textus servandam esse etiam in Auditorio Rotæ, cùm militet etiam ratio textus. Solum verò addit, quod si contingat, quod aliqui prætendant habere interesse in causa, debent audiri, etiam si alias non essent citati; potest enim contingere quod aliqui, qui nec fuerunt citati, nec erant citandi petant admitti ad causam prætendentes habere in ea interesse, & sic petant audiri, ut doceant de interesse suo, & sunt audiendi, Et hoc etiam admittit Domin. *dict. num.*7. Illam eandem *decis.* tanquam Bisignan. refert Gratiosus Ubertus *cap.*9. *de citat. num.*267. Sed ego nihil de hac re invenio *in decis.*2. Rotæ *de rescript. in antiquis*, sed 39

benè

benè lego in Cassad. *dec. 2. de dolo & contumac.* quod Rota contentatur, & quod ita in ea practicatur, quod in vt claui. *Omnesque alios*, qui citandi sunt, possint nominari in partibus, & quod licet olim de hoc fuerint opiniones, nunc talis est observantia. Cujus rationem reddidit Rota *dec. 38. de dolo & contum. in novis*, quia Auditores in curia non possunt se informare faciliter de nominibus, & cognominibus citandorum, Rota tamen illa *num.* 3. tenet contrarium. Quod & tenuit Rota coram Crescent. *dec. 3. de dilation.* Sed nihilominus quod dixit Cassad. servatur in praxi, ut dicitur etiam *in dec. 94. num.* 4. coram Gregorio XV. & testatur Gratiosus Ubertus *de citationibus, cap. 9. num.* 232.

40 Limitatur 5. ut regula locum non habeat, ubi in commissione adest clausula, *In executione citationis nominandos, & cognominandos*. Hæc enim clausula etiam de temp. Cassad. ut habetur *in citata dec.* 2. aliquando ponebatur in rescriptis, & quod postea inoleverit praxis apponendi dictam clausulam testantur Gratiosus Ubertus, & Vellr. *in Praxi l. 4. cap. 2. num. 2. de citation. cap. 9. n.* 231. Et ejusdem clausulæ considerationem habuit Vantius *de nullit. ex defectu citation. num.* 59. quam clausulam ipse sic expressit: *Cum potestate citandi tam in curia, quàm extra omnes sua interesse putantes in executione citationis ubi, & quoties opus fuerit exprimendos*. Et quia ex vi clausulæ istius non possunt citari plusquam quatuor, ubi plures sint citandi fuit solitum ut adderentur illa verba, *etiamsi essent ultra quatuor*. Et sic dictæ clausulæ *vigore*, tam Auditor, quàm Notarius, aut Nuntius validè specificare potest & nominare citandum, ut ex Mandos. *in reg. 34. de annals q. 36. n.* 7. advertit idem Ubertus *n.* 235.

41 Limitatur sextò, ut error nominis, seu cognominis ejus contra quem impetratur commissio dommodò per aliquas alias circumstantias possit constare de persona, quod sit illa, quæ in commissione est expressa, non vitiat processum habitum contra personam eandem, maximè si fiat executio citationis vigore dictæ commissionis decretæ sob vero nomine, & cognomine, & citatus expresso vero nomine, & cognomine procuratorem ad causam instituit, §. *si quis inst. de legat. l. si quis facit C. de testam. cap. licet ex quadam de testib. & cap. tua de consang. & affin.* Rota *in nov. decis. 16. de rescript.* Gratiosus Ubertus *de citation. cap. 9. num.* 237.

42 Limitatur 7. ut si in rescripto simul cum clausula generali *omnesque alios, &c.* sint etiam hæc verba, *& fallores & perturbatores cujuscumque nominis*, tunc universitas si esset perturbatrix posset citari vigore dictæ clausulæ, Rota *dec. 25. p. 3. lib. 3. n. 3. divers.*

43 Limitatur 8. ut si commissio essent contra monialem Abbatissam, *omnesque alios &c.* si causa commissa esset super re spectante ad Monasterium, tunc comprehenderetur sub dicta clausula etiam universitas monialium, & Monasterium juxta not. *in cap. edoceri, de rescript.* & per Rot. *dec. 248. num. 1. & 2. part. 3. l. 3. divers.* Ubertus *ubi sup. num.* 245.

Limitatur 9. ut clausula *omnesque alios* quando in commissione expressa fuit universitas Religiosorum, comprehendat etiam universitatem laicorum, & cùm sit minor, citari possit, *cap. sedes de rescript.* & ibi Imol. *num.* 18. & Felin. *n.* 5. Rota in Siracusana quartæ 16. Novemb. 1588. coram Comitulo, quæ est apud Post. *de manut. 65. num.* 2. Non tamen è contrà si exprimeretur in commissione Universitas laicorum posset citari universitas Religiosorum, quæ est major, Felin. *ubi sup.* Rota *in nov. dec. 8. de rescript.* 44

Limitatur 10. ut citatio vigore clausulæ *omnesque alios*, valeat de jure *cap. significante de test.* & executor possit citare in genere omnes, quorum interest *cap. fin. de elect. in 6. c. In tua, qui matr. accus. poss.* Attamen citatio hujusmodi non est arctatoria, sed monitoria, & potest quis comparere, sed non cogitur, Gratiosus Ubertus *de citation. c. 9. n.* 233. ex Innoc. & Hostien. *in cap. dilecti, de except.* Vant. *& de nullit. ex defectu citat. n.* 60. 45

S V M M A R I V M.

46 *Nullum est ipso jure quod fit contra Regulam hujus textus.*

Quæst. unicæ

ARTICULUS II.

Vtrùm si non servatur regula hujus textus processus sit ipso jure nullus.

Videtur enim, quod solùm ope exceptionis sit irritandus, quia in textu non est decretum irritans, si contrarium fuerit attentatum, at verò factum contra legem de jure Canonico non est ipso jure nullum, nisi in lege contineatur decretum irritans. Multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent. Nihilominus, quod in hoc casu processus sit ipso jure nullus tenent Gloss. Joan. Monach. *num.* 4. Anch. *num.* 3. Et ratio est, quia rescriptum non se extendit, nec dat jurisdictionem nisi respectu personarum expressarum in rescripto, vel exprimendarum in primò citatorio, & ad aliàs non se extendit. Ubi verò per legem, aut rescriptum datur jurisdictio limitata ad causas, vel ad personas, quod fit in alia causa, vel cum aliis personis fit sine jurisdictione, & est ipso jure nullum. 46

DE RESCRIPTIS.

Idem Innocentius IV. in eodem Concilio Lugdunensi.

CAPUT III.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes, qua possumus industria coarctare, statutum felicis recordationis Gregorii Papæ noni prædecessoris nostri super hoc editum ampliantes: Decernimus, ut si quis contra alium plures personales movere voluerit quæstiones, non ad diversos judices, sed ad eosdem super omnibus hujusmodi quæstionibus litteras studeat impetrare. Qui verò contrarium fecerit, omni commodo careat litterarum: nec processus habitus valeat per easdem: reo, si eum per ipsas (citaverit, vel) fatigaverit, in expensis legitimis condemnandus. Reus quoque si eodem durante judicio, actorem sibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio, vel conventionis, (si contra eum litteras impetrare maluerit) de jure suo debet apud eosdem judices experiri: nisi eos ut suspectos poterit recusare: Simili pœna, si contra hoc fecerit, puniendus.

S V M M A R I V M.

1 *Summa textus.*
2 *Dispendia quæ sint.*
3 *Dispendia non omninò distinguuntur ab expensis.*
4 *Lites perniciosæ.*
Superioris est curare ut lites terminentur.
5 *Æquitas idem quod Epicia.*
6 *Hic non accipitur æquitas propria.*
7 *Æquitas scripta, & non scripta.*
Æquitas rigori præferenda.
8 *Compendium breve, & utile.*
9 *Superioris est quantum potest dispendia litium tollere.*

10 *In-*

10 *Industria quid sit.*
11 *Statutum nomen comprehendit Constitutiones Apostolicas.*
12 *Decretalis ampliat statutum Greg. IX.*
13 *Personales actiones quæ sint.*
14 *Quæstiones, quæ dicantur.*
15 *Textus loquitur de impetratione, & effectu literarum.*
16 *Præscriptio non tollitur per impetrationem literarum.*
17 *Per litis contestationem licet nullam interrumpitur præscriptio.*
18 *An verbum careat importet nullitatem ipso jure, variè opinatum.*
19 *Hoc non est certum.*
20 *Actus licet nullus sæpè punitur.*
21 *Dictio valeat, an importet nullitatem ipso jure.*
22 *Iudex non habens jurisdictionem super causa principali potest illam habere super incidenti.*
23 *Limitatur hoc simpliciter.*
24 *Etiam postquam pronunciavit se non esse judicem potest damnare in expensis.*
Eadem est ratio de aliis judicibus.

1 DUas partes habet hic textus, in prima de actore, in 2. de reo decernitur. Prima continet hanc regulam. Si actor contra reum super pluribus quæstionibus personalibus literas plures impetrat ad diversos judices, non valent literæ, nec processus earum, & si actor per eas citaverit, vel fatigaverit reum condemnandus erit in expensis.

2 Data verò fuit hæc decretalis ab Innocentio Quarto ad evitanda dispendia. Dispendium autem dicitur quasi longum, & inutile secundùm Gloss. & secundùm Hostien. dispendia dicuntur gratiosa diffugia, sed Jo. Monach. Archid. *in princ.* dicunt dispendia, detrimenta, damna, dispendiosas dilationes. Magis propria mihi videtur interpretatio Glossæ, ut dispendia dicamus esse longas expensas, & persæpè inutiles, quæ fiunt necessariò ad effectum vincendi lites, quas frequenter perdunt litigantes post patrimonium consummatum. In hoc enim sensu dispendium accipitur supra *cap. 2. de constit. & infr. cap. Quam sæpè de elect. & c. 1. Vt lite pendente.*

3 Distingui tamen hæc tria, scilicet dispendium, labor, & expensæ, *ex proœm. hujus lib. 6.* advertit Gomez *num. 2.* Nihilominus tamen crederem non distingui omninò dispendium ab expensis, sed quod dispendium importet longas expensas, quæ fiunt cum gravi damno, & diminutione rei familiaris, & quidem sæpissimè sine utilitate, & cum amaritudine, maximè si hujusmodi expensæ fiant ex necessitate proveniente ab extrinseco, ut vitetur majus imminens malum. Hujusmodi enim expensæ maximè fiunt in litibus, ut experientia est manifestum.

4 Inexplicabile enim quantum damnum, & Reipublicæ, & familiis causent lites. Per has enim extenuantur domorum redditus, & multi ad summam ægestatem deducti sunt, itaut etiam patriam relinquere coacti sint, *ut in Authen. de defens. Civit. in princ.* Lites etiam civiles sæpiùs transeunt in criminales, unde sequuntur homicidia, & familiarum interitus. Unde eorum est laudabile consilium, qui eas fugiunt. Propterea optimi superioris est curare, ut lites dirimantur, & earum occasiones eradicentur, Gomez *hic num. 6.* qui animadvertit ex Rom. *supra in proœm. §. In quem finem in princ.* Bonif. VIII. hunc librum edidisse ad vitanda dispendia litium. Et idem Dom. *hic in princ.* considerat, quod jura in quantum possunt, conantur coarctare prorogationes litium, *c. fin. de dolo, & contum. c. jurgantium, de re jud. Clem. dispendiosam de jud.*

5 Cùm verò Pontifex dicat se velle dispendia litium æquitatis compendio coarctare, multa hic habet Gomez *de æquitate comparata rigori*, eamque præferendam esse, si sit scripta, ostendit. Est quidem æquitas quædam factorum convenientia, *l. Iulianus, ff. de legibus*, seu est rectitudo judicii naturalem sequens rationem, Bald. *in l. omnes populi, num. 19. ff. de just. & jure.* Sed considerandum est ex D.Th. 2.2. q. 120. *art.* 1. quem etiam refert Silvest. *v. æquitas*, quod æquitas, ut est virtus specialis, est idem, quod Epiicia, & habet pro objecto illud æquum, & justum, quod reperitur de mente legislatoris in aliquibus casibus verbis legis contrariis. Unde est, quod hujus virtutis actus est occasione occurrente agere contra verba legis, ut servetur mens legislatoris. Et hæc est æquitas, quæ non opponitur severitati, & rigori, secundùm quod severitas est virtus, per quam servantur verba legis in rigoroso intellectu, quando hic rigor est servandus, ut benè advertit D. Th. *loco citato ad primum*, sed opponitur severitati imprudenti, & rigori stulto eorum, qui mente legislatoris non considerata ad sola verba legis attendunt, & sic sæpè contra legem operantur, dum rigorosè se profitentur illam custodire.

Hic tamen non potest accipi æquitas propriè ut est Epiicia; quia nulla est lex, contra cujus verba expressa sit id, quod in hac decretali decernitur, & si daretur per legem hanc posteriorem illa prior abrogaretur. Nec Epiicia universaliter facit contra verba legis, sed solùm in casibus particularibus contingenter, & raro evenientibus; hic verò lex universalis statuitur. Nihilominus habetur hic aliqua similitudo Epiiciæ. Cùm enim quilibet habeat jus conveniendi in judicio eum, quem novit sibi obnoxium, nec detur lex naturæ, quæ obliget actorem ad conveniendum reum coram hoc, vel illo judice, si plures sint competentes, lex hujus decretalis legis naturæ mentem interpretata hanc indifferentiam abstulit in hoc casu, cùm scilicet actor habet contra eundem plures quæstiones, & propterea à Sede Apostolica vult impetrare judices, ut scilicet non possit validè impetrare plures, sed unum tantùm, coram quo omnes quæstiones proponere debeat. 6

Itaque æquitas dupliciter accipitur, scilicet propriè, ut est specialis virtus, & sic est idem, quod Epiicia. Alio modo communiter, & est quædam rectitudo judicii in interpretanda mente legislatoris, etiam cùm minus clarè loquitur generaliter, & indefinitè, unde importat subtilem quandam rectitudinem judicii ad explicandam legem, vel ad legem indefinitam determinandam ad casus singulares. Epiicia propriè est æquitas, quæ non dividitur in scriptam, & non scriptam. Sed imò proprium ejus est, ut sit non scripta, quia imò ejus est agere contra verba legis scriptæ; sed æquitas communiter accepta, cujus est rigorosum sensum legis relinquere mitiori accepto, quando id ratio suadeat, dividi potest in scriptam, & non scriptam. Sed cùm de omni æquitate sit verum quod præferenda sit rigori, juxta *cap. fin. de transact.* quia æquitas semper respicit mentem legislatoris, & solùm rigori irrationabili opponitur; hoc maximè proprium est Epiiciæ, quæ respicit casus, in quibus servare legem secundùm legis verba esse malum ex circumstantiis. 7

In hoc textu igitur de æquitate communiter sumpta est sermo, & hujusmodi æquitatis compendio dispendia coarctantur. Compendium enim est breve, & utile, ut notat Gloss. & opponitur dispendio, *cap. Qualiter, & quando el 2. de accus.* unde litium compendium est, quod brevitate coarctat litium dispendia, & exonerat partes à laboribus, & expensis. 8

Sed ponderanda sunt quoque illa verba, *quæ possumus industria*. Nam humana providentia nec omnia mala potest prævidere, nec fraudibus omnibus occurrere, nec scandala omnia auferre, dicente Christo Matth. 18. *Necesse est ut veniant scandala.* Quotidiè novi doli pullulant, cùm hominès dati in malum nihil sit, quod non inveniant, ut per fas, vel nefas concupita obtineant. Inde est, quod superiori satis est, si faciat quantum potest ut mala zizania, quæ Dæmon superseminat, evellat. Propterea Pontifex non intendit in totum mala litium dispendia tollere, sed quantum potest æquitatis compendio coarctare. 9

Industria, nimirum cura, labore, & vigilantia, Jo. Andr. *n. 1.* Est enim industria frequens exercitium circa rem honestam, Archid. *n. 1.* 10

Inhærendo igitur constitutioni Gregorii Noni contentæ *in cap. Quia nonnulli, ult. sup. eodem tit.* novam hanc decretalem addit Innoc. IV. & tamen cùm constitutionem illam vocet *statutum* manifestè colligitur, quod hoc nomen statutum, non dicitur solùm de legibus inferiorum Prælatorum, sed etiam de constitutionibus Pontificum. Unde est, quod in jure fundamentum non habet sententia illorum, qui voluerunt, *quod supra in hoc 6. c. Vt animarum, de const.* sub nomine statutorum Ordinariorum non comprehendantur constitutiones Papæ, eo quia hoc nomen statutum compre- 11

prehendat solùm leges inferiorum. Hujus enim contrarium habetur expressè in hoc textu.

12 Quantum ad dun autem secundùm Gloss. Innoc. IV. in hoc textu ampliavit statutum Gregor. IX. quia addita est nullitas processus formati ex literis hic rejectis: secundò, quod lex ista extensa fuit etiam ad reos, cùm illa comprehenderet solùm actores. Sed hæc Glossæ explicatio diminuta est, ut consideratur infra *num.* 21. Decernitur igitur in textu, quod, ubi quis contra eundem habeat plures personales quæstiones, validè non impetret plures Judices.

13 Dividitur enim actio in personalem, & realem. Personales actiones sunt, quæ consequuntur personam obligatam ex contractu, vel quasi, aut ex maleficio, & quasi: ita ex Francisco Vercellen. Jo. Mon. *num.* 4. Archid. *num.* 2. Jo. Andr. *num.* 10. Dom. *num.* 1. Et colligitur *ex Inst. de act. in princip.* Harum verò dantur exempla. De primis in mutuo, & venditione, locatione, verborum, & literarum obligatione. De secundis in actionibus tutelæ, negotiorum gestorum, & similibus. De tertiis in actionibus, furti, rapinæ, damni dati, & injuriæ. De quartis in judice malè judicante, & in projiciente de cœnaculo. Reales verò actiones, ut Doctores citati considerant, sunt, quæ res sequuntur, nec per eas dicitur persona obligata, ut rei vindicatio, Publiciana, & similes.

14 Distinguit verò hic Gomez *num.* 3. significatum hujus nominis quæstiones, quia nimirum extra jus in humano sermone significet contentionem ante judicium, ut notatur *in l. qui finem, ff. de transact. & in l. hujus §. tres hæredes ff. ad Trebell.* & tenet Bald. *per illum textum ad l. Audita, de restit. spol.* & Dec. *in cap. 1. not. 2. de appellat.* Sed in jure, & prout illud nomen profertur à lege, significat litis contestationem, *l. 3. C. Sine Veg.* Addit verò quod per hanc distinctionem Bart. solvit illam quæstionem, videlicet, an qui promittit alicui quæstionem non movere sub certa pœna, dicatur in casum incidere, quocumque modo moveat contentionem ante litem contestatam, an verò requiratur litis contestatio. Et Bart. *in l. Amplius non peti in 3. col. n. 5. ff. cum rat. hab.* resolvit istud quæsitum modo prædicto. Ex hoc verò deducit *num.* 5. quod ex vi hujus textus actor ob solam impetrationem rescripti non incidit in pœnam, de qua in textu, sed requiritur litis contestatio ratione hujus dictionis quæstiones. Sed de hoc dicendum est infra.

15 Pœna verò lata contra impetrantem in hoc casu plures judices est, quod sit privatus omni commodo literarum, idest, ut explicat Glossa omnium commodo literarum, & sic remanet privatus etiam commodo literarum, quas prius impetraverat. Ad incurrendam tamen hanc pœnam requiritur effectus. Et ita textus hic non punit attentatum, sed delictum commissum cum effectu, ita quod actor, & literas impetraverit, & eis usus fuerit, & per eas adversarium citaverit, & fatigaverit. Sed qualiter hoc intelligi debeat, dicitur infra.

16 Notat autem Franc. *num.* 1. ex hoc, quod si vigore primi rescripti coram primis judicibus impetrati erat interrupta præscriptio, vel erat constitutus adversarius in mora, vel in mala fide, quod ex sequenti impetratione pro' .ta evanescit omnis effectus sequutus ex prima. Quod probat ex eo, quod subditur in textu, quod processus non valeat. Sed contra hoc dubium movet Gomez *num.* 22. Ex eo quia supponit falsum, quod ex sola rescripti impetratione impediatur præscriptio. Nam cùm impetratio rescripti sit actus extrajudicialis, ut tenet Rota *decis. 175. in novis.* non constituit adversarium in mora secundùm Innoc. *in cap. olim de cens.* Ideò dictum Franch. debet intelligi, quando per novas literas à Papa impetratas processum fuit ad litis contestationem, per quam regulariter præscriptio cum bona fide interrumpitur, *l. More C. de rei vendicatione*, Abb. *in cap. Illud in 2. volum. de præscript.* Sed melius dicitur, quod sufficit actorem, ex vi secundi rescripti citasse, & defatigasse reum, ex illis verbis textus, *si eum per ipsas citaverit*. Imò sufficit, si secundas literas præsentavit. Nam præsentatio est de processu, & ex tunc processus incipit esse nullus.

17 Dubitat secundò Gomez contra Francum, quia ex eo Franc. vult quod si per illum actum agitatum in judicio vigore talis primæ impetrationis constituatur adversarius in mala fide, quod adhuc non interrumpatur præscriptio, quia talis actus irritatur hic, si actor utatur cum effectu secundo rescripto malè impetrato. Quod tamen esse falsum vult Gomez, quia licet per actum nullum regulariter non interrumpatur præscriptio, *l. si pater* cum gloss. *C. Ne de statu defunct. & l. si fundum, C. de vend. & cap. non præstatur infr. de reg. jur.* Tamen illud procedit, nisi per illum actum etiam nullum appareat, quod adversarius sit in mala fide. Nam tunc benè per illum actum interrumperetur præscriptio, Abb. *in cap. illud, in col. vers. & in simili de præscript.* Felin. *ibid. vers. tertia declaratio*. Nam non est inconveniens, quod in isto casu per actum nullum interrumpatur præscriptio. Hoc rationabiliter est consideratum, quia lex irritando actum, non potest impedire effectus, qui naturaliter ex actu consequuntur. Ideò quia litis contestatio naturaliter facit apparere, quod adversarius est in mala fide, ideò hoc non potest impedire, & ex consequenti non potest impediri, quin interrumpatur præscriptio, licet aliàs litis contestatio nulla sit, & irrita.

18 Dubium quoque est, an verbum *careat* importet nullitatem ipso jure, Dom. hic *num.* 2. hoc negat. Sed è contra quamplures tenent, quod importet nullitatem ipso jure, quorum plures refert, & sequitur Barbos. *num.* 3. At cum distinctione procedit Felin. *cap. ex tenore, num. 17. vers. considera 3. de rescript. & cap. Rodulphus num. 27. in verb. careat, eodem tit.* Ait enim, quod vel sumus in materia in qua per alia jura est declaratum, quod non irritatur actus ipso jure, & tunc dictio *careat* irritationem ipso jure non importat. Et quia decernitur, quod in rescriptis ad lites subreptio non irritat ipso jure, ideò nec verbum *careat* in rescriptis ad lites importat nullitatem ipso jure. Secus in aliis materiis, in quibus non est declaratum, quod actus non irritentur ipso jure. Et hanc distinctionem Felin. approbat Gomez hic *num.* 23. Francus verò *num.* 8. arbitratur, quod in præsenti textu importetur nullitas ipso jure, quia simul junguntur illa verba *omni commodo careat*, & processus non valeat, quod & senserat prius Dom. *n.* 2.

19 Ego in hoc habeo difficultatem, quia hæc clausula *commodo literarum careat*, habetur etiam *in cap. Quia nonnulli ult. de rescriptis*. Et nihilominus opinio fuit, quod ex vi dicti *cap. Quia nonnulli* processus non esset nullus, nisi ope exceptionis. Secundò, Nam hæc dictio *viribus careat*, significat per se quid commune ad id, quod est viribus carere ope exceptionis, & viribus carere ipso jure, ut supra dixi de dictione *valeat*, *cap. ipso jure*. Cùm verò juxta *reg. 30. infr. de reg. jur.* In obscuris accipiendum sit minimum. Quod & vetius observandum est, si sumus in odiosis, juxta *reg. 15. odia, & reg. 49. in pœnis inf. eod. titule*. Cumque nullitas actus ipso jure sit pœna, ut hæc nostra decretalis significat in verbo *simili pœna puniendus*, potiùs intelligi debet verbum *careat*, ut significet nullitatem ope exceptionis, quæ etiam est nullitas juris, cùm à jure sit inducta, & judex non possit eam pœnam non imponere. Propterea non est mihi certum, quod dictio *viribus careat* importet nullitatem ipso jure.

20 Sic tamen decernitur, quod processus sit irritus, quod tamen actor debet condemnari in expensis. Ex quo colligit Domin. quod hic habetur unus casus, in quo ob actum nullum agens punitur. Sed innumeri sunt casus in jure, in quibus pro actibus nullis agentes puniuntur. Nam benè stat, quod idem actus duplici pœna puniatur, nimirum pœna nullitatis, & alia puta excommunicationis, vel refectionis expensarum. Quamvis in hac parte processus validissimus est, ut contra reum causet damnum expensarum, quia non fiunt processus sine expensis, & ideò justè decernitur, quod sit nullus, ut non faveat actori, & si validus quantum ad hoc, ut obliget actorem ad resarciendas expensas factas à reo.

21 Cùm verò additur, quod processus non valeat communiter intelligitur ut sit ipso facto nullus, Gloss. Monach. *num.* 7. Archid. *num.* 2. Dom. *num.* 12. quia aliter hæc decretali non ampliasset statutum Greg. IX. *in cap. Quia nonnulli eodem tit.* quia etiam ex vi dict. cap. processus erat nullus ope exceptionis. Nihilominus si quis diceret decretalem hunc ampliare statutum Greg. IX. tum in expressione, quia hic exprimitur nullitas processus, quod ibi non fuit factum. Tum quia ibi non fuit prohibitum absolutè trahere eumdem reum ad plu-

plures judices, sed solum si fiat malitiosè, ut laboribus, aut sumptibus fatigatus compellatur, vel componere, vel cedere juri suo, ut patet ibi, *vel compellatur componere, vel cedere juri suo*. Imò lex illa non extendebatur nisi ad casum in quo plures actiones sub uno judice possent tractari commodius. Hic verò absolutè est prohibitum hojusmodi actiones agitari sub pluribus judicibus. Tum quia determinatio hujus legis extenta fuit ad reum, cùm statutum Gregor. IX. comprehendat solùm actorem, non posset de facili convinci falsitatis. Videantur dicta *sup. cap. ipso jure à num.* 12. *in hoc tit.* Gloss. addit, & damnis. Sed quòd sub nomine expensarum non veniant damna eidem Gloss. tribuit Franc. *num.* 9. qui tamen ibi habet, quod qui tenetur de damno insecto, tenetur ad expensas. Et quidem quod sub nomine expensarum non veniant damna, & est rationabile, & id asserit Panorm. *cap. Quia nonnulli, sup. de rescript. num.* 7. Quamvis in quadam lata significatione damna quædam expensæ sint, de quo dic, quod notatur *in cap. In nostra, de injur.* Sed ubi agitur de restitutione, semper multò magis tenetur actor ad damna, quam ad expensas litis, ad quas potest esse, quod non teneatur, nisi in eas condemnetur. Cùm tamen ex lege naturali teneatur restituere damna injustè illata, etiamsi ad hanc restitutionem à Judice non compellatur.

22 Cùm autem decernitur, qood hujusmodi actor damnandus sit in expensis id intelligi debet præmissa taxatione, & juramento, ut dixit Archidiac. *num.* 5. Sed cùm processus sit nullus ex defectu jurisdictionis in judice, à quo iste qui diversis literis fuit usus condemnabitur in expensis? Ab illo eodem judice, qui nulliter processit ex quo non habeat jurisdictionem. Nam stat dari casum, in quo judex non habet jurisdictionem super principali negotio, & illam habet super incidenti, Anchar. *n.* 1. Dom. *n.* 4. Franc. *n.* 2. Gomez *n.* 25. Panorm. *c. ult. n.* 14. *sup. de rescript.* Et ita in hoc casu judex, qui non habet jurisdictionem super causa principali habet eam sibi datam, ex hac decretali in causa expensarum.

23 Hoc tamen est verum quando aliàs judex sit competens, & capax jurisdictionis, si alias rescriptum esset validom, secus si non esset capax jurisdictionis, ut si is cui rescribitur esset fatuus, vel mulier, Anchar. *d. num.* 1. Gomez *num.* 36. Item secundò declaratur, ut id verum sit de judice dato per commissionem, licet nullam; secùs verò si nulla commissio præcessisset, quia tunc non posset ille judex sortè datus à partibus facere condemnationem in expensis, Franc. *d. n.* 2. Gomez *n.* 27. Item tertiò declaratur ut sit verùm si rescriptum commissionis non sit falsum. Nam si esset falsum non esset emanatum à Papa, & sic non tribueret jurisdictionem, Gomez *d. n.* 28. & Panorm. *cap. super lit. de rescript.*

24 Advertenda quoque est una notabilis limitatio, quam sequebantur communiter DD. apud Panorm. ut scilicet judex prius condemnet in expensis, quàm pronunciet rescriptum nullum, quia aliter non posset postea condemnare in expensis. Sed hoc rejicit Panorm. *tum ex cap. Cum appellat. inf. de appell.* ubi habetur, qood in his accessoriis jurisdictio durat per totum diem, quod & habetur *ex l. Paulus ff. de re judic.* Tum quia judex pronunciando rescriptum nullum pronunciat se non habere jurisdictionem circa principale negotium, non verò circa accessorium expensarum, circa quod sibi conceditur jurisdictio à lege eadem. Quod verò hic dicitur, verificatur in aliis similibus casibus etiam de aliis judicibus, ut in Ordinario, cujus jurisdictio declinatur à reo. Quia sicut est judex in illo incidenti, an sua sit jurisdictio, *ut in cap. super literis, de rescript.* ita est super accessoriis ad ipsum incidens, *cap. Prudent. de off. Deleg.* Panorm. ubi supra.

Circa hanc primam partem textus est prima quæstio de invaliditate plurium rescriptorum pro diversis quæstionibus, personalibus ab eodem impetratorum ad diversos judices.

SUMMARIUM.

25 *Opiniones 26. 27.*

28 *Lex est dictamen agendorum in Principe.*

Lex tantum extenditur, quantum vult legislator.

29 *Ubi legislator vult legem extendi ad plures casus, non exprimit unum solum.*

30 *Finis actuum moralium duplex, remotus, & proximus à quo solo specificantur.*

31 *Fini legis duplex remotus, & proximus, seu proprius.*

Finis legis proximus nec legem excedit, nec exceditur.

Textus non comprehendit quæstiones reales.

32 *Rationes personales faciles, & parva.*

33 *In Actionibus personalibus agi potest una petitione, quamvis unus libellus censeatur esse plures.*

Quæstiones personales frequentiores.

34 *Quid dicendum de causis non purè personalibus.*

35 *Lex ista non obligat respectu actionum realium, nec quantum ad vim directivam.*

36 *Ubi actiones personales sunt in diversis locis non licet qualitate hac non expressa plures judices impetrare.*

Quæst. primæ

ARTICULUS II.

An hujus textus dispositio ex paritate rationis extendatur etiam ad quæstiones reales.

In hac difficultate Jo. Monach. *num.* 5. distinguit, vel 25
enim contractus sunt initi in eodem loco, vel res pariter sunt in eodem loco, seu intra eandem diœcesim, & in hoc casu eadem est ratio de quæstionibus realibus, & personalibus, & ita quod ex vi hujus textus non possunt contra eandem personam impetrari diversi judices. Vel res sunt in diversis locis, seu etiam contractus in diversis Diœcesibus sunt celebrati, & in hoc casu possunt impetrari diversi judices. Hanc eandem opinionem tenuerunt Hostiens. & Archid. *num.* 2. qui etiam non distinguebant inter reales, & personales, volentes, quod etiam in personalibus possint plures judices impetrari, si contractus in diversis locis initi sint. Distinguebant tamen inter bonam, & malam fidem, quia si is, qui contraxit in Italia, & Anglia, in utraque parte vult habere judicem, quia difficile esset ex una parte ad aliam ducere testes, posset diversos judices impetrare, & juvaret illum bona fides. Quæ locum non haberet, ubi res vel contractus habiti essent in eodem loco.

At Jo. de S. Georg. apud Domin. *hic num.* 10. alio mo- 26
do distinxit. Si quæritur, inquit, an super pluribus actionibus realibos possint plures judices impetrari dicendum est, quòd sic. Sed si quæritur, an debeant dari plores judices, inquit, quod si actor, & reus sunt ejusdem loci non dabuntur plures judices. Si verò sint diversarum Diœcesum, non trahetur reos ultra unam diætam à fine sui domicilii, sicut nec in personalibus. Jo. de Imola apud eundem Domin. putat solutionem dubii pendere ab ea quæstione, an ratio posita hic à Gloss. in fine, sit revocata per *cap. statutum infr. hoc tit.* Nam si non est correcta clarum est, qood iste textus non procedit in actionibus realibus, quando res sint sitæ in diversis locis. Quamvis ubi res sint in eodem loco æquom esset delegantem sequi opinionem Hostiens. qui tenuit tunc hunc textum habere locum.

Jo. Andr. autem existimat, quod ubi res sint in eo- 27
dem loco constitutio hujus textus ex æquitate si servanda, sed tamen pœna non habeat locum contra aliter facientes. Et hoc idem tenent Dom. *num.* 10. & Franc. *n.* 4. Gomez *n.* 34. Colligit verò Domin. ex hoc, quod etiam in legibus pœnalibos ex identitate rationis fiat extensio de casu ad casum. Sed Gloss. absolutè hic negat hunc textum locum habere in actionibus realibus, & ita tenent Anch. *n.* 5. Gomez *n.* 30.

Indubitatum est, quod stante æquissima ratione, quæ 28
nedum suadeat, sed necessitet legislatorem ad condendam legem, lex non est, neque obligat, nisi legislator velit legem

gem promulgare, & legem promulget; quoniam lex non est, nisi dictamen agendorum in mente legislatoris, D.Th. *p.2.q.90. & 91.* prout advertit etiam Silv. *v. lex*, *num.* 1. & in subditis non est nisi intellectualis participatio illius dictaminis, quod est in legislatore; judicium scilicet, per quod subditus judicat hoc, vel illud esse agendum; quia dictamen legislatoris, quod est lex dictat, & obligat. Unde ad hoc, ut lex extendatur ad aliquem casum non sufficit, quod detur ratio alicujus æquitatis, quæ hanc extensionem rationabilem reddat. Sed requiritur, quod legislator voluerit, & velit illam extensionem fieri, & legem suam ad illum casum extendi.

29 Ampliùs verò non video, unde non debeat argui imprudentiæ, vel insufficientiæ, aut diminutionis in loquendo legislator si dicatur, quod ubi voluit sub lege comprehendere duos, tres, vel plures casus, unum solùm expresserit. Sed hic locum habere debet regula, *contra eum, &c. infr. de reg. jur.* Accedit verò, quod nunquam est adæquate, & in individuo eadem ratio, quia non est eadem ratio propter quam ratio communis, quæ eadem dicitur à legislatore fuit applicata huic casui à se expresso, & non alteri. Sed de his videri possunt, quæ dixi *tract. de elect. cap. 5. q. 2. per tot.*

30 Et quia DD. asserentes legem etiam pœnalem extendi de casu ad casum ex identitate rationis se fundant in hoc principio, quod tantùm se extendit lex quantùm se extendit finis legis, qui est legis ratio, & vita. Quod inter alios valdè exagerat Panormitanus *cap. Quia nonnulli, de rescriptis.* Considerandum est, quod duplex est finis, alius dicitur operantis, qui est extrinsecus operi, & alius est finis operis, seu alius est finis mediatus, remotus & primus, alius est proximus, & operi immediatus. Est verò certa regula Theologiæ, & Philosophiæ moralis, quod actus moralem speciem substantialem non sumunt nisi à fine proximo, qui dicitur finis operis, & est operi intrinsecus. Sic cùm omnes actus virtutum ordinentur in finem charitatis, qui est Deus; non tamen ab ipso speciem accipiunt, aliter virtutes omnes essent una virtus, sicut est unus Deus finis ultimus, & primus omnium virtutum. Sed unaquæque habet suum finem proximum, quod est ipsius objectum, à quo substantialem speciem accipit. Sic justitiæ finis est justum ponere in operibus hominis reddendo cuique quod suum est.

31 Itaque & legislatoris multiplex est finis alter remotus, qui est vel Republicæ tranquillitas, vel ejusdem sanctitas, & summa, & æterna felicitas. Et inter hos fines datur ordo, quia alii sunt universaliores, ut felicitas æterna, alii minus universales, ut quod in Ecclesia sit Dei cultus, & in Republica fulgeat justitia, quod vitentur mala, ut quod vitentur homicidia, prodigalitates, dispendia, &c. Hi enim sunt fines universales plus vel minus, sed non sunt proximi hujus, vel illius legis in particulari, sed remoti plus, vel minus; nec legem in particulari, seu in sua specie, & ratione specificant. Sed finis proximus non est nisi objectum proprium legis hujus, vel illius. Sicut in proposito finis legis hujus decretalis, non est vitare dispendia absolutè, sed est vitare dispendia, quæ fiunt trahendo reum aliquem ad plures delegatos; seu hujus legis principalis, & proximus finis est illius proprium objectum, hoc verò est æquum resultans ex eo, quod idem reus ab eodem actore in causis personalibus simul non trahitur ad diversos delegatos. Hic verò finis non excedit casum hujus textus. Et sic universalissimè verum est, quod finis proprius, & proximus legis est illi adæquatus, nec illam excedit, nec ab ea exceditur; & hujusmodi finis propterea nunquam se extendit extra casum in lege expressum, seu ultra verba legis. Cùm ergo textus iste de solis actionibus personalibus decernat, nec ejus finis proximus, nec ipsa lex ad actiones reales se extendit.

32 Nam hic evidens est, non esse eandem rationem quæstionum personalium, & realium, ut probat Gloss. Primò, quia actiones personales faciliores sunt, & debiliores, quam reales, unde, & faciliùs à Principe tolli possunt, reales autem secus, ut ex Alex. *cons. 190. in 7. volum.* & Bart. *in l. venditor. ff. de her. & action.* probat Gomez hic *num.* 31. & actio personalis potest ex pluribus capitibus deberi, & sic redditur liquida, & facilis, eo magis quod de his sæpiùs fit instrumentum, & scriptura, *arg. l. si legatum, ff. de edend.* Secundò, quia actiones personales communiter sunt parvæ: reales verò magnæ. Quod non intelligitur solùm respectu quantitatis rei, de qua est quæstio, sed etiam ratione juris. Habens namque actionem realem dicitur habere optimum jus, habens verò personalem bonum, Gloss. *in leg. fidejussor. in 2. §. 1. v. possit ff. de pignoribus*, & hæc est ratio, cur personales actiones faciliùs tollantur per judicem, quia reales concernunt dominium, quod est de jure gentium. De quo videri potest, Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, n. 27. & seq. de constitut.*

33 Tertiò, quia in causis personalibus agi potest una petitione cuilibet assignata causa, *l. Si ex multis, C. de non. excep. & cap. ult. de libell. oblatione*. Et quod cum illa ratione Gloss. transeant communiter DD. advertit Gomez *n.* 33. *ubi num.* 34. concordat hanc opinionem cum opinione opposita, Abb. *in cap. 2. col. fin. de libell. oblat.* & Bart. *in l. edita, C. de eden.* Ut opinio Abb. sit vera præsumptivè; quia ubi actiones sunt dissimiles censeantur esse plures libelli, ex eo quia multi velint, quod si sit statutum, ut solvatur gabella pro quolibet libello, ubi in uno libello continentur plures causæ dissimiles censendi sint esse plures libelli, quamvis in re omnes illæ causæ in uno libello contineantur. Quartò, quia actiones personales sunt frequentissimæ. Fundantur enim in contractibus, & damnis datis, quæ frequentissima sunt. Leges verò respiciunt, quæ frequenter accidunt per notata *in cap. sup.*

34 Quid verò dicendum sit de mixtis causis colligi potest ex dictis, Franc. *d. n. 4.* existimat quod sit eadem ratio de illis, & de puris personalibus.

35 Dicitur igitur quod nedum verum est, quod lex hujus decretalis non habet locum in impetrante diversos judices contra eundem in diversis causis realibus, ut voluit Jo. Andr. & qui illum sequuntur, sed nec quantum ad vim directivam hæc lex obligat ad non impetrandum, & utendum præstatis rescriptis, quia lex non respicit actiones reales, sed personales, & de illis loquitur. Et ita necessariò est dicendum, si loquimur consequenter. Quia si hæc lex obligat, simul & punit, quia contra sibi inobedientes pœnam infert ibi, *qui verò contrarium fecerit*, & sic si pœna non habet locum, nec habet locum legis obligatio. Potest dici quod habeat vim consilii, & quod in hoc sensu intelligatur opinio Jo. Andr. ubi res diversæ super quibus est quæstio sunt in eadem diœcesi, quia hoc est satis rationabile; sed tamen sub lege præcipiente non cadit, sed & Jo. Andr. dicit habere locum ex æquitate.

36 Quod verò Hostiens. Jo. Monach. & Archid. admittant, quod etiam in personalibus actionibus, si sint in diversis diœcesibus possint impetrari diversi judices, non est admittendum. Et aliud est, quod hæc sit ratio, quæ justificare possit dispensationem super hac lege, quod verum est. Et aliud est, quod liceat actori nulla facta mentione de vero statu negotii contra eundem diversos judices hujusmodi impetrare; & hoc est contra hanc decretalem. Nam & potest de facili contingere, quod judex unius Diœcesis medio alio judice alterius Diœcesis examinet testes. Si verò sit in hoc gravis difficultas non erit difficilis Sedes Apostolica concedere plures judices in casu necessario. Interim tamen non licet subditis impetrare illos non explicato integrè negotio, sed hoc si fiat est subreptitium & nullum, prout decernitur in hac decretali.

SUMMARIUM.

37 *Textus non extenditur ad rescripta obtenta à Prælatis inferioribus.*
38 *Pro eadem causa actor non potest trahere reum ad plures judices simul.*
39 *Ex vi hujus textus actor non prohibetur trahere reum ad plures Ordinarios pro diversis causis.*
40 *Opiniones aliqua.*
41 *Nec ad unum delegatum, & Ordinarium.*
42 *Magis favendum actori in ordinatione judicii.*
43 *Pendente causa appellationis coram uno potest alius impetrari.*
44 *Et potest impetrari conservator, aut executor.*
45 *Regula textus de solis Delegatis loquitur.*

A R-

ARTICULUS II.

Utrum regula textus universaliter intelligi debeat respectu cujuscumque judicis.

37 DUplicem sensum habere potest hic articulus, secundùm quod distinctè considerandi sunt judices delegantes, & judices delegati. Primò ergo sensus esse potest, an nedum rescripta obtenta à Papa contra formam hujus textus sint nulla, sed etiam obtenta à quocumque alio Ordinario, ut ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel alio quocumque inferiori Prælato. Et in hoc sensu respondent affirmativè Archid. *num.* 2. Anchar. *num.* 1. & ex Innocen. Vincent. & Panorm. *in cap. Quia nonnulli*, Dom. *num.* 8. Habet tamen instantiam hæc assertio, *quia in cap. Quia nonnulli ult. de rescriptis* est sermo de impetrantibus, & abutentibus literis Apostolicis, ut patet ibi: *Quia nonnulli diversis modis literis Apostolicis abutuntur*. Hoc verò capitulum quod est ad ampliationem, & extensionem illius, ut patet ex illa dictione *amplìantes*, supponit illud, & illud continet, neque ab eo in hac parte distinguitur, nisi quantum ad id, in quo illud ampliat. De cætero ab illo interpretationem accipere debet. Neque enim est novum, quod constitutio nova ab antiqua recipiat interpretationem, ut notat Panorm. *d. cap. Quia nonnulli, num.* 12. Cùm ergo in hoc textu nullum sit verbum per quod significetur legem hanc extendi ultra rescripta apostolica; cùm nec ultra hujusmodi rescripta extenderetur, *cap. Quia nonnulli*, non apparet unde concludatur legem hanc ultra rescripta Apostolica extendi ad rescripta Episcoporum, & aliorum Prælatorum.

38 Alter sensus est, ut consideremus Delegatos ipsos, seu judices Papa inferiores, unde intrat difficultas, an ista decretalis comprehendat nedum Delegatos, sed etiam Ordinarios; ita quod actor pro diversis quæstionibus personalibus non possit contra eundem agere simul coram duobus Ordinariis, vel coram uno Delegato, & alio Ordinario, aut judice appellationis, aut conservatore. Est verò certum quod pro eadem causa actor non potest reum trahere ad diversos judices, cùm obstet litis pendentia, *l. fin. C. de assert.*

39 Loquendo autem de causis diversis, & incipiendo ab Ordinario, & supposito quod in eodem loco possunt esse ejusdem personæ plures Ordinarii, ut in exemplo, quod dat Anchar. *num.* 3. Scholaris, qui habet tres Ordinarios, *ut in Authen. Habita, C. ne fil. pro Pa.* vel in exemplo, quod dat Jo. Monach. *num.* 7. ut Remis Archiepiscopus, & Archidiaconus, multorum sententia est, quod ex vi hujus decretalis sit prohibitum actori agere contra eundem pro diversis causis coram pluribus Ordinariis, ita sentit Jo. Monach. *num.* 7. Jo. Andreas verò quem sequuntur Dom. *n.* 11. & Franc. *num.* 6. secundùm sua principia arbitratur ob identitatem rationis textum habere locum etiam respectu plurium Ordinariorum, non tamen quantum ad pœnam. Quæ tamen ratio extensionis satis exclusa fuit *art. sup. num.* 30. & 31. Ideò cùm textus expressè loquatur de judicibus à Sede Apostolica delegatis, ex vi ipsius non est prohibitus actor trahere reum pro diversis causis ad plures Ordinarios, ut tradit Anchar. *num.* 4. Et dum DD. maximè se fundant in eo, quod ratio finalis est anima legis, & tantum se extendit lex, quantum se extendit finis: Quod valdè exagerat Panormit. *in d. cap. Quia nonnulli*, quod inquam sic dicitur est verum de ratione legis expressa per legem, & ideò regula illa valet ad interpretationem legis retenta expressione, & significatione verborum legis, ut dicatur verba legis debere accipi in tam ampla significatione servata illorum proprietate, quàm ampla est rationis legis extensio. Item illud est verum de ratione finali, & adæquata, & in individuo modificata ab intentione legislatoris, quæ ratio verba legis non excedit, nec se extendit ad casus sub verbis legis non comprehensos, ut dictum est *art. super.* Et ideò lex ista ad Ordinarios non se extendit, sed solùm ad judices delegatos, unde ex vi hujus decretalis non prohibetur actor eodem tempore pro diversis causis agere coram diversis Ordinariis contra eundem reum, ut benè docuerunt Archid. *n.* 2. Anchar. *n.* 4.

40 Item patet, quid dicendum in alio casu delegati, & Ordinarii, an scilicet possit actor simul eundem convenire apud delegatum super una quæstione, & apud Ordinarium super alia. Negat Gloss. *in cap. Quia nonnulli sup. de rescript.* Panorm. *autem ibidem num.* 13. distinguit. Aut, inquit, actor cœpit prius convenire reum coram Ordinario super una quæstione, & tunc si commodè actor potest convenire eundem coram eodem Ordinario, non potest convenire coram delegato, sed ex identitate rationis repugnat lex illius capitis, & ex consequenti lex istius. Sed si prius cœpit convenire coram delegato, potest pro alia causa convenire eundem coram Ordinario; quia aliter actio actoris frustraretur. Nam pro illa alia quæstione non potest convenire reum coram Delegato, quia ad illam non se extendit delegati jurisdictio: si ergo nec posset convenire illum, coram Ordinario, ejus actio esset impedita, & frustrata.

Sed absolutè dicitur actorem non esse ex hac decretali impeditum ne eundem possit pro diversis causis convenire coram delegato, & coram Ordinario. Ita sentiunt Innoc. & Compostell. *in cap. ult. de rescript.* & hic Archid. *n.* 2. Anchar. *n.* 5. Et ratio est, quia non militat ratio de identitate rationis, ut probatum est. Item per impetrationem unius judicis præjudicaretur nimis jurisdictioni Ordinarii, si ex quo fuit pro una causa impetratus unus delegatus, non posset actor pro alia causa adire Ordinarium contra *cap. Ut debitus, de appellat.* Et amplius, ut dicebatur, frustraretur actio actoris. 41

Nec obstat lex *favorabiliores, ff. de reg. jur.* & quod si non licet reo coram alio Ordinario reconvenire actorem, quam sub illo coram quo convenitur, *ut in Authent. Et consequenter, Cod. de sent. & inter.* Multò minus debet licere actori. Nam respondet Anchar. quod *l. favorabiliores* loquitur in decisione litis, non in ordinatione judicii, in qua reo minus est favendum, juxta notata *in l. die, ff. qui satis dat. cog.* Idem verò reus debet magis adstringi sub eodem litigare, quia præsumitur quod malitiosè velit ad alium trahere, tanquam volens provocatus ulcisci, secundùm Jo. Andr. quod benè probat, *l. si idem cum eodem, ff. de jurisd. omnium jud.* 42

Tertius casus est in concursu unius causæ appellationis, & alterius principalis, an scilicet dum pendet causa appellationis coram uno delegato, possim pro alia causa principali impetrare alium fieri Delegatum. Et in hoc casu conveniunt DD. posse fieri, & textum *tam dicti cap. Quia nonnulli*, quàm præsentem intelligendum esse de quæstionibus principalibus. Ita Innoc. & compostell. *d. c. Nonnulli*, & hic Jo. Mon. *num.* 6. Jo. Andr. *num.* 2. & 3. Archid. *num.* 2. Anchar. *num.* 4. Dom. *num.* 6. Et probatur, quia statutum Greg. IX. ad quod hoc se habet ex additione, loquitur de quæstionibus principalibus, jus autem additum, vel interpretans loquitur in his casibus, in quibus vetus, vel interpretatum, *ff. de pact. dot. inter socerum*, §. *Cùm inter, in Authent. de filiis, ante nupt. circa finem, col.* 3. Item si appellatio sit ab interlocutoria dubium est, an delegatus sit permansurus judex, vel potius ille ad quem est appellatum, *cap. Ut debitus de appellat.* Unde cùm non appareat, quis eorum sit futurus judex; alius pro alia causa potest impetrari. In appellatione verò à diffinitiva directè non agitur de quæstione principali, sed an benè, vel malè fuerit appellatum. Et præterea diversus est modus procedendi, & diversi formantur processus, & ideò non est eadem ratio de illis. 43

Quartus casus est comparando delegatum judicem ad conservatorem, vel executorem, an videlicet actor, qui impetravit delegatum contra aliquem, possit pro alia causa impetrare conservatorem, vel executorem. Et posse asserunt ex Innoc. Compostell. & Francis. Vercell. Jo. Andr. *num.* 4. Anchar. *num.* 4. Archid. *num.* 1. Dom. *n.* 8. Nam conservator non habet judiciariam causæ cognitionem, nisi ex persona adversarii conventi oriatur aliqua exceptio juxta notata per eundem Jo. Andr. *in cap.* 1. *in verbo, nec ad alia, infr. de off. delegat.* Benè tamen colligit Dom. ex Lapo, quod si conservator simul esset simpliciter delegatus habens judiciariam jurisdictionem, ut posset cognoscere de his, quæ requirunt judicialem indaginem, haberet locum iste textus, non verò locum habet de conservatoribus institutis juxta formam *cap.* 8. & *fin. infr. de offic. delegat.* 44

Sequitur igitur ex his, quod regula hujus textus habet locum solùm in judicibus delegatis per literas Apostolicas, 45
ut

ut soper diversis quæstionibus principalibus, non possit quis plures bujusmodi delegatos contra eundem impetrare, & per illas eum citare, & fatigare.

SVMMARIVM.

46 *Lite finita potest actor reum ad alium judicem trahere.*

47 *Et hoc verium etiam si literæ sint impetratæ lite pendente.*

48 *Etiam si quæstiones personales sint in diversis locis non potest actor impetrare plures judices.*

49 *De heresi cognoscit tam Ordinarius, quàm Inquisitor.*

50 *An possit agi criminaliter coram uno, civiliter coram alio.*

51 *Quid ubi plurium literarum causæ eidem sunt præsentatæ.*

ARTICULUS III.

Vtrum aliquando contra eundem actor possit agere coram diversis delegatis in diversis causis.

46 Videtur verò regulam pati debere nonnullas limitationes. Et quidem primò, ut dicatur quod finita lite coram uno delegato benè possit actor pro diversa causa per alium delegatum suum adversarium convenire. In duplici verò casu potest hoc intelligi. Primus est ut secundus delegatus non impetretur, nisi finita causa commissionis factæ priori delegato. Et in hoc sensu limitatio est indubitata, ut ait Anch. *num.* 2. sed tamen alii distinguunt, quia hoc procedit sine dubio, si quæstiones erant ortæ, postquam actor impetravit primos judices, vel primum judicem delegatum. Nam aliàs, si nunquam posset actor pro causis de novo ortis alium impetrare delegatum etiam prima lite finita jam prior delegatus esset illi plusqoam Ordinarius. Sed si quæstiooes erant ortæ antequam actor impetraret primas literas, & primum delegatum, eum non posse super eisdem quæstionibus impetrare novum delegatum, cum Bernard. seu Glossa *hic in v. quæstionibus*, dixerunt Hostiens. & Specul. quos sequitur Archid. *num.* 2. Nihilominus contrarium dicendum est cum Anchar. *nu.* 3. Dom. *num.* 12. & apud eum Jo. de Fan. Nam non tenetor actor agere, si nolit contra adversarium. Potuit ergo quando impetravit primas literas nolle pro aliis caosis agere, ut colligitor ex hoc textu *in v. voluerit*. Si ergo postea mutavit voluntatem, sicut potest mutare, cur non poterit alium judicem impetrare jam lite finita coram primo delegato. Eo magis, quod non interest, ut notat Domin. finita prima lite, an actor reum conveniat sub primo, vel altero delegato, quia per se non est major defatigatio, nec majores expensæ necessariæ, si coram priori delegato, an verò coram alio adversarium conveniat, & sic ratio legis cessat.

47 Alter casus est dubius, an actor pendente adhuc prima lite possit impetrare pro alia causa alium delegatum, non utendo tamen illo, nisi finita lite coram priori delegato. Hostiens. enim quem sequitur Archid. *d. num.* 2. negantem partem sustinet, & vult, quod si pendente lite actor impetret contra eundem adversarium novas literas pro alia quæstione illæ sint nullæ. Pro qua sententia facit *l. 3. in princ. ff. quod quisq. jur.* ubi contra impetrantem jus iniquum, habet locum illa pœna etiam si non fuerit usus. Nihilominus cum Gloss. *hic in v. fecerit*, dicendum est, tunc solum literas secundas nullas esse, cùm actor eis usus fuerit prima lite pendente, non verò si eis fuerit usus prima lite finita, prout apud Anchar. *num.* 9. tenuerunt Compostell. Francis. & Gulielm. Jo. Mon. hic. Et ratio accipitur ex textu ipso, qui loquitur de eo, qui plures quæstiones movere voluerit contra eundem, & intendit propterea coercere actorem, ne eodem tempore trahat reum coram diversis judicibus, illumque defatiget. Nam diverso tempore cur non possit trahere reum coram alio judice, sicut coram primo, non est reddere rationem. Lex verò citata non applicatur, quia ibi specialiter disponitur, & pœna infligitur contra impetrantem jus iniquum, hic verò principaliter disponitur contra trahentem reum virtute literarum ad diversos judices eodem tempore.

48 Limitari dicitur secundò regula ex eo, quod dixit Host. & ex eo Archid. *num.* 6. ut ubi contractus sint initi in diversis locis, & actor procedit bona fide pro diversis caussis, possit actor diversos judices impetrare pro diversis locis. Ut si Italus contraxerit cum aliquo in Italia, cum alio in Anglia, cum alio in Hispania, cum alio in Civitate Limensi in Indiis, poterit tunc actor diversos judices pro diversis, & tam distantibus locis impetrare eisque uti, & reum simul apud omnes convenire. Et similiter quotiescumque cesset ratio legis poterit bona fide plures hujusmodi delegatos obtinere. Sed ex Bald. hic oppositum arbitratur Franc. *num.* 3. Tum quia rigor hic scriptus debeat præferri æquitati non scriptæ, *l. 1. C. de leg. & l. placuit, C. de jud.* & notatur *in cap. fin. sup. de transact.* & maximè quod hic textus venit non ad solam declarationem, *cap. Quia nonnulli*, sed ad ampliationem. Tum quia probationes possunt fieri mediante eodem judice, qui poterit scribere judici aliarum partium pro receptione testium, & probationum: *ut in Clem. de off. Deleg. & Auth. apud, C. de fide instrum.* Ego considero, quod actor non potest sibi eligere judices, quos voluerit, & dare illis jurisdictionem. In casu ergo isto, in quo non sine magna difficultate judicium non potest fieri per unum judicem, si distantia unius loci ab alio non sit modica, si actor narret negotium integrum Pontifici, prout stat, & distantiam locorum repræsentet, & plures judices petat, vel simul, vel successivè unum post aliud, tollet omnem difficultatem. Sed an sit necessaria hæc expressio, & ita ut careat commodo literarum, si non exprimat; habet aliquam difficultatem. Sed quia nec in foro externo præsumi debet in hoc casu bona fides in impetrante, & ignorantia probabilis hujus legis, & quia data bona fide de facili potest cognito errore habere novum recursum ad Pontificem; & quia in facto posset adesse ratio, quæ moveret Papam ad non concedendum plures judices, & quia non cessat in hoc casu finis hujus legis, sed imò non sine maximo incommodo potest idem reus simul eodem tempore se defendere coram pluribus judicibus in locis valdè distantibus; ideò hæc lex servari debet, nec actor potest plures judices contra eundem impetrare in casu nostro, nisi expresso plenè negotio. Tum quia cùm statutum Greg. IX. attenderet majorem commoditatem tractandi causas, ut patet ibi: *Actionibus, quæ sub uno judice possent tractari commodius*, hic illa lex ampliatur, & absolutè prohibetur eundem reum trahi ad plures judices pro actionibus personalibus.

49 Limitatur tertiò ex Dom. *in cap. Per hoc §. Verum in princ. inf. de heret.* ut in causa hæresis possit adversarius trahi ad diversos judices. Ita Gomez hic *num.* 18. Sed hæc propriè non est limitatio, sed est declaratio Regulæ, & ex hac dicta in superiori §. *confirmatur*; quia nimirum non prohibetur hic, quin actor ad libitum possit agere contra reum coram Ordinario. Quia quod decernitur *in d. cap. Per hoc est*, quod in causa hæresis, non obstante, quod Inquisitores sint generaliter delegati, etiam Ordinarii possunt esse judices, & est in arbitrio actoris hæreticum, vel coram Ordinario, vel coram Inquisitore convenire. Unde ex hoc potiùs colligitur, quod etiam respectu causæ, pro qua actor impetravit Delegatum Apostolicum (nisi lex specialis aliqua obest) potest actor convenire reum coram Ordinario, quod tamen non est verum postquam Delegatus cœperit cognoscere de causa, & prævenire.

50 Limitatur quartò, ubi sit diversus modus procedendi criminaliter, & civiliter. Nam causa coram uno judice delegato criminaliter cognita, poterit coram Ordinario, vel alio delegato civiliter cognosci, imò forsan coram eodem judice non poterit agitari, etiam si actor velit. Et qoidem si simpliciter commissa fuerit causa inter actorem, & reum, & actum sit criminaliter, lite finita posse agi civiliter ex eadem causa coram eodem judice voluerunt Barthol. & Hugo apud Jo. Andr. *num.* 3. & Dom. *num.* 7. Cojus oppositum voluerunt Goffredus *q.* 20. & Damasus *q.* 1. *de rescript. per cap. in literis, de off. Deleg.* At verò Jo. Andr. *d. num.* 3. ait dictum Goffredi procedere, quando reus fuit absolutus, nam in eo casu secundùm Placent. nec coram Ordinario poterit contra reum absolutum agi civiliter, cujus tamen contrarium voluit Acursius *l. 1. in princip. C. quando civilis actio*. Sed Cynus *ibidem q.* 4. distinguit, quia aut sententia absolutoria est lata super facto, & amplius agi non potest,

potest, ut quia judex pronunciavit reum non commisisse delictum, *l. si duos §. Idem Julian. ff. de jure jur.* Aut pronunciavit super jure, ut dicendo illum non teneri, quia non probatum, & tunc agi possit, *ut d. l. 1. C. quando similis act.* Jo. de Imola hic putat has opiniones posse reduci ad concordiam, & putat verum quando constaret de mente committentis, quod voluit includi causam criminalem; aliàs in dubio non videtur includi *per not. in cap. Cum olim ab, de off. deleg.* & ibi per Jo. Andr. secundùm eum. Sed Domin. existimat, quod si actor petiit simpliciter causam committi, & illa fuit simpliciter commissa, quod includat utramque causam, & probat, quod committens de criminali intelligat per text. *in cap. Quisquis 4. quæst.* 3. de Civili per text. *cap. primo* 3. *quæst.* 10. & quod utraque comprehendatur per text. *cap. final.* 3. *quæst. decima*, & sic pariter vult, quod in eo casu, in quo potest agi criminaliter, & civiliter, non obstante sententia judex datus super causa simpliciter possit de utraque cognoscere. Itaque quantum sit ad propositum nostrum, hoc pro nunc asserimus, quod ubi delegatus non possit causam nisi vel civiliter tantùm, vel tantùm criminaliter cognoscere, peracto illius delegati judicio, si remanet alteri causæ locus, poterit pro illo, vel impetrari alter delegatus, vel agi coram Ordinario.

51 Limitatur quintò ab aliquibus in casu, quod licet actor impetraverit multa rescripta, per quæ diversis judicibus contra eandem personam committuntur diversæ causæ, tamen uni soli omnes causæ sunt commissæ. Jo. Andr. hic se remittit ad Speculatorem *de rescript. præsentat. §. fin. v. Quid si is qui.* Lapus distinguens ait, quod ista rescripta super eadem re non valent, super diversis autem, si subdelegantes sibi reservant aliquid jurisdictionis non valet processus, quia tunc ad eos esset appellandum, & sic saltem in judicio appellationis coram diversis esset agendum. Valet verò, si subdelegantes nihil sibi reservant, nisi fuerit exceptum, quia præfatæ literæ solùm ope exceptionis sunt annullandæ. At Jo. de Lign. & Paulus tenent, quod neque in hoc secundo casu processus valeat, quia subdelegatio est de processu, *cap. Si à subdelegato, inf. de off. deleg.* & per Jo. Andr. *in addit. ad Specul. ubi supra.* Sed hic esse considerandum an literæ sint nullæ ex vi impetrationis earum, vel solùm ex usu, advertit Dom. & Jo. de Fan. & quam partem asserit teneri hic Anton. de Butrio. Et verè sic est, quod si ex sola impetratione literæ nullæ sunt, proculdubio nulla quoque est earum præsentatio, & ii quibus præsentantur nullam habent jurisdictionem, unde nec aliquem subdelegare possunt. Sed etiam si literæ ex solo usu irritentur, adhuc dicendum est, quod si sunt præsentatæ diversis, earum valor evanuerit, quia præsentatio est de processu, nec potest subdelegare, qui non habet jurisdictionem, quam ex illis literis plures habere non potuerunt. Solùm igitur si literæ tales fuerunt, quæ immediatè potuerunt præsentari eidem, literæ valent, & vigorem retinent, quia tunc non fuerunt impetratæ omninò pro diversis, cùm potuerint eidem præsentari, & de facto fuerunt præsentatæ.

S U M M A R I U M.

52 *Opinio Gomez.*

53 *Actor etiam ante litis contestationem respectivè pœnam incurrit latam in hoc textu.*

ARTICULUS IV.

An ad hoc ut actor incurrat pœnam hujus textus requiratur litis contestatio.

LUdovicus Gomez hic *num.* 5. ait, quod actor per solam literarum impetrationem non incidit in pœnam, 52 sed quod requiritur litis contestatio ratione hujus dictionis quæstiones, quæ in jure significat litem contestatam. Tum secundò, quia reus non vexatur per literarum impetrationem. Per citationem verò committeretur pœna, non tamen per hoc perderet causam, nisi lis contestaretur, quia tunc argueretur major malitia impetrantis. Et pro hac sententia refert Gloss. *fin.* & Innoc. *in c. ex tenore de rescript.* & Andr. Siculum *cap. fin. eodem tit.* sed Domin. & alii volunt, quod pœna incurratur ex sola impetratione literarum.

Sed non video, quæ difficultas hic esse possit. Neque 53 enim unica est pœna hic lata, sed triplex, scilicet, quod actor careat commodo literarum, quod processus sit nullus, quod actor damnetur in expensis. Hæc ultima pœna supponit processum, ob quem reus fecerit expensas, nec incurritur nisi factis expensis. Quod si ex vi literarum etiam ante contestationem litis reus coactus fuerit ad aliquas expensas, in eas instante reo damnari debebit actor, qui per literas illas illarum expensarum causa fuit, & fatigavit reum. Altera pœna, quæ est nullitas processus, pariter processum supponit. Sed non est necesse, quod processus sit terminatus, sed pro qualibet sui parte est nullus, ita quod sit nullum illius initium, & nulla prosecutio, & nullus finis, & totus nullus. Hæc ergo pœna ex sola impetratione non incurritur, quia sola impetratio literarum est actus extrajudicialis, qui non est de processu. Sed tamen non est necesse ad incursum hujus pœnæ, quod lis sit contestata, quia & initium processus ante litis contestationem est nullus, & textus expresè pœnam actori imponit, si reum citaverit. Quamobrem & citatio ipsa est nulla, & nulla ipsa literarum præsentatio, cujus vigore judex nonnisi nulliter pronunciare potest se judicem. Prima verò pœna non expectat, vel litis contestationem, vel processum, sed inhæret literis ab earum impetratione, & est earum inutilitas ad effectum, ut judex diversus eodem tempore cognoscat de aliqua quæstione personali ejusdem rei. Et sic ad hanc pœnam incurrendam non est necessaria litis contestatio, sed literæ se ipsis nullæ sunt, & inutiles à puncto impetrationis illarum, & ita nullum est quidquid fit virtute illarum, etiam antecedenter ad litis contestationem.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Dispendia III. §. Reus.

S U M M A R I U M.

54 *Regula Textus.*

55 *Judicio primo finito reus coram alio judice potest reum convenire.*

56 *Non est sermo de actionibus realibus.*

57 *Reus pro causis ortis post rescriptum potest actorem coram alio judice convenire.*

58 *Sufficit aliquando libellus generalis.*

59 *Reus ex vi hujus textus non prohibetur reconvenire actorem coram Ordinario.*

60 *Reus reconventioni potest renunciare.*

61 *Aliquando reus non potest convenire actorem, nisi per novas literas.*

62 *An persona exempta possit reconveniri.*

63 *Excommunicatus non potest reconvenire.*

Experiri jus est agere.

64 *Reus potest judicium servare, si id faciat vel in principio litis, vel ex nova causa.*

65 *Reus simili pœna puniendus.*

Judex incompetens punit hac pœna.

Nullitas actus est pœna.

Cùm

54 CUm in priori parte textus Pontifex disposuerit de actore, hic disponit de reo, & hanc regulam ponit, nimirum, quod reus conventus ab actore, si eundem actorem reconvenire, aut convenire velit durante eodem judicio, id experiri debeat coram eisdem judicibus, nisi eos tanquam suspectos poterit recusare, si contra fecerit, pœna inflicta in actorem similiter puniendus.

55 Judicium autem est juris disquisitio, seu discussio, ut habet Jo. Monac. *num.*5. Nam in judicio de jure partium disquiritur, & discutitur, *cap. Forus inf. de verbor. signific.* Durante igitur eodem judicio, in quo jus actoris, & rei discutitur non potest reus, qui velit convenire, vel reconvenire actorem impetrare literas ad alios judices, & illum coram illis convenire. Ex quo colligitur, quod illo judicio finito potest reus adversus actorem alios judices impetrare, & apud illos agere, quidquid in contrarium hic dixerit Francus *num.*1. qui etiam supponit, quod sola impetratio rescripti, quæ est extrajudicialis, & extra processum sit nulla tali nullitate, ut literis impetratis non possit actor uti etiam primo judicio finito, cujus contrarium probatum fuit, & probatur magis ex hac parte textus, in qua expressè solùm prohibetur reus, ne durante eodem judicio coram aliis judicibus velit jus suum experiri. Quod etiam tenuerunt Hostiens. Compost. & hic Jo. And. Archid. *n.*1. Dom. *n.*4. Et hoc adeò est verum, ut dicunt Archid. & Domin. ut etiam si reus durante eodem judicio novos judices impetret, si non utatur literis Apostolicis, nisi illo judicio finito literæ non perdant vigorem, & processus posteà ex illis factus sit validus.

56 Sed hic considerandum primò, an hoc sit verum universaliter de quacumque obligatione per quam actor sit obnoxius reo, etiam si illa sit ex causa reali, & non tantum personali. Nam verum esse etiam de obligatione ex causa reali dicunt Jo. Monac. *num.*9. Archid. *n.*5. Sed cùm probatum sit textum in priori parte loqui de solis actionibus personalibus, de his solis etiam debet intelligi hæc secunda pars, in qua est sermo de reo correlativo actoris, quem Pontifex non vult gravari magis, quàm actorem. Et sic pro causis realibus reus actorem reconvenire, aut convenire potest coram alio judice.

57 Aliud considerandum est, an textus loquatur de obligationibus ortis post impetrationem rescripti, vel ante. Nam de omnibus textum intelligendum suadere posset indefinita significatio dictionis obnoxium. Sed veritas est, quod reus pro causis ortis post tempus datæ rescripti ab actore impetrati non potest actorem reconvenire coram eodem judice, nisi novas literas impetret: quia ob causas ortas post datam rescripti ab actore impetrati actor non erat obnoxius reo de tempore dati rescripti. Et quia uniformis debet esse virtus rescripti in actore, & reo: & quia rescripta non debent trahi ad futuras lites, ad quas traheretur rescriptum ab actore impetratum, si disponeret de litibus ortis ex causis post illud consurgentibus: & quia rescriptum debet intelligi, ut quantò minus fieri potest, lædat auctoritatem Ordinarii. Ita Jo. Andr. Anchar. *num.*1. Franc. *n.*2. Unde est, quod reus pro causis ortis post datam rescripti impetrati à reo etiam durante eodem judicio ab actore introducto, poterit actorem reconvenire coram Ordinario, vel etiam coram alio judice specialiter delegato vel à Papa, vel ab Ordinario ipso, quia textus non loquitur, nisi de causis, quæ ortum habuerunt ante rescriptum.

58 Colligitur ex hac eadem dictione obnoxium, quod sufficiat libellus generalis, in quo quis dicat alium sibi esse obnoxium. Jo. Mon. *n.*9. Anchar. *num.*1. Advertit tamen Anchar. quod reus posset instare, ut actor generalitatem declararet, & Jo. Monac. addit, quod in libello conventionali, si agatur personali causa est exprimenda, *cap. Dilecti inf. de libell. oblat.* Et tamen si id non fieret, sed generalis libellus admitteretur, teneret quod actum esset. *L. Si ex Multis, Cod. de am. except.* Sed in realibus super corporalibus sufficit libellus generalis, *l. Si mater, §. Eundem, ff. de excep. rei jud. & l. An, & eadem, §. Actiones, & cap. Abbate, §. Caterum, inf. de re jud.*

59 Potest igitur reus reconvenire actorem sibi obnoxium, sed non coram alio judice delegato. Sed numquid id facere potest coram Ordinario? Hoc jam ex dictis suprà est explicatum. Cùm enim Pontifex hic non disponat, nisi de judicibus delegatis, non potest quidem reus reconvenire actorem coram alio judice delegato, sed benè potest coram Ordinario. Et si judicium sit coram Ordinario, potest reus actorem reconvenire coram alio delegato. Quantum sit ex vi hujus textus. Nam quid dicendum sit ex vi juris civilis, dicam infrà.

60 Reconventio autem est beneficium reo concessum. Quia ubi de jure deberet prius causa actoris videri, & decidi, per *l. Qui prior. ff. de jud.* Pontifex concedens facultatem reconveniendi actorem, simul effecit, ut rei reconvenientis causa simul ventiletur cum alia actoris prius mota, *cap. Cùm dilectus, de ord. cognit.* Ex hac verò infertur reum huic beneficio in sui favorem concesso posse renunciare sive expressè, sive tacitè. Archid. *n.*2. Anch. §. *Reus, num.*2. ubi & addit, quod hujus ordinis perversio non irritat judicium, ut *l.*1. *ff. qua sent. sint ap. re.* Quod etiam ex eo contingit, quia licèt perversio ordinis causæ ad se ipsam reddat judicium nullum, secus est unius causæ ad alteram, ut *l.*1. *Cod. de ap.*

61 Addit Pontifex hæc verba, *vel conventionis*, ut advertit Gloss. quia causa quam habet reus contra actorem posset esse talis, de qua non posset judex delegatus cognoscere, & sic reus si suum jus prosequi vellet, teneretur convenire actorem coram alio judice. Hoc verò explicatur, quia quandoque reus reconvenit actorem super eo, de quo judex non potest cognoscere, nisi parte volente, vel prorogante jurisdictionem, & tunc reconventio fieri potest, *l.*2. §.2. *Sed etsi agant. ff. de jud.* Et ratio est, quia per electionem actor sibi præjudicat, & debet pati eum habere judicem contra se, ut dicitur text. *in l. Cum Pap.* ubi dicitur, quod debet pati: Sed hoc non debet pati, si non reconvenitur actor super re, de qua judex non potest cognoscere etiam utraque parte volente; puta judex laicus de causa Ecclesiastica, vel beneficiali, & tunc non est locus reconventioni, nam tunc cessat ratio conventionis, & reconventionis, quod debet pati, sed hic actor licèt velit pati non patitur natura causæ. Et sic loquitur, *l. Cum Pap.* Respectu igitur harum rerum, circa quæ judex non habet jurisdictionem, reus non potest reconvenire actorem coram illo judice in vi literarum obtentarum ab actore, sed novas literas debet impetrare ad eumdem tamen judicem. Gloss. & Franc. *num.*4.

62 Hinc tractari posset illa quæstio, an possint reconveniri personæ exemptæ à jurisdictione judicis; ut si Clericus contra laicum agat coram judice laico, an possit coram eodem judice Clericus reconveniri. In qua quæstione Anchar. hic *num.*5. affirmat, quia hæc judicis prorogatio est inducta per legem. Sed hujus quæstionis resolutio altiorem requirit inspectionem.

63 Experiri autem idem est, quod agere in judicio. Gloss. Archid. *n.*5. Anch. *n.*4. Qui ex hoc benè deducit, quod excommunicatus non potest suum actorem reconvenire, quia non potest in judicio agere.

64 Colligitur quoque ex hoc textu, quod judex qui gravat potest recusari. Quod verum est nedum in ea causa, sed in quacumque alia, ut ex Gloss. advertit Domin. *in priori hujus textus parte, num.*11. Franc. *ibid. n.*4. *in fin.* Quando tamen reus vult recusare judicem, ut non teneatur coram illo jus suum experiri, debet id fecisse, vel in principio antequam ipse consentiat in judicem, vel ex nova superveniente causa. Gloss. *v. recusare.* Archid. *n.*5. Causa verò suspicionis pendente judices non procedunt. Jo. Mon. *n.*16. An verò valeat processus factus à recusato est controversum. Vide Anchar. hic *n.*4. Sed de his latè tractatur infrà, *cap. Iudex* 5. *de off. deleg.*

65 Simili pœna autem damnatur reus, qua actor ut commodo literarum careat, processus non valeat, & damnetur in expensis. Gloss. Dom. *n.*3. Anchar. *n.*4. Addit verò Domin. quod judex incompetens circa principale negotium erit competens ad damnandum reum hac pœna. Quod & suprà de actore dictum est. Hac verò pœna non posset puniri reus, si actorem suum reconveniret coram Ordinario, ut advertit Anchar. *d. num.*4. & est conforme dictis suprà de actore, quia hæc decretalis non comprehendit nisi conventionem, aut reconventionem coram judicibus delegatis. Ex hoc etiam textu Domin. *num.*3. colligit, quod nullitas actus est pœna.

Unica quæstio remanet ad textus majorem intelligentiam explicanda.

SVMMARIVM.

66 *Conventus super eadem re non potest reconvenire coram alio judice.*
67 *Si actor coram suo judice convenit reum, hic non potest reconvenire nisi coram illo.*
68 *Idem si actor conveniat reum coram judice non suo.*
69 *Quid jus Canonicum addat ad jus civile.*

Quæstionis Secundæ

ARTICULUS I.

Vtrùm, & per quid differant jus civile à Canonico circa materiam reconventionis.

66 MUlta enim de reconventione habentur definita *in ff. in Cod. & in Authent.* Videndum igitur est si conveniant, & si non conveniant in quibus discordent. Respondet ad hanc quæstionem Anchar. *num.* 4. & ait, quod conventio, & reconventio, vel est super eadem re, vel super diversis. Si sit super eadem re, idem decernunt omnia jura, ut non possit fieri, nisi coram eodem judice, qui est judex actoris. Nec enim debet causæ continentia dividi, *l. 1. ff. de qui. re apud eund. jud. & l. Nulli, Cod. de jud.* Advertit verò quod si conventus coram uno judice conveniatur coram alio de eadem re, & ab eodem actore valebit (re tamen integra) secundùm judicium, ut notat Innoc. *in cap. Cùm M. Ferrar. ad fin. de constit. in quest. civil.* Et in criminali per Bart. *in l. 1. de sepul. viol.*

67 Sed si conventio, & reconventio sint de diversis rebus, seu causis, tunc si actor convenit reum coram judice ipsius actoris in certa quantitate est juris ejusdem, quia & reus poterit reconvenire actorem in simili quantitate, vel majori, nec de jure civili potest coram alio, ut *l. si idem cum eodem, ff. de jurisdict.* Sed si actor convenit reum coram judice ipsius actoris, quem tamen actor potest aliquo privilegio declinare, pariter idem est de civili jure, quod apud eundem judicem debet fieri reconventio, ut *l. 2. §. Sed & si agant, ff. de jud. & l. Qui non coguntur, ff. de jud.*

68 Sed quando actor coovenit reum coram judice penitus non suo, scilicet actoris, & tunc de jure veteri non habebatur quod posset fieri reconventio, sed per jus, *l. Eum, & l. Pap. de sentent.* permittebatur reo reconvenire volenti: non autem ioponebatur necessitas, nec prohibebatur ire ad alium judicem. *Hodie per Authent. Et consequenter, Cod. de sent. & int.* imponitur reo oecessitas, ut si vult reconvenire coram eodem judice, reconveniat.

69 Quid ergo addit hæc decretalis? Respondetur quod primò differt, quia non loquitur universaliter, sed in casu particulari, nimirum in casu quod judex per quem actor convenit reum sit delegatus, & respectu alterius judicis delegati, ut non possit reus reconvenire apud alium judicem delegatum. Anchar. *dict. num.* 4. Uode ex vi hujus decretalis reus non prohibetur reconvenire coram alio judice, si ille sit Ordinarius, vel si causa actoris coram Ordinario cognoscatur. Nam *& cap. 1. de mut. petit.* est sermo de reconventione actoris coram delegato per literas Apostolicas. Secundò differunt, quod hæc decretalis secundùm communem sententiam addit pœnam nullitatis ipso jure, cùm de jure civili processus valeat, si contra illum non opponatur exceptio, ut idem Ancharan. advertit.

SVMMARIVM.

70 *Non posse fieri reconventionem post litem contestatam.*
71 *Posse cum moderatione.*
72 *Aliorum opinia.*
73 *Reus potest reconvenire actorem ante conclusionem in causa, sed sine privilegio, ut utraque causa simul terminetur.*

ARTICULUS II.

Vtrùm reo liceat reconvenire actorem post litem contestatam.

70 EST prima sententia negativa asserentium reconventionem non posse fieri, nisi in principio ante contestationem litis, vel ad summum paulò post. Ita sensisse Jo. & Azor. refert Jo. Andr. hic *num.* 9. Sed alii hoc explicantes distinguunt reconventionem in privilegiatam, & non privilegiatam. Privilegiata duo habet inter alia: Nam primò fieri potest actore iovito, qui reconventus tenetur respondere. Secundò habet ut simul discuti debeat cum causa conventionis, ita qnod hæc sine illa concludi non possit. Dicunt ergo qnod reconventio privilegiata non potest fieri, nisi in principio ante litis contestationem, seu paulò post. Et fundantur isti *in Authent. & consequenter, C. de sentent. inter. & in Clem. sæpe, de verb. signific.* Et quia aliter hoc esset valdè præjudiciale actori, si dum est in limine concludeodi causam conventionis reus reconveniendo actorem obligaret, ut non posset causa conventionis terminari, nisi simul discussa prius, & terminata causa reconventionis. Et ita hujus senteotiæ sunt Jo. And. hìc, *& in cap. 1. supr. de mut. petit.* Et idem tenet Franc. hìc, referens pro eadem sententia Bart. & Bald. *in d. Authent. & consequenter.* Idem dicit hìc Barbosa *num.* 4. referens pro eadem sententia Marant. *de ord. judic. p. 4. disp. 6. num. 5.*

71 Sed reconventio non privilegiata potest fieri secundùm istos durante jodicio conventionis. Sed cùm reconventio duos præsatos effectus habeat. Quidam etiam primum effectum negant reconventioni, quæ fiat post litem contestatam. Host. enim *in d. cap. 1. de mut. petit.* distinguens inter reconventionem factam coram judice actoris, & inter eam, qui fit coram judice ooo suo, nimirum coram alio Ordinario, aut Delegato, dicit hanc non posse fieri, nisi actore consentiente, & jurisdictionem prorogante secundùm ootat *in cap. P. & G. sup. de off. deleg.* quæ prorogatio contradicente actore fieri non potest, ut notatur *in d. cap.* Quamobrem in hoc casu reus volens reconvenire actorem debebit novas literas impetrare ad ipsum judicem delegatum. Quod & tenuisse Jo. Cald. advertit Anchar. *num.* 4. Sed Jo. And. & alii citati admittuot competentiam judicis, & dicunt fieri posse reconventionem duraote judicio, quæ tamen non habeat, ut simul necessariò discutiatur cum causa conventionis, & ita quod noo possit retardare conclusionem illius.

72 Altera sententia opposita vult, quod reconventio cum omnibus suis privilegiis fieri possit etiam post litem contestatam ex intervallo durante judicio conventionis. Et quia judicium dicitur durare usque ad conclusionem in causa per *cap. Cum dilectus de fide instrum.* ideò reconventio coram delegato fieri potest durante judicio conventionis ante illius conclusionem. Ita sentit Anchar. hìc *n.* 4. & hoc probat, quia habetur io textu, qui decernit, quod si reus eodem durante judicio velit reconvenire actorem teneatur id facere coram eodem judice. Neque enim dici potest, quod clausula, *eodem durante judicio*, referatur ad dictionem *conventionis*, ut contrariæ sententiæ DD. asserunt, non est enim assignabilis ratio, cur potius referatur ad dictionem *conventionis*, quàm ad dictionem *reconventionis*, cùm etiam ad utramque referatur tota oratio, & verbum principale *de jure suo debet experiri*, quod salva ratione recti sermonis, & continuatæ orationis non minus ad dictionē *reconventionis*, quàm *conventionis* potest referri, sensu plano existente, quod durante judicio eodem reus actorem, quem sibi sentit obnoxium volens reconvenire, aut si maluerit convenire per oovas literas id faciat coram eodem judice. Verbum ergo debet experiri ad duo relatum, licèt diversæ naturæ intelligitur uniformiter, ut *in l. jam hoc jure, ff. de vulg. & pupil.* Item verbum *maluerit* dat reo liberam electionem conveniendi actorem, vel per novas literas, vel per literas ab ipso actore impetratas, ita quod eum impetrare novas literas non sit necessarium, nisi casualiter: ergo etiam si reus noluerit novas literas impetrare, poterit durante eodem judicio per literas ab actore impetratas, reconvenire. Præterea cùm judicium habeat longas moras, ut *l. eo tempore de pecu.* quod pendente lite mota per actorem, reus illum non possit reconvenire, cedit in maximū rei præjudicium. Quia lis quandoque

durat

durat 40. annis, *cap. Cum in literis, de in int. restit.* Cùm ergo reus si velit jus suum prosequi necesse sit, quod id faciat coram judice ab ipso actore electo, ut decernetur in hoc *cap. Et in Auth. Et consequenter, C. de sent. & inter.* absurdum dicitur, quod reus ut jus suum experiatur, finem litis teneatur expectare, vel cogatur cum dispendio oovas literas impetrare, cùm ad hoc faciendum detur ei libera optio in hoc textu. Et ex hoc idem confirmatur; quia si reus ex intervallo dicitur posse per novas literas convenire actorem, & quod tunc utraque conventio possit terminari, commodius hoc fiet, & expeditius, & respectu etiam actoris, utilius, si id fiat per literas ab actore impetratas.

73 Nihilominus puto non esse recedendum à sententia communi. Ratio est, quia de natura reconventionis non est, quod ipsius caosa terminetur hodie, vel cras, vel aote, vel post, vel simul cum causa conventionis, sed hoc est accidens illius. Substantia enim reconventionis est, quod reus teneatur admitti ad pulsandum actorem, & quod actor pulsatus teneatur respondere. Quia hoc solùm est de essentia judicii. Aliàs verò quod judicium terminetur ante vel post, vel simul cum alio judicio est, quid accidentale concessum reconveotioni, & ex jure civili *in d. Authent. Et consequenter*, & à jure Canonico, *cap. 1. de mut. petit. & cap. Cum dilectus, de ord. cognit.* si fiat in principio litis: & rationabiliter, quia aliàs reus fraudulenter posset ad dilatandam expeditionem causæ conventionis differre reconventionem usque ad finem, & tunc reconvenire quando causa conventionis esset coocludeoda. Pontifex igitur qui loquitur in casu particulari judicis delegati, & obligat reum, si vult experiri jus suum, ut illud experiatur coram judice impetrato ab ipso actore, simul concedit, ut durante eodem judicio possit reum reconvenire, & sic possit obligare reum ad respondendum, & possit prosequi causam suam, etiam causa cooventionis non terminata. Sed oon concedit, quod causa conventionis oon possit terminari, nisi simul termioetur causa recooventionis. Nec valet dicere, quod hoc est privilegium reconventionis; quia non est privilegium concessum reconventioni absolutè sumptæ, sed recooventioni in principio litis conventionis inceptæ; de hac enim reconventione loquitur lex *in d. Authent. Et consequenter*. Et sic verum est, quod de jure Canonico, reus durante judicio ante finitam causam potest reum reconvenire. Et quod hæc reconventio habet vim prorogandi jurisdictionem judicis delegati, & obligandi actorem ad respondendum coram eodem judice, & sic verum est quod durante eodem conventionis judicio reus potest jus suum experiri coram eodem judice, vel per reconventionem, vel per conventiooem, & novas literas impetratas, sed quod hæc causa reconventioois debeat simul terminari hic non decernitur, nec expresè, nec consequenter, quia non valet consequentia, potest reconvenire, ergo utraque causa debet simul terminari, quia hoc non est de natura reconventionis, sed accidens conveniens reconventioni, si incipiat in principio litis. Barbosa *cap. 1. de mut. petit. n. 13.* plures referens. Et per hæc patet responsio ad rationes Ancharani.

SVMMARIVM.

74 *Post sententiatum in causa reus non potest convenire reum coram eodem judice delegato.*
75 *Pro causis ortis post rescriptum reus non potest convenire actorem coram eodem judice.*
76 *Coram judice, qui non potest de causa cognoscere, non potest actor conveniri.* 77.
78 *In causa appellationis an possit actor reconveniri.*
79 *In causa nullitatis.*
80 *Non eorum arbitrio.*
81 *Nisi sit arbiter juris.*
82 *Nec coram delegato obtento de consensu secundùm aliquos, sed rejicitur.*
83 *Nec coram delegato qui solum potest in parte cognoscere.*
84 *Nec conventus possess. sed hoc explicatur.*
85 *Nec conventus criminaliter potest civiliter reconvenire.*
86 *Quid in causa summaria.*
87 *Offerens se liti potest reconvenire.*
88 *Conventus ad depositum non potest reconvenire.*
89 *Nec in causa inquisitionis.*

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

ARTICULUS III.

An regula textus sit universaliter vera: & si non est talis, qui sint casus in quibus fallit.

Regulam non esse universaliter veram multipliciter probatur. Gomez enim hic *num.* 35. quindecim limitationes ejus enumerat: quæ tamen examine indigent.

74 Limitat autem primò hoc procedere, quando reus hoc faceret post conclusionem in caosa, ut declarat Lap. *alleg.* 3. facit *text. in cap. 1. de mut. pet. & Clem. sæpe, de verb. signific.* Hæc limitatio certa est respectu judicis delegati, qui post sententiam oullam habet amplius jurisdictionem. Et in hoc textu est sermo expressus durante eodem judicio, in quo tempore reos potest reconvenire actorem coram tamen eodem judice. Sed judicio finito reus est liber, ut actorem, vel coram Ordinario, vel per novas literas conveniat coram quocumque delegato. Ante judicium verò finitum, quod possit reconvenire actorem etiam post conclusionem in causa, etiam in calculo ferendæ sententiæ, & dom non sit lata sententia pluribus relatis tradit Barbosa *cap. 1. num. 13. de mut. petit.* asserens hanc esse sententiam communem.

75 Limitat secundò, & ait regulam non habere locum in novis causis ortis post datum rescriptum, quia tunc ex beoeficio reconventionis oon posset reus actorem reconvenire sine novis literis secundùm Damasum *quæst.* 12. & tenet Joann. And. & Dominicus hìc, Hæc limitatio cum distinctione admittitur. Nam ot probatum est suprà: simpliciter potest reus actorem soum coram Ordinario convenire pro causis ortis post rescriptum ab actore impetratum. Sed coram judice impetrato ab actore, vel coram alio delegato Papæ noo potest illum convenire, nisi ex novis literis; quia rescriptum ab actore impetratum ad dictas causas oon se extendit.

76 Limitat tertiò, in causis quæ non caderent sub jurisdictione judicis delegati sine speciali mandato Papæ, quia tunc sine novis literis non posset, ut notat *in cap. Quoad translationem, de off. leg.* Est autem hoc verum, sed est in regula textus comprehensum, ut ex Gloss. & aliis DD. dictum fuit, & expresè tradit Innoc. *cap. 1. num. 1. de mut. petit.* & Panorm. *cap. 1. de mut. promiss. num. 29.* benè ait, non habere locum reconventionem respectu illius causæ, quam judex noo potest cognoscere etiam volente actore, & reo.

77 Quartò limitat in casu notabili per *Specul. in tit. de reconvent. §. 1. & 2.* & Innoc. *in cap. 1. de mut. petit.* sed hunc casum non exprimit.

78 Quintò limitat in casu appellationis, quia coram eo judice noo posset reus actorem reconvenire, *l. 2. §. Is qui, ff. de jud.* & tenet Innoc. *in d. cap. 1. num. 3.* & Domin. *cons. 95. in princip.* Hoc etiam tenet Anchar. hic *num.* 8. per Bart. *in d. l. 2. §. Is qui, de jud. & l. 1. ff. eum qui app. in Provin. defen.* Novissimè etiam Fermosin. *ad cap. fin. de foro compet.* & Greg. Lopez dixit appellantem non posse convenire in loco appellationis, quia eum voluntariè non elegit, sed ob injuriam, quam credit sibi factam. Sed nullus est actor, qui eligat litigare, nisi quia existimat sibi injustitiam fieri. Aliàs verò ubi judex appellationis jam non judicat solùm de puncto appellationis, sed de causa principali, non est unde dicatur, quod coram illo appellatus oon possit reconvenire appellantem, ut benè docet Panormit. *cap. 1. num. 31. de mut. promiss.*

79 Sextò limitat in coovento super oullitate, quia non potest reconvenire coram eodem secundùm Bald. hic per text. *in l. Absente, Cod. de accusat.* Sed hoc ex illo textu non deducitur.

80 Septimò limitat in arbitro, quia coram eo non fit reconventio, ut est textus *in cap. Cum dilect. de arbitr.* & ita ibi, *num. 1. notab.* limitat hunc textum Abb. & limitationem sequitur Rom. *in singul.* 149. & Alex. *cons.* 119. *in 3. colum. lib.* 2. Hanc quoque limitationem ponit Anchar. hic *num.* 9. Cùm verò rationem ejus reddiderit Bart. *in dict. Authent.* quia cessat ratio, *leg. Cum Pampinianus*, oon enim actor magis quàm reus illum judicem elegit, sed uterque simul. De hujus veritate meritò dubitat Ancharani. Quia in arbitro cessat reconventio, quia cessat jurisdictio,

l. Prætor ait, §.1. *ff. de re jud.* Panorm. *cap.*1. *num.*3. *de mut. petit.* & sic cessat tacita juris prorogatio, quæ per reconventionem inducitur, ut dicit hìc in simili Gloss.2. Quod secus est in judice delegato, qui habet jurisdictionem, ut *l. Quia*, *ff. de jurisd. omn. jud.* Ut consideratur etiam *in dict. cap. Cùm Dilectus*, arbiter non habet nisi facultatem sibi à partibus concessam, ultra quam non potest se extendere.

81 Distinguunt tamen aliqui inter Arbitrum purum, & non habentem jurisdictionem, & Arbitrum juris, qui simul est delegatus, & jurisdictionem habet, & ideò coram illo potest fieri reconventio. Gomez ubi suprà *ex specul. tit. de reconvent.* §. *Effectus*, *vers. Sed numquid*. Et idem dicit de juris Compromissario eadem ratione ex doctrina Bart. *in l. non distinguemus*, §. *Item si quis de arbitr. & cap. Licèt, de off. ordin. & cap. Cum aliquibus inf. eod.*

82 Octavò limitat, ut locum non habeat hæc regula in judice electo de partium communi consensu, quia coram illo non fit reconventio secundùm Bart. *in d. Authent. Et consequenter*, *infr.* & Abb. *in cap. Cum dilectus*, *de arbitr. & in cap.*1. *de mut. petit.* & ibi Petr. de Anchar. sed cum Anchar. sibi contrarius hìc *num.*9. hanc limitationem rejiciat, Gomez hoc non obstante sententiam Bartol. sequitur, quam dicit esse communem, & Jason. *l. Est receptum in fin. ff. de jurisd. omn. jud.* & Socin. *regula* 332. *in* 3. *limit.* sed urgent motiva Anchar. Nam cùm delegatus habeat jurisdictionem, hæc potest prorogari. Tum secundò, quia reconventio coram delegato est de jure, *cap.*1. *de mut. pet.* consensus autem partium accedens ad delegationem vestitur vestimento juris, nec consensus excludit, quod est inductum de jure, sed concludit, *l. sip. & l. uno loco*, *ff. de usur.* Tum tertiò, quia reus, cui actor est obnoxius, si non posset actorem reconvenire coram eodem judice, posset igitur illum tr... ere ad suum judicem, quia de jure est, quod etiam reus jus suum coram aliquo judice experiri possit, & sic contra textum nostræ decretalis, & omnia jura loquentia de reconventione, reus actorem trahere posset ad judicem diversum, à judice impetrato ab actore, seu sub quo agitur causa conventionis, quod verè est absurdum.

83 Non limitat in delegato, qui non potest nisi in certa parte cognoscere secundùm Baldum hìc, & Bened. & Specul. *tit. de reconvent.* §.1. *vers. Quid si convenis*, & §.2. *vers. Sed nunquid*.

Decimò limitat, quando quis est conventus possessorio. 84 Nam non potest reconvenire secundùm Innoc. *cap.*1. *de mut. petit. num.*3. & Abb. ibi, & not. *in cap. fin. de ord. cognosc.* Sed Innoc. ibi: *num.*3. ait, quod contra agentem possessorio, benè agitur petitorio, sed potest repelli per exceptionem spoliationis, & idem habet Panorm. *num.*16. & addit, quod reus actorem possessorio potest reconvenire possessorio.

Undecimò limitat in convento criminaliter, quia non 85 potest civiliter reconvenire, ut not. *in l. fin. C. de ord. cognit.* & tradit Innoc. *d. cap.*1. *num.*3. & quod in criminalibus non detur reconventio, & accusatus non possit accusatorem accusare communiter DD. docent, quorum plures refert Barbos. *cap.*1. *de mut. promiss. num.*7.

Duodecimò limitat in convento in causa summaria, quia 86 non potest reconvenire in causa ordinaria, ut dicit Gloss. *in v. voluerit*, *in Clem. sæpè*, *de verb. signific.* & tenet Bald. *in l.*1. *C. ubi caus. stat.* Sed Gregor. Nata *in repet. dict. Clem. sæpè*, §. *Non sic* tenet contrarium, & dicit, quod communis opinio est, quod locum habeat reconventio. Sed non resolvit Gomez, quid sentiat, sed remittit, ad d. Gregor. & Abbatem *in d. cap.*1. & ad Socin. *in cons.*8. Petrus etiam de Anchar. de hac limitatione tractat hìc *num.*7. & post relatas varias DD. sententias, quæstionem non examinat.

Decimotertiò limitat secundùm Benedictum hìc, in offerente se liti, quia non potest reconveniri, arg. not. *cap. inter de pact.* sed ait considerandum, quia potest limitatio confundi ex allegatis ab eo *limit.*8. Et verè confunditur, quia ex hoc quod quis se offerat liti non privatur beneficio legis, & præcipuè non privatur jure, quod ex lege naturali habet conveniendi, seu pulsandi actorem sibi obnoxium. Et cùm lex prohibeat illum pulsare coram alio judice, remanet, ut possit illum coram eodem reconvenire. 87

Decimoquartò limitat, ut non procedat in Convento ad 88 depositum, ut *in l. fin. C. de comp.* Cujus ratio videri potest per Bart. *in l. Cùm is*, §.1. *ff. de cond. indeb.* & declaratur per Bald. *in l. si quis*, *C. de depos.* & istam limitationem sequitur Panorm. *in d. cap.*1. *de mut. petit.*

Decimoquintò limitat in negotio Inquisitionis, ut notat 89 Innoc. & alii *in d. cap.*1. Sed de his vide DD. *in cap.*1. *de mut. petit.* Cæsar. de Grassis *eff.*1. *Cler. à num.*779.

DE RESCRIPTIS.

Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

CUm aliquibus recipiendi aliquem in Canonicum alicujus Ecclesiæ, non obstantibus ejusdem Ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, per nostras litteras concedimus facultatem: si Canonicorum receptio aliàs in ipsa Ecclesia non spectat ad eos, quibus hujusmodi litteræ diriguntur, sed ex earum viribus recipiunt potestatem: is, qui recipitur, auctoritate Apostolica dignoscitur esse receptus. Si verò Canonicorum receptio aliàs pertineat ad eosdem: non Apostolica, sed recipientium censetur auctoritate receptus: nisi, quòd eum auctoritate nostra reciperent, in nostris litteris caveretur expresè.

SVMMARIVM.

1 *Literæ facultatis, & auctoritatis.*
2 *Summarium textus.*
3 *Causa edendi hanc decretalem.*
4 *Intellectus clausulæ*, non obstantibus, &c. *remissivè.*
5 *Et etiam si Papa præcipiat, stat actum fieri auctoritate ordinaria.*
6 *Etiam si auferat ligamen potestatis ordinariæ.*
7 *Nomine receptionis venit collatio.*
Triplici modo convenire potest collatio Ecclesiis.
8 *Regula textus.*
9 *Opiniones aliquorum.*
10 *Non esse necesse ut in literis fiat mentio ejus, ad quem spectat receptio dicunt aliqui.*
11 *Cap. Eam te, de rescript.*
12 *Rescriptum, subreptitium, & invalidum, si is ad quem dirigitur non habet facultatem recipiendi.* 12.
13 *Clausula* non obstantibus, *non dat facultatem non habenti.*
14 *Qui solùm pro parte potest recipere, si validè recipit, id facit auctor. Apostolica.*
15 *Regula* 2. *textus.*
16 *Si ad Episcopum spectet collatio, receptio fit auctor. ordinaria licèt ad Capitulum spectet receptio facti.*
17 *A quo actus denominetur, an à faciente, vel à mandante.*
18 *Decretalis addit ad extravag. Alexandri.*
19 *Hæc verba* auctoritate nostra *important delegationem.*

Quæ

1 QUæ literæ Apostolicæ sint facultatis, & quæ auctoritatis docet præsens decretalis, ut monent Jo. Mon. & Archid. *in princ.* Nam Papa aliquando dat facultatem removendo tantum impedimenta, quibus facultas inferiorum impeditur, ne exeat in actum, sicut si alicujus pedes vinctos, ac ligatas manus solveret, ut expeditus ambulare, & laborare posset. Et hæ dicuntur literæ facultatis. Aliquando autem ipsam potestatem agendi secundùm substantiam suam largitur eam non habentibus; & istæ dicuntur literæ auctoritatis.

2 Itaque juxta hanc distinctionem traditur regula bimembris. Nimirum si Pontifex per suas literas aliquibus, ad quos id non spectat, concesserit facultatem recipiendi aliquem in Canonicum alicujus Ecclesiæ, non obstantibus privilegiis, consuetudinibus, aut statutis, joramento, confirmatione Apostolica, aut alia firmitate roboratis, receptio talis Canonici dicenda est facta auctoritate Apostolica, sed si receptio Canonicorum spectat ad aliquos, Papa ut suprà concedente, ut aliquis in Canonicum recipiatur, receptio censenda erit facta auctoritate recipientium, nisi in literis Apostolicis expressè contineatur, quod receptio illa fiat auctoritate Apostolica.

3 Quærit autem Gloss. quæ fuerit causa edendi hanc decretalem? Respondet verò, quod cum infrà *cap. Isti, qui de preb. & cap. ult. de concess. preb.* statutum sit receptos in Canonicos alicujus Ecclesiæ auctoritate Apostolica debere præferri in præbendarum assecutione receptis inferiorum auctoritate, ideò declarandum fuit, qui censendi essent recepti auctoritate Apostolica, vel Ordinaria alicujus inferioris, etiam si recepti sint vigore aliquarum literarum Apostolicarum.

4 Quæ verò dicenda essent ad explicationem clausulæ derogatoriæ, *Non obstantibus privilegiis, &c.* peti possunt ex dictis suprà *cap. Licèt 1. de constit.* & præcipuè *art. 19. à n. 300.*

5 Ponderat quoque Gloss. illa verba *Concedimus facultatem*, idest possibilitatem, ac si non essent privilegia, consuetudines, aut statuta. Archid. *num. 1.* & advertit, quod si Papa præciperet, ut aliquis reciperetur in numerum Canonicorum, quod tunc receptus diceretur auctoritate Apostolica Gloss. sequuntur Domin. *num.* 10. & Francus *num.* 7. Advertit verò Domin. hoc esse utile ad videndum qualiter interponenda sit appellatio apud superiorem, quia ad alium appellatur ab Ordinario, & ad alium appellatur à delegato. Sed istam differentiam inter præcipere, & concedere non video in aliquo jure fundatam. Nam Papa potest etiam præcipere Episcopo ut alicui conferat præbendam, quam propria auctoritate potest conferre, sive ut aliquid ordinet in synodo, quod potest sua facultate ordinare. Per hoc verò præceptum Papa non dat facultatem operandi, sed datam excitat, & non præcipit, ut v. g præbenda detur auctoritate Apostolica, sed ut detur auctoritate ordinaria, & sic necessitat ordinariam facultatem, non dat novam, neque delegat suam. Non est ergo differentia in hoc sive Papa concedat facultatem, sive præcipiat, ut aliquid fiat.

6 Sed & advertendum, quod Papa hìc utitur verbo concedimus facultatem, quia loquitur in casu potestatis ordinariæ ligatæ, quæ non potest solvi, nisi per Papam concedentem libertatem, & nihilominus licèt interveniat propria Pontificis auctoritas in solvendo, nihilominus quod sit per ordinariam facultatem non nisi à Papa solutam, censetur factum Papa excitante, non verò propria auctoritate recipiente ad beneficium. Multò magis igitur id verum erit, ubi auctoritas Papæ non concurrit nisi excitando, sive hoc fiat suasione, sive præcepto.

7 Receptionis autem hujus nomine, ut Gloss. advertit, non venit installatio, sed beneficii collatio, quæ est juris receptio; Et quæ triplici modo potest spectare collatio præbendarum ad Ecclesias Cathedrales, vel scilicet, ut conveniat soli Episcopo, vel soli Capitulo, vel utrique, *cap. Cùm in Ecclesia. de elect. cap. ult. de regul. cap. unic. inf. Ne sede vacant.*

8 Si igitur collatio præbendæ, vel beneficii nullo modo spectat ad Ecclesiam Cathedralem, seu ad eos, quibus Papa concedit, ut *non obstantibus privilegiis, &c.* beneficium conferant, collatio dicitur facta auctoritate Apostolica censeatur, qui ex concessione Apostolica recipitur ab illis, ad quos non spectat receptio.

9 Quærit hic Gloss. quid dicendum ubi receptio spectat ad plures, & nihilominus, Papa uni soli scribit, ut aliquis ad Canonicatum recipiatur; an in hoc casu collatio dici debeat facta auctoritate ordinaria, vel auctoritate Papæ. Gloss. respondet, quod dici debet facta collatio auctoritate Papæ. Sed Archid. *n. 1.* dicit literas Papæ in hoc casu esse subreptitias, & nullas, & latè probat literas Papæ non valere, si sint præjudiciales tertiò, & non sit facta mentio præjudicii, vel Papa non disponat ex certa scientia. At Jo. Andr. vult Gloss. intelligi debere in eo casu, in quo literæ non sint nullæ. Et hoc fuit subtiliter dictum. Duæ enim quæstiones hìc esse possunt. Prima est, an valeat rescriptum, per quod datur facultas recipiendi in Canonicum non obstantibus privilegiis ei, vel eis quibus de jure ordinario, vel non competit posse recipere aliquem in Canonicum, vel eis solis non competit, prætermissis illis ad quos de jure competit. Secunda est an si istud rescriptum valeat, in eo casu receptio debeat dici facta jure Ordinario, vel Delegato. Secunda quæstio est, quæ directè spectat ad intelligentiam hujus decretalis.

Quantum verò ad primum fuit opinio Lapi apud Dom. hìc *n. 11.* quod non est necesse, quod in literis fiat mentio de eo, ad quem spectet collatio, quia semper valet provisio ad quemcumque spectet collatio, etiam sine aliqua clausula *non obstante*, cujus potest esse ratio secundùm Anch. & aliquos alios, quia Papa semper scit, quod ad aliquem spectat collatio, ideò mandando simpliciter videtur velle præjudicare cuicumque ad quem spectat collatio. Et eò magis quod nullus est, nec etiam Episcopus cui conveniat collatio per se, quia nec Episcopo competit per se ratione suæ ordinationis; cùm multi sint Episcopi, qui nullum habeat beneficium conferre, ut dicit Jo. Andr. *cap. Verum de foro compet.* Et multi non Episcopi sunt, quibus hoc competit. Et ideò, quidquid sit de eo, cui jure ordinario competit recipere ad beneficium, vel Præbendam, Papa scribens, ut aliquis recipiatur simpliciter, videtur velle præjudicare quibuscumque competit conferre juxta notata per Arch. & Jo. Andr. *infr. cap. Cùm Ecclesia de Preben.* Nisi collatio ex speciali privilegio spectaret ad laicum, ut idem Lap. notat *in d. cap. Cùm in Ecclesia.* 10

Sed in contrarium urget, *cap. Eam te, sup. de rescript.* Cùm enim Papa commisisset Decano, & Capitulo Ternacen. ut reciperent in Canonicum quemdam Judæum conversum ad fidem, quia in illa Ecclesia collatio spectabat ad Episcopum, Capitulum noluit illum recipere, & Papa ibi ait, quod Canonici illi præceptum Papæ executioni mandare non potuerunt, cùm tamen tunc Ecclesia vacaret. Igitur si rescriptum sit directum non habenti facultatem ordinariam recipiendi rescriptum non valet. Et ratio est, quia nisi Pontifex id exprimat non censetur præjudicare habenti ordinariam facultatem recipiendi; nec censendus est Papa in iis, ad quæ inferiorum facultas ordinaria se extendit velle delegare, nisi id clarè exprimat, ut habetur ex hoc textu in fine. 11

Ideò dicendum est, quod hujusmodi rescripta in quibus Papa dat facultatem recipiendi ad beneficia, & Præbendas, eis quibus facultate ordinaria non competit recipere sunt subreptitia, & invalida, ut habet Archid. & Dom. ex Jo. de S. Georg. *nu. 12.* Nisi Pontifex ex certa scientia eis suam deleget facultatem. Censebitur verò delegare, nedum si id exprimat, vel per verba *auctoritate nostra*, vel per aliam clausulam, *Sed si recipiente facultatem* det illis, quibus manifestum est præsumi non posse Papam ignorasse, vel jure communi, vel consuetudine, aut statuto speciali non competere ordinariam facultatem recipiendi. Domin. *ibid.* Cæterùm ubi Papa rescribat illis, quibus ex jure communi potest competere facultas ordinaria recipiendi, si contingat, quod consuetudine, vel statuto speciali illis non competat, supersedendum est à recept. ut ex d. Jo. de S. Georg. dicit Domin. *d. num.* 12. 12

Et si objiciatur, quod clausula *non obstantibus privilegiis, &c.* tollit impedimenta ista. Respondetur, quod aliud est tollere impedimenta habentis facultatem ordinariam, aliud est facultatem concedere non habenti. Clausula tollit impedimenta, sed non dat facultatem eam non habenti, nisi id exprimatur; tunc verò Papa delegat. Ideò ubi quæstio est de valore rescripti, videndum est, an ex literis Papa delegat, vel solùm facultatem ordinariam excitet. In primò casu rescriptum valebit, nisi aliud obstet. 13

Sed in secundo casu rescriptum directum ei, qui non habet facultatem ordinariam nullius est roboris.

14 Verùm quidquid esset de ista prima quæstione, ad secundam respondetur, quod quodcumque recipiens non habet recipiendi facultatem ordinariam, sive nullam habeat, sive non habeat, nisi pro parte, si validè recepit in virtute literarum Apostolicarum, recipit ut delegatus, & auctoritate Sedis Apostolicæ. Gloss. *in v. ad eosdem*. Joan. Mon. *num.* 5. Anchar. *num.* 5. Dom. *num.* 11. *&* 12. Nam etiam in casu ubi recipiens habet pro parte auctoritatem ordinariam, quia illa ordinaria facultate nequit uti sine alterius partis consortio, & solùm ex delegatione ipse solus recipit, simpliciter dicendum est, quod auctoritate delegata recipiat, quamvis admisceatur non nihil auctoritatis ordinariæ.

15 At verò è contra, quando per rescriptum *non obstantibus privilegiis, &c.* datur facultas recipiendi aliquem in Canonicum illis, qui ad id habent ordinariam facultatem, licèt aliàs impeditam; Papa censetur excitare illorum facultatem, & impedimenta illius tollere, & ideò receptis censetur facta auctoritate ordinaria. Gloss. Jo. Mon. *num.* 3. Arch. *num.* 2. Jo. And. *num.* 1. Anch. *num.* 2. Domin. *num.* 11.

16 Quid verò dicendum sit in casu, in quo ad unum puta ad Episcopum spectat collatio, & ad alios, puta ad Canonicos spectat receptio? Respondetur receptionem juris spectare ad eum, ad quem spectat collatio; ideò in hoc casu receptio spectans ad Canonicos est receptio facti. Unde si Episcopus habet facultatem recipiendi, & conferendi receptio juris, & collatio dicitur facta auctoritate ordinaria, non obstante quod præter collationem sit necessaria receptio facti, quæ spectat ad Capitulum. Archid. *num.* 1. Jo. And. *n.* 1. Anch. *num.* 5.

17 Quærit etiam idem Anchar. *num.* 4. quid dicendum si superior mandet inferiori quod faciat id, quod poterat facere auctoritate sua ordinaria, à quo denominabitur illud factum? Respondet verò quod in rebus gratiæ, utputa, si Papa mandet Episcopo, ut uni conferat beneficium, quod Episcopus potest illi conferre, sed ad id non tenetur, in hoc casu actus denominabitur à mandante, & ita loquitur *cap. Dilectus, de præb.* & Gloss. hic *in v. Concedimus*. Si verò illud quod superior mandat fieri ab inferiori debebat ab eo fieri, actus denominatur à faciente, ut si Papa mandet Episcopo, quod non gravet injustè aliquem, tunc actus sumet denominationem ab Episcopo non à Papa, *cap. Licèt, & cap. pen. de off. ordin.* Sed non video discrimen. Nam utrobique actus tribuitur inferiori puta Episcopo ut causæ ordinariæ: uterque enim actus fit ab Episcopo facultate sua ordinaria. Et uterque actus est à Papa, ut à mandante, & excitante. Pariter utriusque actus propria causa est voluntas Papæ, quæ in uno casu gratiam facit, in alio præcipit, sed in utroque casu voluntas Papæ, non est nisi utens facultate inferioris in uno casu ad id, quod est gratiæ, & in alio ad id, quod est necessitatis, seu justitiæ. Hoc verò speciale poterit contingere, quod tribuatur Papæ, si facultas inferioris sit ligata, & Papa tollat ligamen. Hoc enim totum est ex Papæ voluntate tanquam ex propria causa, ad quod inferior passivè se habet. Ideò Barbosa hic *num.* 8. benè advertit, quod actus potius tribuitur mandanti, seu ordinanti, quàm exequenti ex Surd. *de alim. tit. 8. priv. 56. num. 88. & priv. 65. nu. 47. & dec. 292. num. 9.*

Notandum autem, quod particula *nisi, &c.* addita est. 18
Decretalis in ista lata fuit ab Alexandr. IV. in Extravag. quæ incipit, *Contingit*, sed sive ista clausula, quæ addita postea fuit à Bonifacio VIII,

Notandum quoque quod clausula *auctoritate nostra*, 19
expressè significat mentem Papæ esse, quod inferior agat, ut delegatus auctoritate sibi ab eo delegata. Gloss. Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 7. Videantur, quæ notat *in cap. Licèt, cap. de præbend. & in cap. de præbend. & in cap. hi qui inf. de præbend.*

D E R E S C R I P T I S.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T V.

SI gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere: hujusmodi gratia per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omninò extinguitur, eo ipso expirat. Secùs autem si usque ad Apostolicæ sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuò: nisi à successore fuerit revocata. Prætextu verò talis concessionis, quæ debet, (cùm sit ambitiosa) restringi: ea solùm beneficia, quæ canonicè obtines, potes licitè retinere.

SUMMARIUM.

1 *Ex promotione vacant priora beneficia.*
2 *Tres regula textus.*
3 *Gratia simpliciter concessa est perpetua, non tamen si concessa ad beneplacitum concedentis.*
4 *Solus Papa potest concedere beneficia sub conditione, & ad tempus.*
5 *Papa potest auferre titulum beneficii.*
6 *Expedit beneficia esse perpetua.*
7 *Expedit ut dispensationes ad habendum plura beneficia sint temporales.*
8 *Beneficium hic sumitur largè.*
Etiam in materia odiosa larga habenda interpretatio, si id poscit ratio legis.
9 *Beneficia concessa uni ad beneplacitum interim non vacant.*
10 *Quod possint haberi plura beneficia etiam sine dispensatione, non deducitur ex hoc textu.*
11 *Ut retineantur plura beneficia curata debet esse expressum in dispensatione.*
12 *Beneficia nec ab Episcopo si sint incompatibilia haberi possunt sine dispensatione.*
Regula hujus textus habet locum in reservationibus, & dispensationibus.
13 *Textus intelligitur de beneficiis possessis.*
14 *Dictio* usque *hic sumitur exclusive.*
15 *Significatio hujus dictionis usque ambigua: & quando sumatur inclusive.*
16 *Dictio* suæ *est personalis.*
17 *Clausula* ad beneplacitum *quando importet arbitrium boni viri.*
18 *Discrimen clausulæ* ad beneplacitum, *&* Donec revocavero.
19 *Concessum sub hac clausula* donec revocavero, *non expirat morte concedentis.*
20 *Hoc approbatur.*
21 *Difficile invenire discrimen inter has clausulas,* ad beneplacitum, *&* donec revocavero.
22 *Solum in materia odiosa concessum ad beneplacitum expirat.*
23 *Ex natura rei concessum ad beneplacitum non expirat morte concedentis, sed fit ut possit revocari per successorem.*

24 *Con-*

24 Concessum per Papam ex natura rei est concessum per publicam potestatem, & non nisi ex voluntate ut publica procedit, & ab ea dependet.
25 Solùm ex jure positivo est, quod concessum ad beneplacitum expiret.
Ideò regula hæc data est in materia odiosa.
26 Concessum sub clausula donec aliter fuerit ordinatum, non expirat.
27 Clausula ad beneplacitum potest importare conditionem voluntatis, ut conservantis gratiam.
28 Clausula donec revocavero, non importat nisi conditionem voluntatis, ut destruentis positivè.
29 Quod clausula ad beneplacitum accipi debeat, ut importat sub conditione voluntatem, ut conservantem est ex lege positiva.
Clausula ad beneplacitum est ambiguæ significationis.
30 Qualiter in morte extinguatur voluntas.
31 Concessio beneficiorum ad beneplacitum ita expirat per mortem concedentis, ut eo ipso beneficia vacent.
Regula ista secundùm Franc. vera est etiam in favorabilibus.
Vbi non est certus numerus Canonicorum per mortem beneficia non vacant, sed desinunt.
32 Intellect. legis ambuignitatem, C. de usufructu.
33 Dignitas Papalis nunquam moritur.
34 Concessum ad beneplacitum Sedis Apostolicæ non expirat per mortem concedentis.
35 Clausulam ad beneplacitum Romani Pontif. esse personalem dicunt aliqui.
36 Oppositum probatur.
Idem si dicatur ad beneplacitum Papæ.
37 Concessum simul ad beneplacitum personæ Papæ, & Sedis Apostolicæ non expirat, &c.
38 Nomen assumptum in Pontificatu est personale.
Quod conceditur ad beneplacitum tertii non expirat ob illius mortem.
39 Qui appellat ad Papam ejus nomine expresso respicit primò dignitatem.
40 In gratiosis universalissimè verum, quod concessum ad beneplacitum dignitatis non expirat.
41 Regula verificatur etiam in sententiis.
42 Regula hæc verificatur etiam in aliis dignitatibus, quæ non extinguuntur.
44 Opiniones variæ, 44.
45 In iis quæ in conservari dependent à vita concedentis per mortem aut naturalem, aut civilem expirat concessio.
46 In iis quæ simpliciter concedi possunt, quid dicendum secundùm illos, qui tenent hanc regulam locum habere solùm in odiosis.
47 Quid secundùm oppositam sententiam.
48 Quid ubi dignitas extinguitur: an concessum ad beneplacitum dignitatis duret.
49 Quid ubi concedens incidat in excommunicationem, vel furorem.
50 Odia debent restringi.
51 Concessio generalis non se extendit ad illicita.

1 SUpponit hæc decretalis, quod per promotionem ad Episcopatum, quando Episcopus est jam electus, & confirmatus, & Ecclesiasticorum bonorum administrationem habuit, decurso tempore de consecrandis Episcopis à Canonibus definito, ejusdem Episcopi beneficia vacent, juxta *cap. Cùm in cunctis*, §. *Cùm verò*, *de elect.* Et pariter supponit, quod promoto uno aliquo ad beneficium incompossibile illi, quod habet statim ex vi possessionis acceptæ secundi vacet primum, juxta statuta *in cap. Si quis 21. qu. 2. & cap. De multò*, *de præbend.* Quia tamen Rom. Pontifex in hoc potest dispensare; si contingat, quod dispenset, tria disponuntur in hac decretali.

2 Et sic dantur hìc tres regulæ. Prima est, quod si Romanus Pontifex concedat alicui, quod beneficia, quæ obtinet tempore suæ promotionis, retinere possit, sed cum clausula *ad beneplacitum suæ voluntatis*, hujusmodi concessio expirat per obitum ejusdem Summi Pontificis. Secunda regula est, quod si Romanus Pontifex idem concedat cum clausula *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, concessio non expirat per obitum concedentis, sed perpetuo durat, donec revocetur per successorem. Tertia regula est, quod ejusmodi concessio uno, vel altero modo facta non comprehendit, nisi beneficia canonicè obtenta, & possessa.

Itaque hujusmodi regulæ dantur de eo, quod conceditur ex gratia. At verò gratia alicui simpliciter facta censetur perpetua, & ita ut etiam re integra per concedentis mortem non extinguatur, *cap. Si super gratia*, *infr. de off. deleg.* Anchar. hìc *num. 1.* Franc. *num. 1.* Hoc tamen verum est, si gratia fuerit absolutè, & simpliciter concessa, non verò si data sit sub conditione temporali, ut v. g. ad beneplacitum concedentis, quia tunc morte concedentis expirat. 3

Solus verò Romanus Pontifex potest beneficia, & Prælaturas sub conditione, & ad tempus concedere, *cap. Pastoralis 7. quæst. 1. & cap. Veniens*, *sup. de fil. Presb.* Alius autem hoc non potest, *cap. Quam pio 1. quæst. 2. cap. Quamvis 7. quæst. 1. cap. Sanctorum*, *d. 50. & cap. Præterea*, *dist. 55.* 4

Ex eo autem, quod Gloss. hìc habet, quod in his, quæ Papa vult stat pro ratione voluntas. *Instit. de jure nat.* §. *Sed & quod Principi*, deducit Domin. *num. 16.* quod videatur, quod Papa pro sua voluntate de plenitudine potestatis possit Prælatis etiam auferre titulum beneficii. Unde potest privari titulo beneficii etiam nulla subsistente causa per rationes, & DD. quos allegat Reverendiss. Fagn. *cap. Consultat. num. 27. de Cler. ægrot.* Ubi *num. 29.* quod omnia beneficia sunt manualia Papæ, & si ea ad se revocet neminem lædat, quia suum revocat. Hoc tamen etiam hìc advertendum, quod ex quo textus loquitur de Romano Pontifice hæc decretalis non comprehendit rescripta, & dispositiones Episcoporum, & aliorum Prælatorum, cùm expressè loquatur de rescriptis Summi Pontificis. 5

Colligit eadem Gloss. quod non expediat beneficia esse temporalia, quia moribus nostris non expedit temporales habere filios, *l. quæsitum est*, *ff. de adop.* Et convenit, quod ministri habeant Ecclesias tanquam sponsas, & de illis, ut de rebus propriis habeant providentiam. Et hoc quidem verum est regulariter, & cæteris paribus. Nam in inferioribus ministris meritò conceditur dari Vicarios, & Ministros ad nutum amovibiles, quod & permittit Concil. Trid. *sess. 7. cap. 7.* Quomodo verò in sæcularibus ministri sint temporales regulariter advertunt Archid. *num. 2.* Domin. *num. 15.* Franc. *num. 6.* 6

Quamvis igitur conveniat beneficia esse perpetua, tamen in hoc potest dispensari, ut notat Domin. *num. 2.* & concedi, quod aliquis ad tempus retineat pluralitatem beneficiorum. Hujusmodi tamen dispensationes non nisi ex justa causa, quæ ex circumstantiis desumenda erit, licitè concedi possunt. Unde etiam est, quod nisi adsit causa major, & magis urgens dispensationes hujusmodi dari debent ad tempus, & non ad perpetuitatem. 7

Nomen autem beneficii hìc accipitur largè, ut se extendit etiam ad dignitates, ut notat Gloss. Ex qua Domin. *n. 16.* advertit, quod nomen beneficii, quando profertur à jure comprehendit tam non curata, quàm curata, & dignitates, & sic vult Gloss. quod in materia stricta jus extendatur de significatione stricta ad latam, quando eadem sit ratio lata significatione, quæ in stricta. Et ait videndam esse similem Gloss. *in Clem. Auditor eod. tit. & in cap. Beneficium infr. de reg. jur.* Et verum est, quod verba semper debent accipi juxta subjectam materiam: & quod hæc regula semper servari debet, ut tantùm se extendat significatio nominis salva ejus proprietate, quantum se extendit ratio legis, quæ regula tamen non valet, ut possit lex extendi extra verborum significationem de casu ad casum. 8

Sed & considerat Gloss. quod textus non loquitur de fructibus beneficiorum, sed de beneficiis, quæ interim non vacare affirmat, & cum Gloss. convenit Domin. *num. 16.* 9

Ponderat etiam Dominicus, quod dicitur beneficia in plurali, & per hoc ex textu deducit, ut quis sine dispensatione possit habere plura beneficia. Hoc tamen non deducitur per consequentiam necessariam. Quia licèt textus eum, qui modo dispensatur, ut retineat, supponat habere plura beneficia, non tamen supponit illum ea habere sine dispensatione præcedente. 10

Consideratur etiam hìc, quod expressum est beneficia concessa esse curata, quia si hoc non fuisset expressum dispensatio habendi plura beneficia non fuisset valida, si illa fuissent curata, ut per *Clem. 1. de preb.* 11

12 De quocumque autem promoto sive ad Episcopatum, sive ad Archiepiscopatum, sive ad quamcumque Prælaturam verificantur regulæ hujus textus. Quas etiam habere locum in reservationibus, dixerunt Archid. *n.2.* Dom. *n.1.* Unde si Papa sibi reservet collationem beneficiorum reservatio eo Pontifice mortuo expirat, vel perseverat, juxta exigentiam regularum hujus textus. Et idem dicitur de dispensationibus, & aliis concessionibus, aut gratiis, quæ à Pontificibus cum clausula *ad beneplacitum* fiunt.

13 Sed quid dicendum, si qui promovetur, tunc cùm promovetur, habet ad beneficia solùm jus, quod dicunt ad rem, quia v. g. ad illa nominatus, aut electus fuit? Ex vi concessionis, ut possit retinere beneficia, poterit ne horum fructus percipere? Non posse asserunt, & benè Archid. *num.*10. Domin. *num.*16. Franc. *num.6.* Quod deducitur ex illo verbo textus *obtinebas*, *& in fin. quæ canonicè obtines*, ex quo habetur textum debere intelligi de beneficiis jam obtentis, & possessis: beneficia verò quorum non habetur jus nisi ad rem, non sunt obtenta, sed obtinenda.

14 Cùm verò textus loquatur de dispensatione conditionata usque ad beneplacitum concedentis, difficultas est qualiter accipi debeat dictiò *usque*. Multa enim habent hìc Archid. *num.*1. & Jo. Andr. *num.*1. Dom. *num.7.* Franc. *num.*2. de significatione hujus dictionis *usque*, eam aliquando inclusivè, aliquando exclusivè sumi asserentes, & plura ex jure exempla ad partem utramque allegantes. Dicit verò Archid. quod hìc ponitur inclusivè. Sed in contrarium est, quod in eo puncto, in quo Papa vult dispensationem non durare, & illam irritat; illa jam non valet; solùm ergo valuit in tempore antecedente, non verò in termino temporis, non ergo potest accipi inclusivè, sed exclusivè. Barbosa hìc *num.4. & tract. de claus.* quampluribus DD. allegatis ait, quod hæc dictio regulariter sumitur inclusivè. Quod verò in dilationibus, seu citationibus hæc dictio sumatur inclusivè disputat hìc Archid. sed concludit, quod sumatur exclusivè, quod & voluit Gratiosus Ubertus *de citationibus cap.*10. *num.*215. *&* 498. Quando tamen Papa citat, sumi inclusivè asserit idem Archid. & explicat Gratiosus Ubertus *loco citato*, *num.* 224. Sed si judex mandat supersederi, usque ad talem diem, quod dictio *usque* sumatur inclusivè vult Barbosa *claus.*437. *num.*5.

15 Veritas est, quòd dictio ista ambigua est, & quòd ex subjecta materia, & aliis conjecturis ejus significatio colligi debet, quas conjecturas adducunt Card. Mant. *de tacit. & ambig. convent. l.4. tit.9. num.*10. & Ferrer. *in consil. Catalon. gloss.*3. *num.*82. *cum sequent.* Hæc regula potest assignari, ut tunc hæc dictio *usque* sumatur inclusivè, quando terminus est de pertinentiis rei, de qua est sermo: neque enim dictio ista excludere potest, quæ per se sunt de pertinentiis rei. Bald. *cons.*410. *in princip. l.1.* Card. Tuscus *lit. D, conclus.*291. *num.*19. Barbosa ubi suprà *num.* 13. Et sic datur regula opposita, ut excludat non pertinentia ad rem intrinsecè, & per se, sed quæ rei accidunt, & possunt ei adesse, & abesse. Sicut etiam si terminus sit contra legem, vel contineat aliam absurditatem excluditur per dictionem *usque*, ut per text. *in l. 3. in princip. & §. 1. ff. de usur.* Menoch. *de arb. l. 1. quæst.*80. *num.*92. Et eadem ratione inclusivè debet accipi, si aliter sequeretur absurdum.

16 *Sua*. Hæc dictio personalis est, & personam refert. Gloss. Anch. *num.*4. Dom. *n.*12. Franc. *num.7.* Barbos. *num.*8. Et ideò clausula *ad sua voluntatis beneplacitum* significat beneplacitum personæ concedentis.

17 Discrimen autem primò est inter has clausulas, *ad beneplacitum, & voluntatem*, *& ad beneplacitum*; quod prima importet libertatem, & dominium liberum, secundò arbitrium boni viri. Menoch. *lib.*1. *quæst.* 8. *num.*10. Martin. *part.*2. *claus.*1. *num.*12. Barbos. *claus.*3. *num.*8. Non tamen idem sunt *ad voluntatis beneplacitum*, & *ad beneplacitum, & voluntatem*. Nam imò *ad voluntatis beneplacitum* idem est, quod *ad beneplacitum*, quia solius voluntatis est beneplacitum, sed & benè advertit Anch. *num.*2. quod verbum *volo* latius patet, quàm verbum *placet*. Quia sub illius significatione & licitum, & iniquum potest comprehendi, sed verbum *placet* importat arbitrium boni viri, & ideò hoc idem importat voluntatis beneplacitum. Videri possunt, quæ de his scripsi *de statibus*, *& off. hom. tom.*2. *quæst.*187. *art.*1. *n.*314. *&* 315. *pag.*73.

18 Valdè etiam distinguuntur hæ clausulæ *ad voluntatis beneplacitum*, & *donec revocavero*, vel *revocaveris*, seu *quoadusque revocavero*, vel *revocaverit*. Quia ad hoc ut cesset concessum *ad beneplacitum* sufficit, quod cesset voluntas, sed ad hoc ut expiret concessum *donec revocavero*, requiritur contraria voluntas, & quidem efficax, & in actum revocationis extensa.

19 Hinc est quod ex hoc DD. regulam textus limitant, & dicunt, quod gratia concessa ad beneplacitum personæ concedentis per ejus mortem expirat, quia per mortem voluntas, & beneplacitum cessat, cujus ratio redditur, quia cessat suppositum, seu homo; anima enim homo non est, sed pars hominis; quare cessante homine cessat hominis voluntas; & ideò extincta voluntate expirat gratia ad voluntatis beneplacitum concessa. Sed si dicatur *donec revocavero* in vi hujus clausulæ gratia morte concedentis non expirat, Jo. Andr. *in princip.* Anchar. *n.6.* Franc. *n.*10. & ex Bartol. reddunt rationem Anch. & Dom. *num.*16. & Francus *n.9.* quia in hoc secundò casu ad hoc ut gratia cesset, requiritur actus positivus, qui non est ex eo quod concedens moritur. Eandem verò esse rationem asserunt de hac alia clausula, *donec duxerim*, *vel duxerimus*, *aliter providendum*. Et addunt Jo. Andr. & Franc. idem esse dicendum, si poneretur clausula, *donec intraverit Italiam*, vel *aliud simile*, quia si ante ingressum in Italiam concedens moriatur, non expirat gratia concessa, sed gratia est perpetua, ex quo ille non potest amplius Italiam ingredi.

20 Et quidem verissimum est, quod gratia concessa sub clausula exprimente expressam voluntatem, & dispositionem in contrarium, non expiret morte concedentis, ut si Papa dicat, *concedimus, &c. donec revocaverimus*, vel *quoadusque aliter in contrarium duxerimus disponendum*, vel alio simili modo. Et quidem, quod si res non sit integra gratia sub simili clausula concessa non expiret, determinatur expressè *in cap. si Deleg. infr. de off. delegat.* Sed & absolutè urget ratio illa, qua utitur Jo. Andr. quia nimirum cùm Greg. X. in Concil. Lugdunen. de Religionibus Eremitarum S. August. & Carmel. disposuisset sub hac forma, quam refert Gloss. *inf. de Relig. domibus*, *§. Sane*, *v. in solido*, nimirum: *Ceterum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum constitutio dictum generale Concilium præcessit in suo statu volumus permanere, donec de ipsis fuerit ordinatum; intendimus siquidem, &c.* Si enim concessio facta sub conditione *donec aliter fuerit ordinatum*, vel *ordinaverimus*, expiraret morte concedentis; sequeretur quod dicti Ordines morte Gregor. expirassent, quod quidem nullus admittet.

21 Nihilominus difficilè est reperire differentiam inter istas clausulas, *donec voluerimus*, quæ est idem, quod *ad beneplacitum nostrum*, & *donec revocaverimus*, vel *aliud ordinaverimus, aut disposuerimus*. Quod enim dicitur, quod gratia sub priori clausula *ad beneplacitum* cessat per mortem, quia per mortem cessat voluntas, non videtur satisfacere, quia & per mortem cessat revocatio, seu ordinatio. Et utrobique simul cessat, & potestas volendi, & potestas revocandi. Et præthereà est difficilè hoc dictum, quod ad hoc ut expiret gratia concessa sufficit, quod cesset voluntas. Per solam enim cessationem actus volendi non cessat gratia concessa; aliter illa statim, ac fuisset concessa statim expiraret Papa aliud cogitante, & sic cessante à voluntate illius gratiæ; cùm voluntas non sit rei non consideratæ. Et si dicatur, quod voluntas non revocata censetur durare moraliter, & sic voluntas concedentis gratiam, per quam vult, ut gratia duret, si non revocata, durat usque ad mortem. Sed in morte cessat. Contra objicitur primò, quod supponitur, quod ad hoc ut gratia duret, sit necesse, quod duret voluntas concedentis, quasi gratia in suo conservari dependeat ab actuali voluntate concedentis, & ab ejus perseverantia, quod non est necessarium. Semel enim donatum etiam sub conditione est donatarii, nisi revocetur. Secundò etiam supponitur, quod voluntas moraliter non duret post mortem, cujus oppositum colligitur, *ex cap. Qualis*, 25. *dist. & ex cap. Majores*, *de Baptismo*, ut advertit etiam Gloss. hìc *in v. expirat*. Unde ergo est, quod gratia concessa cum clausula *donec voluerimus*, cessat per mortem, non verò cessat gratia concessa sub clausula *donec revocaverimus*, vel *donec aliter ordinaverimus*?

22 Gloss. *infr. in cap. Si delegatus*, *in v. Morte de off. deleg.* in secunda responsione admittit, quod sit eadem ratio de utraque

utraque clausula, & quod nec gratia concessa ad beneplacitum semper expiret morte concedentis, & ad hunc textum respondet, quod decernit in materia odiosa, non verò in favorabili; quia sicut ambitiosum, ut dicitur in hoc textu, sic odiosum est velle plura beneficia retinere. Et sic secundùm Glossam ibi, solùm in materia odiosa concessio sub clausula *ad beneplacitum* expirat morte concedentis. Et hoc idem voluit Calder. *conf.*3. & non reprobat Domin. *hic num.* 13. *&* 14.

23 Et potest hoc confirmari, quia quod gratia concessa à superiore ad beneplacitum expiret morte concedentis, non est ex natura rei; quia gratia in sui existentia, & perseverantia non pendet à voluntate concedentis, nisi quia potest revocari, non quia debeat in suo esse durare. Per mortem verò hæc voluntas revocandi non adest. Nec per hoc gratia fit irrevocabilis, quia poterit revocari per superiorem. Ideò Jo. Calder. *conf.* 3. quem hic sequitur Probus ad Monach. *num.*1. dixit, quod effectus hujus clausulæ est, quòd gratia potest revocari per successorem, quod aliàs non potuisset, stante regula *decet*, *de reg. jur.*

24 Hoc magis confirmatur, ut in priori demonstratur. Nam concessio quæ est ex potestate jurisdictionis Papæ, & imò non est ab illo, nisi ut à Pontifice operante per potestatem à Christo habitam, non est, nec esse potest merè personalis, nec dependet, nec dependere potest à beneplacito merè personali illius individui, quod est mortale, ut est illius individui mortalis beneplacitum, sed est ab illa persona ut est publica, & ut operante per potestatem publicam, & ex voluntate ejus, cujus est publicum inspicere, & custodire; igitur talis concessio est ex persona, ut immortali fictione juris, & indefectibili, quæ licèt intereat in esse physico; manet in potestate, per quam agit, & in finem, per quem agit, & in suo successore perseverat; igitur ex natura rei talis concessio habet, ut duret per potestatem, à qua est per finem propter quem est, donec per eamdem potestatem revocetur.

25 Solùm igitur ex jure positivo est, quod concessio Papæ ad beneplacitum expiret morte Papæ. Hoc verò stante, jam ratio dictat, ut hæc regula verè data in materia odiosa non extendatur ad favorabilia, quæ non sunt contra legem aliquam, vel sunt valdè honesta, & inter favores numeranda.

26 Nihilominus dicendum est etiam, quod non est eadem ratio, nec idem significatum istius clausulæ *ad beneplacitum*, sive *quoadusque voluerimus*, & istius *donec revocaverimus*, sive *quousque aliud per nos fuerit ordinatum*. Nam primò per hanc ultimam clausulam, *& similes*, speciali expressione significatur id, quod est proprius actus officii, & quod est dignitatis, & transiturum propterea in successorem, nimirum ordinare, & disponere circa id, quod melius fuerit judicatum; & ideò sub illa clausula concessio non expirat, sed transit sub dispositione successoris.

27 Sed secundò discrimen est, quia voluntas ad perseverantiam gratiæ concessæ potest esse necessaria dupliciter, vel scilicet, ut illam conservat, vel ut illam non destruat. Causa verò necessaria in conservando destruit si cesset, sed causa à qua effectus non dependet in conservari, non destruit si cesset esse, imò cessando esse magis conservat, & reddit effectum perpetuum, quia non potest amplius illum destruere. Clausula *ad beneplacitum*, vel *donec voluero*, importare potest voluntatem concedentis, ut necessariam in conservando, ut sit sensus donec voluntate mea concessionem in suo vigore conservabo; ideò ad hoc ut concessio ista ad beneplacitum duret, necesse est, ut voluntas non cesset, quia cessante causa conservante, cessat effectus.

28 Sed clausula *donec revocavero*, importat voluntatem non ut conservantem, sed ut destruentem, & ut à qua concessio dependeat solum in destrui per positivum influxum revocationis, & ideò si voluntas extinguitur magis concessio firmatur potiùs, quia jam non potest destrui à voluntate mortui, sed solùm à voluntate successoris.

29 Sed certè clausula *ad beneplacitum*, ex natura rei, & spectata sola significatione sua, licèt possit habere sensum illum, ut importet sub conditione voluntatem, ut positivo morali influxu conservantem concessionem, tamen illum non importat necessariò. Nam donec voluero benè potest habere sensum, ac si dicatur, nisi revocavero voluntate mea. Et ideò clausula est ambigua, & benè contingere potest, quod de mente concedentis habeat sensum secundum, scilicet donec voluero gratiam non durare, qui etiam spectata connaturali significatione est planior. Et tunc concessio sub clausula *ad beneplacitum*, non expirat morte concedentis, quia clausula tunc est eadem, quod ista *donec revocavero*. Et hunc sensum habet extra materiam gratiæ, ut probavi *loco citato num.*31. *pag.*73. Quamobrem quod Pontifex decreverit clausulam hanc *ad beneplacitum* intelligi debere in priori sensu fuit hoc ex lege positiva, & in materia habendi plura beneficia simul, quæ est verè odiosissima, & summè restringenda.

Per mortem verò extingui dicitur voluntas, cùm ipsa sit 30
natura sua immortalis; quia extinguitur quantum ad operationes viæ, cùm jam anima sit in termino, & in alio statu, & cessat in mortuo jurisdictio, unde anima separata licèt vivens non potest ea, quæ sunt jurisdictionis sua voluntate perficere.

Concessio etiam retentionis beneficiorum, ita dicitur ex- 31
pirare, ut eo ipso in puncto mortis Papæ concedentis illa dicantur vacare. Advertit tamen Anchar. *num.* 5. ex Innocent. quod in Ecclesia non numerata, quia in ea non est certus numerus Canonicorum, per mortem Canonici, Canonicatus non dicitur vacare, sed desinere. Unde non valent literæ impetratæ super illo Canonicatu, quasi vacet, quia non vacat, sed desinit. Arbitratur verò Franc. *num.* 10. quod regula ista, scilicet, quod concessum ad beneplacitum per mortem concedentis expirat, sit vera in omnibus casibus, tam favorabilibus, quàm odiosis. Sed Gloss. hic sibi multos textus objiciens, & præcipuè *cap. Majores de Baptismo*, ex quo habetur, quod voluntas Papæ durat, nisi mutata probetur, *& l. ambiguitatem*, *C. de usufructu*. Respondet ad primum, quod id est verum in iis, quæ ad salutem animæ respiciunt; & potuisset addere, quod per obitum voluntas non mutatur, sed cessat in iis, quæ sunt jurisdictionis, & fori hujusmodi.

Ad secundum verò respondet primò, quod lex illa est 32
favor, qui ampliandus est, hic odium, quod est restringendum. Unde mens Gloss. etiam hic est, ut dici possit regulam hanc non verificari, nisi in odiosis. Addit tamen Gloss. verius dici posse, non militare vim dictæ legis, quia redire ad sanam mentem, vel nòn redire, non erat in potestate morientis fatui, sed revocare, vel non revocare gratiam est in potestate morientis. Sed hæc secunda Gloss. responsio, quam veriorem dicit, vere non solvit. Nam conditio, de qua lex illa loquitur non est solus furor, sed quicumque alius eventus contingens, & incertus, & mens ejus est, quod si testator relinquat alicui usumfructum quoad usque filius in furore permanserit, vel in aliis similibus casibus, in quibus eventus incertus sit, si contingat filium mori durante furore, vel alio contingenti eventu, ususfructus duret post mortem filii ad vitam ejus, cui fuit concessus. Et redit rationem, quia cùm possibile fuerit furorem, vel alium eventum, sub cujus conditione relictus fuit ususfructus extendi usque ad mortem usufructuarii humanissimum est, non obstante filii morte usumfructum durare, & ad vitam usufructuarii extendi. Ita dum quis concedit aliquid alicui ad beneplacitum, quia possibile est beneplacitum concedentis extendi ad vitam ejus, cui facta est concessio, rationabile est etiam concessionem extendi, & quod morte beneplacitum non dicatur extingui. Ex quo semper magis manet probatum, quod spectata natura rei, & verborum significatione, concessum ad beneplacitum potius dici debet durare post mortem, & quod dispositio istius textus est specialis lex positiva juxta regulas legis potius restringenda ad materiam odiosam pluralitatis beneficiorum, de qua loquitur.

Sed in secunda regula textus asseritur, quod concessum 33
ad beneplacitum Apostolicæ Sedis per mortem Papæ concedentis non expirat, *cap. Liberti 12. quæst. 2.* Et ratio hujus in textu redditur, quia sedes ipsa non moritur, & sic datur discrimen inter personam Papæ, & Papæ dignitatem, quod persona moritur, nec renascitur, sed dignitas non moritur. Et licèt mortuo Papa nullus sit in Ecclesia, qui Papalem jurisdictionem possit exercere. *Clem. Ne Romani, de elect.* Remanet tamen jurisdictio illa in jure Ecclesiæ, ut Pontifex velut sol iterùm per electionem oriatur. Et ideò dignitas Papalis occidit quasi veluti sol moriente persona Papæ, sed simul oritur novo Pontifice electo, manente semper in Eccle-

Ecclesia jure habendi Pontificem, & Pontificiam potestatem. Et propterea dignitas Papalis dicitur immortalis. Gloss. Jo. Monac. *n.2.* Archid. *num.2.* Jo.And.Dom. *n.3.* & 10. Franc. *n.6.*

34 Est verò hìc considerandum, quando beneplacitum censendum sit esse non personæ Papæ, sed Sedis Apostolicæ. Est autem certum, quod ubi dicitur ad beneplacitum Sedis Apostolicæ est sermo de beneplacito dignitatis, seu Apostolicæ Sedis, sicut est certum, quod ubi dicitur ad beneplacitum nostrum, est sermo de beneplacito personali.

35 Sed si dicatur ad beneplacitum Romani Pontificis quidam existimant intelligi de beneplacito personali. Et eorum ratio est, quia aliter nimis restringeretur prima regula hujus textus. Et quia dicere, quod in eo casu fuit positum nomen proprium Papæ est velle divinare, quod fugiendum est secundùm Gloss. *in l. Filium, quem habentem, C. Fam. her.* Et ita sentiunt Gloss. *in v. Sua.* Anch. *nu.2.* Franc. *n.7.* Barb. *n.9.*

36 Sed certè oppositum est dicendum. Nam plusquam evidens est, quod nomen Romanus Pontifex non significat Innocentium, vel Paulum, vel Alexandrum, vel quamcumque aliam personam determinatè, & quod etiam quatenus est concretum, & ex modo significandi importat suppositum, non significat, nisi habentem Pontificiam dignitatem, quod de se est commune, tam viventi Pontifici, quàm præteritis, & futuris; igitur negari non potest, quod non sit nomen dignitatis licèt sit concretum, non abstractum. Unde concessum sub beneplacito Romani Pontificis non expirat per mortem ejus, qui est Pontifex, ut ex Lap. sentit Dom. *num.12.* & 16. Nec obstat textus iste, sed favet. Nam in prima parte dicit cessare gratiam concessam *ad beneplacitum suæ voluntatis*, non dicit *ad beneplacitum Summi Pontificis*, sed *ad beneplacitum suæ voluntatis*, dictio verò *sua* est personalis, sicut & hujusmodi aliæ meum, tuum. Anch. *num.4.* Dom. *num.12.* Franc. *num.7.* Nec per hoc divinamus, quod in hoc casu Pontifex apposuerit proprium nomen, sed demonstramus, quod apposuerit dictionem quæ respondet dictioni *suæ*, quæ est dictio *mea*, vel in Papa, nostræ, ut dixerit *ad beneplacitum nostræ voluntatis*, vel *ad beneplacitum nostrum*, quod est esse ad beneplacitum suæ voluntatis. Nec per hoc nimis restringitur prima pars, sed explicatur juxta suos terminos, & eorum significationem. Idem verò est, si dicatur ad beneplacitum Papæ, quia idem significant modo ex usu Papa, & Romanus Pontifex.

37 Sed quid si clausula exprimat simul personam, & dignitatem? Domin. *num.16.* variè distinguit. Nam vel utraque exprimitur alternativè, ut dicendo ad beneplacitum nostrum, vel Sedis Apostolicæ, & tunc ex Guil. de Monte Laud. dicit gratiam expirare morte, quia in alternativis sufficit unam partem accipere, *cap. in Alternativis, inf. de reg. jur.* Vel expressio fit copulativè, & tunc si materia, de qua est sermo, consuevit transire ad successorem, ut in officio Pœnitentiarii majoris, gratia non expirat, sed tunc Papa potius respexisse videtur nomen dignitatis. Si verò simus in materia, quæ non solet transire in successorem, vel est indifferens, & tunc si gratia facta est motu proprio, durat post mortem, quia debet fieri interpretatio in favorem ejus, cui concessa est gratia. Si verò non sit facta motu proprio, attendi debet ordo scripturæ. Franc. refert aliorum opiniones, & nihil definit. Sanchez *l.8. de matrim. d. 28. num.60.* ait sibi magis placere opinionem Dominici. Barbosa alios refert *clauf.3. num.6.* Apud quem & Domin. Imola voluit, ut attendatur ordo scripturæ, & quod eorum præcedit. Sed absolutè cum Jo. Andr. *num.6. in fin.* dicendum est in hoc casu gratiam durare, & ratio est, nedum quia, ut habet Hostiens. *cap.1. Quoniam Abbas de off. delegat.* apud Domin. Dignitas est nobilior, & ut talis præferri debet, & attendi, trahit enim ad se personam; sed quia ad hoc, ut gratia non expiret, sufficit, quod in sui perseverantia non dependeat à sola personali voluntate Papæ morituri. Nam effectus, qui ex pluribus causis conservari potest, ad hoc ut duret, sufficit, quod ejus duratio non pendeat necessariò ab illa sola causa, quæ deficere potest, quia si ab illa sola non pendet, ea cessante, & manente alia non est unde effectus cesset, cùm influxus causæ manentis duret. Sic ad hoc, ut gratia non cesset per mortem Pontificis, sufficit, quod ex sola Pontificis personali voluntate non dependeat in conservari. Ex quo verò simul junguntur sive alternativè, sive copulativè beneplacitum personæ Pontificis, & dignitatis, & decernitur, quod gratia duret etiam ad beneplacitum Sedis, jam gratia in suo durare non pendet ex sola personali voluntate concedentis; sed etiam ex voluntate Sedis, quæ durat, & censetur influere in gratiam, ut etiam mortuo Papa duret, nisi gratiam revocet.

Advertit quoque Anchar. *num.4.* quod nomen mutatum in assumptione ad Pontificatum est personale, & sic si aliquis concessisset alicui aliquid duraturum ad beneplacitum Innocentii Decimi, vel si quis appellasset ad Innocentium Decimum, eo mortuo cessaret gratia, & appellatio amplius non haberet locum. Sed neque hoc approbatur quantum ad primam partem. Imò dicitur, quod quando concedens gratiam illam concedit ad beneplacitum alterius, servandum sit dispositum *in l. Ambiguitatem, Cod. de usufructu*, ut si gratia non fuerit revocata per illum tertium ante illius mortem, ex vi mortis illius non censeatur revocata, sed intelligatur durare ad vitam illius, cui fuit concessa, quia sic potuit durare, & non patitur æquitas, ut ideò non censeatur durare, quia mortuus est ille, qui si potuit illam revocare, potuit etiam non revocare, sed illam confirmare. Et sic in eo casu beneplacitum debet explicari per clausulam *nisi gratia fuerit revocata*. 38

Quantum etiam ad secundam partem de appellatione contrarium tenet Dom. *num. 12.* allegans Rotam *concl. 44.* addens quod ad hoc facit, quod notat Lap. dicens, quod potius debemus considerare materiam, in qua profertur nomen Papæ, ut videatur an respiciat dignitatem, vel personam, & facit text. & Gloss. *in cap. Dilect. de foro compet.* ubi dispositio facta sub nomine proprio transit ad successorem, quando materia est prorogabilis tantùm dignitati. Sed ego addo, quod appellatio non potest fieri ad personam, ut est talis persona morti subjecta, sed ut est judex superior, & propterea ratione dignitatis, quam primò, & formaliter considerat, qui appellat. Et ideò nisi appellans expresè limitet se ad personam, censendus est primò inspicere dignitatem Papæ dum appellat, licèt nominet proprio nomine Papam, & Papatus non faciat mentionem. 39

Sed videndum restat, an regula ista, quæ est verissima in Papa, sit universaliter vera, ut concessum à dignitate non expiret morte concedentis. Distinguit autem quæst. Anch. *num.6.* vel ex parte disponentis, vel ex parte ejus pro quo disponitur. In hoc secundo sensu quæstio est, an concessum alicui ratione dignitatis transeat in successorem. Sed quia hæc non est nostra quæstio, & casus in hoc sensu decernitur *in cap. Quoniam Abbas, sup. de off. Deleg.* ubi in sensu affirmativo quæstio decernitur ibi videri possunt, quæ ad ejus intelligentiam faciunt. In primo verò sensu loquendo ex parte disponentis, an universaliter sit verum, quod concessum sub beneplacito dignitatis non cesset morte concedentis, sed duret, nisi revocetur à Successore; dicitur quod in gratiosis universalissimè verum est, quod gratia concessa ad beneplacitum dignitatis non expirat morte concedentis, sed est perpetua, nisi revocetur à successore, ut tenent communiter Gloss. hic, *ad v. Apostolicæ Sedis*, & alii interpretes omnes. Hoc tamen limitat Franc. *n.13.* ut intelligatur de dignitate immortali; quia ideò non cessat gratia, quia dignitas non extinguitur mortua persona. Sed ubi dignitas extinguitur, ut extinguitur dignitas Legati, vel officium delegati; concessum à legato ad beneplacitum morte ejus, vel terminatione officii expirat, quia dignitas extinguitur. Concessum tamen simpliciter à Legato, vel Vicario durat, quia gratia simpliciter concessa durat, nisi revocetur. Hæc tamen limitatio intelligi debet juxta dicenda paulo inferius. 40

Quid verò dicendum sit in commissionibus, & præceptis, alibi tractandum est. Videri potest Anchar. *hic nu. 6.* Hoc quoque considerandum quod in sententiis licèt pœnalibus locum habent hujusmodi duæ regulæ. Ut si v. g. judex damnet reum in exilium ad sui beneplacitum, vel cum clausula *donec voluero*, morte judicis cesset exilium. Sumus enim in odiosis, & cessante voluntate, cessat pœna sub conditione voluntatis lata. Anchar. *n.6.* Sed si è contra judex dicat esto in exilium donec revocavero, exilium non cessat ex judicis morte, sed Successoris erit decernere, ut vult Anchar. *d.n.6.* 41

Sed & videndum, an sit eadem ratio de morte, & cessatione officii, vel ex impedimento naturali, puta furoris, 42

vel

vel ex impedimento morali; puta excommunicationis, vel ex temporalitate officii, ut quis officium non durat, nisi ad triennium. Quantum ad secundam regulam non est discrimen, ubi tamen dignitas durat; quia ubi dignitas non moritur concessum ad beneplacitum non potest morte naturali, vel civili cessare, non cessante dignitate.

43 Hoc tamen non procedit eodem modo in prima regula. Nam ubi officium cessat omnino in tali persona concedente, eadem videtur ratio mortis civilis, & naturalis, quia perinde est, ac persona illa esset mortua, in ordine ad ea, quæ spectant ad officium, quando jam persona officium terminavit, vel per cessationem, vel quia officium est temporale. Et ideò concessum ad beneplacitum personæ cessare videtur persona, sic civiliter moriente omnino. Et ita tenet Franc. *n.* 11. & apud eum Bald.

44 Sed oppositum voluit Calder. *cons.* 3. Et ad istum textum respondet, quod loquitur in odiosis. Sed & Domin. *num.* 13. ait textum posse interpretari, ut loquatur solùm de morte naturali. Etenim nec mors civilis æquiparatur naturali, nisi in casibus expressis, ut not. *cap. sequent.* Et interroganti, quid ergo operantur ista verba *ad beneplacitum*? Respondebitur, quod gratia potest revocari à Successore, quod non potuisset aliter fieri stante *regul. Decet infr. de reg. juris*. Quamobrem si Rector Provinciæ institutus à Papa substituat aliquem ad sui beneplacitum finito officio Rectoratus, adhuc substituti officium durat. Et à simili si Rector Provinciæ habeat specialiter, in mandatis à Papa, ut possit substituere unum in officio Thesaurariæ, & ipsum substituit donec illum revocaret, mortuo Rectore, ille posset exercere officium. Quia videtur substitutus à Papa, & sic non obstat hic textus, quia non est mortuus, qui principaliter substituit, & cujus vices principaliter ipse gerit. Et ita de mente Federic. de Senis *cons.* 257. *aliàs* 252. sentit Dom. *n.* 14.

45 Mihi distinguendum videtur, quia eorum, quæ conceduntur, quædam sunt, quæ in conservatione dependent à vita vel naturali, vel morali instituentis, sicuti sunt delegati, ut Vicarius Episcopi, cujus officium morte Episcopi expirat, ut praxis probat, & advertit Dom. *inf. cap.* 1. *num.* 6. *de off. Vicarii*. Imò Episcopo existente excommunicato suspenditur jurisdictio Vicarii, ut per DD. quos cumularat Barbos. *d. cap.* 1. *num.* 10. Et in istis quia existentia jurisdictionis, aut rei concessæ dependet in sui duratione à perseverantia vitæ, vel naturalis, vel civilis ipsius concedentis; ita quod hujusmodi etiam si sint concessa simpliciter mortuo, vel amoto ab officio concedente expirant, multò magis cessant per mortem præfatam, si sint concessa ad beneplacitum. Quamobrem si substituti, de quibus citati DD. loquuntur sunt de horum genere, quorum vita à vita concedentis dependet, certum est, quod Rectoribus instituentibus mortuis, vel amotis ab officio, expirat illorum substitutorum officium, illis concessum ad beneplacitum instituentis.

46 Sed loquendo de illis rebus, quas superiores officiales possunt concedere, ut duraturas independenter à vita concedentis, si concedantur simpliciter, tunc in sententia eorum, qui dicunt regulam hujus textus verificari in solis odiosis, an concessum ad beneplacitum duret mortuo, vel amoto ab officio concedente, erit res ambigua, & ex circumstantiis judicanda. In dubio tamen potiùs dicendum erit, quod res concessæ non expirent, nedum quia sumus in favorabilibus, sed quia in obscuris minimum est accipiendum juxta regulam *in obscuris* 31. *inf. de reg. jur.* Et quia de benignitate, & liberalitate concedentis est præsumendum, quod intenderit, quod sibi sufficiebat, ut concessum posset revocare, absque eo quod voluerit ipso moriente ex hoc solo simul cum sua vita liberaliter, & justa causa donatum expirare, maximè si justa causa duret, & petat gratiam concessam durare.

Sed in sententia, quæ vult regulam hanc habere locum etiam in favorabilibus, longè verius est asserere, quod hic textus non loquatur de morte civili, sed solùm de morte naturali, quia mors civilis est mors impropriè, & analogicè, & non apparet ratio, propter quam debeamus trahere hanc regulam ad sensus analogicos, & improprios. Unde absolutè dicendum erit, quod res ista ambigua sit, & juxta arbitrium prudentis judicanda, & quod in dubio saltem in favorabilibus clausula *ad beneplacitum* potius intelligatur, ut sit eadem cum ista *donec revocavero*, quando Papa inferiores Prælati aliquid ad beneplacitum concedunt. 47

Ex iis potest ferri judicium de limitatione suprà *num.* 40. posita ex Franc. Videtur enim limitatio omnino admittenda, quia ubi dignitas extinguitur, ut v. g. extinguitur officium Legati extraordinarii, cui nullus succedit in officio terminato, cessat omnino & officium, & dignitas, & beneplacitum, & ita cessat, quod nec potest revocare amplius; etiam si velit. Verùm dicendum est, quod hoc procedit à vita dignitatis, & officii. Hæ enim sine dubio cessant cessante officio, etiam si essent concessæ simpliciter. Et respectu harum rerum clausula *ad beneplacitum* respicit tempus officii, sicut & clausula *donec revocavero*, quia aliàs finito officio talium rerum concessio expirat, vita officii cessante. Sed respectu illarum rerum, quæ Legatus, vel similis potest concedere simpliciter, ut duraturas etiam finito officio, benè potest dici, quod non cessent cessante officio, aut dignitate. Nec obstat iste textus, qui non loquitur, nisi de concessionibus factis à Papa, nec debet extendi ad casus diversos. Et quia in istis officialibus, clausula *ad beneplacitum nostrum*, & *ad beneplacitum dignitatis*, ferè in idem coincidunt, & omnes etiam istæ clausulæ *donec revocavero*, vel *aliter fuerit ordinatum*, respiciunt solùm tempus officii, ut sit sensus, si in tempore officii voluero, revocare, vel aliter ordinare, unde si tempore officii non revocet, signum forsan est, quod non vult revocare, & concessum sub conditione transit in concessum simpliciter non posita conditione, quando erat ponenda. Et sic etiam in hoc casu res est ambigua, & judicanda juxta prædicta. 48

At verò quid dicendum de alio genere mortis, per quod habens officium nec omnino civiliter moritur, sed impeditur, vel naturaliter, ut per fatuitatem, vel moraliter, ut per excommunicationem; sicut nec officium omnino cessat, sed remanet in habitu, & taliter, quod cessante impedimento redit etiam usus jurisdictionis: ita neque hæc imperfecta mors æquiparatur morti naturali in hoc, sed in gratia ad beneplacitum talis dignitatis concessa, non obstante furore, vel excommunicatione, aut alio simili impedimento concedentis durat. Quamvis in aliquibus casibus, ut dictum est suprà de Vicario Episcopi, gratia concessa etiam absolutè suspendatur. 49

Notandum quoque est ex fine hujus textus, quod odiosa restringi debent. Plurium verò beneficiorum concessio est odiosa, quia sapit ambitione ea velle. 50

Item notandum, quod Papa per concessionem retentionis beneficiorum non intendit concedere injustè, aut nulliter, aut simoniacè obtenta. Ex quò habetur regula, quod generalis concessio, vel confirmatio, aut dispensatio non se extendit ad illicitè obtenta. Gloss. Anchar. *n.* 6. Domin. *n.* 6. Franc. *n.* 4. 51

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VI.

Susceptum ab Apostolica sede mandatum, ut ab aliquo beneficii (quod obtinet) resignatione recepta, ipsum alteri conferas & assignes: adimplere non potes, si ille antequam resignet, rebus eximatur humanis: cùm non per resignationem vacaverit, sed per mortem: nisi de intentione mandantis aliud appareret expresse. Si duo super eodem beneficio litteras impetrent: primo eorum, per illius obitum, qui tenebat; secundo verò per cessionem ejusdem ipsum proponente vacare. Secundus, cùm beneficium ipsum cessione non morte vacaverit, debet primo in ipsius assecutione præferri.

SVMMARIVM.

1 *Occasio condendi hanc decretalem.*
2 *Dua regula Textus.*
3 *Legatus non potest committere cuicumque, ut beneficiorum resignatione acceptata ea conferat.*
4 *Dictio* alteri *intelligitur sive expresso, sive non expresso.*
5 *Conferre, & assignare differunt.*
6 *In rescriptis ad beneficia strictissima fit interpretatio.*
Non expressum est omissum.
7 *Qualiter hoc sit verum.*
8 *Beneficium ab alio possessum non confertur alteri, nisi ille renunciet.*
Renunciatio non valet, nisi acceptata.
9 *Mortuus dici potest abesse, non verò renunciasse.*
10 *Vacatio per resignationem, & per mortem differunt.*
11 *Clausula* dum non vacent *per mortem utilis.*
12 *Intentio prafertur verbis, si de illa constat.*
13 *Intentio Papa potest probari per testes.*
14 *Clausula* sive quocumque modo vacantia *exprimit intentionem Papa.*
15 *Impetrans secundò, prafertur primo, in casu hujus textus.*
16 *Vacationem per mortem, & per resignationem in aliquo aquiparantur.*
17 *Mors civilis aliquando aquiparatur naturali.*
Falsitas expressionis temporis vitiat rescriptum.
18 *Regula qui prior est in tempore, &c. explicatur.*

1 Hanc decretalem emanasse ad declarationem eorum, quæ habet Host. *suprà cap. Ex parte* 1. *de off. Deleg.* advertit Gloss.

2 Duas autem partes, seu regulas continet. Prima est, quod susceptum ab Apostolica Sede mandatum de conferendo alicui beneficio, resignatione ejus ab eo, qui illud possidet, acceptata, non potest adimpleri, si beneficiatus prius moriatur, quàm resignet, cùm beneficium vacaverit per mortem, non verò per resignationem. Nisi tamen aliud de intentione expressa Pontificis mandantis appareat. Secunda regula est. Si duo impetrent beneficium, unus scilicet illorum primus per mortem, & alius secundus per cessionem, & beneficium verè vacavit per cessionem, hic secundus debet primo præferri.

3 Primam verò regulam procedere putat Glossa etiam, si mandatum sit susceptum à Legato, id ex speciali commissione Papæ ordinante. Nam aliàs nec Legatus ipse potest cuicumque concedere, ut ab his, qui beneficia infra legationem ejus habentes, ea in illius manibus voluerint liberè resignare, eorum resignatione recepta, illa valeat idoneis conferre personis, *cap. Deliberatione*, §. *prohibemus inf. de off. leg.* Et sic licèt Legatus possit beneficii resignationem recipere, & postea illud beneficium vacans conferre, hanc tamen commissionem non potest facere, ut notat Gloss. ibi *in v. cuicumque.*

4 Potest autem facere Pontifex, & dum datur mandatum de acceptanda renunciatione beneficii, & conferendo, illud alteri, non interest, an ille alter sit expressus, vel non expressus, ut Gloss. habet, quamvis interdum inter illos sit differentia, *cap. Si is, cui, infr. de off. deleg. & cap. Is, cui, infr. de Praben.*

Quod conferre autem & assignare differant, colligunt ex hoc textu Domin. *nu.* 2. & Franc. *nu.* 2. quamvis aliquando unum pro alio sumatur, ut *cap. Inter dilectos, sup. de excess. Pralat. in fin.* Addit verò Dom. quod assignare aliquando est idem, quod investire. 5

Sed quare sub vacatione per resignationem non potest comprehendi vacatio per mortem, cùm in priori casu facilius, vel saltem æquè facilè Pontifex concederet? ratio est, quia in rescriptis ad beneficia, quando gratiæ adjungitur qualitas taxativa, limitat gratiam ad rem qualitate illa affectam, ac proinde si illa non afficiatur, deficit gratia ex defectu voluntatis concedentis. Sanchez *de matrim. l.* 8. *disp.* 21. *num.* 35. & 36. quem sequitur Barbos. *hic num.* 6. In rescriptis enim ad beneficia strictissima debet fieri interpretatio, *cap. Quamvis* 1. *infr. de Prab.* Gloss. *hic in v. Humanis.* Domin. *num.* 6. Franc. *num.* 3. Ubi verò fieri debet stricta interpretatio, unum non accipitur pro alio, & quod non est expressum censendum est esse omissum. Quamobrem dum concessum fuit alicui, ut possit beneficium sibi resignatum alteri conferre, non potest eidem conferre beneficium, quod vacavit per mortem. 6

Circa verò hanc propositionem, quòd non expressum, censetur omissum, advertendum, quod debet intelligi de illo, quod nec formaliter, nec virtualiter est expressum. Ideò quod pro expresso habendum sit, quod ex expresso deducitur per locum à contrario sensu, dicunt aliqui. Et Anchar. *num.* 2. addit non censeri omissum, quod sub expresso ex identitate rationis potest contineri impropriando verba. Sed nec argumentum à contrario sensu semper valet. Nec licet impropriare verba legis, nisi ex necessitate aliqua; nec finis legislatoris ultra casum expressum se extendit, nisi ad ea, quæ per se ex casu expresso consequuntur. 7

Colligitur tamen ex hac regula, quod ad hoc, ut beneficium possessum ab aliquo alteri conferratur, necesse est, ut præcedat illius resignatio, & quod ista ab habente ad id facultatem sit recepta, aliter recipiens beneficium pateretur pœnam, de qua in *cap.* 1. *sup. de conceß. Prabend.* Renunciatio verò non potest fieri animo solo, vel etiam corpore, sed debet esse acceptata, ut notat Anch. *num.* 1. 8

Plura autem ex hoc textu notanda exhibentur, & quidem primò, quod mortuus dici potest abesse, ut habetur infra, *cap. Si delegatus, de off. deleg.* Sed non potest dici renunciasse, ut notat Gloss. quia etiam coactus abesse potest, & ille abest, qui non est in loco, ubicumque postea sit, quia non interest absentiæ à loco, an absens sit alibi in hoc, vel illo loco, & an sit ibi voluntarius, vel coactus, & id mortuus abest, cùm in loco amplius non sit. Sed non potest dici, quod renunciaverit, quia renunciatio beneficii est spontanea dimissio illius in manibus superioris, quam non facit moriens, qui volens, nolens, simul cum vita relinquit beneficium. 9

Hinc constat modum vacantiæ beneficii per resignationem esse valdè diversum à modo vacantiæ illius per mortem. Gloss. *not.* 1. & *v. Susceptum.* Puteus *decis.* 49. *par.* 2. *in antiq.* 10

Notandum secundò, quod meritò Jo. Andr. *in princip.* commendat stylum Curiæ, quæ dum committit conferri beneficia ab aliquo possessa, seu alicujus viventis, ponit clau- 11

clausulam, ut conferantur, si vacaverint alio modo, quam per mortem. Est enim hæc bona provisio contra mortem violentam. Forsan enim conspiraretur in mortem resignare volentis, ut citius, & securius obtinerentur beneficia.

12 Notandum tertiò ex Jo. Andr. *n.* 1. quod intentio præfertur verbis, ex quo de illa constat: aliàs verò statur verbis, *c. Sedulo* 35. *dist. cap. Is autem* 32. *q.* 2. *& cap. humana aures* 32. *quæst.* 5. *& cap. Præterea, de verb. signific. & l. Non aliter, ff. de leg.* 3. Sed difficilè est, quod de intentione constet aliter, quam per verba.

13 Ex hoc nihilominus textus colligitur, maximè præfata Jo. Andr. intelligentia supposita, de intentione Papæ posse aliter, quam per verba constare, eamque posse testibus probari, ut affirmat hic Franc. *n.* 4.

14 Notandum quartò, quod tunc apparebit expressè de intentione Papæ concedentis, ut suus delegatus posset conferre beneficia, nedum per resignationem, sed etiam per mortem vacantia, si id, vel verbis specialibus expresserit, vel saltem per clausulam generalem, *sive quocumque modo vacantia*. Gloss. hic. Et ad hoc facit *cap.* 2. *de Rescript. & cap. Si motu proprio, inf. de Præbend.*

15 Notandum quintò, quod hic habetur unus ex casibus, in quo secundus impetrans beneficium præfertur primo. Cæteri similes casus videri possunt infrà in Gloss. *cap. Quia sæpè, de Præbend. in fin.* Rationem verò hujus reddit Gloss. quia secundus verum dixit, primus verò non. Sed hæc ratio non probat, quia potest esse, quod primus nullo modo fuerit mendax, & quod verè beneficiatus voluerit renunciare, & sub hac spe ipse impetrans abstinuerit committi collationem beneficii sibi faciendam obtenta resignatione, & quod interim beneficiatus morte præventus non potuerit renunciare. Sed ratio est, quam reddit Domin. *num.* 5. Quia nimirum, ut dicitur hic in textu, commissarius Papæ, seu delegatus non potest amplius exequi mandatum, nec potest conferre beneficium vacans per mortem ex vi rescripti committentis conferri beneficium, si vacaverit per renunciationem. Unde etiam si secundus illud beneficium non impetrasset, adhuc ille primus beneficium obtinere non posset.

16 Notandum sextò, vacationem per cessionem, & per mortem æquiparari, ut notat hic Barbos. *n.* 16. ex Flamin. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 4. *& q.* 6. *nu.* 15. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell.* §. *Proœm. num.* 25. Sed cùm hoc possit esse verum quantum ad aliqua, simpliciter loquendo eas esse valdè diversas habetur ex hoc textu.

17 Notandum 7. quod textus proculdubio intelligitur de morte naturali, quæ ut videbitur, nisi aliquando æquiparatur morti civili. Ideò si in literis Apostolicis continetur clausula, *si sibi constiterit*, quod decesserit tali tempore, & postea constiterit eundem alio tempore decessisse, literæ non poterunt exequi secundùm Bald. quem sequitur Franc. *num.* 7. cùm etiam limitatio temporis arctet, arg. *l. Potest quis, ff. de Hær. inst.*

18 Notandum octavò, quod hic limitatur regula, quæ dicit: *Qui prior est in tempore, potior est in jure*. Quam non procedere tunc, cùm utriusque non est par causa, sed potior est posterioris, tradit Gloss. ut patet in hoc text. *& cap. Hi qui, infr. de Præbend. & l. Si à sede ff. de privileg. & l. Privilegia, C. qui pot. in privileg.* Sed hic nedum est potior causa posterioris, sed est unica. Cùm prior nullum jam habeat jus, cùm literæ ad favorem illius datæ non possint exequi, ut dicitur in textu.

Unica est hic quæstio circa intelligentiam textus.

S V M M A R I V M.

19 *Ratio difficultatis.*
20 *Mortem civilem æquiparari morti naturali, distinctione aliqui explicant.*
21 *Mors civilis non æquiparatur naturali, nisi in casibus in jure expressis.*
22 *Renunciatio hic non venit sub nomine mortis.*
23 *Nomen analogum simpliciter dicitur de primo.*

Quæst. unicæ

ARTICULUS I.

Vtrùm mors civilis æquiparetur morti naturali.

Huic difficultati occasionem dat, quod advertit Gloss. *in v. Non morte*. Nam renuncians, inquit, quoad Ecclesiam habetur pro mortuo, *cap. Cùm apibus*, §. *Ecce in quibus*, 7. *quæst.* 1. Sicut & vir ab uxore judicio Ecclesiæ separatus, quantum ad ipsam pro mortuo reputatur mundo, *cap. Placuit* 16. *q.* 1. Videtur igitur quod beneficium, quod vacat ex renunciatione vacet per mortem, quia renuncians pro mortuo habetur. Et sic mors ista civilis videtur æquiparari morti naturali. 19

Dominicus hic *num.* 9. pluribus distinctionibus non necessariis quæstionem solvere nititur ex Anton. de Butr. *in cap. licet de off. Deleg.* sic dicens: Aut verbum mors profertur à jure, & tunc si jus exprimit, de qua morte intelligatur illud servandum est, ut patet *infr. cap. pen. de supp'end. neg. Præl.* Sed si jus non exprimit, aut sumus in materia stricta, & exorbitante à jure communi, & tunc strictè intelligitur de morte naturali, ut hic, & *l.* 1. §. *Hæc verba, ff. de neg. gest.* & ibi Gloss. & Bart. Aut jus non est strictum, & sic extendibile per identitatem rationis, & tunc aut mors civilis habet per omnia eundem effectum, quem habet mors naturalis quo ad id, de quo agitur, & tunc æquiparatur civili, & ita procedere potest, *cap. Placuit*, 16. *quæst.* 1. Aut mors civilis non habet per omnia eundem effectum, quem habet mors naturalis, quoad id, de quo agitur, & tunc non æquiparatur naturali, ut dicit hic Gloss. *in ver. Humanis*, & Gloss. *in d. cap. licet, de off. Deleg.* In secundò autem casu principali, quando nomen mors profertur ab homine, si sumus in materia odiosa, intelligitur de naturali, aut profertur in materia larga, & favorabili, & tunc si sumus certi de intentione loquentis illa est servanda. In dubio autem intelligi debet, de morte naturali. Ita Dom. quem sequitur Silvestr. *v. Mors*, *n.* 3. 20

Sed absolutè respondetur, quod in jure mors civilis nunquam æquiparatur morti naturali, nisi in casibus in eodem jure expressis, *l. Ex parte* §. *in insulam, ff. de verb. oblig. & l. Sed si mors*, §. *Cùm autem, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Gloss. *hic in v. In morte*. Archid. *num.* 3. Jo. Andr. *num.* 4. Anch. *num.* 4. Franc. *num.* 16. Barbosa quamplures DD. modernos referens *num.* 16. & iterùm Jo. Andr. *in cap. Cùm sit, sup. de convers. conjug.* & videri possunt Bartol. *in l.* 3. §. *Hæc verba, ff. de neg. gest.* Bald. *in l. fin. C. de Episc. & Cler. & in Authent. Si qua mulier, Cod. de sacros. Eccles.* Et ratio est, quia mors civilis non est mors, nisi metaphoricè, & figuratè, & sic impropriè, & analogicè. At verò metaphora non æquiparatur ei, de quo nomen propriè dicitur; sed illi solùm secundùm quid assimilatur, ut per D. Th. *p. p. qu.* 1. *art.* 9. 21

Sic ergo in præsenti licèt renunciatio sit quædam mors civilis, & metaphoricè dicta, eam jus non intelligit sub nomine mortis absolutè prolato. Nam verba, quæ possunt accipi secundùm intellectum naturalem, in dubio potius naturaliter, quàm civiliter debent intelligi. Gloss. *in v. in morte*. Dom. *num.* 3. *&* 8. Barbos. *num.* 18. & apud eum Tiraquel. & Ricciull. 22

Extra jus verò hoc etiam est certum, quod verba analogicè significantia, si proferuntur absolutè, & simpliciter intelliguntur de primo, de quo propriè dicuntur tam in scientiis, & artibus, quàm in sermone communi, & ita hoc nomen mors naturalem significat, & nisi aliundè appareat loquentem uti metaphora, intelligendus est, ut loquatur de morte naturali. 23

S V M M A R I V M.

24 *Mentem non verba attendi debere dixerunt aliqui.*
25 *In rescriptis non est recedendum à verborum proprietate.*
26 *Nisi ubi constat de intentione loquentis.*
Impropria locutio redundat in defectum loquentis; nec præsumitur in legislatore.
27 *Ad vitandum absurdum, receditur à proprietate.*
In lege non receditur à proprietate ad vitandam contrarieta-

rietatem, vel præjudicium tertii non injustum, si lex est certa scientia.
28 *Rescriptorum verba propriè, & strictè intelligenda.*
29 *Intentio legislatoris colligenda ex verbis.*

ARTICULUS II.

An in rescriptis recedere liceat à verborum proprietate.

24 GOffred. *in sum.* quem refert hic Arch. voluit, quod in privilegiis, & rescriptis potius mens rescribentis attendenda sit, quàm verba consideranda. Fundatur verò in *cap. super eo inf. de off. Deleg.* & *cap. Quanto, cap. In his, & cap. Ex multiplici, de privil.* Nam quamvis verba privilegiorum consideranda sint, ut *cap. porro, cap. accepimus, inf. de privil.* Plus tamen est mens consideranda, *l. scire, ff. de leg. cap. Marchion. 1. quæst. 1. cap. Humanæ 22. quæst. 5. & cap. Intelligentia, infr. de verbor. signific.* Plerumque enim dum proprietas verborum attenditur, veritatis sensus amittitur, *inf. de verbor. significat.* Et idem quoque est in testamentis, quia mens est prior, & potentior est, quàm vox, *l. Labeo, ff. de suppell. leg.*

25 Sed his non obstantibus dicitur, quòd in rescriptis non est recedendum à propria significatione verborum, ut hìc habet Archid. *num. 1.* Probatur autem primò *ex cap. Ad audientiam, de Decimis*, ubi cùm aliqui pro laboribus novalia intelligerent, eos reprehendens Hon. III. ait: *Mandamus, quatenus non permittatis hoc fieri, nam si intelligeremus tamtummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus.* Cùm enim Pontifices non loquantur ad subditos decipiendos, sed ad manifestandam sincerè mentem suam, juxta regulam S. August. *cap. Is autem 22. qu. 2.* Cùmque ad sincerè manifestandam mentem suam, opus sit loquentem relictis ambiguis vocibus, & æquivocis, verbis uti in ea significatione, in qua communi usu accipiuntur *l. Librorum, §. quod*, ubi Bart. *de leg. 3.* & clariùs *l. Labeo, §. Servius, de supellet. leg.* ibi: *Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere*, & infra. *Non videri quemquam dixisse, cujus non suo nomine usus sit. Nam etsi prior, atque potentior est, quam vox, mens dicentis, tamen nemo sine voce dixisse existimatur.* Et ita communiter tenent Card. Mant. *de conject. ult. volunt. lib. 3. tit. 8. n. 1.* Surdus *cons. 313. num. 87. & cons. 459. num. 19.* Anton. à Sousa *super Bulla Cœnæ cap. 2. num. 4. & cap. 6. d. 39. num. 3. & cap. 7. num. 5.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 11. num. 68. & gloss. 13. num. 62.* Grat. *discept. forens. cap. 79. num. 29.* Vulgaris enim appellatio pro lege habetur. Gonz. *d. Gloss. 11. num. 69.* Barbos. *claus. 222. num. 7.* alios referens. Ea verò est propria verborum significatio, quam ex communi usu, & impositione habent; & in hac verba prolata intelligi debent, ut ex *d. l. Labeo, & l. Non aliter, ff. de leg. 3.* ibi: *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliter sensisse testatorem.*

26 Et licèt ut dicitur in hac lege à propria significatione recedendum sit, ubi constat de intentione testatoris, considerandum est, quod ambigua, æquivoca, aut impropria locutio redundat in defectum loquentis, qui vel proprietatem loquendi ignoravit, vel forsan decipere voluit. Ideò in testamentis, quæ fiunt sæpè à personis rudibus, & ignorantibus rerum nomina propria, & nescientibus exprimere satis clarè suos conceptus, facilius potest recedi à propria significatione, sed non ita in lege, quæ non fit sive magna maturitate à legislatore, qui præsumi debet loquendi peritus; & eo magis, quod non nisi consilio doctissimorum virorum leges dictari solent. Et eo magis in Pontificibus, qui & scientia præstant, & ministris doctissimis utuntur, & de quibus, nec fas est imaginari, quod obscuritatem, aut improprietatem affectaverint, ne leges eorum intelligerentur, vel quod ex imperitia loquendi id fecerint.

27 Sic quidem etiam verum est, quod ad vitandum aliquod absurdum, quod sequeretur, si verba in sua proprietate sumerentur, opus sit aliquando impropriare verba; tamen ubi est hæc necessitas arguitur legislator vitii, & imperitiæ in loquendo & necessitas cogit, ut aliud intelligatur, quam legatur, unde nisi adsit clarè hæc necessitas, non licèt uti hac licentia. Et quamvis dicant aliqui impropriandа esse verba, quando natura rei repugnat verbis, vel ad tollendam contrarietatem, vel ut non tollatur jus tertii. Nihilominus hæc reducuntur ad causam jam dictam, scilicet ad absurditatem, & irrationabilitatem sensus: vel vera sunt extra legem, ubi sæpissimè qui loquuntur sunt imperiti, & nescientes loqui, vel dictorum antea memoriam non habentes. Sed in lege, si præjudicium tertii non contineat injustitiam, & aliàs præsumi non possit in legislatore ignorantia probabilis, sed constat, quod rescribit ex certa scientia, non licet, ut vitetur tertii præjudicium impropriare legem, quia in eo casu sine injustitia potius legislator præjudicare tertiò censendus est voluisse, si verbis in proprietate sermonis sumptis significavit, se id velle. Aliter nihil prorsus esset constans in legibus, sed eas unusquisque intelligeret prout vellet. Sic nec ad vitandam contrarietatem legum legis posterioris impropriandа sunt verba, sed censendum est legem priorem abrogari, ut probatum est suprà *cap. Licèt 1. de constit. art. 7. num. 125.* Neque enim in Summo Pontifice præcipuè præsumi potest, vel loquendi imperitia, vel obscuritatis, & ambiguitatis, ne dicam deceptionis affectio, sed Pontifices sicut loquuntur, sic intelligi volunt, ut eorum verba in ea significatione accipiantur, quæ propria est, & communi usu comprobata, ut si dicunt laboribus, non intelligatur eos dixisse noctalibus, ut benè Honorius III. *in d. c. Ad audientiam* significavit.

Sed hoc præcipuè verum est in rescriptis ad beneficia, quæ censentur esse in materia odiosa, & similiter in omnibus rescriptis, quæ sunt in materia pœnali, aut stricti juris, in quibus nedum non licèt impropriare verba, sed servata verborum proprietate adhuc in strictiori significatione accipi debent. Rescripta autem ad beneficia esse strictissimi juris dverte runt hic Gloss. *in v. Humanis, & in v. In morte*, & Domin. *num. 6.* Franc. *num. 3.* Unde in rescriptis, nihil aliud est intelligendum, quam quod est expressum, & omne aliud censendum est ex intentione omissum. Dom. *num. 5.* Franc. *num. 3.* Jo. And. *num. 3.* ubi & hoc dicit verum esse, & in testamentis, & in Canone, allegans ad hoc *cap. 2. vers. Præsertim, de translat. & cap. Dilectus, de temp. ordin. cap. Is qui, infr. de sent. excomm. & Clem. ne Romani, de elect.* & plura alia jura. 28

Nec obstant jura allata à Goff. quia cùm verissimum sit principaliter inspiciendam mentem legislatoris, ut jura citata probant. Tamen ut advertit Jurisconsultus *in d. l. Labeo*, mentem legislatoris colligimus ex ejus verbis, quæ nos in ea significatione accipere debemus, quæ tamquam propria est ex usu communi probata. Nam audientes, & legentes ita verba solent accipere, & intelligere. Ideò nisi necessitas cogat, non debemus in alio sensu verba rescriptorum accipere. Et præcipuè rescriptum beneficiale non debet extendi de propria ad impropriam significationem. Dom. *n. 7.* 29

SVMMARIVM.

30 *Impetrantem debere exprimere modum vacantia.*
31 *Oppositum alii sentiunt.*
32 *Expressio modi vacationis non veri, vitiat rescriptum.*
Vnus modus vacationis non continet alium.
33 *Sufficit si exprimatur modus putatus, si alius non exprimat modum verum.*
34 *Quid in acceptationibus.*
35 *Quid in executore.*
36 *Quid in expectativis.*
37 *Qui in una specie vacationis se fundat, eam probare debet.*
38 *Acceptanti sufficit probare beneficium vacasse ante acceptationem.*
39 *Non est absolutè necessarium impetrantem exprimere modum vacationis.*
Decretum electionis non est de substantia electionis.
40 *Nec in rescriptis, nec in lege positiva datur extensio de casu ad casum.*

ARTI-

ARTICULUS III.

Utrum impetrans beneficium teneatur exprimere modum, per quem beneficium vacavit.

30 AFfirmantem partem tenuit hic Lap. se fundans in hoc, quod etiam in decreto electionis debet exprimi modus, per quem vacavit dignitas, ad quam electus fuit nominatus secundùm Jo. Andr. & Hostiens. *in cap. Post translat. in princip. supr. de renunc.*

31 Oppositum sentiunt Jo. de Fao. Domin. *num.* 7. Franc. *num.* 10. ex opposito principio, negant enim, quod decretum electionis sit de substantia electionis per Jo. And. *in cap. Innotuit sup. de elect.*

32 In hac difficultate hoc est certum primò, quod si impetrans exprimit modum aliquem, & non exprimit verum, sed falsum, literæ impetratæ sunt nullæ, & nulla collatio. Gloss. *not.* 2. Domin. *num.* 4. Franc. *num.* 3. unde advertit Dom. subreptionem in beneficialibus vitiare rescriptum. Nam unus modus vacationis beneficii non continet alios, ideò si per literas confertur beneficium uno modo expresso, si beneficium vacat alio modo literæ non possunt executioni mandari, & collatio, si fiat, nulliter fit. Franc. *num.* 3. *&* 10. post Rotam in *decis.* 219. *seu* 7. *de concess. Præben. in nov.* Sic enim modus vacationis per renunciationem non continet modum vacationis per mortem, ut notat Franc. *n.* 3. Unde si vacat beneficium per matrimonium, quod non sufficiat impetranti probare sponsalia de futuro, vel quod per renunciationem vacaverit, probat Rota *decis.* 26. *seu* 1. *de Cler. conjug. & decis.* 338. *seu* 22. *de concess. præb. in nov.* In literis enim ad beneficia strictè observatur regula, ut quod non est expressum censeatur omissum, & sic quod expressum intelligatur taxativè, nec possit extendi ad casum diversum. Imò si etiam esset error in persona, ex qua beneficium vacat, & exprimeretur persona Titii, cùm esset Tollii, quod rescriptum vitiaretur, voluit Franc. *d. n.* 10.

33 Explicatur tamen hoc, ut sufficiat, si exprimatur modus, qui communi errore habetur verus, licèt in re sit falsus. Ut si beneficiatus, qui obiit in rei veritate erat intrusus, sed habebatur communiter, ut verus beneficiatus. In hoc enim casu, si impetrans expresserit beneficium vacare per mortem, non vitiantur literæ, sed valida est collatio. Dom. *n.* 16. Franc. *n.* 11. Rota *decis.* 109. *seu* 4. *de permut. in novis.* Nisi id fiat in concursu alterius impetrantis, qui verum modum vacationis expresserit, quia in hoc casu hic prævaleret. Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 11.

34 Limitatur etiam, ut non procedat in acceptationibus, quia juxta decisionem Rotæ *in d. decis.* 219. *seu* 7. *de præben. in nov.* in acceptationibus debet potius attendi vacatio, quàm modus vacationis. Ideò si impetrans acceptet beneficium vacans per obitum. A. quod vacabat per obitum B. valet acceptatio, dummodo postea probetur de vera vacatione. Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 12. & non obstat hic textus, quia non habet locum in acceptatione, quæ non est, nisi quædam declaratio voluntatis tendentis ad executionem gratiæ jam concessæ, & ideò non mirum, quod si erratur in modo vacationis, quod non impediatur acceptatio dummodo sequatur postea vera, & effectualis provisio, quæ dat jus in re.

35 Pariter collatio facta ab executore ignorante verum modum vacationis est valida, dum tamen beneficium in veritate vacet, ut per Lap. *all.* 6. & Rotam *decis.* 166. *seu dec.* 4. *de off. deleg. in nov.* tenet Franc. *n.* 10. *in fin.* In hoc enim casu ignorantia executoris non potest verum literarum valorem tollere.

36 Similiter prædicta non habent locum in expectativis, sed solum in provisivis, puta quando de certa Ecclesia provideri mandatur, quia tunc si vacet alio modo, quam fuit expressum, non valet provisio, vel impetratio. Secus verò se habet in expectativis, imò etiam si expectans auctoritate Apostolica acceptet aliquam Ecclesiam parochialem vacantem, valebit acceptatio, licèt non exprimatur modus vacandi, aut persona, quæ jam ultimo tenuit, dummodo in prosecutione declaret modum vacandi, & per cujus personam, ut per Rot. *decis.* 109. *seu* 4. *de rerum permut. in nov.* & per notata per Imol. *in cap. Si tibi absenti, infr. de præben.* tenuit Franc. *n.* 13.

37 Addens primò ex Bald. hic, quod nihilominus, qui ageret, & se fundaret in una specie vacationis, & probaret, ex alia succumberet, licèt tempore, quo acceptavit, vel impetravit, non expresserit aliquem modum vacationis, arg. *l. fin. C. de eod.*

Et secundò addens ex Rota *decis.* 125. quod sufficit acceptanti probare beneficium vacasse ante suam acceptationem, licèt testes non deponant certum vel verum tempus vacationis, vel mortis. Et quod si probetur vacationem præcessisse acceptationem, præsumitur acceptans intra debitum tempus acceptasse, & diligens fuisse. 38

Sic ergo si impetrans exprimit modum aliquem vacationis, verum debet exprimere. Sed tamen si nullum exprimat, non est vitiatum rescriptum. Et quantum ad id, quod dixerunt citati DD. scilicet quod decretum non est de substantia electionis, scriptura scilicet seriem electionis continens, veritatem habet, ut probavi *in tractat. de elect. cap.* 21. *quæst.* 1. & est sententia communis. Sed quatenus etiam esset necessarium tale decretum, quia nihilominus modus vacationis accidentaliter, & extrinsecè se habet ad vacationem, & ad provisionem novi beneficiati, unde nec est necesse, quod provisor ad illum modum respiciat, & sufficit, quod beneficium vacet. Ideò nec per se loquendo necessarium est, vel quod in decreto electionis, vel in supplicatione porrecta ad Papam exprimatur vacationis modus, sed sufficit exprimere vacationem. Hoc enim sufficit ad hoc, ut Papa providere possit, si velit beneficium conferre. 39

Ex his colligo ad materiam extensionis legum, quod non debet admitti de casu ad casum. Cur enim in beneficialibus si est expressus unus modus vacationis, non fit extensio ad alium? Dicunt, quia collatio taxativè se habet ad illum. Sed cur hoc, dico ego? Nonne Papa conferens agit propter finem? Et cur si finis militat in alio casu, imò magis militat, non fit extensio ad alium casum? Quia Pontifex alium casum omisit. Sed replico. Et cur dicitur omisisse, si finis ob quem agit ad casum illum se extendit, qui dicitur omissus? Dicitur ergo, quod non est vera hæc finis extensio, & quod finis, vel legislatoris, vel rescribentis non se extendit ultra casum expressum: quia finis illius proximus, & à quo ejus actio intrinsecè specificatur, non est aliquod bonum universale absolutè, sed est bonum in illo casu expresso determinatè inventum. 40

SUMMARIUM.

41 *Clausula* sive quocumque alio, &c. *modo latissima comprehendit quemcumque modum vacationis,* 42.
42 *Data tamen vacatione.*
43 *Non valet dicta clausula in vacatione inducta ex regula de infirmis.*
44 *Nec se extendit ad personam.*
45 *Nec si modus falsus est expressus ex fraude.*
46 *Nec si beneficium vacat de futuro.*
47 *Alii modi referuntur.*

ARTICULUS IV.

Utrùm clausula quocumque modo vacaverit, *claudat omnem modum vacandi, & faciat rescriptum esse validum.*

GLossa *in verbo expressè* advertit, quod tunc Pontifex expressè significat, se velle collationem valere, etiam si beneficium vacet alio modo, quam fuit expressum, si ponat clausulam, *sive quocumque modo vacaverit*, seu *alio quovis modo vacaverit*, quoniam hæc clausula comprehendit sub se quemcumque vacationis modum. Jo. Andr. Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 8. Ideò etiam si expressus fuerit unus vacationis modus, si adjungitur clausula *sive quocumque, aut quovis modo vacaverit*, expressio illa non obstat, quia tunc non taxat, & limitat, ex eo quia hæc clausula repugnat limitationi, cùm omnem modum comprehendat, & latissima sit. Flam. *de resig. benef. l.* 8. *quæst.* 7. *nu.* 64. *&* 134. Et ita quod comprehendat etiam vacationem per obitum in curia. Flam. *ibid. n.* 147. & apud Sedem Apostolicam, Flam. *n.* 142. Ricc. *in collect. decis. p.* 2. *coll.* 355. *vers. Amplia primò.* Et etiam vacationem per privationem. 41

Rota

Rota *decis.* 1. *de rescript.in nov.* Mohed. *decis.*2. *de sequest.possess.* Flam. *l.*8. *q.*7. *n.*136. Et vacationem per resignationem. Put. *decis.*5. *in fin. de regul.* Mohed. *decis.*2. *de off. deleg.* Rota *decis.*305. *l.*3. *p.*3. *div.* & *decis.* 309. *n.*2. & 3. *p.*2. *rec.* Flamin. *lib.*8. *q.* 7. *nu.* 123. Nam in hac parte vacatio per resignationem, & per mortem æquiparantur. Flam. *lib.*1. *q.* 5. *nu.*4. & *n.*15. Gonz. *ad reg.*8. §.5. *proœm. n.* 25. Probata tamen resignatione, secus verò non, Put. *decis.*268. *lib.*3.

42 Data autem de facto vacatione hæc clausula vim habet. Rotam coram Greg. XV. *decis.*37. *num.*10. seu *decis.* 49. *n.*5. *p.*2. *recent.* & *in Placen. Capellan.*27. *Iunii* 1597. coram Penna. Tunc enim intrat, & sufficit probare unum modum vacationis, ex duobus vel pluribus narratis. Rota *in Bononien. Canon.*19. *Febr.*1590. coram Card. Pamphil. apud Marchesf. *de commiss. part.*1. Et etiam si modus narratus non esset verus; quia nihilominus hujus clausulæ *virtute gratia non est subreptitia.* Cæsar. de Grass. *decis.* 14. *num.*6. *de Præbend.* Et in impetratione certo modo. Cassad. *decis.* 5. *n.*1. & 2. Cæsar. de Grass. *d.*14. *n.*7. Et in impetratione ex jure devoluto. Cassad. *decis.* 5.

43 Nihilominus clausula illa, licèt dicatur latissima non comprehendit aliquos particulares casus, & patitur restrictiones, quas solent pati regulæ universales morales, quamvis ex istis aliqui potius sint casus extra regulam, & sub modo vacationis non comprehensi. Primus casus est, ut hæc clausula obtenta à resignatario non capiat vacationem inductam per regulam *de infirmis.* Flamin. *l.* 12. *quæst.* 14. *num.*23. Barbosa *hic num.*12. & *claus.* 172. *num.* 10. Ubi ex Theod. de Rubeis *claus.*100. *l.* 3. quod item non cadat sub clausulis generalibus, in terminis Bullæ 85. Greg. XIII. *de publicandis, in* §. *de benefic.* quia talis vacatio debet dispositivè narrari.

44 Secundus casus est, ut hæc clausula non se extendat ad personam non expressam. Unde si impetretur beneficium tanquam vacans ex morte Titii cum clausula *sive quovis alio modo*, impetrans non obtinebit illud, si vacavit ex morte Sempronii. Item si dixit per mortem Titii in eo loco, & tali die; nam si Titius vel alibi obiit, vel alio die impetrans beneficium illud non obtinebit. Ut enim consideravit Lap. hic, mors Titii non est mors Sempronii, nec mors in uno loco est mors in alio, nec mors in uno tempore est mors in alio. Et ideò quod clausula ista *sive quovis alio modo*, respiciat modum vationis, non verò personam, aut modum mortis, ideoque non sufficere in præfatis casibus dixerunt Jo. de Fan. & Jo. de Lign. quos sequitur Domin. *hic num.* 6. Anchar. *num.* 2. Navarr. *cap. Si quando except.* 2. *num.* 3. *de Rescript.* Flamin. *l.* 8. *quæst.*7. *num.* 144. Et nihilominus literæ valebunt, si addatur alia clausula, *seu ex alterius cujuscumque, &c.* Rota *decis.*1. *n.*7. *de rescript. in nov.* & *dec.* 605. *n.*9. *p.*2. *Recent.*

Tertius casus est, quando expressus fuit omnino falsus vacandi modus. Ita ex Ant. Fab. *tit. de sacrosanct. Eccles. diff.*4. & Ricc. *p.* 2. *coll.* 355. *in fin.* Barbos. *hic num.* 14. & *claus.* 172. *num.*13. Sed non credo hoc verificari, si narratio non sit facta in fraudem, sed solùm si scienter, & malitiosè, & fraudulenter, ut ex clausulis generalibus impetrans capiat. Put. *decis.*400. *lib.*1. & *decis.* 268. *l.*3. & Theod. de Rubeis *d. claus.*787. *num.*34. quos sequitur idem Barbos. *d. claus.*172. *n.*18. 45

Quartus casus est, ut non comprehendat beneficium, quod vacaverit de futuro, capit enim solam vacationem de tempore dati rescripti. Sarnen. *in regul. de public. q.*16. Flam. *d. l.*8. *q.*6. *n.*143. 46

Quintus casus est si modus vacandi sit datus dispositivè, Cassad. *decis.*5. *num.*3. *de Præben.* Cæsar de Grassis *decis.*14. *de Præb. num.*8. Theod. de Rubeis *claus.*787. *num.* 20. Barb. *claus.*272. *num.*16. Sextus quando malitiosè narratur modus expressus, qui verè non adest, ut impetrans ex clausulis generalibus obtineat. Put. *decis.*390. *lib.* 1. & *decis.* 267. *lib.* 3. Septimus casus est, quod regulæ generales non capiunt beneficium vacans ex persona impetrantis, quando vacatio inducitur propter delictum, per quod redditur quis inhabilis, quia de inhabilitate facienda est mentio. Verall. *dec.*43. *n.*7. *part.*2. 47

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VII.

GRatia, quam super beneficio à Sede Apostolica te impetrasse proponis: vitiosa reputari non debet, quamvis de alio beneficio ab Episcopo tuo anteà tibi absenti & ignoranti collato, nullam (cùm tempore impetrationis nescires) feceris mentionem. Utrumque tamen, (si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri) habere non potes: sed eligas quod ex eis malueris retinere.

SUMMARIUM.

1 *SUpponitur impetrantem debere facere mentionem beneficiorum, quæ habet.*
2 *Regula textus.*
3 *Concessio beneficii est gratia.*
4 *Quid sit beneficium, & præbenda.*
5 *Gratia subreptitia, si non est facta mentio beneficiorum habitorum.*
6 *Nisi gratia sit concessa motu proprio.*
7 *Nec si adest clausula*, Quod obstantiæ beneficiales, &c.
8 *Non limitatur textus ad terminos* cap. super literas, de rescript. *Sed habet locum etiam si Papa non concedisset, si scivisset.*
9 *Textus habet locum etiam in Legatis.*
Non tamen in Ordinario.
10 *Quid limitatur.*
11 *Subreptio ipso jure vitiat rescripta ad beneficia, non ad lites.*
12 *Episcopus sine Capitulo confert beneficia.*
13 *Absenti confertur beneficium.*
Absenti debet esse collatum primum beneficium, ut habet locum usus textus.
14 *Textus loquitur de ignorantia probabili.*
15 *Ignorantia excusat, sed non dispensat.*
16 *Episcopus post collatum beneficium non potest variare.*
Potest præscribere tempus ad acceptandum.
Scientia superveniens non irritat factum ignoranter.
Scientia adveniente intrat dolus, si malè factum non emendatur.
17 *Impossibile dicitur, quod non potest fieri sine dispensatione.*
Ex hac tamen impossibilitate legatum non potest mutari.
18 *Qualis actio conveniat ei, qui est electus ad plura officia.*

DEcretalis ista supponit, quod si quis habet aliqua beneficia etiam modica tenetur eorum facere mentionem, si aliud beneficium vult impetrare à Sede Apostolica, imò si vult impetrare literas, & expectativas ad alia beneficia. Et hoc non tantum à Pontifice, sed etiam ab ejus Legato. Quo supposito decernit, quid agendum sit, si impetrans ignorat se alia habere beneficia. 1

Una verò regula duas continens partes habet hæc decretalis. Gratia, inquit, beneficii impetrati à Sede Apostolica 2

per

per impetrantem nescientem sibi absenti collatum fuisse ab Episcopo suo aliud beneficium, non est vitiosa, licet dicti beneficii per eundem impetrantem, non fuerit facta mentio. Sed si beneficia ista sint de illis, quæ de jure non possunt simul teneri, qui illa obtinuit non potest simul habere, sed ea eis potest illud eligere, quod maluerit.

3 Concessio beneficii facta à Sede Apostolica, dicitur gratia: fit enim gratis ex beneplacito Pontificis, Dom. *num.* 1. Franc. *n.* 1. & videri possunt quæ notantur *infra cap. relatum, de præb.*

4 Advertit autem hic Archid. *in princip.* quod beneficium propriè dicitur, ubi non sunt distinctæ præbendæ; propriè verò dicitur præbenda, ubi sunt distinctæ, & divisæ, *cap. Ex parte sup. de concess. Preben.* Nam præbenda significat rem spiritualem, vel spirituali annexam, *cap. Si quis Præbend.* 1. *quæst.* 3. beneficium verò latiùs accipitur, idest omne illud, quod gratis, & liberaliter confertur. Et ait nihilominus, quod si scribatur alicui, ut ei provideatur de aliquo beneficio competenti, nomine beneficii præbenda intelligitur, *cap. Pro illorum, inf. de Preben. & cap. Tua, de verb. signif.* sed de his dicendum erit infra in proprio titulo.

5 Hic est considerandum, quod subreptitia, & vitiosa est gratia obtenti beneficii à Sede Apostolica, si is, qui illam obtinuit, non fecit mentionem beneficii, vel beneficiorum, quæ prius tunc temporis obtinebat, Jo. Mon. *num.* 1. Jo. Andr. *cap. Si motu proprio, inf. de Preben.* Gloss. hic Anch. *num.* 1. Domin. *num.* 7. Franc. *num.* 3. Barbos. *num.* 4. Flam. *l.* 10. *q.* 2. *num.* 67. *& seq.* Quod est verum, quamvis primum beneficium esset tenuè. Imò quamvis primum beneficium nondum fuerit possessum, sed impetrans secundum solùm illius literas obtineret, & illud nondum acceptasset, ut habet Gloss. *hic in v. ignoranti*, & Domin. *num.* 7. Flamin. ubi supra *n.* 75. Et colligitur ex textu, qui loquitur etiam de beneficio collato absenti, & ignoranti.

6 Hoc tamen limitatur, ut non procedat, ubi Papa motu proprio beneficium alicui concedit habenti aliud beneficium, tunc enim gratia valet, non obstante quod non fuerit facta mentio alterius beneficii, *c. si motu proprio inf. de Preb.* Gloss. hic & Dom. *n.* 7.

7 Item secundo non procedit, ubi in literis Apostolicis sit clausula, *Quod obstantia beneficiales, &c.* Nam in isto casu non tenetur provisus exprimere prius obtenta, Cassad. *decis.* 6. *num.* 8. *de Preben.* Achil. de Grassis *dec.* 6. *&* 14. *eodem tit.* Rota in Calagurritana dimid. portionis 16. Martii 1590. coram Orano, & in Cæsaraug. pensionis 19. Februarii 1590. coram Gyptio, *& decis.* 171. *par.* 2. *div.* Barb. *hic n.* 4.

8 Sed alii sunt, qui limitant hunc textum ad terminos, *cap. Super lit. sup. eodem tit.* ut scilicet gratia non sit vitiosa, si eam Papa fuisset concessurus, etiam si scivisset impetrantem habere aliud beneficium. Hoc enim videntur sensisse, Butr. *ad dict. cap. super literis*, & hic Domin. *eodem nu.* 4. juxta intelligentiam Felin. *in d. cap. super literis, num.* 6. ex quo volunt, quod ad verificandum textum, rescriptum reducendum sit ad jus commune. Quod meritò impugnat Panorm. *d. cap. super literis, num.* 5. Quod nec validè potuit sustinere ibi Felin. *num.* 6. sed ratione convictus fuit fateri, quod potest quis pertinaciter instare, quod imò in hoc *cap. Gratia*, taciturnitas, de qua loquitur textus, sit talis qualitatis, qua expressa impetrans non obtinuisset, & tamen hæc taciturnitas, si sit ea ignorantia non nocet. Etenim ut Felin. ait, si Papa sciret petentem beneficium habere aliud sufficiens, dicendum est, quod ille non concessisset aliud compossibile, & tamen ex vi hujus capitis ignorantia facit, ut promotus ab Episcopo ad beneficium etiam valdè pingue, possit aliud compossibile impetratum à Papa retinere. Concessio igitur ista est absoluta, & verificatur etiam si Papa non concessisset gratiam, si scivisset, ut de mandato Urbani Papæ censuit Rota *dec.* 68. *de rescript. in antiquis*, quam refert, & sequitur Felin. ubi supra *num.* 7. Et est de mente Panorm. ibidem *num.* 5.

9 Consideratur enim, quod hoc, quod dicitur de provisione Apostolica est verum, etiam si fiat à Legato Pontificis, ut notat Gloss. *in princip.* & Dom. *in princip.* & Franc. *n.* 8. sed non procedit in Ordinario, Gloss. Dom. & Franc.

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

citati. Nam provisus coram Ordinario ad validitatem suæ gratiæ nihil tenetur justificare, quia Ordinarius tanquam informatus de statu Ecclesiarum suarum, & personarum providet motu proprio, Felin. *cap. Ad aures, num.* 15. *de rescript.* Card. *in Clement.* 2. *num.* 13. *de off. Ordin.* Seraph. *dec.* 1026. *num.* 1. *&* 1467. *num.* 1. Rot. *dec.* 190. *n.* 1. *p.* 2. *recen.* & in Placentina Canonicatus 14. Januarii 1600. coram Car. Lancell. & in Pampilonen. de Agueto 12. Junii 1609. coram Ottembergo, & in nullius beneficii S. Sixti 26. Junii 1615. coram Card. Sacrato, & in Leodien. Canonicatus S. Dionys. 27. Martii 1623. coram Coccino, & in eadem 15. Maji 1626. coram Pirovano. Quod procedit etiam si Ordinarius provideat vigore indulti, quia nihilominus non desinit providere motu proprio, Put. *dec.* 395. *n.* 2. *l.* 3. & Rota in dictis Leodien. Canonicatus coram Coccino, & Pirovano.

Quando tamen Ordinarius providet ad preces provisi, 10
quod non censeatur providere motu proprio, ait Barbos. ex Buratt. *decis.* 484. *n.* 6. Sed hoc habet instantiam, quia jam non esset discrimen inter Papam, & loci Ordinarium, & ad nihil serviret ratio allata, quod loci Ordinarius sit informatus de beneficiis, & personis suæ Diœcesis, ideò censeatur providere motu proprio, dum providet? Et cùm rarius contingat, quod provideat sine instantia, rarius haberet locum quod provisio ejus valeret: Quando tamen provisus ab Ordinario agit ad exclusionem provisi ab Apostolica Sede de beneficio uti reservato ratione mensis, tunc tenetur probare vacationem in mense Ordinarii, cùm in eo fundet intentionem suam, Put. *dec.* 206. *l.* 3. Ferrentill. *ad dec.* 484. Burat. *lit. A*, Barb. hic *n.* 4.

Ponit etiam differentiam hic Anch. *n.* 1. inter rescriptum 11
ad lites, & ad beneficia, quod in illo subreptio non reddit concessionem irritam ipso jure; quod tamen facit in rescripto ad beneficia. Et id dixerunt etiam *ad c. Super lit. sup. eod. tit.* Panorm. & Felin.

Colligitur quoque ex hoc textu, quod collatio benefi- 12
ciorum de jure pertinet ad Episcopum, & ad alios Ordinarios, & quidem quod hoc convenit illi id facere sine capitulo, ut considerant Archid. *num.* 1. Jo. Andr. *num.* 1. & Franc. *num.* 2. de quo plenè per Gloss. & DD. *in cap. Cum Ecclesia Vulterana, supra, de elect. & cap. Omnes Basilicæ* 16. *q.* 6.

Et hic etiam deducitur beneficium posse conferri absenti, 13
sicut & absens potest eligi ad dignitates, & Prælaturas, Gloss. *in v. ignoranti*, Anch. *in princip.* Dom. *num.* 1. Sed hoc considerandum est, quod ad hoc ut casus textus habeat locum necesse, quod primum beneficium absenti fuerit collatum.

Textum hunc intelligendum esse de ignorantia probabili 14
advertunt Gloss. *in v. Vitiosa in addit.* Joan. Mon. *num.* 1. Archid. *n.* 1. Jo. Andr. Anch. *nu.* 2. Dom. *n.* 2. Franc. *nu.* 3. Barbos. *n.* 5. Panorm. *cap. super literis*, & ibi Felin. *n.* 5. *sup. eod. tit.* Et hoc indubitanter est verum; ignorantia enim crassa reprobatur à lege. Et ubi in jure dicitur, quod ignorantia excusat ad minus intelligitur de ignorantia non crassa, nec supina. Sed quia ignorantia crassa, nisi sit valdè crassa, & præsumptivè affectata, non æquiparatur dolo, ut probatum est supra *cap. Ut animarum* 2. *de Const.* *q.* 1. *art.* 25. forsan in hoc textu ad excusandum rescriptum à subreptione videbitur alicui sufficere etiam ignorantiam aliqualiter crassam, sed non dolosam. Sed non ita est, quia mens Papæ hic est favere taciturnitati inculpatæ ex justa, & inculpabili ignorantia, & ideò solus justè ignorans excusatur.

Apparet ex hoc, quod in hujusmodi casu ignorantia unū 15
præstat, sed aliud non concedit. Tollit quidem subreptionem; quia qui ignorat se habere aliquod beneficium, non subreptitiè impetrat aliud à Pontifice, nulla alterius beneficii facta mentione. Sed hæc ignorantia non præbet dispensationem, ut promotus possit simul utrumque beneficium retinere, si sint incompatibilia, & sic ignorantia excusat, sed non dispensat, Gloss. *in v. Vitiosa*, Jo. Mon. *n.* 3. Jo. Andr. Dom. *n.* 1. *&* 7. Franc. *n.* 3. Barbos. *n.* 5.

Advertit hic Anchatan. *in princip.* quod beneficium concessum absenti, licet non sit immutabile ex parte provisi, qui potest provisionem non acceptare, est tamen immutabile ex parte Episcopi provisoris, qui ex quo contulit beneficium non potest variare, *c. Si tibi absenti de Preb.* Unde in hoc textu absenti, & ignoranti pro-

prima die Novembris, & principalis fuit promotus ultima die Octobris, Anch. n. 5. & Franc. n. 5. hunc modum dicendi Jo. Andr. referunt, nec rejiciunt.

21 Sed Dom. num. 4. post Butr. *in cap. super literis, de rescript.* & Imolam hic, aliter distinguit, & ait, quod, aut taciturnitas ista est in impetratione rescripti, cujus effectus est reducibilis ad jus commune, nec præjudicialis alteri, ita quod omninò non repugnat menti scribentis, & tunc rescriptum non est sobreptitium. Quia mens Papæ est excludere pluralitatem beneficiorum, quæ in hoc casu manet exclusa, unde non est contra intentionem Papæ. Aut repugnat menti scribentis à principio, tamen jus commune non repugnat effectui rescripti, nec præjudicatur juri alterius, & adhuc valent literæ, nam posset esse beneficium compatibile talis redditus, quod Papa non dedisset tale rescriptum, si scivisset, & nihilominus valet rescriptum propter ignorantiam, licet in aliquo repugnet menti scribentis, ex quo jus commune non resistit effectui rescripti. Aut rescriptum repugnat menti scribentis, nec posset quoad effectum valere, quin præjudicaret juri alterius, & tunc talis taciturnitas licet ex ignorantia impetrantis proveniat, nihilominus vitiat rescriptum, & est casus *in cap. Constitutus de rescript.* Et istud ultimum etiam tenuit Gaspar de Calder. *in ea rub. cons.* 14. ubi dicit, quod impetratio facta de Ecclesia, ad quam erat alius electus, nulla est non facta mentione de illa electione, si probabiliter ignorabat, cùm non excuset ignorantia impetrantis tacentis illud, quod est exprimendum etiam si illud esset de facto alterius.

22 Nihilominus his non obstantibus dicendum est eamdem esse rationem, si beneficiatus in casu hujus textus impetret beneficium per seipsum, vel per procuratorem existentem apud Sedem Apostolicam, & quod gratia impetrata non sit vitiosa, si procurator probabiliter ignoravit principalem suum absentem fuisse ab Episcopo suo ad aliud beneficium promotum. Ita sentiunt hic Jo. Mon. *num. 1.* Archid. *n. 1.* Felin. *cap. super literis n. 7.* Ubi refert hoc idem censuisse Rotam de mandato Urbani Papæ *decis. 68. de rescript. in antiq.*

23 Probatur autem primò in hoc casu. Ponamus, quod Titius existens Bononiæ eodem ferè tempore, verbi gratia, die ultima Septembris, motu proprio à suo Ordinario promoveatur Mediolani, eo absente, & ignorante, & die prima Octobris per procuratorem impetret aliud beneficium Romæ, tam principali, quàm procuratore ignorantibus promotionem factam Mediolani. Certè in hoc casu cur non valebit rescriptum, seu unde dici poterit gratia vitiata? Sed dices, rationem esse, quia concessio hujus capitis non se extendit ultra casum expressum: casus verò expressum est, si principalis ipse impetret per se ipsum à Sede Apostolica beneficium.

24 Sed mitto, quod Panorm. *d. cap. Super literis, num. 5.* existimat casum hujus capitis extendi ad simile positis quatuor conditionibus, quas ibi ponit, & Felin. ibidem *n. 6.* tenet, & asserit communiter teneri, quod hoc Cap. non ponat casum specialem. Et quod trahi possit ex identitate rationis ad simile sentit etiam hic Domin. *num. 4.* referens pro eadem sent. Jo. de Lig. Jo. de Fan. & Jo. Andr. Mitto inquam hoc, quia hujusmodi extensiones ad casus non expressos, non mihi videntur habere in jure fundamentum. Quamvis etiam ex Panormit. existimem, quod ex vi *d. cap. Super literis*, potest haberi extensio in casibus, & terminis illius capitis, non tamen ex vi hujus capit. Sed hic non est necesse recurrere ad extensionem, quia hic casus comprehenditur sub verbis istius textus. In jure enim, etiam propriè quis dicitur impetrare, si impetrat per Procuratorem, *juxta reg. 72. infr. de reg. jur. Qui facit per alium est perinde, ac si faciat per seipsum.* Et eo magis hoc debet amplecti, quod decretalis ista potius continet favorem, cùm sit ad tollendam subreptionem, & ut gratia Sedis Apostolicæ vigeat. Et eo magis, quod cùm sæpissimè apud Sedem Apostolicam impetrentur beneficia per Procuratores, nimis restringeretur favor hujus decretalis, si non intelligeretur, nisi de impetrantibus immediatè per seipsos. Sed & hoc fit evidens ex eo, quod habet hic Jo. Andr. *nu. 2.* de stylo Curiæ, scilicet talem esse, ut in literis non exprimantur procuratores, nec procuratoria recipiantur, ex hoc enim sequitur literas expediri in persona principalis nulla Procuratoris facta mentione, ac proindè de stylo esse, ut principalis censeatur impetrare, & obtinere, licet id faciat medio Procuratore.

25 Sed quod hoc idem habeat locum, etiam si principalis sciat se promotum à suo Episcopo, si hoc ignorat procurator, probatur advertendo solam ignorantiam probabilem excusare à subreptione. Non est verò ignorantia probabilis, si quis quod potest, & debet scire negligat. Itaque illa ignorantia non excusat impetrando per procuratorem, quæ non excusaret impetrando per se ipsum. At verò Procurator, qui fictione juris est suus principalis, ita se habet, quod negligentia principalis in admonendo procuratorem in ipsum procuratorem redundat, ut dicatur ignorare ex culpa lata, si potuit, & debuit scire, quia potuit, & debuit illum principalis admonere de sua promotione. Et sic principalis in suo procuratore ignorat ex lata culpa, & crassa ignorantia, si ex simili culpa, neglexit certiorem reddere procuratorem de sui promotione per Episcopum.

26 Sic ergo dicemus, quod ubi in procuratore ut repræsentat principalem est ignorantia probabilis promotionis sui principalis, non vitiatur gratia, si non exprimitur ejusdem principalis beneficium. Sed hujusmodi ignorantia non est, si principalis potuit procuratorem certiorem facere de sua promotione, & neglexit ex culpa lata id facere. Et hic est casus admissus etiam à Jo. And. quia hic militat ratio æquitatis, nec est aliquod periculum fraudis, aut doli. Ubi verò ignorantia non est probabilis, sed est crassa, & supina, gratia est vitiosa.

28 Objici tamen potest ex textu ponderatis verbis *absenti*, & *nescires*. Ex primò enim restringitur casus, ut habeat locum, si primum beneficium fuerit ei absenti collatum. Unde si principalis manet in sua Civitate, vel ei præsenti fuit collatum beneficium, non habet locum hic textus. Ex secundo verò, quia textus requirit, quod principalis tunc nesciat sibi esse collatum beneficium cum à Papa impetrat secundum; non ergo sufficit ignorantia procuratoris. Sed hæc secunda objectio solvitur, quia ipse æquivalenter nescit, & scientia nihil sibi prodest, sed in suo procuratore invincibiliter ignorat, & sic ut impetrans ignorat; quod est id, quod præcipuè intendit Pontifex. Ex primò autem videtur, quod sit limitanda assertio, & quod non comprehendatur sub dispositione hujus textus casus, in quo principalis impetrans gratiam à Papa fuit promotus ab Ordinario in sui præsentia, & sic ipso sciente. Et nihilominus eodem modo dici potest, quod est absens æquivalenter, si non potest suum procuratorem certum reddere, & sic se habet, ac si esset absens, & præsentia, & scientia ad nihil juvat, ut possit impetrando mentionem facere de sibi collato beneficio. Et sic quia Pontifex intendit favore inculpabiliter ex ignorantia impetranti, & inculpata taciturnitate beneficii, sub hoc textu comprehenditur casus omnis, in quo beneficiatus sive per se, sive per alium ex inculpabili ignorantia impetrat à Papa secundum beneficium.

29 Hinc motiva allata per Joan. Monach. non obstant. Non primum quia in utroque casu beneficiatus supponitur habere beneficium ab Ordinario. Solùm potest esse discrimen, quod in hoc casu beneficiatus potest esse, quod sciat se habere beneficium, sed hoc est verum materialiter, sed æquivalenter ignorat, & in ratione impetrantis ignorat, quia ignorat ejus procurator invincibiliter. Et taciturnitas quæ posset irritare rescriptum est ex ignorantia vincibilis. Unde secundum non valet, quia hic est ignorantia, quam nec principalis potest vincere, & respectu cujus militat eadem ratio æquitatis. Sic ad tertium negatur adesse radicem vitiosam, quia falsum est, quod beneficiatus beneficietur ex certa scientia, cùm imò ignorantia invincibilis sit ratio, unde impetrat, quod non impetrasset forsan, & in omni casu ille in ratione impetrantis sit omninò invincibiliter ignorans. Et ad quartum dicitur, quod hic non est dolus, nec ex proposito, nec in re. Motiva verò Jo. Andr. non militant contra resolutionem, quæ coincidit cum resolutione illius: & illa militant in casu, quod in procuratore sit ingnorantia vincibilis saltem ex diligentia sui principalis.

30 Extenditur tamen resolutio, ut procedat etiam si ignorantia sit aliquo modo culpabilis, scilicet; si sit ex levi, vel levissima culpa, quia hæc in foro externo non est ignorantia crassa, & supina, ut abundè probatum est supra *c. Ut anima-*

marum 2. de consc. q. 1. art. 6. Sola verò ignorantia crassa est, quæ hic non excusat, ut probatum est circa hunc textum *num.* 14. Imò videre forsan alicui posset, quod ignorantia excuset, si non sit tam crassa, ut æquiparetur dolo, Panorm. *in d. cap. super literis num.* 5. existimat regulam istius textus locum habere, si subreptio non sit dolosa. Et Arch. *num.* 1. hic movetur ad dicendum, quod in hoc casu habeat locum regula hujus textus, quia dolus, & malitia cessant utrinque. Et Jo. Andr. *num.* 2. casum nostrum admittit, quia cessat timor fraudis. Verùm hoc non admittitur, principalis enim finis hujus decretalis non est excludere dolum, sed tueri, & favere actui ex inculpabili ignorantia deficienti, ut scilicet nullitate gratiæ non puniatur justa ignorantia, quæ scilicet non est crassa, & graviter culpabilis.

31 Ratio autem illa, qua moventur Jo. Monach. Archid. Jo. Andr. Domin. & alii, quia scilicet militat eadem ratio æquitatis, fortiter urget, non ad probandum, quod regula nostri textus extendi debeat ad casum non expressum, sed ad probandum quod casus noster comprehenditur sub expresso; quia utrobique ignorantia sit justa, & æquum sit, ut ignorantia justa non puniatur, æquum est, ut verba literę intelligantur, sive principalis impetret per se ipsum, sive per alium.

32 Distinctio autem Lap. Abbatis, quia nimirum, aut principalis sciebat se habere beneficium, quando instituit procuratorem, aut non sciebat, se ruit ad videndum, an ignorantia ex qua est impetratio sine mentione beneficii sit crassa, vel non crassa. Et sic benè dicit, quod si principalis sciebat se habere beneficium, quando instituit procuratorem, gratia vitiatur, quia tunc ignorantia est crassa, vel etiam forsan præsumptivè affectata, quæ non est, si tunc principalis nesciebat se esse promotum, & ob brevitatem temporis non potuit certificare Procuratorem suum; & ideò tunc gratia non est vitiosa.

33 At verò distinctio Butrii, & Dominici considerantium, an effectus rescripti impetrati possit reduci ad jus commune, vel non possit reduci, non est ad mentem hujus textus. Quia Papa non intendit concedere gratiam hanc, nisi in casu à se expresso, ut ait Panorm. *d. cap. Super literis, num.* 5. & probat *ex cap. Cui de nov. infr. de præbend.* In casu verò expresso, gratia est valida, etiam si non possit reduci ad jus commune antiquum, & in beneficiis incompossibilibus datur optio retinendi primum, vel secundum, cùm tamen secundum jus commune adepto secundo beneficio vacet primum ipso facto, *ut in cap. De multa, sup. de præbend.* Et in compossibilibus datur facultas retinendi secundum etiam si primum non sit renuè, quod Papa non concessisset, si de primo beneficio non tenui conscius fuisset.

34 Quod verò dicunt considerandum esse, an gratia sit in præjudicium tertii, hoc verum est, sed jam trahimur extra casum, & tunc gratia poterit esse vitiosa, non ex taciturnitate prioris beneficii jam habiti, sed quia secundum non possit obtineri sine præjudicio tertii, cui Papa non vult præjudicare. Ut in casu Calder. si beneficium sit electivum, & ad illud alius fuit electus, vel si ad illud beneficium alius legitimè promotus fuit prius ab Ordinario. Hic enim est alius casus.

35 Si autem quæstio sit in secundo casu principali proposito, quando qui impetrat secundum beneficium à Papa est ipse principalis beneficiatus, sed qui impetraverat prius beneficium ab Ordinario est ejus procurator, Dom. *num.* 7. & Franc. *num.* 5. post Lap. distinguunt, & dicunt, quod si ille procurator habebat speciale mandatum ad procurandum beneficium, non valebit impetratio secundi beneficii facta à principali, quæ valebit, si non habebat speciale mandatum. Sed totum punctum stat, ut videatur, si ignorantia prioris beneficii in impetrante secundum à Papa sit justa, vel potius sit crassa. Ubi enim impetrans jam dederat mandatum speciale ad impetrandum pro se beneficium ab Ordinario suo, non erit justa, & non crassa ignorantia in impetrante, nisi forsan procurator non habuit tempus, ut posset advertere eundem principalem de obtento beneficio, ut notat Franchus.

36 Sed puto, quod neque hoc sufficiet, si aliunde possit principali constare de beneficio sibi collato ab Episcopo suo; imò credo, quod tunc dubia provisio de facto vitiet gratiam secundam, quia jam non est in omni bona fide, qui dubius est, an de facto sit beneficiatus, nec talis est penitus ignorans, cùm ex motivo probabili sciat posse esse, quod tunc sit beneficiatus, & dubitat, an ita factum sit, cùm petit aliud beneficium à Papa. Ideò etiam si nulli dederit mandatum speciale pro beneficio obtinendo, si aliundè scit adesse, qui procurat illi beneficium, vel Ordinarium velle motu proprio illi providere, & habet notitiam vacantiæ alicujus beneficii, unde pensatis circumstantiis est rationabiliter dubius, an de facto fuerit sibi provisum de beneficio, tenebitur de hoc facere mentionem. Neque enim verisimile est, quod Papa voluerit concedere optionem eligendi ex duobus incompossibilibus, quod maluerit, vel retinendi plura compossibilia, ei qui cùm impetravit secundum erat dubius, an obtinuerit primum.

SUMMARIUM.

37 *Arbitrarium est tempus, in quo impetrans in casu hujus textus tenetur optare.*

38 *Tacita optio per adeptam unius possessionem sufficit.*

39 *An electo uno possit variare.*

ARTICULUS II.

Utrùm qui ignorans promotionem suam ad beneficium impetrat secundum incompatibile, teneatur statim ex eis unum eligere.

Quia lex ad hoc non determinat tempus, ideò esse in judicis arbitrio determinare hoc tempus dixerunt Jo. Andr. Anchar. *num.* 5. Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 10. Ad quod facit *cap. Si tibi infr. de elect.* Quamobtem Papa, vel Episcopus poterit determinare tempus, infra quod beneficiatus iste optet. Et si nota sit qualitas beneficiorum, congruum tempus esse decem dierum tradunt præfati DD. & est dictum satis rationabile. 37

Sed numquid sufficit tacita electio consurgens ex eo, quod unius possessionem accipiat, vel circa illud, se immisceat? Respondetur, quod sufficit secundùm Jo. Andr. & Dom. *num.* 16. & Franc. *num.* 11. Sed distinguuntur plures casus. Nam si iste Beneficiatus sit in possessione unius beneficii, & postea certificatus de altero beneficio ejus accipit possessionem, ex hoc jam vacat primum ipso facto *per cap. De multa, sup. de præbend.* At verò si beneficiatus nullius habeat possessionem, sed certus de utroque beneficio accipit unius possessionem, etiam ex hoc videtur illud elegisse, & alteri renunciasse, *Clem. Gratiæ, eo tit. & Clem. unic. de concess. præbend.* Sed si beneficiatus habet possessionem utriusque beneficii, ut quia unius possessionem accipit eo nesciente ejus procurator, & alterius ipse sumpsit, tunc data certificatione utriusque beneficii, cautè debet agere, quia si alteri ex illis beneficiis se immisceat, videtur illud optasse, *arg. cap. Proposuit, de conjug. serv. & l. si servum §. Si quis servum, ff. de acquiren. heredit.* Sed si cautè agens nulli se immisceat, tunc intrat superioris arbitrium, & est locus assignationi termini fiendæ per judicem. 38

Sed numquid uno electo potest re integra variare? Gloss. hic *in v. Eligat*, ad utramque partem argumentatur, sed concludit, quod non possit, *per regul. Quod semel, infr. de reg. jur. & per cap. penult. infr. hoc tit. in fin. & per cap. 1. sup. de postulat.* Hoc idem tenet Arch. allegans *l. in causa in princ. ff. de Proc. & l. servi elect. & l. hujusmodi §. Stichum, ff. de l. 1. & l. statu liberum, §. Stichum, ff. de leg. 2.* Sed tamen limitat, ut in casu, in quo optans erraverit, liceat variare, ut si elegerit beneficium, quod debebatur alteri eo nesciente; vel si simplex beneficium acceptavit pro dignitate, *arg. l. 2. de opt. leg. & l. si maritus, §. fin. ff. de adult.* Sed addit Gloss. ex Jo. Mon. *c. Si tibi, inf. de Præb.* & ita distinguit. Aut optio data est in contractibus, & tunc variare licet, *l. Eum qui certarum, in fin. ff. de verb. obl. & l. si sterilis, §. fin. de act. comp.* Aut in beneficiis, vel ultimis voluntatibus, & hoc dupliciter; aut tenuit electio, & tunc non potuit variare, *l. Servi elect. ff. de leg. 1. l. apud Aufidium, ff. de opt. leg.* Aut non tenuit, & hoc dupliciter. Aut eam fecit optans jure proprio, & tunc iterarò potest optare, *l. 2. §. fin. ff. de opt. leg. & l. sequent.* ad instar 39

instar judicis ordinarii, qui potest iteratò cognoscere, cùm sententia est nulla, *l. Si accusatoribus*, *C. de accus. & l. absentem*, *& cap. Nec captandæ 2. de respons. infr. de concess. Præben.* Aut jure alieno, & tunc iterare non potest, *cap. Si compromissarius, infr. de elect.* Et hæc eadem referunt Jo. Andr. Anchar. *n.* 4. Dom. *n.* 8. Franc. *n.* 9. Et de his videri possunt, quæ habent Jo. And. *de testib. cap. præsentata in ver. optime*, & per. Gregor. *l. 25. verb. Pœnitere poterit, & aliud eligere*, & per Tiraquell. *de retractu lig. §. 24. num. 7. & l. boves, §. Hoc sermone, num. 17. & si. ff. de verb. signific.*

SUMMARIUM.

40 *In casu hujus textus beneficia plura incompatibilia retineri possunt.*
41 *Decretum Concilii Trid.*
42 *De consuetudine Ordinarius posse conferre plura beneficia simplicia asseritur.*

ARTICULUS III.

An beneficiatus possit retinere plura beneficia simul.

40 GLossa *hic in verb. De jure teneri*, & Anchar. *num. 1. & seq.* Domin. *num.* 7. Franch. *num.* 6. latè disputanr de hoc juris articulo, multorumque sententias referunt. Sed quantum sit ex vi hujus textus, si beneficia impetrata non sunt ex jure incompatibilia, beneficiatus ea potest retinere.

At hodie habemus decretum Concil. Trid. *sess. 24. cap. 17. de reformat.* ibi: *S. Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur honeste sustentandam non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hocque non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant.* De qua re videri possunt, quæ habet Barbos. *ad d. cap. Concil. & de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 62.* 41

Qui in præsenti *cap. num.* 6. ex Moscon. *de majest. milit. Eccles. l. 1. part. 3. t. 3.* refert, quod hodie de consuetudine non datur dispensatio ad plura beneficia simplicia, sed videtur, quod Prælati inferiores conferre possint, & de facto conferant nulla habita ratione, an sint pinguia, vel tenuia. Et sic in Hispania quotidiè fieri referr Garz. *part. 11. cap. 5. num.* 323. Sed hujusmodi non esse satis laudabilia observat Barbos. *dict. allegat. 69. num. 10. in fine*. Sed de his dicam alibi Deo dante. Interim servanda sunt decreta Concil. Trid. *d. cap. 17. & sess. 7. cap. 2. & 3.* De quibus vide Garz. *p. 11. c. 5.* Fagnan. *ad d. cap. Dudum, de elect. & ad cap. Cum tam dudum, de prebend. & ad cap. Super inordinata, eod. tit.* & Barbos. *ad loca citata Conc. Trid.* 42

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VIII.

QUamvis is, cujus gratia (per quam mandabatur in certa Ecclesia provideri sibi de beneficio proximè vacaturo) per nos fuerat revocata, restituatur à nobis denuò ad eamdem: non tamen ei, cui post revocationem, & ante restitutionem prædictas, similis in eadem Ecclesia gratia facta fuit (nisi de hoc expresse dixerimus) anteferri debebit. Cùm talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris præjudicio alieni.

SUMMARIUM.

1 *Quis prior in tempore potior in jure.*
2 *Regula textus.*
3 *Expectativæ nunc prohibitæ.*

1 HÆc decretalis præsupponit, quod inter expectantes authoritate Apostolica habet locum illa regula, qui prior est in tempore potior est in jure. Ut si sint duo, vel plures, qui in eadem collatione habeat similes gratias expectativas; tunc in beneficio, quod prius vacabit, præferendus est ille, qui prior est in data.

2 Regulam unicam continet hæc decretalis, quæ est ista. Habens gratiam, ut in certa Ecclesia sibi provideatur de beneficio proximè vacaturo, si hujusmodi gratia fuerit sibi revocata, & postea fuerit à Papa ad eam restitutus, non debet anteferri ei, qui post revocationem, & ante restitutionem prædictas similis gratia concessa fuit: nisi Pontifex aliud expresse dixerit. Quia restitutio ista, ubi aliud non dicitur expresse, intelligitur facta sine juris alieni præjudicio.

3 Quia verò mandata de providendo, & gratiæ, quas dicunt expectativas, de quibus loquitur hic textus prohibitæ fuerunt per Concil. Trident. *sess. 24. cap. 19. de reform.* non est opus alia addere ad regulæ hujus declarationem. Quamvis quia in ea agitur de vi restitutionis alicujus ad gratiam revocatam, utile sit videre, quam vim, & quos effectus habeat restitutio alicujus ad pristinas prærogativas, & possessionem rerum, dignitatum, & honorum, seu ad pristinum statum.

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

Quæst. un.

SUMMARIUM.

4 *Restitutio ex justitia reponit restitutum in integrum quantum ad omnia.*
5 *Restitutio ex gratia censetur facta sine præjudicio tertii.*
6 *Nisi Princeps aliud exprimat.*
7 *In dubio restitutio an censeatur facta ex gratia.*
8 *An restitutio nedum revocet statum personæ, sed etiam bona: variè opinatum.*
Aliud indulgentia, aliud restitutio.
9 *Forma restitutionis debet attendi.*
Restitutus in integrum recuperat bona.
10 *An restitutus in integrum recuperet bona, quæ transierunt ad tertium.*
11 *Bona translata ad tertium, vel præcisè ex vi damnationis, vel ex alia causa.*
12 *Restitutus non recuperat bona ante restitutionem alienata.*
13 *Res, quæ est nullius, fit occupantis.*
Restitutus non recuperat bona acquisita Fisco tertio.
14 *Per damnationem bona non fiunt nullius simpliciter.*
15 *Restitutus recuperat bona acquisita fisco restituentis.*
16 *Restitutus non recuperat feudum alienatum.*
17 *Damnatio aliquando est sola causa occasionalis translatio-*

tionis dominii ad tertium.
Restitutus non recuperat bona, quæ ex causa antecedenti damnationem perveniunt ad tertium.
18 *Filius ante aditam Patris hæreditatem damnatus, si restituatur non recuperat illam de manu nepotis, ad quem ex substitutione avi transiit hæreditas.*
19 *Feudum, quod morte naturali, vel civili reddit ad dominum, non recuperat restitutio civiliter mortui.*
20 *Episcopus damnatum Clericum potest restituere invito patrono.*
21 *Quid in Legato, aut Pontifice restituente?*
22 *Legitimatus post mortem patris, non acquirit hæreditatem apprehensam ab agnatis* 23.
24 *Legitimatus vivente patre, vel de patris consensu acquirit bona.*
25 *Legitimatus per subsequens matrimonium habet jus ad bona.*
Non aufert primogenituram à legitimè nato.
26 *Restitutus recuperat bona possessa à restituente.*
27 *Restitutum non recuperare bona, quæ ex vi donationis transierunt ad alium, quidam sentiunt.*
28 *Oppositum alii volunt.*
29 *Quod transit ad tertium ex rigore juris civilis est revocabile.*
Bonum Reipublicæ petit, ut pœnæ condonari possint.
30 *Ex vi damnationis bona transeunt ad tertium sub conditione.*
31 *Inquisitores hæretico pœnitenti possunt condonare bona.*
32 *Restitutio se extendit ad feuda, &c.*
33 *Clericus depositus recuperat beneficium, si restituitur in integrum.*
34 *Remissio plenâ juvat in foro externo.*
45 *Potest Princeps etiam bona alienata ex causa restituere.*
36 *Sed tenetur reddere pretium.*
37 *Restitutio plenissima revocat etiam bona alienata.*
38 *Restitutus non recuperat fructus.*

Quæst. unic.

ARTICULUS UNIC.

Vtrùm restitutio reponat restitutum in pristinum statum quantum ad omnia.

4 Hic ergo 1. distinguendum est inter restitutionem, quæ fit ex justitia, & eam, quæ fit ex gratia. Nam restitutio quæ fit ex justitia reponit restitutum in pristinum statum quantum ad omnia, sicut à principio fuerant, & operatur etiam in præjudicium tertii, & trahitur ad bona amissa per quascumque manus volaverint, *ut l.* 1. *§. de qua, ff. de post.* Franc. hic *num.* 6. Unde si alicui injustè sint confiscata bona, si cognita justitia ille restituitur, reponitur per omnia in pristinum statum. Et esto bona fuerint alteri, vel vendita, vel donata, vel quocumque modo alienata, debent restituto restitui. Et ratio est, quia ille nunquam illorum bonorum amisit dominium, nec per injustam damnationem perdidit jus ad bona illa, quæ propterea remanserunt semper illius, unde cùm postea per restitutionem ex justitia reponitur in locum suum, nihil aliud fit, nisi quod declaratur invalidè fuisse illi ea bona confiscata, eumque in juribus suis debere manuteneri, & in possessionem eorumdem reponi,

5 Sed ubi restitutio fit ex gratia, privatio, vel bonorum, vel jurium, quæ præcessit, fuit valida, & illorum dominium fuit abdicatum ab eo, qui postea restituitur. Quod si hujusmodi bona alterius conditionis facta sint, & interim eorum dominium aliis traditum, restitutio sic antea privati ad pristinum statum non retrotrahitur ad tempus primæ concessionis, vel primi status antecedentis, vel damnationem, vel revocationem prioris gratiæ, sed de tempore restitutionis considerandum est. Nec in præjudicium aliorum fit restitutio, quia æquum est, ut jus alienum servetur illæsum. Ideò regula est, quod gratiæ restitutio censetur facta sine præjudicio tertii, ut hic dicunt Gloss. Jo. Mon. Archid. Jo. Andr. Anchar. Dom. & Franch. in summa textus, & firmavit Panorm. *in cap.* 1. *in princ. notab. de Paroch.* Oldrad. *cons.* 325. *num.* 5. Fed. de Sen. *cons.* 26. *num.* 2. Castillion. *cons.* 8. *per totum*, Fulgos. *cons.* 143. *per totum*, Socin. *cons.* 32. *num.* 23. *l.* 1. Jo. de Anan. *cons.* 32. *n.* 6. Reverendiss. Fagnan. *ad cap. Mandato*, *n.* 57. *de Simonia.*

Excipitur tamen casus, in quo Princeps ex causa potest 6 disponere de rebus subditorum, & expressè sic disponit, de quo dicam infra latius. Ut colligitur ex hoc textu, in quo asseritur, quod restitutus recuperet etiam præcedentiam, seu anterioritatem, si Papa eam expressè concesserit.

In dubio autem an restitutio sit ex justitia, vel ex 7 gratia, Franc. *num.* 6. nos remittit ad Bart. *in l.* 1. *§. Si quis ultro, ff. de quæst.* & ad Cynum *in l. fin. Cod. de sent. pass.*

Hinc resolvitur quæstio, an restitutio facta per Principem 8 trahatur non solùm ad statum personæ, sed etiam ad bona deperdita. Ut si degradatus restituatur ad ordinem, censeatur etiam restitutus ad beneficium. Negant Archid. Joan. Andr. & Domin. quibus consentit Franchus *num.* 7. Ubi quod est hic casus sicut in deportato *in l.* 2. *ff. de sent. pass.* & hoc nisi esset plenè restitutus *ut in l.* 1. *C. eodem tit.* de quo per Speculatorem *in tit.* 2. *§. postremo, ver. Quod si delegatus*, & est simile, quod notatur *in cap.* 1. *inf. de fil. Presb. super Gloss. Hoc intelligo.* Sed Anchar. aliter sentit *num.* 3. & ait esse veram hanc sententiam in casu, quod Imperator, vel Papa restituat cum limitatione ad ordines, vel dignitates. Si verò restitutio fuit simpliciter concepta, intelligitur, quoad bona, & statum personæ. Nam quandoque Princeps concedit simplicem indulgentiam: & tunc debet quoad statum personæ intelligi, non quoad bona. Hujus verò exemplum habetur ex Andr. Sicul. *in cap. testimonium, de test. & cap. Eam te, de rescript.* & adducit Felin. *cap. Inter quatuor num.* 6. *de major. & obed.* Ut si Princeps dicat: *Facimus tibi gratiam.* Hæc enim verba important solam remissionem pœnæ, non autem restitutionem bonorum. Quandoque non utitur verbo indulgentiæ, sed restitutionis, & tunc aut concedit restitutionem simpliciter, & omnia restituta videntur, *ut in l.* 1. *C. de sent. pass.* Aut restituit cum limitatione, & eatenus restringitur restitutio, quatenus restringitur limitatio. Quandoque concedit indulgentiam, & restitutionem, & tunc omnia restituta videntur, *ut eod. tit. l. fin.* Quando verba sunt dubia, quia non magis sonant in indulgentiam, quàm in restitutionem. Ut si fiat statutum, quod banniti rebanneantur, Bart. ibi, (inquit Anchar.) dicit, quod verba dubia debent plenè interpretari *l. de utrinsque*, & idem not. ipse *in l.* 1. *§. Si quis ultimò, ff. de quæst.* Felin. etiam ubi supra ex eodem Andr. sic ait, quod si Princeps dicat: *Facimus tibi gratiam plenam*, quod tunc restitutus recuperabit bona non alienata per Fiscum.

Sed dicitur, quod quantum potest colligi *ex l.* 1. *& l. fin.* 9 *imo tot. tit. C. de sent. pass.* & restitutis attendi debent verba rescripti, per quod damnatus restituitur, an sint, vel non sint limitata, & an generalia, vel specialia, & expressa, & an certa, vel dubia. Et neque verisimile est, quod Princeps nudè, & purè dicat damnato, restituo te, & nihil aliud addat. Et tamen si hoc diceret, potius dicendum esset, quod ex vi talium verborum non esset plenè in integrum restitutus, *ut ex l.* 2. *& aliis d. tit. de sent. pass.* & juxta etiam *regulam in obscuris, inf. de reg. jur.* Et quantum colligitur ex hoc textu, verbum illud generale intelligi deberet, ut quantò minus fieri posset, læderet fiscum, vel alios, ad quos bona damnati devenerunt, & ut importat restitutionem ad statum personæ, non verò ad bona; quia restitutus dici potest, cui remissa est pœna corporalis, & ad statum personæ est restitutus. Sed si Princeps dicat absolutè, restituo te in integrum, est clara resolutio, *d. l.* 1. quod manet restitutus quantum ad omnia; sed si non dicat, restituo in integrum, sed limitet attendi debet limitatio. Differentia verò illa indulgentiæ, vel restitutionis, utilis est, sed distinctio supra data à Fel. est consideranda, *quia in l. fin. de sent. pass.* Indulgentia importat etiam restitutionem quantum ad omnia, nimirum si sit plena.

Sed nunquam dicendum est, quod restitutio in integrum 10 comprehendat omnia bona, etiam quæ ante restitutionem ad manus tertii devenerunt? Ut v. g. Si Pontifex aliquem immediatè subditum Imperatori ob crimen læsæ Majestatis in

in *Sedem* Apostolicam commissum damnet, & privet omnibus omninò bonis, liberetque debitores illius ab omni obligatione respectu illius, si Papa illum postea sibi reconciliatum restituat in integrum, & processus contra ipsum factos revocet, recuperabit ne feuda, vel emphyteoses, quæ ex ejus damnatione ad aliorum favorem aperta sunt, & ab aliis agnita, & apprehensa? sive si sit statutum, ut bonorum homicidæ pars detur hæredibus occisi; illisque de facto data fuerit, recuperabit ne illum homicida, si illi concessa fuerit restitutio in integrum? Franch. hic *n.* 3. existimat, quod hic textus faciat, quod non extendatur, & quod plenè de hoc agunt DD. *in l. Gallus*, §. *Et quid si tantum*, *ff. de lib. & posthum.* Et videtur hoc dicendum ex regula posita *num.* 17. Quia scilicet restitutio, quæ fit ex gratia non retrotrahitur ad præterita in præjudicium tertii. Sed certè ex hoc textu potiùs oppositum colligitur. Nam textus vult, quod ea, quæ sunt in præjudicium tertii non veniant sub restitutione nisi exprimantur, unde si exprimuntur sub ea veniunt. At verò expressa censentur omnia, ad quæ restituens potest saltem potestate Ordinaria restituere, dum Princeps damnatum restituit in integrum. Regula verò data intelligi debet de præjudicio extrinseco restitutioni. Nam si restitutio ipsa intrinsecè est præjudicialis tertiò, si restitutio fit, & verè fit; etiam fit in præjudicium aliquod tertii, & hoc præjudicium satis exprimitur, si exprimitur gratia, quæ conceditur, & quæ in se tertii continet præjudicium.

11 Anchar. autem *num.* 4. refert quosdam distinguere inter bona damnati, quæ ad aliorum manus perveniunt. Nam quædam sunt, quibus privatur damnatus, & ex vi præcisa damnationis perveniunt ad fiscum, vel ad tertium. Quædam verò sunt, quæ ex alia causa aperiuntur tertiò, sive hæc causa sequatur damnationem, ut si bona confiscata vendantur tertiò, vel ex contractu alio, aut quasi contractu alienentur. Sive hæc causa damnationem antecedat, ut si adest prior conventio quod feudum in causa mortis naturalis, vel civilis feudatarii redeat ad dominium, & damnatio sit talis, ut censeri debeat esse mors civilis.

12 In hac parte video DD. convenire, quod restitutio in integrum facta à Principe non comprehendat ea, quæ post damnationem, & ante restitutionem ex contractu, aut quasi contractu pervenerunt ad tertium, & ab illo apprehensa fuerunt, nisi Princeps expressè etiam bonorum talium restitutionem concedat. Hoc enim communiter tenent DD. infra citandi. Nam ut ait Bellamera *consil.* 743. *num.* 6. *in fin.* de hoc habetur casus expressus *in l. fin. C. de sent. pass. & restit.* ubi decernitur, quod contractus, & gesta ante restitutionem non revocantur, imò quod testamentum factum à filio, si filius moriatur antequam pater deportatus restituatur, valet, quia habet suum esse consummatum, nec pater restitutus potest illud infringere; secus verò si filius ante restitutionem non fuit mortuus, quia tunc testamentum adhuc pendet, prout ibi notat Cynus post Azor. Et ratio hujus dicti est manifesta, ut explicat idem Bellam. Quia res non est ampliùs integra, sed negotium alienationis illarum rerum jam ante restitutionem habuit suum esse consummatum, nec ratio naturalis justitiæ patitur, ut tertius lædatur in iis, quæ sua sunt, & quæ ex vi contractus, aut quasi contractus legitimi, & validi apprehendit, non verò solum immediatè ex vi damnationis ejus, qui postea restituitur.

13 Ex hoc verò colligitur, quod bona apprehensa à Fisco tertiò per restitutionem non recuperantur, quia Fiscus si illa apprehendit, retinet novo justo titulo distincto ab eo, qui sibi competit ex vi damnationis. Hic autem titulus est ex jure gentium, quod vult, quod in re habili ad possidendum jure dominii, & vacante, ejus apprehensio animo quærendi dominium faciat, ut res illa occupanti acquiratur. Quod enim in nullius bonis est, occupanti conceditur, *l.* 1. *ff. de acq. rer. dom. &* §. *ferè inst. de rer. divis.* Cùm ergo Fiscus inveniat hujusmodi bona vacantia ex vi damnationis, si illa apprehendit, & occupat, fiunt illius. Ita idem Bellam. *d. consil.* 734. *num.* 6. *in princ.* Qui advertit, quod licet ad hoc, ut hujusmodi transeant in dominium Cameræ Fiscalis sufficiat, quod illa ea agnoscat, *ut l.* 1. §. *an bona*, *& l. Imperator*, & ibi per Dynum, & Bart. *ff. de jur. Fisc. & l. Commissa*, *ff. de Public.* tamen hæc dominii translatio hic esset immediatè, & per se præcisè ex vi sententiæ damnantis, ex qua Cameræ Fiscali competeret jus habendi bona confiscata, & ideò non essemus in nostro casu, qui est, quando bona pertinent ad tertium ex alia causa distincta ab ea, quæ habetur immediatè ex vi damnationis. Sed si Camera Fiscalis nedum agnoscat jus sibi quæsitum, sed bona apprehendat, consurgit nova causa, quia ex hoc sunt illius tanquam primi occupantis.

Sed videtur, quòd hæc ratio Bellam. non probet, quia 14
vacantia talium bonorum non est absoluta, nec per sententiam fit, ut bona confiscata absolutè, & simpliciter sint nullius, sed solùm pro interim, & sub conditione, nisi Princeps damnatum restituere velit. Igitur nec Fiscus ea bona potest apprehendere, & occupare, nisi pro interim, & dependenter à voluntate Principis damnantis. Sed dicitur, quòd objectio non probat, nisi quòd Princeps, qui damnavit possit etiam damnato ista bona restituere. Ex quo tamen possidentur à Fisco tertiò, alia ex causa, quam ex causa damnationis immediatè, non censetur illa evocare à Fisco, nisi id exprimat.

Quod tamen non procedit de Camera Fiscali ipsius resti- 15
tuentis. Nam in ejus præjudicium restitutio comprehendit omnia bona ab ea possessa, *ut in l.* 1. *C. de sent. pass. & restit.* Nam in præjudicium restituentis, & concedentis, latè beneficium interpretatur, *ut cap. Dilect. de donat.* & ibi per Innoc. *& cap. Per tuas*, *& cap. Ex parte fin. de dec. & c. Cum tibi*, *de verb. signific. & l.* 3. *ff. de constit.* Ita Bellam. *d. num.* 6.

Sequitur secundò, quod si feudum, aut quocumque 16
aliud bonum confiscatum, ante restitutionem fuit alienatum, illud non recuperatur ex vi simplicis restitutionis in integrum, quia qui illud possident, justa causa possident habili ad transferendum dominium, & non præcisè immediatè ex sola vi damnationis, vel legis alicujus pœnalis contra damnatum latæ, Jo. Andr. hic, & Franc. *nu.* 7. Bellam. *d. consil.* 743. *in prima parte conclus.* & alii DD. communiter.

Extenditur verò communis assertio etiam ad causas an- 17
tecedentes damnationem, ut restitutus nec recuperet bona, quæ ex causa aliqua antecedente damnationem, & habili ad transferendum dominium ad tertium, perveniunt damnatione secuta. Consideratur enim, quod damnatio dupliciter potest esse causa, quod bona damnati transeant ad tertium, ut scilicet, ut sit propria, & per se causa juris habendi, illa bona, vel solum, ut sit sola causa occasionalis. Hic non debet attendi damnatio, ut est sola causa occasionalis, sed hoc non obstante, bona non recuperantur per restitutum, si damnatio fuit sola causa occasionalis, quod pervenirent ad tertium. Melius hoc explicatur advertendo, quod duo sunt valdè distincta, quod damnatus sit privatus suis bonis, & quod bona ista transeant in dominium Titii, vel Mevii, vel Tulii, vel Fabii, vel alterius. Si damnatio per se non est causa immediata, nisi quod A. damnatus sit privatus suis bonis; at verò supposita hac privatione tertius ex alio jure acquirit illorum bonorum dominium, restitutio damnati non recuperat illi ea bona, quia ipsa ad tertium non pervenerunt ex vi damnationis, ut ex causa, sed ex alia justa causa per quam tertius apprehensis illis bonis fit eorum dominus, unde jam de jure naturali est, ut in illis bonis non lædatur.

Ex hoc verò colligitur, quod si v. gr. Avus relinquat 18
hæredem filium, & substituat illi nepotem, si post mortem Avi filius ante aditam hæreditatem deportetur, & fiat incapax hæreditatis, quæ propterea transeat ad nepotem, & nepos hæreditatem apprehendat, antequam filius restituatur, filius postea restitutus hæreditatem non recuperat, quia illa ad nepotem non pervenit ex damnatione filii, nisi occasionaliter, & merè tanquam causa vacationis hæreditatis, sicut qui habet expectativam ad futuram vacantiam, non obtinet beneficium ex eo, quod aliquis occidit Canonicum, nisi quia occasio fuit causa vacationis Canonicatus, sed propria causa, ob quam hæreditas ad ipsum nepotem transiit, fuit testamentum avi, seu aviterna substitutio Gloss. *in l. Gallus* §. *Et quid, si tantum*, *ff. de leg. & Posth.* Bellam. *d. consil.* 743. *n.* 9. Ubi explicat, ut hoc non procedat, si filius fuisset restitutus antequā nepos, vel expressè, vel tacitè se immiscendo agnovisset hæreditatem. Quod comprobat exemplo substituti,

in quò substitutus in primo gradu, sed damnatus, si restituatur antequam secundus gradus adeat hereditatem illam, ex vi restitutionis recuperat. Et imò Bart. *in l. 1. §. filius qui ff. ad tert.* apud eundem Bell. requirit ad hoc bonorum apprehensionem, ita quod, filius recuperaret hæreditatem, si fuisset restitutus antequam nepos illam hæreditatem apprehendisset. Sed Bellam. hoc non approbat, eo quod aditio hæreditatis sufficiat ad hoc, ut quæratur hæreditas, & omnia rerum dominia, *l. hæredes, ff. de acquir. poss.* Sed hæc est alia quæstio, an agnitio, aut aditio hæreditatis sufficiat ad acquirendum dominium, vel potius sit necessaria apprehensio. Ad casum nostrum sufficit, quod si bonorum, quibus privatur damnatus, dominium occasione damnationis sit translatum ad tertium, antequam damnatus restituatur, ex vi simplicis restitutionis in integrum illa non recuperat.

19 Colligitur secundò ex eadem extensione, quod si detur feudum talis naturæ, quod perditur per damnationem, ita quod ex natura feudi, aut suarum primævarum reconventionum sit, ut non possit transgredi personam vasalli, sed ipso naturaliter, vel civiliter mortuo, feudum redeat ad Dominum, & utile dominium consolidetur directo; si vasallus damnetur, ita ut civiliter mori dicatur, feudum reddit ad dominum, nec vasallus restitutus illud recuperat, quia ad dominium illud rediit non ex damnatione tanquam ex causa, sed ex natura talis feudi, seu ex feudali conventione. Ita Bellam. ubi supra.

20 Colligitur tertiò, quod Episcopus Clerico simpliciter deposito, & privato beneficio potest invito patrono beneficium restituere. Tancred. apud Gloss. *hic in v. Cùm ratio*, dixit, quod si Episcopus prævenit in restitutione patronum, valet restitutio, aliàs non. Et hoc ut refert eadem Gloss. approbavit Hostiens. *cap. Ex transmisso, de renunc. & cap. Innotuit, de elect.* Ancharanus verò dixit, quod si verum est, quod restitutus recuperat bona, quæ ex damnatione transeunt ad alium, quod Episcopus potest restituere clericum, invito patrono; quia ex vi damnationis ille fuit privatus beneficio. Sed non affertur, quod restitutus recuperet bona, quibus ex damnatione privatur, sed imò hoc negatur, si supposita damnatione illa ex alia causa spectant ad tertium. Sed Gloss. hic sequitur sententiam Barthol. Brixien. *in quæst. Dominicali*, quæ est 63. dicentis, quod si clericus privatus beneficio appellavit infra decem dies Episcopus potest illum restituere: secus non. Et hæc sententia teste Jo. Andr. hic communiter approbatur *per cap. Decernimus 16. q. 7.* Si enim Episcopi sententia non fuit per legitimam appellationem suspensa, sed transivit in judicatum, jam beneficium vacat, & restitutio non est, nisi nova ejusdem beneficii concessio, seu collatio, quam Episcopus invito patrono non potest facere, ut hic docent etiam Anchar. *num.* 2. Franc. *num.* 7. Barbos. *n.* 8. & apud eum Gigas *de Pens. q.* 23. *num.* 6. Sed contrarium dicendum est, quia per damnationem non vacavit absolutè beneficium, nec factus est simpliciter locus novæ institutioni, sed solùm dependenter à voluntate damnantis, & salva facultate, quam habet damnans restituendi reum pœnitentem. Ideò si beneficium sit alteri collatum legitimè, & consentiente patrono, non potest damnatus ad beneficium restitui ab Episcopo, quia jam res non est integra, sed est alienata, Felin. *dict. cap. inter quatuor num.* 7. Sed si beneficium non fuit datum alteri, sed res adhuc est integra, non potest patronus impedire, quod damnatus clericus non restituatur, & quod pœnitentia clerici, vel aliæ rationes non obtineant clerici restitutionem, si Episcopo visum fuerit opportunum illum restituere.

21 Si tamen jus patronatus esset Ecclesiasticum multò magis posset etiam Legatus à Latere hunc Clericum beneficio privatum restituere etiam invito patrono. Quod tamen in sententia Gloss. & aliorum non posset facere, si jus patronatus esset laicum, nisi eo modo, quo potest Episcopus. Sed posset id facere Papa. Verumtamen in his casibus, & in ea sententia Papa non censeretur præjudicare velle patrono laico, nisi id expresse diceret, seu nisi mentionem Patronatus laici faceret, non enim solet Papa patronis laicis præjudicare, ut consideravit Panorm. *cap. Cum dilectus, sup. de jure patronatus num. fin.* Ideò in dubio judicandum esset Papam non præjudicasse, & literas ejus tanquam subrepticias nullius esse valoris, ut hic habet Francus, & facit, quod habet Gloss. *cap. 2. infr. de præbend.* Sed & hoc idem puto dicendum de Legato, vel etiam Pontifice respectu juris patronatus Ecclesiastici; quia aliud est posse facere, & aliud est facere de facto. Nam in facto militat ratio hujus textus volentis, quod restitutio gratiæ, si fit in præjudicium tertii, censeatur subreptitia, nisi expressè id dicatur; unde nec censendum erit Legatum voluisse derogare patrono Clerico, nisi id expresserit, vel constiterit eum scivisse Ecclesiam habere patronum, & nihilominus ipsum de ea non vocato patrono disposuisse. Et in hoc sensu intelligo, quod habet Franc. scilicet, quod Legatus de latere poterit depositum Clericum restituere invito patrono, mentione de eo non facta, scilicet, si aliàs constet Legatum benè scivisse, Ecclesiam habere patronum Ecclesiasticum, & nihilominus voluisse Ecclesiam ipsam restituere nulla patronatus facta mentione. In sententia tamen Tancred. & Hostiens. & illa, quam secuti sumus, non est necessaria mentio patronatus, vel vocatio patroni, cùm imò patrono invito possit beneficiatus restitui re adhuc integra.

22 Colligitur quartò, quod si post mortem patris, postquam consanguinei adiverunt ab intestato hæreditatem illius contingat, quod illegitimus à Principe legitimetur, hoc fit sine consanguineorum præjudicio, nec potest legitimatus eos bonis aditis spoliare. Per Franc. hic, qui testatur hanc esse communem DD. sententiam *in d. §. Et quid si tantum, & facit l. fin. ff. de nat. restit.* sed hoc ampliat Domin. *num.* 5. *in fin.* ut sit verum etiam si cognati post mortem, non dum adiverint hæreditatem. Sed Anch. *n.* 4. ex Bald. refert Dynum consuluisse in facto, quod illegitimus legitimatus repellit agnatos, etiamsi jam adiverint hæreditatem, quia legitimatio omnem funditus tollit maculam, & æquiparatur nativitati, ut in Auth. *qui mo. natum eff. legi.* §. 1. Item iste non videtur deduci in novum statum, sed reponi in eum, qui verè ab origine inhæsisse videtur, unde retrò effectum suum porrigit, *arg. sup. cap. Cum aliquibus.* Nam legitimatio removet maculam geniture, & reddit legitimatum ad jus naturæ. Est verò hæc Dyn. subtilitas similis ei, quam habet Gloss. *in l. Manumissiones, ff. de just. & jur. in v. datio*, & dicitur subtilitas faciens ad intellectum *d. c. Cum aliquibus.* Nihilominus idem Anchar. cum Bart. *ad d. §. Et quid, si tantum sentit*, quod legitimatus non auferat à legitimis bona acquisita. Et alia ratione id probat. Absurdum enim esset, quod comites Palatini, qui possunt legitimare illegitimos possint auferre uni, & dare alteri.

Et certè ex quo legitimi hæredes, verè acquisiverunt dominium hæreditatis, non est rationi conforme, quod legitimatio facta auctoritate Principis tollat à legitimis heredibus, quod suum est. Si tamen legitimatio contingeret, antequam agnati, & hæredes ab intestato acquisivissent super hæreditate jus in re, & verum dominium, benè dici posset, & deberet, quod legitimatio præveniret agnatos, & eos rejiceret, quia jus ad rem, quod habent, est conditionatum, dum non sint filii legitimi. Quare jam filio legitimato cessat jus illorum per adventum conditionis illud excludentis. Et abstrahentes modo ab ea quæstione, an sola nuda cognitio hæreditatis transferat dominium, vel requiratur aditio, seu etiam hæreditatis apprehensio; hoc nobis sufficere debet, quod legitimatus postquam agnati acquisiverunt dominium, & jus in re super hæreditate, ex legitimatione non excluduntur. Et in hoc casu satis militant rationes Dyni. 23

24 Conveniunt verò DD. in hoc, quod si illegitimus restituatur vivente patre, vel si post mortem de patris voluntate, quod tunc restituatur filius etiam ad hæreditatem patris. Nec in hoc fit præjudicium agnatis, ut advertit Domin. quia pater potuisset illos omni hæreditate privare, & ex quo filius voluntate sua legitimatur, jam voluntas ejus est, ut sibi succedat in bonis tanquam filius legitimus.

25 De eo autem, qui legitimatur per subsequens matrimonium non est dubium, quod tanquam filius legitimus in bonis paternis succedit, ut dixi etiam *in tract. de elect. capit.* 25. *quæst.* 15. Movet tamen dubium hic Anchar. *num.* 5. an illegitimus legitimatus per subsequens matrimonium, si sit legitimatus post nativitatem alterius legitimi, tollat illi primogenituram; & sequitur opin. Jo. Andr. *infr. in reg. sine culpa*, ubi habet, quod

legi-

legitimatus non potest tollere jus quæsitum legitimè nato. Potest adesse hic casus, si inter nativitatem filii illegitimi, & matrimonium cum illius matre medium fuerit aliquod matrimonium legitimum, & ex eo natus sit filius. Hic enim ex tempore nativitatis suæ erat primus inter legitimos. Rationabile autem est, ut hanc primogenituram non amittat, ex eo, quod posteà per subsequens matrimonium, illegitimus prius natus legitimetur. Nam cùm legitimatio censeatur nova nativitas iste prius illegitimè natus posteriùs nascitur in ratione legitimi.

26 Tota igitur difficultas remanet, quando bona transeunt ad tertium per se præcisè ex vi damnationis. In quo casu etiam non est sermo de bonis, quæ ad Cameram Fiscalem restituentis pervenerunt. Nam jam dictum est hujusmodi bona recuperari à restituto ex vi restitutionis in integrum. Quia restituens liberè sibi vult præjudicare, ex quo damnatum in integrum restituit, & respectu illius restitutio est latè interpretanda, & militat *reg.57. contra eum, infrà de reg. juris*, si enim noluisset, ut bona ab eo possessa redirent ad restitutum, debuisset limitatè restituere, & se declarare.

27 Difficultas igitur est, quando bona damnati ex vi damnationis perveniunt ad tertium. In qua difficultate est prima sententia negativa, quæ tenet, quod restitutus bona hujusmodi non recuperet. Probari verò posset multis argumentis, ut videre est etiam apud Bellam. *concl.742.* Sed illa solvuntur de facili dicendo, quod loquuntur in casibus, in quibus bona ad tertium perveniunt ex alia causa, quàm ex damnatione, juxta prædicta; sed tamen eadem sententia probatur unico argumento, quod videtur habere vim. Quia nimirum licet sint multi modi, quibus dominia rerum per actus civiles acquiruntur, quos tradit Gloss. magistralis *in l.1. in princ. ff. de acquir. rer. dom.* Tamen dominia postquam sunt acquisita, juris gentium esse dicuntur, ut declarat Bald. *l.1. ad fin. C. de jure aureorum annulorum, & in l. rescripta col.2. C. de precib. Imper. offer.* Et ita hac ratione motus hanc sententiam tenet Franciscus de Caldas Pereyra *de restit. in integ. verbo Imploratur in integrum restitutio, num.31.* Ubi pro eadem sententia refert Jason. *in l. fin. C. si contra jus, vel util. publ. num.3. limit.7. & in l. Gallus, §. Et quid si tantum, lect.1. num.125. & lect.2. num.41.* Zacium *in l. Princeps, ff. de leg. 2. num.9.* Pinell. *in Rubr. C. de rescind. vend. cap.2. num.1. & 4.* Parif. *l.4. cons.1. num.32. & l.1. cons.1. numer. 107. cum sequent. & cons.101. numer.69. eod. vol.* Riminald. *in Rubr. instit. de donat. numer.3. & 4.* Cost. *in d. §. Et quid, si tantum, pag.76. num.175.* His verò & pluribus aliis, quos Parif. & Rimin. referunt accedit Rebuff. *in praxi, pag.267. num.32.*

28 Sed opposita sententia affirmat, & vult, quod ubi bona transeunt ad tertium per se præcisè, & immediatè ex damnatione tanquam ex causa, restitutus in integrum illa recuperet. Et ita tenuerunt Bald. *in leg. fin. C. sentent. rescindi non posse*, Alex. *in l. Gallus, §. Et quid, si tantum num.13. & in l. Si pater, ff. de adopt.* Jason. *num.56. v. limita, ff. de lib. & Posth.* Petr. de Anchar. hic *num.4. ver. Et conclude ex prædictis, & cons.500.* ubi ita concedit ad favorem mulieris, cujus bona acquisierat maritus ex quadam condemnatione lata contra uxorem, Felin. *cap. Inter quatuor, lim.1. num.5. de major. & obed.* Rota *decis.197.* inter collectas à Farinac. *post respons. crimin.* & apud Caldas *loco citato*, Andreas de Isernia *de vasall. decrep. atat. num.4.* Afflict. *in cap.1. de vasall. decrep. atat. num.26.* Decian. *cons.269. num.7. & cons.202. num.2. & in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. num.26.* Paulus Angel. quorum meminit Monchada *qq. forens. cap.1. num.10.* Barbatia *l.2. consil.24. col.2.* Suarez *alleg.12. col. antepenult.* & alii plures, quos citati DD. referunt.

29 Probatur autem primo *ex l. fin. C. de sent. & restitut.* Ubi cùm filius ex patris deportatione acquisivisset liberationem à patria potestate, ex restitutione patris eam perdidit, & pater recuperavit. Ratione etiam comprobatur, quia ut ait Bellam. *d. concl.743. num.2.* quando ex causa damnationis bona transeunt ad tertium, non transeunt ex æquitate juris naturalis, vel gentium, sed ex rigore juris civilis positivi, cujus plena administratio est apud Principem. Ideò Princeps per suas constitutiones potuit de his ordinare, & disponere, ut per restitutionem ista recuperentur, ut habetur *ex l.1. & l. in Cod. de sent. pass. & restitut.* Accedit, quod interest valdè Reipubl. ut in Principe sit potestas restituendi damnatos in integrum, & condonandi pœnas; aliter non daretur pœnitentiæ, vel locus, vel præmium; imò aliter non daretur, unde delinquentes in futurum moverentur ad præstanda eximia beneficia ad favorem publicum, si Principis manus essent ligatæ, ut vincula damnationum inflictarum disrumpere non posset, & damnatos ad pristinum statum restituere. Nam & potest casus accidere considerata ratione personæ damnatæ, & eorum, qui illi favent, & circumstantiis temporis, ut ad fugiendum aliquod imminens malum Reipublicæ bonum, nedum utile, sed omninò necessarium sit, ut damnatus restituatur in integrum; unde hoc Principis privilegium, seu meliùs facultas per se necessaria ad rectam universitatis gubernationem intacta, & illibata, & latè interpretanda servanda est Principi.

30 Inde est, quod solvitur fundamentum contrariæ sententiæ. Quamvis enim dominium sit de jure gentium; imò de jure naturali, sit ut dominus non lædatur in re sua: Ubi tamen dominium est conditionatum, seu fundatum in causa mobili, & ab alterius voluntate dependente, non est contra jus, si conditione purificata, res auferatur. Modò quando bona damnati non transeunt ad tertium, nisi ex vi damnationis, translatio illa, quæ est favor ejus, cui bona proveniunt est pœna delinquentis, & ideò habens ex natura sua, ut sit favore boni communis revocabilis, & condonabilis, & sic quod non sit translatio, & acquisitio dominii omninò absoluta, sed conditionata, & revocabilis, si Princeps damnatum in anteriorem statum restituere voluerit.

31 In hujus comprobationem facit, quod (quidquid in contrarium dixerit Simanc. *de Cath. instit. tit.47. num.15.*) Inquisitores possunt hæretico pœnitenti condonare bona in præjudicium Fisci Principis sæcularis, cui vel ex consuetudine, vel ex Pontificia lege bona pertinent, ut tanquam certissimum tradit Carena *part.3. quæst.14. num.12.* per DD. omnes, quos refert Ricciul. *de jure person. extra Eccl. grem. exist. l.5. cap.42. num.1.* Et quia sic passim observat Eminentiss. Tribunal. DD. Card. Inquis. Generál. Et ratio est, quia bona hæretici confiscata pertinent ad dispositionem Summi Pontific. unde ex ejus dispositione pœnitentibus condonari possunt.

32 Ex his verò sequitur, quod restitutio in integrum se extendit ad nomina debitorum, & obligationes vasallorum, & sic quod restitutus recuperat credita, emphyteutica bona, & feuda, licet apprehensa à tertio, & ab eo possessa, si hujusmodi bona ad tertium pervenerunt ex sola vi, & causa damnationis, Bellam. *d. conclus.743. num.2.* Andr. de Isernia *de vasall. decrep. atat. cap.1.* Afflict. *de vasall. decrep. atat. cap.1. & in l. Cum hæred. ff. de acquir. possess.* quia in hujusmodi casu non est minoris virtutis restitutio quàm sententia, sed omnia, quæ abstulit deportatio, seu culpa, restitutio reponit, ut per Bald. & Ang. *in l. Gallus, §. Et quid, si tantum, ff. de lib. & Posthum.* Eadem ratione recuperat, quæ pervenerunt ad hæredes occisi, vel accusatorem, vel ad alium tertium ex sola vi damnationis. Quidquid in contrarium dixerit Franc. *n.7.*

33 Intelligenda tamen sunt hæc juxta supradicta, ubi feudum sit transmissibile ad successorem, & non sit tale ex natura sua, ut ob mortem civilem redeat ad dominum. Pariter si bona ad Fiscum tertium pervenerunt, & ab eo occupata sunt alia causa, quàm ex damnatione, non recuperantur ex simplici restitutione in integrum, ut dictum est suprà *num.13. & 14.* Multò magis sequitur, quod restitutus recuperat bona, quæ ad nullius manus pervenerunt. Sic Clericus degradatus, aut depositus, si plenè restituatur, recuperat beneficia, ut post Jo. And. & Domin. hic *in fin.* docet Felin. *d. cap. inter quatuor, n.7. de major. & obed.* quod non esset verum, si beneficium fuisset alteri collatum, ut Felin. advertit.

34 Addit idem Felin. quod licet remissio facta in foro conscientiæ non operetur in foro externo, tamen si restitutio sit plena, & plena remissio etiam in foro contentioso, favet.

35 Quando verò Princeps velit, & Reipublicæ utilitas id exposcat, potest etiam licitè restituere damnatum ad omnia sua bona etiam alienata, & per novum contractum ad tertium pertinentia. Hoc Bell. *d. conclus.743. num.10.* limitat ad casus in jure expressos, & Principi concessos ex privilegio juris communis; quia auferre alicui jus suum, sine causa, est contra jus naturale, & divinum, quo cavetur, quod

quod reddatur unicuique quod suum est, nec lædatur alter in jure, *l.justitia,§.inter præcedentia, ff.de just. & jure, & in Decret. dist.1. in princip.* Casus autem excepti in jure sunt tres, unus *l.unic. C.de vendit. rer. fisc. allegat. Alius de quad. præsc.l.2.* Tertius *in l.1. C.de sent.pass.* & sic ultra ista, nisi alii reperiantur, standum est regulæ. Ratio autem dictorum casuum est honor Reipublicæ, qui in magistratuum honore consistit, *l.Omnem honorem, C.de appellat.& cap. ut debitus, extra eod.tit.*

36 Alii tamen absolutè docent, quod Princeps potest ex causa justa concedere restitutionem, etiam quoad bona alienata, Felin. *d.cap.Inter quatuor num.6.de major.& obed.* Caldas *loco suprà citato num.31. in fin.* Verum est, quod in hoc casu dicunt, quod Princeps tenetur de pretio iis, qui bona confiscata emerunt, & quibus ille ea aufert. Eo quia quando Princeps ex causa aufert suum alicui sine ejus culpa, tenetur ad pretium. Quod probat latè Felin. *cap. In Ecclesiarum num.28.* & idem voluit Bellam. *loco citato.* Et hoc est sine dubio verum, nisi simus in eo casu, in quo tanta, & talis sit causa, & Reipublicæ necessitas, ut Princeps possit auferre uni, & tradere alteri.

Addit verò Felin. *d.num.6.*ex Card. *in cap. Quia, de elect.* quod aliquando conceditur restitutio in forma plenissima, puta si quis restituitur per Principem in jure, non obstante aliqua condemnatione, quam voluit haberi pro non facta, nec de ea posse obiici, & tunc idem Card. dixit se vidisse de facto, quod nullus contractus factus in bonis confiscatis valuit, licet malè faciat Princeps sic faciendo sine gravi, & proportionata causa; quia decet Principem servare contractus, *cap.1. de probat.* Et ut dicebatur illi, à quibus bona auferuntur habent jus contra Fiscum, ut pretium bonorum, quæ sibi auferuntur ab eo accipiant. 37

Ultimò tandem dicitur, quod restitutus ad bona non censetur restitutus ad fructus bonorum ante restitutionem perceptos à bona legitimè possidentibus, Franc.*n.8.*probans hoc ex *Auth.Idem est de Nestorianus, C.de hæret.* 38

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IX.

SI eo tempore, quo tibi de beneficio cum cura, vel sine cura mandavimus provideri, ad obtinendum curatum beneficium idoneam non habebas ætatem: tibi, licèt nunc legitimæ effectus sis ætatis, auctoritate litterarum hujusmodi (cùm tempore datæ ipsarum adhuc non esses idoneus) de beneficio curam animarum habente nequaquam poterit provideri. Beneficium autem sine cura (cùm ad ipsum sufficientem tunc ætatem haberes) per eas licitè poteris obtinere.

SUMMARIUM.

1 *Regula Textus.*
2 *Falsa regula ab aliquibus expressa.*
3 *Nomine beneficii non venit curatum beneficium, nisi exprimatur.*
4 *Quid agendum, si Pontifex mandaret aliquod curatum dari impuberi.*
5 *Aetas quæ necessaria ad beneficia. In ea non dispensat Episcopus.*
6 *Si ætas necessaria pro certo tempore non habetur, superveniens non convalidat actum prius nullum.*
7 *In judicando de valore actus, spectamus initium.*
8 *Delegato Papæ potest Episcopus resistere in casu non expresso in rescripto.*
9 *Promovendus debet habere ætatem legitimam tempore rescripti dati, etiam respectu beneficii non curati.*
10 *Aetatem, aut qualitatem quis teneatur probare in dubio.*
11 *Adverbium* tunc *& præteritum, & futurum respicit. Hic respicit tempus impetrationis rescripti.*
12 *Idem rescriptum potest esse pro parte validum, & pro parte nullum.*

1 REgulam istam tradit hæc decretalis, nimirum ætas necessaria ad beneficium haberi debet tempore datæ literarum, in quibus mandatur, ut alicui provideatur de beneficio cum cura, vel sine cura; & ideò non habens tempore datæ ætatem ad beneficium cum cura, de eo non poterit provideri. Obtinere verò poterit beneficium sine cura, quia ad illud habet ætatem.

2 Aliter quidem ex Jo. Andr. *summatur hoc cap.* quasi contineat hanc regulam. In literis ad beneficia impetratis inspicitur tempus datæ: unde per illas beneficium curatum obtinere non potest, qui licet nunc sit major, illo tempore minor erat. Sed regula ista generalis quæ primo ponitur, ut infrà videbitur, in illis terminis generalibus, nec est vera, nec est hic intenta. Textus enim determinatè de ætate loquitur, & non de aliis in beneficiato requisitis, quorum plura sufficit habere tempore vacationis.

3 Distinguit igitur regula nostra inter beneficium cum cura, & sine cura, & ut habet Gloss. beneficium sine cura, illud est, quod per se eam non habet adjunctam: quia nomine beneficii non venit beneficium curatum, nisi exprimatur, Gloss. Archid. Domin. *num.1. & 6.* Barb. *numer.3.* Gomez *ad regul.8. Cancell.gloss.6.num.2.* & alii, quos refert Barbosa *tract.de appellat.in v.beneficium.* Longè enim major idoneitas requiritur in promovendo ad curam animarum, quæ est ars artium, imò onus ipsis etiam Angelicis humeris formidandum. Concil. Trident. *sess.6. cap.1.de reformat.* quam requiratur in beneficio non curato. Ideò si mandatur provideri alicui de beneficio, ex vi talium literarum non potest provideri de beneficio curato, *cap.Cum olim, suprà de Præbend.* Et per rescriptum tenoris hujus literæ non posset impetrans provideri in Ecclesia Cathedrali, *ut in cap.Quamvis, el 1. infrà de præbend.* & ibi per Jo. And. & hic per eundem, & Archid. *num.1.* Ancharan. *num.1.* & Franc. *num.6.* sicut nec posset provideri ad Plebanatus, Personatus, & dignitates, sed solùm ut sit simplex Parochus, & minister in spiritualibus, & temporalibus, qui non vocetur aliquo nomine dignitatis, Anchar. *num.1.* Ubi quod non est facienda vis, an eligatur à Capitulo, vel ab alio. Item si mandetur, ut provideatur alicui de aliqua dignitate, non per hoc potest ille provideri de dignitate curata, Archid.Jo.Andr.Franc.*n.6.*& Innoc. *in cap. final. sup.de Præbend.* Et omnium horum ratio est, quia rescripta ad beneficia censentur esse in materia odiosa, & strictè intelligenda, ut notatum est *sup. cap. si gratiosè, in hoc tit.* & notatur *in cap.fin.sup. de translat.*

Quid verò agendum esset, si Pontifex mandaret aliquem puerum impuberem provideri de beneficio curato? Non esse statim obediendum, sed admonendum prius esse Pontificem, nisi constaret de certa Pontificis scientia, dicit Domin. *num.5.* Sed Archid. *num.1.* ex Hostiens. dicit non esse obediendum, quia in hoc adest animarum periculum, quod est vitandum. Excipit tamen utilitatem, & necessitatem Ecclesiæ alleg. *cap.Scias 7.quæst.1. & cap. Cum in cunctis, de elect.* Sed quod Papæ mandato de providendo non sit obediendum cum peccato mortali dixit etiam Fagnan. *cap.Grave num.5. sup. de Præbend.* At è contra in nostro casu ubi constet de scientia Papæ, quod sit illi obediendum voluerunt apud eundem Archid. Tancred. Goffred. & Innoc. Sed hujus quæstionis resolutio pendet ab illa generali, an superiori injusta præcipienti sit obediendum. De qua quæstione latè dixi *tom.1. de stat.quæst.186.art.8. inspect.3.* Et quidem hic primo attendi debet, an rescriptum sit subrepti- 4

tium,

tium, & extortum sine Papæ scientia, ideò non constet simile rescriptum procedere ex certa Pontificis scientia, rescribendum erit, & debebit admoneri Pontifex de inhabilitate subjecti, ut dixi Domin. At verò ubi Pontifex ex certa scientia conferret beneficium curatum impuberi, simul provideret, ne adesset periculum animarum modo sibi benè viso. Quod si non fieret, & de scientia Papæ disponentis non posset dubitari, adhuc nisi certum esset mandatum esse injustum, & tale, ut sine peccato executioni dari non posset, in dubio esset illi obediendum, & præsumendum esset, quod mandatum sit justum, & ex justa causa proveniens, ut loco citato est probatum.

5 Principale igitur intentum regulæ nostræ est, quod in beneficiis ætas superveniens tempori impetrationis non convalidat actum. Disputant verò hic antiqui Canonistæ de ætate necessaria ad beneficia obtinenda. Et Gloss. quam plures sequuti sunt, vult, quod ad beneficia simplicia sufficeret ætas septennii. Sed modo ex Concil. Trident. *sess. 23. cap.6. de reformat.* ad beneficia simplicia necessaria est ætas quatuordecim annorum; sufficit verò quartus decimus annus inchoatus. Sed de ætate necessaria ad beneficia, & dignitates latè dixi *tract. de elect. cap.* 25. *quæst.* 33. *pag.* 441. Hoc nunc sufficiat advertere, quod super hoc ætatis requisito non potest Episcopus dispensare, Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *quæst.* 5. Barbosa hic *numer.* 9. Unde si Episcopus conferret beneficium minori quatuordecim annis, collatio esset nulla, nec superveniens ætas eam convalidaret.

6 Duæ aliæ regulæ juris colliguntur. Prima est, quod ubi ad valorem actus requiritur in agente, vel patiente in certo tempore determinata ætas, si tunc cùm est necessaria, illa deficit, ex eo quod posteà superveniat, non convalidatur actus nullus, Archid. Jo. Andr. Anchar. *n.* 2. Franc. *n.* 3. Sic enim quia ad valorem impetrationis beneficii est necessaria in impetrante certa ætas, ut habenda tempore impetrationis, si illa tunc non habetur, literæ non valent, sed sunt subreptitiæ.

7 Aliam regulam colligit Glossa, nimirum quòd in judicando de valore actus spectamus initium. Ad quod facit *cap. Dudum, sup. de elect.* & quod ibi notatur. Ubi enim actus in sui initio sit nulliter factus, tractu temporis non firmatur, juxta *regul. cap. Non firmatur, infr. de reg. jur.*

8 In hoc verò casu Ordinarius nedum non teneretur exequi literas, si ad illum directæ fuissent, sed posset, & deberet impedire executorem alium, ne tali, cui deficiebat ætas tempore impetrationis beneficium curatum conferret, *in cap. Eam te, sup. de ætat. & qual.* Ex quo habetur, quod Episcopus Delegato Papæ potest resistere in casu nun incluso in rescripto, Archid. *num.* 1. Domin. *num.* 6. Franc. *num.* 3. ubi quod videri potest alius similis casus in Innoc. *in cap. Inquisitioni, sup. de sentent. excomm. & cap. Cum teneamur, sup. de præb.*

9 Cùm verò, ut dictum est, modo ex Concil. Trident. ad beneficium sine cura sit necessaria ætas 14. annorum, jam prima parsregulæ hujus textus videtur extendi etiam ad beneficium sine cura, in casu in quo qui literas impetravit, non haberet ætatem 14. annorum tempore impetrationis. In textu enim intantum dicitur, quod impetrans potest beneficium sine cura obtinere, quia ad illud habet ætatem; si ergo contingat ætatem deficere, non potest sibi conferri beneficium. Sed de hoc dicam infra *num.* 23.

10 Idoneitas autem, seu ætas necessaria à quo probanda? Laurent. & Joan. apud Archid. hic *num.* 1. dixerunt, quod in dubio ætatem probare spectet ad actorem. Quod notarunt *in cap. Presbyter, 78. dist.* Franc. remittit ad Joan. Andr. *in reg. Infantibus*, & ad Bart. *in l. de ætate, ff. de minor.* Anchar. pariter remittit ad Bart. *in d. l. de ætate*, asserens, quod ubi desint testes, ætas probanda sit ex aspectu, Archid. & Domin. *num.* 6. dicunt onus probandi ætatem spectare ad eum, qui eam allegat, & qui in eo fundat intentionem suam. Et verè sic est. Sic enim si impetrans rescriptum illius executionem petat, & sit dubium de ejus ætate, aut idoneitate, ejus est illam probare. Sed si alius velit impetrantem rejicere, ex eo, quod illi desit ætas, hoc ille probare tenetur.

11 Sic explicata regula textus, extra regulam notandum est primò, quod adverbium *tunc* est adverbium temporis, quod aliquando significat tempus præteritum, & aliquando futurum, ut notant Archid. *num.* 3. & Domin. *num.* 6. In præsenti, ut notat Gloss. respicit præteritum, nimirum tempus impetrationis rescripti.

12 Notandum secundò, quod alia regula generalis colligitur ex his verbis, nimirum quod idem Papæ rescriptum potest esse pro parte nullum, & pro parte validum. Quia ejusdem rescripti virtute idem non potest promoveri ad beneficium curatum, & potest promoveri ad non curatum.

Hic unica est quæstio.

SVMMARIVM.

13 *Argumenta in oppositum.*
14 *An requisitum meritorum haberi debeat tempore impetrationis.*
15 *Cur taciturnitas ætatis causet subreptionem.*
16 *Non sufficit dicere, quod ætas est necessaria ad curatum, non ad sacerdotale.*
17 *Nec verum est, quod ad impetrandum beneficium simpliciter, non sit necessaria ætas.*
18 *Nec concordantur textus dicendo, quod hic est sermo, quando rescriptum est subreptitium.*
19 *Per se non est necesse habere qualitates ad beneficium necessarias, nisi tempore vacationis, nisi in casibus expressis.*
20 *Duo casus excepti.*
21 *Hoc verum etiam respectu beneficii simplicis.*
22 *Ad impetrandum beneficium absolute est necessaria ætas tempore data.*
Non tamen ad impetrandam qualitatem beneficii sacerdotalis.
23 *An nunc ad beneficium simplex sit necessaria ætas 14. annorum tempore data.*
24 *Meritum habere sufficit tempore collationis.*
25 *Ordinem sufficit sumere tempore statuto a jure.*
26 *Quid si impetrans sit laicus.*

Quæst. unic.

ARTICULUS I.

Utrum universaliter verum sit, quod qualitas necessaria ad beneficium habenda sit tempore impetrationis, & data literarum Apostolicarum.

13 Videtur enim ita affirmandum ex hoc textu, in quo ex eo negatur, quod possit virtute rescripti promoveri ad beneficium curatum, qui illud impetravit, si non habuit qualitatem necessariam ad tale beneficium tempore datæ ejusdem rescripti. Verum nonnulla in contrarium faciunt t. *cap. Si pro Cleric. inf. de præb.* in quo statuitur valere rescriptum ad beneficium curatum impetratum ab eo, qui tempore datæ sacros ordines non habebat. Item *cap. Et cui, inf. de præben.* supponitur beneficium sacerdotale validè concedi, & obtineri ab eo, qui tempore vacationis habuerit ætatem, licet eam non habuerit tempore datæ rescripti; igitur non est universaliter verum, quod ætas, seu qualitas necessaria ad beneficia haberi debeat tempore datæ literarum Apostolicarum. In contrarium est, quod ubi lex aliquas qualitates requirit, illæ debent haberi actu, & non habitu, Panormit. *cap. Cum in cunctis, §. inferiora num.* 10. *de elect.* Gloss. & DD. *in cap. statutum inf. hoc tit.* Fagnan. *cap. Inter cæteras, n.* 52. *de rescript.*

14 Domin. *infra cap. Si Pauper, num.* 2. *de præbend.* tenuit, quod ubi sit quæstio de merito, sufficiat habere illud tempore vacationis, non verò esse necessè, quod illud habeat tempore impetrationis. Sed Archid. *in d. cap. Si pauper num.* 3. *in fine*, post Joan. & Joan. de Ancona existimat, quod in literis gratiæ sit necessè habere qualitates, & meritum tempore impetrationis, nec oppositum haberi ex illo textu, qui loquitur de literis impetratis in forma pauperum, idem sentit hic Franc. *num.* 2.

15 Domin. autem *num.* 6. expendens, quod taciturnitas Ordinis non vitiat rescriptum, quod facit taciturnitas ætatis reprobat primo rationem hujus differentiæ redditam à Zenaelino, quæ erat discrimen esse, quia plus nocet defectus ætatis, quàm Ordinis, quia facilius non ordinatus potest ordinari, quàm non habens legitimam ætatem possit

sit illam consequi, Hoc verò impugnat Domin. ex eo, quod sequeretur, quod rescriptum valeret impetratum per existentem in 24. anno circa finem; quod tamen non est verum. Sed sustinetur ratio Zenzel. nec sequitur absurdum; quia lex considerans id, quod potest evenire sæpè, & de facili, scilicet, quod qui non habet ætatem legitimam tempore impetrationis, de facili nec eam habeat tempore vacationis universaliter disposuit, quod ætas haberi debeat tempore impetrationis. Aliam tamen rationem, & ut puto meliorem reddit Domin. nimirum quia jura non adstringunt ad hoc ut habeantur ordines, antequam habeatur beneficium, imò potius in ordinando beneficium supponunt. Unde ordo non est qualitas necessaria ad beneficium obtinendum, ad quod tamen de jure est necessaria ætas; & ideò taciturnitas defectus ætatis reddit gratiam subreptitiam, non verò taciturnitas ordinis. Sed vera causa, quod taciturnitas ætatis causet subreptionem, est quia id lex statuit; quare verò hoc statuerit, reddi potest, quia idoneitas cognitionis, & prudentiæ in agendo comitatur ætatem, & secundùm augmentum ætatis crescit, ideò lex determinavit ætatem pro beneficiis; ad quæ tamen omnia non est necessarius ordo; & quando etiam est necessarius, non datur tamen ratio gravis necessitans, ut prius habeatur ordo, quàm beneficium, sed sufficit tempore statuto à lege beneficiatum ordinari, nisi beneficium sit tale, quod requirat ordinem in actu.

16 Quantum verò ad contenta *d. cap. Ei cui*, Gloss. *ibid. in v. Nondum*, concordat illud cap. cum isto, quod ad beneficium curatum, ut hic dicitur sit necesse habere ætatem necessariam ad beneficium tempore dati rescripti, sed hoc non est necessarium ad beneficium simplex sacerdotale. Sed Gloss. hic *in v. tunc*, hoc rejicit, nisi magis explicetur, quia ex hoc textu etiam ad beneficium simplex necesse est habere ætatem etiam tempore impetrationis, ut legenti patet, & sic videtur, quod etiam ad beneficium sacerdotale.

17 At Barbosa hic *num.5.* aliter distinguit, & resolvit. Ait enim quod si in rescripto exprimitur qualitas beneficii, sicut hic factum est, qualitas ætatis necessariæ ad illud beneficium debet haberi tempore impetrationis. Secus si beneficii qualitas non fuit expressa, sed mandatum est aliquem promoveri ad beneficium proximè vacaturum simpliciter, quia hoc rescriptum sic indefinitum statim à principio vim habet; & sic sufficit posteà quod promovendus habeat ætatem tempore vacationis. Sed hæc interpretatio petit, quod probare debet. Nam unde habetur, quod rescriptum datum indefinitè statim habeat effectum, sive impetrans habeat, sive non habeat ætatem, cùm ex hoc textu ad impetrandum beneficium, etiam sine cura, & ex consequenti ad impetrandum beneficium simpliciter sit necessaria tempore datæ?

18 Aliam expositionem dat Barbosa *in d. cap. Ei cui*, quia nimirum hic textus loquitur, quando rescriptum est subreptitium; ille verò quando non est tale. Sed neque hæc concordia subsistit, quia imò sensus hujus textus est, quod semper rescriptum est subreptitium, & inane, quando minor non facta minoritatis mentione impetrat beneficium sive cum cura, sive sine cura, ut communiter explicatur, & est legenti manifestum. Et sic etiam subreptitium erit rescriptum hoc modo non facta minoritatis mentione impetratum de beneficio sacerdotali, quantum sit ex vi hujus textus.

19 Respondetur igitur ad quæstionem, & dicitur primò, quod per se loquendo sufficit habere tempore vacationis qualitates ad beneficia necessarias, solùm verò in casibus à jure expressis, vel à consuetudine, & praxi curiæ requisitis est necesse habere illas tempore impetrationis literarum Apostolicarum. Prima pars hujus asserti probatur, quia universaliter sufficit habere medium necessarium ad finem, tunc cum eo opus est, nimirum tempore exercitæ consecutionis finis, quia medium non est necessarium, nisi propter finis consecutionem. Sufficit enim habere currum, vel equum, cùm habendus est iter. Sic igitur sufficit, quod idoneitatem ad beneficium habeat quis tunc, cùm beneficium consequitur. Nam & habilitas ad beneficia est necessaria, ne beneficium detur inhabili, ad hoc verò sufficit habilitas in eo tempore, cùm quis promovetur ad beneficium. Hoc verò patet ex juribus allegatis, ex quibus habetur, quod aliquando sufficit habere ordinem, vel ætatem tempore vacationis beneficii; igitur per se non est necesse habere has, vel alias qualitates tempore impetrationis literarum. Solùm igitur in casibus à jure expressis est id necessarium, vel ubi consuetudo, seu praxis curiæ id requirit.

Hi verò casus sunt plures, & primò ex parte impetrationis gratiæ, necesse est ut impetrans non sit excommunicatus, *cap. Ipso jure, sup. in hoc titulo*. Item ætas necessaria ad hoc, ut aliquis promoveatur ad beneficium curatum, debet haberi de tempore impetrationis. 20

Sed & dicitur, quod hoc est verum etiam respectu beneficii simplicis. DD. enim hic non distinguunt, sed regulam textus universaliter intelligunt, & ita ut quidam, ut Franc. *num.2.* illam extendant etiam ad alias qualitates. Et in summa textus dicitur generaliter, quod in rescriptis ad beneficia respicitur tempus datæ. Et quamvis, ut dictum est *num.1.* hoc in hac universalitate non sit verum, tamen quantum ad ætatem est universaliter assertum in hoc textu. Nam & loquens de beneficio non curato, ex eo dixit impetrantem posse illud consequi, quia tunc id est, ut explicat Gloss. tempore impetrationis ætatem habebat. 21

Ad id verò, quod adducitur in contrarium *ex cap. Ei cui, infr. de prebend.* Respondetur ex Gloss. hic, quod in beneficio consideratur & substantia beneficii, & qualitas ejus, & qualitatum alia est majoris, alia minoris existimationis. Ad beneficium secundùm substantiam impetrandum, est necessaria ætas de tempore impetrationis. Et sic minor non potest impetrare validè beneficium sacerdotale, nisi facta mentione minoritatis ætatis, necessariæ ad beneficium, licet possit illud impetrare validè, si habita ætate ad beneficium solùm sibi desit ætas necessaria ad beneficium ut sacerdotale. Et sic ætas ut habita tempore datæ est necessaria, & ad impetrandum beneficium secundùm substantiam, & ad qualitatem curati, non verò est necessaria ad qualitatem sacerdotalis beneficii, & hoc solùm habetur *ex d. cap. Ei cui*. Nec oppositum decernitur in hoc cap. in quo solùm decernitur, quod minor validè non impetrat beneficium, vel qualitatem curati, nisi facta mentione minoritatis ætatis. 22

Cùm verò antiquitus ætas necessaria ad beneficium esset septem annorum, modò verò sit annorum 14. Numquid modò erit nullum rescriptum, si quis impetret expectativas ad beneficium non habens tempore datæ 14. annos? Videtur quod sic, quia nunc hoc est tempus necessarium ad beneficium obtinendum. Sed in oppositum est, quod considerandum est tempus, de quo lex loquuta fuit, lex verò decernens necessariam esse ætatem ad beneficium tempore dati rescripti ad beneficia vacatura, loquebatur de anno septimo, quod tunc erat necessarium. Concilium verò Tridentinum, quod extendit ætatem necessariam ad annum 14. nihil innovavit, circa necessitatem habendi eandem ætatem tempore impetrationis, & sic in hoc videtur standum esse juri antiquo. Sed instatur, quia lex antiqua non respexit tempus determinatum septem annorum, vel ampliùs, sed respexit formaliter ætatem necessariam ad beneficium, & habuit pro inconvenienti, quod beneficium petere, & impetrare vellet, qui ad beneficium non habebat ætatem; quidquid esset, quænam ætas esset necessaria, unde & modò viget eadem lex respectu anni 14. Sed replicari potest, quod imò lex respexit ætatem determinatam, quia pro inconvenienti habuit, ut infans ante usum rationis peteret, vel impetraret beneficium etiam vacaturum. Nam & aliàs quod impetretur gratia expectativa à non idoneo actu, sed qui tempore vacationis potest esse idoneus, per se non habet absurditatem, cùm possit impetrari qualificatum beneficium à non habente actu qualitatem ad beneficium requisitam. Sed in hoc puncto dico servandum esse stylum curiæ. 23

De aliis autem qualitatibus loquendo, ut puta de merito, placet sententia Dominici suprà relata, scilicet, quod sufficiat habere illud tempore vacationis, quia non est lex, quæ oppositum decernat, & lex hujus capitis loquitur de ætate, nec debet extendi de casu ad casum. Nam & de ætate loquendo lex ista non est universalis, cùm ad qualitatem beneficii simplicis sufficiat habere illam tempore vacationis. 24

Sic

25 Sic etiam ubi ad beneficium est necessarius ordo, non est necessarium illum haberi tempore impetrationis, imò nec est necessarius, ut habeatur tempore collationis beneficii, sed sufficit, si habeatur posteà tempore statuto à sacris Canonibus. Videri possunt, quæ de hoc scripsi *tract. de elect.c.25.q.32.pag.432.*

26 Sed quid dicendum, si quis tempore impetrationis habeat quidem ætatem legitimam, & merita, sed sit laicus adhuc; valebit in rescriptum non facta mentione, quod impetrans sit laicus? Archid. *num.*3. & Franc. *num.*8. post Calder. & Imolam dicunt, rescriptum non valere. Et quidem ex hoc textu, qui requirit idoneitatem tempore datæ. Sed hæc ratio non valet, quia textus loquitur de ætate; & ex prædictis constat resolutionem ejus non esse universaliter intelligendam. Citatur etiam *cap. Ex parte Decani, suprà hoc tit.* In quo non lego aliquid, quod ad rem faciat, *in cap. Cum adeo, eodem tit.* haberi potest aliquod fundamentum; judicatur enim, quod rescriptum aliquod ex hoc etiam fuisset subreptitium, quod non fiebat mentio de Clericatu. Panormit. ibi habet, quod de stylo in impetratione beneficii, facienda est mentio de Clericatu, sed credit, quod de jure non sit necessarium, quia subintelligitur clausula, si est idoneus. Si verò laicus gerat se pro clerico, & deferat habitum, adhuc impetrationem beneficii factam, non habita mentione clericatus putat Panormitan. *num.*3. esse nullam ex Gloss. *in cap.2. de Institut. & cap. Si de præsumpt.* licet Compost. *ibid.* dixerit eam valere, quia ille animi destinatione est clericus. Sic etiam Specul. *tit. de act. & pet. §. De actionibus, vers. Sed numquid scholaris*, voluit hujusmodi rescriptum valere dummodò impetrans esset in proposito clericandi. Sed in his standum de stylo Curiæ.

SUMMARIUM.

27 *Opiniones diversæ. 28.29.*
30 *Non valet rescriptum datum motu proprio ei, qui non habet ætatem tempore vacationis.*
31 *Valet si solum deficit ætas tempore datæ.*

ARTICULUS II.

An rescriptum impetratum à non habente ætatem ad beneficium valeat, si sit datum motu proprio.

27 Videtur enim valere ex eo, quod motus proprius tollat subreptionem. Nihilominus, quod non valeat, si saltem non adsit clausula generalis, *non obstante*, voluit Lap. quem sequitur Anchar. hic *num.5. in fine*. Nam licet ad tollendam subreptionem sufficiat motus proprius, tamen ad dispensandum in defectu non sufficit, nisi addatur saltem clausula *non obstante*. Quæ tamen clausula sine motu proprio parum operatur, ubi est defectus personæ, pro quo scribitur.

28 Sed è contra Domin. hic *num.6.* voluit, quod motus proprius sufficiat, etiam non posita clausula *non obstante*, quia motus proprius tollit subreptionem, *ut in cap. Si motu proprio, infrà de præbend.* Si ergo impetrans alias habeat ætatem legitimam tempore vacationis, non obstat, si eam non habeat tempore impetrationis, quia hujus mentio est necessaria ad vitandam subreptionem: hanc verò tollit motus proprius, etiam non facta mentione.

29 Sed nec sufficere motum proprium etiam cum clausula generali *non obstante*, si Papa non rescribat ex certa scientia post Jo. de Fan. voluit Franc. *n.5.* Et ratio est, quia motus proprius, licet tollat subreptionem, non tollit inhabilitatem aliam personæ, pro qua scribitur, ut voluit Gloss. *in ver. validam, Clem. Si Romanus, de præbend.* Et clausula generalis *non obstante*, nec de se, nec adjuncta motui proprio operatur habilitatem personæ, Ideò nisi Papa rescribat ex certa scientia; motus proprius non sufficit, juxta Gloss. *in cap.1. de constit. in hoc libro.*

30 Hæc sententia Franc. vera est, si impetrans neque tempore vacationis habet ætatem legitimam, quia ut dixit Lap. motus proprius non dispensat super lege requirente ætatem ad beneficia, & ut voluit Gloss. nec tollit inhabilitatem subjecti. Quod neque facit clausula generalis, *non obstantibus quibuscumque*. Motus tamen proprius Papæ, si sit ex ejus certa scientia etiam dispensat, & inhabilitatem scitam tollit, unde & tollit inhabilitatem ex defectu ætatis.

31 Sed ubi tempore vacationis impetrans habet ætatem legitimam, & in hoc non indiget dispensatione, ex eo solùm, quod hanc ætatem non habuerit tempore impetrationis, non erit nullum rescriptum datum motu proprio Papæ. Quia inhabilitas ad impetrandum beneficium curatum si tempore impetrationis non habeat ætatem ad illud necessariam est inhabilitas subreptionis, est enim necessarium, ut fiat mentio talis defectus, quia ex eo cognito posset moveri Papa ad non rescribendum. At verò motus proprius subreptionem tollit, & sic tollit necessitatem mentionis eorum, quæ necessaria sunt ad subreptionem vitandam, aliter nunquam motus proprius tolleret subreptionem, si non tolleret inhabilitates hujusmodi, & necessitates faciendi mentionem de hoc, vel illo, quia mentione non facta, rescriptum est subreptitium. Et confirmatur, non enim minus inhabilis ad impetrandum est novum beneficium, qui habet actu aliud beneficium, quàm qui actu non habet ætatem legitimam tempore impetrationis, quam habebit tempore collationis beneficii, & tamen motus proprius illam tollit inhabilitatem, *cap. Si motu proprio, inf. de præb.*

SUMMARIUM.

32 *Rationes ad quæstionem.*
33 *Rescriptum ex parte potest esse validum.*
34 *Potest esse valida commissio quoad judicium, & nulla quoad formam judicii.*
35 *Regula data deficit in connexis.*
36 *Et ubi subreptio est dolosa.*
37 *Et ubi subreptio est circa principale.*
38 *Et ubi subreptitiè obtentum fuit causa obtinendi aliud.*
39 *Regula valet, etiam si subreptio sit ex narratione falsi.*
40 *Et ubi impetratur retentio plurium beneficiorum.*
41 *Objecta in principio solvuntur.*
An ubi concessio est alternativa, Commissarius habeat optionem.

ARTICULUS III.

Utrùm rescriptum ex parte non subreptitium, valeat pro ea parte, in qua non est subreptitium.

32 Videtur enim, quod non valeat, quia aliter daretur ampla via fraudibus, & media subreptione ex parte impetrari posset aliquod beneficium à Sede Apostolica. Et eò magis, quod impetrans rescriptum à Papa ex sola negligentia perdit effectum illius, *cap. Si clericus, infrà de præbend.* Ergo multò magis eum perdere debet ex adjuncto defectu subreptionis, qui major est negligentia. Nam rescriptum ex parte subreptitium habet initium vitiosum, & in parte subreptitium. Item si datur rescriptum alternativum remanet in optione Commissarii eligere, quam partem voluerit. Igitur cùm rescriptum, de quo est sermo in hoc textu sit alternativum, erit in optione Commissarii dare alterum, & sic nullum poterit dare, scilicet non poterit dare curatum, quia impetrans ejus non est capax, & ex vi optionis poterit alium negare.

33 Dicitur nihilominus ex hoc textu haberi regulam, quod rescriptum ex parte solum subreptitium, valet pro ea parte, qua non est tale. Et sic impetrans subreptitiè ex hoc non fit inhabilis, ut validè impetret id, quod sine subreptione impetrat. Nam in hoc textu decernitur, ut qui impetravit subreptitiè beneficium cum cura, validè censeatur impetrasse beneficium sine cura. Et rescriptum valere in quo mandatur, ut alicui detur beneficium cum cura, vel sine cura, ita ut si impetrans est incapax beneficii cum cura, possit obtinere beneficium sine cura, Domin. *num.6.* Franc. *num.3.* Barb. *num.2.* Panormit. *sup. cap. super literis, num.5.* ubi Dec. *num.7. & cap. Sedes, num.2.* ubi Felin. *num.2. de rescript.* Sanchez *lib.8. de matrim. disp.21. num.61. & 71.* In hoc enim casu, rescriptum virtute est multiplex, unde sicut

sicut subreptio unius rescripti, non vitiat aliud rescriptum sine vitio impetratum, sic neque subreptio in una parte rescripti vitiat aliam.

34 Quamobrem v. g. si quis à Pontifice impetret committi causam asserens suæ patriæ consuetudinem esse, ut causæ similes cognoscantur de plano sine forma judicii, quod tamen non est verum. Rescriptum erit validum quantum ad commissionem, & Delegatus poterit procedere in causa, sed forma judicii communis servata, quia rescriptum quoad formam judicii, & concessionem procedendi de plano subreptitium, non erit validum, Panormitanus *d. num.* 5.

35 Limitatur tamen hæc regula primò, ut procedat solùm in separatis, & non connexis, quando scilicet unum ex concessis potest separatim exequi sine alio, & ab eo in facto separari. Non verò si concessa sint connexa, & ex eadem causa orta in eundem tendunt finem. Ita DD. citati, & præterea Gloss. *in cap. Constitut.* & ibi Imola *in col.* 4. *de reservat.* & fuit casus illius, *cap. Constitutus*, secundùm Franc. *d. num.* 3. Quia erat ibi subreptitium rescriptum respectu Canonicatus, & tamen censetur subreptitium etiam ratione præbendæ, quia sunt connexa, ut habet Gloss. ibi *in v. Præbend.*

36 Limitatur secundò, ut procedat ubi subreptio est ex simplicitate, & ex ignorantia, non verò ex dolo, & malitia; Nam ubi dolus est, vitiatur totum rescriptum, *cap. super literis sup. hoc tit.* 1. *Et si legibus, C. Si contra jus*, & Panormit. *d. cap. super literis, num.* 5. *& cap. Sedes num.* 2. ubi Felin. *n.* 2. Franc. hic *n.* 4. Barbos. *n.* 2. Sanchez *d. disp.* 21. *num.* 61. Quod est verum, ut Franc. advertit, etiam si rescriptum contineat separata, & subreptio non fuerit causa obtinendi totum, sed partem tantùm.

37 Limitatur tertiò, quando subreptio est commissa circa principale, à quo alia impetrata dependent, & ad illud se habent, ut accessoria, *cap. Sedes, supra de Rescript.* ubi Panormitan. *num.* 4. Felin. *num.* 2. Franc. hic *num.* 4. Et dant exemplum Panormitan. *ex d. cap. Sedes*, & Franc. hic. Quia enim in rescriptis justitiæ persona contra quam impetratur rescriptum est principale. Nam clausula generalis *quidam alii*, seu *omnesque alii* (de qua plura dicta sunt *sup. cap. Cum in multis, in hoc tit.*) recipit intelligentiam & declarationem à specie expressa, nimirum ab uno, vel pluribus in commissione expressis, ideò si comitatur subreptio circa personam expressam, rescriptum in totum corruit.

Limitatur quartò, ut non procedat, ubi quod obtinetur subreptitiè fuit causa, quod alia obtinerentur. Tunc enim rescriptum corruit in totum, Panormit. *d. cap. Sedes, n.* 5. ubi Felin. *n.* 2. Franc. hic *n.* 4.

Limitatur quintò à Panormit. *d. num.* 5. ut non procedat, ubi subreptio est ex narratione falsi. Sed rejicitur à Felin. *dict. num.* 2. quia etiam narratio falsi potest fieri sine dolo, & ita, si adest dolus, casus spectat ad secundam limitationem; si dolus deest, non est unde dicatur, quod subreptio sine dolo in una parte separabili vitiet rescriptum totum. 38

Limitatur sextò à Francho, nisi impetratio rescripti fiat super pluralitate beneficiorum, quorum unum teneatur violenter, seu aliàs scienter injustè tacito de illius intrusione: quia tunc dispensatio vitiaretur in totum etiam super aliis beneficiis. Ita enim videtur velle, Gloss. *in ver. obtineant, in cap. Eum, inf. de præbend.* licet textus *in cap. Si gratiosè, supr. hoc tit.* aliqualiter faciat contra. Sed ibi non est dispensatio, sed potius prorogatio. Ita Franc. *num.* 4. remittens Lectorem ad dicta in eo cap. Sed neque hæc limitatio admitti debet, quia est verè contraria *d. cap. Si gratiosè*, in quo decernitur, ut si alicui est concessa retentio plurium beneficiorum, ex vi illius retineri possunt tantùm legitimè obtenta. Etiam si igitur aliquod illorum sit illegitimè occupatum, non impedit, quin legitimè obtenta retineri possint. Neque negari potest, quod hujusmodi concessio sit etiam dispensatio, quia si retentio illorum beneficiorum non fuisset contra legem, non fuisset opus gratia Papæ ad illa retinenda. 39

Ad primum eorum, quæ in principio articuli opposita sunt, dicitur, quod ubi est dolus, regula non procedit. Ad secundum dicitur ex Joan. Mon. Joan. Andr. & Domin. *num.* 3. quod sicut negligentia in toto, nocet in toto, sed in parte, nocet in parte, & non in toto: Ita subreptio nocet in toto, si sit circa totum, sed solùm nocet in parte, si sit circa partem. Ad tertium dicitur ex Joan. Andr. & Domin. quod ubi solùm beneficium non curatum potest concedi, Papa non relinquit Commissario optionem ex duobus, sed beneficium curatum, ut non debitum censetur non inclusum in literis, quæ intelligi debent, ac si rescriptum solùm de beneficio non curato loqueretur. Sed dicitur secundò, quod esto Commissario data sit optio ad hoc, ut det unum ex duobus, non est data, ut det nullum; unde si unum non potest conferre, tenetur conferre alterum, quidquid sit, an primo vacaverit curatum, vel non curatum. 40

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT X.

SI propter tua debita persolvenda fructus beneficiorum primi anni, quæ in tua vacabunt diœcesi, tibi (non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, privilegiis, vel statutis, per quæ nostra impediri posset concessio) usque ad quinquennium de speciali gratia concedimus: intentionis nostræ nequaquam extitit, si fructus hujusmodi ecclesiæ tuæ fabricæ, vel alteri usui, seu cuicumque singulari personæ, de speciali consuetudine, privilegio, vel statuto forsitan debeantur, quod eis per concessionem ipsam (nisi hoc expressè caveatur in ea) præjudicium aliquod generetur.

SUMMARIUM.

1 *Regula Textus.*
2 *Paupertas non excusat ab obligatione solvendi debita.*
Clericus non potest conveniri suprà id, quod potest.
3 *Pro solvendis debitis, & aliis causis possunt concedi fructus vacantium.*
4 *Cathedralis debitis solvendis non tenentur aliæ Ecclesiæ.*
Episcopus non potest ad sui utilitatem convertere bona aliarum Ecclesiarum.
5 *Fructus omnes percipere potest Episcopus privilegiatus.*
An separatos, vel solum reconditos: remissivè.
6 *Fructus intelliguntur demptis expensis.*
7 *Considerandum de quibus beneficiis.*
8 *Annus quintuplex.*
9 *De anno naturali est hic sermo.* 9.
10 *Licet fructus primi anni sint privilegiati, beneficium debet conferri suo tempore.*
Tunc beneficiato assignabitur congrua portio.
11 *Privilegiatus iste non assimilatur usufructuario.*
12 *Clausula* non obstantibus, *si non tollit dilatorias redditur nulla gratia concessa ad tempus.*
13 *Clausula* non obstantibus, &c. *non derogat juri quæsito à tertio.*
14 *Duplex intellectus textus.*

15 *Reji-*

15 *Rejicitur, & eligitur tertius.*
Si fructus sunt de jure tertii gratia facta Episcopo est nulla.
16 *Privilegiatus quando percipiat fructus beneficii vacantis in fine quinquennii.*
17 *Fructus beneficiorum primi anni nonnisi ex speciali gratia conceduntur Episcopo.*
18 *Gratia ista non est simpliciter favor.*
Quid attendi debeat, ut judicetur, quod rescriptum sit favor.
19 *Papa fructus beneficiorum potest alteri concedere.*
An Legatus id possit.
20 *Episcopum id posse quidam dixerunt.*
21 *Episcopi pensiones non possunt imponere.*
22 *An Episcopus pro tempore vacationis possit fructus beneficiorum applicare ad pium usum.*
23 *Intentionem suam declarare Pontificis est.*
Pontificis intentio est per clausulam generalem non derogare juri quæsito ex speciali jure.

1 QVod decretalis ista ob multitudinem intellectum non fuerit summata à Joan. Andr. advertitur à Crotto *in princip.* Ex Joan. tamen de Fantutis sic eam summat, scilicet, Generalis gratia habens clausulam generalem, nimirum, *Non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, privilegiis, vel statutis, per quæ nostra impediri posset concessio, &c.* nisi id aliter exprimatur non præjudicat juri specialiter ex consuetudine, privilegio, aut statuto alii quæsito. Et hanc ait comprehendere utrumque intellectum, Domin. ex Zenzel. hanc aliam summam refert. Gratia generalis non præjudicat speciali, & debet facere mentionem de præcedenti consuetudine, privilegio, vel statuto. Ex his verò prior summa magis expressè, & clarè exprimit sensum, & mentem Pontificis in hoc textu, quæ est, ut præservetur jus tertio quæsitum consuetudine, privilegio, aut statuto, contra rescripta gratiæ etiam munita clausula, *Non obstantibus consuetudinibus privilegiis, & statutis.* Exemplariter verò ponitur rescriptum gratiæ datum ad favorem Episcopi, ut per quinquennium possit frui fructibus primi anni beneficiorum vacantium in sua diœcesi, & dicitur, quod per hujusmodi gratiam nullum fit præjudicium juri quæsito Fabricæ, vel alteri usui, vel singulari personæ gaudendi dictis fructibus.

2 Datur ergo regulæ generalis exemplum in Episcopo, cui Pontifex per quinquennium concesserit fructus primi anni beneficiorum vacantium in sua diœcesi, & hoc propter sua debita persolvenda. Ex quo exemplo primò colligitur, quod Ecclesiæ paupertas illam non excusat à debito satisfaciendi creditoribus. Quamvis hoc habeant privilegium clerici, ut non possint conveniri suprà id, quod possunt; non enim convenit illos omninò privari bonis, ut compellantur mendicare, *cap. Odoardus, sup. de solut. l. miles, ff. de re jud. & l. stipendia, C. de execut. rei judic.* Ancharan. *num.* 2. Domin. *num.* 1. Franc. *num.* 2. Nihilominus manet in clerico debitore obligatio naturalis satisfaciendi iis, quibus debet. Ideò aliquando Episcopi rationabiliter petunt, & impetrant facultatem, ut ex fructibus beneficiorum vacantium debita suarum Ecclesiarum solvere possint. Adest etiam in hoc alia ratio, quam tangunt Domin. *num.* 1. & Franc. *num.* 2. quia nimirum est opus hujusmodi licentias petere, & impetrare, ne Ecclesia diffametur, quod non velit debita solvere.

3 Hinc est, quod debita Ecclesiæ præbent rationem justam, ob quam Episcopo concedatur indulgentia percipiendi fructus beneficiorum vacantium in Diœcesi, ut Domin. advertit. Quod tamen intelligendum est concurrentibus aliis circumstantiis, & si alio meliori modo, non possit Episcopus solvere debita hujusmodi. Quæ verò sint debita, ad quæ solvenda tenetur successor in beneficio demonstrat inter alios Redoan. *de spol. quæst.* 10. Nedum verò gratia solvendi debita, sed etiam ex alia justa causa possunt Episcopo concedi temporaliter fructus vacantium beneficiorum, Jo. Andr. *in princip.* ex Innoc. & Hostiens. & Domin. *num.* 4.

4 Cæterùm de jure communi non tenentur Ecclesiæ inferiores, etiam si pleno jure sint subjectæ Cathedralis, de bonis earum satisfacere illius debitis, nec possunt ex hac causa gravari, Anchar. *num.* 1. Franc. *num.* 1. Quia quando Cathedrali subjicitur Ecclesia, ex hoc fit, ut illa subjiciatur in spiritualibus, & temporalibus, non verò ut Cathedralis possit uti fructibus illius, ut notat Innoc. *in cap. Pastoralis, num.* 3. *de privileg.* Unde non potest Episcopus propria auctoritate applicari sibi bona aliarum Ecclesiarum, ut eis utatur, ut ex eis solvat debita etiam suæ Cathedralis; sed ad hoc requiritur licentia Summi Pontificis, cujus est omnium Ecclesiarum administratio, ut expressè decernitur infrà *cap. præsenti, de officio Ordinarii.* Ex Joan. Andr. tamen *in cap. Quanto, sup. de off. Ordin.* addit Franc. *d. num.* 1. quod in Regularibus Ecclesiis res unius administrationis poterunt converti in utilitatem alterius administrationis, etiam debita ejus solvendo de voluntate tamen Abbatis. Quod dicit esse notandum, sed etiam dicitur esse nunc cogitandum, an subsistat.

Ut verò Episcopus debita solvere valeat, Papa concessit illi non beneficia, sed fructus beneficiorum, ut advertit Gloss. Ubi tamen Papa fructus beneficiorum vacantium absolutè concedat, sub hac concessione fructus omnes comprehenduntur, & ita quod etiam fructus pœnales, si contingant advenire illo tempore ad ipsum pertineant, ut ex Bald. hic considerat Franc. *num.* 5. Hoc tamen non intelligitur de fructibus pendentibus, sed de separatis à solo, sive per eumdem, sive per alium ejus nomine separati sint. Cujus rationem reddit hic Barbos. *num.* 7. quia usufructuarius tunc solùm facit fructus suos, quando fuerint separati à solo, & in horreis, cellariis, & apothecis reconditi, ut per Velasquez *de partit. cap.* 33. *numer.* 9. *& cap.* 36. *num.* 11. Sed alii dicunt, quia eorum fructuum in eum transit dominium rectà via, ex quo hoc facit beneficio Principis, ut *l. Si quando, Cod. de bon. vac.* Sed quod non sit necesse fructus esse reconditos, sed sufficiat esse separatos voluit Imol. quem sequitur Franc. Qui cum Gloss. *in v. primi anni*, comparat hunc privilegiatum usufructuario, ac propterea vult, quod fructus sua auctoritate percipere possit, vel mandare sub pœna excommunicationis, quod sibi dentur. Quod tamen difficultatem habet, ut ex Anchar. infra dicetur. 5

Hic tamen considerandum, quod fructus dicuntur, qui supersunt demptis expensis necessariis. Et ex vi hujus privilegii tenetur privilegiatus ad onera beneficii, cujus fructus sibi conceduntur, & ut prius solvat debita, si adsunt, & satisfaciat annuis censibus, aut legatis sic recipiendo gratiam cum oneribus annexis, Gloss. *in v. speciali gratia, & v. concedimus*, Archid. *num.* 2. Jo. Andr. Anch. *num.* 5. Dom. *num.* 10. 6

Debet etiam attentè inspici modus loquendi Pontificis, ut cognoscatur, an de omnibus, an de aliquibus beneficiis loquatur. De hoc verò erit sermo infrà. 7

Non verò fructus omnes dicit se concessisse, sed fructus primi anni. Quinque autem genera annorum distinguunt hic Archid. *num.* 3. & ex eo Joan. Andr. & Domin. *num.* 7. nimirum annum naturalem, usualem, legitimum, cæremonialem, & emergentem. Naturalis est incipiens à quolibet die, & durat per 365. dies, & sex horas. Usualis est à Januario, usque ad Januarium sequentem secundùm Latinos, apud quos Januarius dicitur, quasi anni janua. Legitimus est ab Aprili ad Aprilem, sed secundùm Lunationes, ut apud Hebræos, & Græcos. Cæremonialis est de festo ad festum, ut à Paschate ad Pascha; qui etiam dicitur apud nos annus Ecclesiasticus. Emergens est ab eo die, in quo fit aliquod magnum, ut annus exitus Israelis ab Ægypto. 8

Est hic sermo de anno naturali, & hic primus annus comprehendit diem vacationis, & nedum ab eo incipit, sed ab hora illa, & puncto, in quo primum vacabit beneficium. Nam sicut uxor à puncto, in quo moritur maritus, remanet vidua, & ab eo annus primus viduitatis incipit: ita à puncto, in quo, vel per mortem beneficiati, vel per aliam viam ille absolutus est à vinculo Ecclesiæ, incipit annus primus vacationis, & hic venit sub nomine primi anni Gloss. Archid. *n.* 3. Jo. And. *n.* 3. Anch. *n.* 4. Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 5. qui etiam addunt, quod cùm simus in favorabilibus, in anno bissextili duo dies computantur pro uno. 9

Se extendit verò gratia ista ad beneficia vacatura. Sed numquid ut de novo beneficio provideatur, expectari debet, ut transeat ille primus annus, in quo privilegiatus beneficii fructus percipere debet? Videri enim potest, ita esse faciendum, quia beneficia sine diminutione debent concedi, *cap. un. Ut Ecclesiast. benef.* Et quia spirituale 10
jus,

jus, non potest coosistere sine temporali, *cap. Si quis obje-
cerit*, 1.*quæst*.4. Nam secundùm hoc, is cui cooceditur be-
neficium inane nomen haberet, quod non convenit. Sed
dicitur, quod beneficium vacans non obstante, quod pri-
mi anni fructus sint concessi privilegiato, debet suo tem-
pore conferri, ut habetur ex *extrav. suscepti 2. de elect.* Jo.
XXII. & si beneficium sit jus patronatus, patronus tenetur
suo tempore præsentare. Nec allata in oppositum obstaot.
Quia in hoc casu de fructibus beneficii debet assignari be-
neficiato portio congrua, juxta *dictam extravag. suscepti*,
Jo.XXII. *& d. cap. Præsenti*, ut possit se sustinere. Nam & di-
ctum est, quod à privilegiato sustinenda sunt onera bene-
ficii, & debita solvenda, inter quæ est sustentamentum
beneficiati. Gloss. Archid. *num*.1. Domin. *num*.8. Et facit,
quod si fructus beneficii vacantis deputentur ad aliquem
pium usum, ex causa necessaria, ut puta ad sarta tecta,
de quibus habet *cap*.10. *quæst*.3. Nihilominus debet con-
ferri beneficium, *cap. un. juxta fin. Vt Eccles. benef.* Et quod
interim beneficiatus oon fruatur omnibus fructibus bene-
ficii non obstar, quoniam hoc est ex dispositione Pontifi-
cis. Et sic fit etiam io omnibus, qui auctoritate Apo-
stolica recipiuntur in Canonicos contra numerum deter-
minatum, qui interim donec vacet locus expectant, Do-
min. tamen *num*.8. addit, ut dicebatur, quod beneficiato
debeat assignari congrua portio, quod est ratiooabile,
& statutum *in d. extravag. suscepti*, Joan.XXII. secundùm
Lap. Abb.

11 Ex hoc verò principio, quod scilicet non obstante,
quod fructus primi anni competant privilegiato debet con-
ferri beneficium suo tempore, nec debet expectari, quod
ille primus annus compleatur, colligit Aocharanus *num*.
5. noo esse verum, quod asseruit Gloss. & alii DD. *num*.5.
citati, scilicet, quod privilegiatus hujusmodi assimiletur
usufructuario. Nam si hoc verum esset, ad privilegiatum
pertineret exercitium actionum, & etiam admioistratio
beneficii, *ut l.1.§.fin. cum leg. seq. de oper. nov. nunciat. &
l.1. in fin. ff. de usu quemadm. ea.* Et sic posset agere cootra
Colonos pro pensionibus debitis, & cootra debitores be-
neficii, ut quantitatibus debitis infrà annum frueretor,
ut l.1. ff. de usufruct. ear. rer. quæ usu consum. Sed si, ut vult
eadem Gloss. & est verum, beneficium infrà illum primum
anoum debet conferri, patet, quod non ad ipsum privile-
giatum, sed ad beneficiatum spectat ipsius beneficii, &
fructuum ejus administratio, & quod idem privilegiatus
de manu beneficiati debet fructus sibi competentes recipe-
re, ut sit differentia inter concessionem, quæ fit de fructi-
bus beneficii, & quæ fit de usufructu beneficii, & quod
illam, non istam continet gratia facta privilegiato perci-
piendi fructus primi anni. Ita Anchar. qui etiam habet de
hoc haberi bonam *l. ff. de usuf. leg. l. fundi Trebatiani, & leg. si
quis ita de usufructu*. Non ergo propriè hic privilegiatus as-
similatur usufructuario.

12 Concessio autem fructuum hujusmodi fuit munita clau-
sula *non obstantibus*. Et Gloss. *in v. impediri*, quam sequun-
tur Domin. *num*.4. & Franc. *num*.9. vult, quod clausula
non obstantibus, tollat, quæ impediunt gratiam, non ve-
rò, quæ illam differunt, & quod temporales obstaotias
non removeat, tenuit etiam Theod. de Rubeis *claus*.496.
quem sequitur Barbos. *claus*.82. *num*.4. & dictum est *suprà
cap.1. de constit. art.19. num*.373. Sed per DD. ibid. à Barbo-
sa citatos, & præcipuè per Rotam *decis.506. num.5. part.1.
recent.* & alios relatos, ubi suprà *num*.335. hæc clausula
omnia tollit, quæ obstare possunt dispositiooi, in qua est
apposita, & per generalitatem clausulæ tolli possunt. Et
sic ubi disponitur, & conceditur aliquid pro determinato
tempore, sicuti hic conceduntur fructos beneficiorum pri-
mi aoni, nihil obstare debet, quod impediat, ne illo an-
no privilegiatus fructus percipiat. Quod si datur aliquid,
quod impedit pro illo primo anno, & non potest tolli per
clausulam *non obstantibus*, idem est, ac si illud impediret
simpliciter, & pro semper, quia privilegiato noo sunt
concessi oisi fructus primi anni. Qui si illo anno pereant,
pereunt ipsi privilegiato. Nec per hoc privilegiatus debet
habere fructus secundi anni, ut benè notant Arcbid. *num*.7.
Franc. *n*.12. Et eadem ratione, si fructus primi anni sint obli-
gati alteri, cui non præjudicat gratia concessa Episcopo pri-
vilegiato, non per hoc Episcopus potest percipere fructus
secundi anni, ut idem Archid. babet.

13 Benè hic est advertendum, quod hæc clausula generalis,
Non obstantibus consuetudinibus, privilegiis, & statutis,
non derogat juri quæsito à tertio, nisi fiat ejus eapressa
mentio, ut probatuoi est ubi suprà *num*.353. Et sic di-
stingui debent, consuetudines, privilegia, & statuta
respicientia personam, de qua, vel circa quam Pooti-
fex disponit, ut in proposito sunt, quæ respiciunt Ec-
clesiam, cujus fructus Episcopo conceduntur, ab illis con-
suetudinibus, privilegiis, & statutis, quæ facta sunt ad
favorem tertii, de quo oulla fit mentio in rescripto; per
clausulam enim illam tolluntur concessa ad favorem Eccle-
siæ, de cujus fructibus disponit, ut notat Anchar. *numer*.4.
not.6. sed non tolluntur, quæ fuerunt concessa ad favorem
tertii, ut Ecclesiæ Cathedrali fabricæ, vel ad alterum osum,
vel personæ, de qua nulla fit mentio in rescripto, ut babe-
tur ex regula bujus Decretalis, & ex communi sensu juris,
& DD.

Et hinc colligitur, quod ex tribus intellectibus, qui 14
dantur huic decretali, primus, & secundus allati per
Gloss. contrariantor textui, oec debent admitti, sed ter-
tius est verus, quem adhibuit Archid. Gloss. enim ne gra-
tia concessa huic Episcopo privilegiato sit inanis, & vacua,
voluit invenire modum, per quem ubi ex consuetudioe,
privilegio, vel statuto tertius habet jus quæsitum ad fru-
ctus primi anni, cui juri Pontifex declarat suæ intentioois
non esse, ut fiat præjudicium, dixit, quod unum de
duobus servandum erit in hoc casu, vel scilicet ut fructus
primi anni dentur Episcopo privilegiato, & fructus se-
cundi anni, dentur illi tertiò habenti jus ad fructus primi
anni; vel è contra huic dentur fructus primi anni, & Epis-
copo fructus anni secundi. Ex istis verò duobus intelle-
ctibus, Gloss. *in v. Præjudicium*, præfert primum. Quia
aliter si in fine quinquennii vacaret beneficium, daretur
casus, in quo Episcopo nihil proveniret, quia secundus
annus vacantiæ intra quinquennium concessum Episcopo
non caderet.

Sed Archid. hic *num*.5.6. & 7. aliter textum intelligit, 15
& sentit, quod io hoc casu, ubi fructus primi anni vacan-
tis beneficii spectant ad tertium, quod Episcopo privile-
giato nihil competat. Et ad oppositum motivum respon-
detur, quod oullum est inconveniens, sed imò necessario
dicendum est, quod ubi gratia est nulla, nullum habeat
effectum, modo in hoc casu gratia concessa Episcopo est
nulla ex defectu intentionis Papæ, qui per gratiam non
intendit derogare juri quæsito ad favorem tertii, & ex alia
parte non concedit Episcopo, nisi fructus primi anni;
quod si isti non possunt ab Episcopo percipi, nulli sibi re-
manent. Neque enim est, unde præsumi possit, quod
Papa voluerit gravare Ecclesiam duplici onere dando aliis
fructus primi, & secundi anni, cùm solùm concedat fru-
ctus primi anni; Nec Papa plus concedit, quàm dicat se
concedere. Et ex textu hoc idem deducitur. Nam fructus
primi anni ex vi textus debentur tertio habenti ad illos jus
quæsitum, & cui non debet fieri præjudicium. Neque
enim verum est, quod nullum illi fiat præjudicium, si
cogatur expectare secundùm annum, quia in percipiendis
fructibus multò melius est præsens, quàm futurum; At
verò gratia Episcopo non concedit fructus anni secundi,
sed primi, quod si hos non potest percipere, idem est, ac
si illi fructus periissent, vel ac si nulla gratia, fuisset illi
concessa, quia verè nulla est, & subreptitia, quia debuit
fieri mentio de jure alteri quæsito. Et ita hoc etiam tenuit
Anchar. *num*.4.

De quinquennio autem perfecto intelligi debet textus, 16
ut notat Archid. *num*.4. & hoc quinquenoium incipit à die
datæ ipsius rescripti, Archid. *d. num*.4. Ancharan. *num*.5.
Sed quid si aliquod beneficium vacet in fine, ot ultima die
quinquennii, numquid Episcopus privilegiatus habebit
fructus primi anni illius beneficii, Jo. Andr. *num*.4. quem
sequuntur Domin. *num*.7. & Franc. *num*.11. distinguit, &
ait, quod si tempus quioquennii adjiciatur vacationi, tunc
Episcopus privilegiatus percipiet fructus primi anni talis
beneficii, tunc enim sensus rescripti est, ut privilegiato
concessi sint fructos primi anni beneficiorum vacantium in
quinquennio, seu intra quinquennium. Secus si tempus
adjiciatur perceptioni fructuum. Nam tuoc sensus esset,
quod intra quinquennium percipiat fructus anni primi
beneficiorum vacantium. In dubio autem Imol. Jo. Andr.
Domin. & Franc. dicunt gratiam esse latè interpretandam
Sed quid dicendum in casu hujus decretalis, quæ sic loqui-
tur,

tur, fructus beneficiorum primi anni, quæ in sua vacabunt Diœcesi usque ad quinquennium, de speciali gratia concedimus? Respondetur, quod potest intelligi, ut tempus quinquennii determinet vacantiam, & sit sensus, tibi concedimus fructus beneficiorum, qui intra quinquennium in tua Diœcesi vacabunt; & quia hic favor potius est, hic sensus est præferendus, qui etiam est textui magis conformis.

17 Quia autem fructus separati ante vacantiam beneficii spectant ad hæredem defuncti, ut notat Barbosa *num.* 6. Fructus autem pendentes spectant vel ad successorem, vel ad Ecclesiam ipsam, vel ubi viget lex spoliorum ad Cameram Apostolicam. Ideò non nisi ex speciali gratia conceduntur Episcopo intra cujus diœcesim beneficia sunt constituta. Gloss. hic *in v. concedimus*, Anchar. *num.* 2. Dom. *num.* 10.

18 Sed videbitur alicui, quod hæc concessio non sit numeranda inter favores, sed inter odia; propter præjudicium, quod fertur iis, quibus tempore primi anni fructus competerent. Sed dicitur à multis, quod hæc concessio, simpliciter est favor. Imò quod hinc habetur regula, quod dispositio dicitur favor, vel odium, ex principali intento disponentis, quod in præsenti est favor Episcopi. Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 6. Covar. *l.* 3. *variar. cap.* 11. *num.* 5. Sanchez *l.* 1. *de matrim. d.* 1. *num.* 4. & alii, quos hic sequitur Barbosa *nu.* 8. qui ex Rota in Sabinen. *Montis Rotundi* 8. *Februar.* 1627. *coram Coccino*, hoc intelligit verum, quando favor non potest ab odio separari. Sed quod dicitur ex intentione Principis cognosci debere, an rescriptum censendum sit esse favoris, vel odii non admittitur, quia ratione non subsistit, nisi sit sermo de intentione, & fine, qui dicitur operis, & qui est proximus, & immediatus. Nam omne rescriptum Principis, etiam pœnale respicit bonum, & favorem, & nedum communitatis, sed personæ privatæ. Cùm & lex pœnalis respiciat satisfactionem, quam delinquens tenetur reddere, quæ in substantia est bonum illius. Totum ergo dependet, an id, quod rescribitur sit bonum etiam materialiter, non verò sit pœna, vel damnum alicujus. Ideò in præsenti facultas percipiendi fructus primi anni est quid bonum, & est quid malum. Nam est bonum Episcopi, cui fructus conceduntur, sed est malum Ecclesiæ, seu successoris, à quo illi fructus auferuntur. Cæterùm intentio Papæ semper est bona. Ideò non est verum, quod concessio ista sit simpliciter favor, sed est quid mixtum, & est favor Episcopi. Ideò neque est verum simpliciter, quod hujusmodi gratia sit latè interpretanda, quamvis non patiatur strictam adeò interpretationem, ac si esset pura pœna. Cùm enim non possit non esse in præjudicium Ecclesiæ à quo fructus tolluntur, non patitur omnem latam interpretationem, sed circumstantiæ materiæ, & modus loquendi Papæ considerari debent.

19 Concedimus interim, quod ex concessione ista in textu narrata deducitur, quod Pontifex fructus beneficiorum unius Ecclesiæ potest concedere alteri, & etiam singulari personæ, cùm rerum Ecclesiæ plenissimam habeat administrationem. Quod extenditur, ut in casu præsentis decretalis id etiam possit facere Legatus de Latere, ut ex Jo. de Deo, & Speculatore tradit Gloss. quam sequitur Anchar. *num.* 3. Sed Legati suas facultas considerare debent, & prout in dies illis conceduntur.

20 Extendit hoc Gloss. ex Bernard. etiam ad Episcopum, ut ad tempus ex justa causa possit fructus alicujus beneficii retinere, & probata ex *cap. penult. supra de verb. signif.* Nec obstat, quod id fuerit impetratum à Papa, quia, inquit, potest dici, quod hoc fuit de facto, vel in fructibus omnium beneficiorum vacantium usque ad certum tempus, ut hic etiam. In uno autem beneficio, & ejus proventibus convertendis ex causa in usum Prælati, non erit necessaria licentia Papæ: quia cùm Episcopus cum Capitulo possit supprimere dignitatem, & propter necessitatem possessiones alienare, multò fortius proventus percipere.

21 Hæc tamen graves continent difficultates, quas definire non est hujus loci. Hoc breviter advertendum, quod dupliciter intelligi potest, quod Episcopus possit disponere de fructibus beneficiorum vacantium, vel scilicet imponendo super beneficiis pensionem duraturam, vel ad obitum beneficiati gravati, vel etiam, quæ transeat in successorem. Et de hoc est maxima quæstio inter DD. affirmant enim quam plures, quos referunt, & sequuntur Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 5. & Barbosa *de off. Episcop. all.* 85. & Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. *num.* 489. Sed id negant etiam quamplures, quos refert, & sequitur Reverendiss. Fagnan. *cap. Cum essent, num.* 31. *& sequent. de prebend.* ubi probat hoc ex multis Decretalibus, & ex declarationibus manifestis Sacræ Congreg. Concilii, & rationibus, quæ mihi vim faciunt, & præcipuè, quæ petuntur ex alienatione, & hypotheca rerum Ecclesiæ prohibita per *extravag. Ambitiosæ*, nisi adsit beneplacitum Apostolicum, & per ea, quæ de his scripsi *tom.* 1. *de stat. quæst.* 185. *art.* 7. *num.* 276. *& sequent. & tota inspect.* 60. *à num.* 576. sed de his, aliàs.

Alio modo loqui possumus de dispositione fructuum beneficii pro solo tempore vacantiæ. Et de his hoc primò est certum *ex cap. Præsenti, infr. de off. ord.* quod Episcopus nihil horum fructuum potest in suum usum convertere. Et quod, si acciperet eos tanquam pretium beneficii conferendi, esset simoniacus. In alium tamen pium usum deputare hos fructus pro tempore vacantiæ, dicitur esse licitum *sup. in cap. unic. Vt Ecclesiastica benefic.* & videtur approbatum in hoc textu, in quo Pontifex vult non fieri præjudicium, si hujusmodi fructus ex consuetudine, privilegio, vel statuto sint applicati fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut ad alium pium usum. Unde licitum esse supponit, si Episcopus statuat, ut hi fructus sint applicati ad usum pium Ecclesiæ suæ. Ideò quod Episcopus de consensu capituli, possit applicare partem fructuum beneficiorum vacantium fabricæ Cathedralis, si tamen hoc necessitas requirat, & redditus deputati pro fabrica non sufficiant, & Canonicis, & Episcopo de eorum redditibus, nihil superest, considerato eorum statu, quod ad eamdem fabricam sufficiat, dixerunt Jo. Andr. *num.* 5. Domin. *num.* 8. Franc. *num.* 10. Barbosa verò *num.* 2. Hoc remittit ad Rebuff. *in praxi benef. tit. requisita, ad collat.* Bott. *de sign. p.* 2. *art.* 1. *num.* 288. Lambert. *de jure patron. l.* 3. *quæst.* 2. *art.* 8. Gregor. Lopez *lib.* 5. *Gloss. penult. tit.* 16. *p.* 1. Et ad eosdem, & ego pro nunc remitto. Hoc est certum, quod ubi lex spoliorum obligat, hoc non potest fieri, quia hujusmodi fructus sunt Cameræ Apostolicæ. Et idem dicendum est, ubi ex speciali dispositione alicui usui sunt applicati à Sede Apostolica.

Tandem considerandum est id, quod advertit Domin. *num.* 10. quod semper inspiciendum est, quæ sit legislatoris intentio, sed ut ipse etiam advertit *num.* 2. Ejusdem Papæ est suam interpretari mentem. Et ideò regulæ illæ, quas pro Pontificum mente interpretanda aliquis Pontificum tradidit, servandæ sunt; inter quas est regula præsentis textus, quæ habet intentionem suam non esse per generalem consuetudinum, privilegiorum, aut statutorum derogationem derogare juri quæsito tertio ex speciali consuetudine, privilegio, vel statuto.

22

23

Hic unica est quæstio.

SVMMARIVM.

24 *Beneficiorum diversæ species.*
25 *Gratia hujus capitis non se extendit ad beneficium de novo erectum.*
Privilegium unius, quod alterius continet præjudicium non est latè omninò interpretandum in tertii præjudicium.
26 *Gratiam extendi ad beneficia exempta aliqui sentiunt.*
27 *Hoc rejicitur.*
Loca exempta censentur, ac si essent extra diœcesim, nec comprehenduntur sub verbis diœcesis suæ.
28 *Gratia se extendit ad beneficia curata, & dignitates.*
29 *Gratia ad alios casus non se extendit.*

Quæstionis unicæ

ARTICULUS I.

Vtrum gratia hujus textus ex vi terminorum extendatur ad quæcumque beneficia.

24 CUm beneficiorum sint diversæ species, alia scilicet, erecta de novo, alia exempta, alia quæ sunt commendata, alia quæ sunt dignitates, alia quæ nunquam vacant, & alia hujus, vel alterius conditionis, ex multiplici capite hic potest esse difficultas.

25 Sit verò prima, si Pontifex alicui Episcopo concedat fructus primi anni beneficiorum vacantium, an hæc gratia se extendat ad beneficia de novo erecta post datam gratiæ. Videtur enim quod comprehendantur, quia hæc concessio est favor latè explicandus, ut dicunt Archid. & alii in hac Decretali. In contrarium est *Clem. fin. eod. tit.* & ibi Paulus, cujus sententiam veriorem hic judicat Franc. *num.* 13. post Lap. Quia esto hoc privilegium sit favorabile Episcopo, est tamen in præjudicium tertii, & propterea non est latè omninò intelligendum, ut per notata *in cap. Quid per novale, sup. de verb. signific.* Quoniam verè hoc privilegium unius, quod est præjudicium alterius est tale, quod nec latè, nec strictè nimis interpretari debet, quia nec censeri debet, quod Pontifex ita voluerit favere uni, quod nihil prorsus dixerit præjudicare Ecclesiæ, vel successori, ad quem fructus hujusmodi de jure proveniunt. Ideò, quia verbum *concedimus*, quod significat actum de præsenti non respicit, nisi materiam, quæ de præsenti sit, ex connaturalitate, & communi usu loquendi, ideò dicendum est, gratiam non extendi ad beneficium, si contingat illud erigi post datum gratiæ rescriptum.

26 Secundò, difficultas est de beneficio exempto à jurisdictione Episcopi. Gratiam hanc extendi etiam ad beneficia exempta voluit hic Jo. Andreas. Sed alii distinguunt. Nam vel Papa dicit de fructibus suarum Ecclesiarum, & hoc modo gratia non se extendit ad Ecclesias exemptas, quæ non sunt Episcopi. Vel Papa dicit de fructibus beneficiorum, aut Ecclesiarum suæ diœcesis, & sic gratia se extendit ad beneficia exempta, quia exemptione non obstante, tales Ecclesiæ sunt in Diœcesi Episcopi, ut probatur ex *Clement.* 2. *de privil. & in cap. Cum Episc. infr. de off. Ordin.* & facit Gloss. *in v. anni, in Clem.* 1. *de excess. Prал.* & idem esset, si diceretur de beneficiis diœcesanis, seu quæ vacabunt in Diœcesi.

27 Sed ex juribus citatis oppositum deducitur. Nam ex *cap. Cum Episcopus* expresè habetur, quod loca exempta censenda sunt, ac si non essent de Diœcesi Episcopi, & quod nomen suæ Diœcesis non se extendit ad loca exempta. Nam ibi primò decernitur Episcopum habere jurisdictionem in tota sua diœcesi, & tamen statim subditur eum in loco exempto non posse jurisdictionem exercere, sed solùm in locis non exemptis; igitur loca exempta non comprehenduntur sub verbo illo in tota sua Diœcesi. *In Clement.* verò 2. *de privileg.* ex speciali privilegio conceditur Archiepiscopo, ut in locis exemptis suæ Diœcesis aliqua præstare possit, ut crucem ferre, & benedicere, &c. Unde clarè habetur, quod licèt loca exempta sint intra Diœcesim, tamen Episcopo non competit aliquid agere in illis, quod extra diœcesim non liceret, nisi id expresè fuerit illi concessum, & quod loca exempta habenda sunt, ac si extra Diœcesim essent, & non comprehenduntur sub verbis tuæ Diœcesis, nisi in casibus expressis. Propterea Archid. hic *num.* 1. tenet absolutè, quod gratia hujusmodi ad beneficia exempta non se extendat, & fundatur primò, quia *cap. Grave, de off. Ordin.* ut not. Goffr. habetur, quod in generali mandato Papæ contra Clericos destinato non comprehenduntur exempti. Secundò, quia idem habetur *in cap. Quoniam, de privileg.* & id ibi innuit Host. & colligitur ex *capit. Quod translat. infr. de off. Legat.* & sic tenet Cancell. Romanæ Curiæ, & ejus stylus. Tertiò, quia ad idem facit *cap. Ex parte Abbatissæ, sup. de privileg.* ubi notant Jo. Vincent. Goff. & B. quod si in rescripto non fiat mentio de exemptione, rescriptum potest eludi, arg. *cap. Cùm ordinem, sup. de rescript.* & notat ibi Gloss. *in v. si vero.* Nam in generali non continetur, quod Pontifex non esset in specie concessurus *cap. statuto, §. statuimus, infr. de decim. cap. Cum in generali, infr. de off. Vic. & Reg. In generali, infr. de reg. juris.* Sed ex hoc eodem textu hoc probatur, quia expresè decernitur, quod hæc gratia non se extendit contra jus tertio quæsitum ex speciali privilegio; igitur gratia ista non se extendit ad locum ex speciali privilegio exemptum, cùm sit contra jus exemptionis, quod Episcopatus in illo se ingerat, ut de fructibus ejus disponat; & imò hoc esset contra Pontificem ipsum, & immediatam subjectionem, quam beneficium exemptum habet Sedi Apostolicæ.

Tertia difficultas est, an gratia ista se extendat ad dignitates. Ratio difficultatis est, quia regulariter sub nomine beneficii dignitates non veniunt, nec beneficia curata, ut notatum est supra *cap. Si gratiosè in hoc tit.* Et nihilominus, quod in præsenti nomen *beneficiorum* comprehendat dignitates, & beneficia curata voluerunt Jo. Mon. *num.* 1. Archid. *num.* 2. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 3. Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 7. Fundantur verò, quia sumus nunc in favorabilibus, in quibus accipitur largior significatio nominum. Sed certè ut supra probatum est, nec sumus simpliciter in favorabilibus, cùm gratia contineat præjudicium illius, cujus essent fructus, nec verum esse potest, quod in hujusmodi privilegiis, quæ sunt favor ejus, quibus conceduntur, & præjudicium aliorum, qui re concessa privantur debeat fieri lata interpretatio. Et ex hoc textu colligitur, quod non est intentionis Papæ præjudicare tertiò, nisi tantum, quantum exprimitur. Unde dicendum esset, quod gratia sub hujusmodi forma concessa non comprehendat dignitates, & beneficia curata, nisi contrarium de beneficiis curatis haberetur expressum infra *cap. Si tibi concesso, de Præbend.* 28

Cæterùm multi sunt casus, ad quos hujusmodi gratia non se extendit. Primus est, ubi præbendæ non sunt distinctæ, nec assignatæ determinatè huic, vel illi Canonico. In his enim Canoniis, nunquam præbendarum, seu Canonicatuum fructus vacant, cùm sint immediatè totius Capituli, quod non moritur, ut per ea, quæ not. *in cap. Dilecto, de præbend. & in cap. Ex parte, de concess. præb.* Archid. *num.* 8. Jo. Andr. *num.* 1. Anch. *num.* 3. Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 7. Secundò non habet locum in Episcopatibus, *per cap. Dilectus, sup. de concess. præben.* & not. *in cap. Quamvis el* 1. *infr. de præbend.* Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 7. Item tertiò non habet locum in patrimonio, ad quod defunctus Clericus fuit ordinatus, ut not. *in cap. Tuis, sup. de præb.* Archid. *num.* 8. Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 7. Item quartò non habet locum in beneficiis commendatis. Ita Archid. *num.* 8. *in fin.* Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 7. quia commenda videtur esse titulus juris sine jure. Sed idem Archid. fatetur Innoc. contradicere. Et si ob mortem commendatoris Ecclesia vacat, & fructus ex speciali privilegio non spectant ad tertium, non video, cur non spectent ad Episcopum, cùm veræ sint fructus Ecclesiæ Episcopi, & vacanti. Quintò dicunt non habere locum in præbendis laicorum. Et sextò, nec in hospitalibus, & septimò, nec in beneficiis, quæ sunt de mensa, quæ mortuo clerico mensæ consolidantur, *cap. Cum constet, sup. de pign.* & Octavò, nec in aliis casibus, in quibus per mortem Clerici non vacant beneficia, Archid. *d. num.* 8. Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 7. 29

SVMMARIVM.

30 *Rationes ad quæstionem.*
31 *Gratia habet locum in vacantia per permutationem.*
32 *Nisi permutatio fiat favore Ecclesiæ.*
33 *Nec ubi in eadem Ecclesia permutatur præbenda, cum præbenda.*
34 *Gratia se extendit ad expectativas.*

ARTICULUS II.

Vtrum gratia fructuum beneficiorum vacantium se extendat ad vacantia per permutationem, & ad impetrata per gratiam expectativæ.

VIdetur enim, quod hujusmodi gratia se extendat ad beneficia vacantia, per permutationem, quia ipsa per permutationem verè vacant non minus, quàm per mortem beneficiati, ut notat hic Barbos. *num. ult.* Certum enim est, quod in permutatione intervenit renunciatio beneficii, 30

sive

five resignatio in manu Prælati, & sic acceptata resignatione beneficium verè vacat. Nam & qui translatus est de loco ad locum fingitur esse mortuus priori loco, §. *Ecce in quibus*, 7. *quæst.1. cap. si quis jam* 11. *quæst.* 2. Nihilominus quia in permutatione non permanet Ecclesia viduata; quia resignatio non habet locum, nisi resignanti detur aliud beneficium. Non enim aliter beneficiatus resignaret, & sic dum mutuo beneficiati ex animo permutandi resignant beneficia, cùm resignatio non habeat locum, nisi & permutatio suum effectum sortiatur, in permutatione beneficia nunquam sunt sine beneficiato, neque Ecclesiæ sine sponso; unde ex æquitate saltem videtur, quod habens gratiam fructuum beneficiorum vacantium, non possit frui fructibus beneficiorum permutatorum. Æquitas enim rigori præferri debet, *cap. Licet dist.* 45. *c. Ponderet, dist.* 60.

31 Nihilominus dicitur, quod gratia ista habet locum etiam in beneficiis vacantibus per permutationem, quia verè vacant. Æquitas verò hujusmodi, cujus oppositum non est contra aliquam legem, nec continet aliquam absurditatem, si non sit scripta non præfertur rigori. Et ideò hanc partem tenent Gloss. *in v. Vacabunt*. Arch. *num.* 3. Anchar. *num.* 4. Dom. *n.* 9. Franc. *n.* 7. Quod est certius, ubi permutatio non sit mutua, sed quia mortuo uno beneficiato, alter ad ejus beneficium transfertur.

32 Si tamen translatio non fiat ad petitionem translati, sed ex officio superioris in Ecclesiæ utilitatem, verè æquitas locum habet, & petit, ut sine culpa sua translatus non puniatur non perceptione fructuum omnium primi anni, & quod non decipiatur, nec suo jure defraudetur, *cap. Satis perversum, dist.* 55. Et ita tenet Archid. *n.* 4. Dom. *n.* 9. Franc. *num.* 7. Secus tamen dicendum esset, si translatio esset in pœnam translati. DD. enim citati loquuntur in casu, quod favore Ecclesiæ fiat translatio.

33 Si etiam non fiat commutatio beneficiorum, sed præbendæ cum præbenda à Canonicis in eadem Ecclesia. Jo. Andr. quem sequitur Franc. *d. n.* 7. existimat, & benè, quod gratia ista locum non habeat, per not. in *cap. Cùm Apostolicæ, sup. de his, quæ fiunt à Prælat. & in cap. Quæsitum, sup. de rerum permut.*

34 Quantum verò ad secundam partem quæst. Anchar. *n.* 6. advertit, quod in beneficiis vacaturis, quandoque quis sperat habere jus per expectationem, ut *infr. cap.* 1. *de rer. permut.* Quandoque per reservationem, *cap. Pro illorum de præbend.* quandoque per optionem, *cap. fin. infr. de consuet.* quandoque per unionem restrictus est numerus Canonicorum. Sic ergo quæri potest, an gratia ista habeat locum in hujusmodi beneficiis vacaturis, ad quæ aliquis jam habet spem, & aliquod jus ad rem. Anchar. existimat, quod ubi expectativa sit solùm fructuum, gratia ista non habeat locum, quæ tamen illum habere debeat, ubi expectativa sit tituli, ut quia aliquis habet literas, ut sibi detur beneficium proximè vacaturum. Quia in hoc casu beneficium, quod expectatur, non obtinetur, nisi prius vacet, & tunc verè vacat; igitur comprehenditur sub genere beneficiorum, quæ vacant, & sic fructus primi anni talis beneficii debentur privilegiato. Sed Archid. *num.* 7. oppositum sentit post Vincent. *in cap. Tua in princip. de verbor. significat.* Et se fundat primò, quia ubi sunt duæ indulgentiæ, secunda non præjudicat primæ non facta ejus mentione, *cap. Mandatum, sup. de rescript. & cap. Ex parte el 2. sup. de off. deleg.* Cùm ergo Papa prius indulserit alicui primum beneficium vacaturum, in præjudicium hujus prioris indulgentiæ non valet posterior indulgentia fructuum facta Episcopo. Et eo magis, quod generalior est indulgentia Episcopo, unde per eam non derogatur speciali indulgentiæ factæ de beneficio vacaturo, nisi fiat ejus mentio. Et ad motivum Anchar. respondetur, & intentum probatur ex textu, qui non vult, quod gratia valeat in præjudicium tertii, cui fructus beneficii ex priori jure debebantur modo fructus beneficii vacaturi debentur habenti gratiam expectativæ. Sed Anch. benè hoc refutat. Nam textus quidem præservat tertium habens immediatum jus ad fructus beneficii vacantis, sed non præservat habens hoc jus in consequentiam, & mediatè, & ex suppositione, quod sibi conferatur beneficium, ad quod tamen non habet jus in re, sed solam expectativam. Et ideò dicendum est gratiam hanc se extendere ad spectata beneficia, quæ verè vacant & de novo expectantibus conferuntur, qui ad fructus illorũ non habent jus, nisi postquã illa beneficia obtinuerunt. Et sic gratia facta Episcopo satis cõprehendit indulgẽtiam expectativæ alteri concessam, per quam conceditur, quod sibi provideatur de beneficio, non verò solùm quod omnes fructus beneficii percipiat, si aliquid obstet.

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XI.

STatutum quod circa judices à Sede Apostolica deputandos nuper edidimus, cùm quædam contenta in eo, quæ pro communi utilitate credebantur inducta, sicut experientia docuit, tendere dignoscantur ad noxam: sanctione præsenti, quam irrefragabiliter observari mandamus, suadente utilitate, in melius duximus reformandum. Sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.

Cùm verò ejusdem civitatis, seu diœcesis fuerint actor & reus, extra ipsas causa non committatur: nec conveniatur aliquis eorumdem: nisi ab Episcopo contra aliquem de sua diœcesi, vel ab aliquo contra eum, aut contra ejus capitulum, seu contra universitatem civitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda: vel nisi actor eamdem civitatem vel diœcesim intrare non audens, aut sui adversarii potentiam meritò perhorrescens eum infra ipsas nequeat convenire securè: in his quippe casibus extra dictas civitatem & diœcesim possit contra prædictos causa committi: nullus tamen eorum ultra unam dietam à fine suæ diœcesis valeat conveniri. Sed & in duobus ultimis casibus, nisi impetrans de prædicto timore, quem in literis commissionis exprimere teneatur, primò fidem judici faciat saltem per proprium juramentum: judex ipse nullatenus in causa procedat, sed partes à sua jurisdictione dimittens, impetrantem eumdem in expensis legitimis alteri parti condemnet.

Cùm autem actor & reus civitatum & diœcesum fuerint diversarum, si actor in civitate vel diœcesi rei judicem habere recuset: ipsum non in sua, sed in alia civitate, vel diœcesi liberè impetrare valeat, reumque trahere ad eamdem: dummodò locus, ad quem eum traxerit ultra unam dietam (sicut in casu alio præmittitur) minimè sit remotus.

In nullo quoque casuum prædictorum, judex extra civitatem, seu diœcesim, in quibus deputa-

putatus fuerit, citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat: nisi ad id expressus accesserit earumdem assensus: neque alibi, quàm infra illas, & personis dumtaxat designatis superius, committat quomodolibet vices suas.

Insuper ut gratis, & cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus vel quidquid aliud (nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus: vel nisi cùm ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab eisdem pattibus qualitercumque præsumat: Provisurus attentè, quòd in ipsis expensis modum nequaquam excedat: nec plus ab una parte, quàm ab alia exigat, cùm commune gerat negotium utriusque: quodque (ubi causæ sibi commissæ utilitas vel necessitas non exegerit) occasionem propter habendas expensas proficiscendi extra domicilium non assumat: sed & ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes etiam pro expensis nil prorsus exigat ab eisdem.

Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientiæ relinquatur ejusdem, sibi nequaquam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem.

Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario providè moderando ab eo, faciat à partibus communiter provideri.

Notarium verò vel Notarios in causa sibi commissa scribentes, qui ut plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt, ut ad ipsius spectat officium prudenter refrænet: nec cum ipsis, aut cum assessore præfato lucrum participet ullo modo.

Si quid autem contra constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur: nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem.

Pro ferendo quoque testimonio (prætextu cujus aliqui alios fraudulenter interdum à judicibus vocari procurant, ut eos laboribus & expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem) nullum ullatenus convocet, nisi quando conditio & status causæ requirent. Sed nec tunc (nisi à producente) competentes (vocato pro testimonio, veniendo, stando, & redeundo) faciat ministrari expensas.

Quidquid autem contra præmissa, vel eorum aliquod contigerit attentari: sit ipso jure irritum, & inane.

SVMMARIVM.

1 *In plures partes dividitur textus.*
2 *Regula quæ dantur.*
3 *Decretalis ista confirmata à Concil. Trid.*
4 *Nomen statutum comprehendit Constitut. Apostolicas.*
5 *Nomen statutum & generice, & specifice sumitur.*
6 *Clausula* non obstantibus statutis, *non tollit constitutiones Apostolicas.*
7 *Decretalis ista corrigit aliás.*
8 *Quæ sint correcta per hanc Decretalem.*
9 *Ex communi utilitate mutandæ leges.*
10 *Experientia ostendit utilitatem legum.*
11 *Noxa significat præjudicium, & culpam.*
12 *Causa justa abrogandi legem est, si illa sit ad noxam.*
13 *Sanctio quid sit.*
14 *Cui conceditur posse reformare, non conceditur posse abrogare.*
15 *Dignitas quid sit.*
16 *Qui dicantur habere dignitatem.*
Prælati Regulares possunt esse delegati.
17 *Priores claustrales non possunt esse delegati.*
18 *Vicarii Episcopi possunt esse delegati.*
Vicarii Episcopi non obtinent dignitatem propriè.
19 *Ad differentiam Prælatorum Regularium eorum officium est ex natura sua temporale.*
20 *Vicarii Episcoporum habent prærogativam.*
21 *Qui Vicarii possint esse delegati.*
22 *Commissio directa Episcopo non se extendit ad Vicarium, nec è contra.*
23 *Collector.*
24 *An Commendatarius perpetuus possit esse delegatus.*
25 *Cancellarius Academiæ approbatæ per Papam potest esse delegatus.*
26 *Ad hoc ut aliquis sit judex delegatus requiritur ætas 20. annorum.*
27 *Personatus quid sit.*
28 *Dignitas, personatus, & officium non sunt synonyma.*
Officium est genus ad personatum, & personatus ad dignitatem.
29 *Idem nomen aliquando significat genus, & speciem, ut animal.*
30 *Nomen officii, & dignitatis sumitur genericè, & specificè.*
31 *Dignitatis nomen potest sumi genericè.*
32 *Cathedralis quæ sit.*
Soli Canonici Cathedralium possunt esse delegati Papæ.
33 *Canonicus Cathedralis non potest rejici titulo imperitiæ.*
34 *Canonicus debet habere ætatem, ut sit judex.*
35 *Non est necesse, quod Canonicus sit præbendatus.*
Nec quod sit in possessione.
36 *Si Papa committeret causam Clerico nominata voce Clerici, censebitur dispensatus.*
37 *Significatio verbi sufficit.*
38 *Monachi, seu Canonici regulares in Cathedralibus Regularibus possunt esse delegati.*
39 *Textus loquitur de solis causis ecclesiasticis.*
40 *Textus non se extendit ad audientiam unius articuli.*
41 *Nec ad nudam executionem.*
42 *Nec ad literas compulsoriales.*
43 *Ubi Pontifex motu proprio, aut ex certa scientia committit causam non servata hac forma literæ valent.*
44 *Motus proprius, & certa scientia possunt probari testibus.*
Ex tenore rescripti colligitur certa scientia, etiamsi non sit posita clausula ex certa scientia.
45 *Vicecancellarius potest committere causas simplici Clerico.*
Hoc non potest Legatus.
46 *Ordinarii non subduntur huic legi.*
47 *Nec Legati, nec Delegati à Sede Apostolica possunt committere causas hac forma non servata.*
48 *Leges dantur ad futurum.*
49 *Si causa committantur non servata hac forma commissio est nulla.*
50 *Si causa audiantur non servata hac forma, processus est nullus.*
51 *Civitas quid sit.*
In civitatibus præsumitur esse peritos.
52 *Decernere in dubio, an locus sit insignis, est arbitrarium judici delegato.*
Quæ in hoc arbitrio attendere debet judex.
53 *In civitate etiam si non sint periti possunt audiri causa.*
54 *Legislatores non medentur iis, quæ raro accidunt.*
55 *Clausula in fine posita non semper determinat omnia antecedentia.*
56 *In loco si non sint periti non possunt causa audiri.*
57 *Sufficit peritos esse in propinquo.*
Suburbia veniunt sub nomine civitatis.
58 *Si sint periti in jure civili, erunt, & in Canonico quantum sufficit.*
Non sufficit familiares judicis advenas esse peritos.

59 Ne-

59 *Necesse est, quod commodè possint haberi periti.*
60 *Quæ peritia necessaria.*

1 DE rescriptis ad lites loquitur hæc decretalis, & ut advertit Jo. Monac. multa disponit de personis tam principalibus, quàm non principalibus, de judicibus, & locis, in quibus causarum haberi possit audientia. Eam verò distinguit Gloss. in quatuor partes, Jo. Monach. verò & Anchar. in 6. Sed cùm sit distincta in paragraphos attendenda erit hæc divisio, ut facit Dom. & sic distinctè quilibet §. summandus est, & explicandus.

2 In principio igitur decretalis ista duas regulas ponit. Prima est. Causæ ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis committi debent dignitatem, aut personatum obtinentibus, vel Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. Secunda est. Causæ hujusmodi tractari non debent, nisi in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.

3 Decretalem verò istam innovavit Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 10. *de reformat.* Cùm autem edita fuerit ad correctionem alterius Constitutionis editæ ab eodem Bonifacio VIII. ideò Pontifex primò in proœmio reddit causam, ob quam motus fuit ad corrigendam priorem extravagantem per hanc novam constitutionem, postea præfatas duas regulas ponit.

4 Quantum verò ad proœmium hoc primò consideratur, quod Bonifacius VIII. Extravagantem suam priorem, quam corrigit, vocat statutum, Ex quo colligunt Domin. *num.* 1. Franch. *num.* 1. Gomez *num.* 1. quod constitutiones Apostolicæ veniunt sub nomine statuti. Et ex hoc concludit Domin. quod clausula generalis *non obstantibus statutis*, derogat etiam constitut. Apostol. Sed ex hoc iterùm confirmantur, quæ dicta fuerunt supra in hoc libro, *cap. Vt animarum nu.* 13. *de Constit.* quia nimirum ibi sub nomine statutorum Ordinariorum veniunt etiam Constitutiones Pontificiæ, cùm & Papa sit Ordinarius Ordinariorum, & leges ejus statuta dicantur.

5 Sed tamen contra hoc dictum Domin. & Franch. argumentatur Ludov. Gomez *num.* 2. quia hoc verbum *statutum*, propriè ad inferiores pertinet, & in hoc à jure communi distinguitur; si constitutio propriè dicitur illa, quam facit Princeps, ut de primò est casus *in cap.* 1. *&* 2. *sup. tit. prox.* De secundò est casus ad literam *in cap. Constitut.* 2. *dist.* Et secundò probatur per dictum notab. Domin. de Rota *decis.* 3. *de rescript. in nov.* ubi statuitur, quod per clausulam *Non obstantibus statutis*, non censetur sublatum jus commune, & hanc Rotæ decisionem sequitur idem Domin. *in cap. Ei cui*, *& cap. Si pro Clericis*, *infr. de preb.* Nec obstat hic textus, quia secundùm subjectam materiam hic statutum non potest intelligi, nisi de constitut. Papæ. Per hoc tamen non infertur illud esse absolutè verum. Et præterea statutum, de quo hic loquitur, non erat jus commune. Sed quædam extravagans. Sed certè hæc non multum probant. Non enim Pontifex hic impropriè locutus est; igitur constitutio Papæ est statutum propriè. Sed quod in his attendi debet hoc est, quod ut dicam infra, *in hoc cap.* Nomina aliqua in propria significatione sumpta sumuntur & genericè, & specificè; quia aliquando significant genus, aliquando speciem, & tale est nomen statutum, & secundùm hoc verum est, quod ex subjecta materia debet attendi, an genericè sumatur, vel specificè. Et interim ex nomine statuti solùm non potest colligi, quod aliqua dispositio intelligi debeat de statuto inferiorum, seu specificè sumpto, nisi ex aliquo alio id accipiatur.

6 Verùm quidem est, quod secundum quod asserit Dom. scilicet, quod clausula *non obstantibus statutis*, tollat constitutionem Principis, per se, & regulariter non est verum; quia clausula *non obstantibus*, cùm sit strictæ interpretationis petit, ut nisi aliundè aliud colligatur, verbum statuti sumi debeat strictè, & magis propriè. Cæterùm statutum genericè sumptum omnem legem comprehendit, & jus commune est propriè statutum, quidquid sit an extravagans non inserta iu corpore juris dicatur jus commune. Qualiter verò accipi debeat, & ex conditione materiæ, & ex qualitate personæ loquentis, & ex aliis conjecturis judicandum est, ut idem Gomez fatetur *num.* 7. *&* 8. Idem verò cum proportione dicitur de verbo juris. Nam jus est genus ad statutum, nec propriè dicetur, quod jus sit statutum, sub nomine tamen juris etiam statutum comprehenditur, sicut species sub genere, quando jus accipitur universaliter. Unde sic derogando juri derogaretur statuto. Sed tamen non semper nomina communia sumuntur universaliter cùm derogatio generalis non se extendat ad specialia, quæ specialem requirunt mentionem.

Statutum verò de quo hic loquitur Bonifacius VIII. 7
Continebatur in exttravaganti, seu decretali ab eo edita, quæ secundùm Gloss. incipiebat, *Statuimus*, & quam hic corrigit, sicut & corrigit decretalem. Innoc. IV. habitam in Concil. Lugd. & quæ ibidem habetur *sub tit. de rescript.* & Innoc. III. in Concil. Lateran. quæ habetur *sup. cap. Nonnulli sub hoc titulo.*

Quæ sint ista verò, quæ continebantur in *d. decretali* 8
statuimus, & hic corriguntur numerat Gloss. *in v. quædam*, dicens, quod ibi non distinguebatur, an actor, & reus essent ejusdem civitatis, aut Diœcesis, vel diversarum. Et secundò hic additur, ut de expresso consensu partium, extra locum, qui deputatus est, possit judex cognoscere, & committere. Quantum verò ad decretalem *Præsenti* Innocentii Quarti, cùm secundùm illam possint committi causæ institutis in Collegiatis honorabilibus, & in Cathedralibus, nunc ex vi hujus constit. soli Canonici Cathedralium Præbendati, & Dignitates possunt esse judices à Sede Apostolica deputati. In cap. verò *Nonnulli, supra de rescript.* cùm posset reus citari ad duas diætas, hoc in hac decretali ad unam diætam limitatur.

Hæc autem legum mutatio non est facta, nisi ex commu- 9
ni utilitate. Hæc enim in legibus constituendis primò attendi debet juxta *cap. Erit autem lex dist.* 4. & per tradita à D. Th. & Theologis *p.* 2. *q.* 9. *art.* 2. Ideò etiam hæc communis utilitas respici debet in legum priorum abrogatione, aut correctione, juxta probata supra *cap. Licèt, de Constit. in hoc libro*, & Anton. hic *n.* 5.

Priori quoque lege promulgata, experientia illa 10
est, quæ evidenter facit videre, an lex bono communi conveniat, & ad bonum publicum conducat. Ad idem est *cap. Quam sit, infra de elect. & l. Legatis, §. Ornatricibus, ff. de leg.* 3.

Tum verò maximè debet mutari lex, cùm dignoscitur 11
tendere ad noxam. Archid. autem *num.* 1. inquit, quod noxa aliquando accipitur pro culpa, quandoque pro crimine, quandoque pro peccato, quandoque pro pœna, & quod hic sumitur pro pœna. Sed non est cur distinguantur, culpa, crimen, & peccatum in proposito; neque hic noxa significat pœnam, vel malum pœnæ, sed bene significat damnum, & præjudicium. Quod in legibus Ecclesiasticis præcipuè erit damnum spirituale, & non æstimabile pretio, & quod etiam potest esse culpa, quæ occasione legis committatur, & quæ nec est pœna, nec potest esse, quia impium esset, si quis ad peccandum damnaretur. Hinc est, quod hic noxa potest etiam accipi, & significat culpam, cujus occasionem præbet prior lex, & propterea est corrigenda, & ex qua damnum maximum infertur Reipublicæ.

Noxa igitur hic importat damnum publicum, quod præ- 12
bet causam justam abrogandi, vel corrigendi priorem legem, si illa sit in communitatis præjudicium, ut tradit D. Th. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 1. *&* 2. & ibidem Theologi, & probatum est supra *cap. Licèt de Constit. in hoc lib.* & advertunt hic Glos. Archid. *num.* 10. Jo. Andr. *in princ.* Anton. *num.* 6. Domin. *num.* 1. Multa autem habet hic Gomezius *à num.* 9. de mutatione consilii in melius, etiam apud Advocatos, quæ apud ipsum videri possunt.

Constitutionem verò hanc priores corrigentem Ponti- 13
fex vocat sanctionem, quæ ut ait Gloss. est constitutio pœnalis, seu, ut inquit Archid. constitutio vallata, ut est illa. *Si quis suadente Diabolo*, 17. *quæst.* 4. quæ est munita pœna excommunicationis. Gomez verò *num.* 90. vult, quod sanctio significet legem propriè pœnalem; & ideò constitutionem hanc non esse propriè sanctionem, quia nullitas actus hic imposita non sit propriè pœna. Sed secundùm Archid. Sanctio est lex vallata, & ideò propriè sanctio dici potest lex munita decreto irritante. Sed etiam, quod nullitas actus dicatur pœna habetur *sup. cap. dispendia, hoc tit.* & notatum est ibi *n.* 65.

Ex quo tamen hæc sanctio non in totum derogat, sed 14
reformat statutum prius, colligunt Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 3.

*num.*3. quod aliud sit abrogare legem, & aliud eam reformare, & quod ex concessa facultate reformandi, non intelligitur concessa facultas abrogandi in totum.

15 His igitur præmissis decernitur, quod Judices delegati à Pontifice, vel ejus Legato (unde sub hac regula non comprehenduntur executores, de quibus est sermo infra §. *In nullo*) debeant sub disjunctione habere aliquas conditiones, quarum una est, quod sint personæ in dignitate constitutæ. Multipliciter autem dicitur dignitas, sed hic sermo est de dignitate Ecclesiastica, quæ est administratio quædam de se perpetua rerum Ecclesiasticarum cum aliqua fori externi jurisdictione, & cum præeminentia in gradu, *cap. Volumus, cap. Diaconum, & cap. Quia* 99. *dist.* Archid. *infr. cap.*1. *de consuet.* & ibi Jo. Andr. Innoc. *cap. De multa, sup. de Preb.* & ibi Host. *num.*9. Panorm. *num.* 5. Silvest. *v. dignitas, num.*1. Reverendiss. Fagnan, *cap. Ad hac, num.*21. *& seq. de preb.*

16 Dignitatem verò censentur habere, nedum Episcopi & supra, & nedum qui in Cathedralibus, aut Collegiatis ex institutione, aut consuetudine dicuntur Dignitates, licèt jurisdictionem non habeant. Fagn. *loc. cit.* sed etiam Abbates, & alii Prælati inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Quod & verum est de Prælatis Regularium, & nedum de Generalibus, aut Provincialibus, sed etiam de Prælatis localibus, qui in Conventu, aut loco nullum superiorem habent. Isti enim in utroque foro jurisdictionem habent in subditos, & ecclesiastica bona cum præeminentia gradus administrant, & dignitatem propterea obtinent, *cap. Nisi essent de Prebend.* & ibi Jo. Andr. *num.* 4. Anton. *num.*14. Card. *num.*3. *not.*6. Et ideò ex vi hujus textus, possunt esse Delegati Papæ. Franc. *num.* 4. Barbosa *num.*11. *& ex Clement.* 2. *de Rescript.* ubi Glossa *v. per electionem*, Panorm. *num.*6. Card. *oppos.* 1. *num.* 16. *quæst.* 13. Anchar. *num.*1. Imol. *num.* 11. Idem Panorm. *cap. Cum olim in princ. de major. & obed. & cap. causam quæ, num.*9. *de judic.* Felin. *d. cap. Cum olim, num.* 1. *& cap. Cum insuper paulò post princip. de testibus.* Idem Franc. *cap. Nullus, infr. num.*2. *de elect.* ubi Domin. *num.* 6. Angelus *v. Delegatus, num.*6. Silvest. *ib. quæst.* 2. *num.*3. *& v. Religio* 6. *quæst.* 11. Sraphil. *de lit. gratia, tit. de form. impetr.* §. *Pertranseo à num.* 8. *usque ad* 11. Vant. *de nullit. tit. de null. ex defectu jurisdictionis delegatæ, num.*8. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.*65. *art.*3. Sanch. *l.*6. *moral. cap.*13. *num.*78. Azor. *p.*2. *l.*3. *cap.*13. *quæst.*7. Palaus *disp.*16. *p.*12. §.1. *n.* 5. Reverendiss. Fagnan *cap. Cum olim, el* 2. *n.*4. *de privil.*

17 Quomodo verò simplices Religiosi, imò & Priores dicti claustrales, qui sunt sub Abbate, vel alio Superiore, non possint esse Delegati Pontificis, ex vi hujus cap. nisi Pontifex eorum faciat specialem mentionem, quodque hoc non possit facere Legatus Papæ, dixi *tom.* 2. *de stat. qu.*187. *art.*2. *n.*22. *& sequent.* & idem tradit Fagnan. *cap. Cum olim, el* 2. *n.*3. *de privil.*

18 Vicarius etiam Episcopi potest esse Papæ Delegatus. Hujus rationem reddit Gloss. *in Clem.* 2. *de Rescript.* quia habeat dignitatem, quod & vult Barbosa *de off. Episcopi alleg.* 54. *num.*132. Verùm cùm Vicarius non possideat jurisdictionem nomine proprio, sed nomine Episcopi, nec habeat ex natura officii perpetuitatem, cùm ad nutum Episcopi possit Vicarius ab officio amoveri, non habet propriè dignitatem, cùm dignitas perpetuitatem requirat, *cap. Præcepta, dist.*53.

19 Quod si dicatur nos admisisse Prælatos Regulares habere dignitatem, licèt non sint perpetui. Respondetur, & dicitur primò latum esse discrimen; quia Prælati, qui sunt tales ex electione habent officium ex natura sua perpetuum, & tale de jure communi, & merè per accidens est, quod hujusmodi Prælaturæ ex lege speciali sint factæ temporales, quod satis innuit *Clement.* 2. *de Rescript.* Sed officium Vicarii ex natura sua est temporale, & defectibile ad nutum Episcopi.

20 Secundò loquendo etiam de Prælatis Regularibus, qui non sunt ex electione, sed ex majoris superioris institutione, adhuc officium illorum est ex natura sua perpetuum, quia continet jurisdictionem per modum causæ principalis, & ordinariæ, non verò solùm per modum instrumenti. Unde illi habent jurisdictionem ut propriam, sed Vicarius est instrumentum, quod non agit virtute propria, sed virtute Episcopi agentis principalis. Ideò Vicarius Episcopi habet officium ex natura sua temporale, Gloss. *in Clement. ult. de Procurat.* DD. *infr. cap.*1. *de off. Vicarii, & in cap. penult. supra eod. tit.* ubi Card. *q.*4. Vicarius ergo Episcopi non habet propriè dignitatem.

Nihilominus tamen habet prærogativam, & præeminentiam quandam Ecclesiasticam, unde est Prælatus, & hoc sufficit, ut largè dicatur dignitas, ut illi possint delegari causæ Ecclesiasticæ, *Clem.* 2. *de rescript.* Ubi hoc specialiter decernitur de Vicario Episcopi, & de Prælato Regulari, qui non est ex electione, & propterea quid minus habet de dignitate. Vicarius ergo Generalis Episcopi potest esse delegatus Papæ. *Clem.* 2. *de rescript.* ubi Gloss. *v. Delegatus.* Panorm. *num.*4. Imol. *num.*22. Anchar. *num.* 1. Card. *num.* 16. Angelus *v. Delegat. num.* 3. Silvest. *ibid. quæst.* 2. *num.* 3. Sbroza *l.*2. *quæst.*22. *art.*1. Gratian. *discept.* 106. *num.*18. Barbosa *de off. Episcop. all.* 54. *num.* 132. Pax Jordan. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 86. & apud istos plures alii. Quod tamen non procedit in eo, qui sit Vicarius tantùm in spiritualibus, cùm hic non sit officialis Episcopi, nec habeat jurisdictionem fori externi. Pariter nec procedit in Vicario Archidiaconi, vel alterius Prælati inferioris sub potestate Episcopi. Archid. hic, Panormit. *d. num.* 4. Nec in Vicario foraneo, ut iidem DD. advertunt. Procedit verò in Vicario Capitulari, Panorm. *ibid.* Sanchez *l.* 8. *de matrim. disp.*27. *num.* 32. Pax Jordan. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 88. Et in Vicario Episcopi electi, & confirmati, licèt nondum consecrati. Panorm. *ibid.* Sbroz. *d. quæst.*23. *num.*4. Sanch. *loco citato.* Pax Jordan. ubi supra *num.*39. Barbos. *d. all.*54. *num.* 188. *& in hoc cap. num.*9. Et pariter procedit in Vicario Prælati inferioris habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, & proprios subditos, & Diœcesim, seu territorium. Quamvis enim oppositum senserint Gloss. *in d. Clement.* 2. *v. Episcopi*, Card. *num.* 14. *quæst.* 42. Imol. *num.* 9. Bonif. *num.*30. quod esse tutius voluit Anchar. *num.* 1. & Barbosa ubi supra *num.* 141. Nihilominus verius dicitur, quod *in d. Clement.* 2. sub nomine Officialis Episcopi intelligatur officium habentis jurisdictionem quasi Episcopalem, Sanchez *l.*8. *de matrim. disput.*27. *num.* 34. qui testatur praxim ita se habere. Et ita tenuerunt Steph. & Matthæus, ut illos refert Imola citatus, & probabile dixit Paulus relatus ub Anchar. *ibid. num.*1. & apud Barbosam ubi supra, Flores de Mena *q.*4. *n.*14.

Si tamen commissio dirigatur Episcopo, non se extendit ad Vicarium. Denominato enim judice delegato ad non nominatum non datur transitus. In casu tamen in quo Episcopus subdelegaret Vicarium, posset Vicarius esse judex. Gratian. *disceptat.* 145. *à numer.* 16. Garz. *p.* 6. *cap.* 2. *num.* 23. Et sic è contra commissio facta Vicario non potest præsentari Episcopo, nisi Vicarius eum subdeleget, Garz. *d. p.* 2. *num.* 19. Grat. *disceptat.* 92. *à num.* 6. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disput.*27. *num.*10. Barbosa *d. alleg.* 54. *num.* 136. 22

Tertiò Delegati Papæ possunt esse Collectores, & Subcollectores, quia habent dignitatem cum jurisdictione, sic tenet Barbosa hic, & allegat Gonzal. *super reg. Cancell. Gloss.* 51. *num.*79. Sed ibi Gonzales ait, quod non potest esse subcollector, nisi habeat requisita hujus cap. Quoniam est delegatus Sedis Apostolicæ, sed quod collectoria, vel subcollectoria sit dignitas, ibi non asseritur. Unde si aliquis aliàs non habens qualitatem hujus decreti fuisset dispensatus, ut esset subcollector: non esset habilis sine speciali alia dispensatione, ut causæ aliæ sibi delegarentur. Sed nec ex vi hujus Cap. necesse est, quod subcollector habeat dignitatem, sed sufficit si sit Canonicus. 23

Quartò, Commendatarius perpetuus censetur habere dignitatem, ut juxta formam hujus cap. possit esse Papæ delegatus. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §.7. *num.*10. ex Gomez hic *num.*77. *n.*9. *ampliat.* Barbosa hic *nu.*12. Sed contrarium hujus docet Gomez *n.*77. *de mente.* Hieron. Pauli *in practica Cancell.* & Gulielm. Cassadori, quamobrem in his stylo curiæ standum erit. 24

Quintò, Cancellarius Academiæ auctoritate Papæ approbatæ dicitur habere dignitatem, & qualitatem, ut juxta formam hujus cap. sibi causæ committi possint, quia licèt non habeat beneficium, habet administrationem cum jurisdictione. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 13. *quæst.* 9. Barbos. hic *num.*13. Posset quoque dubitari, an Doctor possit esse delegatus, cùm doctoratus sit dignitas, *cap. Quintò de magistro cum concord. ibi traditis* per Felin. Tractat hanc quæstionem Gomez hic *à nu.*67. & negativè concludit, quia docto- 25

doctoratus non est dignitas ecclesiastica. Limitat verò *num.* 70. in Doctore, qui legerit per 20. annos, quia ex illa prærogativa temporis acquirit dignitatem Comitatus *l. 1. in fine, cum Gloss. Cod. de Profess.* Sed eadem ratione rejicitur hæc limitatio, quia neque hæc dignitas comitatus est dignitas Ecclesiastica, de qua tamen loquitur textus, ut considerat Gloss. *in v. dignitate*. Unde nec Cancellarius nisi habeat administrationem, & jurisdictionem Ecclesiasticam habet dignitatem ad effectum, ut possit esse delegatus.

26 Ulterius tamen ad hoc, ut aliquis sit judex delegatus requiritur determinata ætas, scilicet viginti annorum, infra quam id non licet, nisi vel de consensu partium ille, qui annum 18. transcenderit, vel si sit constitutus à Principe, ut habetur *cap. Cum vigesimum, sup. hoc tit.* Non sufficit igitur ad hoc, ut quis possit delegari, quod habeat Personatum, vel dignitatem, vel sit Canonicus. Et quidem, ut hic advertunt Gloss. & Anchar. non deerit ætas ei, qui Dignitatem obtinuerit, cùm de jure communi antiquo ad hoc necessaria esset ætas 25. annorum *cap. Cum in cunctis, de elect.* Nunc verò ex Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. sit necessaria ætas 22. annorum. De quo videri potest Fagnan. *ad d. cap. Cum in cunctis*, & quæ scripsi *tractat. de elect. cap.* 25. *in v. ætas*. Tamen benè potest contingere, quod Canonicus ætatem viginti annorum non habeat. Quo stante causæ Ecclesiasticæ illi committi non poterunt. Quod si contingat cum aliquo dispensari, ut obtineat dignitatem, ante ætatem annorum viginti, non per hoc erit dispensatus, ut possit esse delegatus Sedis Apostolicæ, aut Legatorum, seu Delegatorum ejus. Sicut si contingat etiam à Papa committi aliquam causam alicui Canonico minori 20. annis, non facta mentione minoritatis rescriptum non valebit ex defectu ætatis. Quod tamen valeret, si datum fuisset ex certa scientia Papæ, quæ adesset, si in rescripto minoris ætatis fieret mentio.

27 Non est verò necesse absolutè, quod Delegatus Papæ habeat dignitatem, sed sufficit, quod habeat Personatum. Quod verò aliquando in jure tanquam synonyma accipi videantur hæc tria, scilicet Dignitas, Personatus, & Officium, & synonyma esse censeat Ludovicus Gomez hic *num.* 18. Ubi quod hoc tenent omnes *in d. cap. Cum accessissent, supra de constit.* quod etiam deduci videtur *ex cap. Cum accessissent, sup. de constitut. & cap. ad aures sup. de rescript. & cap. Dudum el 2. §. Licet autem, sup. de elect.* Anton. autem hic *num.* 2. dicat, quod non potest tradi certa regula ad videndum, quid sit Dignitas, vel Personatus, sed hoc ex consuetudine Ecclesiarum accipiendum sit. Tamen quod hæc distinguantur habetur ex hoc textu, in quo distinguuntur habentes Dignitatem, ab obtinentibus Personatum. Quod idem habetur *ex cap. De multa, sup. de praben. & cap. Eum, qui, de eo qui mitt. in possess.* & advertunt hic Gloss. *notab.* 2. Anton. *num.* 7. Domin. *num.* 2. Franc. *num.* 2. Barbos. *num.* 21. Jo. Andr. *in d. cap. De multa, num.* 13. *& in d. cap. Cum accessissent, num.* 7. & ibid. Anton. *num.* 4. Imol. *num.* 1. Panorm. *in princ.* Et idem Jo. And. *inf. in d. cap. Quia sæpè*. Fagnan. *cap. Ad hæc, sup. num.* 8. *de prabend.*

28 Neque verum est, quod aliquando in jure communi illa tria fuerint accepta, ut synonyma, sed verè se habent sicut genus, & species. Nam officium propriè sumptum est genus ad alia duo. De ejus enim ratione est, quod sit administratio de se perpetua rerum Ecclesiasticarum, sed non requirit prærogativam aliquam specialem, vel jurisdictionem. Personatus verò cùm importet administrationem est officium, sed quia addit prærogativam, licèt non in gradu, sed simplicem prærogativam in Choro, vel in Capitulo, vel in optionibus, vel in processionibus, vel in vocis dandis præ aliis Canonicis. Archid. *cap. 1. infr. de consuet.* Silvest. *v. Dignitas, num.* 3. ideò est quædam species officii. Dignitas verò cùm habeat administrationem, & prærogativam est officium, & Personatus, sed quia addit prærogativam gradus & jurisdictionis, ideò est quædam species officii, & Personatus.

29 Sed advertendum, quod ubi genera contrahuntur ad species per additionem gradus alicujus, contingit sæpè, quod nomen generis etiam propriè sumptum tribuitur, & generi, & alicui speciei illius generis, quoniam ratio generica ad illum gradum, quem addit una ex speciebus generis potest se habere, vel negativè, vel privativè. Priori modo ratio illa est generica, sed secundo modo est specifica. Sic v.g. quia animal contrahitur ad hominem per additionem novi gradus, scilicet rationalitatis, animal propriè sumptum, potest accipi dupliciter, vel ut negativè se habet ad rationalitatem, quia licèt eam non claudat tamen nec illam rejicit, sed illam potest adjunctam habere. Et hoc modo animal est genus, & prædicatur de homine, qui verè, & propriè est animal, licèt non sit tantum animal, quia est animal rationale. Alio modo sumitur animal, ut ad rationalitatem se habet privativè, quia sit illa privatus, illamque excludat. Et sic est species contra distincta à specie hominis est enim animal irrationale. Quare nomen animalis significat aliquando genus ad hominem, & alia animalia, aliquando significat speciem homini oppositam, unde etiam in sermone communi animal simpliciter prolatum importat animal irrationale.

Sic nomen Officii, & Personatus est aliquando nomen genericum, & aliquando specificum. Primò modo dicitur formaliter, & propriè de Dignitate, & in ea significatione usurpatum fuit in juribus suprà citatis. Sed aliquando est nomen specificum. Et hoc modo officium specificè distinguitur à Personatu, & est administratio sine prærogativa in Choro, vel in Capitulo ultra alios sui Ordinis. Archid. *d. cap.* 1. & ibi Jo. Andr. Silvest. *v. Dignitas, num.* 3. & hoc modo officium habent Syndici, Procuratores, & Custodes, de quibus *in cap. Salvator, §. Nemine, is quæst. 3. & l. Alienam, Cod. de Procur. Item cap. Vice Domini, §. Offic. 89. dist.* Pariter personatus est nomen generis, ut ad gradum Dignitatis negativè se habet, & sic Dignitas propriè est Personatus. Sed ubi Personatus importat prærogativam gradu dignitatis privatam, est species à Dignitate distincta. Archid. Jo. Andr. & Silvest. ubi suprà. Et sic verum est, quod Personatus est, quid medium inter Officium, & Dignitatem, ut probat Cujac. *in rubr. de Prabend. col.* 2. quem sequitur Fagnan. *d. cap. Ad aures, n.* 52. 30

An verò etiam dignitatis nomen possit accipi genericè, & specificè Domin. *infr. cap. 1. de consuet.* arbitratur, Dignitatem esse genus ad Personatum. Et Ludovic. Gomez hic *num.* 18. sentit, quod Personatus sit propriè dignitas, quia sit species Dignitatis. Nam Personatum esse Dignitatem habetur, *cap. Ad aures de rescript.* Et hoc cum fundamento dicitur, quia officium cum præeminentia simul habet quandam dignitatis excellentiam. Et hoc modo personatus, & dignitas genericè sumpta coinciderent in idem nec tamen propriè essent synonyma, quia idem ex diversa ratione significarent. Et in hoc sensu, & personatus esset dignitas, & dignitas esset personatus. Nec video aliquod inconveniens asserere, quod sic sumantur, & quod hujusmodi propositiones sint propriæ, ut proprium distinguitur contra metaphoricè, vel analogicè, & impropriè. Sed tamen Personatus, & Dignitas magis propriè, & specificè sumptæ sese excludunt sicut animal irrationale, & homo. Et sic dum vult Gomez *num.* 25. quod etiam Canonicatus sit propriè dignitas, si loquamur de Canonicatu Cathedralis, eodem modo explicari posset, ut sit verum de dignitate genericè sumpta; sed si ad libitum hoc modo volumus extendere nomina, omne officium habens aliquid prærogativæ poterit dici dignitas, & ita hoc conveniet nedum Canonicis Cathedralium, sed omnibus Canonicis, & quampluribus aliis officialibus. De his videri potest Barbosa *de Can. cap.* 4. Et jam hæc est praxis, ut quantum ad causarum cognitionem committendam Canonici Cathedralium habeantur pro Dignitatibus. 31

Cathedralis Ecclesia dicitur, quæ est Episcopalis, & sic dicitur, quia in ea Cathedra Episcopalis sit erecta, in qua sedet Episcopus. In hac ergo parte correcta est Decretalis *Præsenti*. Innocent. IV. in Concilio Lugdunen. in qua permissum erat, ut judices dari possent instituti in Collegialibus honorabilibus, cùm modò neque hoc sit concessum institutis in Ecclesiis Cathedralibus Gloss. & Dominic. *num.* 7. Sed solis Canonicis, aut Personatibus, aut Dignitatibus. Quod adeò est verum, ut etiam si in Collegiatis sit Canonicus jure peritissimus, & longè peritior, quam sit quilibet alius existens in Cathedrali, nihilominus non possit delegari judex. Jo. Mon. *num.* 2. Anchar. *num.* 3. Anton. *num.* 12. Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 7. Barbos. *n.* 17. sicut nec sufficit, quod aliquis in Cathedrali habeat aliquod officium, sed necesse est, quòd sit Canonicus. Gloss. Dom. *n.* 6. 32

Et tamen notandum, quod nomen hoc Cathedralium non determinat nisi Canonicatum; & ideò qui in Collegiatis insignibus, seu honorabilibus obtinent Dignitatem, vel Personatum possunt esse delegati Papæ, Gomez *num.* 89. post Gloss. *in Clement.* 2. *v. Delegatus de rescript.* & Imola *ibidem.*

33 Sufficit verò esse Canonicum Cathedralis, quod adeo verum est, ut qui est talis non possit rejici titulo imperitiæ. Anchar. *num.*3. Domin. *num.* 8. Franch. *num.* 7. qui addunt nec posse probari contrarium. Jus enim hanc idoneitatem supponit ex eo quia jus respicit, quod fit communiter. Sic verò est, quod communiter Canonici Cathedralium sunt periti in iis, quæ ad judicium spectant. Gloss. & Anch. *num.* 3. Et ideò hæc est præsumptio juris, & de jure contra quam non datur probatio nec obstat, si Cathedralis sit pauperrima; Et Jo. Andr. & Dom. *num.* 6. quia præsumitur, quod etiam in Cathedrali pauperrima Canonici sint periti, quantum sufficit. Quod si aliquando possit contingere, quod Canonicus Cathedralis non sit peritus, poterit ille habere assessorem, de cujus consilio judicet. Ex aliis tamen causis poterit Canonicus recusari, prætextu infamiæ, inimicitiarum, excommunicationis, &c. ut notat Gloss, quæ etiam advertit ex hoc textu colligi, quod ex dignitate, & loco præsumitur pro aliquo.

34 Debet verò Canonicus habere alia requisita nimirum ætatem, ut suprà dicebatur de dignitate. Arch. *d. num.* 1. Gomez *num.*26. ex Rota *decis.*324. *in nov.* Unde dato, quod Papa dispensaret, ut aliquis impubes esset Canonicus non per hoc esset dispensatus, ut posset esse judex. Dom. *num.* 7. Barb. *n.*25. Gomez *n.*26. Nec minores 20. annis possunt à Legato, vel alio inferiori dispensari super hoc requisito, ut bene Gloss. advertit. Sed Gomez hic *n.* 112. *& seq.* vult, quod Canonicus minoris ætatis possit esse judex, si non sit solus, sed datus simul cum alio habente ætatem. Quod tamen non admittitur, quia etsi associatus est, tamen est verus judex potens, imò debens ex proprio judicio judicare; At verò lex, *cap. Cum Canonicum, de off. deleg.* minorem 20. annis præsumit inhabilem ad judicandum. Et propterea prohibet illum esse judicem: unde nec solus, nec associatus minor potest esse judex. Licèt verò Canonicus omissus possit esse delegatus ad unam, vel alteram causam, non potest tamen esse conservator. *Cap. fin. infr. de off. deleg.* Gloss. *in verbo Canonicis*, Oppositum tenet hic Gomez *num.*1101. volens quod Canonicus possit esse conservator. Sed de hoc dicetur *infra d. c. fin. de off. deleg.*

35 Non est verò necesse, quod Canonicus sit præbendatus in actu, sed dum sit Canonicus, etiam si interim expectet præbendam potest dari judex. Jo. Andr. in princ. Anchar. *n.*3. Anton. *n.*3. Gomez *n.*29. Dom. *n.*3. Franc. *n.*6. Anchar. verò existimat, quod nec sit necesse, quod Canonicus sit in possessione Canonicatus. Quamvis enim, qui non est in quasi possessione dignitatis, jure ordinario non habeat jurisdictionis exercitium, nisi in casu Clem. 1. *de for. Compet.* tamen non est eadem ratio de hac *jurisd. deleg.* quia hujusmodi commissio non requirit nisi titulum dignitatis: secus verò in jurisdictione ordinaria, & jure suo, quæ referuntur ad certam rem, vel locum, in quibus fundantur, & quorum respectu exercitium datur, non regimen juris, sive tituli, juxta not. *in cap. Cum Ecclesia Sutrina de causa possess. & cap. Consultationibus, de jure patron. & utrobique per Innoc.* In Ecclesia tamen numerata, ut vult Gomez *v. Canonicus*, qui non habet præbendam, quia non sit de numero, sicut non est Canonicus, nisi in expectatione, ita non potest esse delegatus.

36 Si verò Papa committeret alicui causam aliquam vocando eum Clericum, & iste verè non esset nec dignitas, nec Personatus, nec Canonicus Cathedralis, censendus ne esset dispensatus super lege hujus decretalis? Archid. *num.*3. arbitratur, quod nisi aliunde constaret de certa scientia Papæ, præsumendum esset illum non esse dispensatum, & expectanda esset certa jussio, nisi in rescripto esset clausula, *Non obstante &c.* sicut & requiritur in *cap. Nonnulli sup. de rescript.* Sed oppositum est verum, quia non est in Principe, & Papa præcipuè præsumenda, vel ignorantia loquendi, vel negligentia, & quod inconsideratè relicto nomine Dignitatis, vel Personatus, aut Canonicatus, usus fuerit nomine Clerici. Ideò in hoc casu dicendum esset satis constare de certa scientia. Nec ista decretalis habet clausulam derogatoriam ad futura rescripta. Aliàs verò dicitur constare de certa scientia Papæ, si id ex rescripto ipso colligi potest, etiam si non adsit clausula ex certa scientia. Et ideò, quod literæ valeant in quibus committitur alicui non Canonico, nec personatum, aut dignitatem habente, si in eis commissarius institutus vocatur Clericus, tenent Gloss. *in v. litterarum*, Anchar. *num.* 4. Domin. *num.*9. Franc. *num.*13. Gomez, *qui num.* 65. & sequenti tractat quæst. an hic Clericus dispensatus possit, non servata forma hujus textus, alteri subdelegare, & pro negativa concludit.

Obiter quoque hinc colligitur, quod ubi in dispositione aliqua apponitur verbum *sufficit*, non est necesse aliàs qualitates adesse, quam expressas, Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 6. Gomez *n.*114. referens Panorm. & alios Barb. *num.* 27. monens varias hujus verbi significationes explicare Rebuff. *l. sæpè* 53. *verb. sufficit, ff. de verb. signif.* 37

Remanet verò discutienda difficultas, quid nimirum sit dicendum ubi Cathedralis sit Regularis, in qua Capitulum ex Monachis constat, aut ex Canonicis regularibus. Aliqui in utroque casu negant Monachos, seu Canonicos regulares posse esse delegatos, quia sunt religiosi, quibus competit orare, & psallere, & spiritui vacare, non verò rumoribus fori se immiscere. Et quia isti non sunt Canonici Cathedralium, cùm sint Religiosi. Ita post Jo. de Lign. & Paul. Archid. *num.*1. Anchar. *num.* 4. Domin. *num.* 3. Franc. *num.*5. Anton. *num.*10. Sed Jo. And. id negans de Monachis, affirmat Canonicos regulares posse esse Papæ delegatos, si sint Canonici Cathedralis. Verùm dicendum est, quod ubi Cathedralis sit regularis, & Capitulum ejus constet, vel ex Monachis, vel ex Canonicis regularibus, tunc Monachi, seu Canonici, quia verè sunt Canonici Cathedralis, ideò etiam illis à Sede Apostolica possunt committi causæ audiendæ, & judicandæ, Panorm. Clem. 2. *n.* 13. *de Rescript.* Fagnan. *cap. Cum olim, el 2. num.* 10. *de privileg.* Ludovicus Gomez *hic n.*48. *qui num.*32. *& sequent.* exactissimè rem examinat. Et data etiam sententia contraria illam limitat multipliciter. 38

Textum autem loqui de solis causis Ecclesiasticis, non verò de profanis, ex Genuen. *in practicabil. quæst.* 751. *nu.*2. tradit Barbos. *num.* 22. Sed è contra etiam si causa sit temporalis, & inter laicos, quod nihilominus servanda sit forma hujus textus, voluerunt Jo. Andr. & Lapus, cujus tamen oppositum sensit Jo. de Lign. Anton. *num.* 10. refert dicta aliorum, & non solvit, sed auget difficultatem, dicens majus dubium esse, ubi causam committenda sit criminalis, & ad pœnam sanguinis. Sed Domin. *num.* 3. arbitratur quod si ex vi *cap. tua nobis, de appellat.* hujusmodi causæ poterant committi laicis, nihil sit hic immutatum; sed si ibi hoc laicis non erat permissum standum esse huic textui. Et certè sic est dicendum, quod ubi causæ non possint cognosci, nisi per Clericum, non sit recedendum à decisis per hunc textum. Sed Gomez concordat dicens de rigore juris causas temporales posse committi laico, & non obtinenti Dignitatem, sed de honestate non. Sed melius absolutè dicitur attendi debere, non an litigantes sint laici, sed an causa sit ecclesiastica, & quod in omnibus causis Ecclesiasticis locum habeat hæc decretalis; hæc enim sunt, quæ propriè spectant ad Sedem Apostolicam. 39

Quia verò in commissionibus causarum datur commissariis jurisdictio, colligit Gloss. hunc textum non prohibere, quod simplici Clerico committi possit audientia alicujus articuli, seu mera executio ipsius rei. Et ita etiam sentiunt Dom. *n.*6. Barb *n.* 29. Gomez *n.* 66. *in fin.* Navar. *cap. Cum contingat* 2. *causa nullitatis, vers.*30. *pag.* 112. Tusch. *lit. D. concl.*150. *n.*10. Massorb. *de syn. Diœces. cap.*4. *dub.*13. *n.* 55. Et quantum ad audientiam alicujus articuli, aliqui hoc limitarunt, si articulus peteret causæ cognitionem, quia in hoc casu commissarius assumeret partes judicis, quod non licet. Sed Archid. *num.*2. hoc non admittit, quia is, cui committitur aliquis articulus causæ, non est judex, sed imò potius auditor. 40

Quantum verò ad executionem etiam Rota *decis.* 1. *de rescript. in antiq.* dixit Clericum posse ad eam delegari; quod intelligitur, si executio sit mera. Nam executor datus cum clausula *vocatis vocandis*, est verè judex. Rota *decis.*32. *de rescript. in antiq.* Gomez *hic n.*75. Marches. *de commiss. p.*1. *pag.*25. *n.*39. Flores de Mena *var. quæst. l.* 1. *quæst.*4. per totam, Barbos. *hic num.* 23. Hoc tamen Gomez 41

*num.*77.

num.77. intelligit, ut valeat de illis, qui à principio dati sunt cum clausula *vocatis vocandis, &c.* secus verò si primo dati sint sine dicta clausula, & postea quia id fuit necessarium datur commissio vocandi vocandos, &c. quia sufficit quod isti principaliter dati sint ad nudam executionem, licèt ex accidenti data sit facultas cognoscendi.

42 Pariter verò textum hunc non procedere in literis compulsorialibus, observant Achil. *decis.3. de off. delegat.* Put. *decis.191. p.3. in antiq.* Barbos. hìc *num.24.*

43 Valent tamen literæ ad favorem inhabilis, si datæ sint motu proprio, vel ex certa scientia: Hæc enim in hac parte æquiparari dicunt Domin. *num.11.* Franc. *num.14.* Bellam. *conclus.81.* Gomez hìc *n.52.* Arbitratur verò Barbos. *n.31.* ex Menoch. *de præsumpt. lib.2. præs.20. num.2.* quod etiam si inhabilis, cui fit commissio, non sit nominatus in literis, seu fuit adjecta clausula, ex certa scientia, quod literæ valeant. Sed Gloss. exigit quod inhabilitas sit expressa in literis. Et hoc idem vult Bellam. *dict. conclus.81.* Menoch. *de arbitr. p.2. casu 158.* Et verè sic est necessarium, nam motus proprius, vel clausula ex certa scientia, ut probatum est suprà *cap. Quamvis n.13. & 30. in hoc titulo*, & docet idem Barbos. *tract. de claus. in verb. motu proprio* non tollunt inhabilitatem subjecti; neque est unde colligatur Papam scivisse inhabilitatem, si id ex rescripto, vel aliundè non habeatur. Sed quid si rescriptum non est datum motu proprio, & tamen judex in eo datus nominatur simplex Clericus? Bellam. *d. conclus.81.* videtur velle, quod sit necesse, quod rescriptum sit datum motu proprio, etiam in hoc casu, ut valeat: & alleg. Gloss. *in v. literarum*, quæ ibi oppositum habet. Nam rescriptum ex certa scientia est, ex quo Papa vocat eum Clericum, cui causam committit.

44 Benè verum est, quod certa scientia, vel motus proprius potest aliundè probari, quam ex scriptura; & sic potest probari per testes, ut ex Rota advertunt Dom. *n.11.* & Franc. *n.14.* Et simul verum est, quod etiam sine clausula ex certa scientia, si eadem certa scientia ex tenore rescripti colligitur, sufficit, Dom. *num.10.* Franc. *num.13.* & ubi constat de certa scientia, non est necessaria alia clausula. Et faciunt, quæ suprà dicta sunt, *cap. Si eo tempore, num.29.* Et notant DD. in casu, si Papa impuberi conferret beneficium curatum scienter, & quod habet Gloss. hìc *in v. Canonici* circa medium, & sup. *cap.1. in v. noscatur, de const. in hoc lib.* & Imol. *in cap. Nonnulli, sup. eod. tit.* & Rota *in decis.466.* quæ incipit: *Item extra Rotam.* Et quæ à nobis suprà notata sunt *d. cap.1. de Constit.*

45 Censet quoque Gloss. quod Vicecancellarius possit ex certa scientia committere causas contra formam hujus decretalis. Sed hoc non procedit de jure, sed de stylo curiæ Dom. *num.10.* Franc. *n.14.* Unde si Vicecancellarius non ad instantiam partium, sed motu proprio, vel ex certa scientia committat causam alicui simplici Clerico, literæ valent. Bellam. *d. conclus.81.* ex Innoc. hoc amplius requirit, quod Vicecancellarius expediat literas nomine Papæ; quia Cancellaria contra statutum Papæ venire non potest. *Clem. ne Romani de elect.* Hoc etiam non posset facere Legatus, vel quilibet alius, quia non possunt dispensare super hac decretali. Unde nec de consensu partium posset Legatus causam committere simplici Clerico. Anchar. *num.5.* Franc. *num.13.*

46 Ordinarii autem Præsules non subduntur huic legi. Et meritò. Nam ordinarii habent notitiam Clericorum suæ Diœcesis, nec imminet periculum, ut ex probabili, & inculpabili inadvertentia committant causas imperitis. Quod periculum imminet Pontifici, qui nec habet, nec habere potest notitiam in singulari eorum, qui in qualibet mundi parte sint periti. Gloss. hìc Jo. Mon. *n.4.* Archid. *n.2.* Anch. *n.3.* Delegatus tamen à Papa non potest subdelegare, nisi hujus *cap. Forma servata*, quia non subdelegat nisi *auctor. Sedis Apostol.* Arch. *num.2.* Hinc verò deduci potest, quod ex hoc textu Vicarius Papæ, cùm sit ordinarius, nec sit Legatus non prohibetur posse committere causas simplici Clerico aliàs idoneo. Quod Gomez *n.84.* extendit ad Legatum, si committat causam ut Vicarius Papæ, allegans And. *cons.39. in 3. col. in p. volum.*

47 Sic etiam nullus Legatus Papæ potest committere causas non servata forma hujus decretalis, ut docet Gloss. Nec obstat, quod Legati in suis Provinciis sint Ordinarii, quia hoc non obstante hìc decernitur, quod contra formam statutam non possint causas committere. Voluit verò Gomez *n.122.* quod hìc sit sermo de solis Legatis à latere, quia nomen simpliciter prolatum stat pro principaliori. Quamvis addat, quod regula multoties fallit ex subjecta materia, sed dicitur, quod regula ista in solis analogis verificatur. Et sic excommunicatio simpliciter prolata stat pro majori. Sed in univocis potius est oppositum, Neque enim animal simpliciter prolatum stat pro homine, sed pro bestia. Legatus autem univocè dicitur de Legatis à latere, natis, & missis. Et ideò textus de omnibus intelligi debet, si tamen præter auctoritatem, quam habent ut Legati, sint ordinarii in aliquo loco suæ Provinciæ, tunc ubi sunt Ordinarii poterunt liberè causas committere hac forma non servata. Gloss. & Dom. Franc. *n.14.* alleg. ad hoc Innoc. *cap. Cum officiis, sup. de Præsc.* & Gloss. 2. *infr. cap. fin. de verb. signif.*

Notandum tandem ex illis verbis de cætero, quod leges dantur de futuro, & ad præteritum non se extendunt. Gloss. *in v. de cætero.* 48

Prohibet verò Pontifex committi causas non habentibus dignitatem, aut Personatum, aut Canonicatum in Cathedrali, ita ut si fiat oppositum processus sit ipso jure nullus, ex vi decreti irritantis positi in fine. Gloss. Dom. *n.12.* Franc. *n.15.* Barb. *n.34.* Bellam. *concl.81.* Potest verò esse dubium an dispositio ista intelligatur etiam de arbitris. Gomez *n.71.* affirmat de arbitris juris, quia censentur Delegati, ut tradunt DD. per illum textum *in l. fin. C. de jud. & cap. ab arbitris inf. de Off. delegat.* Negat verò de arbitris compromissariis. 49

Et hæc dicta sufficiant de prima textus regula. Succedit secunda, in qua mandatur, ut causæ commissæ non audiantur nisi in Civitatibus, aut locis insignibus. Quod si fiat oppositum est irritum, & inane. Gloss. Archid. *n.3.* Dom. *n.13.* Franc. *n.15.* Quod tamen ex Rota, & Vant. *de nullit. tit. de nullit. sententiæ n.97.* limitat Menoch. *de arbitr. par.2. casu 158. n.1.* ut ex causa rationabili oppositum fieri possit. Sed Ludovicus Gomez *nu.57.* vult quod decretum irritans positum in fine hujus *decret.* non afficiat hanc partem, & quod hæc pars non contineat formam, sed sit lata ad majorem commoditatem. Quod tamen difficilè creditum est, propter universalitatem terminorum decreti irritantis. 50

Secundùm Isidor. autem *l. 5. Etymol.* Civitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata, & dicta est civitas à civibus, idest ab ipsis incolis urbis, pro eo quod plurimorum consistat. Urbis verò ipsa mœnia sunt, & sic civitas non saxa, sed habitatores vocantur secundùm Isidor. & Archid. hìc *n.4.* Quoniam verò in Civitatibus ob habitantium multitudinem, & judiciorum erecta tribunalia præsumitur adesse peritos in jure, ideò Pontifex, vult ut causæ audiantur in Civitatibus. Gloss. Archid. *tit. num.5.* Domin. *n.12.* Franc. *n.16.* Nam & in solis civitatibus collocandi sunt Episcopi, *cap.1. dist.80. & cap.1. sup. de Privil.* & studia, & universitates erigendæ in Civitatibus, *§. Hac autem in proœm. ff. & cap.1. de Magist.* & nomine studii non intelligitur Villa, vel castrum, *cap. Tuæ, de Cler. non resid.* 51

Qui verò sint loci insignes, arbitrarium est, Gloss. *in v. Cupia.* Tiraq. *in l. si unquam, in verb. omnia n.31. Cod. de revoc. donat.* quem sequitur Menoch. *de arbitr. p.2. casu 158. n.36.* Barbos. hìc *n.36.* & alii citandi. Sed quis sit iste bonus vir, cujus est arbitrari, quinam sit locus insignis, vel quænam civitas, si de hoc sit dubium, judicem dicunt esse hunc arbitrum, sed quidam volunt, quod hoc spectet ad judicem loci Ecclesiasticum tamen. Ita Ber. & Innoc. apud Gloss. *in v. cupia.* Quæ vult, quod secundùm Hostien. eligendi sint arbitri. Sed ipsa existimat, quod hoc judicari spectet ad ipsum eundem judicem delegatum; quia talis judex pronunciare potest an sua sit jurisdictio, ideò etiam cognoscere potest de qualitate loci, ex qua sua jurisdictio pendet, & ita hoc etiam tenent Archid. hìc *num. 5. & post Speculat. in tit. de citat. §.1. vers. Ita evidens,* & Lap. hìc, Menoch. *de arbitr. part.2. casu 158. num.2.* Judex verò, ut arbitretur, attendere debebit secundùm Gloss. populi, seu vulgi sensum communem circa hoc, *l. labeo, ff. de sepult. & cap. Ex literis sup. de spons.* Secundùm Menoch. autem considerare debebit, an sit ibi copia peritorum. Sic etiam judicis arbitrio relictum est judicare, quæ sic insignis Ecclesia, ut probat Rota *decis.29. num.5. part... recent.* ubi multa habet ex quibus insignitas Ecclesiæ cognoscatur. 52

Cùm verò textus loquatur de locis, in quibus commodè possit haberi copia peritorum. Quæstio est, an hoc referri debeat tam ad Civitates, quàm ad loca, vel ad loca tantum, 53

Si

Si enim ad utrumque refertur, sequitur quod in civitate, si non sint periti, non possint hujusmodi causæ audiri. Et tamen hunc sensum tenuerunt aliqui apud Gloss. *in v. Locis*. Sed alius sensus est, ut clausula *ubi commodè, &c.* determinet solùm loca insignia, & sic quod sit discrimen, quia in Civitatibus possint causæ istæ audiri sive ibi sint, sive non sint periti; ita quod sufficiat locum esse Civitatem. Sed in oppidis, aut aliis locis extra civitates non possint causæ istæ tractari, nisi ibi sint periti. Et hunc sensum approbant Gloss. post Innoc. & Host. Archid. *num.* 5. Domin. *num.* 13. Franc. *num.* 16.

54 Et ratio discriminis est, quia rarissimum erit, quod in civitate non sint periti, Legislatores verò non respiciunt, nec medentur suis legibus iis, quæ raro eveniunt, sed quæ frequenter occurrunt, Authent. *Et sine prob. fua. fi. tu. ge. §. quia vero, coll. 7. arg. ex cap. erit, dist. 4. & l. Nam ad ea, ff. de legib.* Sic igitur lex præsumens, quod non detur civitas sine peritis, non requirit ad valorem profectus, nisi quod audiatur causa in civitate. Sed in aliis locis, vult ibi adesse peritos. Quod si ibi non sint periti, vult causas ibi non posse audiri.

55 Ex hoc verò notat Domin. *num.* 13. quod clausula in fine dispositionis posita, non refertur, nec determinat omnia præcedentia, quando est assignare discrimen, & redere rationem, ob quam ad unum referatur, & non ad aliud, *l. Talis scriptura, & l. plane, ff. de leg. & l. 3. §. 1.* & ibi Bart. & Jo. de Imol. *ff. de lib. & Posth.*

56 Arbitratur verò Franc. quod si locus sit insignis, & ibi non sint periti, quod non possint ibi causæ audiri. Sed non erit locus insignis, nisi sint ibi, qui peritiam sufficientem causarum habeant, nisi ex accidenti, & ex vi hujus textus necesse est quod ibi commodè periti haberi possint, & hoc sufficit.

57 Quidam verò textum hunc ita literaliter accipiunt, ut non sufficiat, si periti sint in loco propinquo, ex quo commodè causas tractare, aut patrocinari possint. Ita Archid. *div. num.* 5. Et idem tenuit Zenzel. apud Dom. *num.* 13. Sed oppositum dicitur cum Gloss. *in v. Civitatibus*, Dom. *n.* 13. Menoch. *d. casu* 158. Ideò si in suburbiis essent periti sufficeret, nam & in favorabilibus suburbia veniunt sub nomine civitatis. Barbos. *in Appell. v. Civitat.*

58 Si verò cùm causa sit Ecclesiastica, in loco non sint nisi periti juris civilis, quod pars possit excipere contra judicem, & quod exceptio subsistat, tenet Archid. *num.* 6. Sed tanta est similitudo utriusque juris, ut non possit esse peritus quis in jure civili, quin sit sufficienter peritus in Canonico, tantum quantum sufficiat ad causam. Si etiam licèt inter incolas non sint periti, sint tamen apud judicem ipsum familiares, quod non sufficiat, dicunt Archid. *num.* 6. Jo. And. *in princ.* Anton. *num.* 4. Et verò existentia accidentalis periti advenæ, & per modum transeuntis in loco, non facit locum insignem, unde non facit illum aptum pro loco audientiæ.

59 Requirit textus, ut in loco audientiæ periti commodè haberi possint. Propriè textus loquitur de commoditate habendi peritos, tamen Jo. Andr. *in princ.* & Anton. *n.* 4. extendit hoc etiam ad victualia, & alia necessaria, quia horum incommoditas causat incommoditatem habendi peritos; cùm ubi est caritas victualium, majori pecunia conducantur Advocati, & Procuratores.

60 Gloss. explicat peritorum *juris*, ut erat *in Extravag.* Innoc. IV. *Præsent.* Sed melius Jo. And. *in princ.* & Anton. *n.* 4. advertunt, quod imò ex proposito omissum fuit nomen *juris*; quia ad causas tractandas requiruntur etiam Notarii, & scribæ, quos non est necesse esse peritos in jure; dicitur igitur peritorum absolutè, ut intelligatur de omni peritia necessaria, sive sit juris, sive facti. Numquid verò sufficiet peritia ista practica etiam quantum ad Advocatos, & causarum patronos? Jo. Andr. quem sequitur Domin. *num.* 5. negat sufficere, sed non potest hic habere bona, & sufficiens praxis dirigendi, & protegendi causas, sine sufficienti peritia juris. Nam aliàs non est necesse quod causidici in Civitatibus, & locis sint alter Jo. Andreas, vel alter Dominicus. In his propterea attendi debet populi opinio, & fama, & praxis, & locorum conditio, & sufficit peritia moderata, & loco, & causis proportionata. Et aliud est aliquem non audivisse jura in aliqua universitate, ideòque non esse graduatum, & aliud est non esse in jure peritum: nam peritia juris propria industria obtineri potest. Et quidem est necesse, quod judex peritus sit, & tales sint advocati, & causarum patroni. Sed hic textus non requirit, quod hujusmodi periti sint graduati, aut jura in Universitate audierint, sed sufficit quod ex eorum industria, aut praxi peritiam acquisierint, ut innuit Anton. *num.* 4. *ex l. certi juris, C. de Iust.*

SVMMARIVM.

61 *Ratio difficultatis.*
62 *Sufficit qualitatem haberi tempore impetrationis.*
63 *Si commissio facta est dignitati jurisdictio transit in successorem.*
64 *Etiam re integra.*
65 *An commissum Vicario Episcopi transeat ad successorem.*
66 *Hoc extenditur ad Vicarium Capituli, & aliorum Prælatorum, &c.*
67 *Commissum Legato non transit ad successorem.*
68 *Commissum Prælato Regulari transit ad successorem.*
Ibi datur transitus ad successorem, ubi dignitas perpetuo exigitur in Ecclesia.
69 *Commissum Canonico non transit in successorem.*
70 *Quid faciendum ubi res non sit integra.*
71 *Etiam ubi commissio est nudi ministerii transit ad successorem.*
72 *Ex quo commissio fiat conjuncto sanguine ipsi delegánti non colligit quod commissio sit personalis.*
73 *Causa commissa nomine proprio commissarii expresso non transit in successorem.*
74 *Si Canonicus fiat sæcularis, non potest cognoscere de causa spirituali sibi commissa.*
Delegatus transiens ad statum incompossibilem non cognoscit de causa commissa.
75 *Canonicus factus Religiosus manet delegatus.*
76 *Privatus dignitate non manet delegatus.*
77 *Sufficit habere qualitates hujus textus tempore impetrationis.*
78 *Etiam qui habet dignitatem per modum transeuntis cognoscit de causa sibi nomine proprio commissa finito officio.*
79 *Quando rescriptum censendum sit personale.*
80 *Vbi simul exprimuntur dignitas, & persona rescriptum est personale.*

Quæst. primæ

ARTICULUS UNIC.

Vtrùm ad hoc ut aliquis sit Papa delegatus, sit necesse, quod obtineat dignitatem, vel Personatum, vel Canonicatum nedum tempore data rescripti, sed tempore exercitæ delegationis.

Videtur enim, quod non sufficiat habere hujusmodi 61
qualitates tempore datæ, quia aliter sequeretur, quod si v. g. post receptum rescriptum Canonicus rediret ad sæculum, & duceret uxorem, adhuc posset esse judex, in causa spirituali. Et pariter, quod si obtinens Personatum, aut dignitatem fieret religiosus, adhuc posset judicare, & forenses causas cognoscere, quæ illum à studio perfectionis averterent. Cùm tamen Religioso non conveniat esse judicem, nec etiam delegatum, ut dictum est suprà *num.* 18.

Nihilominus est sententia communis asserens sufficere, 62
quod præfatæ qualitates adsint tempore datæ rescripti Gloss. *in v. Canonicis*. Jo. Monac. *num.* 9. Domin. *num.* 8. Franc. *num.* 8. Barbos. *num.* 19. & 20. Gomez *num.* 30. Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. §. 3. proœm. num.* 75. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 27. num.* 28. Grat. *discept.* 92. Flamin. *l. 1. quæst.* 11. *n.* 9. & 14. *in fin.* & apud istos alii. Et ratio hujus est manifesta, cùm enim hujusmodi qualitates sint necessariæ, ex præsumptione peritiæ, quia scilicet præsumitur habentes eas qualitates esse idoneos. Gloss. *in v. Canonicis*, Anchar. *num.* 3. Cùm peritia non amittatur, ex eo quod aliquis desinat habere dignitatem, vel Personatum, vel Canonicatum, nec deest jurisdictio habenti unam ex his qualitatibus jam concessa. Verum quidem est, quod hic considerari debet, an commissio facta sit vel officio, aut dignitati, aut personæ,

à qua

à qua etiam potest separari aliqua ex dictis qualitatibus ex multiplici causa, vel quia assumitur ad majorem dignitatem, ut si ex Canonico fiat Archidiaconus, vel quia reddit ad sæculum, aut ingreditur Religionem, aut deponitur, & dignitate, vel officio privatur. Hæc enim distinguenda sunt, quia non est in singulis eadem ratio.

63 Si enim commissio facta fuit Dignitati, quæ nunquam moritur, regula est, quod si babens illam Dignitatem, vel moritur, vel deponitur, vel ad majorem Dignitatem incompatibilem assumitur, vel ex quacumque causa Dignitatem dimittit, jurisdictio delegata transit ad successorem, ita quod ipse nihil possit, post amissam, vel dimissam Dignitatem, sed causa ad successorem devolvatur, *cap. Quoniam Abbas sup. de off. deleg.* quia commissio facta fuit Dignitati perpetuitatem habenti, & quæ nunquam moritur, *cap. Si gratiose suprà hoc tit. & libr. cap. Liberti 12. quæst. 2.* Dom. *hic num. 9.* Franc. *num. 8.* Marches. *part. 2. tit. de commiss. Avocationis causarum n. 130. & part. 1. tit. de commiss. Apellat. extra Rom. Cur. cap. 6. num. 57.* Jo. Andr. *infr. cap. Si Apostolica de off. deleg.* Franc. *num. 8. 10. & 11.* Gloss. *in Clem. 2. de rescript. in v. principalis*, & ibi Imol. *num. 11.* Panorm. *cap. Quoniam Abbas sup. num. 8. de rescript.* Felin. ibi *num. 5.* Berous *num. 102.* Barbos. *num. 8.* Tabien. *v. Delegare, quæst. 2. num. 13.* Sanchez *l. 8. de matrim. disput. 27. n. 22.* Rota *decis. 743. part. 2. recent.* Gratian. *discept. 92. num. 2.* Bellet. *disquis. Clerical. part. 1. tit. de Clerico debit. §. 4. num. 8.*

64 Non est verò limitanda hæc assertio, ut vera sit solum, si prior delegatus obierit, vel Dignitatem reliquerit re non integra, quia scilicet cœperat cognoscere de causa, sed sive res non sit integra, sive sit integra jurisdictio in hoc casu transit ad successorem, quia dignitatem non mori, & ideò commissum dignitati permanere militat, sive res sit integra, sive non sit, & ita docent *in dict. cap. Quoniam Abbas*, Innoc. *num. nu.* Hostien. *num. 5. & 9.* Jo. Andr. *n. 27.* Anton. *num. 20.* Card. *post. quæst. 1. notab. 3.* Henr. *n. 12.* Anchar. *cap. Licet, qu. 5. inf. de off. deleg. §. Quibus modis n. 10.* Sanchez *disput. 27. num. 7.* Et propterea benè Barbos. *ad dict. cap. Quoniam Abbas nu. 2.* Et Bellet. loco citato, resolvunt successorem, posse exequi commissionem etiam si non fuerit antecessori præsentata.

65 Hoc tamen aliundè limitatur, & quidem primò, ut hoc non procedat in Vicario Episcopi. Ratio est, quia in isto dignitas ipsa extinguitur. Vicarius enim Episcopi habet officium ex Episcopi corruscatione, & voluntate dependens. Et ita sentiunt Dom. *num. 8.* Franc. *num. 11. not. 5. & in cap. Quoniam Abbas, sup. de rescript.* Imol. *n. 7.* Dec. *in nova edit. num. 42.* Felin. *n. 7.* Berous *n. 10.* Tabien. *v. Delegare qu. 12. num. 13.* & alii plures, quos refert Sanchez *d. disp. 27. num. 8.* Nihilominus teste Sanchez *d. disput. 27. num. 10.* praxis est in contrarium, Nam ut habet Panorm. *dict. cap. Quoniam Abbas num. 11.* Quando Pontifex committit aliquid Vicario, sub nomine Vicariatus. Videtur mentem ejus respicere tribunal Vicarii, quoniam hoc suadet prudens gubernatio Ecclesiæ. Quia cùm dispensationum concessiones in foro externo dirigantur Officiali Diœcesano, si hæc essent temporales passim perirent. Et ideò, quod commissum Vicario Episcopi sub nomine Vicariatus eo remoto transeat ad successorem in officio tenuerunt Paul. *in Clem. 2. de rescript.* & Card. *cap. Quoniam Abbas num. 3. oppos. 11. & 12. de off. deleg.* Jacobus de Puteo dicens sic in Rota decisum esse *decis. 487. num. 1. l. 2.* Nam & dari in hac parte successorem *collig. ex cap. 1. infr. de off. Vicarii*, ubi textus vult substitutum in Vicariatu repræsentare, & gerere vices illius, qui prius erat Vicarius, ibi: *Illos, qui vices ipsius gerunt.* Sed cùm prior opinio sit de jure verior; si hæc secunda praxi est confirmata amplecti debet; cùm alias sit etiam rationabilis.

66 Extendit autem hoc Sanchez ad Vicarium Capitularem sede vacante, & ad Vicarios Prælatorum inferiorum habentium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, & nulli Episcopo subjectorum. Ita quod & illis commissio facta uni sub nomine officii transeat ad successorem, Cùm sit eadem ratio, & praxis ipsa ita doceat.

67 Legati autem, etiam de latere, officium ex natura sua est temporale, & cùm terminat tempus legationis extinguitur officium, quod à mittentis voluntate dependet. Et propterea, *cap. præsenti infr. de off. deleg.* deciditur provisiones Beneficiorum à Legato factas, & nondum effectum sortitas expirare finita legatione; sentit igitur textus legationem extingui finita legatione, nec transire in successorem. Anton. *d. cap. Quoniam Abbas num. 23.* Panorm. *num. 11.* Dec. *in nov. edit. num. 63.* Felin. *num. 8.* Berous *num. 102. usque ad 105.* Et ad hunc textum Dom. *n. 9.* Franc. *n. 11. not. 5. & cap. Si gratiosè num. 13. in hoc tit. & lib.* Tabien. *v. delegare q. 12. n. 13.* Sanchez *disp. 27. num. 11.*

68 Hoc verò non procederet in Prælatis regularibus, licèt temporalibus. Non quidem in illis, qui sunt ex electione Conventuum, seu religiosorum in quibus manet perpetuum jus electionis, in quo vivit dignitas remoto, vel mortuo Prælato, sed & in aliis Prælaturis, adest jus in universitate, ut sibi de superiore provideatur, & propterea non moritur dignitas, seu Prælatura sed censetur durare, nec censetur extingui, sed sicut sol occidere, & renascere. Nam & in jure illa dignitas propriè successorem habet, quæ perpetuò exigitur in Ecclesias Dom. *num. 8.*

69 Canonici etiam non habent successorem. Et non obstat quod in Ecclesia numerata Canonico videatur succedere Canonicus, quia ut ex Imol. notat hìc Domin. Canonicatus non est dignitas, cui detur successor, sicut in aliis dignitatibus Ecclesiasticis, ut not. Gloss. *in v. consentire, in cap. Quod sicut, de elect. & quod not. in cap. 1. Ne Prælati vices suas.* Imò nunquam commissio aliqua fiet sub nomine Canonicatus tantum; nam si ita fieret tanquam incerta esset nulla, *cap. ad hæc, sup. eod. tit.* cum ibi notat. Et ideò quod commissum Canonico non transeat ad successorem docuerunt Domin. *num. 8.* Franc. *num. 9. & ad dict. cap. Quoniam Abbas*, Panorm. *num. 6.* Berous *num. 99.* Felin. *num. 5. & 6.* Dec. *in nov. edit. num. 59.* Imol. *in Clem. 2. num. 12. de rescript.*

70 Quod si in his casibus Vicarius Episcopi, vel Legatus incœperat cognoscere de causa, & sic res non est integra Domin. voluit, quod in casu Vicarii Episcopi eo amoto cognosceret Episcopus per not. per Innoc. *in cap. Eam te, supr. eod. tit.* sed Paulus, & Flor. quos sequitur Franc. *num. 11. not. 6.* tenent contrarium quia Episcopus non potest se intromittere in causis delegatis Vicario, *arg. cap. Studuisti, de off. deleg.* ad quod facit Clem. *nolentes de heret.* Unde in hoc casu, dicunt impetrandam est novam commissionem. Sed juxta prædicta hìc casus non habet locum in Vicario Episcopi, quia commissio transit ad successorem.

71 Quartò limitant aliqui dictam regulam, ut non procedat in commissione nudi ministerii seu executionis sine jurisdictione. Et hæc fuit sentent. Bart. *l. more infr. ff. de jurisdict. omn. jud.* & ibi Jason. *num. 65.* Anchar. *suprà in hoc tit. cap. Si gratiosè num. 7.* Sed nulla est hujus distinctionis, & differentiæ ratio, & semper militat ratio, quod dignitas non moritur; unde commissum dignitati non extinguitur, sed transit in successorem. Hostien. *cap. fin. num. 11. de off. Delegat.* Panorm. ibi: *§. ult. num. 7.* Card. *quæst. 7.* Imol. *nu. 20.* Anch. *n. 8.* Felin. *num. 8. limit. 1.* Bellam. *quæst. 2. num. 6.* Menoch. *de arbitr. l. 1. quæst. 68. num. 23.* Ibi latè de hac materia Sanchez *dict. disp. 27. num. 14.*

72 An verò ex eo quod persona, cui data est commissio sub nomine dignitatis sit conjuncta sanguine, vel amicitia cum delegante, colligi possit, quod commissio sit personalis, contra Jasonem meritò negat Sanchez *dict. decis. 27. num. 15.* Neque enim sumus in materia testamentorum in qua Patres amicis, aut consanguineis relinquere solent tutelam filiorum, sed in commissionibus, quæ ex vi hujus textus fieri debent Dignitatem obtinentibus, seu Personatum, aut Canonicatum, personæ industria, & peritia Principaliter attenditur, quæ in habentibus hujusmodi qualitates præsumitur.

73 Sed si commissio facta fuit sub nomine proprio delegati, tunc distinguendum est, quia si ille moriatur, commissio simul cum illo extinguitur. Non enim tunc transit in successorem. Sed si delegatus vivens desinat habere qualitatem hujus textus, ut v. g. desinit esse Canonicus plures casus distinguuntur. Primus est, si Canonicus fiat sæcularis, & in hoc casu licèt Speculator voluerit, quod si lis erat contestata, & Canonicus non contraxit cum Vidua, sed cùm Virgine possit cognoscere, etiam si causa sit spiritualis, tamen hoc negant, & benè Gloss. & Paulus *in Clem. 2. de rescript.* Domin. hìc *num. 8.* Franc. *num. 8.* quia Cleric. contrahens cum Virg. non retinet privilegia Clericatus, nisi

quan-

quantum ad duo, & in aliis non se habet, ac si esset Clericus, ut *inf. cap. de Cler. conjug.* Non poterit ergo cognoscere de causa spirituali, poterit verò de causa temporali, ad quam non sit necessarius judex Ecclesiasticus secundùm eundem Domin. & Franc. Et sic universaliter ubi is, cui fuit commissa causa transit ad statum incompatibilem, & incapacem jurisdictionis sibi delegatæ, non potest amplius progredi in causa sibi commissa. Tabien. *v. delegare quæst.*12. *num.*13. Flamin. *de resignat. l.*1. *cap. d. num.*15. Sanchez *d. disp.*27. *num.*27.

75 Secundus casus est, si Canonicus fiat Religiosus. Et in hoc casu, quia Religiosus in causa Ecclesiastica potest esse judex de licentia superioris, poterit etiam prosequi causam sibi commissam, si habuerit ad id licentiam à superiore. Jo. Andr. Dom. *num.*8.

76 Tertius casus est, si Canonicus sit ob delictum depositus, & privatus beneficio, vel si quis sit privatus dignitate. In quo casu Franc. *num.*8. ex Bartolo putat, quod non possit amplius cognoscere de causa, quod & contra Jo. Mon. hìc *num.*7. dixerunt Bal. *l. generaliter num.*7. *Cod. de Episc. & Cler.* Dec. *cap. Quoniam Abbas num.*58. *de off. deleg.* & ibi Felin. *num.*5. Berous *num.*96. & hoc probant *arg. sumpto ex l. Cajus, ff. de senatoribus*. Et satis rationabiliter dicitur hoc, quia indecens est, ut privatus ob culpam ea qualitate, quam lex requirit in judice delegato, possit judicium prosequi. Et maximè si ex depositione sequatur infamia juris; infames enim esse non possunt judices. Secus verò si sit solum privatus administratione, aut suspensus, quia ubi retinet dignitatem poterit cognoscere de causa sibi delegata. Arch. *cap. Audivimus* 24. *quæst.*1. & DD. *infr. in cap.*1. §. *Si verò*, *de Cler. ægrot.*

77 Cæterùm qui habet qualitatem tempore impetrationis rescripti potest recipere literas, etiam si tempore præsentationis qualitate jam careat, nisi habeat aliud impedimentum, quia præsumitur ex qualitate habita esse peritus. Gloss. *in v. Canonicis*, Archid. Hoc tamen limitat Franch. *num.*8. *not.*1. ut procedat si res non est integra, quia scilicet, v. g. Canonicus antequam removeretur à Canonicatu incœperat cognoscere de causa. Sed hoc stare non potest. Quia si Canonicus sit remotus, quia sit ex delicto depositus, nec re non integra potest prosequi causam, *arg. ex d. l. Cajus, ff. de senatoribus*; sed si non fuit depositus ex culpa, sed vel ipse reliquit Canonicatum, aut resignavit illum, aut alio modo eum reliquit, etiam re integra potest recipere literas, quia ex vi hujus textus sufficit habere qualitatem præfixam tempore impetrationis rescripti, ut docent DD. suprà *num.*62. citati, & præter eos Azevedo, Gironda, Massorb. Cevall. Galer. & Ric. quos hìc refert Barbos. *num.*20. qui licèt ibi loquatur, si qualitas deficit post acceptationem literarum, *num. tamen* 19. antecedenti dixerat, hoc idem procedere, etiam si qualitas tempore præsentationis cessaverit, & ita etiam expressè tenuerunt Franc. ipse infrà *cap. Quamvis in fin. de off. deleg.* Sanchez *d. disp.*27. *n.*24. *&* 28.

78 Hoc idem autem verificatur de Vicario Episcopi, Legato, Priore claustrali sub Abbate existente, & de omni alio, qui habeat dignitatem, vel Personatum per modum transeuntis, aliàs sufficientem, ut possit esse delegatus Papæ. Nam si alicui ex istis nomine proprio committatur causa aliqua, potest de illa cognoscere, si tempore impetrationis habebat qualitatem necessariam ex vi hujus textus, licèt eam non habeat tempore præsentationis, & tunc desierit esse vel Vicarius Episcopi, vel Legatus, vel Prior. Hoc admittit Franc. *num.*10. *not.*3. cum limitatione, scilicet, si res non sit integra, sed delegatus jam incœperat cognoscere de causa. Sed absolutè ex prædictis hoc admittendum est, quia sufficit qualitatem adesse tempore impetrationis rescripti.

Tunc verò concessio intelligitur facta nomine dignitatis, quando in commissione non fit expressa mentio personæ, sed solùm dignitatis. E contra verò fit concessio personalis, si commissio fiat expresso nomine habentis dignitatem. Verum hæc sola conjectura non est attendenda. Sed imò cùm præsumptio major vincat minorem, major verò sit præsumptio, quæ ex materia, de qua est sermo sumitur, aut ex verbis specialibus contentis in rescripto; quia ista est specialis, & vincit generalem, quæ ex expressione dignitatis, vel nominis proprii sumitur; ideò maximè attendi debet rescripti materia, & alia ejus verba, & motiva specialia, quibus Pontifex utitur. Nam v. g. si Papa rescribat Episc. Cremonen. ejus nomine non expresso, asserat verò se id facere conscius de ejus eximia scientia, & justitia, proculdubio rescriptum censendum erit personale, & quod Papa respexit in eo personæ qualitates, & industriam. Similiter si excommunicetur Episcopus Forolivien. ejus nomine non expresso, Excommunicatio non transibit ad successorem, quia excommunicatio non nisi ob personale delictum profertur. Sic igitur primò consideranda est materia rescripti, & tota series verborum illius, & quando ex illis non potest colligi an rescriptum sit personale, vel reale, tunc in dubio habetur recursus ad expressionem dignitatis, vel nominis illius cui rescribitur. Jo. Andr. *in reg. privilegium*, *de reg. juris inf. in hoc lib.* & ibi Anchar. *n. unico col.*2. Panorm. *cap. Quoniam Abbas n.*8. *de off. deleg.* ubi Anton. *n.*21. Card. *quæst. penult.* Imola *n.*8. Dec. *in nova edit. n.*23. Berous *num.*8. Covar. *l.*3. *var. cap.*15. *n.*2. *& cap. Requisivisti n.*1. *de test.* Sanchez *l.*8. *de matr. tit. disp.*27. *num.*3. 79

Ubi verò simul exprimuntur dignitas, & persona, ut si dicatur Petro Episcopo Cremonen. sive nomen personæ præponatur, sive postponatur nomini dignitatis rescriptum censendum est personale, quia utroque modo semper determinat generalitatem nominis dignitatis, & præsumptio specialis, quæ ex expressione nominis accipitur, vincit illam, quæ est ex dignitate, quia ubi in una persona concurrunt genus, & species, illud per istam determinatur, *cap.*2. *de rescript. & cap. Statuto inf. de decim.* Tum secundò quia nomen personæ hìc superfluè poneretur, si intentio rescribentis solam dignitatem intenderet. At verò nullum debet accipi superfluum verbum *in rescript. l. si quando, ff. de leg.*1. Et ita sentiunt Jo. Andr. hìc *n.*17. Archid. *num.*3. Imol. *cap. Quoniam Abbas num.*8. *in fin.* Bellam. *quæst.*4. *num.*13. Berous *n.*22. Henr. *num.*14. & apud eum Tancred. & Brixien. Flamin. *de resign. benefic. lib.*1. *quæst.*11. *n.*12. Sanchez *dict. disp.*27. *num.*20. Marches. *de commiss. Advocat. causarum part.*2. §.4. *num.*130. 80

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. *Cùm verò.*

SUMMARIUM.

81 *Corrigitur hic quantum ad tria cap. nonnulli de rescript.*
Ubi actor, & reus sunt unius diœcesis, reus non potest trahi extra diœcesim.
Nisi in quinque casibus, & tunc non potest trahi ultra diætam.
82 *Illius Diœcesis est quisque, in qua habet domicilium.*
83 *Idem plura habet domicilia.*
84 *Solum domicilium habitationis facit esse de diœcesi, & hic attendi debet.*
In dubio intelligitur domicilium habitationis.
85 *Aliquorum opinio.*
86 *Si reus habet pluras diœceses potest, & debet conveniri in illa, cujus etiam est actor, si illarum alicujus est.*
87 *Et quid si in altera ex diœcesibus sit res, de qua est lis.*
88 *Hic attendi debet diœcesis simpliciter, & non quæ est temporalis.*
89 *Dictio* seu, *aliquando disjuncta conjungit, sed hic disjunctivè sumitur.*
90 *Si actor, & reus sunt ejusdem civitatis, causa extra diœcesim non potest committi.*
91 *Diœcesis quid.*
Causa extra territorium rei possunt committi, sed non extra Diœcesim.
92 *Sensus integer regulæ positæ in textu.*

93 *Dictio*

93 *Dictio* nisi *est exceptiva.*
94 *Ubi Episcopus sit actor, causa potest committi extra Diœcesim.*
95 *Ubi Episcopi causa agitur, judex subditus Episcopo potest recusari.*
96 *Prælato exempto causa Episcopi poterit committi.*
97 *Idem dicendum de Archiepiscopo respectu sua diœcesis.*
98 *Non interest, an reus contra quem Episcopus vult impetrare, sit de civitate, vel de Diœcesi.*
99 *Qualiter causa Vicarii committi debeat extra diœcesim.*
100 *Si aliquis de diœcesi sit actor contra Episcopum causa committi potest extra.*
Et quid si sit contra Vicarium Episcopi.
101 *Si actio sit dirigenda contra Capitulum Cathedralis, causa committi potest extra.*
Capitulum ut distinctum ab Episcopo potest conveniri.
102 *Si actio dirigenda sit contra Universitatem, causa potest extra committi.*
Civitas, villa, castrum distinguuntur.
103 *Universitas potest conveniri, licèt non excommunicari.*
104 *De solis universitatibus principalibus verificatur exceptio posita.*
105 *Verificatur exceptio, etiam de universitate parva.*
106 *Quid si universitas sit actrix? Variæ opiniones.* 107.
108 *Si Universitas sit actrix, causa non potest committi extra.*
Extensiones de casu ad casum non expressum ex similitudine rationis non de facili admittenda.
109 *Si actor timet in loco se non posse obtinere securè justitiam, causa potest committi extra.*
110 *Generales inimicitiæ, & guerra reddunt locum non tutum.*
111 *Timor etiam si ortus ex culpa, sufficit, ut causa committi possit extra.*
112 *Ad impetrandum rescriptum non est necesse exprimere causam timoris.*
Timor in verificatione rescripti probandus.
113 *Non valet timor si ortus post rescriptum.*
114 *In præfatis casibus exceptis non est necesse, ut causa committatur extra.*
Si Episcopus contra suum subditum impetret judicem intra diœcesim, rescriptum valet.
115 *Reus extra diœcesim non potest trahi ultra unam diætam.*
116 *Timor loci non tuti probandus coram Judice delegato.*
117 *Dictio* saltem *est subsidiaria.*
Juramentum probat in subsidium.
118 *Non sufficit juramentum Procuratoris.*
119 *Judex, qui non potest procedere in causa, non potest citare.*
120 *Testes non examinati citata parte probant, ubi agitur de prorogatione jurisdictionis.*
121 *Judex prohibitus procedere in causa, non prohibetur absolvere ab instantia, &c.*
122 *Judex incompetens in causa principali est competens, ut taxet expensas.*

81 HIc corrigitur, & explicatur *cap. nonnulli*, *suprà de rescript.* Tria autem præcipuè innovantur. Primum, quod duæ diætæ restringuuntur ad unam, secundò quod hic fit distinctio quando actor, & reus sunt, vel non sunt ejusdem diœcesis. Et quando sunt ejusdem, nedum reus prohibetur trahi ultra diætam, à diœcesi, sed prohibetur trahi extra diœcesim. Tertium quia declaratur terminus à quo mensurari debeat diæta, ultra quam reus non potest trahi, qui est finis diœcesis ejusdem rei. Ex his verò, ut videbitur corrigenda erunt multa, quæ Canonistæ dixerunt scribentes ad *d. cap. nonnulli*.

82 Et cùm in priori parte Bonifac. VIII. statuerit causas à Sede Apostolica, & ejus Legatis, non nisi insignibus personis esse delegandas, & nisi in locis insignibus audiendas: hic magis determinatè specificat loca, in quibus præfatæ causæ, & committi, & audiri debeant. Præmissa igitur hac distinctione, quia vel actor, & reus sunt ejusdem civitatis, seu diœcesis, aut diversarum diœcesum, in hoc §. circa primum membrum statuit regulam unam, quæ est ista. Ubi actor, & reus sunt ejusdem civitatis, aut diœcesis, causa extra ipsas non est committenda. Nisi ex justa causa in casibus quinque in textu expressis. Et nihilominus in eisdem casibus reus non potest trahi, nisi ad unam diætam à fine suæ diœcesis. Illi verò dicuntur esse ejusdem civitatis, seu diœcesis, qui in eadem civitate, seu diœcesi respectivè domicilium habent: ut unusquisque ejus loci esse dicatur, in quo habet domicilium. Gloss. Jo. Andr. Anchar. *num.* 5. Anton. *n.* 18. Dom. *n.* 10. *&* 17. Franc. *num.* 5. Barb. *n.* 42. Et hinc est, quod appellatione alicujus diœcesis in dubio comprehenditur diœcesis domicilii, ut notant Compostell. *in cap. nonnulli in* 4. Gloss. *de rescript. Specul. tit. de citat.* §. 1. & hic Jo. Andr. in Gloss. 5.

83 Sed quid dicendum, si vel actor, vel reus, vel uterque habeat plura domicilia in diversis civitatibus, seu diœcesibus? Hoc enim non est impossibile, quod aliquis habeat plura domicilia, *cap. 2. infr. de sepult. l. assumptio*, §. *filius*, *& l. ejus, qui manumisit*, §. *Celsus*, *ff. ad municip.* præcipuè in sæcularibus, qui non tenentur ad residentiam, ut ita secundùm Franc. intelligatur Gloss. *ult. cap. Primatus* 71. *distinc.* Regulares quidem, quia tenentur ad residentiam in propriis monasteriis plura domicilia non habent. Quamvis neque hoc modo sit omninò verum de Prælatis Regularium, qui sunt Provinciales, vel Generales in illis Ordinibus, in quibus isti Prælati nullo monasterio sunt addicti, & sufficit quod Provinciales sint in aliquo conventu Provinciæ suæ, & Generales in aliquo Conventu sui Ordinis. Isti enim Prælati tot habent domicilia, quot loca sibi subjecta. Clerici etiam, qui obtinent beneficia postulantia residentiam habent domicilium in loco suę residentiæ. Hostien. & Innoc. *cap. ex ore*, *sup. de Privil.* & hic Archid. Jo. And. Anchar. Anton. Domin. & Franc. ubi suprà. Et nihilominus DD. isti advertunt, quod isti Clerici possunt habere præter domicilium residentiæ, domicilium originis, vel majoris partis bonorum sui patrimonii, *cap. Postulasti*, *sup. de foro compet. & cap. Cum nullus*, *infrà de tempor. ord.* Ubi igitur actor, & reus habeant plura domicilia, & sic & habeant in eadem Diœcesi, & extra, quid dicendum erit?

84 Hoc mihi primò considerandum est, quod hic attendi debet solum domicilium habitationis, sic v. g. domicilium originis non sufficit ad recipienda ibi Sacramenta, si quis alibi habitet, unde v. g. ad matrimonium non sufficit assistentia Parochi originis, ut docet Sanchez *l.* 3. *de mat. tit.* 23. *n.* 7. Et confirmat praxis, sed requiritur Parochus domicilii; requiritur enim proprius Parochus *ex Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 1. Hìc autem est in quo sponsi habitant, & ut suprà dicebatur in dubio non venit domicilium originis, sed habitationis. Gloss. hìc *in v. unam diatam in fin.* Anchar. *n.* 4. sed Dom. *ad fin.* Franc. *num.* 12. Neque propriè origo constituit aliquem Parochianum, sed habitatio. Et ita quarta funeralis, seu Canonica portio non datur Parocho originis, sed habitationis, ut tradunt Domin. *cap.* 2. §. *Cùm ab eo n.* 2. *infr. de appellat.* & ibi Franc. *n.* 1. *& probavi de stat. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 4. *n.* 544. Sic enim & vagi, cùm eis non desit Parochia originis, quia tamen nullam habent Parochiam habitationis, cùm nullibi habitent permanenter, nullius dicuntur esse Parochiæ; sic non sufficit, quod aliquis alicubi plura bona, imò majorem partem bonorum habeat, si ibi nō habitat, seu domicilium non habet. Unde nec potest dici esse de diœcesi, in qua sunt illa bona, nec ibi Sacramenta potest suscipere, nisi eo modo, quo in casu advenæ possunt. Sic ergo in proposito reus non potest conveniri in diœcesi originis, vel bonorum, sed in sola diœcesi domicilii, vel respectivè intra diætam ab illa.

85 De qua loquendo quidam distinguunt, & dicunt quod ubi reus habet plura domicilia in diversis diœcesibus, si causa est realis, convenietur à finibus diœcesis ubi est res, in causa verò personali convenietur, vel ubi est domicilium personale, ubi plus conversatur, vel ubi est caput dignitatis, vel si hoc non apparet inspiciendus est locus contractus, si in locis Domiciliorum contraxit. Ita Hostiens. & Jo. And. *in dict. cap. nonnulli de rescript.* Item Jo. Andr. hìc Anchar. *num.* 5. Franc. *num.* 13. Bonac. *num.* 42. qui ex Imola *in dict. cap. nonnulli addit*, quod si Domicilia sint æquè principalia, reus poterit conveniri per unam diætam à fine cujuscumque Diœces.

86 Sed Gloss. hìc idem judicium facit, sive reus unum habeat domicilium, sive plura; ita quod in utroque casu servanda sit regula, §. *præsentis non vero*, §. *sequentis*. Et sic dicendum est. Nam præfati DD. minus considerasse videntur vim hujus decretalis ad differentiam decretalis *Nonnulli*,

sup.

sup. de rescript. distinguentis, & volentis, quod ubi actor, & reus sunt ejusdem diœcesis, nondum reus non possit trahi ultra duas diætas extra diœcesim, sicut *d. cap. nonnulli*, dicebatur, sed nec potest trahi extra illam. Sic igitur si actor unum solum domicilium habeat intra diœcesim, v. g. Placentinam, si reus etiam in eadem diœcesi tale Domicilium habeat, quod sufficiat, ut ille verè sit de diœcesi Placentina, nihil interest actori, si reus principalius Domicilium habeat in Diœces. Parmen. vel alibi etiam alia Domicilia. Quia simpliciter verum est, quod reus habet Domicilium in diœces. Placen. in qua etiam illud habet actor, & quod est ejusdem diœcesis cum actore; igitur non debet actor, imò nec potest attendere alia Domicilia, & aliàs Diœceses, quarum ille non est, sed intra diœcesim illam, v. g. Placent. cujus sunt actor, & reus debet reum convenire, seu commissionem contra reum impetrare. Sed & idem dicendum, si etiam actor in eisdem diœcesibus simul cum reo habeat pluta Domicilia, ut v. g. si tam actor, quàm reus habeant Domicilia in diœces. Placentina, & in Parmensi. Io hoc enim casu liberum erit actori in altera ex diœcesibus impetrare commissarium, quia sufficit, quod non trahat reum extra suam diœcesim, seu quod extra diœcesim rei causa non committatur. In hoc tamen casu, si causa fuit commissa intra diœcesim Parmen. non poterit causa audiri intra diœces. Placentinam; quia tunc ex quo diœcesis Parmen. ut communis Diœcesis, tam actoris, quàm rei electa fuit, tanquam si sola esset illorum diœcesis habenda est. Neque enim licet in diversis diœcesibus causas committi, & audiri, & reum hoc modo defatigare.

87 Io hoc tamen casu videtur admittenda limitatio, quam ponunt Panorm. *cap. ex parte B. num. 9. de for. compet. & ibid.* Felin. *num. 4. & in cap. Dilectus el 2. n. 13. vers. Fallit 2. de rescript.* Ut scilicet tunc diæta mensurari debeat à loco, in quo est res, de qua est lis, licèt reus in eo loco habeat dominium minus principale. Et habet hoc oon leve fuodamentum *in d. cap. ex parte in fin.* Sic igitur ubi tam actor, quàm reus habeant plures diœceses, si in altera earum sit res, de qua est lis, intra illam causa committenda erit, & agitanda. Quia jam concurrunt duo vincula, & duo vincula vincont unum, *cap. 1. de treug. & pace.* Verum hic duo esse vincula noo video. Quod enim actor possit coovenire reum coram judice loci, in quo est res, de qua est lis, hoc verissimum est, *ex l. fin. C. ubi in rem actio.* Sed tamen non tenetur actor ad hoc, sed reum potest coovenire etiam coram judice Domicilii ejusdem rei, qui est proprius ejusdem superior, & judex. Licèt enim quis sortiatur forum ratiooe rei sitæ, vel initi contractus, vel delicti commissi, tamen non per hoc efficitur subditus illius judicis, quamvis ibi sortiatur forum, Felin. *d. cap. Dilectus el 2. num. 13. de for. compet.* post Gloss. *in Clem. 1. in v. subditos in fin. de for. comp.* & Gloss. *in cap. à nobis el 2. de sent. excomm.* Unde semper uousquisque manet subditus Judicis loci sui domicilii, & de illa Diœcesi est, & coram illo judice potest conveniri. Etsi ergo res, de qua est lis, sit in una Diœcesi, si actor & reus sint alterius diœcesis, poterit actor in illa alia diœcesi reum convenire. Quamvis si uterque sit etiam illius Diœcesis in qua est sita res, melius erit, si lis agitetur ibi.

88 Sed quid dicendum, si reus habeat plura domicilia unum simpliciter, & aliud temporale? Ut quia simpliciter est diœcesis Placentinæ, sed manet Parmæ ad negotium loogum, & ibi est mansurus per annos, vel per majorem partem anni. Nam quod hoc domicilium temporale, quod quis accipit animo manendi alicubi ad majorem partem anni sufficiat ad acquisitionem Parochiæ, vel diœcesis, ita quod sufficiat ad hoc, ut talis possit ibi suscipere Sacramenta, & etiam coram Parocho suæ habitationis validè contrahere matrimonium tenuerunt quam plures, quos sequitur Sanchez *l. 3. de matrim. disp. 23. num. 12.* Imò quod quis ex sola habitatione efficiatur Parochianus alicujus Ecclesiæ, dummodo non sit ibi recreationis gratia, vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi causa statim reversurus ad primani Parochiam, juxta *cap. is qui, inf. de sepult.* voluir Feder. de Sen. *cons. 254.* & alii quos refert, & sequitur Fagnan. *cap. significavit num. 27. & seqq. de Parochis.* Si ergo quis sit in aliqua Civitate Scholaris, vel ibi maneat causa litis alicujus, vel deporatus ad aliquod officium, vel etiam relegatus, ubi conveniendus erit? Dico non esse habendam rationem Domicilii temporalis, nec esse eandem rationem de diœcesi in ordine ad suscipienda Sacramenta, & in ordine ad sustinendas expensas, & labores litium. Nam favore animarum, ut ex causa cogente ad habitandum alicubi per aliquod tempus, non maneant fideles privati usu Sacramentorum, admissa est hæc extensio Diœcesis ad temporalem, ut quantum v. g. ad contrahendum matrimonium proprius Parochus dicatur ille in cujus Parochia sponsi habitant tempore contractus, juxta *decis. Sac. Congr. Concilii*, quas refert Fagnan. *ubi sup. num. 36. & 37.* Et nihilominus additur, quod in ordine ad Sacramentum Ordinis verum Domicilium, & simpliciter tale requiritur, *cap. cum nullus, inf. de temp. ordin.* sic ergo, & hic, cùm textus absolutè, & simpliciter loquatur, debet intelligi de diœcesi, quæ propriè, & simpliciter dici possit diœcesis ipsius rei, ideò non potest accipi de diœcesi quæ sit illius secundùm quid, & ad tempus. Nam nec sine magno ejus incommodo contingeret, quod ipse extra propriam domum, & diœcesim litigare cogeretur. Et ita textum hunc intellexerunt Gloss. Jo. Aodr. Anchar. *num. 5.* Butr. *num. 18.* Dom. *num. 17.* Franc. *num. 5.* Barbos. *num. 42.* qui docuerunt illum esse illius diœcesis, in qua habet domicilium. Is verò dicitur habere alicubi domicilium, qui alicubi habitat animo perpetuo manendi, *l. non utique domicilium, §. ad municip.*

89 Licèt verò, ut advertit hic Anchar. *num. 1.* hæc dictio *seu* ex oatura sua conjungat sensum, licèt verba distinguat, quamvis aliquando sumatur disjuncto modo, ut significet idem, quod *aut*. Hic ut advertit Domin. *num. 1.* accipitur disjunctivè, ut sit sensus, *ejusdem civitatis, aut Diœcesis.* Non enim sunt omninò idem civitas, & Diœcesis. Licèt enim Civitas sit de diœcesi, tamen latiùs patet Diœcesis, quæ Civitatem, & oppida, & Castra, & alia loca comprehendit.

90 Sed numquid ergo, si actor & reus sint oedum ejusdem Diœcesis, sed civitatis, non poterit committi causa extra civitatem, licèt intra eandem diœcesim? Respondetur, quod quatuor modis potest hujusmodi casus variari, vel scilicet, ut actor sit de diœcesi, & reus de civitate, vel ut actor sit de civitate, & reus de diœcesi, vel ut uterque sit de diœcesi, vel ut uterque sit de civitate. Sed omniom istorum casuum eadem est ratio, & liberum est actori impetrare judicem vel in Civitate, vel in Diœcesi, ut vult Archid. hic *in ver. Cum verò num. 6.* quem sequitur Anch. *inf. §. Cum autem, num. 3. & §. In nullo*, ubi: Quia textus in hoc casu generali in quo actor, & reus sunt ejusdem diœcesis seu Civitatis, solum vult, quod non impetretur judex extra ipsas, at verò non impetratur extra ipsas, si impetratur in altera ipsorum, utriusque verò meminit, ut indicet, quod in earum qualibet potest judex impetrari. Advertit etiam Archid. quod dictio *seu* est ampliativa, & sic ampliativè sumitur dispositio textus, ut possit actor impetrare tam in diœcesi, quàm in civitate prout sibi libuerit, quando ipse, & reus sunt de diœcesi eadem, vel Civitate. De hoc tamen ego valdè dubito, quia si sufficeret non trahere reum extra Diœcesim, Pontifex dixisset extra Diœcesim causa non committatur, sed dum distinxit inter Civitatem, & Diœcesim, & subjunxit extra ipsas causa non committatur, sensus est planus, scilicet si sunt unius Civitatis extra Civitatem, & si sunt unius Diœcesis extra Diœcesim causa non committatur.

91 Nomine verò Diœcesis utitur textus, & non nomine territorii, aut districtus, ut advertit Domin. *num. 2.* Ecclesiastici enim limites accipiuntur secundùm Diœceses. Ut enim habet hic Gloss. *verb. de sua Diœcesi*, & Archid. *num. 7.* & Silvest. *v. Diœces.* Diœcesis dicitur disjunctio, sive divisio, vel gubernatio; quia importat divisionem Ecclesiæ, ab Ecclesia, seu Episcopatus ab Episcopatu, ot satis patet, *cap. Episcopum 7. quæst. 1. & cap. Quicumque, cap. Licèt, cap. Inter 16. quæst. 3.* Et sic importat totum id, quod est commissum gubernationi unius, *cap. Unio 10. quæst. 1. in fin. & cap. Sicut 21. quæst. 2.* Sicut igitur si contingat territoria plura esse intra eandem Diœcesim, poterit reus extra proprium territorium conveniri.

92 Est ergo totios regulæ positæ in textu sensus, quod ubi tam actor, quàm reus sint ejusdem Civitatis causa committi non potest extra Civitatem. Sed si oon sunt ejusdem Civitatis, sunt verò ejusdem Diœcesis, causa committi non possit extra Diœcesim, intra Diœcesim verò committi possit ubicumque servata dispositione posita in principio decretalis, ut scilicet causa non audiatur, nisi in Civitate, vel in locis insignibus, in quibus copia peritorum haberi possit.

possit. Quod si actor, & reus habeant simul plura Domicilia, & plures Diœcesis, in quacumque ex illis Diœcesibus poterit causa committi, cùm de quacumque illarum Diœcesum verificetur, quod sit Diœcesis tam actoris, quàm rei. Benè quoque advertit Anton. *num.* 1. Regulam sic debere intelligi, ut causa intra eamdem Diœcesim, & committi, & audiri debeat, minimèque sufficere si causa intra committatur, extra verò audiatur, vel è contra.

93 Papa tamen ponit plures casus exceptos, in quibus regula data non sit necessariò servanda. Nam & dictio *nisi* vim excipiendi habet. Et hic exceptivè accipitur Domin. *n.*12. Franc. *num.*9.

94 Primus casus exceptus est. Quia nimirum, ubi Episcopus sit actor contra aliquem de sua Diœcesi possit Episcopus impetrare, ut causa committatur, & audiatur extra Diœcesim. Ratio hujus statuti est, quia si committatur causa intra Diœcesim, committetur alicui Prælato, vel personæ subditæ Episcopo, & cum illo interesse habente, unde timeri possit, ne ille in gratiam Episcopi, & ut illi molestiam non inferat, minus justè judicet, & contra reum pronunciet etiam jure non servato.

95 Ideò ex hoc textu deducitur, quod ubi causa Episcopi committatur alicui de Diœcesi subdito Episcnpo, ille possit recusari ex hoc solo titulo. Domin. *num.*1. Anchar. *num.*8.

96 Sed quid dicendum, si intra limites Diœcesis sint loca, & Prælati exempti ab Episcopo, poterit ne illis committi causa Episcopi? Respondetur quod poterit. Tum quia locus exemptus se habet, ac si esset extra Diœcesim. Tum quia textus non obligat, ut causa Episcopi committenda sit extra Diœcesim, sed ait illam posse extra committi, potest igitur etiam committi intra. Et si committatur Prælato exempto, non erit unde titulo subjectionis recusari possit tanquam suspectus. Et sic causa Episcopi committi poterit Abbatibus, & aliis Prælatis exemptis intra limites Diœcesis existentibus.

97 Quod verò hic dicitur de Episcopo, idem intelligitur de Archiepiscopo, non respectu totius suæ Provinciæ, sed respectu suæ Diœcesis, ut si habeat causam contra aliquem de sua Diœcesi, possit contra illum impetrare judicem extra Diœcesim, Jo. Andr. *num.*1. Anton. *num.*9. Domin. *num.*4. Franc. *num.*8. Eadem quoque est radio secundùm Domin. si Episcopus velit impetrare contra eum, qui est de Civitate.

98 Sed considerandum est, quod textus hic non utitur nomine Civitatis, sed suæ Diœcesis. Quia nihil interest, an reus contra quem vult Episcopus impetrare sit de Civitate, vel de oppido, quia tota ratio est, quia quicumque est de Diœcesi præsumi potest suspectus in causa Episcopi, & ideò nulli intra Diœcesim committi debet causa ad instantiam Episcopi. Addit verò Gloss. *in v. de sua Diœcesi*, quod etiam si Episcopus impetrare vult judicem contra alienum, impetrat extra Diœcesim. Sed jam sumus extra præsentem regulam, quæ respicit causam actoris, & rei, ut existentium de eadem Diœcesi.

99 Dubitatur etiam, an quod hic dicitur de Episcopo verificetur etiam de officiali Episcnpi. Negant enim Archid. & Jo. Andr. sed sententia Lap. communiter approbatur, qui distinguit, quia Vicarius Episcopi, aut agit ratione sui officii, seu pro sun officio, ejusque defensione; & hoc modo eadem est ratio de Vicario, & de Episcopo, & utriusque idem est tribunal, & consistorium, *cap. non putamus, inf. de consuet. & cap. Rom. infr. de for. compet.* Nam verè hujusmodi causa potius est causa Episcnpi, cujus est officium Vicariatus, & instituere, & defendere; unde cùm in simili causa magnum interesse habeat Episcopus, militat semper eadem ratio, ut quilibet judex de Diœcesi præsumi possit suspectus in causa, & recusari, & ideò potius causa committenda est extra Diœcesim. Secus si Vicarius agat ex causa personali, vel ab nfficio extranea, tunc enim sub nomine Episcopi venire non potest, & sic causa intra Diœcesim committi debet, si reus sit de Diœcesi. Anchar. *n.*3. Anton. *num.*15. Domin. *num.*6. Franc. *num.*8. Ex hoc tamen de facili desumi poterit causa justa, & sufficiens, quæ moveat Sedem Apostolicam, ut causam extra committat. Quia dum Vicarius est in officio à subditis Episcopo satis est timendus, & sic etiam à judicibus, qui sint aliàs subjecti etiam eidem Vicario, quamvis non sit eadem ratio de Vicario, & de Episcopo, magisque valdè timeri possit Episcopus.

100 Secundus casus exceptus est, si aliquis de Diœcesi Episcopi velit agere contra Episcopum. Nam & in hoc casu committi potest causa extra Diœcesim. Quoniam actor vix in Diœcesi inveniret judicem non suspectum, qui non faveat Episcop. *arg. cap. Accedens, supr. ut lite non contest.* Gloss. Barbos. *num.*51. Eadem verò est ratio etiam de Vicario Episcopi, si conveniatur ratione officii, & tradunt citati Lap. Anch. Ant. Dom. & Franc.

101 Tertius casus exceptus est, quando scilicet actio dirigenda est contra Capitulum Episcopi, nimirum contra Capitulum Cathedralis. Unde hæc exceptio secundùm Gloss. & Archid. qui testantur de stylo curiæ, non se extendit ad aliarum Ecclesiarum Collegiatarum Capitula. Ex hoc quoque colligunt Domin. *num.*1. & Francus *num.*1. Capitulum Cathedralis per se ipsum, & ut distinctum ab Episcopo posse conveniri, quia contra illud potest dirigi actio.

100 Idem verò dicendum est, si actio dirigenda sit contra universitatem Civitatis, villæ, aut Castri, tunc enim causa extra Diœcesim potest committi. Primò verò ex Antnn. *num.*2. hic nntandum ex textu colligi, hæc tria esse diversa; Civitas, villa, & castrum, de quo *cap. In qualibet* 24. *q.* 8. & quod notatur *in cap. Si Civitas, supr. de sentent. excomm.*

103 Secundò not. hinc deduci, quod universitas potest conveniri. Archid. *num.*8. Domin. *num.*1. Anton. *num.*3. *ex cap. Dilectus el 2. de simon.* Et tamen si non defendatur, non per hoc poterit excommunicari, *cap. Romana, §. In universitatem, de sentent. excomm.* Sed aliis pœnis poterit puniri: & si habeat bona communia, missionem tædialem, & ipsorum distractionem patietur, *l.* 1. *§. Quibus, ff. de cujus univers.* Qualiter verò universitatem, aut Collegium probetur esse citatum, notatur *sup. in cap. Bona el 1. de elect.* ubi Gloss. & Jo. Andr.

104 Tertiò etiam notatur, non de omni universitate verificari, & loqui textum in hac exceptione, sed de universitate Civitatis, villæ, vel castri, & sic de principali universitate loci. Quamvis igitur in aliqua civitate sint plura collegia, capitula, & universitates, ut v. g. universitas Doctorum, nobilium, hujus vel illius artis, tamen in hujusmodi universitatibus standum est regulæ positæ, nec habet locum exceptio ex hoc capite, quæ solùm verificatur in universitatibus locorum principalibus, totalibus, & adæquatis; quæ sunt universitates Civitatis, aut villæ, aut castri. Unde si civis Bononien. vellet impetrare judicem contra universitatem notariorum, seu fabrorum ejusdem Civitatis, non posset impetrare judicem extra eamdem civitatem. Jo. Andr. *num.*3. Antnn. *num.*3. Domin. *num.*7. Franc. *num.*2. in casu tamen ultimæ exceptionis infrà explicandæ quodlibet collegium extra Diœcesim posset judicem impetrare.

105 Nihil verò interest, an universitas sit magna, vel parva. Nam & sufficit ut sit villa, ut Civitati DD. advertunt. Unde nedum si contra Civitatem magnam, aut castrum, seu oppidum insigne, sed etiam si contra parvam villam intra Diœcesim positam dum ipsa sit per se corpus separatum, & sit universitas principalis loci sit dirigenda actio possunt impetrari judices extra Diœcesim. Præsumitur enim universitates intra Diœcesim, & apud judices Diœcesis habere vim, & efficaciam, ut trahant illos ad suas partes, etiam cum periculo injustitiæ.

106 Est verò difficultas an hæc exceptin extendi debeat ad casum nppositum, nimirum quando Capitulum, seu universitas sit actrix, quæ contra aliquem de universitate velit impetrare judicem. Affirmat enim Archid. propter omnimodam similitudinem rationis. Nam ratio hujus exceptionis est præsumptio, quod judices electi intra Diœcesim possint esse suspecti. Sed hoc æquè militat, si Capitulum sit reus, ac si sit actor; quia suspicio fundatur non super qualitate rei, aut actoris, sed super qualitate Capituli, aut universitatis, de cujus interesse quæritur, & præsumi potest, quod judices Diœcesis potius illi favere velint, quàm privatæ personæ. Et ideò opinionem Archid. posse defendi dixit Jo. de Lig. Accedit pro Capitulo, quod constituat unum corpus cum Episcopo, *cap. Si quis* 6. *q.* 1. *cap. Novit, de his, quæ fiunt à Prælat. & cap. Cum Clerici de verb. signif.* Ubi verò Episcopus sit actor, impetrari potest judex extra Diœcesim.

Sed

107 Sed Jo. And. oppositum tenet, ex eo quod textus hìc excipit, & non excipit nisi casum, in quo Capitulum, seu universitas conveniatur. Et hoc potest confirmari, quia de Episcopo loquens textus expressè excipit casum sive in quo Episcopus sit actor, sive in quo sit reus, si ergo idem voluisset decernere etiam de Capitulo aut Universitate, id expressisset; cùm tamen solùm exprimat casum, in quo Capitulum sit reus. Jo. de Imola sententiam hanc Jo. Andr. dicit esse veram, sed illam Archid. veriorem. Anton. autem *n.*11. Domin. *n.*5. aliorum opiniones referunt, & nihil resolvunt.

108 Verùm puto veram sententiam Jo. Andr. neque enim de facili admittendæ sunt hujusmodi extensiones ex similitudine rationis ad casus non expressos, nec comprehensos sub verbis legis, & maximè cùm lex excipit, & statuit contra jus generale, in quo casus strictior interpretatio est accipienda. Quia legislatores non inconsideratè, & imprudenter utuntur verbis, ut dici possit eos usos verbis unum casum comprehendentibus, si duos voluerunt comprehendere. Nec legislatores mensurandi sunt legibus, & regulis adaptatis testatoribus, aut contrahentibus, qui sæpissimè ineruditi sunt, inconsiderati, ignari, & imprudentes. Et eo magis, quod lex de Episcopo id exprimit, unde si is voluisset habere locum etiam ubi Capitulum est actor, id expressisset. Et tandem quia nec adest omnimoda similitudinis ratio, quia valdè differunt esse actorem, & esse reum; & quia defendere ne damnetur aliquis habet maximam speciem charitatis, misericordiæ, & dignitatis, & honoris, ideò multò facilius est, ut judices diœcesis affectione ducantur, ut universitatem à damno, & contra actorem defendant, quam quod contra civem simul cum Universitate agere velint ad ejus damnum, & ruinam.

109 Quartus casus est, si actor non audeat intrare Civitatem, vel Diœcesim. Quintus est, si timent adversarii sui potentiam, unde ipse actor intra Civitatem vel Diœcesim non possit suum adversarium securè convenire. Ex eadem radice oritur utriusque casus excepti justitia, quæ est timor per quem actor metuat se non posse securè agere, & justitiam obtinere; ut enim advertit Domin. *num.*2. nullus cogitur litigare in loco non tuto; & ut addit Archid. *num.*8. *in v. securè*, in judicio omnis formido amputanda est tam actori, quàm reo, sive ergo hìc timor oriatur aliunde quam ex adversario, qui est quartus casus, ut antiquitus accidisset juxta Gloss. si actor fuisset Guelfus, & civitas fuisset Gibellenorum, vel si in Civitate habeat inimicos, vel si civitas laboret pestilentia, vel si periculum sit, ut civitas obsideatur, aut capiatur ab hoste, vel ex alia simili causa; sive hìc timor oriatur ex potentia adversarii, (qui est quintus casus,) cui se imparem actor cognoscit, unde timet se non posse securè suum adversarium convenire in Civitate, vel Diœcesi; in utroque casu potest extra Civitatem, seu Diœcesim judicem impetrare.

110 Licet verò Rota *decis.*12. *de dolo, & contumac. in nov. senserit*, quod generales inimicitiæ, & guerræ non reddant locum non tutum, maximè si habeatur salvus conductus Principis illius patriæ, ubi lis agitatur, vel inimicorum gerentium bellum. Tamen nec tenetur actor hunc salvum conductum impetrare; & amplius hujusmodi salvi conductus sæpiùs sunt fragilis cautionis, Marchesf. *p.*2. *de commiss. avocat. caus.* §.1. *num.*64. Et hìc non est considerandus solus timor molestiæ, aut damni ab inimicis, sed timor non obtinendi securè justitiam. Sufficit verò etiam, quod periculum immineat in itinere ad locum judicii vel eundo, vel redeundo. Et de his vide Panorm. *cap. ex parte de appellat.* Felin. *cap. Accedens tit.*2. *ut lit. non contest.* & DD. *in Clem. Pastoralis*, §. *Pisana de re judic.*

111 Itaque hìc consideratur primò, quod non interest, si hìc timor oriatur ex actoris culpa, quia magis attenditur justitia, & æquitas, quàm delinquentis favor, *cap. Cùm inter sup. de except. & cap. Quia diversitatem, sup. de concess. præbend.* Archid. *num.*8. Anchar. *num.*3. Anton. *num.*18. Dom. *num.*13. Franc. *num.*11. Debet verò iste timor esse gravis, & cadens in constantem virum, ut considerat Archid. *in v. meritò*.

112 Secùndò quod non est necesse, quod actor in his casibus, ut impetret extra Diœcesim exprimat, & probet causam timoris, sed sufficit, quod dicat se meritò timere, vel per similia verba æquipollentia timorem exprimat. Archid. qui de praxi Curiæ testatur Jo. Andr. *num.*3. Anch. *n.*4. Anton. *num.*15. Domin. *num.*7. Franc. *num.*3. Benè tamen admonent Anchar. & Franc. quod in verificatione literarum Apostolicarum, nedum exprimi, sed probari debebit timoris causa, ut de timore constet, prout expressè in textu decernitur, & infrà explicatur.

Sed quid dicendum, si tempore impetrationis literarum nullus aderat mali timor, qui posteà ortum habuit? Poterit ne tunc actor agere coram delegato judice intra Diœcesim existente, ut causam subdeleget extra Diœcesim? Affirmat Archid. quia in hoc casu fraus cessat, & actor divinare non tenebatur, *cap. ut nostrum, supr. ut Eccles. benef. & cap. fin. inf. de verb. signif.* Sed oppositum est dicendum ex hoc textu, *inf.* §. *In nullo*. Jo. Andr. *num.*3. Anton. *num.*16. Dom. *n.*7. Non dicitur enim *debet*, sed *possit*, & sic in his casibus non imponitur necessitas committendi causas extra Civitatem, aut Diœcesim, sed datur facultas. Verbum enim *potest* non inducit necessitatem. Unde si Episcopus contra aliquem de sua diœcesi impetret judicem intra eamdem diœcesim commissio tenet. Salvo tamen recusationis jure, ut advertit Gloss. Jo. Andr. 113

Determinatur autem distantia, ad quam in prædictis quinque casibus possit reus trahi extra Diœcesim, quæ est distantia unius dietæ, Quod præter Gloss. & DD. ad hunc textum scribentes adverterunt etiam ad *d. cap. Nonnulli de rescript.* Jo. Andr. *num.*7. Butr. *num.*9. Panorm. *n.*3. Fagnan. *num.*15. Cardin. *cons.*71. Unde si delegatio Papæ sine expressione, & certa scientia Papæ fiat extra unam dietam, processus est nullus, & nulla sententia, cui poterit opponi, etiam si fuerit confirmata, ut ex eodem Cardin. tradit Fagnan. *dict. num.*15. 115

De timore autem suo debet actor fidem facere coram judice delegato, ut Gloss. advertit hìc *in v. Judici*, & prius *in v. copia*. Sic enim delegati judicis est videre, an sua sit jurisdictio, examinando an timor actoris, quod Civitas, vel Diœcesis rei non sit sibi locus tutus, sit rationabilis, & probabilis, *l. voluntatis defuncti, C. de fideicommiss. cap. Judicantem* 30. *quæst.*1. 116

Dicitur verò quod hujusmodi timor debet probari saltem per juramentum. Hanc verò dictionem *saltem* esse subsidiariam advertunt Domin. *num.*18. Franc. *num.*14. Ex qua significatur hìc, quod juramentum accipitur quidem ut probatio, sed ut probatio subsidiaria, & quod judex aliàs probationes prius exigere debet; quod si illæ non adsint, vel non sufficiant, tunc admittatur in subsidium probatio per juramentum, *cap.*2. *sup. de probat. cap. ex insinuat. de Proc. l. admonendi, ff. de jur. jurand. l. in bonæ fidei, C. de jur. jur.* Gloss. hìc *in v. saltem*, Jo. Andr. *num.*4. Anton. *n.*8. Franc. *num.*114. Dom. *n.*1. 8. 117

Non sufficit verò juramentum Procuratoris, etiam habentis ad hoc speciale mandatum. De quo per Gloss. *notab. in cap. Ut circa in fin. inf. de elect.* Archid. hìc Jo. Andr. *n.*3. Anton. *n.*1. Franc. *num.*4. Barbos. *n.*43. 118

Antequam autem actor suum timorem probaverit, Judex non potest procedere in causa principali. Et sic nec potest procedere ad citationem rei. Judex enim, qui non potest procedere in causa, nec potest citare, Archid. *num.* 11. Jo. Andr. Anton. *num.*5. Domin. *num.*9. Jo. Andr. Franc. *num.*15. 119

Hinc est, quod ubi probatio dicti timoris facienda sit per testes, fiet per testes examinatos non citata parte. Quod in hoc casu, inter alios, fieri potest, quia fit ad prorogationem jurisdictionis, secundùm *not. in capit. fin. sup. Qui ma. accus. poss.* & per Bart. *in l. ait Prætor*, §. *si debitorem, ff. quæ in fraud. cred.* & per Bald. *in l. sed si hac*, §. *Prætor, ff. de in jus vocand.* 120

Quamvis verò judex in casu dato prohibeatur procedere in causa principali, non prohibetur tamen procedere in absolvendo ab instantia, cognoscendo, & taxando, & judicando de expensis, ut advertunt Gloss. *v. in causa*, Domin. *num.*19. Franc. *n.*15. & est manifestum *ex verb. sequent. scilicet in expensis legitimis*. 121

Sic igitur judex iste, aliàs jam in causa principali incompetens est competens, ut actorem condemnet in expensis, unde confirmatur, quod notatum fuit suprà, *cap. Dispendia in hoc tit.* scilicet, quod judex incompetens in causa principali, est competens in dimittendo partes à sua jurisdictione, & damnandum in expensis. Anchar. *n.*4. Dom. *num.*2. Franc. *num.*4. & 15. 122

Quæ-

SVMMARIVM.

123 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
124 *Causæ matrimoniales à solis Episcopis cognoscuntur.*
125 *Cognoscuntur etiam ab Abbatibus.*
126 *Causæ matrimoniales in causa appellationis committuntur extra Diœcesim alio Episcopo.*
127 *Aliquando etiam committuntur inferioribus.*
128 *Regula hujus textus de stylo non habet locum in curia.*
129 *Et præcipuè in Auditore Cameræ.*
130 *Inquisitores trahunt reos ultra dietas.*
131 *Valet rescriptum, si de consensu partium obtinetur.*
132 *Non valet, si reus solum post obtentum rescriptum, consentiat.*
133 *Trahitur reus extra, si id Papa concedat ex certa scientia.*
Papa agere dicitur ex certa scientia, si id constat ex literis ejus.
134 *Sufficit, si ex literis constet Papam scivisse judicem esse extra, & remotum.*
135 *Si Diœceses post rescriptum sunt divisæ, servantur termini antiqui.*
136 *Regula textus non habet locum in meris executoribus.*
137 *Si Episc. Fesul. committatur causa vertens inter suos subditos non potest eam cognoscere Florentiæ, ubi in Capella ex privilegio exercet jurisdictionem.*
138 *Si Episc. Fesul. scienter committatur causa Florentinorum, potest eam expedire Florentiæ in capella, ubi ex privilegio exercet jurisdictionem.*
Idem dicitur, si eidem Episc. committatur causa quæ vertitur inter Florent. & Fesulanum.
139 *Non potest reus conveniri, ubi res est sita, si distat à Diœcesi ejus ultra dietam.*
140 *Nec si contraxerit cum pacto, ut ubicumque conveniri possit.*
141 *In judicio reconventionis reus trahit actorem ultra dietam.*
Actor dicitur potius trahere, quàm trahi.
142 *Privilegiatus, ut v.g. Scholares trahere possunt reum ultra duas dietas.*
143 *Potest trahi reus ad quamcumque distantiam, si Papa id concesserit.*

Quæst. II.

ARTICULUS I.

Vtrùm à regula hujus textus dentur aliæ exceptiones, præter quinque in eodem textus expressas.

123 Videtur enim nullam aliam exceptionem admitti debere, quia in textu expressè dicitur in illis quinque casibus posse reum conveniri extra civitatem, aut Diœcesim; exceptio autem firmat regulam in contrarium, & sic in omni alio casu à prædictis quinque regula est servanda.

124 Nihilominus in oppositum plures alii casus numerantur, in quibus hæc regula servanda non est. Primus est casus causæ matrimonialis, à qua si contingat aliquem appellare à sententia Episcopi Diœcesis, causa non committitur intra Diœcesim, quia committitur alteri Episcopo. Causas enim matrimoniales cognoscere est proprium Episcopi. Quod & determinavit Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*20. *de reformat.* Ita quod nec Decanus, nec Archid. vel alius inferior judex, etiam si esset exemptus potest causas hujusmodi cognoscere, ut advertit Rota in Constantien. *jurisd.* 29. *Novembris* 1617. coram Ortembergo, & coram Coccino inter ejus impressas *decis.*346.*num.*8.

125 Quod tamen non verificatur de Abbatibus, & aliis habentibus proprium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem privativè quoad Episcopos. Isti enim in suis territoriis cognoscere possunt de causis matrimonialibus suorum subditorum Rota *decis.*447. *part.*1. *recent. num.*5. & *Passer. in Lib. I. Sexti Decret.* apud Tamburin. *tom.*3. *dist.*44. *num.*10. Barbos. *ad d.cap.*20. *Concil. Trident. num.*50. & latè probat Fagnan. *cap. succedentibus num.*27.*& seqq.*

Cùm igitur causæ matrimoniales tanti æstimentur, ut earum cognitio sit propria Episcoporum, ideò ubi hujusmodi causarum cognitio devoluta sit ad sedem Apostolicam per appellationem à sententia Episcopi committendaque sit per sedem Apostolicam praxis est ut alicui alteri Episcopo committatur, & sic extra Diœcesim ipsius rei. 126
Quod si Curia adjungat in commissione alios ab Episcopo solet apponere clausulam, *Quod si non omnes, tu Frater Episcope*, ut ex Joan. Andr. *in d. cap. accedentibus numer.*1. Butr. & Anchar. *in* 1. *notab.* advertit Fagnan. *ibid. num.*22. Et pariter hic considerant Archid. *num.*8. *in fin.* Joan. Andr. *num.*3. Anchar. *num.*1. Anton. *num.*14. Domin. *num.*7. Franc. *num.*6.

Aliquando tamen ex justa causa à Sede Apostolica committuntur matrimoniales causæ etiam inferioribus Episcopis, ut habetur *ex cap. Proposuisti, de probat. & cap. ex literis, de in integr. restitut. & cap.*1. *ut lit. non contestat.* Et advertunt Covarruv. *de spons. part.*2. *cap.*8. §.11. *num.*1. Rendin. *in promptuar. recept. sentent. tom.*1. *tit.*72. *num.*8. Barbosa *ad d. cap.*20. *sess.*24. *num.*55. *Concil. Trident.* In eo tamen casu causæ hujusmodi committendæ essent intra Diœcesim, nisi Pontifici aliter videretur, & id exprimeret. 127

Secundus casus est, si causa delegata sit in Curia, quia valent literæ, per quas quicumque citatur ad Curiam, licet distet per plures dietas. Et quidem valent etiam si non fiat mentio Decretalis hujus, quæ de stylo non habet locum in Curia. Secundùm Franc. *hic num.*6. & Compostell. *ad dict. cap. Nonnulli*, Joan. Andr. Butr. Imol. Felin. *num.*33. & Fagnan. *num.*14. Qui tamen limitant, ut non procedat in eo, qui haberet speciale privilegium, ut non posset citari ultra unam, vel duas dietas. Non valeret enim citatio, nisi derogando illi speciali privilegio, cui tamen non censeretur esse derogatum, nisi fieret ejus expressa mentio, *per cap. primum supra de constitut. in hoc lib.* Et ita Compostell. refert se obtinuisse. 128

De Auditore autem Cameræ est specialis ratio. Quia cùm ipse sit judex Ordinarius, non comprehenditur sub regula hujus decretalis, quæ de solis Judicibus delegatis à Sede Apostolica, vel à Legatis loquitur. Ut etiam supradictum est *n.*46. 129

Tertius casus est Inquisitoris hæreticæ pravitatis, vel cujuscumque alterius similis Judicis dati super tota una Provincia, vel regno, comprehendente sub se plures civitates, & Diœceses. Hujusmodi enim Inquisitores, seu Judices, ex tota illa Provincia aut regno coram se citare possunt reos, ad quamcumque distantiam, & ultra duas dietas extra civitates, aut Diœceses illorum, cùm ipsorum jurisdictio ad totam Provinciam, aut Regnum se extendat, quod totum respectu eorumdem se habet ut una Diœcesis, Franc. *num.*6. Innoc. & Joan. Andr. *ad d. cap. Nonnulli, de rescript.* vbi Felin. *num.*32. *Item ad cap. Vt officium*, §. *Denique infr. de hæret.* idem Jo. Andr. & Dom. 130

Quartus casus est, si causa extra unam, vel duas dietas delegetur de expresso consensu partium. Hoc non audet omninò affirmare, Gloss. *hic in verb. committatur*, Domin. *num.*7. id asserit, si ex conventione partium in audientia judices remoti extra impetrantur, Card. *cons.*71. *in princip.* quem sequitur Fagnan. *ad d. cap. Nonnulli num.*12. id intelligendum vult, si partes expressè consentiant in judices remotos secundùm Abb. *num.*4. idque fuerit expressum in delegatione Papæ. 131

Sed numquid, si actor inscio reo impetret judicem extra Diœcesim, & remotum; poterit valere commissio, si post factum reus ipse expressè consentiet se ut extra Diœcesim trahi, & forsan etiam ultra dietam à fine Diœcesis? Negat Felin. *dict. cap. Nonnulli num.*30. *& cap. Olim de exception. ex hoc cap.* Et meritò, nam rescriptum illud est subreptitium, & judex nam habet ex eo aliquam jurisdictionem. 132

Quintus casus est, si Papa ex certa scientia det judices ultra Diœcesim, & remotos; isti enim reum in distantia, quæ de facto est inter ejus Diœcesim & locum audientiæ poterunt convenire, Ancharan. *hic num.*3. Franc. *num.*6. Fagnan. *ad d. cap. Nonnulli num.*13. Ubi quod tunc Papa censetur id facere ex certa scientia, cùm de hac constitutione 133

in literis mentionem facit. Sed & hic quoque dicitur, quod si hujusmodi mentio est necessaria, hic non est casus specialis, sed generalissimus, cùm sit manifestum derogari jure communi per rescriptum, si fiat mentio ejusdem juris. Dicitur igitur etiam tunc Papam rescribere ex certa scientia, quando ex litteris apparet Papam scivisse distantiam, & quod judices erant extra Diœcesim rei, vel etiam ab ejus Diœcesi remoti, & nihilominus eis causam commisit; Non enim Papa scienter agit inaniter, & nulliter.

134 Hoc tamen limitat Franc. ut procedat, ubi constiterit Papam velle agitari causam extra Diœcesim. Aliter, licet causa sit commissa extra, agitari debebit intra Diœcesim. Et allegat ad hoc Gloss. suprà *in v. non audiantur*. Sed certè minus rationabile, & verisimile est; quod Papa scienter committat causam judicibus existentibus extra Diœcesim, & quod velit judices relinquere propria loca, & causam non audire nisi intra Diœcesim. Neque quod adducitur ex Gloss. est ad rem, quia id est valdè diversum. Vult enim textus, ut causæ committantur insignibus viris, sed ulterius vult, quod causæ audiantur in insignibus locis, ubi sit copia peritorum. Ideò ubi causa commissa sit viro insigni, si non est in insigni loco, vult, ut ad locum insignem se transferat. Sed non decernit, quod si judex sit in loco insigni, ab illo exire debeat, ut alibi causam audiat, seu ut si judex scienter constitutus sit extra rei Diœcesim, quod debeat se transferre ad Diœcesim illam, ut causam ibi audiat. Ideò ad hoc ut judex possit reum extra Diœcesim trahere, sufficit, ut ex literis constet, quod Papa sciens illum non esse de Diœcesi ipsius rei, illi causam cognoscendam commiserit, illumque expressè non obligaverit, ad causam audiendam intra rei Diœcesim, Felin. *d. cap. Nonnulli n.*30. & Card. Tusch. *lit. C, concl.* 44. *n.* 4. quem refert, & sequitur hic Barbosa *n.* 39.

135 Sextus casus est, si contingat, quod Diœcesis, quæ tempore impetrationis rescripti erat una, post fuit divisa in duas. In hoc enim casu servabuntur termini antiquæ Diœcesis; & poterit reus de nova Diœcesi conveniri apud judicem in alia nova Diœcesi existentem, non minus ac si illæ Diœceses essent una, sicut erant prius per text. *in extravag. Sedes Apostolica*, §. *fin.* Jo. XXII. Jo. Andr. *num.* 1. Anch. *num.* 1. Domin. *num.* 2. Franc. *n.* 6. Felin. *ad d. cap. Nonnulli n.* 32.

136 Septimus casus, ut non procedat hic textus in meris executoribus, seu in datis ad sumendam nudam informationem, ut per Card. Tusc. *lit. C, conclus.* 44. *num.* 3. quem refert, & sequitur Barbos. *hic num.* 39. Sed post Butr. & Imol. & Rotam *decis.* 30. *de rescript. in novis, & decis.* 16. *in antiq.* advertit Felin. *ad d. cap. Nonnulli num.* 34. hoc esse verum, si executor non sit datus cum clausula *vocatis vocandis*, quia tunc est judex. Et similiter si executor assumat viam judicialem, sicut potest secundùm eundem Felin. ut notat. *in Clem.* 1. *de off. deleg.* habebit locum hæc decretalis, solum ergo quando committitur nuda executio, vel puta facti informatio, verum est, quod non habet locum regula hujus textus.

137 Posset videri addendus octavus casus Episcopi extra Diœcesim habentis Capellam in alia Diœcesi, ut est Episcopus Fesulanus habens Florentiæ Capellam cum privilegio erigendi ibi tribunal, & cognoscendi causas suorum subditorum, ut si sibi committatur causa vertens inter subditos suos Fesulanos possit illam cognoscere Florentiæ in dicta Capella, ibique reum convenire, Jo. Andr. ait inspiciendum esse tenorem privilegii. Sed Anchar. *n.* 1. absolutè negat, quia licet Episc. Fesul. ex privilegio cognoscat causas suorum subditorum in dicta Capella jure ordinario, non valet consequentia ad jus delegatum, quod ex jure communi ad propriam Diœcesim est determinatum: Sic enim traheretur reus extra suam Diœcesim, quod in hoc textu prohibetur. Unde nisi in privilegio, vel in literis delegationis fieret expressa concessio audiendi ibi causas hujusmodi delegatas eas non posset cognoscere; Nihilominus benè dixit Joan. Andr. inspiciendum esse privilegium, quia per illud posset esse concessum, ut in omnibus locus ille censendus esset de Diœcesi.

138 Hinc deducitur quid dicendum, si Papa causam duorum Florentinorum committat Episcopo Fesulano habenti Capellam, & ex privilegio tribunal Florentiæ, Joan. Andr. hic putat commissionem valere *arg.* ex iis, quæ ipse notat *suprà cap. fin. de rerum permutat.* Sed negant Joan. de Lig. Anchar. *num.* 2. Domin. *num.* 3. Nisi Papa certificatus de privilegio Episcopi Fesulani in literis commissionis id expressisset. Quia aliàs in iis, in quibus jus commune resistit privilegio, jus commune est sequendum. Sed mihi videtur primò distinguendum: Nam si Papa nescit litigantes esse Florentinos, rescriptum est nullum ex hoc cap. quia commissio facta est extra Diœcesim Florentinam super causa vertente inter partes, quæ sunt Diœcesis Florentinæ. Si autem Papa sciebat, & de hoc potest constare ex literis, quod litigantes erant Diœcesis Florentinæ, tunc commissio valet, quia Papa ex certa scientia Episcopo Fesulano commisit causam Florentinorum. Et tunc solùm potest esse dubium an Episc. Fesul. hanc causam audire possit Florentiæ, ubi solùm ex privilegio habet tribunal, vel potiùs teneatur eam audire Fesulis. Sed in hoc non video, cur hoc negetur posse fieri, quod nec est contra jus commune, sed illi est conforme. Jus enim commune intendit favere reo, ut extra propriam Diœcesim non trahatur sine necessitate; At verò si Episcopus Fesul. audiat Florentiæ causam Florentinorum, hoc est in maximum favorem partium, quæ non trahuntur extra Diœcesim. Nec obstat, si dicatur, quod cùm Episcopus Fesul. sit in Diœcesi aliena, non potest uti jurisdictione. Quia hoc verum esset de jurisdictione Ordinaria, qua tamen ex privilegio uti potest Episcopus Fesul. in ea Capella. Alias verò jurisdictio delegata à Papa, qui est Ordinarius totius mundi ad omnem Diœcesim se extendit, nec offenditur jurisdictio Ordinaria Episcopi, si alius Episcopus ibi tamquam Papæ delegatus exerceat jurisdictionem. Cùm ergo Episcopus Fesulanus in ea Capella exerceat jurisdictionem ordinariam, multò magis exercere poterit delegatam. Hinc etiam deducitur, quid dicendum in alio casu, scilicet si Episcopo Fesulano committatur causa, quæ vertitur inter Florentinum, & Fesulanum. Hæc enim commissio censenda est facta juxta §. *seq.* in casu, quod actor & reus sint diversarum Diœcesum, ut Anchar. *n.* 2. docet. Et quia Florentia non distat, sed est confinis Diœces. Fesul. Jam Episcopus poterit hujusmodi causam audire etiam Florentiæ, quia etiam si ad eum locum citet vel Fesulanum, vel Florentinum, non citabit illum ultra dietam à fine suæ Diœcesis, quod est id, quod decernitur in §. *seq.*

Nonum casum ponit idem Felin. *d. cap. Nonnulli numer.* 139
31. Ut quando quis conveniatur in loco, ubi sita est res, de qua litigatur, possit ultra dietam conveniri, juxta doctrinam Panormitan. *cap. ex parte, de for. compet.* quia jura indistinctè dicunt, quem posse conveniri, ubi res est sita *leg. fin. Cod. Ubi in rem act. cap. fin. de for. compet.* Sed huic casui repugnat præsens decretalis, ex qua regula habetur, quod si actor, & reus sint ejusdem Diœces. non possit causa extra committi, & quòd ubi causa extra committatur, non possit reus trahi ultra dietam à fine suæ Diœcesis. Et jura adducta loquuntur de Ordinario. Potest enim conveniri reus coram Ordinario loci, in quo res litigiosa est sita, aut initus fuit contractus, sed coram delegato non potest reus conveniri nisi, in terminis præsentis decretalis.

Decimum casum ponit idem Felin. *d. cap. Nonnulli num.* 140
31. quando quis promisit solvere ubicumque reperiretur; quia sicut iste potest conveniri coram quocumque Ordinario, ita coram Delegato Papæ, cùm Papa sit Ordinarius in quolibet loco, *cap. Cuncta per mundum* 9. *q.* 3. Et sic nulla injuria fit convento, cùm tacitè se obligaverit contrahendo. Sed neque hic casus potest admitti: Nam Papa est Ordinarius totius mundi, & delegatus Papæ re absolutè spectata potest ex toto mundo citare, si Papa velit, secus si Papa oppositum statuat, sicut statuit *in dict. cap. Nonnulli*, & multò magis in hac decretali, & jam nec ubi, res sit, nec ubi contractus initus sit, attendi debet, sed vel reus in sua Diœcesi conveniri debet, vel si extra, non ultra unam dietam à sua Diœcesi, ubicumque res litigiosa fuerit, vel qualiscumque fuerit contractus; nisi qualitate contractus expressa Pontifex causam commiserit & concesserit, quod reus ubi reperitur, conveniri possit, etiam si sit extra Diœcesim.

Undecimus casus est in reconventione, & dum reus 141
utitur literis ab actore impetratis, tunc enim vi dictarum literarum potest convenire actorem, qui literas impetravit etiam ultra duas dietas ad locum, in quo in vi dictarum litterarū causa examinatur. Lex enim hujus decretalis

est data ad favorem rei, & prohibet illum conveniri, vel extra Diœcesim, vel ultra dietam. Postquam verò datus est hoc modo judex justa terminos hujus decretalis, si contingat, quod reus, vel in judicio reconventionis, vel quia actor ipse non procedat in causa, & reus velit uti literis ab actore impetratis, potest actorem eundem ubicumq; sit coram judice impetrato citare, & convenire, Archid. *hic num.9. & ad cap. Nonnulli*, Innoc. Compostell. *in princ.* Host. Jo. Andr. & alii quos sequitur Fagnan. *n.*10. In hoc verò casu non poterit actor citari nisi ad locum in quo ex vi literarum causa commissa audiri debet. Addit Fagnan. idem observandum, si reus fiat actor in causa appellationis, vel alio modo; quia non propterea trahi poterit vel ultra duas dietas, vel secundùm hoc cap. ultra unam dietam extra sua Diœcesim, quia hoc beneficium reo originali est concessum. Quamvis & ex Innoc. & Card. *n.*3. advertat idem Fagnan. actorem dici potiùs citari, quàm citare, quia nec citatur, nisi quia citavit, nec trahitur, nisi quia traxit.

142 Tandem Scholàres posse trahere suos debitores coram suis Conservatoribus usque ad quatuor dietas, ex Rebuff. *De privileg. Scholast. privil.* 167. tradit Barbosa *hic num.*40. Et non est dubium, quod ex privilegio potest competere alicui, ut trahat debitorem extra Diœcesim, & ultra unam vel duas, vel plures dietas.

143 Sicut & regula generalis est, quod si Pontifex derogando huic, *& cap. Nonnulli* concesserit alicui judicem remotum cum facultate trahendi reum ad tres, vel quatuor, vel plures dietas, actor id facere potest.

SVMMARIVM.

144 *Dieta multiplex.*
Textum intelligendum de dieta vulgari multi sentiunt.
145 *Arguitur in oppositum.*
Verba secundum communem usum loquentium intelligenda.
146 *Milliare quid sit.*
Et quid sit passus.
Et quid sit pes.
Et quid sit leuca.
147 *Quantum fieri potest observanda sunt dietæ legales.*
Sed accipiendæ dietæ vulgares, quia ex usu milliaria, & dietæ variantur.
148 *In dubio vulgarium habenda sunt pro idea dietæ legales.*
149 *Non sunt diversæ dietæ hiemales ab æstivis.*
150 *Dieta non est mensurata spectato itinere per mare.*
151 *Reus non potest trahi per unum milliare extra dietam.*
152 *Dieta debet attendi secundum viam magis usitatam, ab illis qui pedestres vadunt.*
153 *A quo termino mensuranda sit dieta.*
154 *Mensurari debet a Diœcesi.*
155 *Hoc est verum etiam in causa reali.*
156 *Ad impetrandum rescriptum quomodo probandus sit timor loci non tuti.*
157 *Nunc super una, & duabus dietis dispensatur.*

Quæst. II.

ARTICULUS II.

Vtrùm hæc decretalis intelligenda sit de dieta legali, vel vulgari.

144 CUm enim dieta multipliciter dicatur. Sunt enim dietæ legales, quæ sunt viginti milliarium *l.3. ff. de verb. signific. l. Vicena, ff. si quis cautione*. Et sunt dietæ speciales, seu singulares, eorum, qui utuntur diplomate *felici*, & de duabus dietis faciunt unam, *l. Continuus, §. Cùm ita*, juncta gloss. *in v. diplomate, de verb. oblig.* Quales se sæpiùs expertum esse dicit Hostien. *ad d. cap. nonnulli num.*7. Et sunt dietæ vulgares, idest secundùm consuetudinem regionis. Cùm, inquam, triplex sit genus dietarum, textum *d. cap. nonnulli*, & hunc intelligendum esse de dietis vulgaribus, dixerunt Gloss. *ad d. cap. nonnulli, in v. ultra duas dietas*, Innoc. *num.*2. Compost. *num.*2. Panormit. *num.*6. Fagnan. *num.*18. & hic Archid. *num.*8. Quod probatur, quia nomina ex communi usu intelligenda sunt, *cap. Ex literis il 1. sup. de spons.* non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent, *l. Labeo, ff. de supellet. leg.* Et lex debet patriæ convenire, *cap. Erit autem lex, dist. 4. Cùm consuetudo sit optima legis interpres. cap. Cùm dilectus, de consuetud. l. si de interpret. ff. de legibus.* Unde magis statur usui, quàm significationi vocis, *l. Uxori in princ. ff. de leg.* 3. Hostien. *vero ad cap. nonnulli num.*10. dixit hoc esse arbitrarium judici, ita tamen ut arbitrium reguletur secundùm consuetudinem regionis.

Sed in oppositum est, quod stante hac sententia lex ridicula remanet, & superflua; Si enim dieta in judiciis, accipi debet secundùm cujuscumque regionis usum, ad quid valet, quod lex decernat, quod dieta sit viginti milliarium. 145
De vento est hæc lex, quæ servari non debet, sed usui patriæ est standum. Prætereà ubi lex loquitur, non debent accipi verba, nisi in sensu legis loquentis, ideòque in sensu legali. Verba enim instituta sunt ad significandum conceptum, & sensum loquentis; ubi ergo lex loquitur, verba intelligi debent secundùm usum, & sensum, & significationem legis loquentis. Cùm ergo lex decreverit dietam significare distantiam 20. milliarium, seu sex leucarum, vel ad summum 7. ut notat Mandos. *ad reg.* 30. *Cancell. q.2. n.2.* Barbos. *d. cap. nonnulli, num.*10. Est ex leg. supracitatis constat, cum quibus convenit jus Canonicum. Nam in *cap. Ex parte B. de foro compet.* cùm nobilis G. exciperet contra literas Apostolicas, ex eo, quod Castrum Guargiæ distabat à civit. Turon. ultra duas dietas, & pro parte B. Reginæ Angliæ replicaretur, quod castrum, de quo quæstio erat non distabat ultra 12. leucas, Papa ad favorem Reginæ voluit causam decidi si (inter alia) constaret Diœces. Andegaven. non distare à civit. Turon. ultra duas dietas, sic duodecim leucas habens pro duabus dietis, ut ad favorem Reginæ allegabatur. *In cap. etiam præsenti, §. loca infra de præb.* expresse Pontifex vult loca esse vicina Curiæ, quæ non distant ab ea per duas dietas legales. Videtur igitur quod textus intelligendus sit de dietis legalibus. Tum amplius, quia adducta in oppositum non probant. Cùm enim verissimum sit, nomina accipi debere secundùm communem usum; hoc tamen debet intelligi non de usu audientium, sed de usu loquentium, quia verba sunt instrumenta loquentium, per quæ suos conceptus exprimant. Sic ergo ubi lex loquitur, verba intelligi debent secundùm usum & mentem legis. In præsenti igitur regiones variæ sunt, quæ audiunt, & lex est, quæ loquitur, & quæ significationem, in qua intelligi debeant, verba expressit; in sensu ergo & usu legis verba intelligi debent, non in sensu hujus, vel illius regionis. Et sic textum illum *cap. nonnulli*, de dieta 20. milliarium intelligit Barbos. *n.*4.

Quod nihilominus dieta secundùm usum regionum sit 146
consideranda, ex eo convincitur, quod milliaria, & leucæ non sunt ubique ejusdem mensuræ, & distantiæ. Milliarium dicitur mensura mille passuum, passus verò quinq; pedum, & pes quindecim digitorum, ut ex Isod. habet Glos. *in cap. sicut il 1. 17. quæst.* 4. & Marches. *de commiss. part. 2. de commiss. avoc. §.4. numer.* 11. Vel ut alii dicunt secundùm mensuram Romanam in Capitolio descriptam pes est quatuor palmorum, & palmus quatuor digitorum, & sic pes est 16. digitorum, seu ad mensuram architecturæ Romanæ unius palmi, & 4. unciarum. Sed hæc vera sunt de milliaribus Italicis. Sed extra Italiam alius est mos mensurandi itinera. Extra Italiam enim itinera mensurantur per leucas, Panormitan. *cap. Ex parte B. de foro compet. numer.* 10. ait, quod leuca continet 2. milliaria & subdit, quod secundùm Hostien. 12. leucæ de quibus loquitur *cap. illud Ex parte B.* continent 20. milliaria, & sic faciunt unam dietam, leuca autem Gallica, cujus meminit Amianus Marcell. mille & quingentos passus habet, ut ostendit Antonin. *in itinerar.* quamvis plerisque in locis sit amplior. Sicuti longè amplior est leuca, seu milliarium Germanicum. Nam quamvis à Geometris Germanicis plerumque quatuor millia passuum pro uno milliario Germanico numerentur, id tamen regionum mos, aut usus passim non observat, unde & Misingerus *consil.* 54. *num.*8. quinque milliaria Italica vulgaria, sive quod idem est quinque millia passuum numerat pro uno milliari Germanico. De quo videri potest Goffred. *ad l.3. numer.* 89. *ff. de verborum signific.*

Dicendum igitur est dietam legalem accipi debere quan- 417

tum fieri potest, quia non convenit intelligere legem, nisi in legali sermone, & significatione. Et ideò ubi itineta distincta sunt & mensurata per milliaria, & leucas, quantum fieri potest accipi debet dieta, ut tot passus, aut pedes contineat, quot continet legalis dieta, verumtamen quia hæc geometricè & exactè non mensurantur, unde ubique terrarum milliaria, & leucæ, & itinerum mensuræ servata uniformitate nominis in re valdè diversæ sunt, & unum milliarium longius est altero, & una leuca altera major; ideò hæc dieta legalis ab usu, & consuetudine determinationem habet,& in hoc sensu verum est, quod accipi debet dieta usualis, & vulgaris, tum quantum ad numerum milliarium, aut leucarum, quia in aliquibus locis 20. milliaria excedunt commodum iter diurnum pedester habitum, & in aliis locis nec 25. sufficient. Et sic 4. leucæ Germanicæ continens dietam, quam in aliquibus locis Galliæ vix continent duodecim. Tum quantum ad determinationem eorumdem milliarium, seu leucarum etiam intra eandem provinciam, ut melius non possit res ista judicari, quàm habendo pro dieta illam distantiam, quæ ex usu judicatur uno die pertransiri posse pedester. Et in hoc sensu verificari possit, quod ex Bald. *d. cap. nonnulli in princ.* habet Marches. ubi suprà *n.9.* Scilicet posse contingere ut alicubi dieta sit 10. milliarium, & alibi 30.

148 Sed quid, si actor trahat reum per mediam leucam ultra dietam legalem, aut vulgarem? Et quid si milliaria, vel leucæ, aut legales, aut vulgares non appareant? Ut quia citarut aliquis ex montanis, quò nunquam, aut perrarò vadunt homines? Quid si iter sit asperum, & montuosum, & difficile? Quid si per mare habendum sit iter? Quid si in hieme ubi brevissimi dies, & mala itinera, vel in æstate sit iter? Hostiens. existimavit in his habere locum arbitrium judicis, quia quod legibus omissum est, non omittet religio judicantis, *l. quæsitum, ff. de testib.* & qualitatem regionis considerabit, *l. Præsules, ff. de Feriis*. Sed in dubio dietarum vulgarium recurrendum esse ad dietas legales; quia judicis arbitrium succedit in his, quæ à lege non sunt determinata, *l.1. ff. de jure delib. & cap. De causis, suprà de off. deleg.* dixerunt *ad d. cap. Nonnulli*, Joan. Andr. *numer.* 32. Anton. *num.* 20. Panorm. *num.* 6. Fagnan. *num.* 29. citans Gloss. *in cap. cupientes in v. commodè infra de elect.* & Archidiac. *in hoc cap.*

149 Dieta enim legalis est veluti regula, & idea ad quam vulgares dietæ, quantum fieri potest, assimilari debent. Non approbatur tamen, quod dietæ aliter determinandæ sint in hieme, & aliter in æstate, ut dixit Panormit. *d. cap. Nonnulli num.6.* Tum quia dietæ vulgares, quantum possibile est, debent assimilari legalibus, quæ sunt immobiles. Tum quia regula, & mensura non debet esse variabilis, & mutabilis, & incerta, sed fixa, simplex, & quantum fieri potest immutabilis. Tum quia lites toto tempore anni haberi debent, & puerile esset, quod reus modò ad unam, modò ad aliam distantiam trahi posset. Ab itinere igitur difficiliori, ut puta à hiemali accipiendæ sunt dietæ, & arbitrandæ, semper tamen habendo in mente pro exemplari dietam legalem.

150 Sic quantum ad differentiam itineris per mare vel per terram, hoc considerandum est, quod dieta continet diurnum iter, quod pedester commodè fiat. Tale enim iter importat, quod commodè fieri possit etiam à pauperrimo litigatore. Nec reus cogi debet, ut currum, vel equum, vel navem conducat. Præterquam quod iter per mare infidum, non est securum, & posset benè contingere, quod reus citatus ad diem certum, non posset tunc iter habere per mare. Quamobrem quod ex Felin. *cap. olim num.7. de except.* dixit Marches. *part.2. de commiss. avoc. caus. num.20.* scilicet quod dieta per mare est quinquaginta milliarium, quia plus est facere 20. milliaria per terram, quàm quinquaginta per mare. Quod ex Bartol. *in tract. de Insula in 1. column. recensuit etiam, addit.* ad Panormitan. *in d. cap. Nonnulli num.6. in v. dietas*. Quod, inquam, sic dicitur, nostræ quæstioni non potest accommodari, nec de tali dieta potest intelligi textus iste; Nec reus potest cogi ut per mare eat, & navem conducat, sed dieta debet accipi pro distantia, quam homo etiam in hieme pedester uno die possit pertransire. Quare nec sufficit dicere cum Goff. & Hostien. quos sequitur Panormitan. *cap. cum olim num.3. de except.* scilicet frequentiùs esse, ut considerentur itinera terrestria, maximè tempore hiemali, quo solet periculosa navigatio esse, *l. Civitas, Cod. de off. rect. provinc.* Item termini Diœcesis melius distinguuntur per terram, quàm in mari, vel aquis. Neque enim rescripta Apostolica quantum ad valorem suum ex temporum varietate mensuranda sunt, & ita quod unum rescriptum dici possit validum in æstate, & non in hieme: & sit in potestate impetrantium facere ut rescripta valida sint, aut invalida ea diversis temporibus præsentando. Sed dietæ mensura assignari debet immutabilis, quia & hoc ratio mensuræ petit. Unde ab instabilitate maris non debet dependere. Sed absolutè itinera terrestria sola hic attendi debent. Ubi verò non est iter nisi per mare, ibi vulgares dietæ marinæ accipiendæ erunt.

Quantum verò ad excessum, si contingat per rescriptum reum trahi paulisper ultra dietam, vel legalem, vel vulgarem servandum est, quod decernitur *l.3. ff. de verb. signif.* nimirum quod distantia 21. milliarium habenda est pro duabus dietis, ita quod unum milliare tunc pro una dieta computandum est. Quamobrem excessus per vigesimam partem dietæ est gravis, & notabilis, & talis quod reus qui non potest trahi ultrà dietam, non potest trahi ultra illam per partem, quæ integræ dietæ sit vigesima: seu quæ sint unum milliare. 151

Advertit verò hic Anchar. *num.4.* quod ubi ad locum aliquem conducunt plures viæ, quarum una sit altera longior, distantia debeat mensurari & attendi secundùm eam viam, quæ est magis usitata. Quod ex Cened. Parlad. & Mascar. voluit etiam Barb. *d. cap. Nonnulli num.12. & clausf.53. n.7.* Sed hoc est intelligendum de itinere magis usitato ab illis, qui pedestres iter conficiunt. Et ideò etiam ubi ad locum iter habere possit per mare, & per terram, attendi non debet iter per mare si sit magis in usu, sed distantia per terram mensurari debet. 152

Est autem apud multos difficultas, à quo loco mensuranda sit dieta. Et primò difficultas est ubi actio sit realis, quia multi voluerunt, quod dieta mensurari debeat à fine Diœcesis illius, in qua est res super qua orta est lis. Sic enim voluit Gloss. *in cap. dilectus, in v. domicilium, suprà eod. tit.* Quod & voluerunt quamplures alii, quos refert ibid. Felin. *num.3.* & fundantur *in d. cap. dilectus*. Sed secundò est difficultas etiam ubi actio sit personalis. Quia Felin. *in cap. ex parte, n.4. de foro compet. & in cap. dilectus il 2. de rescrip.* quem sequitur Marches. ubi suprà *n.14.* existimat, quod dieta incipiat à domicilio principali, quia iter à loco, ex quo discedetur, incipit, & id voluit etiam Archid. *hic n.9.* Et cùm discessus sit à domicilio, ab eo incipit milliare, & dieta. 153

Sed incipiendo ab hoc ultimo dubio, consideratur, quod in duplici sensu potest intelligi, quod dieta mensuranda sit respectu domicilii. Primò ita quod domicilium ipsum rei sit terminus à quo incipere debeat dieta, ultra quam reus non possit trahi. Et hic sensus est manifestè falsus, quia non à domicilio, sed à Diœcesi ipsius rei incipit hæc dieta. In textu enim statuitur, quod reus non trahatur ultra dietam à fine suæ Diœcesis. Neque hunc sensum habet Felin. locis citatis, ut legenti patet. Alius sensus est, ut dieta à domicilio sit mensuranda, idest à Diœcesi domicilii. Et hic sensus est verus, & hunc sensum habet Felin. post Panormitan. *cap. ex parte B. num.9. de for. compet.* Et uterque vult, quod ubi reus habeat plura domicilia, dieta mensurari debeat à loco domicilii principalis, nisi in loco minus principali sit res de qua litigatur. Verum jam ex hoc textu est manifestum (ut etiam consideratum est suprà *num.86. & 87.*) quod attendi debet identitas Diœcesis, & ubicumque res sit, non potest actor, si sit ejusdem Diœcesis cum reo trahere illum extra Diœcesim illam. Aliàs verò actori sufficit, si non trahat reum extra suam Diœcesim. Quod si simus in casibus, in quibus reus trahi possit extra Diœcesim, non potest trahi, & sufficit, quod non trahatur ultra dietam à finibus suæ Diœcesis. Quod si reus habeat plures Diœceses, manet actor in sua libertate, neque enim tenetur convenire reum in loco ubi est sita res, sed ubi sunt plures judices competentes, liber est actor, quem voluerit eligere. Et ex vi præsentis decretalis sufficit, ut non trahat reum ultra dietam à fine suæ Diœcesis. 154

Quod autem hoc sit verum universaliter tam in actione personali, quàm in actione reali, ex hoc manifestatur, quia aliter sequeretur, quod si Hispanus, contra Italum impetrare vellet judicem in causa rei existentis in Anglia, 155

in

io Diœceſi v.g. Cantuarieo. deberent tam Hiſpanus, quàm Italus ire in Angliam ad litigandum, & ſic tam actor, quàm reos ad quamplures & plures dietas traherentur, ut litigarent. Sed ex texto noſtro res eſt manifeſta, cùm Pontifex decernat nollum poſſe conveniri ulrra dietam à fine ſoæ Diœceſis, & ſic à fine Diœceſis, in qua habet domicilium, quia illa eſt ſua Diœceſis, in qua domicilium habet: & ita tenent Gloſſ. *hic in v. unam dietam*, Archid. *numer.9.* Jo.Andr.ibid.Anchar.*num.4.*Domin.*num.17.*Franch.*numer.12.& ſup.ad cap.Dilectus,eod.tit.*Panormit.*num.4.*Felin.*num.13.*Barboſa *num.2.*Item Panormit. *ad cap. ex parte B. num.9. de for.competen.*ubi Imol.*num.12.*Rota *deciſ.28.de reſcript.in antiq.*

156 In caſu verò, quod aliquis impetrare velit judiceio ultra duas dietas, Marcheſ. ubi ſuprà *num.15.* vult, quod quamvis juramento quis aſſerat intra duas dietas ſe non poſſe conſequi juſtitiam, non ſit admittendus, oec audiendus, ut ultra illas cauſa committatur, contra *d. cap. Nonnulli*, quia legitimè id probari opus erit. Et citat Bald. *in d. cap. nonnulli num.11.& Capell. Tholoſ.deciſ.*236. & Aufred. *in addit.* Sed ex hoc cap. oppoſitum colligitur. Decernitur enim, quod ſi quis timeat intra civitatem, vel Diœceſim, ne ſecurè cauſam proſequi poſſit, ſufficiat, ſi ſaltem juramento judici de hoc timore fidem faciat. Ex quo duo cootra prædictam ſententiam deducoutur. Primum quod ad impetrandum reſcriptum ultra duas dietas, non eſt neceſſe probare timorem, vel impoſſibilitatem obtinendi juſtitiam intra duas dietas, ſed ſufficit id exprimere. Et ut ſuprà dicebatur, neque neceſſe eſt exprimere cauſam hujus timoris. Secondom eſt, quod licet coram judice delegato, poſtea timor hujuſmodi, ſeu impoſſibilitas probanda ſit, ſufficit de hujuſmodi timore, vel æſtimatiooe impoſſibilitatis obtinendi juſtitiam fidem facere juramento.

157 Et ſic de facto regulariter diſpenſatur. Cùm enim experientia demonſtraverit difficultatem, quæ reperitur io inveniendis peritis judicibus intra unam, vel plures dietas: ideò ſi actor inſtet, ſicut, teſte Amaydeno, loco citando regulariter ſolet & in ſupplicatiooe petat committi cauſam etiam extra duas dietas dator commiſſio cum clauſula, *Dummodò non ultra tres dietas.* Quia ſignatum juſtitiæ non poteſt derogando ſopradictis ultra tres dietas cauſas committere; quod ſi illa reſtrictiva fuerit omiſſa per Dominum Reviſorem erit addenda, ex Staphil. *de lit. Inſt. cap. Quomodo petitur numer.4.* Marcheſ. *de commiſſ. part.1.cap.6. de commiſſ. appellation. extra Cur. Roman. numer.97.& 98.& part.2. de commiſſ. avocat. cauſ. §.4. numer.*22. Amaydeo. *part.2. cap.15.§.9. numer.19.* Barboſ. *clauſ.*53.*num.1.*

SVMMARIVM.

158 *Iuramentum eſt probatio.*
159 *An ſolum juramentum probet.*
Iuramentum non admittitur, niſi ubi eſt ſemiplena probatio.
160 *Ad id probandum timorem loci non tuti in caſu hujus decretalis ſufficit juramentum.*
Eorum, quæ ſunt in animo, nulla certior probatio, quàm juramentum.
161 *An poſſit opponi juramento.* 162.163.
164 *Indiſtinctè admitti debet probatio contra hoc juramentum.*

Quæſt. II.

ARTICULUS III.

An in caſu hujus decretalis contra juramentum admitti debeat probatio adverſarii.

158 QUod juramentum non ſit probatio propriè, ſed relevatio ab onere probandi ex Alex.*conſ.59. in fin.ver.7.* dixit Marcheſ.*de commiſſ. relax. jur. ad off. agen. part.3. §.1. num.33.* Verum è contra quod juramentum ſit probatio legitima dicunt hic Gloſſ. Butr. *num.6.* Franc. *num.15.* Barboſ. *num.44.*

159 Eſt autem juramentum probatio ſobſidiaria, quæ non debet admitti, niſi in ſubſidium defectus probationis. Sed Ancharan. *hic num.4.* exiſtimat, qood etiam in caſu hujus decretalis juramentum non debeat admitti, & non ſofficiat, niſi timoris loci oon tuti adſint aliæ probationes, ſeu præſumptiones, quæ aliquam fidem licet inſufficientem de dicto timore faciant. Et quidem regola commonis eſt, ut probatio per juramentum oon admittatur, niſi ejus, quod juramento probandum eſt, præcedat ſemiplena probatio, *cap. ex inſinuat. de Procur.* & ibi Gloſſ. *in v. Clerici & ad cap.ſicut de probat.* Innocen. *in fin.* Hoſtien. *num.2. & 3.* Jo. Andr. *num.3.* Bellam. *num.8.* Fagnan. *num.5.* & reliqui omnes, Bald. *leg. admonendi, ff. de jurejuran. num.57.* In quo etiam debet haberi conſideratio legalitatis perſonæ, parvitatis præjudicii, ſeu cauſæ, & aliarum qualitatum, quas latè numerant Cyn. *in leg. bona fidei, Cod. de reb. Cred.* Jo. Andr. & Canoniſtæ *cap.fin.quod metus cauſa*, Socin. juo *conſ.*136. & Meooch. *de arbitr. caſu* 190. & Seraphin. *de privileg. juram.privil.*33.

160 Verum oppoſitum dicendum eſt io ooſtro caſo. Quia lex oon aliam requirit probationem in defectu aliarum, quàm juramentom. Et eo magis, quod hic non agitur de principali articulo litis probando, ſed de quodam præambulo, quod ad hoc committatur cauſa extra Diœceſim rei non eſt ex natura rei oeceſſarium, ſed ex lege poſitiva, cui ſufficit ſi timor probetur adeſſe per juramentum. Et eo amplius, quod timor res eſt animi, cujus non poteſt haberi certior probatio, quàm per juramentum ejus, de cujus aoimo dubitatur, ſeu quæritur, §. *Alia inſt. de act. l.ſi cui, §.iiſdem, ff.de accuſ.* Barb. *in l.omnes, §.recte, ff.de fur.* quem refert & ſeq. Add. ad Rot. *deciſ.3.de reſc.in novis. Vbi addit ex dec.conſ.256. num.9.* qood in dependentibus ab animo ſtatur juramento ejus, de cujus animo dubitatur. Ideò Jo Andr. *hic numer.4.* & alii Canoniſtæ communiter abſolutè admittunt actorem probare timorem, ſeu perhorreſcentiam per juramentum, & Rota *deciſ.3. de reſcript. in nov.* ait, quod ſi impetretur commiſſio de ſpeciali mandato, in qua impetrans narrat ſe non ſperare poſſe conſequi juſtitiam in partibus, ſufficit hoc probare per ſolom juramentum impetrantis, quia ea, quæ conſiſtoot in aoimo alicujus, aliter probari non poſſunt. Et idem voluit Rota *deciſ.61. de reſcript. in antiq.* Imò Archid. *hic num.11.* ex hoc dixit ootandum eſſe caſum, in quo juramcotum facit fidem.

161 His ſic ſtantibus dubitatur, an contra hojuſmodi juramentum præſtitum ab actore, admitti debeat reus probare volens oppoſitum. Admitti enim debere voluit hic Jo. Andr. *num.4.* Eo quod nimis ſit durum, quod actor trahere poſſit reum extra larem ſuam ex falſo timore per ſolum juramentum actoris probato. Unde tunc demum ſtabitur juramento, quando oppoſitum non fuerit probatum. Eo magis quod juramentum oon admittitur, niſi in defectum aliarum probatioonm. Et qoia juramentum delatum à judice reprobari poteſt *l. admonendis, ff. de jurejur.*

162 Sed Rota *deciſ.61. de reſcript. in antiq.* dixit, quod ubi quis impetrat cauſam committi in curia, aſſerens, quod non ſperat juſtitiam in partibus habere, ſi jurat hoc coram Auditore, pars adverſa allegans commiſſionem ſubreptitiam non auditur, ſi velit probare contrarium, quia joramento dicentis perhorreſcentiam, ſeu timorem creditur. Ut per hoc *cap. & per cap. ut circa, inf. de elect. arg. l.1. circa fin. de aſſert. tollen. juncta l.cui relictum, C. de jud.*

163 Sed Domin. *hic numer.8.* poſt Joan. Calder. diſtinguit. Nam, aut juramentum eſt delatum reo ſciente, & cootradicente, vel excipiente. Et in hoc caſu juramentom non nocet reo, qoia male facit Judex admittens illud juramentum, *cap. penult. de empt. & vendit.* Aot juramentum defertur reo id ſciente & tacitè, vel expreſsè conſentiente, & tunc juramentum ſufficit. Quod ſi ſimol concurrant actor, & reus, & unuſquiſque illorum probare vult ſuam partem, ſi reus vult probare non dari caoſam timoris per juramentum, noo debet admitti. Sed ſi reus vult id probare per alias probationes, tunc uterque ad probandum admitti debet, & qui melius probabit, obtinebit, *cap. ſuper hoc de renunciat.* Et probatur ex hoc textu ex dictione *ſaltem*, quæ eſt adverſativa, non alternativa, quaſi velit, quod per prius ad alias probationes ſit tecurrendum. Et in hanc ſententiam tranſit etiam Franc. *num.*14. & Barboſ. *num.47.*

164 Itaque aut juramentum datur actori sciente reo, & tunc si reus contradicit, & intendit probare perhorrescentiam, aut timorem probabilem, & rationabilem non adesse, audiri reus debet, & tunc qui ex duobus melius probabit, obtinebit. Ipso autem reo non contradicente, juramentum actoris ad ejus intentionem probandam sufficiet. Aut juramentum datum fuit nesciente reo; quia ut dictum est suprà, judex non potest citare reum, antequam timor probatus fuerit, & sic potest contingere, quod reo non citato, & nesciente actor juramento timorem suum probaverit. Et tunc adhuc si reus factus conscius juramenti actoris velit oppositum probare, absolutè & indistinctè admitti debet ad probandum, ut sentiunt Joan. Andr. & Francus. Nam & licet timor sit in animo, habet tamen causas externas, quibus deficientibus timor est fatuus, nec attendi debet, ut habet Gloss. hic *in v. merito*. Aliàs verò textus verè vult constare de timore; de quo tamen non potest constare, si per claras probationes oppositum probetur.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Cùm autem.

SUMMARIUM.

165 *Textus intentio.*
166 *Regula textus.*
167 *In Prelatis Ordinum servanda Clem, Abbates, de rescript.*
168 *Dictio* autem *est adversativa,& implicat casuum diversitatem.*
169 *Index diversimodè recusatur antequam partes in eum consentiant.*
170 *Dictio* sua *aliquando importat habitationem.*
Actor non potest impetrare judicem in sua Diœcesi.
171 *Actor in alia Diœcesi potest judices impetrare, etiam si sit alterius Provinciæ.*
172 *Potest actor impetrare judicem extra dietam, dum tamen intra dietam audiat.*
173 *Impetrare judicem est in potestate actoris.*
174 *Dieta qualiter mensuranda.*
175 *Ubi plures Diœceses rei in libertate actoris est reum ex quacumque illarum trahere non ultra dietam.*
176 *Unum milliare ultra dietam secundum dietam importat.*

165 IN superioris §. Bonifacius VIII. decrevit quomodo & ubi actor convenire possit reum, & contra eum ab Apostolica Sede judices impetrare, ubi tam actor, quàm reus sunt ejusdem civitatis, seu Diœcesis; In præsenti verò hoc idem decernit in casu, quod actor, & reus sint diversarum civitatum, & Diœcesum.

166 Regula igitur teatus est, quod ubi actor & reus sunt diversarum civitatum, & Diœcesum, si actor non vult impetrare judices in civitate, aut Diœcesi rei, illos tamen non possit impetrare in sua, sed teneatur impetrare in alia, non tamen in loco ultra unam dietam à fine Diœcesis rei remoto.

167 Advertit verò hic Gloss. quod de Prælatis Ordinum, vel locorum, qui impetrant pro membris suis habentibus, vel non habentibus speciales administratores, vel gubernatores, dicendum est ut in *Clem. Abbates, de rescriptis*.

168 Dictio *autem* adversativa est in jure, & in facto secundùm suam naturam, nisi aliud ex disponentis mente colligatur; & implicat diversitatem casuum, Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 78. n. 20.* Cened. Petr. Enriq. & Bursat. quos hic sequitur Barbos. *n. 58.*

169 Judex quoque à partibus, vel de eorum consensu electus non potest ab illis recusari, nisi ex nova causa, vel antiqua de novo cognita. Ut in *auth. offeratur, C. de lit. contest. cap. Causam quæ, & cap. Insinuante, sup. de off. deleg.* Gloss. hic Franc. *num. 1.* Sanchez *l. 7. de matrim. disput. 113. numer. 8.* Marant. *de ordin. judic. part. 6. art. 2. numer. 76.* Mascard. *de probat. conclus. 952. num. 42.* Barbosa *hic num. 59.* Antequam tamen in judicem consentiant diversimodè illum recusare possunt. Nam reus judicem ab actore electum, vel impetratum recusare potest, etiam si electus, aut impetratus. Sed actor recusat non eligendo. Cùm enim in potestate actoris sit ex pluribus judicibus ordinariis ipsius rei, illum eligere, quem voluerit, vel contra reum impetrare judicem ad sui voluntatem: neque enim tenetur impetrare aliquem ex judicibus Ordinariis ipsius rei, sed potest alium impetrare, ut ex hoc textu habetur; ex hoc actor judicem recusat, quia eum non eligit.

170 Dictio autem *sua* non semper significat Dominium, & possessionem, sed aliquando importat habitationem, Domin. *n. 2.* sicut hic dicitur *sua Diœcesis*, in qua actor habitat. Sed amplius advertit Anchar. *n. 2.* quod ex hoc textu habetur, quod actor non potest impetrare judices contra reum in ipsa actoris Diœcesi, sed in alia civitate, vel Diœcesi id præstare debet.

171 Sed numquid poterit trahere reum ad aliam civitatem, aut Diœcesim, si illa sit extra Provinciam ejusdem rei? Negarunt Hostien. *cap. fin. de jud. & alii fundati in cap. neminem, 3. quæst. 6.* & super alia jura antiqua, in quibus prohibetur reum trahi de Provincia ad Provinciam. Quæ jura non corriguntur per hanc decretalem. Sed cum jura illa loquantur de judiciis, & judicibus, vel Ordinariis, vel inferioribus, aliàs verò in hoc textu indistinctè, & absolutè concedatur actori, ut in alia Diœcesi liberè possit impetrare judices contra reum, dicendum est, non interesse an alia Diœcesis sit simul alterius Provinciæ, posseque actorem in ea judices impetrare. Respectu enim Papæ delegantis totus mundus est una Diœcesis, *cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3.* Et ideò in solis judicibus Ordinariis, vel inferioribus verificatur, quod non possint vel extra provinciam cognoscere causas, vel eas delegare, quod tamen potest Pontifex facere, ut tenent hic Archid. *num. 11.* Butr. *num. 3.* Ancharan. Domin. *num. 3.* Franc. *in princip.* & tenuerunt idem Archid. *dict. cap. neminem 3. quæst. 6.* Compostell. & Jo. Andr. *de judic. cap. nonnulli de rescript.* Panormit. *cap. fin. n. 3.*

172 Actorem verò posse ultra dietam impetrare judicem, dum tamen ille causam non audiat nisi intra dietam, ex Zenzel. refert Domin. *num. 3.* Quod tamen negavit apud eundem Jo. de Fan. Sed hic distingui debet Diœcesis à loco habitationis judicis delegati. Quod enim hic prohibetur, est, ne actor impetret judices in alia Diœcesi, cujus confines ultimi ultra dietam distent à Diœcesi rei, cæterum intra vicinam Diœcesim benè potest impetrari judex, licet ejus habitatio ultra dietam distet, dum tamen appropinquet se, & ultra dietam non citet, ut habetur ex textu in *§. sequen.* Ubi Jo. Andr. & alii.

173 Ex verbo autem *valeat* habetur, quod impetratio judicis est in libera potestate actoris, Domin. *num. 1.* Franc. *in princ.* Quamvis quando est impetratus reo nesciente, & non consentiente, possit eum reus recusare.

174 De dieta quoque vulgari intelligunt Gloss. Archid. *n. 11.* Franc. *n. 2.* Vult verò Franch. quod in dieta consideranda sit non solùm consuetudo loci, sed etiam qualitas personæ, ejusque ætas. Sed numquid Papa committens scire, aut considerare debet, an reus sit juvenis, vel senex, sanus, aut infirmus? Sive numquid rescriptum erit nullum, si verè intra ordinariam vulgarem dietam impetretur judex, si contingat quod reus senex non possit à fine Diœcesis uno die ad locum judicii pervenire? Hæc igitur consideranda erunt à judice in assignandis terminis ad comparendum, sed quantum ad validitatem rescripti sufficit, quod regulariter & communiter à fine Diœcesis rei & locum judicii non sit nisi iter unius diei. Et ut suprà dictum fuit, à fine Diœcesis dieta mensurari debet, nec interest an ab eo fine, à quo mensuratur dieta, Domicilium rei distet parum, vel multum, sed etiam à confine remotissimo ab eo Domicilio potest hæc dieta accipi, ut hic advertunt Anchar. & Franch. *n. 2.* In mensuranda verò dieta attendi debet via magis usitata.

In

175 In hoc verò casu, ubi reus habeat plura Domicilia, & sie verè habeat plures Diœceses, quid sentiant DD. dixi suprà §. *Cùm vero numer. 85.* Quamvis verò ibi esset sermo in terminis illius textus, quando scilicet, actor & reus sunt ejusdem Diœcesis; idem nihilominus puto dicendum, etiam ubi sunt diversarum Diœcesum, nimirum, quod sit in libertate actoris trahere reum ad aliam Diœcesim, dum sit vicina alicui ex rei Diœcesibus, etiam si in illa Diœcesi reus habeat Domicilium minus principale, vel etiam res, de qua est lis, sit in alia Diœcesi. Et ducor quia lex non præcipit, nisi quod actor non trahat reum ultra dietam à fine suæ Diœcesis; hoc autem propriè, & simpliciter verificatur, si reus habens plures Diœceses non trahitur ultra dietam ab aliqua illorum. Nec obstat, quod habet Panormitan. *cap. Ex parte num. 9. de foro compet.* scilicet, quod reus inde propriè trahitur, ubi pro majore parte se collocat, & habet domicilium principale, & jura hic considerant rei tractionem, & defatigationem. Nam jura hoc attendendo nihilominus non præcipiunt, nisi quod reus non trahatur ultra dietam à fine suæ Diœcesis, & Diœcesis in qua reus habet Domicilium etiam minus principale est propriè & simpliciter illius Diœcesis. Et eo amplius, quod hoc non esset nisi lites multiplicare, & rescripta Apostolica disputationibus exponere, cùm sæpius incertum sit & disputabile, quod nam sit alicui principale Domicilium. Et in casu *cap. Ex parte B. de foro compet.* reus minus principale Domicilium habebat, ubi validè citatus fuit. Nec obstat, quod ubi fuerit res, de qua erat lis, quia non per hoc reus necessariò ibi conveniri debebat. Et tandem, quia jura etiam respiciunt actoris indemnitatem. Et cùm lex hujusmodi sit contra actorem odiosa & directè restringens ejus libertatem, debet strictè intelligi, & non ampliari.

176 Ultra unam dietam verò non debet locus judicii distare, aliter excessus etiam si sit unius milliatis tantum, pro secunda & nova dieta haberi debet, Gloss. Archid. *numer. 11.* Domin. *num. 4.*

SUMMARIUM.

177 *Ratio difficultatis.*
178 *In causa appellationis attenditur locus rei originalis.*
179 *Hoc indubitatum si intra communem Diœcesim primum judicium fuit habitum.*
180 *Idem si actor est qui appellat & in Diœcesi rei judicium primum fuit.*
181 *Idem in aliis casibus.* 182.
183 *Causa facta curialis semper est talis.*

Quæstio tertia

ARTICULUS UNIC.

Ubi impetrandus sit judex in causa appellationis?

177 Ratio difficultatis est, quia præcipuè dum in judicio ordinario reus vel ratione rei sitæ, vel ratione contractus initi, extra suam Diœcesim conventus fecit, ut v.g. si Mediolanen. in judicio ordinario conventus fuit Bononiæ, si ab aliqua partium interponitur appellatio, pro quo loco impetrandus est judex? Videtur enim quod appellans, qui in judicio appellationis est actor, impetrare debeat judicem in Diœcesi, vel non ultra dietam à Diœcesi appellati, qui in hoc judicio se habet ut reus. Et sic in casu dato, si Bononiensis appellavit, videtur, quod debeat impetrare judices Mediolan. vel intra dietam à Mediolano.

Omissis opinionibus, quas refert hic Domin. dicitur, quod in judicio appellationis, servandus est locus rei originalis, & quod in eo loco, vel in loco non ultra dietam ab eo haberi debet judicium appellationis, in quo primum originale judicium fuit habitum. Ita hic Joan. Andr. *num. 6.* Anchar. *num. 3.* Butr. *num. 12. & 13.* Domin. *num. 1.* Franc. *num. 3.* Claritatis autem gratia plures casus distinguuntur. 178

Primus est, si actor & reus sunt ejusdem Diœcesis, & in eadem Diœcesi habitum fuit primum judicium, & data sententia, à qua fuit appellatum. Et in hoc casu assertio posita est indubitata. Et in hoc casu, nec extra Diœcesim illam ad unius dietæ distantiam potest impetrari judex; quia aliter quicumque ille sit, qui diceretur reus, traheretur extra suam Diœcesim, contra decretum statutum in §. superiori. 179

Secundus casus est, si qui appellat est ille, qui fuit actor in priori judicio, & reus est de illa Diœcesi, in qua habitum fuit primum judicium, à cujus sententia fuit appellatum. Et in hoc casu pariter est indubitatum, quod juxta decretum præsentis textus judicium appellationis non debet fieri, nisi vel in eodem loco, vel non ultra dietam ab eo; quia aliter is, qui est reus, traheretur ultra dietam extra suam Diœcesim, quod hic est prohibitum. 180

Tertius casus est, si reus ipse appellat, & judicium prius habitum fuit in Diœcesi ejusdem rei. Ut si in judicio habito Bononiæ inter Bononiensem, & Mediolanensem, Bononiensis ipse appellat, & sic gerit vices actoris. Et nihilominus etiam in hoc casu, vera est assertio posita, & dicitur, quod vel Bononiæ, vel non ultra dietam impetrari debet judex, & causa appellationis agitari quia favor, qui continetur in hoc cap. respicit reum originalem, qui simpliciter reus, & qui licet in judicio appellationis gerat vices actoris, nihilominus, ut suprà etiam dictum fuit, semper est reus, quia non trahit, nisi quia tractus, nec agit, nisi quia prius conventus. Ideò nec in judicio appellationis debet trahi extra suam Diœcesim ultra dietam. Et sic audivisse, quod curia in hoc casu dat judices in eodem loco refert Joan. And. Nam nec potest actor conqueri, si causa appellationis tractetur in eo loco, quem ipse prior elegit. Item si contingat appellationem interponi ante sententiam, & postea pronunciari malè fuisse appellatum, tunc judex, a quo fuit appellatum reassumet causam; ergo expedit articulum appellationis ibi definiri ad vitandos circuitus, & discursus. 181

Quartus casus est, quando actor est Diœcesis, in qua habitum fuit judicium prius, sed reus est alienæ Diœcesis, ut si Bononiensis ratione rei sitæ Bononiæ conveniat ibi Mediolanensem; quod potest facere *ex cap. final. suprà de for. compet. & cap. 1. inf. de privil.* In hoc verò casu fuit sententia. Lap. quod si Bononiensis actor est ille, qui appellat, debet impetrare judices Mediolani, vel non ultra dietam ab ea civitate. Sed si ipse Mediolan. appellat, debet impetrare Bononiæ, vel non ultra dietam à Bononia. Sed Domin. & Franc. post Joan. de Imol. tenent, quod in utroque casu, judices impetrari debeant Bononiæ, quia in impetratione semper attendi debet locus rei originalis, & quia conveniat causam appellationis ibi audire, ubi prius judicium fuit habitum, & hoc est de mente Jo. Andr. Anchar. Butr. & aliorum. Et sic indistinctè dicitur, quod in causa appellationis attendi debet locus, in quo prius judicium fuit habitum, quod & docuit Fagnan. *cap. nonnullis num. 10. de rescript.* 182

Fallit tamen hoc in causis, in quibus judicium appellationis spectat ad Curiam Romanam, nam in his causis Judices Romæ impetrantur, & ibi causæ audiuntur. Et causa semel facta, Curialis semper est talis, nisi ex speciali gratia remittatur ad partes, Matches. *part. 2. de commiss. avocat. caus. §. 4. num. 30.* 183



DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. In nullo.

SUMMARIUM.

184 *Ponitur hic textus ad dubia tollenda.*
185 *Regulæ duæ textus.*
186 *Casus aliqui, in quibus textus decisio habet, & non habet locum.*
187 Extra *est dictio significans de foris cum intervallo: varia ejus significatio.*
188 *Tria requiruntur in delegato.*
189 *Attenditur locus commissionis, sed non latitudo Diœcesis.*
190 *Potest committi causa extra dietam, sed non audiri.*
191 *In hoc casu impetrans tenetur ad expensas judicis extra suam habitationem judicantis.*
192 *Intra dietam liberum est delegato, etiam invitis partibus, audire causam, ubi voluerit.*
193 *Sed tunc, an sibi debeantur expensæ?*
194 *An ad hoc requiratur justa causa?*
Unde cognoscatur, an causa sit commissa taxativè in civitate.
195 *Si judex malitiosè ageret, valeret in eo casu processus, sed ipse malè ageret, & posset cogi ut aliter faceret.*
196 *Quando intelligatur facta commissio in certo loco.*
197 *Citatio non potest fieri extra locum deputatum.*
198 *Citatus extra locum, an teneatur comparere: remissivè.*
199 *Nisi aliquando accipitur impropriè.*
200 *Consensus partium prorogare potest jurisdictionem.*
201 *Consensus partium aliquando relaxat legem.*
202 *Delegatus extra non potest subdelegare.*
203 *Partes invito judice non possunt facere ut causa audiatur extra.*
204 *Consensus tacitus non sufficit.*
Et processus ex eo factus est nullus.
205 *Ad prorogandam jurisdictionem non semper est necessarius consensus expressus.*
206 *An subrogatum debeat habere easdem qualitates.*
207 *Dictio* dumtaxat: *habet varias significationes.*
208 *Subdelegatus debet habere qualitates delegati in hoc casu.*
209 *Delegatus non potest extra delegare.*
210 *Delegatus certum aliquem articulum potest subdelegare non servata forma textus.*
211 *In quibus executoribus locum habeat hac constitutio.*
212 *Locum non habet in consultore.*

184 IN §. *Cùm verò*, decreverat Pontifex, quod etiam ubi actor & reus sunt ejusdem civitatis, seu Diœcesis in quinque casibus ibi exceptis, possit actor impetrare judices extra Diœcesim rei. Et in §. *Cùm autem*, hoc idem decreverat fieri posse, quando actor & reus sunt diversarum civitatum, seu Diœcesum, dummodò tamen locus ad quem reus trahitur, non distet à fine Diœcesis illius ultra dietam. Hoc stante, ut Ancharanus advertit, duplex dubium remanere poterat, Primum an locus iste ad quem trahi potest reus, sit quicumque locus non distans à Diœcesi rei ultra dietam, vel potius limitatè, & determinatè sit locus, scilicet, civitas, vel Diœcesis, in quibus judex deputatus est. Secundum est, an locus, in quo causa subdelegari potest, & personæ quibus eadem causa potest item subdelegari, habere teneantur qualitates contentas in principio hujus textus *in verb. non audiantur &c.* Hæc verò dubia tollit duabus regulis.

185 Prima regula est, quod in nullo casuum prædictorum in quibus reus trahi potest extra propriam civitatem, aut Diœcesim, judex extra civitatem, aut Diœcesim in qua fuerit deputatus citet partes, nec causam audiat, nisi de expresso partium consensu. Secunda Regula est, quod delegatus alibi, quam intra civitatem, aut Diœcesim in qua fuerit deputatus, & personis suprà in principio designatis non committat quomodolibet vices suas.

Loquitur textus restrictè de casibus illis positis in §. *si verò*; Nam multi alii sunt casus, in quibus determinatio hujus capitis locum non habet, unde nec habent locum hic statuta in casibus, quos casus suprà recensuimus, ut sunt causæ matrimoniales, quæ extra ad quamcumque distantiam alteri Episcopo committuntur, si contingat eas devolvi per appellationem à sententia Episcopi proprii. Item si causa tractanda sit in curia. Item si quis sit delegatus in tota Provincia: si de consensu partium sit delegatus judex ultra dietas: seu si sit delegatus de scientia Papæ. Et nihilominus in his, & similibus casibus non per omnia delegatus erit exemptus à determinatis in hoc §. Nam verbi gratia licet delegatus impetratus ultra dietas de consensu partium, vel datus de scientia Papæ, vel cum clausula *dummodo non ultrà tres dietas trahat reum*, non sit obligatus ad unam dietam, tamen non poterit citare reum extra locum sibi deputatum, quia quantum ad hanc partem non est exemptus, seu dispensatus in lege hujus, *cap. Pariter*, nec poterit, vel audire causam in locis non insignibus, vel eam in similibus locis, aut personis non qualificatis subdelegare; quia ex vi literarum illarum, solum super distantia dietæ dispensatur, non super aliis. Similiter si causa tractanda sit in Curia; delegatus poterit quidem citare reum ad Curiam ex quacumque distantia, sed non poterit citare extra Curiam. Sic etiam delegatus datus super toto regno aliquo etiam ad universitatem causarum, licet quacumque distantia possit citare reum, nec ad leges dietæ intra suam Provinciam sit ligatus, tamen nunquam poterit subdelegare, nisi personis habentibus qualitates in princip. hujus cap. absolutè requisitas in delegato & subdelegato Sedis Apostolicæ, aut legatorum illius. Nisi simus in causa, quæ hujusmodi qualitates non requirat. Sicut est causa fidei; Non enim est necesse quod Inquisitores fidei sint Prælati, seu dignitate Ecclesiastica constituti, aut Personatum habeant, aut sint Canonici alicujus Cathedralis, ut possint esse Inquisitores. Nec Episcopus, cui delegata est causa matrimonialis poterit eam subdelegare extra suam Diœcesim, etiam si esset delegabilis, vel personis non habentibus qualitates hic expressas: in hujusmodi ergo casibus considerandum erit sub qua ratione non comprehendantur, aut comprehendantur sub hoc capite. Quia lex eximens ab uno ex pluribus statutis, non ex hoc eximit ab omnibus. 186

Adverbium autem *extra* significat rem esse deforis, & cum aliquo intervallo à re respectu cujus aliquid dicitur esse extra, ut notant Archid. *n.* 11. Jo. Andr. *n.* 9. Domin. *n.* 2. qui advertunt etiam quod aliquando sumitur pro *præter*, & aliquando pro *contra*. 187

Non potest ergo delegatus extra locum, in quo fuit deputatus exercere jurisdictionem suam & reum citare, & causam audire. Est ergo hic considerandum primò, tria requiri in delegato, ut possit suam exercere jurisdictionem. Primum quòd non absit à loco, in quo fuit deputatus, seu in quo facta fuit commissio. Secundum quòd locus judicis non distet ultra dietam à fine Diœcesis ipsius rei. Tertium, quod ille locus sit insignis, ita quod ibi sit copia peritorum, Dom. *n.* 8. Fran. *n.* 4. Et ubi contingeret locum esse insignem, sed in eo deesse copiam peritorum, non posset in eo audiri causa. 188

Ex hoc deducitur ad valorem processus maximè attendi debere locum commissionis, non tamen ad latitudinem Diœcesis, Joan. Andrea *numer.* 9. Domin. *numer.* 3. Franc. *num.* 4. Attendi quidem debet locus commissionis, quia attendi debet Diœcesis in qua deputatur delegatus, ita quòd non possit ipse extra Diœcesim, in qua fuit deputatus, citare reum, vel causam audire. Et sic dictio *extra* respicit civitatem, aut Diœcesim, in quibus deputatus fuerit. Sed tamen non attenditur latitudo Diœcesis. Nam si delegatus habitet in Diœcesi in loco, qui sit ultra dietam à fine 189

Diœ-

Diœcesis ipsius rei, potest ipse se ad illam Diœcesim appropinquare, & in loco insigni intra dietam existente causam audire.

190 Et sic habetur intelligentia illius quæstionis, an commissio possit fieri ultra dietam à Diœcesi ipsius rei. Non enim potest fieri in Diœcesi cujus fines distent à fine Diœcesis ipsius rei plus quàm per dietam, ita quod inter Diœcesim, & Diœcesim sit major distantia quàm dieta. Sed benè commissio potest fieri ad locum distantem ultra dietam in Diœcesi tamen positum, quæ ultra dietam non distat. Tunc verò sufficit, quod delegatus habitans ultra dietam à fine Diœcesis ipsius rei, accedat ad Diœcesim ad locum insignem existentem infra dietam, & ibi causam audiat.

191 In quo casu impetrans judicem tenetur ad subministrandum judici expensas necessarias ad hoc, ut à loco suæ habitationis discedens, in loco insigni non ultra dietam manere possit, & ibi causam audire. Et sibi imputare debet, si ad has expensas tenetur, qui talem judicem impetravit, & non alium, qui intra dietam existeret. Jo. de S. Greg. quem sequitur Dom. *n.* 3. Franc. *n.* 4.

192 Ubi verò in eadem Diœcesi, in qua judex deputatus fuit intra dietam sint plura loca insignia, in quibus potest audiri causa commissa, potest ne delegatus invitis partibus in quocumque illorum causam audire, & ad illum partes citare? Affirmat Dom. *num.* 3. & etiam Anchar. *in princip.* Unde juxta hanc sententiam Deputatus existens in civitate, potest extra illam in loco insigni erigere suum tribunal. Vel è contra habitans in loco insigni extra civitatem, potest tribunal erigere in civitate, etiam partibus invitis, dummodò locus audientiæ intra dietam constituatur.

193 Discrimen verò ponitur, quoniam si sine necessitate delegatus extra locum suæ habitationis alibi causam audire velit, partes non tenentur ad expensas, quæ fiunt, ex eo quod judex maneat extra locum suæ habitationis, ad quas tamen teneretur impetrans, si id fieret ex necessitate. Ut quia locus habitationis delegati non est insignis, & ideò ad locum insignem se transferre debeat, ut ubi causam audiat. In quo casu, si iste judex malitiosè, si causa eligeret locum à sua habitatione magis distantem, v. g. ut magis lucraretur, posset per superiorem cogi ad eligendum viciniorem, & partibus magis idoneum, Dom. & Ancharan. citati.

194 Francus *num.* 4. requirit ad hoc justam causam, & vult quod sine justa causa non possit judex intra eamdem Diœcesim & dietam invitis partibus erigere tribunal, ubi voluerit. Et fundat se super hoc textu, quia non potest Judex extra locum commissionis audire causam & citare partes nisi de consensu partium expresso. Sed in hoc Franc. non benè ponderat textum. Nam per locum commissionis non intelligitur particularis locus in Diœcesi constitutus, sed vel civitas, vel Diœcesis; in textu enim mandatur ne Judex citet extra civitatem, vel Diœcesim, in quibus fuerit deputatus. Si igitur judex determinatè & taxativè fuerit deputatus in civitate, tunc verum est, quod invitis partibus non potest extra civitatem partes citare. Sed in hoc casu, neque hoc potest facere ex justa causa, nisi partium expressus consensus accedat. Unde verò colligi possit, quod deputatio facta sit pro civitate, ut distinctæ à Diœcesi, colligendum erit ex verbis commissionis. Sed si locus deputatus sit Diœcesis, tunc liber est Judex, ut in quocumque loco Diœcesis, qui sit idoneus suum tribunal erigat, etiam partibus invitis.

195 Quamvis si malitiosè id faceret, in grave partium præjudicium, posset per superiorem cogi ut locum partibus benè visum eligeret. In quo tamen distingui deberet validitas actorum, & eorum rectitudo, seu bonitas moralis. Nam etiamsi malitiosè & ex odio, ut defatigaret aliquam partium id faceret, citatio tamen, & processus subsequens valeret, quia citatio fieret intra dietam & in loco commissionis. Peccaret tamen delegatus, si sine justa causa cum notabili damno partium eis invitis alicubi causam agitari vellet. Et ad minus hoc esset contra charitatem. Et posset per superiorem cogi, ut in loco partibus commodiore causam audiret.

196 Advertit verò Panormit. *in cap. olim*, *num.* 6. *de except.* Quod videtur facta commissio in certo loco, non solùm quando hoc exprimitur, sed etiam si in commissione exprimatur Diœcesis judicis. Et si dicatur in tali loco commoranti, potest tunc cognoscere in loco moræ, licet non sit intra suam Diœcesim. Quod confirmat *ex cap. fin. de rerum perm.* ubi idem tenet Jo. Andr.

Citare autem debet intra civitatem, vel Diœcesim, in qua fuit deputatus; aliter nulla est citatio, & nullus processus, Gloss. Archid. *num.* 11. Dom. *num.* 8. & reliqui omnes. 197

Hic verò quæritur an citatus extra debeat comparere, ut ostendat privilegium suum, seu quod comparere non tenetur. Sed de hoc latè dixi *tom.* 3. *de stat. in tract. de profess. quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 10. *quæst.* 5. *num.* 700. *& seq. pag.* 305. & videri potest Barbosa in præsenti textu. 198

Advertit quoque Archid. *num.* 11. quod hæc dictio *nisi* aliquando accipitur impropriè. Hic tamen sumitur exceptivè. Et sic excipitur expressus consensus partium. 199

Ex quo nonnulla colliguntur. Primum quod partium consensus potest prorogare jurisdictionem judicis, quia in textu conceditur, quod judex de consensu partium possit causam delegatam audire extra locum deputatum. Sed certè ubi judices habent ex vi delegationis suæ jurisdictionem limitatam, cum decreto irritanti, regula illa locum non habet, vel nisi in casibus in jure ipso expressis. Sicut in præsenti textu exprimitur quod delegatus possit extra locum sibi deputatum citare de expresso consensu partium. 200

Quod etiam advertit Jo. Monac. *num.* 17. & considerat ex eo, Jo. Andr. scilicet, quod de consensu partium aliquando relaxatur jus, verificatur ubi jus continet purum favorem privatum partium, cui illæ possint renunciare. Et tamen ulterius est considerandum, quod ubi jus (ut fit in hoc cap.) irritans attentata in contrarium expressè in aliquo casu excipit consensum partium, signum est, quod lex non vult ut in aliis casibus consensus valeat relaxare legem, quia exceptio firmat regulam in contrarium, & ex quo expressè in uno solo, vel aliquibus casibus expressis admittit posse aliter fieri de partium consensu, satis significat mentem suam esse, ut in aliis casibus, nec de partium consensu aliter fieri possit. 201

Advertit quoque Jo. Andr. *d. num.* 10. hic concedi solum, quoad citationem, & auditionem causæ, quod de consensu expresso partium delegatus possit extra civitatem, vel Diœcesim, in qua est deputatus, citare, & causam audire. Sed non sufficit partium consensus ad mutandum quomodocumque locum, vel personas. Unde delegatus non posset etiam de consensu partium subdelegare causam extra civitatem, vel Diœcesim, vel personæ non habenti qualitates ex hac decretali requisitas. Et hoc idem sentiunt Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 1. Dom. *num.* 7. Franc. *num.* 3. 202

Hic etiam quærunt DD. an invito judice partes possint convenire, ut citetur, tractetur causa extra. Benè verò respondent id fieri non posse: Nam & à quo audietur causa, si judex illam nolit audire? si tamen judex de facto citaret extra censeretur consentire, & valeret citatio, Arch. *num.* 11. ex Host. Anchar. *num.* 3. Domin. *n.* 8. Franch. *num.* 5. 203

Secundum quod in d. nomine *expressus* notatus est, quod in præsenti casu partium consensus tacitus non sufficit, sed requiritur expressus. Unde si judex non præmisso expresso consensu citaret extra, & de facto partes non contradicendo convenirent, & Judex causam ipsis partibus non contradicentibus audiret, & definiret; totum esset irritum, & inane, Gloss. hic Archid. *num.* 11. Dom. *n.* 3. & 8. Franc. *num.* 5. Quod Gloss. Archid. & Dom. extendunt, ut sit verum, etiam si adsit expressus unius partis consensus. Deducunt quoque Dom. & Franc. quod processus factus partibus consentientibus non validat judicium, quando judex caret jurisdictione, licet procedendo ad ulteriora, videatur tacitè pronunciare se judicem competentem secundùm Gloss. *notat. in l.* 2. §. *sed si dubitetur*, *ff. de judic.* 204

Deducit etiam Barbosa *num.* 61. quod ad prorogationem jurisdictionis requiritur consensus expressus. Sed hoc est verum hic, quia sic decernitur, non quia consensus tacitus non possit id præstare. Et hæc de prima regula. 205

Se-

206 Sequitur secunda regula textus, continens quod delegatus, non possit subdelegare, nec in alio loco, nec aliis personis à supra designatis. Colligunt verò ex hac regula, quod subrogatum in locum alicujus debeat habere illas qualitates, quas debet habere id, in cujus locum subrogatur. Unde deducunt Episcopum, ad quem devoluta est electio, debere eligere personas illius qualitatis, cujus debebat esse electus ab electoribus, Archid. *num.* 11. Dom. *num.* 2. Franc. *num.* 2. Barbos. *num.* 62. Verùm potius ex hoc textu oppositum deducitur. Nam si ex natura rei, vel ex jure communi subrogatum deberet habere qualitates, quas debet habere id, in cujus locum subrogatur, non fuisset necesse, quod hic textus exeresè decerneret, quod subdelegatus debeat habere qualitates delegati. Et quod dicitur de electione verum est, sed quia alia jura volunt quod electus, à quocumque eligatur, habeat illas qualitates. Quamvis nec propriè electus ab Episcopo, sit subrogatus ei, qui eligendus erat ab electoribus. Ita ubi detur lex, quod electus ad aliquod officium absolutè habeat aliquas qualitates, illas tenetur habere etiam subrogatus, sed absolutè, & universaliter & ex vi subrogationis id non est necessarium, sed benè potest esse, quod in principali sit necessaria aliqua qualitas, quæ non requiratur in subrogato, si subrogatum non sit æquè principale.

207 Secundum Archid. autem adverbium *dumtaxat* aliquando significat idem, quod sine præjudicio, & aliquando idem quod tamen, & aliquando, sicut hic, idem quod tantum, Jo. Andr. *n.* 10.

208 Et sic delegatus non potest subdelegare nisi personis designatis in principio textus, nimirum personis, quæ dignitatem, vel personatum habeant, vel sint Canonici Cathedralis, Gloss. & reliqui.

209 Et quidem quomodolibet seu quovis modo. Unde colligitur delegatum non posse extra, vel aliis personis, quam expressis subdelegare, etiam de consensu partium, ut supra est dictum.

210 Dicitur verò, quod non potest subdelegare vices suas, id est, totalem, scilicet suam jurisdictionem, secùs si audientiam, vel certum aliquem articulum, sine jurisdictione, Gloss. Archid. *n.* 11. Dom. *n.* 8.

211 Idem verò dicendum de non meris executoribus; De quo puncto latè agunt Dom. *num.* 8. Franc. *num.* 6. Et sæpiùs Rota, ut videre est *decis.* 31. *&* 32. *de rescript. in antiq. & decis.* 29. *&* 30. *eodem tit. in nov. & in antiq. decis.* 1. *de off. deleg. & latè decis.* 55. *de concess. prabend.* Marches. *de commiss. par.* 1. *cap.* 2. *à num.* 42. Ex quibus locis habetur, quod ubi in literis est clausula *vocatis vocandis*, executor non est merus executor, sed judex, & universaliter executores literarum justitiæ, sunt simul judices; & ideò in talibus executoribus locum habet hæc constitutio. Non habere verò locum in literis executorum gratiæ, dicit hic Jo. Monach. Rota *d. decis.* 55. *de concess. Prabend.* Marches. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 142. Sed distinguendum est, quia aliquando dantur hujusmodi executores in judices, & sic ex literis necessariò jurisdictione utuntur, & formam judicii servant. Et in his quoque executoribus servanda est hæc decretalis. Sed alii ex vi literarum, ad formam judicii servandam non necessitantur, & de istis dicunt stylum curiæ esse, ut servetur hæc decretalis, non quantum ad loca, sed quantum ad personas, nimirum, ut non committatur hujusmodi executio, nisi personis habentibus qualitates hic expressas. Verùm benè notat Rota *d. decis.* 55. *de concess. praben. in antiquis*, quod hoc non habet vim ex hoc cap. & quod si fieret aliter non haberet locum pœna, seu nullitas in fine hujus cap. statuta. Sed & de stylo hoc non procedit in subdelegatis; quia hujusmodi nudæ executiones, nudum ministerium importantes, etiam simplicibus Clericis subdelegantur. Sed si hujusmodi executores ea se formam judicialem assumant, & juridicè procedant, sicut facere possunt ex vi *cap. fin. de jud.* si contingat suscitari contradictorem adhuc non tenentur ad formam hujus constitut. quia hoc est quoddam accessorium non necessarium, constitutio verò loquitur de literis causas committentibus. Nihilominus Dominicus tenet, quod hic executor debeat subdelegare in loco vicino infra dietam, vel illuc accedere, ne partes fatiget. Sed Franc. existimat, quod hoc non potest facere, quia non potest citare extra locum deputatum, nec subdelegare nisi personis hic expressis. Sed cùm in istis executoribus gratiarum non habet locum *hac constit.* per, Jo. Mon. & Rot. *d. d.* 55. quantum sit ex vi ejusdem constit. non erunt obligati, vel ad loca, vel ad personas. Quamvis aliàs in locis stylus curiæ sit attendendus, & servandus.

In additione etiam ad Rotæ *decis.* 30. *de rescript. in novis* 212
dicitur, quod fuit obtentum, quod compulsor licet citet testes, deferat juramentum, compellat, excommunicet, non comprehendatur sub hac decretali, ex eo quia forma compulsus habeat contrarium, cùm dirigatur simplicibus clericis.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Insuper.

SUMMARIUM.

213 *Continuatio ad supradicta.*
214 *Regula posita in textu.*
215 *Dictio* insuper *significat diversa & principalia.*
216 *Dictio* gratis, *significat quod datur sive intuitu præmii.*
217 *Judicium gratis præstandum.*
Datur gratis, quod non datur nisi recepto sustentamento.
218 *Judex corruptus dicitur, si illi datur pro justa sententia.*
219 *Multa remissivè.*
220 *Nulla pars judicii vendi debet.*
221 *Judicium multipliciter dicitur.*
222 *Nullum munus potest delegatus accipere.*
223 *Levia in parva quantitate recipi possunt.*
224 *Quid sit consumi posse paucis diebus.*
225 *Levia quare recipi possunt.*
226 *Sola data ex pura liberalitate recipi possunt.*
227 *Judex recipi expensas, si extra domicilium proficiscitur.*
228 *Si absentia sit necessaria.*
229 *Expensæ debent esse moderata.*
230 *Quid veniat nomine expensarum.*
231 *An sub nomine expensarum veniant damna.*
232 *Utraque pars tenetur ad expensas, si judex est impetratus de consensu utriusque.*
233 *Pro eo quod fit ex causa unius partis expensæ ab illa debentur.*
234 *Etiam si judex sit ab una parte impetratus, expensæ debentur ab utraque.*
235 *Judex iste, non potest recipere sportulas.*
236 *Verbum præsumat regulariter sonat in malam partem.*
237 *Delegatus iste nec sponte oblatum potest recipere.*
238 *Ex sola utilitate causæ potest delegatus exire à propria domo.*
239 *Discrimen inter occasionem & causam.*
240 *A pauperibus non recipiuntur expensæ.*
241 *Quis dicendus sit pauper.*

CUm Pontifex in superioribus disposuerit de personis, 213
quibus committendæ sint causæ Ecclesiasticæ, & de locis, in quibus hujusmodi causæ audiri, & definiri possint, modò agit de puritate, & sanctitate, cùm qua hujusmodi causæ cognoscendæ sint per delegatos, Assessores, & Notarios. De tempore verò causarum cognoscendarum nihil dicit, quia ut Gloss. advertit satis per jura antiqua provisum erat *cap. ultim. de fer. & cap. consuluit, de offic. delegat. & in Authent. de judic. §. sedebunt, collat.* 6.

In

214 In hoc igitur, §. *decernit*, quod judices delegati nullum munus, vel quidquid aliud à partibus recipere præsumant, nisi esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi possint, si tamen mera liberalitate offerantur, & nisi moderatas expensas, si contingat eos propter causam extra domicilium proficisci; & tunc præcipit modum expensarum non excedere, nec plus ab una, quàm ab alia parte recipere, & nec extra casum utilitatis aut necessitatis causæ occasionem proficiscendi à domicilio, non pro habendis expensis assumere & ubi litigantes sunt notabiliter pauperes, nec pro expensis aliquid ab eis exigere.

215 Quia autem dictio *insuper* importat diversa & principalia, non autem quæ solùm partialiter sint distincta, Flamin. *de resignat. benef. l.* 11. *q.* 11. *num.* 18. Barbosa *hic num.* 70. *& dict.* 146. Ex hoc ostenditur, quod in hac parte decretalis hujus quid diversum, & valdè principale decernitur.

216 Et quia adverbium *gratis* est adverbium qualitatis, & significat idem, quod sine merito, sine præmio temporali, quod scilicet non fit, aut datur intuitu pretii, seu quod non venditur, *cap. gratia, cap. quidquid, cap. emendari, cap. dictum, & cap. baptizandis* 1. *q.* 1. *& cap. dilectus el* 2. *sup. de Simon. & cap. cum ab omni sup. de vit. & honest. cler. & cap. qui rectè* 11. *quæst.* 3. *& cap. ult.* 14. *quæst.* 5.

217 In hoc sensu judicium gratis reddi debet, & indignum prorsus est, quod illud judex vendere velit, *cap. non licet* 11. *q.* 2. *non sanè* 14. *q.* 5. *cap. cum ab omni, de vit. & honestat. Cleric.* Gloss. Arch. *num.* 11. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 1. Dom. *num.* 1. Franc. *num.* 1. Cùm tamen liceat delegato ex utilitate causæ egredienti extra domicilium recipere expensas; colligitur, quod stat aliquid præstari gratis & ex liberalitate mera, & tamen non præstari nisi recepto sustentamento vitæ, ut hic advertit Anchar. *num.* 5. Sic enim & sacramenta ministrantur gratis, & gratis celebrantur Missæ, & sine Simonia, ut cum D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. tradunt DD. omnes, & tamen id non faciunt sine sustentamento recepto à fidelibus. Recipitur enim sustentamentum, non tanquam pretium, sed tanquam unum de mediis necessariis ad Sacramentorum administrationem, ad hoc enim vita ministrorum est necessaria, quæ sine sustentamento evanescit.

218 Est verò adeò necessarium, ut judicium fiat gratis, quod si detur aliquid judici, ut ferat sententiam etiam justam, judex dicatur corruptus, & sententia sit ipso jure nulla, secundùm Anch. hic *n.* 1. & Franc. item *n.* 1. Qui id probant, *ex text. in l. Venales, C. de sentent. & l.* 2. *ff. de condit. ob turpem causam*. Sed de hujus sententiæ nullitate alibi erit locus tractandi.

219 Et quid dicendum si sententia lata fuerit precibus vel amicitia: *Vide in l. servo §. Cum pretor ff. de treb.* Et quid, si fuerunt testes corrupti. *Vide in l.* 1. *ff. de fals. & in cap. licet causam sup. de probat.* Et quid si fuit corruptus Advocatus: *Vide in l.* 1. *C. de Advoc. divers. jur.* Et quid de Notario: *Vide in l. fraude ff. de jure Fisci*: Et de his omnibus *in cap.* 1. *inf. de re judic.*

220 Judicium quoque reddi debet cum puritate, scilicet munditia, & serenitate conscientiæ, Gloss. & Archid. *num.* 11. Est autem hoc universaliter intelligendum respectu judicii totius, & cujuslibet partis ejus, & ita ut nulla sit judicii pars, quam judex vendat, & quæ ex munda, pura, & serena conscientia judicis, & ministrorum non procedat, Anchar. *n.* 2. Butr. *n.* 4.

221 Multipliciter etiam accipitur judicium, ut advertunt Gloss. & Archid. sumitur enim aliquando pro deliberatione & rationis usu, & discussione, *cap.* 1. *dist.* 62. *& cap. de Petro dist.* 47. Aliquando pro sententia, *ut cap. Neophytus dist.* 61. aliquando pro pœna *cap. Et purgabit dist.* 50. seu pro condemnatione. Aliquando verò sumitur, ut importat, quidquid præcedit sententiam diffinitivam, *cap. sicut* 2. *q.* 1. & sententiam ipsam; *cap. Præcepta* 23. *q.* 4. Et sic sumitur in præsenti, prout in materia justitiæ administrandæ importat totum processum ab initio usque ad sententiam; Qui processus totus in qualibet sua parte debet esse mundus ab omni venalitate, & impuritate.

222 Aliquando, quoque hoc nomen munus significat officium, *ut cap. priscis* 55. *dist.* Sed hic sumitur, ut est idem, quod donum: distinguitur verò in munus à manu, & à lingua, & ab obsequio; ut videre est in materia Simoniæ, & comprehendit quidquid alicui dari potest in ejus utilitatem, sive hoc sit pecunia, seu quæcumque alia res pretio æstimabilis, sive sit aliquod linguæ obsequium, sive quodcumque aliud obsequium alteri præstitum. Judex verò nullum omninò munus potest accipere, ut sit talis, de quo dici possit illud Isaiæ 33. *Qui excutit manus suas ab omni munere &c. iste in excelsis habitabit*, & qualem desiderabat S. Gregor. ut habetur *cap. qui rectè* 11. *q.* 3. Et propterea in textu dicitur nullum munus, vel quicquam aliud ut omninò cujuscumque rei pretio æstimabilis receptio prohibita intelligatur delegato sedis Apostolicæ.

Permittitur verò recipi esculentum, & poculentum 223
liberè donatum. Esculentum dicitur quidquid est comestibile, & poculentum, quidquid est potabile. Hujusmodi ergo non prohibentur recipi, sed sub duplici conditione. Prima est, ut recipiantur nonnisi in parva quantitate, tali scilicet, quæ paucis diebus consumi possit.

Qui verò judicandi sint pauci dies, arbitrio prudentis re- 224
mittitur, & ad minus duo dies excluduntur, ut sine dubio paucis diebus consumi posse, dicatur, quod potest duobus diebus consumi, Gloss. & Archid. *num.* 12. Non est verò necesse, quod consumatur actu, sed quod sit tale, quod possit consumi, Jo. Andr. *num.* 12. Butr. *n.* 3. Dom. *num.* 4. & non interest an res sit consumabilis à Judice ipso, vel ab illis, qui sunt de ejus familia, vel etiam ab animalibus ejus, ut ab equis, Jo. Andr. *num.* 11. Dom. *num.* 4. Nam v. gr. si Judex sit Religiosus, cui ex regula interdictum sit comedere carnes, & ei donentur coturnices, vel judici sæculari donetur fœnum pro equis, vel alia hujusmodi comprehenduntur sub esculento, aut poculento, & censentur data in parva quantitate, si in paucis diebus consumi possint. Sed non à pluribus, sed ab uno. Nam alias magna quantitas à pluribus uno die consumi potest.

Esculenta verò & poculenta dicuntur etiam Xenia, & 225
permittuntur recipi in parva quantitate, quia non præsumitur quod parva comestibilium quantitas possit movere animum judicis ad injustitiam, ut ex Dom. *num.* 8. considerat Franc. *num.* 2. unde hujusmodi Xenia, nec veniunt sub nomine lucri. Sic ergo ubi est parva quantitas rei comestibilis etiam in dubio non præsumitur fraus. Sed ubi aliundè haberetur animus venalis judicis recipientis, nihil interest an parum detur, vel multum, Butr. *num.* 5. cùm jam de malo animo recipientis constet. Et indignius est cùm minus recipitur, quia & signum pejoris animi est, quod quis etiam pro minima re à justitia recedere velit.

Altera verò conditio est, ut esculentum, quod datur, 226
ex mera, pura, & sincera liberalitate detur. Et sic judici non licet hujusmodi Xenia petere, vel qualitercumque directè, vel indirectè agere, ut sibi dentur, sed solùm ex pura, & sincera liberalitate oblata potest recipere, Gloss. Archid. *n.* 12. Jo. Andr. *num.* 11. Butr. *n.* 3. Dom. *n.* 4. Barbos. *num.* 42. Silvest. *v. Judex primò n.* 13. Tabien. *n.* 6. Armill. *num.* 8.

Præter esculentum verò & poculentum Judex potest 227
etiam recipere expensas. Sed hoc non semper, & nonnisi sub aliquibus conditionibus. Primò hoc non permittitur, nisi ubi judex cogitur exire à proprio domicilio. In hoc enim casu rationabiliter ei permittitur recipere expensas, quia tunc cogitur magis expendere, quàm faceret in propria domo, nec ratio postulat, ut Judex pro aliis patiatur damnum; & quia etiam non sine incommodo sui & familiæ, & suarum rerum judex abest à proprio domicilio.

Conditio verò, sub qua has expensas potest recipere est, 228
quod absentia sit propter utilitatem, aut necessitatem causæ; ita quod absentia ista debet esse necessitata ex causa ipsa, quæ à judice intra proprium domicilium commorante non possit audiri. Unde si judex ipse liberè sine necessitate extra proprium domicilium causam audire vellet, nullas posset recipere expensas, Gloss. Archid. *num.* 12. Vel si ob aliam causam extra maneret. Sicut si scholari existenti in universitate committeretur aliqua causa, quia ille extra domum, & patriam suam est causa studii, & non ex

necessitate causam audiendi, expensas recipere non posset, nisi ut habet Silvest. *v. Iudex p. num.* 13. scholaris absoluto studio, ob cognoscendam causam ibi detineretur.

229 Et nihilominus in hoc casu non quaslibet expensas, sed moderatas, spectata persona, & loco, & aliis circumstantiis recipere potest. Hæ sunt expensæ, quæ supra *in §. Cùm vero*, dictæ sunt legitimæ, quæ scilicet, ut habet Archid. *n.* 12. sunt competentes & secum nec damnum ferentes, nec lucrum, seu ut habet Gloss. minores quas potest facere, seu ut ait Archid. *n.* 52. *in v. provisurus* quas regulariter consueverit facere.

230 Non debere verò ab his expensis diminui id, quod judex in propria manens domo expendisset, placet Gloss. Anchar. *num.* 6. Butr. *num.* 6. Dom. *num.* 8. Franc. *num.* 8. Silvest. *v. judex p. num.* 1. *& v. secundum*. Etiam si delegatus sit Diœcef. quidquid in contrar. videtur dixisse Hostien. *in cap. cum ab omni de vit. & honest. Cleric.* Nomine verò expensarum hic venit quidquid est necessarium pro victu, & ductu ad locum, in quo causa debet audiri, nimirum pro equis, vel curribus, aut navi, & victu in itinere.

231 Sub nomine verò expensarum non venire damna, si quæ contingat judicem pati, occasione ipsius causæ, ut si infirmetur, & necesse sit, quod post expeditionem causæ detineatur extra domum; vel si in itinere expoliatus fuerit, vel equi ejus mortui fuerint, dixerunt Butr. *num.* 7. Anchar. *num.* 6. Dom. *num.* 8. Sed Franc. *num.* 9. excipit damna quæ probabiliter timeri, & prævideri potuerunt; ut si iter periculosum erat, quia grassatoribus frequentatum. Sed ex Host. Silvest. *v. Iudex primò, num.* 14. *v. secundum* ait hunc Judicem, si fuit coactus trahere moram longiorem extra domicilium suum, quod à partibus possit petere, quod plus expendit, quàm expendisset, si fuisset domi. Sed hic distingui debet lex positiva, à lege naturalis justitiæ. Ex lege positiva hujus canonis partes non tenentur ad damna, quia hæc non veniunt sub nomine expensarum. Ex lege autem justitiæ, si damnum merè accidentaliter se habet ad causam & existentiam Judicis extra suum domicilium, partes ad illud damnum non tenentur, cujus non fuerunt causa, & quod accidentaliter & casualiter advenit. Et sic si casu, vel judex infirmatus fuit, vel aliquis de ejus familia, & ob hoc ille fuit coactus moram longiorem trahere, ad nihil tenentur partes, quia hoc per se non habet connexionem cum causa, sed si damnum, vel ejus periculum pensatis circumstantiis loci, & temporis habet per se connexionem cum causa, seu existentia extra domicilium ex vi causæ, tunc partes, quæ sunt causa existentiæ judicis extra proprium domicilium, sunt simul causa, vel periculi, vel damni, & ideò judex potest exigere tantum, quantum moraliter æstimatur illud periculum, vel damnum. Et de omni nocumento, quod ex dicta causa possit probabiliter timere, potest cum partibus convenire, & indemnitatem suam procurare. Sic enim & in mutuò potest ultra sortem aliquid recipi pro lucro cessante, & damno emergente. Cæterùm ad damna, quæ Judici advenerunt, vel ex sua culpa, vel ex causa aliena, vel à casu, partes non tenentur, quia ipse non fuerunt causa talium damnorum.

232 A quo autem hujusmodi expensas possit delegatus recipere est aliqualiter controversum. Et quidem, si delegatus sit impetratus de consensu utriusque partis, non est dubium, quod ambo tenentur pro rata sua has expensas solvere; cùm fiant pro causa communi, & de ambarum partium consensu sit impetratus judex, qui necessariò, ut causam judicet debet à suo domicilio proficisci.

233 Unde conveniunt etiam DD. quod si contingat, quod solum ob causam unius partis judex debeat à propriis laribus egredi, tunc expensæ ab illa sola parte debeantur, sicut enim si deberet mitti ad litigatorem absentem, ut juret de calumnia, vel respondeat articulis, deberet mitti expensis absentis, etiam si ille actus concernat utilitatem præsentis, quia per absentiam unius ex litigatoribus non debet fieri deterior conditio alterius: *ut not. in l.* 2. *ff. qui ex caus. in pos. ea.* Ita eadem ratione si fortè oporteret judicem proficisci extra domicilium ad examinandos testes unius partis, non haberet locum quod hic dicitur de expensis communiter faciendis. Et sic iste textus debet intelligi sicut sonat, quando scilicet judex exit propter causam communem, ut si exeat pro examinandis testibus utriusque partis, vel oculis visitet aliquem locum, & confines rei, de qua est lis inspiciat, aut ponat.

Sed quando una sola pars impetravit judicem, videri posset, quod tunc illius esset expensas solvere, quæ elegit judicem, quem oportet proficisci à proprio domicilio. Et quidem in casu, quod actor impetret judicem intra Diœcesim aliquam, sed habentem domicilium ultra dietam à Diœcesi, & propterea necesse est, ut proficiscatur à proprio domicilio, ut se transferat intra dietam, quod solus impetrans teneatur ad expensas, voluerunt Jo. Andr. *in §. In nullo, & cap. Cùm olim de except.* & hic Butr. *num.* 9. Anch. *num.* 6. Dom. *num.* 10. Franc. *num.* 11. Verùm obstat hic textus, in quo decernitur quod judex non plus ab una, quàm ab alia partium recipiat, quia commune negotium gerit. Nec obstat, quod judex sit impetratus ab una parte, quia non judicat, nisi alia consentiat, & sic eo consensu fit communis judex ad commune negotium deputatus. Et ideò quod etiam si judex ab una parte solùm sit impetratus, quod communiter sit procurandus docet Archid. *n.* 12. *v. dicens igitur*. Quod & ex Gul. approbavit Silvest. *v. Iudex p. n.* 14. *ver. secundum*. 234

Ex hoc etiam colligitur delegatum Sedis Apostolicæ, nec posse recipere sportulas; quoniam prohibetur præter moderatas expensas aliquid qualitercumque recipere, Gloss. Archid. *num.* 12. De hac verò materia tractantes videri possunt plures DD. quos hic refert Barbos. *num.* 76. 235

Non dicitur autem, quod Judex non accipiat munera, sed quod accipere non præsumat. Et hoc verbum *præsumat* vitium significat, & in malam partem sumitur regulariter, & denotat vitium præsumptionis, *cap. quæ contra mores, dist.* 8. *& cap.* 2. *dist.* 10. *& cap. Multis, dist.* 17. Et nihilominus aliquando etiam bonum actum significat *cap. ad ejus, dist.* 54. *cap. Monachum* 16. *q.* 1. Gloss. hic Archid. *n.* 12. Barbos. *n.* 77. 236

Præcipitur etiam ne delegatus plus ab una partium exigat, quàm ab alia. Hoc extendunt, ut nec spontè oblatum recipiat, Archid. *num.* 12. Jo. Andr. *num.* 12. Anchar. *n.* 6. Sed extentionem non approbat Dom. *n.* 6. Et verè ex vi præcisa verbi non exigat, non potest extendi, ut intelligatur prohibitum etiam recipere spontè oblatum. Verùm si consideretur, quod spontè oblatum plus quàm pars teneatur dare est donum, & munus, ex eo delegatus, iste non potest illud plus spontè oblatum recipere, quia nullum munus potest recipere. 237

Expensæ etiam quæ debentur necessitate, aut causæ utilitate mensurandæ sunt. Tam utilitatis autem quàm necessitatis, plura exempla ex diversis juribus referunt Archid. *n.* 12. Jo. Andr. *v. item* 12. Non ergo voluptas, sed sola causæ utilitas, vel necessitas potest movere judicem ut ex propria domo egrediatur. 238

Prohibetur etiam judex proficiscendi extra proprium domicilium accipere occasionem. Discrimen verò inter causam, & occasionem ponit Archid. *num.* 12. quod causa sit in jure, & sit justa, sed occasio in facto consistat, & sit injusta. Hic verò textus intendit, quod delegatus sub honesto prætextu & apparentia virtutis, non abscondat avaritiam proficiscendo à domo non ex causa utilitate, sed ut lucretur expensas, Anch. *n.* 6. 239

Et nihilominus à solutione expensarum eximuntur pauperes. Plura autem privilegia pauperum referunt Rebuff. *de privil. scholast. privil.* 90. Cornel. Beninc. *in tract. de privil. pauper.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 1. *num.* 35. Gratian. *discept.* 7. *num.* 9. Cened. *Collect.* 27. ad Decretum *n.* 2. Inter alia hoc privilegio gaudent ex hoc text. quod si sint notabiliter pauperes non teneantur solvere expensas judici delegato à Sede Apostolica. Quas tamen non tenetur supplere alia pars, etiam si sit ditissima, sed judex ipse proportione contingente pauperem debet vivere de suo, Butr. *n.* 19. Dom. *n.* 10. Franc. *n.* 11. 240

Quis verò sit pauper, inquit Anchar. *in fin.* quod quidam dicunt, quod ille, qui non habet in bonis 50. aureos. Alii quando de labore quærit sibi quotidiè victum. Alii secundùm conditionem personarum, de quo in Auth. *Præterea C. unde vir. & uxor.* & Bartol. *in l. si constante, ff.* 50. *ma.* 241

Sed

Sed in præsenti, ut pauper sit liber ab expensis necesse est, ut sit notabiliter pauper; ideò non sufficit, quod sit pauper comparativè, seu secundùm conditionem personarum, ut quia sibi deficiunt necessaria ad statum suum. Sed necesse est, ut sit pauper absolutè, & valdè pauper. Cùm tamen lex positiva clarè non explicet in præsenti puncto, quid nomine pauperis intelligat, ad legem naturalem est recurrendum, secundùm quam pauper est nedum qui est in extrema necessitate, sed etiam in necessitate tam gravi, ut obliget præceptum charitatis ad subveniendum illi, juxta tradita per D. Thom. 2.2. *q.* 32. *art.* 5. & alios Theologos ibi, & ubi de præcepto eleemosynæ tractant. Paupertas verò licet non sit de genere malorum, ut hic notant Gloss. & Archid. *num.* 11. & alii, nocet tamen quando provenit ob pauperis culpam, Covarruv. *l. 2. var. cap.* 16. *num.* 3. *vers. sed si quis*, Monach. *de arbitr. casu* 96. *num.* 10. & alii, quos hic refert Barbosa *num.* 82.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Assessorem.

SVMMARIVM.

242 *Continuatio textus.*
243 *Regula textus.*
244 *Assessor quis.*
245 *Assessor sufficit quod dicat votum suum, nec tenetur allegare jura.*
Opinio DD. non est probabilis, nisi fortificata rationibus.
246 *Laicus potest esse Assessor, & consultor in causa Ecclesiastica.*
247 *Quæ sunt de se mala, etiam si rarò adveniant, consideranda.*
248 *Fraus multipliciter contingit in assumptione Assessoris.*
249 *Iudex ex duplici causa indiget Assessore.*
250 *Iudex an ex causa imperitiæ possit recusari.*
251 *Infirmitas & gravia negotia sunt causa justæ assumendi Assessorem.*
252 *Sufficit si unus judicum indigeat.*
253 *Aliquid conscientiæ remittitur.*
Quid sit conscientia.
254 *Conscientia testificat.*
255 *Et instigat, accusat, defendit.*
256 *Conscientia Iudicis an possit opponi: remissive.*
257 *An Iudex possit providere Assessori de fructibus beneficii.*
258 *Beneficiati sunt Domini beneficiorum.*
259 *Quomodo debita contracta etiam irrationabiliter possit beneficiatus solvere ex fructibus beneficii.*
260 *Assessor potest recusari.*
261 *Sufficit eligere Assessorem non suspectum.*
Si aliàs sit idoneus.
262 *Assessori debetur salarium.*
263 *Assessori tertio de quo sit dandum salarium.*
264 *In causa pauperis Iudex providet Assessori de suo.*
265 *Delegato non competit salarium.*
266 *Iudex erigens malum Assessorem tenetur parti de interesse.*
267 *Salarium qualiter moderandum.*
Assessori tribuitur culpa judicis, si non fuerit protestatus.
268 *Assessori debetur salarium secundum multos, etiam si contingat causam finiri morte litigantis.*

242 Cum in præcedenti §. *Pontifex* determinaverit Judices à se delegatos non posse accipere munera, sed solùm in aliquo casu expensas, hic decernit, quid fieri debeat si contingat necessitatem esse, ut in causa assumatur assessor.

243 Duo autem præcipit. Primum quod delegatus non fraudulenter, sed solùm si indigeat, (quod conscientiæ suæ relinquitur) assumat assessorem, & aliàs de suo illi provideat. Secundùm, quòd ubi ex indigentia assessorem non suspectum partibus, assumpserit, faciat, ut ei de competenti salario provideatur à partibus.

244 Assessor est judicis consiliarius, quem ille, qui potestatem judicandi habet, sibi associat, ut sibi in causa assistat, seque ad causam rectè decidendam instruat. *& in princ. l.* 1. *C. assessor. l. 1. ff. de off. assess.* Gloss. Archid. *num.* 13. Dom. *num.* 2. Butr. *num.* 1. Par. de Put. *de Synod. v. Assessor. cap.* 1. fuit verò Assessor inventus, ut subveniret imperitiæ Judicum. Et ideò Assessor debet esse doctus, Gloss. in Auth. *de jud. vers. in nostrum.* Et si talis non inveniatur, poterit ab officio amoveri, Bal. *in l. sed & reprobari, ff. de excus. Tutor.* Est verò ejus officium, videre jura utriusque partis, & de eorum justitia cognoscere, & referre judici: qui juxta illius votum, sententiam proferre debet.

De hoc verò Assessore Gloss. *in princ.* ait, quod non tene- 245
tur fortificare dictum suum rationibus, nec tenetur allegare jura, cùm opiniones DD. non sint probabiles, nisi quatenus fortificantur rationibus, quas Assessor non tenetur allegare, sed sufficit, quod judicium suum proferat, & dicat. Hoc mihi videtur de jure faciendum. Imò addit, quod nec Assessoris consilium consuevit conscribi apud acta.

Quamvis verò Laicus non possit esse judex in causa spiri- 246
tuali, & Ecclesiastica, potest tamen esse Assessor, quia ipse non exercet jurisdictionem, sed solùm quid juris sit, denunciat, Dom. hic *n.* 5. Franc. *num.* 1. post Hostien. *sup. in cap. 2. de Judic.* Archid. *in cap. Plures* 17. *q.* 1. & Innoc. *d. cap. 2. de Judic.* Ubi quod Laici possunt esse consultores in causis Ecclesiasticis; quod praxis ipsa confirmat, nam etiam in causis fidei in tribunali S. Officii laici consultores admittuntur.

Sed cùm non soleant jura, ea quæ rarò adveniunt, con- 247
siderare, sed quæ ut frequentius accidunt prospicere; cur hic lex ponderat id, quod quandoque accidit, & rarò evenit? Gloss. ut hanc object. solvat, nos remittit ad *Gloss. penult. in cap. literas, de dispensat. impub.* sed considerandum quod ubi sumus in casu prohibito universaliter ex lege naturæ, etiam quæ rarò eveniunt, considerantur, quia mala sunt, & digna reprehensione, & pœna; Judicem verò sine causa justa fraudulenter assumere sibi Assessorem injustum est, & de se malum, & licet rarò contingat, magni faciendum, & vitandum.

Multis autem ex causis fraus hic intervenire potest, ni- 248
mirum si judex Assessorem assumat sine indigentia, vel ut partes gravet, aut saltem illarum unam, vel ut amico faveat, illique lucrum paret, vel ut ipsemet lucri sit particeps, vel ut seipsum à labore exoneret, quod facere non debet, *cap. Pastoralis, de off. deleg.* Gloss. hic, Archid. *num.* 13.

Duplici autem ex causa secundùm Gloss. judex potest in- 249
digere Assessore. Prima si non sit peritus, ut convenit ad universa puncta causæ rimanda, & judicanda. Secunda est, si sit infirmitate, aut ob alia gravia negotia impeditus, nec habeat tempus, ut possit difficultates causæ considerare.

Ex causa prima deducunt Dom. & Franc. *num.* 1. quod 250
judex titulo insufficientiæ non potest recusari, sed debet ei dari Assessor, & Butr. *num.* 11. advertit, sufficere si Prælatus, vel judex sit mediocris scientiæ. Ideò dicendum est judicem omninò vel non mediocriter saltem peritum posse recusari. Nam & talis facillimè posset ab Assessore decipi, & quia cùm non sit saltem mediocriter peritus, est ineptus ad judicandum; & contra leges est, ut ignorans penitus partes judicantis assumat. Sed ubi judex sit mediocriter peritus, non potest recusari, sed ei dabitur Assessor.

Quantum verò ad secundam causam, non est dubium, 251
quod

quod judicis infirmitas præbet justam causam assumendi adjutorem in causa, sicut si aliàs ex priori obligatione & validiori judex ad alia oegotia tenetur attendere, sed si etiam non possit invigilare causæ, nisi cum gravi, & notabili damno rerum suarum, justè auditorem sibi adjungere potest.

252 Si verò contingat esse plores judices delegatos, ad hoc ut possit justè assumi Assessor, sufficit quod unus eorum indigeat, nec per seipsum possit causæ expeditioni incumbere, Jo. Andr. *num.* 13. Butr. *num.* 1. Domin. *n.* 2. Franc. *num.* 1.

253 Remittitur verò Judicis delegati conscientiæ jodicium, an ipse indigeat Assessore. Et hic est unus de casibus, in quibus alicujus conscientiæ lex aliquid relinquit. Simile verò habetur, *infr. de vot. & vot. redempt. cap. ult. & cap. statuta, §. Cæterum de heret. & sup. cap. mulieri de jurejuran. & cap. denique dist.* 4. Diffinitur autem conscientia ex Papien. ut sit cognitio cordis sui. Ita Gloss. Archid. *num.* 13. Jo. Andr. *num.* 12. Butr. *num.* 2. Sed longè melius à Theologis ejus natura declaratur. Dicitur enim conscientia, quasi cum alio scientia, unde ex proprietate vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid, nimirum applicationem scientiæ universalis ad particularia agibilia; unde conscientia propriè est judicium practicum particulare de agendis, ot docet D. Th. *p. p. q. 79. art.* 13. *c. & q. 17. de ver. art.* 1. *c.*

254 Conscientia plura dicitur in nobis operari. Cùm enim importet applicationem scientiæ ad particulares actus, hoc potest contingere dopliciter, vel scilicet considerando actum an in veritate fuerit factus, vel non factus, vel considerando actum an sit rectus, vel noo rectus. Secundùm primam considerationem conscientia importat judiciom dictans aliquem actum factum fuisse, vel non fuisse; & sic secundùm communem usum loquendi dicitur hoc est, vel noo est factum in conscientia mea, hoc est scio, vel nescio actum honc fuisse, vel non fuisse factum. In quo senso Geo. 43. dixerunt filii Jacob: *Non est in conscientiis nostris, quis pecuniam posuerit in saccis nostris*, & Eccl. 7. *Scit conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis*. Et hoc modo conscientia dicitur testificari, quia intus enunciat, & fidem facit de eo, quod fuit, vel noo fuit factum.

255 Sed secundùm alteram consideratione respiciendo actum secundom, quod est rectus, vel non rectus, quia actus potest considerari, ut futurus & factibilis, vel ut præsens, aut præteritus, & ut factus, ideò hoc modo conscientia importat applicationem principiorum moralium universalium, & præcipuè synderesis ad particulares actus, & est judicium de particulari actu, enunciaos de eo quod sit rectus, & bonus, vel quod sit malus. Sic hoc modo conscientia io ordine ad actum, ot factibilem dicitur instigare, vel inducere, seu si actus sit malus ligare, & prohibere. Sed in ordine ad actum jam factum conscientia, si actus sit malus, dicitur accusare, & remordere, sed si actus est bonus, dicitur defendere, & excusare. Cùm verò in casu nostro agatur de actu habendo, vel non habendo, seu de assessore ex indigentia assumendo, quod remittitur judicis conscientiæ, sumitur hic conscientia, ut est judicium de actu habendo, ut rectus est, & importat judicium particulare de assessore non assumendo, nisi ex recta ratione, seu applicationem veræ scientiæ moralis ad actum hujos electionis.

256 Gloss. & Arch. *n.* 13. ex quo electio assessoris est relicta conscientiæ judicis deducunt, quod contra judicem non possit opponi, & quia id sit remissum internæ dispositioni illius. Sed de boc dicendum erit infra *in q.* quæ de hoc proponitur.

257 Difusè Archid. tractat quæst. an judex iste teneatur providere Assessori à se sine necessitate assumpto, de fructibus beneficiorum, quæ obtinet, & ad utramque partem disputaos, an Beneficiatus sit dominus fructuum, concludit, qood nec debet, nec potest de fructibus beneficiorum, quæ obtinet providere Assessori præfato, sed id facere tenetur de proprio patrimonio. Cæteri hic referunt, quæ habet Archid. & difficultatem ad loca alia remittunt.

258 Sed qood beneficiati nunc fructus beneficiorum faciant suos, sintque eorum domini, latè probavi *tom.* 1. *de Statib. q.* 185. *art.* 7. *num.* 40. *pag.* 222. *& num.* 113. *pag.* 238. Quamvis hoc dominium noo sit omninò absolutum, sed conditionatum, quia fructus hojusmodi noo possunt consumere in usus profanos, & superfluos, sed solùm in usus pios, *& ibid. à n.* 80. *pag.* 230. explicavi, quæ sint opera pia, in quæ Beneficiati possuot expendere beneficiorum fructus, qui eorum sustentationi supersunt.

Hoc stante ad præsentem difficoltatem, videtur dicendum, qood si judex Beneficiatus habet propriom patrimonium ex illo tenetur providere Assessori à se irrationabiliter electo; quia hujusmodi provisio de se non est opus pium, imò videtur opus merè profanum, & superfluum. Sed dicitur, quod si judex Assessorem licet irrationabiliter assumptum non potest revocare, jam illi providere est honestum, cùm sit debitum, uode jam inter pia opera numeratur, quia valdè pium est debita solvere. Nam, ut dicitur *cap. Cum ab omni, sup. de vit. & honest. Cler.* Beneficia dantur Clericis, ut ex eis hooestè vivant, ad vitæ verò honestatem spectat, ot Clericus debita solvat. Unde sicut Beneficiatus debita turpiter contracta post factum jam irrevocabile potest ex fructibus beneficii solvere, ita in præsenti posset assessori providere. In casu verò, qood assessor posset revocari, semper peccaret ooo revocando illom, sed tamen respectu præteriti jam irrevocabilis, & debiti jam ex illo facto irrevocabili contracto solvere posset de fructibus beneficii ratione dicta. 259

Assessor autem rationabiliter potest esse parti suspectus, ideoque & potest ab ipsa recusari, Dom. *n.* 1. Barbos. *num.* 86. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *q.* 73. *art.* 4. Et quia Advocatus partis unius est illi addictus, meritò tanquam suspectus rejici potest, & recusari in caosa clientuli, Barb. *n.* 87. Gratian. *discept.* 4. *n.* 5. 260

Et nihilominus distingui debet inter non suspectum, & confidentem, quia non est necesse qood judex assumat de coofidentibus, sed sufficit, ut assumat de oon sospectis. Et propterea judex volens assumere assessorem debet prios à partibus petere, ut nominent sibi suspectos, & postea potest ex non suspectis eligere quem voluerit, Gloss. Butr. *n.* 3. Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 1. suspectum aotem eligere non debet, quia nemo cogi potest, ut coram judice suspecto litiget, Archid. *n.* 14. Est verò suspectus judex, si suspectus est ejus assessor. Quando verò assessor noo sit suspectus, & ex oon suspectis potest judex assumere quem voluerit, si tamen aliàs sit idoneus & non sit vel infamis, vel excommunicatus, vel alio modo prohibitus gerere assessoris officium, ut consideravit Arch. *n.* 14. 261

Assessori verò non suspecto, & electo debetur salarium, quia ut notat Gloss. spe premiorum invitandus est assessor, *l.* 1. *C. de assess.* & ei salarium debetur, *l. diem functo, ff. de off. assess.* labori enim merces debetur, *cap. charitatem* 12. *q.* 2. nec de proprio quis beneficium facere cogitur, *c. Precaria, §. decrevit in fin.* 10. *q.* 2. Addit verò Gloss. quod assessor consilium vendere potest, *cap. non licet* 11. *q.* 3. *& c. Non sanè* 14. *q.* 5. Hinc verò dicto non obstat, quod scientia, seu ars advocatorum sit spiritualis, & pretio non æstimabilis: Nam ad hoc respondet D. Th. 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *ad secundum*, quod *etsi scientia juris sit quodam spirituale, tamen usus ejus fit opere corporali. Et ideo pro ejus recompensatione licet pecuniam accipere, alioquin nulli artifici liceret de arte sua lucrari.* 262

Assessori igitor competit salarium competens. Quod si sint plures assessores electi, & non conveniant, & sit eligendus tertius assessor, ei providendum esse de salario ooo à partibus, sed accepta parte salarii constituti assessoribus prius electis, nec convenientibus dixerunt Butr. *n.* 13. Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 7. 263

Pauperes quoqoe excusari à salario præstando assessori, non quia assessor sine salario debeat consilium dare, sed judex de suo debeat ei providere, dixit Archidiac. *num.* 14. 264

Ex eo verò, quod textus ait providendum esse assessori de competenti salario, Barb. *n.* 85. deducit, quod judex potest laboris mercedem, cùm salarium oon habet, justè recipere, & quod delegatus potest aliquid capere pro visione processus. Sed hæc sunt manifestè cootra hanc decretalem *in §. Insuper*, loquendo de delegato Apostolico, nec valet consequentia ab assessore ad judicem, qui oecessariò est habens beneficium Ecclesiasticum, & cui prohibitum est aliquid accipere, nisi in casu particulari expresso expensas. 265

Ex

266 Ex Bald. etiam considerat Franc. *n.* 7. quod judex eligens malum assessorem tenetur parti de interesse, seu damno, quod illi ex assessoris imperitia causarum fuit. De quo videri possunt *not. in l.* 2. *ff. quod quisque juris*.

267 Hoc salarium moderari debet, ut notat Gloss. secundùm qualitatem causæ, & partium conditionem, & facundiam assessoris, & loci consuetudinem. Et hoc ad judicis arbitrium, Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 3. *casu* 254. *n.* 2. Debetur verò assessori salarium, etiam si de eo non fuerit conventum, Grat. *discept.* 257. *n.*4. Et etiam si judex ob culpam fuerit remotus, sine assessoris culpa. Quamvis in dubio præsumatur etiam culpa in assessore, Specul. *tit. de assess.* §. 1. *n.* 1. Hinc est, quod negotium totum præsumitur factum ab assessore, & ideò, ut ei non attribuatur culpa, probare debebit se protestatum fuisse apud acta, statim, ac animadvertit judicem contra jus agere voluisse; sic enim protestari tenetur, *l. quantum judices*, ubi Bald. *C. de appellat. l. omnes la prima*, *C. de Decurion.* aliter si non protestaretur, non solùm non consequeretur salarium, sed etiam teneretur pœna quinquaginta librarum auri, Felin. *c. si quando n.* 1. *de rescript. & c. si quando n.* 1. *de off. deleg.* Bald. *in l. quoniam*, *de appell.* Par. de Put. *de Syndic. v. assess. c.* 1. *n.* 12. *& v. appellatio cap.* 1. *n.* 8. Quod verò dicebatur assessori deberi salarium, etiam si judex sua culpa amoveatur, intelligitur si assessor continuet in officio, & serviat. Nam certè si tunc alteri judici assisteret, non posset duplex salarium habere, *d. l. diem functo, ff. de off. assess.* ubi Jason *n.* 26. Cagnol. *n.* 142. Dec. *n.* 1. si ergo non continuaret in officio salarium sibi deberetur ad ratam servitii præstiti.

268 Hic verò iterùm decernitur, quod expensæ fiant communiter à partibus, sicut negotium pro quo fiunt illis est commune *l. diem functo, ff. de off. assess.* ubi Castren. *n.* 4. Jas. *n.* 10. *&* 39. Par. de Put. *de Syndicatu v. assesser. c.* 2. *n.* 5. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 3. *casu* 254. Sed ulterius dicitur, quod si contingat delegatum mori, vel partes convenire, & super lite non sententiari, nihilominus assessori debetur salarium, & sic salarium statutum habebit, vel habitum non restituet, *l. diem functo, ff. de off. assess. l. qui operas, ff. de locat. & l. ex conducto*, §. *item si, & l.* 1. §. *Divus ff. de var. & extraord. cog.* & Gloss. hic Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 8. Et hoc verum esse etiamsi una pars tantùm assessorem petierit, dicunt Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 7. Sed Anchar. *n.* 3. remittit ad Specul. *tit. de assessor. in* §. *si salarium*, *& de salario* §. 1. & ad Bart. *in l.* 1. *ff. de var. & extraord. cognit.* & ad Jo. Andr. *in reg. contractus*, *de reg. jur.* Arbitratur verò Franc. idem dicendum, de Advocato, ut ei debeatur salarium promissum sub spe victoriæ, si partes transigunt, seu componunt, dato quod res non decidatur per sententiam. Sed hæc diligentius sunt examinanda.

SUMMARIUM.

Quæst. IV.

ARTICULUS I.

An assessori, & Advocato debeatur totum salarium, si lis cesset.

Hic primò considerandum est, quod assessor, seu advocatus salarium petere potest, sed non majus, quàm illud, quod lege, aut consuetudine sit taxatum; aut si taxatum non est, quam illud, quod arbitrio prudentis, sibi competit spectata causa, quantitate labore, consuetudine regionis, scientia, & honestate ejusdem advocati, §. *apud urbem* 3. *q.* 7. *& arg. cap. vulterane*, *& cap. concesso* 12. *q.* 2. *& cap. de multa de præben. & cap. miramur dist.* 61. De hoc S. Th. 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. ita habet: *Ea, quæ quis non tenetur alteri exhibere, justè potest pro eorum exhibitione recompensationem accipere. Manifestum est autem, quod advocatus non semper tenetur patrocinium præstare, aut consilium dare causis aliorum, & ideò, si vendat suum patrocinium, sive consilium non agit contra justitiam. Et eadem est ratio de medico opem ferente ad sanandum, & de omnibus aliis hujusmodi personis, dum tamen moderatè accipiat considerata conditione personarum & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra justitiam. Unde August. dicit ad Macedonium, quod ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem consuetudinem non solent.* Idemque docuerunt eum D. Th. ibid. Bannes, Salon. & Arag. & Valent. D. Anton. *p.* 2. *t.* 1. *cap.* 19. §. *ultim. & p.* 3. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Silvest. *v. advocatus q.* 17. *num.* 10. Tabien. *n.* 17. Sotus *l.* 5. *de just. q.* 8. *art.* 4. Cajet. ibid. Sayr. *l.* 12. *cap.* 23. *n.* 29. Azor. 3. *p. l.* 13. *cap.* 29. *n.* 7. Sanchez *cons. l.* 6. *c.* 7. *d.* 9. *num.* 2. Martinez de Prado *n.* 24. Supradicta verò intantùm vera sunt, ut ubi salarium assessoris, vel advocati sit lege, aut consuetudine taxatum, taxæ standum sit, etiam si ipsa sit modica: Nam simpliciter conductus intelligitur conductus pro pretio solito, nec aliquid ultra prætendere potest, *l. licet*, & ibi Bald. *C. locati*, *l. quod si nolit* § *quia assidua*, *ff. de edilit. edict.* Barbat. *in cap. quia translationem de off. deleg.* Quod si consuetudo sit dubia, consideranda erunt plura, ut v. g. si assessor, vel advocatus aliàs in simili causa locavit operas suas pro certo aliquo salario, conveniens enim erit, ut tantùm etiam in simili causa recipiat, si ejus conditio mutata non fuit, & arbitrium judicis considerata peritia assessoris, vel advocati, litigantium conditione, & causæ qualitate salarium taxabit, ut dictum est. 269

Adnotavit verò Cajet. 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. & post eum Sayrus *d. cap.* 23. *num.* 24. Quod quamvis jura nonnunquam præcipiant advocatos à judice dari pauperibus, non per hoc jubent, ut gratis serviant. Sed si pauper solvere nequeat, stu- 270

stipendium illis de publico dari debet, si advocatus gratis patrocinari recuset. Sed & Sotus, & Bannes locis citatis, & ex eis Sayr. *n.*29. monent non habendam esse in taxando pretio rationem qualitatis personæ ex ejusdem, sed ex prudentum arbirtio. Non enim fastus, & pompa ultra quam status eorum requirit, hoc facere debent, ut ipsi pauperum, & clientem sumptibus immoderatos sumptus, & splendores suos sustentent.

271 Et ulterius addendum est, quod ubi advocatus sit de publico salariatus, nihil potest recipere à partibus, quarum intuitu ex publico habet justum stipendium, ut etiam de medico dicitur. Quia injustum est, quod quis pro eodem labore duplex velit stipendium, Innoc. & Pan. *in c.1. de Postuland.* Silv. *v. advocatus* q.23. Ang. *n.*16. Tabien. *n.*18. Sayrus *l.*12. *c.*23. *n.*29.

272 Cnnsiderandum est secundò, quod si advocatus vult pacisci de salarin, debet id facere ab initin litis, antequam clientis videat scripturas, & jura, quia aliàs cœpta lite, pnstquam advocatus scripturas vidit, omnia cogeretur dare cliens nb litis timorem, & ne advocatus adversariis secreta litis manifestaret, *c. infames §. Præterea* 3. *q.* 7. *l. quisquis C. de advoc.* D. Anton. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 19. §.8. Navar. *c.*25. *n.*30. Archid. *cap. si quis* 3. *q.* 7. Bannes 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 2. Sayr. *d. n.*30. Sanchez *cons. lib.* 6. *cap.* 7. *d.* 9. *num.* 1. Quamvis, ut advertunt Navar. Ban. Sayr. & Sanch. in foro conscientiæ etiam in medio litis conventio facta sine vi & scandaln de justo salario non esset injusta, nec esset peccatum.

273 Considerandum est tertiò, quod non licet advocato pacisci cum suo cliente de certa quantitate habenda ab eo lite finita, scilicet de aliqua quota litis, seu parte ejus, quod ex victoria litis obtinebitur, *l. si qui C. de postulat.* & *l. sumptus, ff. de pactis & cap. infames*, §. *arceantur* 3. *q.* 7. D. Ant. 3. *p. tit.* 6. *cap.* 2. §.2. Silvest. *v. advocatus* q. 10. *n.* 10. Tabien. *n.* 17. Armill. *n.* 14. Navar. *cap.* 15. *n.* 30. Sotus *l.* 5. *de just.* *q.* 8. *n.* 4. Clavis regia *d. cap.* 23. *n.*30. Bonac. *in Decal. disp.* 10. *q.* 3. *p.* 4. *n.* 1n. Martinez de Prado *cap.* 24. *q.* 6. *num.* 38. Et ratin est, quia posset hoc esse occasio ex qua moveretur advocatus, ut per fraudes & fas, & nefas litem vinceret.

274 Considerandum est quartò, quod Bonac. 8. arbitratnr nec esse illicitum convenire de certo pręmio præter stipendium, si victoria obtineatur. Quia hæc non est conventio de quota litis, seu de certa parte illius, quod ex lite est proventurum. Sed huic obstat, quod babetur *d. cap. infames*, §. *arceantur*, *vers. Præterea*, ibi: *Præterea non licet advocato ullum contractum inireullam pactionem contrahere cum eo litigatore, quem in propriam recepit fidem.* Quamvis verò per hoc non sit prnhibita conventio de moderato salario, justo, & prnportionato pensatis supra pensatis, quia hoc debetur advocato, conventio tamen de præmio ultra salarium debitum, si causa vincatur, manifestè prohibetur, cùm imò omnis conventio, & pactio inhibeatur. Et conventio de hoc pręmio posset esse occasio advocato ut fraudibus uteretur, seu ut videndo causam in periculo, clientem cogeret, ut daret sibi salarium ad libitum, ut benè consideraarunt Silvest. Armill. Sotus, Sanchez, Navar. & Sayr. supra citati. Si tamen quod promitteretur obtenta victoria esset res parva, & non extorta, id non esset illicitum, ut iidem DD. advertunt, quia hoc non est sufficiens ad movendum animum advocati, ut per nefas procuret victoriam.

275 Considerandum est quintò, quòd advocato in principio litis licet convenire cum cliente absolutè de salario justo, & moderato obtinendo, sive obtineatur victoria litis, sive non obtineatur, & in hoc cessat periculum fraudis, & injustitiæ, Nam si licet recipere salarium, licet etiam de eo convenire. Tamen bac conventio multipliciter fieri potest. Primò, ut solvatur advocato tantùm quolibet anno, vel mense, sive determinatè pro lite aliqua donec illa fuerit terminata, sive indefinitè prn litibus, quæ accidere possunt. Secundò, ut detur determinatè tanta summa pro advocando in lite quando, & quoties opus fuerit.

276 Duplex ergo casus hic distingui debet. Primus est quando conventio est indistinctè pro litibus, quæ contingerit suscitari. Et in hoc caso duplex dubium occurrit. Primum est, an advocatus pro boc annuo stipendio teneatur nmnes lites suscitatas adversum clientem suscipere, Bannes 2.2. *quæst.* 71. *artic.* 4. *ubi de pretio advocat. dub.* 2. existimat, quod advocatus non teneatur pro illo annuo stipendio magnas causas suscipere. Et movetur, quia hoc annuum salarium est modicum, & ideò iniquum est pro tam modico salarin obligare ad magnos labores, & diligentias necessarias in patrocinanda causa magna, & magni momenti. Sed ex Trullench. *l.*8. *cap.* 7. *dub.* 5. *num.* 6. & Monet. Martinez de Prado *cap.* 24. *quæst.* 6. *numer.* 43. in bis servandam esse approbatam ennsuetudinem, & attendendam mentem advocati, & eorum cum quibus initur pactum de salario.

Dubium secundum est, an advocatus cui assignatum est annuum salarium indistinctè prn litibus, quæ contingerit in dies suscitari, possit totum integrum salarium recipere etiam si nulla lis suscitetur, eidemque illud sit debitum, Diana *pars.* 2. *tract.* 15. & 1. *Miscell. resolut.* 42. cum Bobadill. *tract.* 2. *Pol. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 63. & Rebell. *de obligat. just. par.* 2. *lib.* 14. *quæst.* 14. *numer.* 7. & 8. sentit advocato non esse denegandum salarium, sed nec tamen esse integrè ei solvendum, sed diminuendum ad arbitrium boni viri, quia multas occupationes non sustinuit, quam sustinuisset, si fuissent lites. Sed absnlutè dicendum est, quod in hoc casu totum salarium debetur advocato. Et in hoc sensu vera est sententia Gloss. *hic in v. communiter*, Domin *num.* 5. Franc. *numer.* 8. Quod & docuit Gutierrez *lib.* 1. *qq. practic. quæst.* 23. *numer.* 1. & 2. quem sequitur Martinez de Pradn *cap.* 29. *quæst.* 6. *numer.* 45. & tenent plures alii, quos refert Diana ubi suprà, Armilla *v. advocatus numer.* 16. Nec est necesse quod advocatus in hoc casu nulli alii operas locet. Quia *leg. sed addes*, §. *fin. ff. locati*, non babet locum in illis, qui simul pluribus inservire possunt, sicut advocati qui simul in pluribus causis advocare possunt. 277

278 Alter casus est quando conventio est pro lite determinata & existente, sive conventio sit de dando salario ad rationem tantum pro mense, vel anno donec duret lis, sive sit de danda absolutè tanta quantitate pro tota lite. Et in hoc quoque casu duplex occurrit dubium. Primum est, an advocato integrum debeatur salarium, si contingat eum non patrocinari liti. Et quidem indubitatum est, quod si advocatus ex culpa sua, sive quia id facere non vult, cesset à patrocinio promisso, nedum non potest recipere stipendium, sed tenetur clienti de damno & interesse, quod ex defectu prnmissi patrocinii sustinere cngitur juxta ea, quæ de locante operas, & ex parte sua non nperante dicuntur communiter, & habet Sylvest. *v. locatio n.* 12. Iste enim non habet mercedem, quia non laborat, quia non vult, vel ex culpa sua. Tenetur verò ad interesse & damnum, quia damni est causa injusta.

279 Sed si advocatus cessat à patrocinio, quia ex casu fortuito, vel quocumque modo invnluntariè & non ex culpa sua est impeditus, debert illi integrum salarium dixerunt Specul. *in tit. de salar.* & Gloss. *in leg. post duos*, *ff. locati* & pro hac sententia citantur etiam Castren. *in leg. ex conduct.* §. *Item numer.* 7. *ff. de locat. & cond.* Alex. *in leg. si var. ff. locati*, Bart. *in leg. Mevia*, *in princ. ff. de ann. leg. & in leg. diem functo, ff. de off. assess.* Bald. *in leg.* 1. *Cod. de suffrag.* D. Anton. *part.* 3. *tract.* 6. *cap.* 2. §.2. & videtur esse casus decisus *in leg.* 1. §. *Divus, ff. de var. & extraord. cog.* Sed hoc explicant Bartol. *in leg. diem functo, ff. de off. assess.* Silvest. *v. advocatus quæst.* 21. *numer.* 23. Sayr. *dict. cap.* 23. *num. ultim.* nt sit verum de salario publicn, non verò de salario datn à parte. Nam de hoc loquendo solum debetur ad ratam. Et ideò quod advocato salariato ex publico & casualiter impedito debeatur integrum salarium, sicut & cuicumque officiali publico habetur ex *leg.* 1. *ff. de var. & extraord. cogit.* & *leg. laboribus*, §. *De illo, ff. de usufr.* & *leg. Diem functo, ff. locat.* & *leg. Diem functo, ff. de off. assess.* & docet idem Silvest. *v. locatio num.* 13. & *v. Familia num.* 4. Et hoc est verum universaliter, quandn salarium datur propter officium, nno verò immediatè pro actuali servitio. Cùm enim salarium datur propter officium, licet detur in ordine ad servitium, tamen manente officio, si adsit legitimum impedimentum, officialis excusatur; neque enim officium obligat legitimè impeditum, quoniam hoc esset contra rationem; aliàs verò manente officio manet id, propter quod datur salarium, & ideò salarium debetur.

Sed ubi salarium datur non pro officin, sed pro servitio exercito, sicuti ordinariè contingit, quando alicui operario salarium constituitur à parte, seu à privata persona, 280

ut

ut in casu nostro salarium deputatum est pro lite hac determinatè patrocinanda, si advocatus sit etiam inculpabiliter impeditus salarium non debetur sibi nisi pro rata; quia in hoc casu servitium, & labor dividitur, nec est servitium integrum; unde nec debetur stipendium integrum, nisi pro rata. Salarium enim debetur ad ratam laboris Signar. *cons.* 157. *vol.* 1. Lanfranc. Zachia *de salar. quæst.* 52. *num.* 53. & per laboribus, æquitate sic dictante, debet esse merces, *l. Quod si minor*, §. *Scævola*, *ff. de minor. cap. recolentes*, *de stat. Monach. cap. p. de sepult. cap. jure debet*, *distinct.* 76.

281 Quod si advocatus causam deserat, ex eo quod illam injustam invenit. Si hoc potuit, & debuit prævidere à principio, sibi imputet, quod causam injustam suscepit defendendam. Et tunc nedum integrum salarium non habebit, sed receptum restituere tenebitur, tanquam mala fide acceptum. Sed si de novo causa injusta reperiatur; ut quia cliens confessus fuit aliquid, ex quo injustitia causæ fit manifesta, integrum salarium deberi advocato, *ex l. penul.* §. *fin. ff. de vacat. mun.* dixerunt D. Anton. *par.* 3. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 4. Silvest. *v. advocatus*, *quæst.* 22. *num.* 14. Tabien. *in fin.* Sayr. *l.* 12. *cap.* 23. *v. ult.* In hoc enim casu lis pro finita, & terminata haberi debet; & ideò advocato debetur integra summa promissa, ut in lite usque ad ejus finem patrocinaretur. Et nihilominus quia stante injustitia causæ in principali potest esse, quod in aliquo accessorio controverso cliens habeat justam causam, non potest dici finita lis, quousque aliquod punctum in judicio discutitur, & advocatus usque in finem omninò causam patrocinari debet, ut integrum salarium accipiat.

282 Secundum dubium est è contra, si per clientem fit, ut non litigetur, an tunc advocato debeatur stipendium integrum. Ex duplici verò causa potest cessare lis, vel quia cliens ei renunciat de facto, quia non vult amplius litem consequi, vel quia per transactionem cliens conveniens cum parte, litis causam tollit. In hoc secundo casu Speculator *tit. de salar.* quem sequitur Silvest. *v. advocatus*, *quæst.* 20. *num.* 13. dixerunt non deberi integrum stipendium, sed solùm ad ratam. Et ita senserunt etiam Tabien. *v. advocatus*, *num.* 21. *vers. decimo sept.* Rodriq. *in sum. p.* 1. *cap.* 4. *concl.* 3. Sed Sayrus *l.* 12. *cap.* 23. *num.* 32. distinguens, ait, quod si advocatus fuit mediator in transactione, sibi debetur stipendium integrum, quod & sibi debetur, si cliens in fraudem transegit. D. Anton. *part.* 3. *tract.* 6. *cap.* 2. §. 4. secus si advocatus non fuit mediator conventionis habitæ, tunc enim solum ad ratam stipendium habet. Sed in primis, quod dicitur de fraude locum non habet, quia advocatus nullum jus habet, ut cliens non transigat, & sic litem extinguat. Unde nulla injustitia est, si cliens etiam invito advocato transactione litem terminet.

283 Deinde dicitur absolutè, quod in hoc casu advocato integrum stipendium debetur. Hoc est de mente Gloss. hic & Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 8. & tenuit Hostien. apud Silvest. loco citato. Bonac. *in Decal. disput.* 10. *quæst.* 7. *part.* 4. *num.* 11. Ratio est, quia Advocatus in hoc casu adimplevit totum quod promisit, scilicet patrocinari in lite usque ad ejus finem, seu usquequo opus esset ejus opera; neque enim conductus fuit, ut operaretur quando, & ubi opus non esset, sed ubi ejus opera necessaria esset. Finita verò lite, jam non est opus pacificis defensore, & ideò amplius non tenetur advocatus agere. Satis verò egit, si quatenus opus fuit, operam suam præstitit.

284 In alio autem casu, quando lis finitur per desertionem, ut quia cliens jam amplius non vult litem prosequi, totum integrum salarium promissum deberi advocato dixerunt Sayr. *d. cap.* 23. *n.* 33. & Bonac. *d. part.* 4. *n.* 11. Et ratio est, quia si ex parte conductoris est, quod qui locavit operas non operetur, conductor ad integram mercedem reddendam ei tenetur, ut docent Silvest. *v. locatio*, *qu.* 12. Navar. *cap.* 17. *num.* 197. *vers. septuag.* 7. & alii communiter. Verum discrimen considerari debet, quod est in casu, in quo qui locat operas est conductus ad determinatum tempus, vel solùm ad determinatum opus, ut cùm artifex est conductus ad laborandum in constructione domus, nullo ei determinato tempore. Nam ex quo Dominus aliquem conducit pro laborando in constructione domus, non per hoc se obligat cum conducto ad domus completam constructionem, ut si velit à domus constructione cessare, non possit. Sic ex quo cliens conducit advocatum, ut patrocinetur in lite sua, & pro integro patrocinio præstando quando, & quoties opus fuerit, non per hoc se obligat ad litigandum, si litigare nolit. Sed hæc conventio est conditionata, quatenus velit ille litigare, ideò si ille litem deserere velit, resolvitur contractus, & non tenetur ad integrum stipendium, sed ad ratam illius.

Quæ verò dicta sunt de advocato cum proportione intel- 285
ligi debent de assessore. Est verò considerandum, quod assessor potest cessare ab opere, vel quia Judex ex culpa sua, sine culpa assessoris removetur; vel quia Judex removetur ex causa Principis, qui dedit Judici successorem; vel quia officium Judicis terminavit, vel quia Judex mortuus fuit, vel quia lis fuit finita, quia vel una partium noluit amplius litigare, vel quia convenit cum adversario. In prioribus casibus, quando lis non est finita, si non obstante remotione Judicis, assessor continuat in officio assessoris, usque ad finem litis, non est dubium quod illi debetur integrum salarium, cùm ipse etiam integrum servitium præstet. Sed si cesset ab officio, videtur multis, quod ei debeatur integrum salarium. Et quidem si hoc sit, quia sine culpa assessoris Judex cassatur ab officio, quod assessori debeatur integrum salarium, dixerunt Bart. *in l. Diem functo*, *num.* 4. *de off. assessoris*, & ibi Castren. *num.* 9. Alex. *num.* 10. & Cagnol. *num.* 141. & Par. de Pur. *de Synd. v. salarium*, *cap.* 2. *num.* 10. prout eos refert Lanfranc. Zachia *de salar. quæst.* 56. *num.* 7. Quia casus contingens in persona unius alteri nocere non debet, *l. si uno*, §. *Cùm quidem*, *Cod. l. si quis fundum*, §. *Imperator*, *ff. locati*. Neque alteri per alterum debet iniqua conditio inferri, *cap. non debet*, *inf. de reg. jur. l. si quis in suo*, §. *legis autem*, *C. de inoffic. testam.* Quod aliqui extendunt, ut hoc sit verum, etiam si assessor alteri locaverit operas suas. Alex. *in d. l. Diem functo*, *n.* 10. Quia cùm assessor remoto Judice statim possit salarium repetere, quia partes suas explevit, tanquam jam liber à pactis, potest cuicumque voluerit locare operas suas.

Verum juxta distinctiones datas, si assessor habeter sala- 288
rium, ex publico sibi assignatum, non pro hac, vel illa causa, sed principaliter intuitu officii, seu deputationis ad assistendam causis, amotio judicis sive ex culpa judicis esset, sive non ex culpa, non præjudicaret assessori, quia remaneret illi officium, cùm ipse, ut supponitur non fuerit in culpa, & ita etiam idem apud successorem Judicem assessoris munus exercebit, & sic integrum salarium consequetur, juxta dicta de advocato. Et tamen etiam in hoc casu officio assessoris justè cessante, cessaret salarium.

Sed si loquamur de salario privato, quod datur intuitu 288
determinati servitii adhibendi in hac, vel illa lite, tale salarium cùm non detur nisi pro labore, sic nec debetur nisi ad ratam laboris. Nec valet ratio illa, quod non stat per assessorem, quod non præstet integrum laborem, quia adhuc integrum salarium non est illi promissum, nisi sub conditione integri laboris. Nec ex quo Judex advocat assessorem, se obligat ad semper manendum in officio, nec convenit cum assessore promittens illi salarium, etiam si contingat illum amoveri.

Sed ut advertit Bald. *in dict. l. Diem functo*, *num.* 1. Lan- 289
franc. Zachia *d. quæst.* 56. *num.* 20. hujusmodi pacta inita pro operibus sic absolutè habent tacitam conditionem, si operæ præstentur; & tacita conditio æquè suspendit, sicut expressa, Gloss. *in l. Item quia*, *ff. de pact.* Nec valet si dicatur, cum d. Lanfranco, quod lex fingit assessorem pro illo tempore, pro quo salarium accepit, servire, & quod hæc legis fictio habetur pro veritate. Nam falsum supponitur, quod assessor sit conductus pro determinato tempore; sed est conductus pro determinato opere, & operis intuitu, & sub conditione quod servitium præstandum sit, & præstetur, & ideò pro rata operis, & laboris, sibi salarium debetur.

Nec obstant, quæ adducebantur, nimirum quia casus 290
contingens in persona unius, non nocet alteri; quia hoc est verum in pœna, quæ pro culpa unius non imponitur alteri: Cæterùm in aliis rebus, quæ connaturaliter ad casum unius consequuntur, illud principium est falsum; sic enim mors unius sæpissimè innumeris nocet. Et alteri per alterum non debet inferri iniqua conditio, nimirum ut ei damnum injustum inferatur, sed nulli injuria infertur, si illi non datur ex causa mortis, vel amotionis ab officio alicujus alterius, quod ex eadem causa ei non debetur.

Modò amoto Judice, assessori, qui integrum laborem non est passus, non debetur integrum salarium.

291 Quod posteà evidentius est, si assessor mortuo priori Judice, exercuit apud alium officium assessoris, ut ex Jason. *in d. l. Diem functo v. num.26.* Cagnol. *num.*142. Dec. *num.*1. advertit idem Zachia *num.*14. Nam aliter tunc assessor duplex haberet stipendium, & opinio contraria supponit falsum, scilicet quod statum mortuo Judice, vel eo amoto ab officio debeatur illi integrum stipendium, & sit in hoc finitum omne pactum.

292 Ideò etiam in casu, quod Judex terminet officium, vel quia Princeps ad alium locum illum transtulit, vel quia tempus officii terminatum fuit, nec Judex, nec alius tenetur integrum salarium dare assessori, sed sufficit si illi detur ad ratam. Et quia potest esse, quod Judex qui assumitur, assessore non indigeat, non est necesse, quod Princeps faciat, ut ipse successori Judici præstet opera.

293 Sic ergo idem dicitur in aliis casibus, ut salarium assessori non debeatur nisi ad ratam laboris. Verum est, quod est discrimen inter assessorem, & advocatum, quod hujus officium durat, etiam post sententiam, contra quam dari possunt exceptiones, & advocati est patrocinari partem suam, vel pro sententiæ defensione, vel pro ejus impugnatione. Sed Assessor etiam ante sententiam latam potest complevisse munus suum, & votum suum protulisse. Tunc igitur ei integrum salarium debetur, quia integrè functus est officio suo. Et si daretur statutum, ut Assessori non daretur salarium nisi post latam sententiam, si per ipsum non staret, quod sententia ferretur, & ipse aliàs suo muneri integrè satisfecisset, integrum illi deberetur stipendium, *cap. Cum non stat. infr. de reg. jur.* Gratian. *discept.*561. *n.*34. 35. *&* 36.

294 Dicitur verò communiter, quod Assessori, vel Advocato non debetur salarium à pauperibus. Hoc verò præcisa aliqua lege speciali, si alicubi sit, intelligi debet si pauper sit talis, & in tali necessitate, ut juxta tradita de lege obligante ad eleemosynam, adsit obligatio in Assessore, vel Advocato inserviendi pauperi gratis, & sine salario, de quo videndus est D. Thom. 2.2. *quæst.*32. *art.*5. *&* *quæst.*71. *art.*1. Cajet. Ban. Salon. Arragon. Valentia, & alii de præcepto eleemosynæ tractantes.

295 Sed ulterius considerandum est benè contingere posse, ut in pauperum causa salarium non debeatur à pauperibus, ut si Assessor fuit requisitus à Judice sine necessitate, in quo casu Judicis est salarium solvere. Vel si una pars tantum assessorem peteret, paupere non consentiente, vel non petente. Neque enim est eadem ratio de judice, & de assessore. Judex enim est persona necessaria ad dirimendam litem, quod utriusque partis interest; ideò expensæ Judicis debent fieri communiter à partibus. Sed assessor non est necessarius, & ideò si illum petit una sola pars, illa tenetur ad integrum salarium solvendum, maximè si dubium sit contra eam, Lanfran. Zachia *de salar. quæst.*56. *num.*27. & apud eum Bart. *in l. si postulaverint, ff. ad l. Iul. de Adul.* Bal. *in l. sed si loci, ff. fin. regun.* Par. de Put. *de Synd. v. salarium, cap.*4. *num.*5. Sic ergo in hoc casu, si pars dives petiit assessorem, totum solvet salarium. Sed si pars pauper petiit, nihil habebit de salario.

296 Si verò assessor fuerit causa ex culpa sua, quod Judex removeatur, tenebitur Judici ad interesse, nec lucrabitur salarium, nisi de labore justo præterito, si in pœnam eo non privetur. De quo videndi Jason. *in l. Diem functo num.*29. Bart. *num.*4. Castren. *num.*9. Cagnol. *nu.*41. *ff. de off. assess.* Et eodem modo, si ipse assessor sua culpa sit privatus officio, perdet salarium, per Gloss. *in d. l. Diem functo*, ubi Alex. *num.*1. Castren. Jason. *num.*28. Caroc. *de locat. & conduct. tit. de sportulis Iud. p.*1. *quæst.*7. *num.*73. Quod tamen, ut dicebatur, intelligitur de tempore futuro, non verò de præterito, quo benè servivit, ut DD. citati advertunt. Assessor verò quamvis culpabilis, si toleratur in officio, habebit salarium, Lanfranc. Zachia *d. quæst.*56. *num.*39. post Alex. *ad d. l. Diem functo, num.*34.

297 Quod si assessor sine justa causa discedat non debebitur salarium, nisi pro tempore, quo servivit. Alex. *ad d. l. Diem functo, num.*32. Cardin. Mant. *de tacit. & ambig. conject. lib.*5. *tit.*6. *nu.*2. Caroc. *de locat. & conduct. p.*1. *tit.*2. *de Agrimensoribus, quæst.*16. *num.*2. Imò tunc tenebitur ad interesse partium, si illis damnum intulit. Sed si justè ex causa discessit, non esse privandum salario habet Lanfranc. *d. quæst.*6. *num.*42. Sed hoc est verum si salarium sit publicum; nam aliàs, qui non operatur, non lucratur privatum salarium, nisi aliud sit inter partes conventum, ut dictum est suprà de advocato.

S V M M A R I V M.

298 *Opiniones Gloss.*
299 *Conscientiæ epitheta.*
300 *Remittere conscientiæ est concedere arbitrium boni viri.*
301 *Committere conscientiæ est eligere industriam personæ.*
303 *Is cujus conscientiæ est aliquid commissum non potest delegare.*
304 *Explicatur hoc.*
305 *Dum committitur aliquid conscientiæ non est necessaria tela judicialis.*
306 *Dum committitur prudentiæ, & conscientiæ est sermo de prudentia publica.*
307 *Sententia Glossæ.*
308 *Sententiæ aliorum.*
309 *Appellatio duplex.*
310 *Vbi negotium expediendum est de præcepto, habet locum appellatio, quatenus alias causa sit appellabilis.*
311 *Difficultas an appellatio ut suspensiva sit apex juris.*
312 *Vbi non habet locum actio propriè, potest habere locum imploratio officii Iudicis.*
Vbi subditus ex quacumque virtute habet jus recurrendi ad superiorem, habet jus justitiæ, ut non impediatur.
313 *Vbi superior explicat, aut præcipit, quid sit agendum, quidam admittunt appellationem.*
314 *Hoc explicatur.*
315 *In indifferentibus non datur locus appellationi, sed supplicationi.*

Quæstionis quartæ

ARTICULUS II.

An in negotio remisso conscientiæ alicujus detur appellatio.

Eam enim non dari vult Gloss. hìc *in v. conscientia*, 298
cujus tamen oppositum videtur voluisse Gloss. *in Clem.*1. *in v. oneramus de jurepatron.*

Supponitur autem id, quod dictum fuit *num.*263. nimi- 299
rum conscientiam respectu agibilium non esse nisi judicium practicum particulare de honestate actus deductum ex applicatione principiorum moralium, & præcipuè ex dictamine synderesis. Hoc primò hìc considerandum, quod conscientia non est, nisi judicium ex legibus naturæ, supernaturalis divinæ, & humanæ positivæ regulatum, mensuratum, & deductum. Propter eà conscientia dicitur sensus sanæ mentis. Bald. *in l. ult. Cod. de judic.* sensus animæ cognoscentis bonum, & malum. Bald. in Authent. *ad hæc ver. sed dubitatur, Cod. de usuris*; judicium menti consonans in quodam naturali jure, aliena quodammodo à rigore, & subtilitatibus juris; forus veritatis. Feder. de Sen. *cons.*11. Butr. *cap. Inquis. de sent. excomm.* consonantiam, & harmoniam cum veritate. Butr. *cap. ne innitaris, num.*11. *de Constit.*

Hinc est, quod remissum conscientiæ est remissum arbi- 300
trio boni viri, quantum ad hanc partem, quod est remissum arbitrio regulando ex conscientia, seu ex judicio non nisi ex legis principiis deducto; & sic committere conscientiæ est concedere boni viri arbitrium, per Gloss. *in Clem.*1. *in v. oneramus, de jurepatron.* & alios plures, quos refert, & sequitur Menoch. *de Arbitr. lib.*1. *quæst.*8. *num.*40.

Secundò etiam colligitur, quod dum aliquid committi- 301
tur conscientiæ alicujus, illius personæ industria eligitur. Jo. Andr. *in reg. ratum, inf. de reg. jur.* Franc. hìc *num.*3. Qui adeò hoc verum putat, ut non liceat alteri operari ex ratihabitione, sed ratihabitio, & consensus ex post facto interveniens nihil valeat.

Nam & hinc 3. deducunt, quod si committitur alicui 302
causa cum clausula, *tua conscientiæ committimus*, vel *tuam conscientiam oneramus*, cùm sit electa industria personæ, delegatus ille non potest subdelegare. Franc. hìc *num.*4. *& in l. nulli in verb. pro tua conscientia, C. de Episc. & Cler.* Bald. *num.*4.

num.4. Jason. *num.12. vers. quintò limitat.* Alex. *in l. more num.23. C. de jurisd. omn. Iud.* Jo. Andr. *in dict. reg. ratum*, Sanchez *l.8. de matrim. disp.27. num.43.* Sed tamen contrarium sentiunt Angel. in Auth. *Ad hæc num.2. C. de judic.* Panorm. *in cap. final.* §. *Is autem num.7. de off. delegat. & cap. Cùm in veteri, num.4. de elect.* Rot. *decis.18. de Concess. præbend. in nov.* Marches. autem *par.1. cap.6. de commiss. appellat. extra Cur. Rom. num.90.* conciliat hujusmodi opiniones dicens, quod si in commissione adest clausula *conscientiam tuam oneramus* addendo verba in vim executionis, aut monitionis, vera est sententia Panorm. Sed si subnectitur alia, ut decidat secundùm conscientiam suam, procedit sententia Baldi, & sequacium.

304 Sed Panormit. ipse ibidem optimè distinxit, quia vel committitur causa discutienda à delegato secundùm conscientiam suam. Et hoc modo eligitur industria personæ, & delegatus non potest subdelegare. Vel causa committitur sine clausula, sed posteà super toto negotio additur clausula, *super quo conscientiam tuam oneramus*, & tunc non intelligitur prohibita subdelegatio, & electa industria delegati, sed ejus conscientia excitatur, ut super toto negotio invigilet, quatenus rectè fiat. Ubi ergo non delegatur causa, sed excitatur Ordinarii jurisdictio, clausula *oneramus conscientiam tuam*, vel aliæ similes, non immutant naturam modi procedendi, & ideò ordinarius potest delegare. Vel si delegatur causa, id fit absolutè, & posteà in fine admonetur delegatus, & ejus oneratur conscientia, potest subdelegare.

305 Colligitur quartò, quod ubi alicujus conscientiæ aliquid committitur, non est necessaria tela judicialis, servans apices juris, nimirum non est necesse examinare testes citata parte, sed sufficiunt probationes, quæ apud judicis conscientiam concludant, unde potest delegatus negotium expedire, prout ejus conscientia dictat, ut ex hoc textu habetur, & tradunt Bart. *in l. Certum, Cod. und. cognat.* & sentit Jo. Andr. *inf. cap.2. de juram. calum.* Lap. hìc, quos sequitur Franc. *nu.6.* qui ex Bald. *in l.2. in princ. C. de fideicomm.* addit, quod lex commendat, & fovet illud, quod fit ex conscientia, cui non competit de apicibus juris disputare, unde commissum ad conscientiam videtur commissum ad veritatem, & satis est, quod sit munita de jure gentium. Idem affirmat Sanchez *l.3. de matrim. disput.8. num.4.* Sed & hoc verum est, si delegatur causa, ut ex conscientia judicanda. Nam aliàs dum Princeps, vel solum excitat jurisdictionem ordinarium, vel delegat causam absolutè, licèt posteà admoneat judicem, ut juxta regulas conscientiæ agat, debet ipse causam expedire juxta causæ exigentiam, & servare telam judicialem, si causa id petat.

306 Sed necessariò etiam hìc considerandum, quod quando jura loquuntur Judicibus, si remittunt negotium conscientiæ, non loquuntur de privata, sed de publica conscientia, quæ legibus positivis publicis dirigi debeat. Nam per hoc, quod apponitur clausula, *conscientiam tuam oneramus*, non colligitur, quod negotium sit commissum privatæ judicis conscientiæ, quia & judex ut publicus minister judicare debet secundùm conscientiam. Et hujusmodi clausula non dat jurisdictionem, nec mutat naturam negotii. Sed monet, & ad memoriam reducit obligationem, quam habet judex, & excitat illum, ut Deum & leges publicas attendat in judicando. Navar. *cons.6. de offic. delegat.* Flores de Mena *var. quæst.4. num.67.* Gatz. *de benefic. part.6. cap.2. num.100.* Barbos. *claus.24. num.2.* Menoch. *l.1. qu.8.* Ita etiam si dicatur judici, ut judicet secundùm conscientiam suam, non per hoc significatur, ut judicet secundùm conscientiam suam privatam, quia quod committitur judici, committitur ei ut personæ publicæ, & ideò ut expediendum secundùm publicam judicis conscientiam, de quo est text. juncta Gloss. *in cap. Iudicem 3. quæst.7.* & probatur per DD. quos cumulat Menoch. *part.1. de arbitr. quæst.8. num.44.* Nam & ut habet Marches. *part.2. de commiss. appellat. in Cur. Rom. cap.5. num.77.* debet judex cui commissa fuit causa, ut illam judicet secundùm illam conscientiam suam, judicare illam secundùm illam prudentiam, quæ à sacris Canonibus, & jure Cæsareo regulatur, non verò secundùm prudentiam privatam, quæ ex privata cognitione dirigit. Nam judex judicare debet ex publica notitia secundùm allegata, & probata, non verò ex privata sui notitia, & conscientia, ut tradunt Theologi cum D. Thom. 2.2. *quæst.67. art.2.* & Canonistæ *in cap. Pastoralis*, §. *Quia verò, de off. delegat.* & Juristæ *in l. Illicitas*, §. *veritas, ff. de off. præsid.* Ne tamen dicta hoc numero sint contraria dictis *n. superiori* attendi debet quod judicium publicum duplex est, aliud enim est obligatum ad apices juris, & aliud ab istis est exemptum, & ad sola juris substantialia obligatum. Ubi verò committitur judici, ut judicet secundùm conscientiam, eximitur à servandis apicibus juris in judicando. Et hoc est, quod hìc summè considerari debet.

His igitur stantibus intrat quæstio, an ubi aliquid est relictum conscientiæ judicis inferioris, si pars, seu si subditus sentiat se esse gravatum possit appellare. Nam Gloss. hìc *in v. relinquatur* hoc negat. *Per hoc verbum*, inquit, *credo, quod pars non possit referre quæstionem judici delegato*, scilicet dicendo, *quod Assessore non eget. Cùm enim hoc conscientiæ relinquatur ipsius, ergo solus Deus hìc, & nullus alius est judex, vel cognitor.* Sed Gloss. *in Clem. 1. v. oneramus, de jurepatron.* cùm ex hoc textu argumentetur ad probandam, quod si Episcopus indebitè portionem moderatus fuerit, non possit illi quæstio referri, & quod si patroni appellarent dicentes, quod Episcopus excessit, vel presbyter dicens, quod portio non sufficit, Episcopus non deferret, subdit tamen; quod superior ad quem appellatum est, emendaret, quod malè factum esset. In quo videtur admittere, quod valeat in hoc casu appellatio, saltem quantum ad devolutivum. Quod admittunt Domin. *infrà cap.2. de juram. calum. num.10.* Felin. *cap. Significasti el 2. de homicid. num.4. vers. tertiò fallit*, & apud Sanchez, loco citando Marian. & Imola. 307

Alii verò distinguunt. Nam superior remittens aliquid conscientiæ judicis, vel explicat, quod ille agere debeat, & tunc habet locum appellatio, vel id non explicat, & tunc appellatio non intrat. Ita Imola *Clem. 1. de jurepatron. num.7.* & ibi Barbosa *num.11.* Alii distinguentes inter rem magni, vel non magni præjudicii dicunt admitti appellationem, ubi res sit magni præjudicii, non verò ubi sit modici. Bald. *l.1. num.3. Cod. de reb. cred.* Rom. Rubr. *ff. de art. colum.2.* Alii dicunt non dari appellat. si superior simpliciter remittat negotium conscientiæ inferioris, eam verò habere locum, si addatur qualitas justitiam importans, ut si dicatur ad tuæ conscientiæ judicium. Ita Franc. hìc *num.6. in fin.* Alii dicunt dari appellat. si negotium committatur arbitrio, non verò si remittatur conscientiæ. Ita Anchar. *intra cap.2. de juram. calum. num.4.* post Lap. *ibid.* Alii dicunt, quod ubi lex præcipit aliquid fieri, datur appellatio quantum ad utrumque effectum; sed si lex non præcipiat, sed relinquat conscientiæ inferioris, tunc si adest talis causa, ut inferior teneatur facere, quod non facit, datur appellatio quoad devolutivum, non quoad suspensivum, sed si res sit indifferens, non datur appellatio, sed solùm recursus ad superiorem, ut ex misericordia concedat, quod fuit negatum, si illi visum fuerit. Ita Sanchez *l.3. de matrim. disput. 10. num. 20.* Sed communis sententia est, quod ubi aliquid est relictum conscientiæ non detur appellatio, cui ex justitia sit deferendum, solum verò datur supplicatio, ut superior, si sibi fuerit visum emendet, quod minus benè ab inferiore gestum est. Ita Domin. hìc *num.5.* Franc. *num.6.* Bald. *cap. Si sacerdos num.4. de off. delegat.* Anan. *cap. Significasti el 1. de homicid.* Imol. *l. ab executore, ff. de appell. & Clem. 1. de jurepatron. num.7.* ubi Bonif. *num.55. & 56.* & Barbos. *num.11.* Archid. *inf. cap. Licèt canon, verb. possit, de elect.* Turrecrem. *cap. ut constitueretur, num.9.* D. Aoron. *part.1. tit.17. cap. un.* §. *20.* Rosel. *v. Dispensatio, num.4.* ubi Silvest. *quæst.1. in fin.* 308

Pro resolutione hujus difficultatis præsuppono, quod appellatio distinguitur in judicialem, & extrajudicialem, & illa locum non habet, nisi ubi judex judicialiter procedit. De quibus latè scripsi *tract. de elect. cap.34. præcipuè qu.1. & 2.* Sic ergo in præsenti dum quæritur, an locum habeat appellatio in causa remissa conscientiæ Judicis, sensus esse debet, an locum habeat una, vel altera appellatio juxta negotii exigentiam, & secundùm quod causa fuerit appellabilis, & ita ut si procedatur, judicialiter locum habeat appellatio proprissimæ sumpta, quæ est judicialis, vim habens nedum devolvendi, sed suspendendi, sin verò an saltem locum habeat appellatio extrajudicialis devolvens saltem, licèt non suspendens. 309

310 Dicitur verò primò, quod ubi negotium expediendum est de præcepto, quia vel aliàs est de jure naturali, aut divino, aut positivo communi, vel à lege, aut superiore præcipitur, clausulę additæ judicium conscientiæ importantes judicium publicum denotant, & exigunt, & ideò ubi aliàs causa sit appellabilis, debet admitti appellatio etiam ad utrumque effectum, Quia clausulæ conscientiam importantes non relevant Judicem inferiorem ab obligatione, quam habet ex officio, & ut publica persona, sed imò important, quod Judex non nisi per conformitatem ad leges operentur, quæ appellationem admittunt,

311 Hoc quidem considerandum hìc est, quod ubi causa absolutè committitur cum clausula, ut secundùm conscientiam suam rem decernat, saltem eximitur ab obligatione servandi apices juris in judicando, ut dictum est *num.*305. At verò videtur, quod appellatio ut suspensiva comprehendatur sub apicibus juris, quia ex natura rei, & ex jure naturali, aut ex jure gentium appellatio non suspendit, aliter omnis appellatio suspenderet. Et sic videtur quod appellatio ut suspensiva, non habeat locum, ubi causa delegatur sub clausula conscientiam importante, idest, cum clausula operante hunc effectum, ut judex non obligetur ad apices juris. Et propterea communis sententia non admittit appellationem, quando judicium est commissum conscientiæ Judicis. Verum omisso nunc hoc articulo, qui alibi diligentius erit discutiendus, Deo dante. Pro nunc asseritur, quod ubi causa sit appellabilis, admitti debet appellatio. Et hoc pro certo habendum est saltem, quod ubi clausulæ conscientiæ judicium importantes, solum excitant judicis memoriam; & sic non eximunt judicem à servandis juris apicibus, si aliàs causa est appellabilis, quantum ad utrumque effectum, admitti debet appellatio; semper tamen causa erit appellabilis, quantum ad devolativum, ut dixerunt DD. citati *num.*307. quia hæc locum habet etiam in judicio extrajudiciali, De quo videri possunt dicta à me *tract. de elect. cap.*34. §. 1. *&* 2.

312 Et si dicas posse esse, quod subditi ex lege non habeant jus justitiæ ad obtinendum, quod sibi negatur; & sic quod ex justitia non debeat admitti appellatio, quia non habent ad id actionem. Respondetur, & dicitur primò, quod præcipuè de jure Canonico, & respectu superioris Ecclesiastici, qui omnium virtutum est custos, subditi ex cujuscumque virtutis jure violato possunt ad superiorem recurrere, & recursus debet admitti. Sic enim & in obligatione naturali, licèt non detur actio civilis, tamen datur jus invocandi officium judicis superioris, ut compellat, teste Butr. *cap. Quæ in Ecclesiarum num.*27. *de const.* & Sanchez *lib.*3. *de matr. disp.*10. *num.*21. Unde quod peti non potest jure actionis, potest peti jure implorationis officii superioris. Et eo maximè, quod in his, quæ concernunt utilitatem animæ, officium judicis non quiescit, *cap. exceptionem, de exceptionibus.* Sed respondetur secundò, quod non impediri in assecutione cujuscumque juris sibi competentis est debitum justitiæ propriæ, ideò in omni eo, quod sibi quomodocumque ex lege competit, & potest subditus recurrere ad superiorem, & ejus officium implorare, & habet jus justitiæ commutativæ, ut hic recursus non impediatur, & ideò, quod appellatio ejus juxta leges admittatur. Sed prætereà appellatio extrajudicialis quantum ad devolutivum habet locum in quocumque judicio, in quo quis gravatur à judice. Hujusmodi enim appellatio est naturalis defensio. Nec clausula appellatione remota hanc tollit appellationem.

Sic ergo judicium ferri potest de eo, quod Imola, & Barbosa citati *num.* 308. dixerunt, quod scilicet ubi lex, vel superior explicat inferiori, quid ille facere debet etiam si id remittatur arbitrio conscientiæ suæ datur appellatio, & illa debet admitti; quia tunc lex, aut superior præcipit, & judicis inferioris conscientiæ non privatæ, sed publicæ negotium ut expediendum committitur, juxta leges externi fori. Et sic Sanchez dixit dari appellationem, quantum ad utrumque effectum, si superior præcipit aliquem dispensari, & non dispensatur. Nam primò advertitur, quod ubi Sanchez addit, quod si dispensatio sit debita, si negatur, datur appellatio quantum ad devolutivum, non quantum ad suspensivum, non videtur consequenter dictum. Nam si ex causa inferior tenetur dispensare, jam igitur lex præcipit, ut inferior in hoc casu dispenset, & subditus habet jus, ut cum eo dispensetur, & sic sumus in casu primæ ejus conclusionis, 313

Deinde verò consideratur, quod si appellatio ut suspensiva est unus de apicibus juris, si etiam clausulæ conscientiam importantes eximunt Judicem ab obligatione servandi apices juris, esto quod superior committens causam præcipiat, & præcipiat expresso eo, quod superior vult fieri per Judicem inferiorem, nihilominus locum non habebit appellatio, quantum ad utrumque effectum. Sic igitur hic non sufficit, quod superior præcipiat, etiam exprimendo quid fieri debeat, sed attendi debet forma judicii publici, quod delegato committitur, & videndum est, an ea forma judicii servata locum habeat appellatio suspensiva, quæ in judicio extrajudiciali locum non habet, & sic ubi inferior extrajudicialiter procedit negando dispensationem, locum non habet appellatio suspensiva, quia hæc in judicio extrajudiciali non admittitur. Et idem dicendum erit, si hujusmodi judicialis appellatio locum non habeat in judicio ab apicibus juris exempto, si appellatio suspensiva, sit unus de apicibus juris. Ubi verò non obstante clausula conscientiam importante judex inferior ad exactam judicii legalis formam tenetur, & sic judicialiter procedit, si causa aliàs sit appellabilis quantum ad utrumque effectum admitti debet appellatio. 314

Dicendum est secundò, quod ubi lex aut superior non præcipit, sed sumus in materia indifferenti, tunc si relinquatur aliquid conscientiæ inferioris superioris, non licèt propriè appellare ab ejus concessione, vel denegatione, sed subditus solùm potest petere à superiore, quod ab inferiori non obtinet, ut consequendum ex liberalitate, & gratia superioris non ex justitia. Solum verò in indifferentibus relinqui aliquem conscientiæ suæ, post Cardin. *in Clem.*1. §. *sanè num.*2. *de for. compet.* tradit Fagnan. *cap. relatum num.*51. *de Cler. non resident.* Unde in indifferentibus Judex inferior potest relinqui conscientiæ suæ, quamvis in iis, quæ spectant ad publicum ejus officium, nunquam relinquatur conscientiæ suæ privatæ, sed publicæ, & ex legibus publicis dirigendæ. Et nihilominus in materia indifferenti, ubi non adest lex, quæ ad unam partem illum necessitet, si concedit, vel negat, nullus gravatur, quia nullus habet jus ut ille, vel concedat, vel neget: igitur non datur locus appellationi, quæ non est nisi à gravamine. Sed quia potest impetrari à superiori, quod ab inferiori negatur, ideò inferior non appellando, sed supplicando potest misericordiam superioris implorare. 315

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Notarium.

SVMMARIVM.

316 *Continuatio, & regulæ posita in textu.*
317 *Notarius necessarius.*
318 *Notarii fidelitas.*
319 *Notarii plures ad idem assumi possunt.*
320 *Notarii justitia, ut non conficiat instrumenta falsa.*
321 *Et quod non exigat ultra pretium taxatum.*
322 *Notarius à Iudice Ecclesiastico potest privari.*
Delictum exigendi ultra metas est quasi delictum concussionis.
322 *Iudicis est moderari expensas scripturarum juridicarum: & qualiter.*
324 *Delegati jurisdictio se extendit ultra personas nominatas in rescripto, ad Assessorem, Notarios, Testes, Advocatos, Procuratores, ut salarium eorum moderetur.*

325 *Sala-*

325 *Salaria Notariorum taxata.*
326 *Illicitum est delegatis istis participare in lucro cum Assessore, & Notariis.*

316 Sine Notario, qui acta scribat non agitantur causæ. Postquam igitur Pontifex de assessoris salario egit, modò decernit de stipendio Notarii. Duo verò præcipit. Primum, quod delegatus refrænet Notarios, ne in exigendo salario metas rationis excedant. Secundum, quod delegatus nec cum Notariis, nec cum Assessore lucrum participet.

317 Debet delegatus notarium assumere, seu scriptorem publicum, qui fideliter, quæ in lite aguntur, conscribat. Et propterea vocatur servus publicus, *cap. Quamquam, inf. de usufruct.* Gloss. hic Butr. Domin. Franc. *num.*1. Silvest. *v. Tabellio* 6.

318 Notarii autem fidelitas consistit, primò ut caveat ab omni falsitate, quæ est mutatio veritatis cum dolo, & malitia, ne scilicet fingat, quæ non sunt, nec ex malitia aliquid, vel addat, vel minuat, seu detrahat, quo instrumentum falsificetur. Secundò, ut benè observet loquentium partium verba, eaque scribat secundùm, quod partes dixisse audit, non verum secundùm, quod ipse eos intellexisse putat. Tertiò, ut instrumenta extendat, & ut apud se retineat copiam actorum, & omnium instrumentorum originalia, quæ nulli dare debet, sed solùm eorum transumpta, alioquin tenetur de damno dato. Quartò non debet, vel petentibus negare conficere instrumenta, & se rogare negotiis occurrentibus, vel petentibus instrumentorum transumpta negare, qui in hoc habent interesse, sed imò ultro etiam illa manifestare illis, quorum interest, ut illa possint implere. Quintò certiores facere partes de obscuris, præcipuè mulieres, & simplices, alioquin est in dolo. Sextò conficere acta de his, quæ duobus sensibus visu, & auditu percipiuntur, unde falsus esset, si scriberet pecuniam fuisse actu numeratam, si non fuit numerata. De his videri possunt Silvest. *v. Tabellio*, & ibidem Tabien. & alii Sum. *in v. Notarius*. Navar. *cap.*25. *num.*53. Tolet. *lib.*52. *num.*61. Clau. Reg. *l.*12. *cap.*25. *num.*7. *&* 8. Bonac. *tom.* 2. *in Decal. disp.*10. *qu.*3. *punc. ult.* Regin. *l.*25. *num.*684. & Bassæus. Multa etiam de Notario scripsi, *de statib. & off. tom.*2. *quæst.* 187. *art.*2. *num.*38. *& seqq.*

319 Colligitur ex hoc, quod ad eadem acta conscribenda, plures etiam notarii assumi possunt. Hoc enim nullibi legitur prohibitum, & hic est concessum. Gloss. & Domin. *num.*1.

320 Non possunt verò nec debent notarii in exigendo salario excedere metas rationis. In duobus verò præcipuè consistit justitia notarii, scilicet in instrumento, & ejus justo pretio. In instrumento quidem, ne scilicet faciat instrumenta illicita, & injusta; nempe instrumenta paliata nomine justi contractus, aut super rem injustam, nam aliter ultra peccatum tenetur ad restitutionem. Item ne faciat instrumenta prohibita, ut sunt instrumenta usuraria, vel prohibentia usuras repeti. Item instrumenta contra Ecclesiæ libertatem, aliter notarius nedum peccat, sed est excommunicatus, *cap. gravem, & cap. noverit, de sentent. excomm.* de quo vide Silvest. *v. excommun.*9. *num.*31. & scribentes ad Bullam Cœnæ *ad can.*15. 16. *&* 19. Item Notarius, si faciat instrumentum noncupativum alicujus non sanæ mentis peccat, & tenetur ad restitutionem legitimis hæredibus. Clau. Reg. *l.*12. *cap.*25. *n.*12. 13. *&* 14. Tolet. *l.*5. *num.*61. Navar. *cap.*25. *n.*54. Reginal. *l.*25. *num.*691. Bonac. *d. p. ult. num.*4. *&* 5. Bassæus *v. Notar. num.*4.

321 Pariter verò Notarii justitia consistit in hoc, quod non excedat metas rationis in exigendo scripturarum pretio. Si ergo pretium est à lege taxatum, illud debet servare, nec potest aliquid ultra recipere nisi illud ex pura, & mera liberalitate fuerit donatum, & contrarium faciens nedum peccat, sed tenetur ad restitutionem. Quod si lex prohibeat, ne ultra pretium taxatum Notarius recipiat etiam spontè oblatum, peccat id recipiens, quia legem non servat, non tenetur verò ad illius restitutionem, nisi & ad illud restituendum lex obliget. Ob laborem tamen, & industriam extraordinariam aliquid amplius potest recipere. Navarr. *dict. num.*54. Tolet. *dict. num.*61. Regin. *num.*694. Clau. Reg. *num.* 18. Rodriq. 2. *part. cap.* 2. Fernand. *part.*4. *cap.*3. §.2.

322 Si verò in officio delinquat Notarius, quod judex Ecclesiasticus possit illum punire, & etiam officio privare advertit Gloss. *in v. Notarium, ex cap. Felicis*, §.1. *Cum sint, de Pœn.* & quod delictum Notarii exigentis ultra metas rationis pretium sit quasi crimen concussionis, tradit eadem Gloss. *in v. metas alligato ex cap. Sancimus* 1. *quæst.*7. *& l. ult. C. ad l. Iul. repet.*

323 Delegati igitur officium est pretia scripturarum moderari, ut tradunt Gloss. Domin. *num.*2. Franc. *num.*1. Silvest. *v. Tabellio num.*6. Nam & delegati officium est relevare partes à superfluis expensis, Archid. *nu.*15. Hæc verò pretia moderari debent habita consideratione personarum, negotiorum, & consuetudinis patriæ, ut Gloss. considerat; & si delegato videbitur faciet per aliàs fideles Notarios hujusmodi pretium taxari. Duo tamen genera scripturarum hic considerari debent. Aliæ enim sunt judiciales, & istæ sunt de quibus loquitur hic textus, & quorum pretium moderari debet delegatus, taxando nimirum, quid detur pro citatione, quid pro termino, quid pro contestatione, & sic de singulis aliis scripturis ad causam spectantibus. Sed aliæ sunt scripturæ extrajudiciales, ut sunt instrumenta contractuum, quæ fiunt extra judicium, & horum pretium taxare non spectat ad delegatum, cùm non pertineant ad causam, sed ad Ordinarium, vel ad judicem ad hoc specialiter deputatum, Gloss. & Domin. *num.*4. & Silvest. *d. num.*6.

324 Ex hoc verò colligitur delegatum habere jurisdictionem etiam in alias personas à nominatis in rescripto, quæ ad causæ expeditionem per se concurrunt; se extendit enim ad accessoria causæ, & sic se extendit ad hoc, ut faciat ne Assessor, Notarii, & testes gravent partes, & ut possit eos compellere, ut satisfaciant illis. Sed licèt certis de causis possit jurisdictio delegati contra alios, quam expressos in rescripto, ut not. plenè *in cap.*1. *de off. deleg.* tamen Anch. hic existimat, quod si ratione judicii coram eo agitati alicui pecunia debeatur, non videtur, quod delegatus possit se intromittere, & partes cogere ad solvendum, nisi in personis hic expressis in textu. Sed videantur DD. *in d. cap.*1. *de off. deleg.* An verò delegatus possit simul refrænare Advocatos, & Procuratores, ne excedant in exigendo salarium, Ancharano videtur, quod non per not. *in cap.*1. §. *Nec subditos, inf. de for. compet.* sed Franc. hic *num.*4. sustinet oppositum. Nam cùm Advocatus, & Procurator sint ministri in causa spectat ad officium judicis providere eis de salario, ut hic in Gloss. Pro quo etiam facit text. *in cap.*1. *sup. de off. jud.* Ubi ad officium Judicis etiam delegati spectat providere de Advocato, ergo & salarium constituere, *arg. cap. præterea, sup. de off. deleg.* & advocatus potest ad hoc cogi, & salarium ei constitui debet, ut per DD. *in d. cap.*1.

325 Quia verò Notarii sæpè metas justi salarii excedere conantur, ideò Pontifices ob hoc scripturarum illorum pretia taxarunt. Hinc ut notarunt Jo. Andr. & Butr. *num.*2. ob hoc emanavit extravag. Jo. XXII. quæ incipit *cum ad sacrosancta* de officialibus Curiæ. Sed & in Urbe Paulus V. in sua constit. 72. taxavit pretia scripturarum in quolibet Urbis tribunali. Sed & in aliis curiis vel lege, vel consuetudine pretia istà taxata sunt, & à Notariis servandæ sunt taxæ.

326 Illicitum quoque est delegatis Sedis Apostolicæ participare in lucro cum Assessore, vel Notariis; quoniam hoc illis expressè hic prohibetur. Gloss. Jo. Andr. Butr. *n.*3. Dom. *num.*3. Franc. *num.*2.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Si quid autem.

SUMMARIUM.

327 *Regula textus.*
328 *Delegatus si contra hanc constit. aliquid receperit, tenetur ad restitutionem.*
329 *Quod recipitur lege prohibente, an sit restituendum.*
330 *Remissio quando non juvet.*
331 *Statuto facto principaliter in pœnam tertii non potest renunciari.*
332 *Nec remissio vel donatio relevat delegatum ab onere restituendi pendente lite,*
335 *Nec si illud sit sponte oblatum, remissum.*
336 *Quid si salarium sit insufficiens,*
337 *Index sæcularis non habens salarium recipit sportulas juxta taxam.*
Quid sint sportulæ.
Quando illas exigant Judices.
338 *Ordinarius Ecclesiasticus non potest recipere sportulas, vel salarium à partibus.*
339 *Decreta Concil. Trident. & Sac. Congregationis de nihil recipiendo in collatione ordinum, & beneficiorum.*
340 *Declaratio S. Congreg. in Gerunden.*
341 *Ordinarius Ecclesiasticus, nec pro Assessore potest petere salarium.*
342 *Quid in Ordinario sæculari?*
343 *Notarii Ecclesiastici aliquid accipiunt, ubi non habent salarium.*
344 *Episcopi, ex quo excusantur, si non dant salarium notariis.*
345 *Notarii non possunt recipere ultra taxam.*
Et an si sponte illis detur.
346 *Quid in Indiis.*
347 *Notarii non possunt recipere à pauperibus.*
348 *Quid si sponte illis offeratur.*
349 *Notarius post datas scripturas sponte oblatum potest recipere.*
350 *Delegato sæculari debentur sportulæ.*
351 *Qualiter taxandæ.*
352 *Delegatus pro pluribus causis plura habet stipendia.*
Quæ sint plures causæ disparatæ.
353 *Ordinarius ex simplici commissione non fit delegatus, ut possit sportulas habere.*
354 *Delegato, qui non profert sententiam, non debetur salarium nisi ad ratam.*
355 *In causis mercedum non exiguntur sportulæ.*
356 *Nec in causis brevioribus.*
357 *Nec in causis pauperum.*
358 *Etiam à sponte offerentibus.*
359 *An delegati Ordinarii recipiant sportulas.*
360 *Vicario Episcopi non debentur sportulæ, si habet salarium.*
361 *Ex vi hujus decret. Delegati ordinarii non prohibentur habere sportulas.*
Lex positiva non debet extendi ad casus non expressos.
Circa delegatos hujusmodi standum est consuetudini.
362 *Delegatus Apostolicus non recipit sportulas.*
363 *Consuetudine potest derogari huic decretali.*
364 *Quodnam peccatum sit, si Judex recipiat, quod non potest.*

327 CUm Pontifex de salario Assessoris, & Notariorum decreverit esse taxandum, & moderandum, prohibuerit verò judici munera recipere præter xenia, & nisi in caso uno expresso expensas in præsenti, §. *Præcipit*, ut si Judex, Assessor, vel Notarii aliquid receperint contra præsentem constitutionem teneantur ad restitutionem illius, & ita quod nec valeat remissio illius, si sibi facta fuerit.

328 Sic ergo si judex vel à partibus munera præter xenia in parva quantitate, vel ultra moderatas expensas cum proficiscitur extra domicilium, receperit, vel receperit expensas à pauperibus, vel in fraudem pro assessore, vel participaverit in lucro eum Assessore, & Notariis, vel Assessor, & Notarii ultra taxan, & moderationem aliquid exegerint à partibus, tenentur ad restitutionem, Gloss. Butr. *num.*2.

329 Ex hoc verò textu colligit Franc. §. *Notarium*, *num.*3. quod recipiens aliquid contra juris prohibitionem tenetur ad restitutionem. Sed hoc est quidem verum in foro externo, & etiam in interno; si præcedat judicis sententia, & condemnatio, sed in foro conscientiæ ante judicis sententiam non est verum, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Si tamen lex nedum prohibeat recipi aliquid, sed ulterius expressè decernat receptum esse restituendum, an in conscientia tunc restitui debeat *inf. qu. sequent. art.*3. explicabitur.

330 Non vult autem, quod valeat remissio facta à parte. Ex hoc verò colligit Butr. *num.*1. quod ubi restitutio alicujus dati est facienda parti in pœnam publicam, non valet remissio. Sed melius adnotat Franc. §. *Notarium*, *n.*3. quod hoc est verum in præsenti casu, quia id Pontifex expressit in casu isto, ut hic dicitur, & *in cap. cogit*, *inf. de censibus*, ex quo à contrario sensu deducitur, quod si lex non prohiberet remissionem, liberaretur quis à restitutione per remissionem gratuitam. Quod facit ad not. *cap. Cùm tu, supr. de usur.* & per Gloss. *in reg. peccatum*, *inf. de reg. juris*.

331 Dedocet idem Butr. quod statuto, quod sic est in favorem alicujus, quod est in alterius odium, & pœnam, non potest renunciari. Quod enim remissio non valeat, est favor ejus, qui dedit, sed quia hoc statutum est principaliter in odium ejus, qui recipit, non potest qui dedit huic suo favori renunciare, Ad quod facit *cap. Non sanè 14. quæst.*5. & ibi notat.

332 Quæ autem Gloss. quid si postquam judex restituit, pars ei donet, & reddat, quod restituit, numquid hoc facere potest? Et respondet posse, nisi contractus fiat in fraudem. Sed dicendum est non posse: Nam remissio non est nisi donatio, & donatio ejus, quod restitutum fuit, non est in substantia nisi remissio. Et quod lex intendit est, quod judex nec donata recipiat, unde nec vult, quod munera recipiat. Pendente ergo lite, remissio vel donatio facta judici non valet. Lite verò finita cessante fraude, & si sit liberalis, & gratuita, etiam valet remissio, Non enim judex prohibetur recipere post litem.

SUMMARIUM.

333 *Ratio difficultatis.*
334 *Judex habens salarium non potest accipere salarium, seu sportulas à partibus.*

Quæstionis quintæ

ARTICULUS I.

An judici debeatur salarium.

VIdetur enim, quod debeatur, ex eo quia labor omnis optat præmium, nec convenit militem stipendiis suis militare, vel agricolam de suo labore fructus non percipere. 333

Sed hic distingui debet inter Judicem sæcularem, & Ecclesiasticum, & rursus inter Judicem ordinarium, & delegatum. Quamvis primò universalis conclusio ponitur, & dicitur, quod nullus Judex sive sæcularis, sive Ecclesiasticus potest recipere à partibus salarium, seu sportulas, si aliàs est stipendiatus, seu pro officio suo habet salarium ex publico. Sicut enim medicus, qui habet sufficiens stipendium, non potest à civibus particularibus aliquid exigere, sic nec Judex habens salarium. Et ratio est evidens, quia injustum est pro eodem opere, & labore, duo stipendia accipere, quia per primum sufficienter, & æqualiter 334

liter satisfit, ut supponitur, secundùm igitur est indebitum, nec potest ex justitia exigi, *§. scriptum exemplar.* Authen. *ut Iudic. sine quo suffrag. & sup. cap. 1. ne Prælat. vices suas, cap. cùm ab omni de vit. & hon. Cleric.* & ibi Panorm. & Innoc. Silvest. *v. Iudex p. num.* 13. Tabien. *eod. v. num.* 6. Armill. *num.* 6. Bonac. *tom.* 2. *disput.* 10. *in decal. quæst.* 2. *part.* 8. *num.* 2. Card. de Lugo *tom.* 2. *d.* 37. *num.* 123. Mol. *de just. disp.* 83.

335 Est autem hoc adeò verum, ut Judex habens salarium, sportulas, vel aliquid aliud simile, ut spontè oblatum non possit à partibus accipere, & si acceptet restituere teneatur, secundùm Panorm. *in cap. Quia plerique de immunit. Eccles.* Navar. *cap.* 17. *num.* 33. Medin. *de restit. qu.* 2. *art.* 2. Molin. *de just. & jur. disput.* 83. Menoch. *de arbitr. casu* 514. *num.* 7. Quia hujusmodi judices salario debent esse contenti; quod omni juri est consentaneum, juxta illud quod Lucæ 3. militibus dixit Jo. Baptista: *Contenti estote stipendiis vestris*. Sed de hoc dicendum erit infrà art. 3. ubi tractabitur de muneribus non recipiendis à Judicibus, & de obligatione restituendi.

336 Nec se excusare possunt Judices habentes salarium, ex eo quod illud sit modicum, quia cùm officium receperint cum illo salario, censentur pro illo se obligasse ad illud exercendum, ut ex Castren. *in l. si duo, ff. de acquir. hæredit.* Alex. *consf.* 13. *num.* 9. *& consf.* 157. *lib.* 2. *& consf.* 158. *in princip. lib.* 5. Cravet. *consf.* 186. *n.* 7. 8. *&* 9. Molin. *de just. disp.* 83. tradit Lanfranc. Zachia *de salar. quæst.* 72. *n.* 17. Et hoc procedere etiam si salarium à principio erat competens, sed successu temporum evasit insufficiens, addit idem Lanfranc. *ex Cavat. in ocul. Reipub. part.* 3. *cap.* 4. *n.* 31. eadem ratione, quia scilicet recipiendo, & exercendo officium censetur se obligare pro illo salario. Sed alii dicunt, quod si Princeps nolit augere salarium, possit Judex accipere, donec contingat limites justi pretii, Card. de Lug. *de just. tom.* 2. *disp.* 37. *n.* 124. Molin. *dict. disp.* 83. Navar. *consf. de datis, & accep. num.* 47. Sed hoc quidem procedit, ubi id consuetudine est introductum. Aliàs id non est tutum, tum ratione dicta, tum quia facillimum est, ut ex Molin. advertit idem Card. de Lugo, quod multi sint, qui libenter acceptarent dicta officia cum illo stipendio insufficienti, ex eo, quod habeant adjuncta multa privilegia, honores, & præeminentias, quæ omnia sunt pars pretii. Unde nec Princeps tenetur dare integrum stipendium, si de facili inveniat multos divites, qui pro illo stipendio, & aliis commoditatibus officia illa libenter accipiant. Ubi tamen jam consuetudine sit introductum, quod hujusmodi judices aliquas sportulas, vel aliud accipiant donec pertingant ad fines justi salarii, hæc consuetudo est tolerabilis, quia est rationabilis, Gratian. *discept.* 55. *num.* 37. Specul. *in tit. de salar.* §. 1. *num.* 13. & quod judex sæcularis talis possit aliquid recipere à spontè dantibus, ut dicitur infrà *num.* 387.

337 Dicitur secundò, quod sæcularis Judex ordinarius non habens salarium ex publico exigit à partibus sportulas. Sportulæ dicuntur munera judicum, quorum quantitas non est à lege definita, ut *in Auth. generaliter, C. de Episc. & Cler.* dicuntur verò sportulæ accipiendo contentum sub nomine continentis, quia sportulæ sunt vasa quædam, in quibus, quia antiquitus munera judicibus deferebantur, ideò translatum est nomen, ut significet munera ipsa, quæ judicibus dantur, ut notarunt Panorm. *cap. Cùm ab omni num.* 9. *de vit. & honest. Cler.* Silvest. *v. Iudex* 2. *num.* 13. Tabien. *n.* 6. Sæculares igitur judices hujusmodi sportulas habent, quarum quantitas si non lege municipali, consuetudine erit definita. Et prout habetur *ex d. cap. Cùm ab omni*, consuetudo apud sæculares erat, ut judices sæculares acciperent quandam quotam litis puta 20. vel 10. Quam consuetudinem valere notat ibi Panorm. *num.* 3. & tenet Specul. *in tit. de salar. num.* 1. Sic igitur sæculares Judices sportulas habent pro labore in judicando suscepto in ea quantitate quam vel lex patriæ, vel consuetudo determinat, Barbos. hìc *num.* 85. Covar. *in reg. peccatum par.* 2. §. 3. *n.* 2. Decian. *consf.* 41. *n.* 74. *l.* 2. Grat. *discept. forens.* 55. *num.* 13. Menoch. *de arbitr. casu* 342. *num.* 39. Eas tamen non posse exigi à pauperibus dixit Tabien. *v. Iudex num.* 8. Iudices quoque, quibus sportulæ debentur, monet Silvest. ut ante calculum sententiæ illas recipiant, quia post sententiam facilius partes obliviscuntur eas solvere. Romæ praxis est, ut cùm Judici debetur propina, pars ad cujus favorem erit sententia, illam deponat apud notarium causæ.

Dicitur tertiò, quod Judex Ecclesiasticus ordinarius sportulas, vel salarium, vel quodcumque stipendium pro labore suscepto in judicando non potest exigere. Ita Panorm. *dict. cap. Cùm ab omni num.* 9. Silvest. *d. n.* 13. Tabien. & Armill. *d. num.* 6. Bonac. *d. p.* 8. *num.* 3. Ratio est, quia Judex Ecclesiasticus ordinarius habet beneficium, & fructus sibi assignatos ad sustinenda onera officii sui, inter quæ onera est exercitium jurisdictionis, & Judicis officium. Unde censetur habere salarium ex publico, etiam pro exercendo officio Judicis. Et benè Panorm. *ibid. num.* 6. consideravit, quod in d. textu dicitur, quod beneficia dantur Clericis, primò & principaliter, ut honestè vivant, ex quo idem textus deduxit, non convenire, ut Clerici beneficiati accipiant aliud salarium pro judicando. Et licèt textus ibi loquatur de delegatis, ratio multò magis militat de ordinariis, quorum jurisdictio est per se annexa officio, propter quod datum est illis beneficium, ex quo sine alio salario honestè vivere possunt. Et sic in ordinario militat ratio legis naturalis justitiæ, quæ judicem habentem salarium prohibet exigere aliud salarium. 338

Adest quoque decretum Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. in quo decernitur, quod Episcopi nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quocumque prætextu accipiant. Garz. *de benef. par.* 8. *cap.* 1. *num.* 76. *&* 77. Barbosa verò *in d. cap. primò n.* 9. *& seq.* & Nicolius in Flosculis, *in v. Gratis*, plures casus referunt, in quibus decisum referunt Episcopis non licere quidquam accipere, vel percipere directè, vel indirectè, qui in declarat. S. Cong. infrà ponenda continentur, sed sufficit regula generalis, quod cùm pro officio habeant redditus Episcopales, non possunt pro jurisdictionis, aut facultatis eorum exercitio, aliud stipendium exigere. Est verò specialiter illis prohibitum participare in stipendio ministrorum. *Nam in Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 1. expressè decernitur, ne Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumenti, ex ordinum collationibus, directè, vel indirectè provenire possit, contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles (quas potiùs abusus simoniæ faventes nuncupari posse affirmat) penitus cassando, & interdicendo. Sed & in collatione beneficiorum, quod collatores pro collatione, vel quavis dispositione, quovis quæsito colore directè, vel indirectè, etiam sub prætextu annatæ, aut cujuslibet portionis fructuum, etiam à spontè dantibus, aliquid accipere non possint, & ita quod nec aliquid emolumenti ex receptis à notariis pro scriptura valeant percipere, pluries declaravit S. Cong. Concilii, ut videre est apud Garziam *de benef. part.* 8. *cap.* 1. *n.* 76. *&* 77. 339

Et juvat de verbo ad verbum, ex eodem Garzia referre decisionem datam in una Gerunden. sequentis tenoris. *Illustriss. & Reverendissimi Domini, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Gerunden. animadvertentes, quod Reverendissimus Dom. Iacobus Cassador, modernus Episcopus Gerunden. quotidie contra stylum antiquum dictæ Ecclesiæ multa indebitè extorquet, & multa gravamina infert, & quod non curat se ab illis abstinere. Sed de die in diem illis continuando causam querelandi, & murmurandi aliis præbet cum maximo damno populorum, ideò ut ex dicta eorum Ecclesia extorsiones, & gravamina hujusmodi de medio tollantur, & ne abusus hujusmodi in pravam consuetudinem transeat, aliique successores in dicto Episcopatu malum exemplum hujusmodi imitari possint, deliberarunt, non nulla capitula extorsionum, & gravaminum hujusmodi vestris Illustrissimis DD. deferre ab hoc, ut ex sola benignitate in his, in quibus eis videbitur providere dignentur.* 340

In primis Reverendissimus D. Episcopus à provisis de beneficiis à Sede Apostolica in forma dignum extorquet pro collatione in vim mandati Apostolici facienda, Iulios duos pro quolibet scuto valoris dicti beneficii. Secundò item pro collationibus beneficiorum, quas ipse jure ordinario facit, extorquet pro qualibet provisione aliquando scuta sex, & aliquando septem. Et hoc idem vult extorquere à provisis ab inferioribus, ad quos collatio spectat. Si verò collationes fiant ab Abbatibus, vel aliis inferioribus à sua jurisdictione exemptis, ipse Dominus Episcopus vult, quod collationes ab ipso, vel ejus Vicario approbentur, ac rata, & grata fiant, & tantumdem persolvant, alioquin non vult, quod possint gaudere dictis beneficiis. Tertiò item pro literis dimissoriis, seu testimonialibus, aut com-

commendatitiis. Dom. Episcopus exigit undecim grossos, & unum nummum contra formam Concilii Tridentini, cap.1. sess.21. de reformatione. Quartò item facit solvere Clericos volentes se ordinare ad aliquem ordinem sacrum pro literis publicatoriis duos grossos, & quatuor denarios. Et id repetit in quolibet ordine suscipiendo. Quintò item pro licentiis exercendi curam animarum, & confessiones audiendi, sive coadjutoriis, exiguntur tredecim grossi pro quolibet, quæ quolibet anno, sine alio examine renovari debent, & iterum persolvi contra formam, cap.15.sess.25. Ubi expressè cavetur, quod gratis concedantur. Sextò item pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim literarum Apostolicarum conceduntur, exigit unum marcum argenti, quod est valoris trium ducatorum, & ultra contra formam ipsarum literarum Apostolicarum, in quibus sua Sanctitas mandas, quod nihil percipiant à sponte offerentibus. Septimò item pro examine in concursu fiendo, pro obtinendo parochiales quocumque mense vacantes facit solvi ab examinatis, & approbatis, cuilibet examinatori julios quatuor, contra formam, cap.18. sess.24. Octavò item, quia de consuetudine dictæ Ecclesiæ Episcopi in eorum ingressu solent exigere à personis Ecclesiasticis quoddam donativum, dictus modernus Episcopus ampliando hanc consuetudinem, vult exigere, & exegit etiam dictum donativum ab illis, qui postea beneficia obtinuerunt, & successivis temporibus obtinent, nec permittit ipsos capere possessionem beneficiorum, nec bullas, nec literas provisionis expedire vult, nisi prius solvant dictum donativum. Nonò item infligit quotidie pœnas, & censuras Ecclesiasticas in causis civilibus, & parvi momenti, etiam pro debito duorum juliorum, non aliter servata forma Concilii, cap.3.sess.25. sed contra illius formam, quo fit, ut censuræ hujusmodi parvipendantur. Decimò item confert ordines generales, ut plurimum in quadam capella sui palatii, & si quando illos in cathedrali conferat, id in capella remota, & obscura nulla præcedente intimatione, nec vocatis aliquibus Canonicis facit contra formam, cap.18. incip. Ordines sess.23. de reformat. Hæc, & multa alia dictus Dom. Episcopus extorquet, & in multis aliis gravat subditos, ideò supplicantur humiliter vestris Illustrissimis, & Reverendissimis DD. ut pro solita benignitate dignentur consulere benignitati (sed puto, quod velit dicere indemnitati) subditorum, ac simul cupiditati dicti Prælati. Responsio. *Reverendissime Domine, ut frater, Canonici, & Capitulum istius Ecclesiæ, Libellum, qui erit cum his literis, Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum obtulerunt, in eo, qui de amplitudine tua conquerantur, ipsa percipiet, simulque videbit, quid ad unumquodque ipsius Libelli caput Sac. Congregatio responderit. Nempè ad primum, & secundum pro collatione, aut institutione Ecclesiarum, & præsertim curatarum Cancellarium posse in singulis accipere mercedem sui labori convenientem, quod tamen scriptura sigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aureum non excedat, & dummodo ipsi Cancellario salarium nullum pro suo officio exercendo constitutum sit, & ex pecunia, quam accipiet prorsus emolumenti collatores, aut institutores, ullo modo directè, vel indirectè percipiant. Ad tertium nihil exigendum pro dimissoriis commendatitiis, aut testimonialibus literis juxta caput sess.21. Concilii ejusdem. Ad quartum de literis publicatoriis id prohiberi eodem cap.1. sess.21. vers. nec alia quacumque de causa. Ad quintum, gratis oportet concedi hujusmodi licentias, juxta cap.15. sess.23. Ad sextum, pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel ejus Vicario quidquam accipere; nec ratione taxæ, etiam ex immemorabili consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei; quapropter decretum istud, quod solet poni in literis dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii spontè accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum est, ut neque ordinarius ipse, nec Vicarius ejus, quidquam pro mercede laboris, quem ea in re susciperent, capere possent, notarios verò pro examine testium, quartam aurei, seu ducati partem licitè accipere posse. Ad septimum non debere examinatores occasione examinis ad parochiales Ecclesias quidquam accipere, alioquin puniendos arbitrio Ordinarii. Ad octavum de donativo in ingressu respondit, istam consuetudinem esse sublatam per Concilium, cap.14. sess.24. Ad nonum non debere censuras infligi, nisi secuta forma, cap. 3. sess. 25. Ad decimum sacrorum Ordinum collationes in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis publicè celebrari debere, juxta cap. 8. sess.23. Quæ illi sigillatim præscribere voluimus, ut cum videat ea minime licere, ab illis amplitudo tua abstineat quod facere debebit, nec cuiquam relinquere offensionis, aut querelæ locum, interea eam benè in domino valere, gratiaque sua donis cumulari optamus. Romæ 12. Augusti 1558. Amplitudinis tuæ Reverendiss. uti frater Cardinalis Carrara.*

Hoc verò extenditur, ut nec pro assessore possit judex Ecclesiasticus ordinarius exigere salarium aliquod: Silvest. *num.*15. *vers. secundum*, Tabien. *num.*14. Armill. *num.*10. Panorm. *d. cap. Cùm ab omni num.*14. Et ratio est, quia ordinarius non debet ignorare Canones, *cap. Cognovimus* 10. *quæst.*3. §.1. *dist.*20. *& cap.*1. *de consang. & aff.* Sciendo autem Canones, rarò continget casus, in quo per eos judicare non possit, seu perito in jure civili indigeat. Et nihilominus, si hic casus daretur, deberet de suo dare assessori salarium, quia habens beneficium, & sic salarium sufficiens pro exercendo officio suo, si ad hoc indiget assessore debet suis sumptibus illum conducere. 341

Quod tamen in ordinario sæculari non procedit, qui ex officio non tenetur scire leges, sed sufficit, si habeat experimentum, *l. Certi*, §. *de judic.* Unde potest dari casus, in quo indigeat assessore; & tunc potest à partibus exigere pro eo stipendium, Silvest. *d. num.*15. *vers. secundum*. Verum si aliundè judex redditus, seu salarium pro officio habeat, hoc benè negat Bonac. *d.p.* 8. *num.*4. Nam judex tenetur scire, judicare, & si pro hoc habet salarium, de suo solvat adjutori, si illo indiget. 342

Pariter extenditur secundò, ut ordinarius Ecclesiasticus, nec pro notario possit exigere salarium. De hoc dubitavit Panorm. *d. cap. Cùm ab omni num.*15. & oppositum senserunt Angel. & Tabien. *num.*15. Sed Silvest. *num.*15. *vers. Quartum*, & Bonac. *d.p.*8. *n.*4. exceptionem admittunt, & probant, quia cùm ordinarius Ecclesiasticus teneatur ministrare justitiam ex officio, pro quo habet sufficientes redditus, cùm non possit justitiam exercere sine notario, tenetur illum assumere, & de suo alere. Sed praxis est in contrarium, Imò S. Cong. Episc. & Regularium edidit taxam, quam notarii Episcoporum servare debeant, tam in beneficialibus, quàm in civilibus, & criminalibus, quàm per extensum ex registris ejusdem Sac. Congregationis habuit, & in suis Flosculis retulit, *v. Taxa Nicolius*. Sed & circa hoc adest decretum *Concil. Trident. sess.*21. *cap.*1. In quo concedit, ut notarii, ubi non est laudabilis consuetudo, ut nihil recipiant, pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus tantùm decimam partem unius aurei recipere possint, dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo. Quamobrem, quod notarius Episcopi, non habens salarium constitutum ab Episcopo, vel alio possit aliquid accipere, dixerunt Turrecrem. *cap. Sicut Episcopum* 1. *quæst.*2. Angelus *v. Simonia* 3. *num.*22. Silvest. *qu.*8. Armill. *num.*32. Felin. *cap.*1. *num.* 1. *de Simon.* & ibi Panorm. *num.*3. Butr. *num.*7, Navar. *cap.*23. *num.* 102. Piasec. *in praxi part.*1. *num.*55. Reginal. *in praxi l.*23. *num.*20. Narbona *l.*33. Gloss. *unic. num.*7. *&* 10. Suarez *de Relig. tom.*1. *l.*4. *de Simonia cap.*53. *num.* 6. Ugol. *de simonia*, Fab. 1. *cap.*41. *num.*4. Barbosa *ad dict. cap.*1. *sess.*21. *Concil. Trident. num.*16. Giball. *de Simonia*, *quæst.*18. *num.*2. *ver. Quintò notarios*, Lanfranc. Zachia *de salario quæst.*77. *num.*22. 343

Episcopum quoque non esse damnandum, qui salarium pro officio notariatus non tradit notario, vel ob tenuitatem fructuum, vel ob antiquam consuetudinem, quam Concilium Tridentinum non abstulit, sed potius probavit, colligit loco citato Giballinus. Sed ubi sit consuetudo, quod Episcopus, non obstante tenuitate fructuum, det salarium notario, tenebitur illud dare. 344

Ubi verò permissum est notario, recipere pro scriptura, & actis ejus, omninò ille servare debet taxam; quod si in aliquo Episcopatu non fuerit propria taxa, notarius debet uti taxa fori Archiepiscopalis, vel Episcopus loci eam conficere debet similem curiis vicinis, ut teste Nicolio *lib.*4. *civilium tit.*6. *de action. num.*244. declaravit Sac. Congreg. Episc. & Regul. in una Triven. 13. *Decemb.* 1613. Arbitratur verò Lanfranc. Zachia *de salar. quæst.*77. *num.*29. quod notarii ultra taxam nec à spontè dantibus recipere aliquid possint, Quod est verum Romæ propter statutum Civitatis, quod ipse refert *ex lib.*3. *cap.*112. ubi ponitur pœna solvendi quadruplum parti, & aureos decem Cameræ Urbis. Sed ex natura rei, hoc non sequitur ex eo, quod præcipitur, ne notarii exigant ultra taxam, ideò solùm prohibentur recipere purè, & sincerè oblatum, ubi & in casibus, 345

in

in quibus hoc est expressum. An verò notariis prohibitum sit recipere munera, sicut est prohibitum judicibus dicetur infra art. 3.

346 In Indiis verò, ubi res maximo pretio venduntur, notarios loco decimæ partis aurei supra statutæ à Concilio Trid. posse recipere quantitatem permissam in quodam decreto Sixti Quinti, tanquam decisum ex Sell. *in select. Canon. cap.* 10. *num.* 15. tradit Barbosa *ad d. cap. 9. sess.* 21. Concil. Trid. *num.* 8.

347 Adhuc verò in multis casibus notarii stipendium, seu pretium suarum scripturarum, aliàs sibi permissum recipere non possunt. Primò enim miserabilibus personis tenentur gratis actitare, & scripturas conficere ad textum *in l. providendum*, §. 1. *C. de postul. & l. tam de mentis in fin. junct.* Gloss. *C. de Episcop. audien.* Felin. *in cap. si qui testium, n.* 10. *de testib.* Navar. *cap.* 25. *num.* 53. Scacc. *de appell. quæst.* 15. *num.* 51. Salon. 22. *quæst.* 17. *art.* 1. *in fin. concl. ult.* Rota *dec.* 2. *de constit. in antiq.* Roman. *in repet. l. si verò §. de viro, limit.* 25. *ff. solut. Matr.* Jason. *in §. tripli, instit. de act.* Gigas *de pension. q.* 80. *num.* 4. Roland. *cons.* 87. *num.* 31. *lib.* 2. & alii plures, quos refert, & sequitur Antonius Leoncillus *de privilegiis pauperum privil.* 287. Lanfrancus Zachia *de salar. q.* 78. *num.* 14. Ubi quod hoc procedit, tam in notario publico instrumentante, quàm actuante. Scannarol. *de visit. carcer. l.* 2. §. 2. *cap.* 11. *num.* 13. Et quod sub nomine miserabilium veniunt furiosi, ex dicta *l. tam de mentis*, & Gloss. *in v. prægravetur.* Et quod notarii possent ad hoc per judicem cogi ex Marches. *de commiss. p.* 2. *de commiss. avocat. caus.* §. 2. *num.* 20. & aliis. Et quod notariis non suffragaretur dicere, quod habent officium titulo oneroso; nam adhuc gratis tenentur pro pauperibus laborare. Salon. & Scaccia ubi suprà. Dum tamen pauperes sint tales, ut non habeant unde solvant, præter sustentamentum naturæ, cui prius venit satisfaciendum. Felin. *in cap.* 1. *de off. Jud.* Gigas *ad Dec. in cap.* 1. *de probat.* Sed juxta suprà notata dicendum est nomine pauperum hic intelligi constitutos in extrema necessitate, vel tam gravi, ut locum habeat præceptum charitatis obligans ad eleemosynam dandam, & sic in hoc puncto, obligat notarium, ad hoc ut gratis pauperi inservire debeat. Leoncillus ubi suprà *num.* 6. ubi *num.* 8. quod possit notarius reservare sibi jus petendi, cum pauper habuerit. Sed hoc pendet ex iis, quæ de præcepto eleemosynæ dicuntur. Verum quidem est, quod habet *num.* 9. scilicet, quod pauper ad hoc non habet actionem, sed solum potest implorare officium judicis. Verum ubi lex aliqua dat pauperi jus ad hoc, ut notarii dent scripturas, vel acta gratis, vel in forma pauperum, pauper potest agere in judicio, ut illa obtineat.

348 Addit verò Zachia *n.* 17. ut notarii à pauperibus, nec sponte oblatum recipere possint, quod tamen non video, unde deducatur. Nam hoc de se non est injustum, & aliàs nisi pauper gratis offerens esset in tanta necessitate, ut recipere illud esset contra charitatem, non est, unde dicatur illicitum, ex lege naturali. Non extat verò lex positiva, quæ hoc prohibeat in illis casibus, in quibus aliàs notarius à divitibus recipere potest.

349 Post finitum verò negotium, & ubi notarius, qui aliàs prohibitus est pro scripturis, & actis aliquid exigere, vel recipere, scripturas sine pretio dedit, poterit recipere, quod sibi sponte, & ex pura liberalitate donatur, quia hæc receptio prohibita non reperitur, imò permittitur, *cap. sicut Episcopum 1. quæst.* 2. Ubi Turrecrem. Ugo, Archid. & Barbos. *num.* 5. Navar. *cap.* 23. *num.* 102. *ver.* 51. Barbos. *de off. & potest. Episc. All.* 7. *num.* 26. Zachia *de salario quæst.* 78. *num.* 24.

350 Dicitur quartò, quod sæcularis delegatus habet sportulas, Silvest. *v. Judex 1. num.* 13. & Tab. *num.* 6. Armill. *num.* 6. & Bonac. *d. p.* 8. *num.* 5. intelligunt hoc juxta Auth. *de Judic.* §. *Ne autem labor*, & Gloss. *in cap. de omni, de vit. & honest. cleric.* ut si causa excedat centum aureos debeantur Judici delegato, etiam à principe duo aurei in principio, & duo aurei in fine, & nihil aliud, & si causa non excedat centum aureos, nihil debeatur. Sed quod absolutè judici delegato debeantur sportulæ dixerunt Gratian. *disceptat.* 55. *num.* 15. & 561. *num.* 4. Barbosa *hic num.* 85. Lanfranc. Zachia *de salario quæst.* 72. *num.* 19. Rom. *cons.* 85. per totum, Anchar. *cons.* 101. *in princ.* Castrens. *cons.* 79. *num.* 4. *l.* 1. Boer. *decis.* 15.

351 Hoc verò salarium esse taxandum secundùm valorem rei petitæ, & non secundùm valorem ejus, quod est in sententia, vel quod in effectu debetur, ex Bartol. *in l. cum quædam*, §. *fin.* ubi Jason. *num.* 5. *ff. de jurisd. omn. jud.* Item Jason. *in §. Triplici Inst. de act.* Nabb. *cons.* 154. *volum.* 1. Surd. *cons.* 86. *num.* 4. Bobadill. *in polit. l.* 3. *cap.* 8. *num.* 28. & pluribus aliis tradit Lanfranc. Zachia citatus *num.* 20. Ubi quod & in casu, quod peteretur res ratione solius possessionis, tunc haberetur ratio valoris possessionis tantùm, & non proprietatis.

Et *nu.* 21. quod possit plura salaria recipere, quoties actio est instituta contra diversas personas, & pro diversis bonis, & causis dirigitur. In hoc tamen puncto, quid servari debeat in regnis Hispaniæ tradunt Sanchez *l.* 3. *Consil. cap. un. dub.* 21. & Card. de Lugo *de just. tom.* 2. *disp.* 37. *num.* 137. Qui ait, quod alibi observanda sunt verba legis taxantis hujusmodi stipendium. Nam si uno mandato assignaretur unum stipendium, unum deberetur, quando esset unum mandatum commune, & causa esset communis omnibus debitoribus, vel omnibus debitis. Sed si stipendium esset assignatum mandato circa unam personam, vel circa unum debitum, possent accipi plura, quia illud mandatum videtur æquivalere pluribus, quando singuli diversam partem habent. Et *num.* 138. loquens de commissariis, & executoribus distinguit: quia si commissario misso ad exequendum ex pacto datur stipendium diurnum pro singulis diebus taxatum, ut v. g. 12. Julii pro singulo die, commissarius nihil aliud recipere potest, etiam si ad plures causas mittatur. Sed si commissiones sunt disparatæ, & pro singulis est constitutum stipendium, potest plura stipendia recipere, & tot, quot sunt causæ sibi commissæ. Ubi ergo causæ sunt plures, & disparatæ, delegatus tot stipendia accipere potest, quot sunt causæ sibi commissæ. Sunt verò causæ disparatæ, si fiunt contra diversas personas, & de diversis bonis. Sufficit verò, quod sint diversi rei, pro diversis disparatis bonis conventi, licèt ab eodem actore, sicus etiam sufficit, si plures actores ex causis disparatis agant contra eundem reum. Imò sufficit, si idem actor contra eundem reum pro causis disparatis agat, unde causæ diverso processu, & distinctis sententiis sint terminandæ. Nam tunc eadem persona materialiter multiplex est, quia veluti plurium personarum vices gerit. Sic ergo sicut advocatus, & procurator potest pluribus locare operas suas, & plurium causas defendere, accepto à singulis integro salario justo; sic & delegatus, ubi causæ sunt plures, & disparatæ potest plura justa stipendia respondentia illis causis recipere. Quod verò delegatus possit sententiam detinere, donec salarium sit solutum, seu depositum, tradunt idem Zachia *num.* 22. & Felin. *in cap. tua nos v. de Simon.* Maschar. *de probat. conclus.* 164. *num.* 16. 352

Est verò hic considerandum, non posse ordinarium sumere salarium, nisi in causis, in quibus sit verè delegatus. Nam Princeps licèt committat aliquid ordinario, stat, quod solum excitet jurisdictionem ordinariam, in quo casu ordinarius, nec est delegatus, nec salarium, aut sportulas potest recipere. Grat. *discept.* 55. *num.* 11. Anchar. *cons.* 201. *num.* 2. quod procedit etiam si Princeps mandet fieri justitiam summariam, quia si referatur ad jus, non operatur, quod ordinarius efficiatur delegatus. Anchar. *d. cons.* 201. *num.* 4. Quem sequitur Zachia *d. quæst.* 72. *num.* 57. & hoc etiam si in commissione fuisset derogatum feriis, nam adhuc maneret ordinarius, secus ubi in commissione essent verba augentia, vel minuentia jurisdictionem quia tunc causa esset delegata, Grat. *discept.* 55. *nu.* 12. Quamvis non plenè intelligam, quod diminutio jurisdictionis faciat, ut commissio sit delegata. 353

An verò delegato debeatur salarium, etiam si non proferat sententiam, quotiescumque per ipsum non steterit, quin illam protulerit, si partes lite pendente concordarunt affirmant Gratian. *discept.* 55. *num.* 16. & *discept.* 161. *nu.* 34. Lanfranc. Zachia *d. quæst.* 72. *num.* 23. Dummodò tamen judex aliquem laborem in causa fuerit passus, nam si nullus ejus labor intervenisset, & puta si aliquis solum fuisset monitus ad solvendum debitum, & pendente termino monitorii, seu etiam illo elapso nullus alius actus in causa præcessisset, sed partes devenissent ad concordiam, Judici non deberetur salarium, ut latè probat Cyriac. *contr.* 67. per totum. Verum est quod si judex laborasset in hoc casu judici deberentur salarium ad ratam laboris, hoc enim est consonum æquitati. Sed quod integrum debeatur salarium, 354

eadem

eadem æquitas non patitur. Et illud principium, quod quando non stat per aliquem, quominus aliquid fiat, habetur pro facto, ut in *cap. quoniam*, §. *porro*, *ut lit. non contest.* Non procedit, quando aliquid non fit, quia cessat causa id faciendi, & inter partes non est conventum determinatè de illo faciendo integrè, sed sub conditione, & quatenus opus sit. Qui verò accedat ad judicem, nec se obligat ad litem prosequendam, sed justitiam petit à judice juxta rei exigentiam, & quatenus opus sit; Unde si ipse vult parti condonare, quod pars ei debet, jam nec est opus judice, & cessante judicis labore, cessat meritum salarii.

355 In causa verò mercedis summariè diffinienda, quod judex nullum possit accipere salarium, etiam si ipse non habeat salarium ex publico tenent Gratian. *discept.* 55. *n.* 41. Roland. à Valle *cons.* 87. Cyriac. *contr.* 67. *num.* 32. Lanfranc. Zachia *d. quæst.* 72. *num.* 34. Nisi per statutum speciale aliter disponatur. Nat. *cons.* 154. In Urbe autem est statutum, quod in causis mercedum non possint exigi sportulæ, *l.* 1. *cap.* 46. §. *Excipimus autem*.

356 Sed nec in causis brevioribus sportulæ accipi possunt. §. *Ne autem*, Auth. *de judic.* §. *sit tibi quoque*, Auth. *ut judic. sine quo suff.* Caroc. *de locat. & conduc. p.* 2. *tit. de sport. jud. num.* 56. De jure autem communi illæ sunt causæ breviores, quæ non excedunt valorem centum aureorum, ut habetur *in d.* §. *ne autem*, Silvest. Tabien. & Armill. suprà citati. Menoc. *de arbitr. casu* 72. *num.* 4. In Urbe tamen ex Const. Pauli V. *Super reform. Tribun. Urbis*, *tit. de sportulis*, *seu propinis* §. *In commissariis*, causa brevior dicitur, quæ non excedit summam 25. scutorum.

357 Sed & quod dictum est supra de Notariis, dicitur de judicibus, ut scilicet à miserabilibus personis, seu notabiliter pauperibus sportulæ, seu propinæ, seu quodcumque salarium recipi non possit. §. *sit tibi quoque studium*, Authent. *de Mand. Princip. l. nulli C. de Episc. & Cler. & in hoc cap.* §. *insuper* ut ibi probatum est, & tradunt Panorm. *in cap. Cum ab omni, de vit. & honest. Cler.* Grat. *discept.* 55. *n.* 46. Novar. *in praxi privil. miserab. pers. privil.* 77. *n.* 1. Medices *de cas. fort. part.* 2. *q.* 4. *n.* 41. Fenzon. *ad stat. Urb. lib.* 1. *cap.* 46. *n.* 5. Roland. à Valle *cons.* 87. *n.* 23. & plures alios referens. Lanfranc. Zachia *d. q.* 72. *n.* 39.

358 Quod adeò verum est, ut nec à sponte offerentibus pauperibus judices possint accipere salarium, seu sportulas, *l. fin.* §. *ut autem*, *C. de re milit. lib.* 12. *& l.* 1. *C. de Salgam. hospit. non præst. lib.* 12. *& cap. Romana* §. *penult. infr. de cens. & cap. exigit eod. tit. & cap. Placuit* 1. *quæst.* 1. Bald. in Authent. *hodie C. de Episc. & Cler.* Caroc. *de locat. p.* 1. *quæst.* 7. *num.* 50. Zachia *d. quæst.* 72. *num.* 40. ubi *num.* 41. Quod nec eis est permissum recipere expensas in itinere, si casus eveniat, quod pro causæ expeditione necesse sit eos accedere ad aliquem locum extra proprium domicilium. Tiraquell.

359 Dicitur quintò, quod ex vi præsentis cap. Delegatus ordinarii non est prohibitus recipere sportulas, quia hic est sermo de Delegatis à Sede Apostol. vel ejus Legatis, absolutè verò loquendo quidam tenent, quod judex Ecclesiasticus sive Ordinarius, sive delegatus sportulas non possit accipere, Panorm. *cap. Cum ab omni*, *num.* 9. *&* 10. *de vit. & honest. Cleric.* Silvest. *v. Index p. num.* 13. *&* 15. *vers. primum*, Tabien. *num.* 6. Armill. *num.* 6. Gratian. *discep.* 161. *num.* 1. *&* 2. Fenzon. *ad stat. Urb. lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 8. Lanfranc. Zachias *de salario quæst.* 72. *num.* 33. At verò Cardin. *in Clem.* 1. *quæst.* 17. *num.* 16. *de vit. & honest. Cler. &* Silvest. *v. Clericus p. num.* 5. *ver. nonum*, existimant quod non solvere sportulas sit privilegium clericorum, & sic sequitur, quod si lis esset inter sæculares, ipsi ad sportulas tenerentur. Nihilominus Nicolius *lib.* 4. *Civilium tit.* 6. *de Action. num.* 244. *ver. Nec etiam*, ait, quod Vicarii Episcopi possunt recipere sportulas propriè dictas, & ad hoc refert declarat. *S. Congr. Epis. & Regul.* in una Ferrarien. 21. *Novembris* 1614. addens hoc intelligendum pro sententiis diffinitivis, non pro interlocutoriis, ut eadem S. Cong. in una Regien. 28. Novemb 1603.

360 Vicariis suis tenentur Episcopi dare salarium, *ut cap. Inter cætera*, cum Gloss. *in v. necessaria*, *de off. Ordin.* Barb. *de off. Episc. alleg.* 54. *num.* 178. Lanfranc. Zachia *de salario quæst.* 90. *num.* 1. Sbroz. *de off. Vicarii lib. p. quæst.* 55. *num.* 1. Cùm verò, ut suprà probatum est, nec judex sæcularis habens salarium possit recipere sportulas, multò magis hoc verum erit de Vicario Episcopi habente salarium ab Episcopo. Ubi tamen Vicarius Episcopi salarium non habeat, poterit recipere sportulas. Et in his terminis verum est & intelligi debet, quod Nicolius refert. Nam non est verisimile, quod S. Cong. voluerit Vicarium habentem salarium posse habere sportulas, cùm hoc negetur delegato sæculari.

Quantum verò ad alios delegato ab Episcopo in causis particularibus, Panorm. & alii fundantur super *cap. Cum ab omni, de vit. & honest. Cleric. & super hoc cap.* Verùm cùm in illis decretalibus sit sermo de delegatis à Sede Apostolica, non habet locum extensio. Nec obstat quod militet eadem ratio, quia hoc non sufficit, ad hoc, ut in lege positiva fiat extensio ad casum in lege non expressum. Lex enim vim obligandi habet ex voluntate Principis, & tantum, & in eo casu, & eos obligat, quantum, & in illis casibus, & quos vult obligare; Princeps verò per verba legis suam voluntatem explicat, unde si expresse loquitur in casu particulari & in specie, non significat se velle obligare ad genus, & ad omnes casus in genere similes expresso. Nec unquam est omninò eadem ratio, quia multum distinguuntur delegati Papæ, à delegatis Ordinariorum locorum, unde isti nec est necesse, quod sint in dignitate constituti. In hac ergo parte credo standum esse consuetudini locorum. 361

Dicitur sextò, quod delegatus Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejus, nec sportulas, nec omninò aliquod aliud sub prætextu, vel sportulatum, vel salarii potest recipere, sive in causa criminali, sive in causa civili. Hoc enim illi est prohibitum expresse *sup. c. Cum ab omni, de vit. & honest. Cleric. & in hoc cap.* §. *Insuper*. Et in his locis tenent communiter Canonistæ, & Silvest. *v. Index primo num.* 13. Tabien. *num.* 6. Armill. *num.* 6. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 10. *in Decal. qu.* 2. *p.* 8. *& est supra explicatum*. 362

Dubium verò est, an consuetudine possit introduci, quod delegatus Sedis Apostolicæ possit salarium, seu sportulas exigere. Negant enim absolutè Panorm. *d. cap. Cum ab omni num.* 10. Silvest. *v. Index p. num.* 13. Tabien. *num.* 13. Armill. *num.* 9. At verò alii distinguunt, quia si consuetudo incœpit ex eo, quod Ecclesiastici judices incœperint exigere sportulas, hæc non valet, quia habuit initium ex injusta exactione, secus si initium habuit ex eo, quod partes gratis solvere cœperunt sportulas. Ita Cardin. *in Clem. statutum, de elect.* Sed alii absolutè tenent, quod consuetudine derogari possit statutis hujus decretalis, *& cap. Cum ab omni, de vit. & honestat. Cleric.* & Bonacin. *d. p.* 8. *num.* 5. Nicolius loco supra citato. Giballin. de Simon. *quæst.* 18. *num.* 2. Less. *cap.* 35. *dub.* 10. Layman *l.* 4. *tr.* 10. *cap. ult. nu.* 40. qui loquuntur de Notario & lege Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. cui dicunt posse consuetudini derogari. Et universaliter verum est, quod legi positivæ derogatur per consuetudinem legitimè præscriptam. Nec obstat, si lex abroget consuetudinem, quia vel loquitur de præterita, non de futura. Vel imò nec obstaret, si & futuram consuetudinem reprobaret; quia & lex in hoc esset lex positiva abrogabilis per aliam legem, ideoque & per consuetudinem legitimè tamen introductam, & præscriptam. De sæcularibus verò judicibus res est certior, quia ut supra consideratum fuit, *d. cap. Cum ab omni*, non reprobat in sæcularibus consuetudinem recipiendi quotam litis, sed & Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. non reprobat consuetudinem recipiendi mercedem à Notariis etiam Ecclesiasticis. 363

Quodnam verò peccatum sit, si Judex, vel Notarius, vel alii ministri recipiant, vel quando illis recipere est prohibitum, vel quando recipiunt ultra taxam; in profanis erit hoc injustitia, dum exigitur, quod non debetur, vel etiam gratis oblatum recipitur, & tamen intuitu justitiæ servandæ, illud recipi est prohibitum. Sed in spiritualibus ulterius id esset simonia, ut de Notario recipiente contra præscriptum Constitut. Concil. Trid. loco citato id dixit Suarez *lib.* 4. *cap.* 53. *num.* 8. Idem tenuit Lanfranc. Zachia *de salario quæst.* 78. *num.* 23. Sed Giball. loco citato sic id negat, quod illud admittit, nam non censet esse simoniam, sed injustitiam, & tamen concedit aliquam esse simoniam. Et quidem si aliquid daretur, vel reciperetur pro re spirituali, esset indubitatè simonia formalis; sed etiam ubi prohibetur aliquid intuitu vitandi simoniam, licèt illud intrinsecè formaliter ex objecto sit, vel injustitia, vel aliud vitium, vel etiam secundùm 364

se

se res indifferens, tamen ex ordine illo ad simoniam est in genere peccati simoniæ; semper enim actus prohibitus est in specie peccati oppositi illi virtuti ex cujus motivo actus prohibetur. De quo videri possunt, quæ scripsi *tom.* 1. *de stat. q.* 186. *art.* 9. *n.* 28. *& seqq.*

S V M M A R I V M.

Quæst. quintæ

ARTICULUS II.

Vtrum judici Ecclesiastico delegato debeantur expensæ.

365 Videtur enim judicem Ecclesiasticum non posse expensas recipere, cùm sit illi prohibitum recipere aliquid à partibus, *cap. Cùm ab omni, de vit. & honest. Cleric.* Et cùm judices Ecclesiastici habeant beneficia, ex quorum fructibus honestè vivere possunt.

366 Est verò hic unum certum, scilicet judici, sive sæculari, sive Ecclesiastico, sive Ordinario, sive delegato habitanti in proprio domicilio, non deberi expensas à partibus. Nam vel judex tenetur omninò gratis jus reddere partibus, vel si potest aliquid recipere, habet pro labore, sportulas seu salarium; non est igitur unde ulterius prætendat expensas, Silvest. *v. judex* 1. *num.* 13. *ver. secundum*, Tab. *num.* 6. Armill. *num.* 6.

367 Præterea verò, certum est, quod in omni eo casu, in quo expensæ debentur, illæ debent esse moderatæ spectata qualitate personæ, loci, & temporis, ut statuitur hic in §. *Insuper*, nimirum tales, quales consuevit regulariter facere domui suæ, *cap.* 1. *in fin. de sequest. possess. l. Sed si hereditas*, §. 1. ubi Gloss. *in v. pacificit. ff. ad exhiben. l. sed & si lege §. quod autem quis, ff. de petit. heredit. DD. supra num.* 229. *citati, & ulterius* Salicet. *in l. Quoniam liberè num.* 2. *in fin. C. de testib.* quem sequitur Lanfranc. Zachia *de salario quæst.* 17. *num.* 19. Quamvis si judex domi suæ nimis splendidè, vel lautè viveret, non posset hoc à partibus prætendere, sed hujusmodi expensæ ad arbitrium prudentis, & juxta quod regulariter viri similis conditionis vivunt, essent moderandæ. Nomine tamen expensarum intelliguntur etiam expensæ accessus, & recessus, in equis, victu, & aliis necessariis, ita ut si Judex velit redire ad alium locum ab eo, à quo discessit, debentur expensæ pro tot diebus, quot sunt necessarii ad redeundum ad locum, à quo discessit, Bart. *in l. penul. C. de jure Fisci*. Videantur quæ ad §. *Insuper dicta sunt d. num.* 229. *& seqq.* Ubi verò expensæ hujusmodi sunt taxatæ, debet taxa servari, & injustitia esset exigere aliquid ultra taxam, Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. disp.* 37. *num.* 124. Molin. *de justit. disp.* 83. Navar. *in comment. de datis & acceptis, num.* 47. *&* 48.

368 Sed & tertiò certum est, quod delegatus Principis sive sit delegatus Principis sæcularis, sive delegatus Papæ, si necessitatur exire à proprio domicilio, habere debet expensas, *cap. Cùm ab omni, de vit. & honest. Cleric.* & ibi Panorm. *num.* 10. *& in hoc cap. §. Insuper*, ubi Gloss. Archid. & alii. Silvest. *v. judex p. num.* 13. *ver. secundum*, Tab. *n.* 6. Armill. *num.* 6. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 10. *p.* 8. *num.* 6. Et qualiter hoc fieri debeat, & à quo subministrandæ hujusmodi expensæ, explicatum est supra §. *Insuper*.

369 Quartò asseritur ordinarium ecclesiasticum, etiam si discedit à suo domicilio non habere à partibus expensas, si non exit confines suæ Diœcesis, aut territorii. De Ordinario enim Ecclesiastico *ex cap. cùm ab omni sup. de vit. & honestat. Cleric.* tradunt Gloss. & Panorm. *num.* 12. Silvest. *verb. judex* 1. *num.* 14. *vers. Quantum*, Tabien. *num.* 10. Armill. *num.* 8. Bonacin. *d. part.* 8. *num.* 6. Et ratio est, quia Ordinarius habet redditus beneficii, ut onera officii sustineat, & jus reddat in toto suo territorio, seu Diœcesi.

Ratione tamen visitationis Episcopo debetur procura- 370
tio, *cap. cùm Apostolus, de censib. & cap. Cùm venerabilis eodem tit. cap. Cùm ex officii de Præscript. & cap. exigit infr. de cens.* quæ datur in signum subjectionis, & titulo hospitalitatis, Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 7. *tit.* 18. *num.* 2. Excipiunt etiam citati DD. casum, in quo Episcopus exeat pro consecratione Ecclesiæ, *cap. Cùm sit Romana de simon.*

De Ordinario verò sæculari asseritur ex ratione identi- 371
tate. Gloss. *hic in §. Insuper v. consumi*, Franc. *num.* 10. Lanfrancus Zachia *de salario quæst.* 17. *num.* 20. Tabien. *nihilom. num.* 8. existimat, quod Ordinarius sæcularis, cùm proficiscitur extra domicilium habere debeat expensas. Et certè non video legem positivam, quæ hoc prohibeat. Sicut verò Ecclesiastico Ordinario Visitanti tribuitur procuratio, ita posset Ordinario sæculari visitanti tribui aliquid in signum subjectionis, & hospitalitatis. Sed ex justitia Ordinario habenti sufficientes redditus, vel salarium pro exercitio sui officii in toto territorio, non debentur expensæ, si ex officio tenetur exire intra sui territorii limites, quia pro hoc jam habet sufficiens emolumentum. Sed si salarium non respondeat exitui Judicis à proprio domicilio, ab aliquo habebit expensas, vel scilicet à publico, vel ab illo, cujus causa proficiscitur. Et in his standum erit consuetudini locorum.

Quintò dicitur, quod sæculari delegato, si cogitur exi- 372
re à proprio domicilio ad alium locum debentur expensæ. Silvest. *v. judex p. num.* 14. *vers. primum*, Tab. *num.* 8. Armill. *num.* 8. Bonacin. *ubi sup. num.* 6. Felin. *cap.* 1. *num.* 8. *de libell. oblat.* Bald. *in l. generaliter §. his de præsentibus C. de reb. cred.* Bart. *in l. si servus §. Quod verò, de furt.* Surd. *de alim. tit.* 1. *quæst.* 68. *n.* 5. Lanfranc. Zachia *de salario qu.* 17. *num.* 17.

De delegato autem Judicis Ecclesiastici Episcopi, vel 373
alterius Ordinarii, Bonac. *d. p.* 8. *num.* 6. vult, quod etiam si sit datus ad specialem causam, non possit exigere expensas, etiam si proficiscitur à propria domo. Alii distinguunt inter delegatum ad universitatem causarum, & de delegato ad causam specialem, & illum dicunt non posse prætendere expensas, hunc verò posse, Panorm. *ad d. c. Cùm omni num.* 13. Silvest. *v. Iudex primo num.* 14. *vers. Tertium*, Tabien. *num.* 9. Armill. *num.* 8. Lanfrancus Zachia *d. quæst.* 17. *num.* 17. universaliter de delegato asserit, quod ei debentur expensæ, dum à proprio domicilio proficiscitur. Sed Nicolius *lib.* 4. *civilium tit.* 6. *de action. num.* 344. refert, quod per text. *in d. cap. Cùm ab omni, de vit. & honest. Cler.* S. Cong. Episcoporum decrevit, non licere quibuscumque Ordinariis, vel eorum Vicariis aliquid recipere à prætensis reis sub nomine viatici, seu ut vulgò dicitur *Cavalcate* pro causis intra eorum Diœceses occurrentibus, etiam si non vadant ipsi, sed illuc mittant delegatos, vel Commissarios: & hoc neque pro causis civilibus, neque pro criminalibus: cum obligatione restituendi eorum id, quod propterea receperunt, quia tenentur facere propriis expensis similes processus attinentes ad eorum jurisdictionem ordinariam. Ita in una *Sarzanen.* 2. *Octob.* 1609. & in alia *Andrien.* 8. *Novemb.* 1616. & in *Narnen.* 1. *Iun.* 1640. & in *Terracinen.* 13. *Septemb.* 1641. & in *Fanen.* 7. *Maji* 1660. Sic ergo dicendum est, quod tam Ordinario quàm delegato Ecclesiastico proficiscenti intra limites Diœcesis non debentur expensæ à partibus, sed eas tenetur facere Ordinarius.

S V M M A R I V M.

381 *Si judex recipit pro justa sententia tenetur ad restitutionem.*
382 *Quid si recipiat pre injusta sententia,*
383 *Munera de jure naturæ non sunt restituenda,*
384 *Hoc explicatur.*
385 *Judices non possunt recipere munera,*
386 *Nisi finito officio.*
387 *Judex non habens salarium, quomodo potest recipere munera.*
388 *Judex potest recipere ab amicis, & consanguineis.*
389 *Judex ab amicis quamcumque potest recipere quantitatem.*
390 *Potest recipere esculenta.*
An dubio legis civilis, etiam in civili foro statur Juri Canonico.
391 *Etiam Ordinarius potest recipere esculenta.*
392 *Non possunt recipi, nisi à sponte dantibus.*
393 *Et in parva quantitate: quæ sit moderata quantitas, 394.*
Nec frequenter ab eodem.
395 *Dona parva repetita, animum mutant.*
Non potest determinari summa annua secundùm quam parva munera accipi possint.
396 *Nec officialibus, & aliis ministris licèt recipere munera.*
397 *Pœnæ contra recipientes munera: remissivè.*
398 *Ecclesiasticis unde prohibitum sit recipere munera.*
399 *Xenia in parva quantitate recipere possunt.*
Præterea nihil.
400 *Xenia solita, nec prohibita ex vi Constit. Sanctissimi D. N. Alex. VII.*
401 *Munera recipi possunt sub alio titulo amicitiæ, vel consanguinitatis.*
402 *An sit obligatio restituendi munera in conscientia.*
403 *Opinio affirmans.*
404 *Opinio negans.*
405 *Jus commune, civile non obligat judices ad restituendum munera sine scientia judicis.*
406 *Obligatio ad restituendum est medicina, & remedium.*
Si non esset obligatio restituendi in conscientia, leges prohibentes munera parum prodessent.
407 *Decretalis ista obligat ad restituendum in conscientia.*
408 *Constitutio de datis, & acceptis obligat ad restituendum in conscientia.*
409 *Facillimè adest obligatio restituendi ex lege naturali.*
410 *An liceat dare munera ad redimendam vexationem.*
Opinio negans.
411 *Opinio affirmans.*
412 *Non licèt muneribus attrahere judicem, ut det sententiam ad favorem, &c.*
413 *Rationes opinionis affirmantis.*
414 *In terminis constit. de datis, & acceptis, non licèt dare ad redimendam vexationem.*
415 *Dare ad redimendam vexationem periculosum.*
416 *Quæstio solvitur remissive.*
Judex recipiens, quod datur ad redimendam vexationem, tenetur restituere.
417 *An liceat dare concubinæ judicis, ut faveat apud judicem.*
418 *Assessor, & Notarius, ex vi hujus decretalis non prohibentur recipere munera.*

Quæst. quintæ

ARTICULUS III.

Vtrùm Judici liceat recipere aliquid dono datum à partibus.

374 JAm verò est certum ex dictis art. p. & 2. quod tanquam stipendium, seu sustentamentum, & mercedem laboris sui, non potest aliquid recipere, si habet stipendium ex publico, vel si non habet, non potest nisi recipere sportulas, & in casu, quod proficiscatur extra domicilium expensas moderatas. Quæritur verò, an si supra hujusmodi stipendium debitum aliquid sibi detur, & sponte offeratur, possit illud recipere.

Verùm hoc primò certum esset debet, quod non potest 375
judex vendere justitiam, seu sententiam justam, etiam sponte offerentibus illius pretium. Hoc enim est injustitia manifestissima, si pro eo quod jam aliàs est debitum ex justitia recipiatur novum pretium; seu si res alicui aliàs debita, recepto novo pretio illi vendatur, ut tradunt Tabien. *v. Judex num.* 16. Armilla *num.* 11. Panormit. *cap. Cùm ab omni num.* 8. *de vit. & honest. Cleric.* & communissimè DD. omnes. Quod est verum nedum respectu ejus, ad cujus favorem debetur sententia justa, vel alia judicis actio, sed etiam respectu tertii. Quidquid enim in contrarium dixerit Sotus *lib.* 4. *de just. quæst.* 7. *art.* 1. ad secundum, & Jo. de Cruce in directorio in 7. *præc. art.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 3. Judex pro eo, quod debet Paulo, non potest novum pretium recipere à Petro; quia semper hoc modo vendet justitiam debitam, & pro re vel duplex pretium, vel ultra debitum exigit, & sic injustè agit. Cardin. de Lugo ubi sup. *num.* 126.

Certum verò est secundò, semper judici illicitum esse 376
vendere sententiam, seu actus judiciales quoscumque. Quia isti actus si sunt justi debentur, & sic non potest pro illis novum pretium accipi; si verò sunt injusti, illicitum est injustitiam facere pro pretio. Ubi verò actio judicis sit spiritualis, eam vendere est etiam simonia. Quamvis simonia non sit vendere injustam sententiam, quia hæc non est gratia. De quo videri possunt, quæ scripsi *de elect. cap.* 7. q. 1. & de obligatione restituendi, quam habet simoniacus, eodem *c.* 7. *q.* 13.

Sic igitur apparet, quod ex lege naturali illicitum est ju- 377
dici recipere a sponte dantibus aliquid ultra stipendium sibi debitum, si accipiatur ut pretium actus judicialis. Est ergo difficultas, an possit aliquid recipere, ut dono datum. Et primò dubium est, an hoc ex lege naturali sit prohibitum. Nam non esse prohibitum, videtur tenuisse Navar. *in comment. de datis, & accep. num.* 5. Tum quia Innoc. III. *in cap. Cum ab omni, de vita & honest. Cleric.* asserit hoc habere speciem mali: Quod ponderat ibid. Panormit. advertens id dici habere speciem mali, quod in se est res indifferens, sed potest esse mali occasio; igitur Judicem recipere munera de se est res indifferens, licèt mali speciem habeat. Tum secundò, quia consuetudine introduci potest, ut liceat judici munera accipere, ut tradunt Speculat. *tit. de salario* §. 1. & Navar. loco citato. Carret. *in singularib. v. sportula*, Alciat. *l.* 3. *disp. cap.* 17. ex stylo Curiæ & approbatur ex Authent. de judice §. *Ne autem collat.* 6. ubi datur judicibus facultas recipiendi munera, quidquid in contrarium dixerint Gloss. *in Clem. statutum, de elect.* & Rom. *singul.* 183. negantes posse præscribi consuetudine recipere munera. Et ita quod hoc non sit contra jus naturæ, tenet etiam Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 10. *in Decal. q.* 2. *p.* 8. §. *Incid. n.* 7.

Sed è contra, quod hoc sit vetitum ex lege naturali, pro- 378
batur quia quod est occasio mali, lege naturæ est prohibitum, at verò munerum receptio in judicibus est occasio mali. Nam ut habetur *Exod.* 23. *Munera excæcant etiam prudentes, & subvertunt verba justorum.* Et propterea reprehenduntur in scriptura judices munera recipientes; sic enim Isaiæ 1. dicitur: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem,* & Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, &c.* Et Eccles. 20. *Xenia, & munera excæcant oculos judicum.* Quamobrem 1. Reg. 12. Samuel commendat se populo, dicens: *Si de manu cujuscumque munus accepi.* Et hinc apud omnes gentes semper turpe fuit judicatum, quod judices munera accipiant. Et ita sentire videntur Gabriel in 4. *d.* 15. *quæst.* 6. *concl.* 4. Jo. Monach. *in extravag. com. de sent. excom. verb. Clerice*, & D. Anton. 3. *par. tit.* 9. *c.* 1. §. 2. Hanc verò sententiam, sed cum limitatione, & explicatione tenet Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. disp.* 37. *num.* 129. ut nimirum jure naturæ prohibitum sit judici recipere munera in tanta quantitate, attentis personis, & temporum circumstantiis, ut moraliter loquendo de se, & ut plurimum inducant perversionem judicii. Nam impossibile est humano modo, quod judex, qui recipit ab una partium magnum donum, non propendat in favorem illius in prolatione sententiæ. Nec obstat, si dicatur dari posse judicem vel justum adeo, vel adeo rusticum, ut non moveatur muneribus, sed recipiat, & justi-

justitiam nihilominus faciat; quia hoc est rarum, & inspiciendum est, quod in pluribus accidit. Nam fornicatio mala est & lege naturali prohibita, quia bono prolis de se, ut plurimum præjudicat, licèt in paucioribus dari posset casus, in quo proli natæ ex fornicatione nullum fieret præjudicium.

379 Hæc tamen similitudo, sive exemplum habet instantiam. Nam fornicatio ex natura rei per se repugnat bono prolis, & honestæ illius educationi, ideo nil mirum, si per se est illicita ex rei natura. Sed receptio munerum in judice non est per se ex natura rei inductiva injusti judicii, sed solùm occasionaliter per accidens, supposita mala aliqua dispositione judicis, & defectu amoris recti; nam munerum receptio directè non generat in judice, nisi amorem, & gratitudinem erga donantem munera, amor verò alicujus, & gratitudo per se non est causa perversitatis judicii, sed solùm per accidens, attenta mala qualitate, & dispositione judicantis. Non est ergo eadem ratio. Quod & magis explicatur, nam & experientia demonstrat, quod decem aurei respectu unius judicis valent, ut judicium pervertat, ubi respectu alterius nec valent centum, & valerent ducentum, & ita ex dispositione mala recipientis est, quod donum possit judicium pervertere, vel non pervertere. Unde nec certa est quantitas, nec potest determinari, nisi ut in pluribus, quæ dicatur sufficiens ad judicium pervertendum; quia hoc ex diversa dispositione judicum pendet.

380 Dicendum igitur est, quod per se loquendo judicem recipere munera non est prohibitum lege naturali, sed tamen de facto, & per accidens recipere munera in magna quantitate est illicitum ex duplici causa. Primò, quia de facto spectata infirmitate, & mala etiam dispositione, seu saltem non firma dispositione animi judicum ad id, quod est rectum, & justum, munerum receptio est occasio, ut judicium pervertatur. Quoniam cùm munerum receptio, ex sua natura augeat amorem erga donantem, & inducat debitum gratitudinis erga eundem, sic trahit etiam animum judicis, ut favere velit donanti, & ut hoc modo insensibiliter etiam prudentes decipiantur, & ut rationes donantis appareant Achilles insuperabiles, & partis oppositæ motiva contemnantur, & hoc modo judicium pervertatur. Secundò habetur alia mali occasio ex parte dantis, ut scilicet non det gratis, sed verè emat, vel justitiam, vel injustitiam, & sic ut circa spiritualia sit etiam mente saltem simoniacus. Etenim rarissimum erit, quod pars det in magna quantitate munera judici, & ea det ex mera, & pura liberalitate, sine aliqua impuritate intentionis. Et quia de facto hæc duo mala, ut plurimum sunt conjuncta dationi, & receptioni munerum, & jam supposito, vel malæ, aut imperfectæ dispositionis in dante, & recipiente est ut in pluribus, unde jam impossibile moraliter est hæc mala non esse conjuncta munerum receptioni, & traditioni, ideo nunc per se moraliter non absolutè, sed ex accidentali suppositione, quæ est, & erit, illicitum est, & contra naturæ legem munera judicibus dare, & recipere in magna quantitate. Neque contrarium potest præscribi consuetudine, quia hæc esset abusus, quia esset consuetudo nutritiva peccati, & faveus injustitiæ, & simoniæ. Innocentius verò Tertius *in d. cap. Cùm ab omni* dixit, quod hoc habet speciem mali, quia per se præcisis accidentalibus circumstantiis non est malum. Sed mali speciem habet, quia de facto, ut plurimum est malum, quia mali occasio, seu causa, vel non nisi ex mala causa proveniens. Nedum verò ad Judices hoc juris naturalis præceptum spectat, sed omnes justitiæ ministros comprehendit, quia omnes plus minus corrumpi muneribus possunt, ut sint in suis officiis infideliter injusti.

381 Quantum verò ad restitutionem, quantum sit ex lege naturali, considerandum, an receptio munerum sit, vel non sit contra justitiam commutativam, ex qua sola oritur obligatio restituendi, juxta D. Th. *communiter acceptum* 2. 2. *quæst.* 62. *art. primo*. Ideo datum judici, ut justè judicet, seu tanquam pretium datum, pro obtinendo quocumque actu judiciali, ad quem judex tenetur, debet restitui, receptio enim illius est contra justitiam, quia ad minus est supra, vel ultra debitum, cùm judex pro officio, & actibus judicialibus, vel habeat sufficientes redditus, vel sufficiens stipendium, vel recipiat sportulas, & sic tenetur ad illos actus sine alia mercede. Unde si amplius exigit, vel ut pretium recipit, aut mercedem injustè agit, & ad restitutionem tenetur. Quod & de omnibus aliis officialibus verificatur, si pro actu debito aliquid supra salarium debitum exegerint, aut tanquam debitum acceperint, *cap. Non licet* 11. *quæst.* 3. Silvest. *v. Judex num.* 17. *ver. sextum*, Tabien. *num.* 16. Armill. *num.* 11. Cardin. de Lugo *disp.* 37. *num.* 126. *tom.* 2.

Sed ubi datur aliquid judici, ut injustitiam aliquam committat, v. g. ut proferat injustam sententiam, ante factum injustum pactum semper est nullum, & irritum, & non exequendum, Et si judex corruptus aliquod recepit, ut iniquam sententiam proferat, & ab iniqua sententia tenetur abstinere, & pretium iniqui pacti tenetur reddere, quia imò semper peccat, dum iniquum pactum intendit exequi, ut pretium retineat; sed post factum, & ex quo judex, sententiam iniquam tulit, pretium jam potest retinere, ut de meretrice communiter asseritur, & docent D. Th. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad secundum*, & ibi Cajet. Bannes, Salon. & Aragon. Sotus *l.* 4. *de just. q.* 7. *art.* 1. *ad secundum*. Et idem de aliis officialibus dicitur, si corrupti pro pretio injustitiam commiserint. 382

Si verò quis judici det munera gratis, non verò ut pretium, cui ex pacto debeatur sententia justa, vel injusta, sed ex liberalitate, quantum sit ex jure naturæ, non intrat restituendi obligatio, etiam si munera sint in magna quantitate, & etiam si spectatis circumstantiis peccet, qui dat, & judex, qui recipit. Quia in libertate cujuscumque domini est rem suam donare, & illius dominium in alium transferre, si aliàs hoc non est ex lege irritum; At verò ex lege naturali non est irrita donatio, per quam litigans, aliquid judici donat. Nam hoc secundùm se non est malum. Et quatenus ex circumstantia fit malum, etiam per illicitam donationem transfertur dominium, quia ad hoc sufficit voluntas donantis, & recipientis. Ita Palud. 4. *d.* 15. *qu.* 3. *art.* 3. *concl.* 4. quem sequitur Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. disput.* 37. *sess.* 11. *num.* 130. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 10. 383

Monet verò Card. de Lugo, quod ante factum, scilicet dum adhuc pendet judicium, dum sumus in casu, in quo est judici illicitum recipere munera, nec est ei licitum retinere, sed causa terminata, ubi jam munera recepta non sunt illi occasio, seu causa pervertendi judicium, illa jam retinere potest. Putat etiam idem Cardin. quod in aliquo casu ad vitandam inurbanitatem, judex possit excusari à restitutione, etiam si receptio fuisset vitiosa. Quod est intellectu difficile. Si enim simus in casu, in quo nullum est periculum mali ex munerum receptione, hæc ex lege naturæ, non est vitiosa; sed si adest periculum, ut judex pervertat judicium, si retineat munera recepta; non potest excusari, ne sit inurbanus, à restituendo, quia potius injustitia, ejusque periculum vitandum est, quàm apparentia inurbanitatis. 384

Dicitur igitur ad quæstionem, quod de jure positivo prohibetur Judex tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis, & tam delegatus, quàm Ordinarius recipere munera, & quod si ea receperit, tenetur ea restituere. De judice sæculari hoc habetur ex *l. Plebiscito, ff. de off. præsidis, & l. solent, ff. de off. Proconf.* Authent. *ut litigantes*, §. 1. & 2. *seu* Auth. *Novo jure. Cod. de pœna judicis*, Authent. *de judic.* §. *nullo quoque, & §. sequent.* Authent. *ut unius Cod. ad l. Iuliam repetund.* Authent. *ut judex suo quoque suffragio*, §. 1. *Coll.* 2. *tit.* 2. Et *ibid.* Authent. *scriptum est exemplar*, & alibi sæpè. 385

Extendunt verò hoc aliqui, ut nec terminato officio liceat judici munera recipere. Paris de Puteo *in tract. de Synd. in v. poculenta, cap.* 1. *num.* 11. quem refert & sequitur Farin. *in prax. p.* 3. *quæst.* 111. *num.* 236. Primò, quia quod fit in ingressu, vel egressu officii, dicitur fieri in officio, *l. juris gentium*, §. *quinimò, ff. de pact.* secundò, quia ex datione munerum finito officio oritur præsumptio præcedentis promissionis durante officio. Mascard. *de probation. concl.* 164. *num.* 2. Sed hæc extensio non admittitur, nec eam adducta probant. Nam esto ex quadam fictione gestum post in egressu ab officio censeri posset factum in officio, istæ fictiones non valent ad extendendas prohibitiones pœnales ad casus non expressos, cùm istæ leges propriè & strictè intelligi debeant. Quatenus verò ex receptione doni post officium posset oriri præsumptio alicujus promissionis durante officio (quæ præsumptio, nisi conjecturis adjuvetur, 386

frivola

frivola erit) hoc non probat nisi quod in foro externo receptio præfata possit haberi ut fraudulenta, ideoque ut illicita. Non verò quod verè sit talis, si sine fraude aliquid datur judici post terminatum officium. Nec obstat, quod adduci potest ex Authent. *C. ad l. Iuliam repetund. ubi in §. 6. Sancimus*, præcipitur, ut qui accedunt ad regendas provincias inter alia jurent. *Nihil penitus tam in administratione positos, quam post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quàm gratuito meruerunt, accepturos*. Primò enim ibi non est sermo, nisi de Præsidibus Provinciarum. Et secundò neque est sermo de muneribus, seu donis, sed de datis pro beneficio præstito, & ex consequenti de datis ex pacto aliquo saltem implicito, non verò de datis liberaliter, seu ex pura gratitudine, & laudabili liberalitate. Et propterea quod judex terminato officio possit recipere munera docent Sanchez *l. 3. cons. cap. un. d. 1. num. 20.* & apud eum Marien. Avendan. & Aviles. Et quod judex post datam sententiam possit aliquid gratis datum recipere, dixerunt Felin. *c. tua nos col. ult. de simon.* Nevizan. Bos. Aviles, Martel. & alii, quos sequitur Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 342. n. 38.*

387 Limitant quoque aliqui assertionem dicentes judicem posse recipere munera à sponte dantibus, si non habeat salarium. Ita idem Farinac. *d. q. 111. num. 241.* Allegans Angelum, Salyc. Amad. & alios. Verùm hæc limitatio cautè est intelligenda, quia judici non habenti salarium respondent sportulæ, & emolumenta sui officii, ex quibus vivere potest. Et etiam juxta legem *scriptum est exemplar, Auth. Vt judices sine quoque suffragio fiant Coll. 2. tit. 2. fin.* à spontaneis non ab invitis recipere possunt titulo sustentationis, & alimentorum, moderatè & quantum est necessarium ad sustentationem. Et in hoc sensu DD. citati debent intelligi. Cæterùm quanto judex habet minus de salario, & unde vivat, tantò magis in eo militant rationes, ob quas lex prohibet judicibus ad non recipienda munera, quia apud talem judicem necessitate constrictum magnæ extimationis erunt & parva munera, & ad corrumpendam justitiam duplicem occasionem habebit, scilicet avaritiæ, & necessitatis. Non ergo à lege prohibente munera eximitur judex quia pauper, ut possit munera præter sustentamentum recipere.

388 Benè verum est, quod lex prohibens magistratibus, seu judicibus recipere munera intelligi debet formaliter de judicibus, ut judicibus, nimirum de muneribus datis illis, quia judicibus, & officii intuitu. Et sic ab amicis dantibus intuitu amicitiæ munera recipere possunt. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 517. num. 4.* Sanchez *l. 3. consil. cap. un. dub. 1. num. 21.* Gloss. *in l. 1. in v. à sobrinis, ff. ad l. Iul. repetund.* & ibi Alber. *in princ.* Boer. *dec. 153. num. 15.* Farin. *d. q. 111. num. 245.* Et pariter à consanguineis dantibus ratione consanguinitatis, ut isti DD. affirmant. Hos verò consanguineos intelligi usque ad sextum gradum voluit Gloss. proximè citata, quam sequitur Farin. *n. 246.*

389 Judicem verò ab amicis non posse recipere dono plusquam centum aureos in toto anno per d. Gloss. Paris. *de Synd. in v. corruptio cap. 3. num. 2.* Boer. *decis. 153. num. 25.* dixerunt Farin. *d. qu. 111. num. 243.* & Menoch. *de arbitr. p. 2. casu 517. nu. 4.* Posse autem in infinitum recipere à consanguineis addidit idem Farin. *num. 247.* Sed discrimen non subsistit, & sine fundamento limitatur receptio ab amicis, quæ cùm non comprehendatur sub lege prohibente judicibus recipere munera, ex ea nullam habet limitationem. Aliundè verò liberalitas amicorum finem de se non habet, quod si illicitum esset judicem ab amicis recipere, summa centum aureorum in anno nimia esset, nec admitti posset.

390 Magna verò controversia est inter juristas an judici sæculari liceat recipere exculenta, & poculenta, multi enim hoc negant, ut videre est apud Farin. *d. q. 111. num. 251.* & quod Sanchez *l. 3. consil. cap. un. dub. 1. num. 16.* qui hanc sententiam sequitur, & moventur quia putant quod *l. Plebi scito ff. de off. Præs. & l. solent, ff. de off. Proconsul.* sint abrogatæ per juniores leges, & præcipuè per Authent. *scriptum est exemplar. Coll. 2. tit. 2. in fin.* sed jurium correctio vitanda est *l. Sancimus, C. de testam. & l. Præcipimus, in fin. C. de appellat. cap. Cum expediat infr. de elect. & ex not. supra c. 1. de constit.* lex generalis posterior, nec est contraria, nec derogat legi speciali priori, sed per eam explicatur; igitur quod Justin. in Auth. præceperit judices nihil debere accipere, hoc explicatur per leges anteriores, ut non comprehendat Xenia seu exculenta, & poculenta, quæ recipi posse concessum fuit in *d. leg. Plebi scito, ff. de off. Præsidis, & l. solent. ff. de off. Proconsul.* Eo magis quod in his locum non habet motivum, ob quod judices prohibiti sunt recipere munera, quia nequit præsumi, quod judex ob parva Xenia velit violare justitiam. Et eo amplius quod ubi jus civile est dubium, standum est etiam in foro civili juri Canonico, quod permittit judicibus recipere Xenia moderata, ut patet in hoc cap. Hoc igitur etiam judicibus sæcularibus est permissum. Menoch. *d. casu 517. num. 19.* & apud eum quam plures, & apud Farin. *d. quæst. 111. num. 250.* Silvest. *v. judex p. quæst. 8. num. 13.* Rosell. *num. 6.* Tabien. *num. 6.* Armill. *num. 6.* Angel. *num. 8.* Mandos. in Gloss. *facultatem Regentis in proœmio, vers. nulla præmii, fol. 60.* Bonac. *tom. 2. in Decal. disp. 10. quæst. 2. p. 8. num. 5.*

Hoc tamen alii limitant id admittentes de delegato, & negantes de judice ordinario, quia collitigantes non dant pro charitate, sed pro corruptione, & qui dat unam gallinam judici, illam dat, ut recipiat bovem, quem forsan litigat. Tum quia judices Ordinarii habeat salarium, & ideò eis non licet accipere munera. Tum quia vitanda est suspicio mali à judice. Et ideò hujus sententiæ fuerunt Par. de Put. *de Synd. in v. Poculenta, cap. 2. num. 1.* Villadieg. *de hæred. quæst. 8.* Boss. *tit. de off. corrupt. num. 3. vers. Nam in Ordinario*, sed rationes allatæ militant potius in delegato, quàm in ordinario; nec de aliquo eorum probant. Quia Xenia in modica quantitate non præsumuntur talia, quæ possint corrumpere animum judicis, unde nec possunt inducere malam suspicionem. Habere verò salarium impedit, ne judex exigat aliquid aliud, tanquam debitum, non verò, ne accipiat aliquid donatum. Etiam igitur Ordinarius potest recipere Xenia. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 517. n. 5.* Mysinger *cent. 2. obser. 75.* ante finem, & DD. supra citati. 391

Punctum est, quod serventur conditiones sub quibus leges concedunt posse recipi Xenia prima, scilicet ut non recipiantur, nisi à sponte dantibus, ut hic advertunt Gloss. §. *Insuper in v. liberalitate*, Jo. Andr. *num. 11.* Archid. *post num. 12.* Butr. *num. 3.* Gemin. *num. 4.* Turrecrem. *in cap. Vendentes num. 5. 1. quæst. 3.* Villadieg. *de hæredit. quæst. 8. num. 9.* Boer. *decis. 153. num. 29.* Navar. *in comment. de dat. & accep. num. 35.* Farin. *p. 3. prax. q. 111. num. 252.* Silvest. Tabien. Armill. Bonac. de Lugo locis supra citatis. Cavendum enim est, ne hujusmodi Xenia à Judice directè, vel indirectè petantur, vel affectentur. 392

Secunda conditio est, ut recipiantur tantum in parva quantitate, ut habet textus *in l. solent, §. fin. ff. de off. Proconsul. & in hoc cap. §. Insuper*. Moderata Xenia sunt, quæ verisimiliter judicari possunt non sufficientia ad corrumpendum animum judicis, Gloss. *in cap. Non licet 11. quæst. 3.* Paris. *de Syndic. in v. poculenta, cap. 1. num. 1.* ubi permittit receptionem poculentorum in minimis, ut in parvo caseo, & in duabus amphoris vini: Sed regula hujus nostri textus est optima, ut scilicet moderata esculenta dici possint, quæ in paucis diebus consumi possunt. Cùm verò hoc judicare sit positum in arbitrio judicis, tria hìc esse considerandа benè *ex cap. Et si quæstiones, de simon.* monet, Menoch. *d. casu 517. num. 22.* nimirum qualitas dantis, & recipientis, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas personarum, ut à quo, & cui, nimirum an à paupere diviti, an è converso à divite locupleti datum fuerit, æstimatio muneris, vel donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data existat, & an in instanti necessitate, seu alio tempore conferatur. Videnda sunt dicta in *expos. textus §. insuper n. 223.* 393

Et attendi etiam debet frequentia accipiendi ab eodem, quia multum esset frequenter parva Xenia recipere, quæ simul sumpta quid magnum facerent, & plusquam sufficerent ad corrumpendum animum judicis. Neque attendi debet sola conditio individualis hujus judicis, forsan vel ex virtute sua, vel ex rusticitate incorruptibilis à muneribus, sed ab eo quod spectata hominum conditione regulariter evenit, ut illud munus moderatum non dicatur, quod regulariter animum judicis posset mutare à rectitudine, illumque corrumpere. 394

Quod verò aliqui dixerunt esculenta censenda moderata, si in toto anno eorum valor non excedat summam centum aureo- 395

aureorum: sic enim apud Farinac. *d. quæst*, 111. *numer.* 255. dixerunt Boss. *tit. de off. corrup. num*, 3. & Cortad. *in pract. civil.* §. 1. *num.* 6. quod in quam sic dictum est, non est securè dictum. Nam si ab eodem, vel à duobus, aut tribus tanta summa reciperetur, non esset censenda moderata sed magnam vim habere, ad corrumpendum judicem. Nam gutta aquæ res minima est, & tamen cavat lapidem non bis, sed sæpè cadendo: sic & parva munera repetita animum judicis movent. Aliàs verò ubi munera sint à diversis, parum interest, quod pertingat eorum valor ad hanc vel illam summam, quia illa non junguntur simul in unum, ad hoc ut ex illis summa consurgat, qua animus judicis superetur, cùm sint à diversis, & ex diversis causis, & ob diversos fines.

396 Est autem hic difficultas, an hæc prohibitio se extendat ad judicum ministros, seu ad alios officiales justitiæ, ut ad Assessores, Consiliarios, Notarios, &c. Extendi scribit Sanchez *l.* 3. *Cons. cap. un. dub.* 1. *num.* 10. *& sequent.* sed loquitur in terminis legum Hispaniæ. Sed Farinac. *in Praxi Crim. p.* 3. *quæst.* 111. *num.* 236. Judicibus & officialibus putat prohibitam esse munerum receptionem. Sed ex qua lege hoc deducat, non ostendit. Id verò non deducitur, *ex lege Plebi scito*, *ff. de off. Præsid.* quia illa de solis loquitur Præsidibus. Neque *ex l. solent*, §. *fin. ff. de off. Procons.* quia illa de solis Proconsulibus decernit. Videtur autem hoc deduci ex Authent. Justiniani, *Ut litigantes*, *coll.* 9. *tit.* 7. ubi §. 1. præcipitur litigantibus principalibus jurare, *quod nihil penitus judicibus, aut patrocinii causa ipsis, vel alii cuicumque personæ pro hac causa quolibet modo dederunt, aut promisserunt, aut postea dabunt, vel per se, vel per quamcumque aliam mediam personam, exceptis iis, quæ propriis advocatis pro patrocinio præstant, aliisque personis, quibus nostræ leges dari disposuerunt.* Successivè verò in §. *si quis* prout habetur etiam *in l. novo jure*, *C. de pœna jud.* disponit quid agendum, & qua pœna puniendi sint, qui receperint in causa tam civili, quàm criminali. Verùm hæc lex respectu aliorum à judice non videtur loqui de muneribus. Diversimodè enim loquitur de judice, & de aliis. Primò enim absolutè vult principales jurare simpliciter, quod nihil penitus dederunt judicibus, sed postea vult eosdem jurare quod nihil eisdem judicibus vel aliis dederunt patrocinii causa. Et sic loquitur de iis, quæ dantur ex pacto expresso vel implicito pro patrocinio litis. Munera verò ex pacto non dantur. Nec obstat, si dicatur, quod qui dant munera judicibus, vel officialibus, dant ea intuitu favoris alicujus obtinendi in lite. Quia hoc potest dupliciter contingere, vel scilicet ut favor & patrocinium sit finis proximus operis, scilicet traditionis ipsius rei, quæ datur, vel solum ut sit finis ex parte dantis, seu solum motivum impulsivum ad dandum, sed ita tamen, quod id quod datur verè ex liberalitate donatur. Primò modo quod datur semper datur ex pacto saltem implicito, & datur ut pretium, quia qui dat, non dat nisi ut recipiat, & sic non donat, sed emit. Et sic verum est, quod emere patrocinium causæ est in ea lege prohibitum. Sed secundo modo, licèt patrocinium causæ sit motivum ad dandum, quod datur nihilominus datur liberè, & donatur, & hoc non prohibetur, quia dare pro patrocinio, importat dare, quod ex fine operis, seu traditionis habet patrocinium, & hoc non fit sine pacto, & non est donare, sed emere: Amplius verò certum est, quod lex illa non est in usu, neque enim litigantes illud, vel simile juramentum præstant in principio litis. Emere quoque patrocinium, si fiat ab officialibus est prohibitum lege naturæ, quia officiales ad id tenentur ex justitia, ut patrocinentur justo, unde pro eo non possunt novum pretium recipere, pro patrocinio verò injusto iniquum est pacisci. In Authent. autem *de judicib. collat.* 5. *tit.* 11. §. *Nullo quoque*, *& sequent.* *est sermo de judic.* & nec ibi prohibentur munera, sed interdicitur, ne ultra taxatas sportulas aliquid exigatur. Pariter in Authent. *ad l. Jul. repetund.* §. *Omnes*, *& seq.* sermo est de judicibus, seu justitiæ administratoribus. In Authent. tamen, *ut judices sine quoque suffragio fiant collat.* 2. *tit.* 2. videtur hoc fuisse statutum cap. 7. in fin. ibi: *Et qui circa eos sunt* (scilicet circa judices) *& obediens eis officium, si amplius aliquid, quam à nobis concessum est, tentaverint accipere, ipsi quoque subjicientur damnis quadrupla redditionis, & cadent etiam substantia, & cingulo. Et in eadem collat. & tit.* 2. *in l. scriptum est exemplar*, ibi: *Prohibeatur autem & ab aliis eis afferri damna, & agnoscant per te, quia si præter hoc aliquid egerint; pœnis subjacebunt gravissimis.* Verùm cùm in his locis id, quod præcipitur sit, ut non accipiatur ultra id, quod illis est debitum, videtur quod hunc sensum habere possit, ut scilicet non exigatur ut debitum, non verò, quod non recipiatur, si sponte fuerit donatum, & nihilominus dicitur mentem legum esse ut tam judices, quàm ministri eorum à muneribus recipiendis abstineant. Et hoc probatur supposita universalitate verborum, quia præcipitur, ut nihil accipiant, quia & in illis militat eadem causa finalis, quæ est, ut judicium non pervertatur, sed justitia pura irreprehensibiliter custodiatur; ideò lege volunt nihil à litigantibus, seu aliis recipi, per quod judicium possit perverti. Id tamen, quod leges præcipuè prohibere intendunt, est ne ministri justitiæ exigant ultra id, quod illis est debitum, vel ne vendant injusta judicia. Quantum verò ad puram receptionem munerum in casibus id non est contra legem naturalem consuetudo legitimæ præscripta servari potest, quia hæc potuit in hac parte illis legibus derogare.

397 De pœna autem debita ex jure civili judicibus, aut officialibus contra leges recipientibus munera agunt latè Menoc. *de arbitr. jud. lib.* 2. *casu* 342. & Farinac. *in praxi crim. par.* 3. *q.* 111. *per totam.*

398 Ecclesiasticis judicibus verò prohibitum fuit accipere munera *in cap. Cùm ab omni*, *sup. de vita & honestat. Cleric. & in hoc cap.* §. *Insuper*, *& inf. cap. Romana*, §. *Procurationes*, *& cap. exigit de censibus*. Præterea verò pro Curia Romana extat prohibitio aliquid dandi, promittendi, aut recipiendi pro gratia, aut justitia obtinenda à Sede Apostolica, quæ facta fuit primò per Bonif. VIII. Deinde confirmata, & extensa per Greg. XIII. & postea confirmata, & explicata, & extensa per Sanctissim. D.N. Alex. VII. in sua constit. quæ incipit *inter gravissimas*, & data fuit 2. Maji 1656. Sed & extat specialis constitutio Pauli secundi tertia in Bullario Romano, in qua sub pœna excommunicationis sibi reservatæ prohibet judicibus status Ecclesiastici recipere munera præter esculenta, & poculenta, quæ duobus diebus consumi possint. Quam Constitut. confirmavit Sixtus Quartus, in sua constitut. 15. §. 3. Quoad munera verò non recipienda à communitatibus status Ecclesiastici graviorem prohibitionem etiam posuit Clem. VIII. in Constit. sua x. Extat quoque Regula 67. Cancell. in qua sub excommunicatione, & aliis pœnis prohibetur, ne officiales Romanæ Curiæ aliquid exigant, nec etiam pro celeriori expeditione supra constitutum illis emolumentum. Contra etiam ambientes dignitates, & officia jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, aut promissione procurantes, vel assequentes, vel assequuta tenentes in statu ecclesiastico adest constit. 140. Sanct. mem. Pii Quinti. Et Paulus Quintus per suam constit. 71. omnia tribunalia urbis reformavit, & Constit. 72. omnium notariorum emolumenta taxavit. Quæ constitutiones in eorum terminis servandæ sunt.

399 Judices tamen Ecclesiasticos posse recipere Xenia in parva quantitate, & quæ paucis diebus consumi possint, habetur ex hoc textu §. *Insuper*, & ibi declaratum fuit. Et hoc idem pro judicibus sæcularibus haberi *ex d. l. Plebiscito* dictum est, & advertit hic Anchar. *num.* 4. Silvest. *v. judex p. num.* 13. sed ponderanda sunt verba legis *solent*, §. *non vero*, *de off. Procons.* ubi de Xeniis loquens habet hæc verba: *Neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum est, & omnia avarissimum.* Paulus autem secundus in Constit. sua 3. paucos dies ad duos moderatus est. Quæ tamen moderatio non obligat nisi in terminis illius Constitut. Præter Xenia verò, seu in alia materia, quam esculentorum, & poculentorum nihil prorsus recipere possunt. Gloss. hic Archid. *num.* 12. Jo. Andr. *num.* 11. Anchar. *num.* 4. Domin. *num.* 4. Franc. *nu.* 7. Panorm. *ad d. cap. Cùm ab omni*, *num.* 10. Tabien. *v. judex num.* 6. Armill. *num.* 6. Quamobrem in alia materia recipere munera semper erit peccatum vel mortale, vel veniale ex parvitate materiæ.

400 Extendit verò hoc Bonac. *tom.* 2. *disp.* 10. *in Decal. quæst.* 3. *p.* 8. *num.* 5. ut etiam in Curia Romana, licitum sit judicibus recipere Xenia, non obstantibus Constit. Bonif. VIII.

Et

Et Greg. XIII. de datis, & promissis. Sed & in constitut. *Inter gravissimas* Sanctis. Domini Alexand. VII. in qua Prædecessorum constit. confirmat, & explicat, hoc permittitur sub his verbis: *Porro Xenia solita, esculenta, & poculenta, quæ judicibus, ministris, & officialibus Romanæ Curiæ exhiberi consueverunt, præfatis Prædecessorum nostrorum literis, ac præsentibus nostris minimè prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus*. Ex quibus verbis etiam habetur, quod in his consuetudines laudabiles, & moderatæ, quæ non sint nutritivæ peccati servari debent.

401 Explicatur etiam assertio, juxta dicta supra de judicibus sæcularibus, nimirum, ut quantum sit ex vi hujus capitis prohibitio intelligi debeat formaliter de datis judici quatenus judex est, non verò de illis, quæ dantur alio titulo, nimirum titulo amicitiæ particularis aliundè ortæ, vel ob alia beneficia privata, in dantem collata, vel ob consanguinitatem, vel ob aliam similem caussam. Leges enim prohibent judicibus recipere munera ratione magistratus. Sanchez *consil. lib. 3. c. un. dub. 1. num.* 21. Cardin. de Lugo *d. disp. 37. num.* 13x. Ubi addit malè apud Dianam *part.* 3. *tract. 5. Miscell. resol. 45. & tract. 6. Miscell. resol.* 4. citati Molinam *tom. 1. tract. 2. d.* 88. & Lessium *cap. 14. dub. 9. num.* 64. dicentes posse licitè recipi ea munera, si dentur ut majorem diligentiam adhibeat judex, & afficiatur magis ad expediendum intra justitiæ limites negotium in favorem dantis. Neuter enim id dixit, sed uterque supponit esse peccatum contra leges humanas, & id expressit clarissimè Molina; sed solum dixerunt donationem esse validam, & non adesse obligationem restituendi,

402 Est autem dubium, an obligatio restituendi per legem positivam inducta, obliget in conscientia ante sententiam judicis saltem declarativam criminis. In hac enim materia multæ sunt leges, quæ nedum simpliciter prohibent munera recipi, sed obligant ad restituenda munera in conscientia, & aliquando addunt hoc fieri debere ante judicis condemnationem. Item obligant judicem in susceptione officii ad jurandum se non recepturum munera, & si receperint eos restituturos. Ideò dubitatur an hujusmodi leges ita obligent, ut judex in conscientia teneatur munera restituere, nulla expectata judicis sententia.

403 Affirmant enim plures, nimirum Sotus, Jo. Medina, Bartholomæus Medina apud Molinam *d. disp.* 88. & apud Card. de Lugo *d. disp. 37. num.* 133. Mercado 4. *de contract. cap.* 16. Cnrduba *lib. 1. quæst.* 36. Franciscus Ortiz Lucius in summario *cap. 13. casu* 302. Rodriq. *in v. judex casu* 183. *conclus.* 1. Bannes x. 2. *quæst. 71. art. 4. dub.* 4. & ibi Salon. Hoc verò probat Bannes, quia leges prohibentes hujusmodi munera continent quædam pacta conventionalia, quæ oportet servare. Sicut si maritus relinquat legatum uxori, sub conditione, quod non nubat. Sed amplius probari potest primò *ex l. non dubium C. de legibus*, ubi annullantur pacta, & contractus, & omnia alia, quæ fiunt contra leges; at verò donatio munerum fit contra legem. Secundò, quia in hoc *cap. in §. isto, si quid autem*, decernitur nedum, quod judex recipiens teneatur restituere, sed quod nulla remissio eum sublevet ab ista obligatione. Tertiò quia infra *cap. Exigit de censibus* visitatoribus recipientibus ultra debitum, præcipitur ut restituant quadruplum infra mensem sub pœna interdicti, & aliis pœnis.

404 Sed alii ad ista respondent. Et qoidem ad primum, non esse verum leges prohibentes recipi munera continere conventiones, & pacta, sed esse meras leges pœnales, non obedientibus imponentes pœnam restitutionis. Ad secundum dicunt quod lex illa non loquitor de lege pœnali, & quatenus de ea loquatur, intelligitur in foro externo, & præmissa declaratione judicis. Et nimis esset, quod omnia facta contra legem, essent ipso jure nolla in conscientia. Ad tertium dicunt textum intelligendum esse post judicis condemnationem. Et ad quartum dicunt, quod pœna illa interdicti non fuit imposita ob non restitutionem factam infra mensem, sed ob receptionem ultra debitum prohibitam, fuit verò imposita pœna cum hac moderatione, ut non incurreretur, si qui recepit ultra debitum, restituat quadruplum infra mensem. Cæterùm dicunt hanc restituendi obligationem non ligare in conscientia ante sententiam saltem declarativam criminis, tum quia id habet praxis judicum, qui oon restituunt recepta, nec à Confessoribus obligantur. Tum secundò quia non aliter tenentur ad restitutionem munerum, quàm ad solutionem pœnæ, aut ad relinquendum officium, nam leges æquè de his omnibos loquuntur; at verò durissimum esset obligare judicem ad relinquendum officium ex se ipso ante sententiam. Tum tertiò quia lex humana debet esse suavis, & accommodata humanæ fragilitati, lex autem obligans ad solutionem pœnæ ante condemnationem durissima esset, & non utilis, nisi ad illaqueandas animas fidelium. Dicendum igitur est, quod hujusmodi leges obligantes ad restitutionem munerum non obligent in conscientia ante judicis sententiam saltem criminis declarativam. Ita Molina *d. disp.* 88. Henriq. *lib. 4. cap. 11. §. 6.* Angles *floribus quæst. de donat. difficult. 7. in fin.* Perez *lib. 2. ordin. tit. 3. l. 34. & tit. 15. l.* 3. Petrus Navarra *l. 4. de rest. cap. 2. num.* 107. Vasquez *tom. 2. p. 2. disp. 164. n.* 17. Rebellus *lib. 18. de donat. quæst. ult.* Salas *disp. 15. de legib.* & quos refert, & sequitur Card. de Lugo, *d. disp. 37. n.* 134.

405 Si autem hæc obligatio restituendi esset pœna, hæc secunda opinio haberet non leve fundamentum in jure, per ea quæ adduxi *tract. de elect. cap. 9. quæs. p. & secunda, & amplius cap. 25. quæst. 51. pag.* 481. Et ideò quidquid sit de legibus particularibus hujus, vel illius regni, quæ maximè considerat Sanchez loco citato, & alii, & de quibos judicium dare, relinquo DD. illarum regionum. Quantum ad jus commune civile non invenio, quod obliget ad restitutionem, sed benè imponit pœnam tripli, vel quadrupli, vel etiam confiscationis bonorum, sed ut imponendam per judicem. Authent. *Nove jure C. de pœna judic. seu.* Authent. *Ut litigantes* §. 2. Authent. *ut jud ces, sine quoquo suffragio fiant* §. *cap.* 7. & ibid. Authent. *scriptum est exemplar. Et l. ut unius, C. ad l. Iuliam repetund. in princ. & §. 1. 2. & 3.*

406 Sed de jure Canonico non videtur, quod obligatio ad restituendum munera accepta sit pœna, sed medicina, aut remedium, & ad summum pœna medicinalis, & similis censuris; ordinatur enim in remedium ad vitandum periculum injustitiæ, & respectivè simoniæ, & dum lex præcipit restitutionem rei contra prohibitionem legis acceptæ intentio illius est, quod illud, quod datur, oon habeatur; quia non fundat periculum injustitiæ, aut simoniæ, quia recipitur, sed quia ex gratia dantis habetur res illa magni valoris, & multum æstimabilis. Ideò aliud considerandum, quod si lex prohibens receptionem munerum, & præcipiens restitutionem illorum, non obligaret in conscientia independenter à quacumque sententia judicis, lex parum utilis esset, quia judices tuto, & securè munera recipere possent, cùm hæc nunquam, vel ferè nunquam ad forum judiciale deducantur; alias verò pretiositas munerum, & notabilis eorum valor de facili alliceret ad recipiendum munera, cum magno injustitiæ periculo, aut etiam respectivè simoniæ, & sic per hujusmodi leges parum provisum esset.

407 Quamobrem dico in hoc considerandas esse leges, & earum motiva, & si verè impediunt ne transferatur dominium in judicem recipientem dona. Et quantum ad præsentem textum, Canonistæ absolutè dicentes judicem, Assessorem, vel Notarium recipientem contra tenorem ejusdem obligari ad restitutionem, intelligunt hanc obligationem esse in conscientia, independenter à quacumque judicis sententia. Et ita expresè docet Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num.* 10. asserens esse idem dicendum de prohibitione contenta in *cap. Exigit, infr. de cens.* Nam ubi lex etiam prohibet, remissio ipsa donantis ne possit valere, & juvare, quin qui recepit munera teneatur restituere, satis indicat, quod ejus mens est, quod donans munera non possit in donantem transferre dominium. Nec est unde dicatur textum loqui de remissione facta in judicio, quia absolutè loquitur. Fateor tamen Constitutionem hanc non habere locum nisi in delegatis à Pontifice, vel ab ejus legatis, nec debere extendi ad alios, quantum ad hanc restituendi obligationem, ut pluries dictum est.

408 Quantum etiam ad Constitutionem Sanctiss. D.N. Alex. VII. evidens est, quod obligat in conscientia. Cùm tam ille, qui dedit, quàm qui recepit contra tenorem dictæ constitutionis non possit admitti ad gratiam absolutionis, nisi prius tantum erogatum fuerit pauperibus quantum ille dedit, vel recepit.

409 Hoc etiam considerandum est, quod facillimè hic aderit obli-

obligatio restituendi ex lege naturali, quia quod datur liberè non datur sed coactè, qui enim judici dant, ideò dant, ut consequantur sententiam favorabilem, & aliter non darent. Quamvis verò in litigante munerum tributio possit excusari, ut non sit emptio, vel pactum, sed sit donatio, si finis consequendi sententiam ad sui favorem sit, ut dicunt motivum impulsivum, seu, ut melius loquamur finis operantis, non verò sit proximus, & principalis traditionis muneris, in quo casu, ut patet ex supra dictis, adesset semper obligatio restituendi, si daretur munus pro justitia debita. Tamen benè potest esse, quod non sit propriè donatio, sed traditio coacta, & necessitata, ex eo quod aliter donans sententiam ad sui favorem non speret, quod consideravit Bannes 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 4. *dub.* 4. *concl.* 3. In quo casu nec dominium transfertur, & qui recepit, tenetur ex justitia ad restitutionem.

410 Sed & hic quæri potest, an qui dat judici peccet. Est autem difficultas, an saltem hoc liceat si quis ad redimendam vexationem donet, nimirum quia rationabiliter, seu probabiliter timet judicem injustè contra se judicaturum, nisi muneribus illum detineat. Non licere dixerunt Gloss. *cap. qui rectè, verbo expectat.* 11. *q.* 3. *& l.* 1. *verb. sed si deda. ff. de cond. ob turp. causam*, Citantur etiam Salicetus *l.* 1. *num.* 1. *ff. de condit. ob turp. caus.* Bart. Auth. *Novo jure*, *num.* 3. *C. de pœna jud.* Castren. *d. l.* 1. §. *ob rem igitur num.* 5. Sotus *l.* 4. *de just. quæst.* 7. *art.* 1. *ad secundum*, *vers. numquid licebit*, Ledesma *p.* 4. *q.* 18. *art.* 5. §. *collige secundo*, Molina *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 90. Et probatur hæc sententia *ex l.* 2. *ff. de cond. ob turp. cau.* & per Auth. *Vt litigantes jurent.* Tum secundò, quia hoc est lege prohibitum. Non verò cessat obligatio legis cessante fine legis in particulari. Tum tertiò, quia judex recipiendo munera peccat, ut habetur *cap. fin.* 14. *q.* 5. igitur & peccat munera offerens, & sic alieno peccato cooperantur. Tum quartò, quia hujus redemptionis non est necessitas, cùm alia adsint remedia, nimirum judicis recusatio, aut appellatio ab ejus sententia.

411 Sed hoc licere multò plures affirmant, Gloss. *cap. fin. v. ille* 14. *quæst.* 5. Archid. *cap. qui rectè ad fin.* 11. *q.* 3. Panorm. *cap. cum ab omni num.* 8. *de vit. & honest. Cler.* Bald. *cap. fin. de appell. num.* 11. *& l.* 2. *ff. de cond. ob tur. caus.* §. *sed et si dedi, parum à princ.* & ibi Alex. *num.* 1. Jason. *num.* 3. Felin. *capit. tua nos, num.* 5. *de sim.* Silvest. *v. Judex p. quæst.* 12. *dicto* 6. *& v. simon. quæst.* 10. *d.* 3. Angelus *v. judex num.* 19. Armill. *num.* 13. Tabien. *num.* 17. Navar. *in extravag. de datis, & promissis &c. num.* 16. *& in Man. cap.* 17. *num.* 33. Palud. 4. *d.* 15. *quæst.* 3. *art.* 3. *num.* 37. D. Anton. 2. *p. tit.* 2. *cap.* 5. §. 2. Bannes 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *dub.* 4. *ad tertium*, & ibi Salon. *contr.* 3. Sanchez plures alios referens *lib.* 3. *consil. cap. un. dub.* 3. *num.* 3. Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. disp.* 37. *num.* 136. Qui ex Molina addit confessarios non debere esse faciles, ad credendum vexationem injustam intervenire. Intervenit verò, quando adest periculum, quod justitia unius clara pervertatur, vel quando judex expedit prius negotia eorum, à quibus accipit munera, alios autem differt in longum cum gravissimis sumptibus, & molestiis. Et similiter peccant judicum famuli, qui aliquibus facilem aditum præbent, alios autem injustè differunt, quare his etiam dare licebit ad redimendam injustam vexationem. Quod si famulus sine alterius præjudicio alicui procuret aditum extraordinarium, poterit ob hanc causam aliquid accipere, quamvis melius sit, si id non faciat ad vitandam mali speciem.

412 Sanchez verò advertit cavendum esse à sententia Petri Navarra *l.* 4. *cap.* 2. *dub.* 12. *num.* 111. asserentis licere muneribus attrahere judicem, ut pro me ferat sententiam, quando propter opinionum probabilitatem poterat, & volebat contra me sententiare. Hoc enim approbari non debet, quia hic nulla est injusta vexatio. Si enim judex, salva justitia, potest contra me pronunciare, si id faciat, non me vexat injustè. Sed ubi timetur vexatio injusta, licet muneribus eam redimere etiam publicè, si aliàs id fieri possit sine scandalo, & sine eo, quod forus externus præsumat munera dari ad corrumpendum judicem. Quod verò dicitur de judice verum est etiam de teste, ut si ille injustè velit tacere verum, vel testificari falsum, licitum sit muneribus vexationem injustam redimere.

Probat verò hæc sententia suum intentum & simul solvit prioris sententiæ argumenta. Quia quod hujusmodi injustæ vexationis redemptio non liceat, nec est ex lege naturali, nec ex lege positiva, quæ id facere prohibeat, non est igitur illicitum. Non enim est ex lege positiva, quia lex prohibens munera dari, fundatur in præsumptione, nimirum quia præsumit, ea dari ad corrumpendum judicem, sed hic totum oppositum accidit, quia quod hic datur, ad hoc datur, & judex non sit injustus, nec pervertatur, sed justè judicet. Et confirmatur, quia cùm jure naturæ liceat se defendere ab injustitia, non est rationabile asserere, quod lex positiva hanc naturalem defensionem voluerit auferre. Sic ergo dicitur, quod lex positiva ab initio non comprehendit hunc casum, qui est dare judici munera ad redimendam injustam vexationem. Sed neque jure naturæ, hoc est prohibitum, quia hoc non est injustum: neque verò est contra charitatem, quia hoc sit cooperari peccato alterius, quia cooperatio ista non est mala, quando est necessaria, ut patet in eo, qui solvit usuras necessitate juramenti, quo se ad illas solvendas adstrinxit, *cap. debitores de juramento*. 413

Mihi in hac parte, hoc primò videtur considerari, dum quod per constit. Sanctiss. D. N. Alex. VII. *Inter gravissimas* 2. Maji 1656. contra promittentes, & dantes, & accipientes pro gratia, aut justitia apud sedem Apostolicam obtinenda, expressè prohibetur etiam promittere, dare, & accipere, ad redimendam injustam vexationem, etiam ad defensionem juris quæsiti: *Quinimò*, inquit, *non licere quicquam promittere, dare, & accipere quibuscumque judicibus, ministris, officialibus, & aliis authoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscumque mediatoribus pro defensione juris quæsiti, sive assecutione quærendi, etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine; & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus*. 414

Secundò etiam considerandum puto, rem hanc esse valdè periculosam, quia nimis facilis est, ut pars judicet injustum esse, quod est ambiguum, & dubium, imò quod verè est justum, & sic quod existimet injustam vexationem imminere, ubi non imminet, & quod sit necessitas redimendi injustam vexationem, ubi vel non imminet injusta vexatio, vel alio modo, sine notabili detrimento potest injusta vexatio impediri. 415

Cæterùm quantum sit ex me quæstionem resolvendam relinquo ex iis, quæ scripsi *tract. de elect. cap.* 7. *quæst.* 12. ubi latè de hac materia disputavi. Hoc quidem addendum, quod scilicet judex datum sibi ad redimendam injustam vexationem tenetur restituere, quia pro eo, quod judex ex justitia tenetur jam facere, non potest aliquid accipere pretii, ut illud faciat. Præterquam quod nec liberè datur, nec donatur, quod non datur nisi coactè, & ex necessitate redimendi injustam vexationem, Card. de Lugo *dict. disp.* 37. *num.* 136. 416

An verò liceat dare concubinæ judicis, ad obtinendum hac via judicis favorem, in iis, quæ judex licitè potest facere, negant Sanch. *l.* 3. *consil. cap. un. dub.* 43. *& lib.* 1. *in decal. cap.* 7. *n.* 38. & Card. de Lugo *tom.* 2. *de just. disp.* 37. *num.* 136. quia hoc est uti amore turpi, & ex eo patrocinium quærere. Tum quia concubina moraliter non potest benè facere, quia ipsam pergere ad alloquendum judicem est mortale, cùm se evidentissimo periculo peccati proprii, & alieni exponat. Sed oppositum sustinet Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 138. ex Palao *to.* 1. *tr.* 6. *disp.* 6. *p.* 15. *n.* 2. *Et iterum p.* 5. *tr.* 7. *resol.* 24. ex Hurtado. Quia iste, qui dat munera meretrici, non petit nisi id, quod de se potest fieri sine peccato, licet ex malitia alterius, cùm peccato fit. Non est verò contra charitatem ad vitandum grave nocumentum proprium, uti opera alterius in eo, quod sine peccato fieri potest esto ex malitia ejusdem id sine peccato non fiet. Ex veritate igitur hujus principii pendet quæstionis resolutio, de quo consulendi sunt D. Th. 2. 2. *q.* 43. *art.* 3. & alii DD. de scandalo tractantes. 417

Tandem hic quæri posset an ex jure canonico officiales judicum prohibiti sint recipere munera? semper verò est considerandum, quod lex naturæ prohibet vendere, quod debetur ex justitia, vel quod facere est injustum, sicut & prohibet recipere, ubi ex hoc, qui recipit se exponit periculo peccandi, & violandi justitiam, quod quidam in his facillimè accidit. Sed quantum ad legem positivam considerandæ sunt leges in hac materia dis- 418

disponentes, pro nunc dicitur, quod in terminis hujus decretalis Assessor, & Notarii prohibiti sunt exigere ultra constitutum sibi emolumentum, non verò prohibiti sunt recipere munera, seu spontè oblata ex mera, & pura liberalitate, quæ nec explicitè, nec implicitè exiguuntur ut pretium labori debitum.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Proferendò.

SUMMARIUM.

419 *Continuatio textus.*
420 *Regulæ textus.*
421 *Testes cogi possunt.*
Exceptis multis, qui vel à jure prohibiti sunt, vel habent privilegium, ut cogi non possint.
422 *Nullus est, qui in atrocissimis cogi non possit in defectum aliorum.*
423 *Quando testimonium est necessarium ad liberandum innocentem tenetur homo ex charitate etiam se offerre.*
424 *Hoc declaratur 425.*
426 *Quid in causis criminalibus.*
427 *Testis falsus tenetur ad restitutionem.*
428 *An ad restitutionem teneatur, qui non testificatur.*
Opinio affirmans.
429 *Homo ex charitate tenetur ad testificandum pro proximo.*
430 *Præceptum superioris non obligat ex justitia, 432.*
431 *Respublica secundum aliquos non potest immediatè, & directè obligare unum alteri ex justitia.*
432 *Hoc explicatur.*
433 *Non tenetur testis, cum æquali suo damno ad testificandum.*
434 *Scriptura publica est communis nec potest negari habentibus interesse.*
Opinio negans.
435 *Officium testis est ministerium justitiæ commutativæ.*
436 *Nullus per se tenetur ex justitia commutativa acceptare officium testis.*
Sed si officium acceptat, obligatur ex justitia ad testificandum verè.
Non licet fictè assumere officium testis.
437 *Qualiter Respublica possit obligare ex justitia.*
438 *Non semper testificari est actus justitiæ.*
439 *Quod est præceptum intuitu justitiæ est actus justitiæ extrinsecè.*
440 *Esse actum justitiæ extrinsecè non sufficit ad obligationem restituendi.*
441 *Propositio una Card. de Lugo examinatur.*
442 *Iudex debet parcere laboribus testium.*
445 *Testes non debent sine causa citari: & quando citandi.*
44 *Citatio à delegato facta sine causa necessitate est nulla.*
445 *Producens testem tenetur ad expensas illius.*
446 *Remedium contra dilatorias fuit necessitare producentem ad expensas.*
447 *Expensæ testium quales esse debeant.*
448 *Aliquando judex debet mittere ad testes.*

419 IN judicio ad lites terminandas præter judicem, & notarium, sæpè etiam requiruntur testes, per quos partes possint suam probare intentionem. Ideò Pontifex postquam decrevit qualiter se habere debeat judex circa assessorem, & notarium, modò decernit qualiter se habere debeat circa testes.

420 Duas verò regulas ponit. Prima est, quod judex nullum testem citet, nisi pro quanto conditio, & status causæ, id requirat. Secunda est, quod tunc nec testem citet, nisi faciat eidem à producente ministrari expensas factas eundo, stando, & redeundo.

421 Quod in casu civili testes possint cogi ad ferendum testimonium notat hic Gloss. *ex cap. Quamquam 14. q. 2. & cap. pervenit de testibus cogendis*. Et nihilominus multi sunt, qui cogi non possunt, vel quia à jure prohibiti sint in damnum aliquorum testificare, ut clerici in causa sanguinis, vel coram judice sæculari, *l. inviti, ff. de testibus, cap. si testes, §. Item lege Iulia, ff. de test.* parentes contra filios, & è contra; & omnes ascendentes, & descendentes in recta linea, *l. Parentes C. de test. & cap. si testes §. Item parentes 4. q. 3. & uxor contra virum l. 2. C. de test.* Similiter ad testificandum cogi non possunt Religiosi, qui nec in civilibus cogi possunt, nec vir contra uxorem, nec consanguineus intra quartum gradum contra consanguineum in linea transversali, *leg. Iulia ff. de test. l. Cornelia C. de injuriis*. Nec servi, & libertini contra eorum dominos, eorumque filios, uxores, vel propinquos, & è conversò testimonium ferre possunt, *l. libertinorum C. de test.* Clavis Reg. *l. 12. c. 20. n. 19.* De qua re Navar. *com. cap. Inter verba 11. q. 3. concl. 6. coroll. 66. n. 808. & seq.*

Personæ tamen privilegiatæ, & aliàs non prohibitæ volentes testificari admitti possunt, & nulli sunt, qui in causis atrocissimis, ut in crimine læsæ majestatis cogi non possint ad testificandum in defectum aliorum testium, Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 4. num. 10.* Navar. *cap. 25. n. 50.* Clar. *q. 24. n. 22.* Farin. *q. 54. n. 171.* Clerici verò coram judice ecclesiastico, vel eo consentiente etiam coram sæculari possunt testificari. 422

Sed præterea etiam datur casus, in quo testis etiam non juratus tenetur testificari non obstante quocumque privilegio, aut juris positivi prohibitione. Nam si alicujus testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel à falsa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc requisitus tenetur homo ad testificandum. Et si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere, quod in se est, ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim Psal. 81. *Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate*. Et proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Hæc D. Thom. 2. 2. *quæst. 70. art. 1. c.* 423

Ex quibus deducitur primò, quod in causis civilibus, quando alicujus testimonium est necessarium, & judicatur probabiliter profuturum, seu non est certum illud non profuturum ad liberandum proximum à gravi damno, quod ipse justè non patitur, & testis sine gravi suo damno testimonium ferre potest, tenetur ex lege charitatis testificari. Nec interest quod, qui passurus est damnum sit valdè dives, ut si dives 20. millium aureorum, sit passurus injustè damnum aureorum quinquecentum, vel ducentum, quoniam hæc obligatio non oritur ex titulo paupertatis, sed ratione damni gravis, quod si ego possum impedire, vel sublevare, ad id me cogit charitas; sic licet non habenti domum ego non tenear illi dare, si tamen divitis domus ardet, teneor si possum, & si meum auxilium potest, prodesse, & est necessarium, auxiliari, ut domus non comburatur, sic habens aliquam scripturam, ex qua proximi jus, & causa dependet, teneor illam præsentare. Et sic etiam ad sublevandum proximi damnum teneor testificari, si testimonium meum est necessarium, ut tradunt Cajet. *2. 2. q. 70. art. 1.* & ibi Bannes *p. 5. dub. 1.* Salon. *contr. 2.* Valent. *d. 5. q. 14. p. 1.* Silv. *v. testis q. 8.* D. Anton. *p. 2. tit. 1. cap. 19. §. 7.* Sotus *l. 5. de just. q. 7. art. 1.* Alex. *p. 3. q. 43. num. 1.* Navar. *com. cap. inter verba 11. q. 3. concl. 6. coroll. 64. num. 713. & in Man. cap. 27. num. 44. & 47.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 20. num. 19.* 424

Id tamen intelligitur, si id potest fieri sine gravi damno ejusdem testis & suorum in bonis fortunæ, vel vitæ. Sic enim si lis esset contra Patrem, non teneretur filius spontè testimonium suum offerre, vel è contra. Sicut si pater aggrederetur nudo gladio innocentem, non teneretur filius patrem occidere, si aliter non posset aggres- 425

aggressum defendere, ut advertit Sotus loco citato. Advertit etiam Bannes citatus, detrimentum hoc notabile judicari debere non omninò re absolutè considerata, sed comparativè ad damnum proximi. Quod rationabiliter dicitur, quia potest esse tam grande damnum, quod imminet proximo, ut ei cum aliquali damno teneatur quis ex charitate prospicere. Nihilominus tamen pensatis pensandis, si damnum meum sit notabile, non teneor ex charitate illud pati, ut liberem alium à damno etiam longè majori. Et benè monet Clavis Regia *num.22.* quod ad hoc ut consanguinei, & affines contra se testificari teneantur, aut etiam possint respiciendum est majus, vel minus damnum quod ipsis, vel aliis imminere possit, minus enim damnum quod immineat consanguineo in secundo gradu, sufficit, ut excuset consanguineum à testificando, quàm si esset solum consanguineus in tertio gradu. Et longè major necessitas requiritur, seu longè majoris damni periculum requiritur in parte læsa, ut frater teneatur, aut possit testificari contra fratrem, quàm contra alium affinem. Nam cæteris paribus, quo homines conjunctiores sunt, tantò magis se debent diligere, & minus agendum est contra illos, quàm contra minus conjunctos. Unde valdè raro contingere potest, quod pater contra filium, aut vir contra uxorem, & è contra teneatur, aut possit ferre testimonium. Cæterùm ubi lex charitatis urget, non valet privilegium, aut conjunctio. Unde & sacerdotes, & Episcopi licet aliàs privilegiati ex *l. nec honorem, Cod. de Episc. & Cler. & cap. fin. 14. qu. 2.* & parentes, & consanguinei ex charitate ferre testimonium possunt, & debent.

426 In causis verò criminalibus super his, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium nisi cum à superiore compellitur secundùm ordinem juris, quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si immineat damnum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum spontè se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet, eo nolente. Ita D. Thom. *d. quæst. 70. art. 1. c.* Quia nihilominus dantur casus, in quibus aliquis tenetur alium accusare, ut cùm crimen vergit in detrimentum Reipublicæ, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 68. art. 1.* In eo casu, ut advertit Cajet. *d. quæst. 70. art. 1.* & ibi Sotus *l. 5. de just. quæst. 7. art. 1.* Bannes ubi suprà *dub. 2.* teneretur testis respicere ad damnum innocentis accusatoris, sicut & regulariter, juxta supradicta tenetur ultrò se offerre ad testificandum, vel certè ad faciendum quod in se est, ut veritas manifestetur iis, quorum interest, quando hoc est necessarium ad liberandum innocentem à damno, quod illi injustè imminet, Cajetan. Bannes, Sotus, Alex. *locis supra citatis*, Navarrus *cap. 15. num. 16.* Petrus Navarrus *lib. 2. de restitut. cap. 3. part. 2. dub. 10. numer. 256. Clavis reg. num. 23.*

427 Dubium verò hic esse potest, an testis inobediens, & dum tenetur testificari, vel dicere veritatem, nolens testimonium ferre, & sic vel se occultans, ne ad illum perveniat citatio, vel citatus non veniens ad judicium, vel etiam à judice interrogatus, nolens respondere, & veritatem aperire teneatur ad restitutionem, si aliquis patiatur damnum, quod non fuisset passus, si ille de veritate testificatus fuisset. Habetur enim pro constanti & omninò indubitato, quod si testis positivè deponat falsum, teneatur ad restitutionem damni, quod inde consecutum fuit. Ut v. g. si quis perdidit litem ex vi depositionis falsæ, ipsius testis, tenetur ille ad restitutionem, sed dubitatur de testis silentio, seu non manifestatione veritatis, si inde evenit, quod innocens perdiderit litem, quam non perdidisset, si ille veritatem manifestasset.

428 Eum enim teneri maximè si citatus fuit, & multò magis si fuit à judice interrogatus, contendunt Sotus *lib. 5. de just. quæst. 7. art. 1.* Navarrus *in manual. cap. 25. numer. 44.* Malderus *tract. 6. cap. 2. dub. 9.* Sayrus *in Clav. Regia l. 12. cap. 20. num. 26.* & apud eam Solon. 2. 2. *quæst. 70. art. 1. controv. 3. conclus. 3.* Sà *v. restitutio numer. 8. & 44.* Sanchez *l. 6. consil. cap. 5. dub. 3.* Fagundez *in 8. præc. Decal. cap. 42. num. 14.* Ratio horum est, quia testis ex officio tenetur dicere veritatem, & sic si id non facit, injustè agit, unde si est causa damni ex suo silentio, tenetur ad restitutionem. Secundò, quia occultans scripturam publicam, si ex hoc causat alteri damnum tenetur ad restitutionem. Tertiò, quia sentire oppositum est valdè perniciosum Reipublicæ, quia ex hoc homines proni ad malum facilè aliis nocebunt occultando veritatem.

Alii verò ex contrariis moti principiis, oppositum sentiunt. Primò, quia testis tenetur ad testificandum non ex justitia, sed ex pura charitate, ut de eo, qui non fuit vocatus, vel ad eum bona fide se habentem non pervenit citatio fatentur omnes DD. oppositæ sententiæ. Et ratio est evidens, quia nullus ex justitia, nisi id ei ex speciali contractu, aut pacto sit injunctum, tenetur habere curam bonorum proximi, sed hæc obligatio ex charitate consurgit. Per se ergo testis non ex justitia, sed ex charitate tenetur testimonium ferre ad proximi favorem. 429

Sed obligatio justitiæ neque intrat ex eo, quod testis sit citatus, aut etiam interrogatus: quia præcepta superiorum obligant ex justitia legali, seu ex obedientia, non verò ex justitia. Tunc enim officia obligant ex justitia, quando assumuntur ex quasi contractu, & pacto, non verò quando assumuntur ex obedientia mera superioris. 430

Quod confirmant, quia nec Respublica potest obligare ex justitia actiones personales suorum subditorum directè. Nec est eadem ratio de bonis externis, quorum nullus est dominus ex natura, cùm rerum divisio, & dominium sit de jure gentium, & positivo; ideò non mirum, si Respublica potest auferre dominium rerum ab uno, & tradere alteri, sed actionum humanarum homo quilibet est dominus ex natura rei, nec Respublica directè potest hoc dominium tollere, & illud in alium transferre. Et quidem potest, vel in pœnam hominem privare etiam bonis naturalibus, & vita ipsa, vel ordinare actiones nostras ad utilitatem aliorum ex justitia legali, & intuitu boni communis, sed quod subditus non sit dominus suarum actionum, sed illorum dominium sit apud alterum eo invito, vel non consentiente, Respublica non potest facere. Sic licet jure belli potuerit instituere, quod capti à victoribus essent servi; hæc enim quædam pœna est; Et licet similiter possit facere, quod unus inserviat alteri; tamen quod teneatur illi servire ex justitia id facere non potest, nec fuit necesse, quod Respublica haberet hanc potestatem, quia ad bonum regimen sufficit, quod subditi ex obedientia teneantur obedire. Et sic directè, & immediatè non potest unum hominem obligare alteri ex justitia, quantum ad actiones personales. 331

Et nihilominus quidquid sit de hac quæstione, inauditum est, quod Respublica utatur hac potestate, & quod magistratus præcipiendo aliquid etiam ad utilitatem alterius censeatur obligare nedum ex obedientia, sed etiam ex justitia. Nam & hoc esset onus irrationabiliter, & sine necessitate impositum subditus. Testis igitur ex eo, quod citatus, vel etiam interrogatus, tenetur respondere ex obedientia, vel etiam si jurat, ex religione juramenti, non verò ex justitia. Et satis provisum est. Reipublicæ ex hoc, non enim est opus, ut subditi ex omni virtute teneantur obedire, sed sufficit, quod ex obedientia teneantur. Quam qui contemnunt, sine multa difficultate justitiam parvi faciunt. 432

Cæterùm, quod non adsit in testi hæc justitiæ obligatio ex eo etiam probatur, quia aliàs sequeretur, quod in pari causa, & si testi immineret malum æquale si testificaretur malo, quod imminet ei, ad cujus favorem est necessarium testimonium, teneretur illud malum subire, & testificari, quia qui tenetur ex justitia commutativa ad dandum aliquid alteri non excusatur ex eo, quod non possit illud dare nisi cum gravi suo damno, si hoc damnum est æquale ei, quod patietur creditor, si debitum non reddatur. At verò communis sententia est, testem non teneri cum gravi suo damno ad testificandum. 433

Non est verò eadem ratio de scriptura, si sit publica, & originale. Nam certè notarii ex officio tenentur hujusmodi scripturas custodire, & transumpta illarum tradere habentibus interesse. Sic ergo si originale scripturæ publicæ sit apud aliquem alium, quia illud est publicum, & ex institutione commune, nullus potest illum retinere occultum in præjudicium habentium interesse in illo. Et amplius scriptura est res externa, de qua Respublica potest disponere, & dare illius dominium, vel usum juris, quibus sibi benè visum fuerit ex intuitu boni communis. Sed testimonium ferre, quod est actio personalis ipsius testis, nulli debetur ex justitia commutativa, & ideò si nega- 434

negatur non intrat obligatio restituendi. Et propterea hanc sententiam defendunt Bannes 2. 2. *qu.70. art.1. dub.3.* Serra ibid. *dub.3.* Ledesma *tom.2. tract.8. cap.25. concl.7. diff.5. disp.2.* Card. de Lugo *tom.2. de just. disp.39. sect.1. num.5.* Molina *tom.1. de just. disp.83. & tom.2. disp.700. num.3.* Bonac. *de decal. disput.10. qu.3. part.3. num.13.* Jo. à Cruce, Sylvius, & Prigianus, quos refert Diana 3. *part. tract.5. resolut.101.* dicens eorum opinionem probabilem; Martinez de Prado *cap.24. q.6. num.57.*

435 Ad hanc difficultatem respondetur, & dicitur primò; quod ubi judicium est de re alicui debita ex justitia commutativa, officium testis continet obligationem justitiæ commutativæ, & partes habent jus ad hoc ut testis puram, & integram veritatem manifestet, quod si testis id non faciat, violat justitiam commutativam. Probatur, quod enim est intrinsecè de integritate judicii, quod est actus justitiæ commutativæ, necessariò simul est actus ejusdem virtutis ab ea dirigendus, & regulandus, & ejus obligationis subjectus. Judicium enim hoc tantum quantum est totum & integrum est actus justitiæ commutativæ, cùm sit actus, per quem partibus decernitur, quod justum est, & suum cuique tribuitur; Non posset verò hoc judicium totum & integrum esse actus justitiæ commutativæ, si aliqua pars integritatis illius ad justitiam commutativam non pertineret, & ejus obligationibus, & regulis non subderetur. At verò probatio facti vel juris, de quo est lis, est intrinsecè de integritate judicii, quia cùm factum vel jus est dubium probatione indiget, ut tollatur dubietas, & fiat manifesta partium justitia. Probatio igitur est intimè actus justitiæ commutativæ, & ex ea regulandus: Officium ergo testis, quod rescriptum justum in probatione consistens est officium continens obligationem justitiæ commutativæ. Quod explicatur. Nam officium judicis ex eo est officium habens annexam obligationem justitiæ commutativæ, quia ejus actus, qui est judicare, est actus ejusdem justitiæ, unde tale officium est justitiæ ministerium: Sic igitur quia probatio facti & juris partium, & ex consequenti testificari in materia justitiæ, est actus justitiæ ejusdem, cùm sit pars judicii, ideò officium testis erit quoddam justitiæ ministerium. Et sicut Judex ex quo acceptat officium judicis ex hoc tacitè convenit, & se obligat ad rectè judicandum, quia hoc petit officium judicis, ita testis ex quo acceptat officium testis tacitè convenit, & paciscitur, & se obligat ad rectè, & integrè probandam veritatem pro parte sua.

436 Dico igitur secundò cum secunda sententia, quod nullus ex justitia commutativa tenetur assumere officium testis, quia nullus tenetur ex justitia commutativa promovere bonum, aut impedire malum proximi, nisi speciali titulo alicujus conventionis, aut pacti ad id obligetur. Ideò sine violatione justitiæ commutativæ potest quis se abscondere ne citetur, quidquid in contrarium dixerit Sanchez *leg.6. consil. cap.5. dist.3.* Et citatus non tenetur ex justitia commutativa assumere officium testis, sed solùm est justitia legali, & obedientia, sicut nec judex ex justitia commutativa tenetur assumere officium judicis, etiam si Princeps id præcipiat. Sed & constitutus coram Judice, adhuc ex justitia commutativa non tenetur respondere, & potest sine injustitia tacere, vel nolle esse testem. Sed si semel in officium testis consentit, & sic si juramentum suscipit, jam tacita convenit, ut exerceat officium illud dirigente justitia commutativa, quia consentit in actum, qui suapte natura est dirigendus ex tali justitia, & ideò non potest amplius veritatem occultare in præjudicium justitiæ, & nec potest amplius vel mentiri, vel simulare, vel silere. Credo tamen, quod ex justitia non teneatur perseverare in officio, sicut nec judex, nisi re jam non integra hoc cederet in injustum damnum tertii. Sed tamen ubi vult testis esse, tenetur ex justitia ad interrogata respondere, & respondendo veritatem aperire. Et nec licet testi fictè assumere officium testificandi, sicut nec licet judici fictè suscipere officium judicis, sed ex justitia obligatur justitiæ officium sincerè exercere, si illud extrinsecus suscipit, & non decipere in eo quod ex justitia est agendum.

437 Hinc non est unde disputemus, an superior, seu Respublica possit immediatè, & directè obligare unum subditum alteri, hoc enim per modum contractus potest facere, quia posset subditum ex causa justa vendere in servum, sed quidquid sit de hoc, & dato etiam, quod leges, & præcepta Reipublicæ, per se immediatè non obligent ex justitia commutativa, quod est verissimum. Tamen simul verum est, quod Respublica si aliquid præcipit intuitu justitiæ commutativæ, ex hoc constituit actum illum in specie justitiæ, & ita quod injustitia sit non obedire. Et ulterius indubitatum est, quod Respublica potest præcipere id, quod est actus justitiæ commutativæ; potest enim præcipere subditis, ut vendant, emant, contrahant; sicut potest præcipere alicui, ut matrimonium contrahat; seu judici ut officium judicis exerceat, eodem ergo modo potest præcipere testi ut testimonium ferat, seu, ut officium testis exerceat in judicio. Hoc verò officium jam intimum pactum, & conventionem claudit, ut fiat fideliter, & juxta justitiæ exigentiam.

Fateor quidem, quod officium testis non semper obligat ex justitia commutativa, sed juxta subjectam materiam. 438
Nam si lis non sit de eo, quod debetur ex justitia commutativa, sed v. g. disputetur in judicio an aliquid sit debitum ex virtute Religionis, testificari veritatem ex virtute Religionis est debitum, non ex virtute justitiæ, quia judicium totum non est justitia regulandum, cùm non sit de materia justitiæ. Testificari enim publicè in judicio est actus illius virtutis, cujus est judicium, quia est pars judicii, & ad integritatem judicii spectat. Ideò tunc solum testificari est actus justitiæ, & ex justitia regulandus, cùm judicii materia est justitia. Tunc enim partes jus habent, ut testimonium veritati integrè, sit conforme, quia hoc petit integritas totius actus judicii.

Quod si dicas ex his sequi, quod etiam testis citatus teneatur ex justitia acceptare officium testis, & sic integrè postea veritatem manifestare, quia dictum est, quod superior præcipiens intuitu justitiæ constituit actum præceptum in specie justitiæ, & ita quod illius præcepti inobedientia sit quædam injustitia. Cùm igitur judex intuitu justitiæ testem, jam testis tenetur ex justitia obedire, & non obedire est in justitia, & sic non obediens si ex hoc sequitur damnum censetur hujus damni causa, & tenetur ad restitutionem. Respondetur enim, quod ordo ad virtutem sufficit ad hoc, ut actus præceptus sit in specie illius virtutis non intrinsecè, sed extrinsecè, quando enim actus unius virtutis imperatur ab alia, ut actus justitiæ imperatur ex charitate, ille actus intrinsecè & ex objecto est actus justitiæ, solum verò extrinsecè & imperativè est actus charitatis. Sic ubi actus, qui ex objecto non est actu justitiæ, à justitia imperatur, ille actus solum extrinsecè est actus justitiæ, & reductivè. 439

Hæc verò ratio justitiæ non sufficit ad fundandam obligationem restituendi. Unde si judex nolit acceptare officium judicis, non per hoc tenetur ad restituendum aliquid alicui. Et si advocatus nolit obedire judici, ut patrocinetur causæ pauperis, non per hoc advocatus tenebitur ad restitutionem. Et ratio est, quia is restituere tenetur, qui habet alienum, non autem habet alienum, qui ab alio nihil accepit, vel abstulit, vel nulla fuit causa quod ab eo auferretur. Ex eo verò quod judex non vult esse judex, nec aliquid recipit, nec aliquid aufert, & solùm non defendit, sed ex natura rei ad hoc non tenetur, nisi ex charitate, & qui non defendit, non censetur causa damni, nisi teneatur intrinsecè ex justitia, nimirum, quia aliquid accepit, ut defenderet, vel ex pacto, & conventione ad id se obligavit. 440

Hinc sequitur propositionem hanc Cardin. de Lugo *dict. disp.39. num.5.* scilicet de illo, qui jam à judice præsente interrogaretur probari etiam potest, quia non tenetur aliunde testari verum, nisi vel ex religione juramenti, vel ex præcepto judicis, non esse veram: Quia si testis jam juravit, & sic officium testis acceptavit, ex justitia tenetur dicere verum, quia hoc petit intrinsecè officium testis in materia justitiæ, ut est probatum. Solum igitur ex justitia non tenetur esse testis, sed si acceptam testem esse, tenetur ex justitia testari verum. 441

Judex verò in citando testem debet plura considerare, & quidem primo, ut benè advertit Gloss. judex tenetur non solùm parcere laboribus, & expensis partium, ut suprà *cap. Finem, de dolo, & contumacia*, sed etiam testium, ut hic decernitur, decet enim, ut judicium fiat cum summa justitiæ, & charitatis æquitate, & ideò quantum fieri potest, parcatur laboribus, & expensis Curialium, 442

Præ-

443 Præterea verò non debet, judex superfluè, & sine necessitate citare testes ad judicium, ut benè advertit Gloss. Butr. *n.* 2. Dat verò Gloss. exempla, quando testes compelli possunt, & citari, nimirum si petantur super principali lite contestata, & jurato de calumnia, & dato termino ad probandum, & porrecta intentione producentis, tunc testes citantur: vel si petantur super dilatoria ante litem contestatam dato termino per judicem ad eam probandam; & intentione porrecta.

444 Tanta verò necessitate opus est, ut testes non citentur nisi ubi conditio, & status causæ id requirit, ut citatio aliter facta sit ipso jure nulla, per §. *seq.* Gloss. Butr. *n.* 2. qui advertit hoc verificari de citatione facta à delegato, non verò de facta ab Ordinario.

445 Dubitatur autem circa textum, unde sit, quod cùm testis pro communi causa testimonium ferat, nam causa communis est actori, & reo, nihilominus expensæ pro teste ministrari debeant solum à producente testem. Et eo magis, quod licet judex sit impetratus ab actore, tamen communiter illi provideri debet ab utraque parte, ut decernitur suprà §. *Insuper*. Sed respondetur disparem esse rationem, quia testis inducitur principaliter ad probandum quod intendit producens, & quod regulariter sic facit ad causam, quod probatum est contra aliam partem, & ideò agitur principaliter & immediatè de interesse, & favore producentis testem, & propterea illius est providere illi de expensis, ubi hoc fuerit necessarium, Gloss. Dom. *num.* 3. Franc. *n.* 3. Barbos. *n.* 94. Azin. *in praxi Flor.* §. 21. *cap.* 5. *casu* 2. Nicol. de Lescur. *de exam. test. cap.* 16. *num.* 1. Et in hoc servatur æqualitas, quia cùm utraque pars possit producere testes, utriusque est providere suis de expensis, Butr. *num.* 2.

446 Necessitate quoque producentem testem ad expensas fuit optimum remedium ad impediendas fraudulentas dilatorias partium. Consueverunt enim advocati, ut notat Gloss. sua dolositate, & imperitia, nescientes aliter partes juvare dilationes juris petere testes ultramarinos, vel extra provinciam producendos *cap. induciæ* §. *spatium* 3. q. 3. Huic verò malo cùm apposita fuerint multa remedia, melius fuit provisum per hanc literam obligando producentes ad expensas. Non enim dilatorias petunt, quæ multum illis valere debent.

447 Debentur igitur testibus expensæ necessariæ tam veniendo, quàm stando, & redeundo, *l. Quoniam liberi*, *C. de testib. cap.* 4. q. 3. Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 2. Gloss. *in c. non licet* 11. q. 3. Covar. *in cap. peccatum p.* 2. §. 3. *n.* 2. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 1310. *num.* 10. Surd. *de Alim. tit.* 1. *q.* 62. *num.* 1. & prius depositari debent apud notarium causæ, quàm testes admittantur, & citentur, Gloss. Butr. *num.* 1. Franc. *num.* 2. Panorm. *in cap. constitutus num.* 8. *de fidejus.* Jason. *in l.* 1. *num.* 27. *ff. si quis jus dicen. non obtemp.* Scacc. *de jud. l.* 2. *cap.* 3. *q.* 4. *num.* 137. Debent verò esse moderatæ, & proportionatæ spectata qualitate personarum, tam testium, quàm producentis; & conditione causæ, & locorum & temporum circumstantiis. Et his pensatis moderatæ esse debent, Grat. *discept.* 57. *n.* 4. Surd. *de Alim. tit.* 4. *q.* 25. *num.* 4. Bellacomb. *t.* 2. *com. opin. lib.* 7. *tit.* 13. *n.* 61. Barbos. *num.* 94. Et ad fraudes vitandus & lites, & injustas prætensiones taxari debent à judice, Franc. Barb. hìc *n.* 98. Petrus de Moncad. *de test. num.* 406. Qui judex in illis taxandis habebit rationem qualitatis personarum, ita quòd majorem summam taxet pro nobili viro, qui lautiori, & delicatiori mensa solet uti, quàm humilioris conditionis personæ, Surd. *de Alim. tit.* 4. *q.* 18. *n.* 8. *& seq.* Tiraq. *q. de nobil. cap.* 20. *n.* 142. Alex. *in l. si maritus* §. 2. *ff. solut. matr.* Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 123. Barbos. *nu.* 95. Ideò nobili debentur alimenta, etiam pro sua persona, Lanfranc. Zachia *de salario q.* 86. *n.* 9. Surd. *d. q. l.* 18. *num.* 10. Tiraq. *d. c.* 20. *n.* 141. *& facit l. habitatio*, *ff. de ventre in possess. mit.* *l. Tutor. ff. de adminis. Tutor.* Et propterea nobili debetur etiàm equus in itinere, Barbos. *n.* 96. Grat. *discept.* 57. *d. n.* 6. Surd. *d. tit.* 4. *q.* 21. *n.* 7. Quod rusticis, & humilioribus personis, non debetur, unde eis non competunt expensæ, si quas fecerunt in equis, Tiraq. *d. cap.* 20. *num.* 75. Lata in *l. si quis à liberis* §. *non tantum*, *num.* 26. *ff. de lib. agnosc.* Surd. *d. tit.* 4. *q.* 21. *num.* 10. Rota coram Verallo *dec.* 104. *seu. un. de salario*, ubi dicit, quòd testibus venientibus ab Hispaniis taxantur expensæ in Juliis decem pro quolibet die, si testis est solitus tenere equum, & famulum, alioquin in Juliis octo. Hanc verò summam pro expensis solvi debere illis antequam pedem moveant à patria, & à domo dixerunt Barbos. *n.* 96. Surd. *d. tit.* 4. *q.* 8. *num.* 3. *&* 9. Grat. *discept.* 57. *n.* 6.

448 Et tamen, quod non sit necesse, quod semper testes veniant ad judicem, sed quod denrur casus, in quibus judex tenetur ad eos mittere, advertit Franc. *n.* 1. *ut in l. ad egregias ff. de jurejur. & cap.* 2. *inf. de jud. & cap. constitutus de fidejuss.*

SUMMARIUM.

449 *Testis non potest accipere mercedem pro testimonio.*
450 *Testis corruptus non probat, & ex officio repelli potest.*
Uno teste corrupto alii præsumuntur corrupti.
451 *Testis pro labore potest recipere, sed pro hoc habet expensas.*
452 *Post datum testimonium sincerè donatum potest recipere.*

Quæst. VI.

ARTICULUS I.

Utrùm testibus debeatur salarium.

Distinguendum hic est inter testimonium quod fertur, 449 & laborem, qui eundo, stando, & redeundo suffertur. Nam certissimum est nullam mercedem solvi posse pro actu testificandi, seu pro testimonio ferendo, ut dixit S. Aug. Epist. ad Macedonium, & habetur *cap. non sanè* 14. *q.* 5. sicut enim judex non potest vendere judicium suum, sic nec testis suum testimonium, *cap. nolite timere* 11. *q.* 3. *cap. primo*, *& cap. intimavit de test.* D. Th. 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. & ibi Cajet. Bannes, Serra, Salon. Aragon. Valentia, Panorm. & Felin. *in d. cap. intimavit* Innoc. *cap.* 4. *de accusat.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 310. Et ratio est, quia testificari verum tenetur ex justitia, unde pro eo non potest novam mercedem accipere. Quod si accipit ad restitutionem tenetur ex natura ipsa rei; quia tenet injustè acquisitum. Testificari autem falsum est injustum, & ideò illicitum, & turpe est pro eo mercedem accipere. Quamvis post factum non teneatur in conscientia ad restitutionem pretii, qui injustè testificatus fuit. Sed tamen tenetur ad restitutionem totius damni, quod sic testificando intulit.

In tantum verò illicitum est testes pretio conduci, *cap.* 1. 450 *de testibus*, ut si quis conductus, & pro testificando pecuniam sumpserit, nihil probet, & accusetur de falso. Anchar. Anan. Aret. Dec. Felin. & Imol. *ad cap.* 1. *de testibus*. Ubi Barbos. *num.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 454. *num.* 1. *& concl.* 1358. *num.* 1. latè Farin. *in praxi p.* 2. *q.* 67. *à num.* 236. ubi multipliciter hoc ampliat, & limitat Philippus de Bictis *in praxi q.* 48. *num.* 10. Lanfranc. Zachia *de salario q.* 86. *num.* 4. Mascard. *de probat. d. concl.* 454. *num.* 5. Cephal. *cons.* 233. *num.* 1. *l.* 3. Roman. *sing.* 330. *in princ.* Nec interest, si qui accepit pecuniam, eam accepit, ut verum dicat, nam adhuc præsumitur falsus, & nihil probat, Felin. *in rub. de testibus*, Mascard. *d. concl.* 454. *num.* 5. Boss. *tit. de fals. num.* 268. Si quis etiam ob renuntiandum, remitendumque testimonium dicendum, vel non dicendum pecuniam acciperet, pœna legis Corneliæ afficiendum esse habetur, *l.* 1. §. 1. *ff. de falsis*. Nihil verò probat testis, etiam si pecuniam sponte oblatam susceipiat, Alexand. Jacob. de Beluis. Marsil. *in l.* 1. *ff. de fals.* Testis enim pecuniam recipiens reprobatur *cap. p. de testibus*, & judicis officio etiam parte non opponente poterit repelli, Farin. *d. q.* 67. *num.* 254. De Bictis *d. q.* 48. *n.* 70. Et uno corrupto omnes corrupti præsumuntur, Guido Papa, Auxn. & Farin. *num.* 256. Et idem dicendum de eo, qui accepit pecuniam pro non ferendo testimonio, *l.* 3. §. *l. ff. de testibus*, Aret. Dec. & Felin. *in cap.* 1. *de test.* Et idem de corrupto timore, amore, vel odio *cap. quoties de testib.* Hostien. & DD. *in cap.* 1. *eod. tit.* Quamvis testis corruptus probet contra eum, à quo pecuniam accepit. Avan. Aret. Dec. & Felin. *in cap.* 1. *de test.*

451 Sed si consideretur occupatio, & labor testis, potest ea ratione deberi aliquid testi, qua debetur salarium judici. Sed magis propriè hæc dicuntur dari in sustentamentum, unde hoc, quod testis potest petere, pertinet ad expensas, & ad illas reducitur; unde est, quod testi præter expensas per se nihil debetur. Ad expensas verò taxandas debet considerari etiam occupatio, & labor quem testis sustinet. Quod si sit labor aliquis insolitus, quem sufferre non spectat ad officium testis, pro illo mercedem posset accipere, Lanfranc. Zachia *de salario q.86. v. fin.*

452 Post latum testimonium etiam, si nulla omninò præcessit promissio, pecuniam posset recipere testis, nec ejus testimonium infirmaret, Farin. *quæst.67. num.* 277. Sed si hoc appareret, de facilè, præsumeretur, quod præcesserit promissio aliqua, & pactum, nisi aliud ex circumstantiis constaret.

SUMMARIUM.

453 *Testi non esse restituenda damna, quidam dixerunt.*
454 *Testi solvi debet lucrum cessans, & dammum emergens.*
455 *Explicatur.*
456 *Quando inclusio unius est exclusio alterius.*
Quando non valet argumentum à contrario sensu.

Quæst. VI.

ARTICULUS II.

Utrùm testi præter expensas debeatur lucrum cessans, & damnum emergens.

453 Videtur enim, quod non debeatur. Tum primò, quia *in l. Quoniam liberi, C de testibus*, & in hoc textu de solis expensis fit mentio, at verò damna, & lucrum cessans non veniunt sub nomine expensarum, *c. in nostra de injur.* Inclusio enim unius est exclusio alterius, *cap. nonne, de præsumpt. l. Cùm Prætor. ff. de jud. l. Maritus C. de Procurator. l. Quamvis C. de pignor.* Tum secundò quia *in l. si quando C. de test.* disponitur, quod non possint cogi testes ad manendum in loco judicii ultra quindecim dies, ne pro alienis commodis suas inveniant difficultates, ergo per locum à contrario sensu testi nihil debetur ob difficultates ejus occurrentes intra quindecim dies. Et ideò, quod testi præter expensas non sint restituenda damna tenuerunt Franc. hic *num.* 4. & apud Lanfranc. Zachiam *de salario q.* 86. *num.*23. Bald. & Salicet. *in l. fin. C. de fruct. & lit. expens.* Alberic. *in l. Quoniam liberi num.* 4. *C. de test.* Cardin. *in capit. Placuit* 4. *q.* 2. *Nullus tract. de test. sub num.* 3.

454 Sed oppositum dicendum est, quia officium suum nulli debet esse damnosum, *l. sed & si ff. quemad. testam. aperiat.* Unde justitiæ æquitas non patitur, ut in commodum producentis, testis ipse damnum pati cogatur. Tum secundò nam ex contraria sententia sequeretur, quod si quis arte sua, & exercitio aleret integram familiam, & impediretur ex causa testificandi, ne laboraret in arte, deberet permittere, ut familia sua fame periret contentus propriis suis expensis. Ideò hujus sententiæ sunt D. Anton. *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 19. §. 7. Felin. *in cap.* 1. *de test.* Guido Papa *q.* 68. *n.* 3. Alber. *in tract. de test.* §. *videndum est*, Jacob. Belvi *in praxi tit. de restit. num.* 21. Et sic quod artistis debeatur lucrum cessans, tradit hic Barbos. *num.* 97. ex Cacheran. Pedem. *decis.* 46. Camil. Borell. *cons.* 21. *in fin.* & Franc. Maria Delphin. *dec.* 178. *num.* 3. *part.* 1. *& num.* 98. Quod si contingat testem in itinere morbo corripi sumptus impendendi in curatione suppeditari debent, donec commodè sine periculo sanitatis ad propria redire possit, ex Rug. Rolan. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 12. *n.* 4. *ubi num.* 17. resolvit, producentem teneri suppeditare expensas pro restituendis ablatis per deprædatores.

Verùm quantum ad damna distingui debet, prout suprà §. *Insuper num.* 231. distinctum est de judice. Lucrum 455
enim cessans in Artistæ per se sequitur ex eo, quòd Artista extra propriam domum ad consumandum tempus testificando extrahitur. Sed non omnia damna per se consequuntur ex eo, quod testis citatur, & cogitur esse in loco judicii. Nam & cur non potest esse, quod infirmetur ex inordinato modo vivendi, vel ex incuria, & negligentia custodiendi sanitatem, & quod expoliatus fuerit in itinere, ex eo, quòd viam securam reliquerit? Itaque ergo producens ad illa sola damna tenetur, quæ per se causata fuerunt, ex eo quod officio testis functus fuit, ut si ipse jam debilis, ex necessario labore itineris infirmatus fuit; si non potuit aliud inter assumere, quàm illud, in quo à deprædatoribus expoliatus fuit. Sed damna, quæ incurrit ex negligentia, vel culpa sua, quibus ille causam dedit, non sunt ei solvenda, sicut nec damna, quæ casualiter ei acciderunt. Nam licèt talia damna forsan non incurrisset, si mansisset domi suæ, & non fuisset citatus, tamen majora etiam potuisset incurri, & damna hujusmodi ex accidenti & casu aliundè, quàm ex officii testis exercitio, & necessitate provenerunt. Producens verò non tenetur nisi damna, quorum est causa, non verò ad illa, quæ aliundè causata sunt.

Prioris verò opinionis rationes insufficientes sunt; tunc 456
enim unius inclusio est aliorum exclusio, quando omnia proposita fuere, & sic unum fuit præ aliis electum. Secus quando unus tantùm casus fuit prohibitus vel admissus, Bal. *in l. jubemus* §. *fin. per illum textum, ff. de test.* Tunc enim casus omissus remanet in dispositione juris communis, *l. commodissimè, ff. de lib. & posthum.* Videri possunt dicta supra *cap. susceptum num.* 6. *&* 7. *& in hoc tit.* Iterùm verò dicitur ad illam primam rationem, quod inclusio unius censetur exclusio alterius, & argumentum à contrario sensu procedit in gratuitis, in quibus tantum intelligi debet concessum, quantum fuit expressum, sed non procedit in necessariis, & in iis in quibus non expressum est alia lege, vel præceptum, vel prohibitum; sed solum tunc sequitur, quod non expressum sub dispositione novæ legis non comprehendatur, sed juri communi, vel antiquiori relinquatur. Modo quod testi debeatur lucrum cessans, & damnum emergens, ex eo quod citatur & compellitur testificare, est de jure naturæ, quia nulli licet ex proprio commodo alteri inferre damnum. Et ideò ex eo quod jura expresserint debere solvi expensas (quod poterat esse magis dubium) non sequitur quod eidem solvi non debeant damnum emergens, & lucrum cessans.

DE RESCRIPTIS.

Cap. Statutum XI. §. Quidquid.

SUMMARIUM.

457 *Regula textus.*
458 *Processus non servatis prius dispositis est nullus.*
459 *Ordinarius providere posset stante nullitate processus.*
460 *Constitutio modificans præexistentem jurisdictionem non facit irritum attentatum in contrarium, si id non exprimit.*

Tandem Pontifex, cùm multa disposuisset, ut à 457
suis delegatis judicia recta essent, & ex eis partes quanto minus posset, gravarentur. Tandem, ut disposita exactius serventur, munit ea decreto irritanti, & statuit, quod irritum sit ipso jure, quidquid contra præmissa, vel eorum aliquod contigerit attentari.

Novum jus hic statuitur, quia cùm antea in multis 458
ex

ex capitulis hic dispositis processus non esset nullus nisi ope exceptionis; hodiè est nullus ipso facto & jure, Gloss.

459 Advertit quoque Butrius, quod nomen *inane* refertur ad factum, quasi si pars gravaretur de facto ex tali processu, qui est irritus, illi provideat Ordinarius informatus de veritate facti, *cap. solicitudinem §. si verò, de appellat.*

460 Digna quoque memoria est regula, quam hic tradit Anchar. quia nimirum, quando nova constitutio modificat provisionem antiquam super jurisdictionis exercitio, quod agitur in contrarium, non est ipso jure nullum, & ideò in casibus hujus cap. valuisset processus, nisi in hoc §. irritarentur aliter gesta. Ratio est, quia delegati à Papa non habent jurisdictionem ab ista constitutione, sed jurisdictio eorum aliundè habita modificatur. Secùs si constitutio conferret jurisdictionem modificatam, quia tunc quod fieret contra modificationem, esset ipso jure nullum. Ad quod allegat Gloss. notabilem, & subtilem *in Clem. 1. de jure patron.*

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XII.

Tibi, qui gratiam in Bituren. Ecclesia impetrasti à nobis certo executore concesso, qui te in canonicum recipi faceret: & de præbenda tibi (si qua in eadem Ecclesia tunc vacabat; alioquin de vacatura proximè) provideret: alius similem gratiam post tuam impetrationem obtinens in eadem, licèt prius quàm tu, suas litteras præsentaverit, & in canonicum sit receptus: in præbenda tempore tuæ receptionis, vel etiam pòst vacante (ex quo alteri ante tuam receptionem collata non extitit) anteferri non debet. Idem quoque si ante receptionem tuam in canonicum, vacavisset præbenda, per processum tui executoris, qui ei, ad quem præbendæ collatio pertinebat, notificaverat, quòd eam volebat per hujusmodi potestatem conferre: aut interdixerat, ne conferret eamdem, seu illam suæ reservaverat collationi; præsertim cum interpositione decreti affecta; tunc enim tibi & non alteri debet præbenda hujusmodi assignari. Quinimò si ante receptionem & præsentationem etiam tuam, præbenda vacavit: idem erit censendum, si in hujusmodi gratia tibi facta, decretum à nobis fuerat irritum & inane, quòd contra ipsam contingeret attentari. In prædictis itaque casibus debes tu præbendam vacantem potius, quàm impetrator ultimus, obtinere: dummtamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari.

SUMMARIUM.

1 *Tria disponuntur in hoc cap.*
2 *Conc. Trid. abstulit expectativas.*
3 *Collatio beneficiorum dicitur gratia.*
Literæ beneficiales sunt strictè interpretandæ.
4 *Executores mandatorum de providendo non sunt in usu.*
Et de his remissivè.
5 *Qui prior in tempore, potior in jure, etiam si posterior sit magis vigilans.*
In beneficialibus tempus datæ attenditur.
6 *Qui acquirit jus in parte, non per hoc acquirit jus in toto.*
Qui acquirit jus in aliquo, non per hoc acquirit jus in alio, licet connexo.
7 *Literæ secundæ de providendo an subreptitiæ.*
Ignorantia facti probabilis excusat à subreptione.
8 *Adverbium* quinimò *quid significet.*
9 *Decretum irritans quantum ad nullitatem actus afficit ignorantes, non quantum ad culpam, & pœnam.*

1 Tria in hoc cap. decernit Pontifex, statuit enim, quod impetrans prius gratiam canonicatus & præbendæ primò vacaturæ in certa Ecclesia est præferendus in assecutione præbendæ secundo impetranti similem gratiam, licet secundus prius suas literas præsentaverit, & fuerit in Canonicum receptus. Secundò addit idem esse dicendum, si antequam prior impetrans esset factus Canonicus, vacavisset præbenda, & per processum executoris ejusdem, qui ei, ad quem spectat collatio præbendæ notificaverat, quod eam volebat dicto primo impetranti conferre, aut interdixerat, ne conferret eamdem, sive illam suæ reservaverat collationi, præsertim cum interpositione decreti affecta. In hoc enim casu solo illo primo impetranti debet præbenda hujusmodi assignari. Tertiò asserit. Quod si ante primi impetrantis receptionem, & præsentationem præbenda vacaverit, idem erit dicendum, si in gratia eidem facta, continebatur decretum irritans quidquid contra ipsam contigisset attentari. In omnibus igitur istis casibus, primus impetrans debet præferri secundo impetranti, dum illi dolus, aut notabilis negligentia non possit imputari.

Decretalem hanc notabilem esse dixit Dom. post Gloss. 2
Eam verò emanasse ad declarationem *cap. Capitulum S. Crucis eodem tit. in antiq.* ex Elia advertit, eadem Gloss. Sed modò cùm mandata de providendo, & expectativas omnes abstulerint *Concil. Trident. sess. 24. cap. 19.* de quibus Fusc. *de visit. lib. 2. cap. 27. num. 3.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. §. 1. proœm. num. 57.* & Barbos. hic *num. 2.* Ideò pauca remanent circa hunc textum consideranda, in quo agitur præcipuè de hujusmodi gratiis expectativis.

Notandum igitur primò, quod collatio beneficiorum 3
dicitur gratia, quia talis est ex parte Papæ concedentis, sed quia ex parte impetrantis sapit ambitionem, ideò literæ hujusmodi beneficiales judicantur odiosæ, & strictè sunt interpretandæ, ut etiam adnotatum est supra *cap. gratia*, Gloss. hic, Archid. *num. 1.* Domin. *num. 4.* Addit verò Ancharan. *num. 1.* quod hæc collatio respectu Ordinarii dicitur debita *ut in cap. Relatum sup. de preben.* quod intelligitur, ubi Ordinarius de mandato Papę beneficium confert.

Notandum secundò, quod executorem literarum Apo- 4
stolicarum ad beneficia conferenda debere esse nominatum, & certum ex hoc textu colligunt Gloss. Dom. *num. 1.* & post Lapum Franc. *num. 4.* Qui tamen advertunt praxim curialium esse in contrarium, & pro eis facere *cap. non est, sup. de sponsal.* Multa etiam alia de hujusmodi executoribus mandatorum de providendo dicuntur hic, & ab aliis DD. tractantibus de beneficiis, quæ non est modò necesse considerare. De illis tractant Staphileus de literis gratiæ tit. de formis mandatorum de providendo. Ludovicus Gomez Saren. Epis. *de mandatis de providendo, & de expectativis.* Probus, & Leodinus Dailerius *tract. de mandatis Apostolicis*, Pacificus *tract. de mandatis de providendo*, Rebuff. *in praxi tit. de mandat. Apost. & tit. de clausulis mandatorum* & latius *in c. Nulla, de concess. preb. tertio notab.* Corras. *de benef. p. 4. c. 5.* Jo. Nicol. Cimonteus in *Enchir. benef. tit. 4. de gratiis expectativis, & alii.*

Notandum tertiò, quod qui prior est in tẽpore potior est 5
in

in jure, etiam si posterior fuerit magis diligens, & vigilans, & nomine ejus fuerit processum ad aliqua præambula, ut hic tradunt Jo. Monach. *num.* 1. Archid. *num.* 1. Jo. Andr. Dom. *num.* 2. Item quod in beneficialibus attenditur tempus datæ literarum Apostolicarum, non verò tempus præsentationis. Quia in hoc cap. decernitur, quod ex duobus, qui acceperunt literas Apostolicas, & mandatum simile de providendo de aliquo canonicatu & præbenda vacante, vel proximè vacatura, qui prius literas impetravit anteferri debeat, etiam si posterior impetrans prius suas literas præsentaverit, imò prius in Canonicum receptus fuerit. Nam & hoc dato ille in obtinendo præbendam præferri debet.

6 Ex hoc colligitur aliud, nimirum, quod stat aliquam acquirere jus in re in aliqua parte, & non per hoc acquirere jus super toto. Sive ex quo, quis acquirit jus in aliquo, non per hoc acquirit jus, & præventionem in reliquo etiam connexo. Nam licet receptio in Canonicum facta authoritate Papæ afficiat præbendam, ita quod alteri non possit conferri *cap. si postquam*, *inf. de præb.* Et sic inter canonicatum, & præbendam sit connexio: tamen receptio in Canonicum non tollit jus acquisitum primò impetranti literas Apostolicas, quin debeat recipi in Canonicum, & primò eidem debeat conferri præbenda, nisi ipsi posteriori impetranti prius fuerit etiam præbenda collata, antequam primus impetrans receptus fuisset. Et sic non valet arguere & dicere secundus impetrans prior obtinuit jus in re in canonicatu, ergo obtinuit jus in re super præbenda, nisi etiam præbenda fuisset illi actu collata, antequam primus impetrans suas literas præsentasset, & executor earum eas notificasset, prout in hoc textu decernitur, Dom. *num.* 1. Franc. *n.* 1.

7 Aliud quoque colligit Franc. *num.* 1. nimirum, quod secundæ literæ Apostolicæ continentes gratiam similem de providendo alicui de canonicatu & præbenda actu vacante, aut vacatura proximè non erant subreptitiæ, & nullæ, licet in eis non fieret mentio de prioribus literis, & licet etiam non continerent clausulam: *Non obstante, quod pro aliis scripserimus.* Quia si istæ literæ, ab initio fuissent nullæ, non potuissent vires assumere ob negligentiam primi impetrantis, per regulam, *non firmatur*, *inf. de regul. jur.* Cujus oppositum in fine hujus text. disponitur. Verùm Butr. *num.* 11. existimat literas secundas fuisse subreptitias ob taciturnitatem gravaminis, quod fiebat Ecclesiæ per illas secundas literas, nisi in eis fuisset superaddita clausula: *Non obstante, &c.* vel nisi fuissent impetratæ ab eo, qui probabiliter ignorabat priores literas fuisse datas, quæ ignorantia facillimè potest adesse, in quo casu taciturnitas non irritat gratiam. Textus verò loquitur in casu, in quo aliàs literæ secundæ non fuissent subreptitiæ, & invalidæ.

Notandum est quartò cum Archid. *n.* 2. Dom. & Franc. quod dictio *quinimò* duas continet, & debet dividi, quin ab imò, & quod debet scribi imò per duplex M. Et quod est adverbium eligendi, & tunc idem est, quod potius. Item est adverbium affirmandi, & tunc idem est, quod certè. Item aliquando est conjunctio illativa, & tunc tantum valet quantum igitur. 8

Notandum est quintò ex hoc textu, quod decretum irritans ligat etiam ignorantes. Nam Pontifex vult, quod si contingat, quod secundò impetranti collata sit præbenda, collatore etiam ignorante, quod fuerit prius impetrata ab alio, nihilominus si literæ primi impetrantis sint munitæ decreto irritanti, collatio facta secundò impetranti sit nulla; & ideò decretum irritans quantum ad hoc, quod est reddere nullum, quod factum est contra constitutionem illo decreto munitam, afficit etiam factum ex ignorantia probabili proveniens, Gloss. Jo. Mon. *num.* 2. Archid. *n.* 5. Joan. Andr. *num.* 4. Anchar. *num.* 4. Domin. *num.* 8. Probus videndus, & latè tractans hoc punctum à *num.* 1. Quod tamen non intelligitur quantum ad culpam, & pœnam; quia impossibile est esse peccatum, ubi non est voluntarium, & non est voluntarium, quod est ignoratum, Franc. *n.* 7. 9

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XIII.

SI pro te alicui directa fuerint scripta nostra, ut tibi de canonicatu, & præbenda Ecclesiæ Biturensis, si ad id accederet Episcopi & Capituli Ecclesiæ prælibatæ assensus, authoritate Apostolica provideret: alter postmodum impetrans, qui ex collatione Apostolicæ Sedis, vel executoris super hoc deputati provisione, prius quàm Episcopi & Capituli prædictorum assensus ad provisionem tibi accederet faciendam, canonicatum obtinuit Bituren. licet tu interveniente posteà prædictorum assensu, dicti prioris mandati authoritate in canonicum ipsius Ecclesiæ sis receptus, in præbenda vacante tibi meritò antefertur.

SUMMARIUM.

1 *Regula textus.*
2 *Posterior in impetratione est potior, si literæ sint absolutæ, & recipiuntur non impleta prioris conditione.*
3 *Conditio suspendit actum, nec retrotrahitur.*
4 *Rescriptum relinquens collationem arbitrio Episcopi, & Capituli non gravat Ecclesiam.*
5 *Episcopi, & Capituli est conferre Canonicatus.*

1 HÆc regula hic traditur, quod si Pontifex dedit literas ad favorem Pauli, ut sibi in Ecclesia Bituren. provideretur authoritate Apostolica de canonicatu, & præbenda sub conditione, quod ad id accederet assensus Episcopi, & Capituli ejusdem Ecclesiæ, & Petrus posteà ex collatione Apostolicæ Sedis, vel executoris super hoc deputati provisione canonicatum obtinuit, priusquam accederet assensus Episcopi, & Capituli ad Pauli provisionem faciendam, & sic Petrus prius fuit in Canonicum receptus, in præbenda posteà vacante, idem Petrus erit præferendus.

Hæc quoque decretalis continet regulam ad expectativas pertinentem, disponit verò, quod posterior in impetratione canonicatus, & præbendæ vacantis, aut vacaturæ, si impetravit absolutum mandatum de providendo in vi cujus fuit receptus in canonicum, prius quàm ille, qui prius literas conditionales acceperat, fuerit impleta conditione receptus in canonicum, in hoc casu præferri debeat ei, qui prius literas impetravit, & ideò prius de præbenda postea vacante provideri debeat. Et sic in hoc casu, qui est posterior in impetratione, est prior in assecutione præbendæ, & per hoc in hoc casu limitatur præcedentis capitis dispositio. 2

Ratio hujus est, quia conditio suspendit actu sub ea celebratum usque ad eventum conditionis, & tunc conditione purificata incipit actus valere, nec retrotrahitur retrò à tempore conditionis. De quo vide Gloss. *in v. si ad id*, Butr. *num.* 11. Dom. *num.* 8. Franc. *num.* 3. ubi tractant quando conditio retrotrahatur, & quando non. Hic verò non poterat retrotrahi, quia conditio erat posita in potestate Episcopi, & Capituli. Aliàs verò Pontifex & conditionis necessitatem poterat tollere, & beneficium absolutè conferre, & sic ante adventum conditionis beneficium dare, & fa- 3

& facere, quod beneficiatus acquireret jus in re, antequam ad alterius favorem purificaretur conditio, & firmaretur actu, & valeret collatio, unde conditio purificata post quæsitum jus ab alio non poterat in præjudicium illius retrotrahi.

4 Notandum primò, quod literæ Apostolicæ concedentes alicui canonicatum de consensu Episcopi, & Capituli non gravant Ecclesiam de cujus Canonicatu disponunt, ita ut locum habeat decretalis, *cap. litteris*, & *cap. Mandatum*, & *cap. Abbatem sup. eod. tit. & cap. proxim. sequent.* Quia Canonicatus provisio relinquitur arbitrio Episcopi, & Capituli; quorum est illum conferre. Nam aliud est permittere, & aliud præcipere, *cap. omnis autem lex, dist. 3. cap. fin.* 14. q. 1. *cap. olim sup. de arbitr.* Gloss. hic Domin. *n.* 7. Franc. *n.* 3. Gravaretur verò, ut Domin. ait, si provisio ex toto ei arbitrio esset commissa.

5 Notandum secundò quod ad istos secundum Gloss. de jure communi spectat conferre Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, *cap. postulasti sup. de conceß. præben. cap. novit, & cap. quanto de his, quæ fiunt à Prælat. cap. cum Ecclesia, de elect.* Nihilominus quod expresso jure non sit cautum ad quos spectet provisio Canonicatuum & præbendarum, quia jura omnia, quæ loquuntur de hac re, vel loquuntur secundùm consuetudinem, & jus speciale Ecclesiæ, de qua agebatur, vel narrativè, & factum possibile supponendo, tradit Barbosa *de Canon. cap. 14. num.* 1. post Loter. *de re Benef. l. 2. quæst. 21 num. 9. &* 10. Communis tamen DD. placitum est, quod hujusmodi provisio spectet ad Episcopum, & capitulum, Jo. Andr. *in cap. cum Ecclesia Vulterana de elect. n.* 14. Panorm. *ibid. n.* 8. Anan. *n.* 4. Mandos. *ad reg. 8. Cancell. q.* 14. *n.* 2. Loter. *d. q. 21. nu.* 8. Garz. *de benef. part. 5. cap. 9. num.* 13. Gonzal. *ad reg. 8. Canc. glos.* 45. *n.* 5. Rota *decis. 22. de præbend.* coram Cassad. & apud Par. *decis.* 172. *l.* 3. & coram Seraphin. *decis.* 980. *n. 2. & 9. decis.* 1296. *num.* 7. & coram Cavall. *decis.* 97. *n.* 2. & coram Greg. XV. *decis. 91. n. 1. & decis.* 232. *n. 2. part. 1. recent.* & alias pluries, cum pluribus aliis DD. quos refert idem Barbos. *d. cap. 14. n.* 2. Subdit verò Gloss. hic ex consuetudine hanc collationem alicubi ad Episcopum, & alibi ad Capitulum pertinere. Et addit Capitulum consentire, si major pars illius consentiat.

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XIV.

DUobus super provisione simili sibi facienda in eadem Ecclesia, litteras à nobis obtinentibus una die, certis eis executoribus deputatis, si non appareat, quis primò impetraverit ex eisdem: is eorum, cui canonicatum contulimus, est in præbenda præferendus alteri, qui à nobis canonicatum non extitit assecutus: licèt prius quàm alius, eis, ad quos spectat canonicorum receptio, & collatio præbendarum, suas præsentaverit litteras, & ab eis in canonicum sit receptus. Si verò neutri eorum, vel utrique canonicatum contulimus: tunc (ex quo in gratia sunt æquales) is, qui primò præsentaverit, erit potior in præbenda. Quod si forsan ambo simul in præsentando concurrant, hi, ad quos (ut præmittitur) spectat canonicorum receptio & collatio præbendarum, vel eorum major pars, ex eis alterum, quem voluerint, eligere teneantur, quo electo alius omnino careat impetratis: nisi ex tenore litterarum ipsius expresse appareat, quòd utrique ipsorum voluerimus providere.

SUMMARIUM.

1 *SUmma textus.*
2 *In Beneficialibus attenditur præcedentia datæ, & sufficit prioritas horæ.*
3 *Prioritas temporis non præsumitur.*
4 *In paritate temporis præcedit, qui habet jus potentius.*
5 *Seu qui habet pinguiorem gratiam.*
6 *In paritate temporis & juris prævalet prioritas præsentationis.*
7 *In paritate temporis, juris, & præsentationis electio est collatorum.*
8 *Electores non possunt variare.*
9 *Possunt cogi ad eligendum.*
10 *An teneantur eligere magis idoneum.*

1 DEcernitur quid agendum, ubi contingat, quod duo super provisione simili sibi facienda in eadem Ecclesia literas eadem die datas obtinuerint. Dicitur enim quod ubi non constet, quis eorum prius impetraverit literas, ille præferetur in præbenda cui Pontifex Canonicatum contulit, potius quàm ille, qui à Pontifice non est assecutus Canonicatum, etiam si ille prius literas præsentaverit, & in Canonicum fuerit receptus. Dicit secundò, quod in pari casu, si vel ambobus pariter, vel nulli eorum, Pontifex beneficium contulit, is in assecutione præbendæ anteferri debet, qui priùs literas præsentavit. Dicit tertiò, quod si sunt pares in præsentatione, tunc illi ad quos spectat collatio, eligent ex illis, quem voluerint, & eo electo, alter omninò carebit impetratis, nisi ex literis appareat, quod Pontifex utrique illorum voluerit providere.

Notandum primò, quod iterùm ex hoc constat, quod sæpius notatum est, scilicet, quod in beneficialibus præcedentia attenditur secundùm tempus datæ ipsius rescripti, seu tempus impetrationis, Butr. *n.* 2. Franc. *n.* 4. Barbos. *n.* 3. Menoch. *l. 2. casu* 48. Rebuff. *de privil. scholast. priv.* 82. Quod adeò verum est, ut prioritas horæ attendi debeat, & sufficiat, ut det præcedentiam, Gloss. *in v. si non appareat*, Tiraquell. *in tract. de judic. exig. vers. 7. pag.* 81. *& de primog. qu.* 2. *n.* 2. Azeved. *l. 77. n. 11. tit. 5. lib. 2. nov. recop. & cons. 12. num.* 15. Barbos. *n.* 6. 2

Temporis tamen prioritas non præsumitur, nisi de illa expresse appareat: unde qui se fundat in prioritate temporis, eam probare tenetur. Facit *l. maritum, C. de probat. & l. de rebus, C. de donat. ante nup. & cap. si à sede, inf. de præbend.* & advertunt hic Dom. *n.* 1. Franc. *n.* 1. 3

Notandum secundò, quod in pari conditione temporis, si duo isti differant, quod uni eorum Pontifex Canonicatum contulit, alteri verò literas concessit, per quas mandavit Canonicis ut illum in Canonicum reciperent, ille in ordine ad præbendam præferri debet. Ex hoc verò Butr. *n.* 3. colligit, quod in pari jure prioritas collatoris præfertur, & dat præcedentiam. Sed in præsenti non multum militat hæc ratio, non enim sumus in casu, in quo uni sit collatus Canonicatus à Canonicis auctoritate ordinaria, & alteri sit collatus à Papa. Sed uterque auctoritate Apostolica supponitur obtinuisse gratiam promotionis, quod est utrumque à Pontifice fuisse nominatum ad illud beneficium. Ideò melius Franc. *in princ.* vim textus penetravit, dum dixit jus potentius præponderare. Is enim cui de facto Pontifex contulit Canonicatum ex hoc habet plenum jus ad rem respectu illius, & ideò habet jus potentius, & propinquius, quàm habeat ille, qui à Papa fuit remissus ad Episcopum, seu ad Capitulum mandans, ut sibi providerent 4

renι de Canonicatu, quia hoic nondum est collatus Canonicatus, & habet jus ad illum, sed magis remotum, & perficiendum ex collatione sibi facienda; Advertit tameo idem Franc. *num.*3. quod si is, cui Papa mandavit conferri Canonicatum, esset prior in tempore datæ, ille præferri deberet, & id deducit ex textu per locum à contrario sensu, & allegat *cap. si Apostolica inf. de præb.* secundùm Archid. & Jo.Andr. & quod not. *in cap. si soli inf. de concess. præb.* io Gloss. *vers. si autem Canonicatus*.

5 In idem verò coincidit, quod habeat Butr. *n.*2. *&* 3. & Franc. *n.*2. *&* 11. scilicet, quod præfertur ille, qui habet pinguiorem gratiam à Pontifice; & tunc non valet prior præsentatio, nec habet locum gratificatio. In præsenti verò censeretur habere pinguiorem gratiam, & jus potentius, cujus literæ essent munitæ decreto irritanti, cùm ex hoc significaretur voluntatis Papæ esse, quod impetrans omninò Canonicatum obtineret.

6 Notandum tertiò, quod multum juvat vigilantia, diligentia, & solicitudo in rebus beneficialibus, quia data paritate juris, & temporis præfertur magis vigilans, scilicet, qui prior literas præsentavit. Et sic in paritate impetrationis prævalet prioritas præsentationis, Gloss. Jo. Monac. Butr. *n.*2. *&* 4. Domin. *n.*2. Franc. *n.*4.

Notandum quartò, quod in paritate temporis, juris, & præsentationis determinatio litis remittitur Episcopo, & Capitulo, seu illi, vel illis, ad quos ordinario jure spectat collatio præbendarum, & sic est locus gratificationi. Non remittitur verò electio executoribus datis à Pontifice, sed ordinariis collatoribus, Butr. *n.*2. *&* 4. Domin. *n.*3. Franc. *n.*5. Barbos. *n.*3. 7

Si verò sint plures electores, sufficit electio majoris partis illorum. Qui postquam semel elegerint, non possunt variare, *cap. publicato, de elect. & cap. un. inf. de postul.* Et ut advertit Gloss. probatur ex textu, in quo decernitur, ut electione facta alter non electus omninò careat impetratis. 8

Si verò is, vel ille, quibus competit hæc electio, noluerint eligere, Gloss. existimat illos præfixo eis termino esse compellendos per superiorem, & quod si intra terminum non elegerint, electio devolvatur ad superiorem, Barb. *num.*9. ex Sanch. *l.*2. *in decal. cap.*38. *n.*74. 9

Addit quoque Franc. *n.*11. quod hujusmodi electores tenentur eligere magis idoneum, licet electio minus idonei non esset nulla. Videri possunt, quæ scripsi *de elect. cap.*30. *q.*12. vbi quæritur, an ad beneficia simplicia necesse sit eligere digniorem. 10

DE RESCRIPTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XV.

QUia per ambitiosam importunitatem petentium, tam nos, quàm nonnulli prædecessores nostri Romani Pontifices indulgentias perpetuas multis concessimus de percipiendis fructibus beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, sive in scholis essent, sive in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana curia moram traherent, seu alio certo loco, vel etiam ubicumque: ex quo insolentiæ oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus divinus, quem desideramus augeri: & officium plerumque (propter quod beneficium Ecclesiasticum datur) omittitur. Nos volentes emendare præterita, & quantum possumus, adversus futura cavere: omnes hujusmodi & similes indulgentias personis, non Ecclesiis vel dignitatibus datas, penitus revocamus: & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus.

SVMMARIVM.

1 *SVmma textus.*
2 *Ambitio quid?*
3 *Importunitas quid? Datur ambitiosa, & laudabilis.*
4 *Importunitas ambitiosa est causa concedendi non concedenda.*
5 *Obtenta per importunitatem non sunt irrita.*
6 *Perpetua indulgentia quæ sit.*
7 *Concessio ad beneplacitum inter perpetuas.*
8 *Concessum malè multis revocandum.*
9 *Fructus competunt beneficiatis residentibus.*
10 *Modò revocata sunt licentia non residendi intuitu studii.*
11 *Quatuor inconvenientia, quæ sequuntur ex non residentia.*
Clericus non recitans officium tenetur ad restitutionem.
12 *Privatus officio est privatus beneficio.*
13 *Privilegia nociva revocanda.*
14 *Pontifex non potest sibi legem ferre, à qua non possit recedere.*
15 *Pontifex Successor potest per rescripta derogare legibus Antecessoris nulla facta earum mentione.*
Constitutio hæc nullam continet derogatoriam ad futura rescripta.

1 IN hoc cap. Bonif. VIII. revocat omnes licentias perpetuas percipiendi fructus beneficiorum in absentia concessas personis, non verò Ecclesiis, ac dignitatibus. Successoribus verò indicat, quod ipse sibi licere non patitur.

Ambitio secundùm S.Th. 2.2. *q.*131. *art.*2. est inordinatus appetitus honoris, & ideò ad ambitionem pertinet inordinatus appetitus dignitatum. Est verò grave peccatum, si indignus desideret dignitatem, ad quam non est idoneus, sed & appetere plura beneficia incompatibilia, ut habenda sine dispensatione est ambitio graviter illicita. Sic ambitio quoque est, & valdè malè gaudere honore, præeminentiis, & fructibus beneficiorum, & nolle eorum subire onera. Quamvis propriè velle frui redditibus beneficiorum, & nolle Ecclesiis inservire, & quæ sunt officii sui implere potius avaritia sit, quàm ambitio. Ideò Archid. hic, per ambitionem intelligit cupiditatem, quæ omninò in clericis præcipuè reprobanda est, *cap. cum jamdudum, & cap. quia in tantum, de præben.* Cùm manifestum sit illud S. Greg. *l.*7. *epist.*20. & S. August. *l.*50. *Homil.*8. Radix omnium malorum est cupiditas, *cap. bonorum, dist.*47. *& cap. quia radix de pœnit. dist.*2. *& cap.* 1. *vers. impetiginem dist.*49. Ambitiosam igitur importunitatem Pontifex vocat illam, per quam beneficiati instant ut non residendo in suis beneficiis, & sic non inserviendo suis Ecclesiis possint beneficiorum fructibus gaudere. 2

Importunitas autem importat infestationem, inquietudinem: nam importunus idem est, quod protervus, infestus, inquietus, quasi non habens portum, idest quietem, Archid. *n.*1. Joan. Andr. *n.*2. Domin. *n.*1. Quamvis idem Archid. advertat, quod importunitas aliquando sumitur in bona parte, *ut cap. Importuna, de pœnit. dist.*1. & Domin. *n.*7. post Gloss. distinguit importunitatem in ambitiosam, & non ambitiosam. Et Paulus scribens ad Timot. *in* 2. *Epist.* illum importunum esse desiderabat, ibi. *Prædica verbum, opportune, importunè, &c.* Unde importunitas in bono laudabilis est. 3

Am-

4 **Ambitiosa** ergo importunitas, quæ importat inquietam, continuam, & nunquam cessantem instantiam petendi, quod ambitur, est causa sæpè, quod Principes soncedant, quæ concedenda non essent, ut hic asseritur, & patet *ex l. 1. Cod. de pet. subl. lib. 10. & cap. cum in juventute, supr. a de pur. can. & infr. cap. 1. de Relig. dom. & cap. detestanda, de concess. prabend.* quod ipsi veluti coguntur facere, ut se liberent à molestia, quam secum serunt preces importunæ, & inquietæ, ut propterea hujusmodi sic concessa meritò revocentur, ut hic, *& cap. sententiam, 35. q. 9. & cap. cum olim, de re jud.*

5 Nec tamen sunt invalida, vel nulla, aut irrita, sed valent, donec revocentur, ut advertunt Butr. *num.* 1. & Anchar. *in princ.* Quod ex hoc textu apertè probatur. Nam indulgentias per ambitiosam importunitatem obtentas Pontifex non declarat fuisse nullas, & invalidè concessas, sed eas revocat, & irritat. Ex eo igitur, quod præsumi possit aliquod privilegium fuisse per importunitatem obtentum, non sequitur, quod sit invalidum, sed solum, quod meritò sit revocabile.

6 Cùm verò indulgentiarum hujusmodi aliæ sint temporales, aliæ perpetuæ. Temporales indulgentias non revocat. Est verò indulgentia temporalis, quæ ad tempus determinatum conceditur, ut v. g. ad quinque annos. Perpetua autem dicitur, quæ est concessa ad vitam impetrantis, ex quo advertit Domin. *numer.* 1. quod perpetuum censetur, quod durat donec durat vita. Arbitratur verò Glos. quod gratia censeri debeat perpetua, & hic revocata, quæ potest esse perpetua, ut si alicui sit concessum aliquid ad tempus indeterminatum, ut si concessum sit percipere fructus in absentia alicui Clerico, donec inservierit alicui Principi. Et idem sensit Franc. *num.* 6. Et probatur ex textu, in quo inter indulgentias perpetuas numeratur indulgentia concessa scholari, donec in scholis fuerit. Ad hoc igitur ut indulgentia inter perpetuas numeretur, sufficit, quod possit esse perpetua, sed hujusmodi licentias esse temporales arbitratur Barbos. *sess. 6. Concil. Trident. cap. 3. num.* 5. Ubi vult, quod per Concil. ibi non sit revocatum privilegium concessum Universitatibus, ut beneficiari gaudeant fructibus beneficiorum, dum student in eis, ex eo quia hoc privilegium sis temporale, cùm solùm sit pro tempore, in quo student. Verum oppositum est dicendum. Debet enim considerari privilegium in ratione perpetui non præcisè ratione rei concessæ, & durationis ejus in hoc vel illi in individuo, sed respectu ejus, cui primo conceditur, modò privilegium percipiendi fructibus beneficiorum ex causa studii in universitatibus est perpetuum, quia pro illis est duraturum in æternum, licet, quod conceditur in singulis individuis sit temporale. Unde dicendum est, hujusmodi privilegium fuisse per Concil. ibi revocatum, sicut & fuit expresè revocatum simile privilegium in hac decretali, & quidem tanquam perpetuum.

7 Hinc deducitur, quod concessio ad beneplacitum inter perpetuas numerari debet, licèt Joan. Monach. oppositum sentiat. Hæc enim concessio, quæ potest esse perpetua, nec est revocabilis nisi ex causa, non habet naturam temporalis gratiæ, Anchar. *num.* 5. Franc. *num.* 6. Bald. *in l. Jurisperitos in princ. ff. de excus. tut.* Bartol. *in l. de pupillo, §. si quis, ff. de nov. oper. nunc.* & DD. *in Clem.* 2. *de rescript.* Et videnda sunt dicta suprà *in cap. si gratiosè num. 17. & sequent. sub hoc titulo.*

8 Ubi ergo non concedenda concessa sunt multis, si id valdè tendit ad noxam, & ruinam boni communis, est revocandum, *cap. ex multiplici, & cap. suggestum, suprà de decim. & cap. cum ad hoc sint, de Cler. non resid.* & Gloss. Jo. Andr.

9 Beneficiorum enim fructus de jure communi competunt solum beneficiatis residentibus, ut patet ex toto titulo *de Cleric. non residentibus.* Nunc verò de residentia tum Episcoporum, quàm Parochorum, & aliorum possidentium beneficia Ecclesiastica plura statuit Concilium Tridens. *sess. 6. cap. 2. & sess. 21. cap. 3. sess. 23. cap. 1. de reformat. & sess. 24. cap. 12.* quæ servari debent. Ex de tota hac materia latè scripsi *tom. 1. de statibus quæst. 185. art. 5. per totum.*

10 Distributiones verò dicuntur beneficia manualia, sive dantur ad manum iis, qui divinis officiis intersunt in choro, sive quia tanquam denarii diurni, & merces in fine diei dantur iis, qui in laudibus divinis Deo in Ecclesia reddendis laboraverunt, Gloss. Barbos. *num.* 6. Moneta *de distribus. part. 1. quæst. 1. num. 9. & seqq.* Dicuntur verò & victualia, quia iis, qui in choro divinis officiis intersunt dantur ad victum quotidianum, Monet. *qu. 2. n. 4. & seqq.* Barbos. *n.* 7. Hujusmodi verò distributiones non dantur nisi actu residentibus, & inservientibus, unde nec concedebantur scholaribus, nec iis, qui sunt in servitio Episcopi, nec Papæ, *cap. de cætero de Cler. non resid. & ibidem cap. cum dilectus.* Imò nec competunt præsentibus, nisi in choro divinis officiis intersint. Addit verò Gloss. *in v. Exceptis,* quod nec valet in hoc consuetudo in contrarium, & quod qui aliter percipiunt, teneantur ad restitutionem. Sed de his multa dixi *d. art. 5. num.* 150. & ulterius videnda, & servanda decreta Concil. Trident. locis citatis.

11 Antiquitus autem concedebatur beneficiatis etiam curatis, ut per aliquos annos possent titulo studii manere in Universitatibus, & interim gaudere fructibus beneficiorum, *ut cap. final. de magis, & cap. licet de prabend. & infr. cap. 2. de privil.* Hoc verò non fuisse illis concessum ex jure communi tradunt Gloss. Butr. Anchar. *num.* 2. Dom. *num.* 2. Franc. *num.* 2. Quod non est sine difficultate, cùm licentia hujusmodi sit inserta in corpore juris, ut patet ex juribus citatis. Sed modò hujusmodi facultates, seu licentiæ perpetuæ percipiendi fructibus beneficiorum exigentium residentiam abrogatæ sunt per Concil. Trident. *sess. 6. cap. 2. & sess. 21. cap.* 1. Et de hoc pariter videri possunt, quæ dixi *d. art.* 5. & maximè *n.* 143.

12 Quatuor verò enumerantur damna gravia, quæ ex non residentia beneficiorum oriuntur, nimirum insolentia vagandi, materia dissolutionis, diminutio divini cultus, & officii omissio. Vagari dedecet Clericos, *cap. Clericum dist. 46.* qui nec per horam à sua Ecclesia debet abesse, *cap. ult. 92. dist.* Dissolutio autem in habitu, vel moribus penitus est in Clericis amputanda, *cap. qui Episcopus, & cap. seq. 34. dist. cap. 1. & sequent. per totum 21. quæst. 4. cap. Clerici, de vit. & honest. Cler. cap. cum singula infr. de preben.* Diminutio verò divini cultus maximè aliena esse debet à Clericatu, *c. 1. & per totam dist.* 16. Cùm per eos cultus Dei augeri debeat, *cap. penult. sup. de constitut.* Et maximum peccatum est, quod Clericus officium divinum omittat, cùm propter illud beneficium sibi sit collatum, Gloss. Archid. *num.* 3. Butr. *num.* 2. Domin. *num.* 4. Barbos. *num.* 2. Gonz. *ad reg. 8. Cancell.* Gloss. 5. *numer.* 8. Garzias *de benef. part. 1. cap. 2. numer. 60. & part. 7. cap. 11. numer. 1.* Moneta *de distribus. part. 2. quæst. 2. number.* 40. Ideò beneficiatus non recitans officium graviter peccat, & tenetur ad fructuum restitutionem, juxta tenorem Constitut. Concil. Lateranen. sub Leone X. & constitut. Pii V. quæ incipit *ex proximo*, & data fuit 12. Kalend. Octobris 1571. Circa quam scripserunt Navarrus *cap. 25. num.* 22. Suarez *lib. 4. cap.* 22. Bonac. *disput. 1. quæst. 5. puncto secundo.*

13 Propter officium enim Ecclesiasticum beneficium datur. Ex quo colligitur, quod privatus officio est privatus beneficio, Gloss. Ancharan. *num.* 3. Barbos. *numer.* 9. Accipitur autem officium non ut præcisè importat divinum officium, seu horas canonicas, sed ut importat munus, ad quod deputatur beneficiatus ex titulo beneficii, sive sit cura animarum, sive quodcumque aliud. Propter enim officium hujusmodi datur beneficium, & ideò privatus officio, est privatus beneficio, quod ad officium sequitur, *cap. eas, & cap. si quis sacerdotum dist. 81. cap. præter hoc dist. 32. & cap. latores de cler. excommunic. & cap. si, de appellat. & cap. Cupientes, de pœnis.*

14 Ad vitanda igitur præstata incommoda voluit Pontifex *emendare præterita*. Jam enim suprà *cap. 1. de constitut.* in hoc libr. dictum fuit quomodo conveniat dispositiones mutare; inter causas autem id faciendi una præcipua est, quando tendunt in damnum Reipublicæ. Cùm verò justum sit ex hac causa mutare leges communes, multò magis convenit abrogare privilegia, concessiones, & indulgentias, quæ non sunt nisi privatæ leges contra jus commune aliquid indulgentes. Ideò Principem decet, si hujusmodi indulgentias concessit, id emendare, & tales indulgentias revocare, *cap. sententiam 35. quæst. 9. cap. cum olim, §. Nos igitur de re judic. cap. magna 22. quæst. 4. cap. cum cessante de appellat. & cap. Qualiter, & quando, de accusat. cap. sacro, §. fin. de sent. excommunic. & in Auth. de nup. circa princ. coll.* 1.

15 Quamvis autem Bonifacius VIII. præfatas indulgentias abro-

abrogaverit, benè Gloss. habet, quod si similes indulgentias concedere voluisset, illæ valerent, quia non potuit sibi legem imponere, à qua non valuisset recedere, *l. si quis, ff. de legat.3.l.si fratres,* §. *Idem respondet, ff.pro soc.* & Pontifex primam constitutionem tollit per secundam, licèt de prima non faciat mentionem *sup.cap.1.tit.prox.* Sed hoc dictum Gloss. non omnes recipiunt; Lap.Abb. voluit, quod Pontifex apponendo verba derogatoria possit sibi legem imponere, sicut dicitur de testatore. Sed hoc nullum habet rationis fundamentum, quia auctoritas, quam Papa habet à Christo universalissima est, & illimitata, nec pendens à privata Pontificis voluntate. Unde semper potest leges novas condere, & novas dispositiones edere antiquas abrogando. Nec est eadem ratio de testatore, qui à se dominium rerum potest ablegare, & alteri tradere, sed Papa non potest se privare potestate, quam Christus dignitati Papali concessit, nisi Papatui renunciet.

Imola etiam distinguit, & admittens doctrinam Glossæ in 15
casu, in quo Pontifex vellet per viam juris communis disponere contrarium, id negat in casu, quod id facere vellet per viam rescripti, aut privilegii, quia cùm hic sit apposita clausula derogatoria ad rescripta, non valeret rescriptum non facta mentione de jure. Et Imolæ consentit Franc. *num. fin.* Sed meritò Domin. *in fin.* hanc doctrinam rejicit. Quia tantum abest, quod Bonifacius apposuerit aliquam derogatoriam ad futura rescripta, quod solum id, quod sibi non licere putavit, successoribus insinuavit, tanquam sciens se non potuisse, nec sibi, nec successoribus legem imponere, à qua non liceret recedere. Videantur dicta *in præfat. cap. licet, 1. de constit. in hoc libro.*

DE CONSUETUDINE.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

1 Consuetudinem, quam in vestra Ecclesia servatam asseritis tanto tempore, quòd in contrarium memoria non existit: videlicet, quòd ipsius Ecclesiæ canonici duos personatus, aut duas dignitates, vel præposituras, seu administrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo insimul & præbendam possint in ea licitè absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere: corruptelam (cùm sacris sit inimica canonibus, & de ambitionis radice processerit) meritò reputantes, eam auctoritate Apostolica reprobamus: vosque ad ipsius observantiam, etiam si juramento firmata extiterit, cùm juramentum iniquitatis vinculum non existat, decernimus non teneri: statuentes, ut cùm unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere, nulli liceat de cætero, nisi unicum personatum, vel dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum, quocumque nomine censeantur, cum præbenda insimul absque dispensatione dictæ sedis in eadem Ecclesia obtinere: vel jam obtenta tenere. Quod si à quoquam secus præsumptum fuerit, irritum sit omninò.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Consuetudo rationabilis, & irrationabilis.*
An irrationabilis, quæ est contra legem.
3 *Irrationabilis, quæ est ex radice ambitionis.*
Et non firmatur tractu temporis.
Privilegia immemorabilia non conveniunt irrationabili. 4.
5 *Irrationabilis liberat à pœna, remissivè.*
6 *Quid sint dignitas, & personatus.*
7 *Dignitas multipliciter dicitur.*
8 *Præpositura quid sit.*
9 *Administrationem qui habeant.*
10 *Officium quid sit.*
11 *Consuetudo irrationabilis, quæ est contra canones: Et quæ sit ista?*
Et quæ de radice ambitionis procedit.
12 *Ambitio sumitur communiter pro cupiditate.*
13 *Irrationabilis consuetudo non firmatur juramento.*
Juramentum servandi consuetudines non se extendit ad irrationabiles.
14 *Unusquisque vix rectè unum officium exercet.*
15 *Non potest quis in eadem Ecclesia habere duos personatus &c.*
16 *Constitutio prohibens obtinere plura beneficia ex hoc non prohibet illa tenere.*
17 *Constitutio declaratoria se extendit ad præterita.*
18 *An optio competat illi, qui habet plura beneficia.*
19 *An qui in eadem Ecclesia obtinet plura officia perpetua, omnibus carere debeat.*

Cùm de jure scripto tractatum sit, nimirum primò de constitutionibus, deinde de Rescriptis, modò agitur de jure non scripto scilicet de consuetudine.

1 In duas partes dividitur hæc decretalis, in prima reprobatur consuetudo, etiam si esset juramento firmata, & immemorabilis, quod unus Canonicus in eadem Ecclesia obtineat duos personatus, aut duas dignitates, vel præposituras, seu administrationes, aut officia, vel eorum alterum cum altero insimul, & præbendam absque dispensatione Sedis Apostolicæ. Et hoc quia hæc consuetudo contra canones reputatur corruptela, cùm de ambitionis radice processerit. Secundò, cum aliquis unum officium dignè vix valeat adimplere decernit, quod nulli liceat de cætero habere nisi unicum personatum, aut dignitatem, aut præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum, quocumque nomine censeantur cum præbenda insimul sine dispensatione Sedis Apostolicæ, & attentatum in contrarium decernit irritum, & inane.

Nomine autem consuetudinis venire etiam usum immemorabilem aliquid agendi, monet Domin. *n.1.* Dividitur 2
verò consuetudo in immemorabilem, & eam, quæ habet certum initium, etiam à memoria hominum. Et rursus in rationabilem, & irrationabilem, esse verò irrationabilem eam, quæ est contra jus, dicit Franc. *n.1.* Ubi vult, quod consuetudine non fiat licitum, quod tanquam illicitum est prohibitum. Et hoc potest esse verum de eo, quod est malum, non quia prohibitum à lege positiva, sed imò est prohibitum, quia malum. Tale enim per prius est contra legem naturalem, aut divinam, contra quam non valet consuetudo, & ideò, quod sic ex lege positiva prohibitum, nequit fieri licitum consuetudine. Aliàs verò contra puram legem positivam potest dari consuetudo rationabilis, *cap. fin. de consuet.*

Sed tamen aliqua esse potest irrationabilis. Hanc verò 3
esse omnem illam, quæ est contra jus publicum sentiunt Jo. Monac. Jo. Andr. *n.2.* Anchar. *n.1.* Butr. *n.2.* & isti duo ult. advertunt, quod consuetudo contra particulares Ecclesias prævalere potest. Sed de hoc quid sit sentiendum, dicitur infra *q.1. art.7. q.1.* Benè verum est, quod ex hoc textu habetur, quod consuetudo, quæ ex radice ambitionis originem ducit, censeri debet irrationabilis, *cap. dudum, 2. de elect. cap. quia intantum, de præbend.* Gloss. Butr. *n.2.* Non potest enim non esse nutritiva peccati illa consuetudo, quæ est ex peccati radice, irrationabilis verò est omnis consuetudo peccati nu-

nutritiva. Et talis consuetudo non firmatur tractu temporis, neque ex immemorabili tempore præscribitur, Gloss. Jo.Mon. Joan. Andr. *n.*2. Archid. *n.*1. Anch. *n.*1. Butr. *n.*2. *&* 3. Dom. *n.*2. Franc. *n.*2. Barbos. *n.*3. Quia imò quanto hujusmodi consuetudo est antiquior, eo est deterior, & majus malum.

4 Et licet consuetudo immemorabilis maximam vim habeat, & operetur etiam in reservatis soli Principi, ut in *cap. super quibusdam sup. de verb. signif.* & ibi planè de hoc. Et licet amplius de hac consuetudine dicatur non est necesse, quod allegetur illius causa, ut hic in Gloss. 29. Et quamvis per talem consuetudinem, & possessionem tanti temporis, probaretur etiam directum dominium tanquam ex jure quodam constituto, ut dixit Bald. *in l. traditionibus, Cod. de pact. per leg. Hoc jure, §. ductus acqua, ff. de aqua quot. & æstiv.* Imò notat Hostien. suprà *cap.* 1. *ut lit. pend.* quod dicta consuetudo tanti temporis habet vim privilegii, seu dispensationis Papalis, quod voluit etiam Cyn. *in leg.* 1. *Cod. nova vectig.* tamen prædicta locum non habent ubi consuetudo est corruptela, & abusus, quia hæc non firmatur tractu temporis, ut habetur clarè ex hoc textu.

5 Arbitratur tamen Anchar. quod consuetudo mala, quæ est corruptela, & abusus habeat vim liberandi à pœna legis positivæ, de quo dicendum infrà *q.* 1. *art.* 12.

6 Præsentis igitur prohibitionis materia est consuetudo habendi in eadem Ecclesia plures personatus, aut Dignitates. Ex hoc autem manifestissimè habetur, quod personatus, Dignitas, & officium, si propriè sumantur sunt distincta, ut etiam probatum est suprà *tit. prox. cap. statutum* 11. *in princ.* Et verum est, quod hic habet Gloss. *in princ.* quod Dignitatem propriè quis habere dicitur, qui habet administrationem cum prærogativa honoris sedis, & vocis & jurisdictionis. Sicut Dignitatem dicitur habere Abbas, qui habet administrationem rerum monasterii, *cap. edoceri, sup. de rescript. in antiq.* Et habet jurisdictionem in Monachos, *cap. quante sup. de off. Ordin.* Item Prior conventualis. Item ille qui præest alicui corpori, & habet jurisdictionem in personas illius corp. ut *in l. fin. Cod. de jurisd. omn. jud.* Sed Personatum dicitur habere, qui in Ecclesia habet præeminentiam, non tamen habet jurisdictionem, sicut habet ille, qui in Ecclesia, & Capitulo, & aliis honoribus præcedit Canonicos. Officium verò dicitur habere, qui sine jurisdictione, & præeminentia habet administrationem, ut Sacrista. Et ita cum Gloss. idem sentiunt hic Archid. *num.* 2. Jo. And. *n.*1. Butr. *n.*2. Anchar. *n.*6. Videantur *dicta in d. cap. statutum*.

7 Quamvis verò dignitas propriè importet administrationem, præeminentiam, & jurisdictionem, tamen consuetudo fecit, ut nomen Dignitatis dicatur multipliciter. Nam dicitur de habente administrationem cum jurisdictione, *cap. Volumus, cap. Diaconum, cap. Quia, dist.* 99. Sed secundò modo consuetudo obtinuit, ut in aliqua Ecclesia vocetur nomine Dignitatis, & censeatur habere Dignitatem, qui habet administrationem cum præeminentia, sed sine jurisdictione, ut Archid. *num.* 2. ait evenire in Archidiac. Parmen. ad quod facit *cap. cum accessissent sup. de constitut. in antiq.* Tertiò modo dicitur habere Dignitatem ille, qui habet in Ecclesia administrationem, quæ vocatur tamen, & in ea Ecclesia habetur pro Dignitate. Ad quod facit *leg. De quibus, §. Inveterata, ff. de legib. & cap. consuetudo dist.* 12. Et ita cum Archid. advertunt Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 6. Butr. *num.* 2.

8 Licet autem præesse pluribus conveniat, & quicumque præest, possit dici præpositus, *cap. Quamvis, de verb. signific.* tamen in Ecclesiis Cathedralibus datur certa dignitas, quæ dicitur Præpositura, & de hac loquitur iste textus, ut advertit Glossa.

9 Camerarius quoque, Vestiarius, Eleemosynarius, & alii similes, qui res Collegiorum, aut Monasteriorum administrant, dicuntur habere administrationem, *cap. Monachi, §. Qui vero,* suprà Monach. Gloss. & Archid.

10 Verbum verò Officium universaliter comprehendit Dignitates, Personatus, & Administrationes, quia ad omnia ista se habet, ut genus. Est enim Officium, facultas administrandi ea, quæ ad Capitulum, vel universitatem spectant. De Officio verò perpetuo intelligendus est textus, ut patet ex illo verbo, infra in textu posito; vel *Officium perpetuum*.

11 Optima autem in textu redditur ratio cur consuetudo habendi plures Dignitates, aut Officia perpetua, vel eorum alterum cum reliquo insimul & præbendam, sine dispensatione Apostolica sit irrationabilis corruptela, ut advertunt Archidiac. *num.* 4. & Joan. Andr. *num.* 2. Quia nimirum hujusmodi consuetudo est contraria sacris canonibus, & de radice ambitionis procedit. Sed numquid omnis consuetudo contra canones est irrationabilis? Et si hoc est, qualiter verum est, quod datur consuetudo rationabilis, & præscripta, quæ est contra legem Ecclesiasticam, & illi derogat, *cap. fin. sup. de consuetud.* Dic quod contra canones simpliciter non est, nisi consuetudo irrationabilis, quæ verò est in singulari contra hunc, vel illum canonem, est contra canones secundùm quid, si alias sit rationabilis, quia hanc canones approbant, & per eam derogare canoni, cui adversatur, permittunt. Ideò in præsenti textu de consuetudine habendi plures personatus &c. dicitur, quod est contra canones, & de radice ambitionis procedit. Et hoc secundum est causa primi; quia ex eo habet hujusmodi consuetudo, quod sit irrationabilis, & ideò, quod sit contra canones, quia de radice ambitionis procedit.

Sumitur verò ambitio generaliter, ut etiam cupiditatem 12
comprehendit, ut notatur *cap. quia titulo proximo super.* Quia appetitus plurium beneficiorum præsumitur procedere ex inordinato desiderio honorum, & divitiarum. Sic ergo ex hoc consuetudo habendi in eadem Ecclesia plura officia censetur corruptela, quia ex radice ambitionis procedit. Sic in hoc sensu habetur suprà *cap. Ad nostram, & cap. cum venerabilis, de consuetud. cap. cum causa, de re judic. cap. Clerici de judic. cap. cæterum, de jurejuran. cap. ad nostram, de probat. cap. cæterum, de donat.*

Quamvis autem juramento firmari possit consuetudo, 13
tamen irrationabilis consuetudo à juramento firmitatem habere non valet, Ancharanus *n.*4. Butr. *n.*3. Juramentum enim vinculum iniquitatis esse non potest, idest, non potest obligare ad iniquitatem operandum. Ideò si quis vel generaliter, vel specialiter juret se observaturum consuetudinem, si hæc est irrationabilis, juramentum non obligat. Sed imò, si quis juret in specie observantiam corruptelæ, & abusus, sacrilegè peccat, & juramentum non obligat. Si verò juret in genere servare consuetudines Capituli, vel universitatis, vel loci, hoc juramentum non se extendit ad consuetudinem irrationabilem, Gloss. & Butr. *n.*3.

Optima quoque ratio ad probandum, quod non deceat 14
unum, & eundem obtinere plura officia in eadem Ecclesia desumitur ex eo, quod magnum est, quod unusquisque sit idoneus, ut dignè unum officium exercere possit; quàm rarum igitur erit, ut simul dignè, & pro meritis possit duorum officiorum obire munera, & utriusque obligationibus satisfacere? Cum hoc autem textu concordat *cap. singula dist.* 89. *& cap. sufficit de consecrat. dist.* 1. *& cap. cum ex injuncto, §.* 1. *suprà de heret. & cap. Te referente de celebrat. Miss. & infra cap. cum singula, de concess. prebend.*

Ideò meritò Pontifex decernit, quod idem in eadem Ec- 15
clesia non possit habere duos patronatus, aut Dignitates, aut duas præposituras, aut duas Administrationes, aut duo Officia perpetua, quocumque nomine censeantur cum præbenda insimul, absque dispensatione Sedis Apostolicæ, vel jam obtenta tenere. Non desunt tamen, qui dicant posse, vel cum dispensatione Episcopi, vel etiam sine dispensatione fieri, ut idem simul cum dignitate obtineat Canonicatum, & præbendam, quod tamen infra quæst. secunda examinandum erit.

Ex quo verò Pontifex expressè addidit, vel jam obtenta 16
tenere. Colligitur, quod de juris rigore constitutio, quæ prohibet aliquid acquirere, aut obtinere, ex hoc non prohibet malè obtentum retinere, nisi id exprimat, sicut fit in hoc textu, & advertunt Ancharan. *n.*5. & Franc. *num.* 3.

Colligitur secundò, quod constitutio declaratoria juris 17
antecedentis, vel positivi, vel divini, aut naturalis se extendit ad præterita, ipsaque non subsistere decernit, & ne durent, vel in posterum perseverent decernit. Idem Anchar. *n.*5. Dom. *n.*5. Franc. *n.*4.

Sed iste, qui plura obtinebat Officia in eadem Ecclesia, 18
& unum eorum debet dimittere, quid faciet, Gloss. inclinat in hoc, ut debeat retinere officium ultimò obtentum,

quia

quia primum vacavit, ex secundi acquisitione. Sed Anchar.*n.*5. admittens hoc de beneficiis incompatibilibus vult, quod in compatibilibus sit locus optioni. Sed & de hoc disputandum erit latiùs infra *q.*2.*art.*4.

19 Gloss. ex verbo omninò deducit, quod possimus dicere, quod ex vi huius decretalis, qui obtinet in eadem Ecclesia duo Officia, omnibus careat, quia omnia illicitè concupivit. Ad quod facit *cap. licet*, *& cap. Quanto*, *de transl. & melius cap. cum singula*, *de preben. & apertius extravag. Execrabilis* Joan.XXII. *in vers. Alioquin*. Sed & hoc quoque indiget majori discussione, & de eo disputabitur *q.*2.*d.art.*4.

SVMMARIVM.

Quaest. primae

De consuetudine rationabili, & irrationabili, ejusque viribus.

ARTICULUS I.

Quid sit consuetudo.

20 HAbet hic locum regula illa Dialecticorum, quod nomina aequivoca, vel analoga prius sint distinguenda, quàm definienda. Sunt enim hic tria nomina, quae in aliqua significatione sunt synonyma, nimirum usus, mos, & consuetudo, quae tamen analoga sunt, & multiplicis significationis. Conveniunt verò, quod important aliquando factum, & aliquando jus. Unde prius explicandum est, quid sit jus; nam & hoc nomen analogum est, & multa significans.

Est ergo primò considerandum ex D. Thom.2.2.*quaest.*57. *art.*1. quod hoc nomen jus ex primaeva sua significatione, & primò, & principaliter significat formaliter id, quod est justum, unde Isidor. *l.*5. *Etym. cap.*2. dixit jus dictum esse, quia est justum, & Arist. *lib.*3. *Ethic. cap.*1. quod omnes talem habitum volunt dicere justitiam, quo sunt operativi justorum: unde est, quod jus est objectum justitiae, quae est virtus inclinans ad operandum justum, & ad reddendum unicuique, quod suum est. Verum quia nomina saepius à sua primaeva significatione retorquentur ad alia significanda, inde est, quod sicut hoc nomen medicina, quae ex prima significatione importat remedium consequendae sanitatis transportatum est, ut significet artem, quae mederi docet, ita hoc nomen jus, quod significat id quod est justum, dicitur etiam de scientia, quae docet, quod justum est, unde Celsus jurisconsultus *ff. l.*1. *tit.*1. dixit, *quod jus est ars boni, & aequi*. Sed & ex communi usu jus dicitur locus, in quo cuique jus redditur: imò & sententia ipsa judicis sive justa, sive injusta, dicitur jus, nam dicitur officium judicis esse dicere jus, judex verò jus dicit, cùm sententiam pronunciat. Sed quia lex est in Principe dictamen ejus, quod justum est, seu ratio operandi justum existens in mente legislatoris, & exterius significata, & haec ratio, si sit scripta, dicitur lex, propterea, & lex ipsa dicitur jus; in quo sensu Isid. *lib.*5. *cap.*3. dixit, quod lex est species juris. Ulterius verò, quia quod est justum alicui est debitum, & ab alio ei debetur, & justum est, ut quod alicujus est, illius sit, & uti illo, sit in ejus potestate, & si ab alio habeatur, habeat ille facultatem illud petendi, & exigendi, ea propter & rei dominium, vel quasi dominium jus dicitur, & secundùm hoc distinguitur jus in re, & jus ad rem, vel jus servitutis, seu jus praediorum, rusticorum, & urbanorum, vel jus utendi, aut fruendi. Et in hoc sensu etiam Gen.23. Abraham dixit filiis Heth: *Date mihi jus sepulchri*. Et sic dicitur jus nedum res ipsa, quae est alicujus, quatenus illa continet aequalitatem justitiae, & est id, quod est alicujus, vel ei debetur, in quo sensu jus est ipsum justitiae objectum, in quo sensu sumitur jus *in l. justitia, ff. de just. & jure*, dum dicitur, quod justitia est constans voluntas tribuendi unicuique jus suum, id est id, quod sibi debetur in ea aequalitate, qua sibi debetur; sed jus dicitur etiam facultas ipsa, per quam quis tanquam dominus, aut quasi dominus potest re sua uti, aut illam petere ab eo, qui illam habet, ut illam consequatur, & ea ad libitum possit uti.

Sic ergo in proposito duae juris significationes maximae considerari debent nimirum, secundùm quod significat legem, & distinguitur in jus naturale, & positivum, & hoc in jus divinum, & humanum, & hoc in civile, & Canonicum, vel secundùm quod significat dominium, vel quasi dominium rei, & dividitur in re, & jus ad rem, distinguuntur enim ista duo jura, sicut distinguitur dominium rei à lege. Illud est facultas habendi, & utendi justo sibi debito, sed istud est dictamen faciens, ut unusquisque habeat rem suam, ut illa uti, & frui possit. Utrumque jus fundat aliquam obligationem, sed dominium fundat obligationem justitiae commutativae, lex verò imponit obligationem justitiae legalis, & obedientiae. Ideò illud dici potest jus justitiae, quia est facultas habendi, quod justum est ex justitia, sed istud dici potest jus legale, quia est ratio dictans, & obligans unumquemque ad id, quod est justum, seu ex justitia debitum. Ex facto autem utrumque jus haberi potest, ut paulò infra explicatur in hoc articulo. 22

Hoc ergo supposito distingui debent alii termini, scilicet usus, mos, & consuetudo. Usus verò tripliciter dicitur, scilicet primò philosophicè. Et sic importat actum liberum secundùm quod voluntas per illum exequitur quod intendit. Importat enim applicationem liberae voluntatis ad operandum propter finem, & sic actus cujuslibet potentiae secundùm quod est ex applicatione voluntatis, & per eum voluntas exequitur intentum suum dicitur usus. Et in hoc sensu accepit usum D. Thom. *p.*2. *quaest.*16. per totam, & de eo tractant ibidem Theologi. Et sic quilibet liber actus dicitur usus, in quantum est ex applicatione voluntatis utentis aliis potentiis, & se ipsa ad agendum. Secundò verò usus moraliter, & secundùm communem usum loquentium dicitur continua frequentia actuum similium, & in hoc sensu dicitur, quod aliquid sit, vel non sit in usu. Verùm quia ex actuum similium frequentia aliquid 23

quid in nobis relinquitur, propterea & hoc usus dicitur. Duplicis autem generis est, quod in nobis ex usu relinquitur, quia aliud est physicum, & hoc est habitus, ex quo facilius, & cum delectatione operamur; & aliud est morale; nam v. g. in præscriptione ex hac actuum frequentia nascitur jus dominii, & in consuetudine oritur jus legale.

24 Mos verò duo significat secundùm D. Thom. 1. 2. *quæst.* 58. *art.* 1. Quandoque enim significat consuetudinem, sicut dicitur Act. 15. *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non poteritis salvi fieri.* Quandoque verò significat inclinationem quandam naturalem, vel quasi naturalem, ad aliquid agendum, unde etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores, unde dicitur Machabæorum 11. *Quod leonum more irruentes in hostes prostraverunt eos.* Et sic accipitur mos in Psal. 67. ubi dicitur: *Qui habitare facit unius moris in domo.* Solùm tamen similitudinariè, & impropriè mos dicitur de animalibus, ut docet idem D. Thom. 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. Unde propriè mos dicitur solum in liberis. Nam genus moris ibi incipit, ubi dominium voluntatis invenitur, juxta doctrinam ejusdem D. Thom. 2. *dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 2. Et ideò propriè solus actus liber dicitur moralis, quia solus est laude, & vituperatione dignus.

26 Sed hoc modo multipliciter dicitur, quia primò dicitur, & convertitur cum actu libero, & sic quicumque actus liber dicitur mos. Et in hoc sensu, ut videbitur, Isidorus diffinivit consuetudinem esse illam, quæ ex moribus hominum trahitur. Sed ex communiori usu nominis importat secundò frequentiam actuum similium, & dixit Divus Thom. quod significat consuetudinem. Et in hoc sensu dictum est aliquid fieri secundùm morem, ut Jo. 19. *Mos est Judæis sepelire*: Et Gen. 50. *Iste quippe mos erat cadaverum conditorum.* Tertiò, etiam aliquando est nomen qualitatis, & significat habitum ex frequentatis actibus causatum. Sed & quartò mos accipi potest pro aliquo morali, ex actuum frequentia causato, ut in hoc sit idem, quòd consuetudo.

27 Existimat verò Suarez *l. 7. de legibus cap.* 1. *numer.* 3. Quod mos distinguatur ab usu, quod iste dicatur etiam de singulis actibus, mos verò propriè solam importet actuum frequentiam. Sed ipsemet *eodem cap. num.* 8. explicans primam diffinitionem Isidori, advertit quod nomen *mores* aliquando sumitur divisivè, & distributivè de singulis actibus moralibus. Idem quoque Suarez *numer.* 4. arbitratur, quod mos ad factum tantum referatur, non verò ad jus. Sed & hoc habet instantiam, quia ut habetur ex D. Thom. suprà, mos idem est aliquando quod consuetudo, & Isidorus secundum communiorem intelligentiam in prima diffinitione per nomen moris consuetudinem intellexit, quæ certè refertur etiam ad jus.

28 Consuetudo autem in hoc distinguitur ab usu, & more, quod non dicitur de singulis actibus liberis, sed importat semper frequentiam actuum similium, ut dixit D. Thom. 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæst.* 2. Sed quia ad actuum frequentiam aliquid consequitur, vel physicum, scilicet habitus, qui etiam apud juristas solet vocari consuetudo, licet minus propriè, vel morale, nimirum obligatio ad agendum secundùm consuetudinem, vel relaxationem agendi secundùm legem, ideò nomen consuetudinis translatum est ad significandum hoc morale, quod ad frequentiam actuum consequitur. Et sic duplex jam datur consuetudo, scilicet consuetudo facti, & consuetudo juris. Utramque igitur diffiniendo.

29 Dicitur primò, quod consuetudo, ut est quid facti, est frequentia operandi liberè eodem modo. Ita habetur ex D. Thom. *in tertio loco citato.* Et hoc modo consuetudo idem est, quod usus & mos, prout communiter accipiuntur pro actuum frequentia. Et hoc modo sumpta consuetudo non omnis vim legis habere potest, quia hæc consuetudo distinguitur in rationabilem, & irrationabilem seu in consuetudinem licitam, & corruptelam, seu abusum. Et ut advertit Silvest. *in v. consuetudo*, hæc distinguitur in particularem, quæ est frequentia operandi in uno homine singulari, & hæc est illa, quæ generat habitum, & per hanc homo quilibet in operando dicitur habituatus, aut consuetudinarius. Et hæc non sufficit ad hoc, ut habeat vim legis. Alia verò est consuetudo generalis, quæ est frequentia actuum totius, vel majoris partis universitatis, aut collegii, cui non respondet necessario habitus, quia in universitate potest esse frequentia actuum, absque eo, quod hæc frequentia sit in quolibet eorum, qui sunt de universitate, habitus verò est ex frequentatis actibus ab eodem individuo. Sed hæc generalis consuetudo illa est, quæ potest habere vim legis, aut legi priori derogare, si alia requisita habeat, quæ ex jure sunt ad id necessaria. Sic ergo consuetudo facti, latiùs valdè se habet, quàm consuetudo juris.

Consuetudinem hoc modo sumptam videtur inspexisse Isidorus, ut habetur *cap. mos dist.* 1. dum dixit, *quod mos est longa consuetudo de moribus tantummodo tracta.* Mos enim est, quid facti, & consistit in actuum frequentia, & consuetudo facti hoc idem importat, & trahitur ex moribus, nimirum ex singulis actibus moralibus, & liberis, qui sunt quidam mores; nec obstat, quod dicatur consuetudo tracta, quod non videtur competere consuetudini, ut est quid facti, quia hæc consuetudo non est quid consequens, & tractum ab actibus, sed est ipsa frequentia actuum. Nam dicitur, quod totum dicitur quodammodo trahi ex partibus, & ad illas consequi. Mos verò, seu consuetudo, ut est, quid facti, est quid integratum ex pluribus actibus, cùm sit plurium actuum frequentia, & sic sit mos quidam generalis, ex singularibus moribus integratum, & dicitur, quod mos sit consuetudo tracta tantummodò ex moribus, quia ad morem sola frequentia actuum sufficit. Et hoc positum videtur, ut explicetur convertibilitas moris, & consuetudinis, ut est quid facti. Nam non est ad hanc necesse, quod mores sint rationabiles, sed sufficit, quod sint liberi, & morales, & propterea dicitur, quod mos est consuetudo tracta tantummodò ex moribus, scilicet ex actibus liberis, qui omnes sive boni sint, sive mali sunt morales, seu sunt quidam mores. Et sic mos non restringitur ad consuetudinem bonam, sed se extendit ad bonam, & malam, sicut & consuetudo, prout est quid facti. Et sic etiam verum est, quod mos præcisè est quid facti, & non quid juris, & convertitur cum facti consuetudine. 30

Verùm quia Gratianus eo loci, non reposuit totum, quod de more dixerat Isidorus, apud quem (prout notatur in editione Colon. anni 1631.) hæc antecedunt. *Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Nam lex à legendo vocata est, quia scripta est. Mos autem longa consuetudo est.* Ideò de mente Isidori dicitur, quod mos est quid juris, & quod est lex. Et quod est lex non scripta, tanquam quædam species, aut modus consuetudinis, quia mos importat consuetudinem vetustate roboratam, & sic ad morem non sufficit consuetudo de recenti introducta, sed mos est consuetudo vetusta, & jam à longissimo tempore introducta, & observata. Et in hoc sensu dictio tantummodò aliter debet intelligi, ut significet, quod mos sit lex introducta ex morum frequentia vetusta, non verò ex vi alicujus legis scriptæ. 31

Aliter verò Isidorus definivit consuetudinem, prout habetur, *cap. consuetudo dist.* 1. ibi: *Consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficiat lex. Non differt autem, an scriptura, an ratione consistat, quando & legem ratio commendat.* In hac diffinitione pro genere ponitur jus, sed est sermo de jure legali, seu prout jus legem importat, ut sit idem dicere consuetudo est jus, & dicere consuetudo est lex. Est verò lex moribus instituta, quia ex frequentia, & actuum similium assiduitate instituitur. Et hæc est juris consuetudo, quæ non est actuum similium frequentia, sed ex hac frequentia causatur. Et accipitur pro lege, nimirum, quia habetur ut vera lex, cùm lex deficiat. 32

Non obstat verò, quod consuetudo, quæ derogat legi, legem supponat, & sic non videatur verificari, quod lex deficiat. Quia primò, si viget jam consuetudo, vetus lex defecit, quæ per consuetudinem abrogata fuit. Et secundò dicitur, quod deficit lex de eo, de quo est consuetudo. Et hic est germanus sensus Isidori, quia scilicet, cùm de eo, de quo est consuetudo lex scripta deficiat, consuetudo pro lege suscipitur. Et dum consuetudine lex roboratur, vel consuetudo non est propriè consuetudo juris, & lex, sed observantia facti, vel supra legem antiquam aliquam obligationem inducit. 33

Cùm verò dicitur, quod consuetudo est lex non scripta, considerari debet, quod hæc non est præcipua, & essentialis differentia consuetudinis à lege, ut adnotavit Baldellus de lege *lib.* 5. *disp.* 13. *num.* 12. Sed illa est, quam posuit Isido- 34

Isidorus in diffinitione illius, nimirum, quod consuetudo sit lex moribus utentium instituta. Quia nimirum consuetudo est lex, quæ primum initium habet à consensu eorum, quibus imponitur, unde & ex frequentia usus & morum ipsorum inducitur, Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*24. *n.*1. Sed lex primum initium habet ex voluntate legislatoris, & ex ejus providentia. Non verò hoc dicitur, quasi subditi sint illi, qui consuetudini vim legis tribuant, sed quia eorum usus, seu facti consuetudo est occasio, ex qua legislator sumit motivum, unde legem inducat. Unde est, quod accidentales sunt differentiæ quas ex Bald. *in l. de quibus, ff. de leg.* refert Rochus *de consuet. in princ. num.*7. nimirum quod differant sicut tacitum, & expressum, secundò sicut non scriptum, & scriptum, & tertiò sicut successivum, & instantaneum.

35 Dicitur verò, quod consuetudo sit lex non scripta, quia de ratione consuetudinis non est, quod sit lex scripta. Cùm verò sit difficultas, an si consuetudo scribatur cesset esse consuetudo, & transeat in legem, aliqui hoc affirmarunt. Sic enim videtur sensisse Gratian. §. *cum itaque dist.*1. quem sequitur Rochus de Curte *de consuet. in præfat. num.*5. *& 6.* cum Bald. *in l. de quibus, ff. de leg.* & Jas. *in l.*2. *ff. de vulg. & pupill.* Sed quia de eadem re possunt esse plures leges, videtur quod benè possit durare consuetudo, simul cum lege scripta, & sic quod idem duabus legibus non scripta, & scripta sit præceptum. Et ita sentit Suarez *lib.*7. *de legibus cap.*2. *num.*4. post Bart. *in l. de quibus, ff. de leg.* & Anton. *in rubr. de consuetud.*

36 Hæc sententia pro ea parte, in qua asseritur consuetudinem durare, etiam si lege scripta præcipiatur id, quod consuetudine fuit inductum vera est, sed ex alia ratione. Quia nimirum de ratione consuetudinis non est, quod sit non scripta, sed quod sit lex consensum eorum quibus datur supponens, & eorum usu & moribus inducta. Ideò etiam si Princeps videns consuetudinem facti suorum subditorum primo eam consuetudinem induceret & approbaret expressè verbo, vel scripto, non desineret esse consuetudo, quia esset lex moribus subditorum inducta, eo modo quo ipsi legem inducere possunt. Sic ergo etiam tunc, cùm Princeps scripto confirmat consuetudinem introductam prius, consuetudo manet, quia semper est verum, quod lex illa fuit sic à Principe lata, quod fuit lata ex suppositione consensus & tanquam moribus utentium inducta, licet posteà fuerit scripto confirmata, sed tamen non est nisi lex principis eadem primo facto promulgata, deinde scripto confirmata. Consuetudo igitur lex est, *cap. Consuetudo dist.*1. Quamobrem non approbo quod ex Bart. *l. de quibus, ff. de leg.* retulit Rochus *de consuet. in proœm. num.*1. Scilicet, quod dum consuetudo introducitur impossibile est, quod sit scripta, quia inducitur ex tacito populi consensu. Quia consuetudo non à populo (nisi populus sit liber) sed à Principe habet ut sit lex. Verum quidem est, quod est lex, quæ frequentiam actuum, & consensum populi supponit, sed à Principe vim legis obligantis habet; non est verò de essentia consuetudinis, ut hic consensus detur tacitè perfecta, & non per verba, & scripturam, ut benè adnotavit novissimè Fermosinus *in rub. de consuetud. numer.*28. Sed dicitur jus non scriptum, *l. Diuturna, ff. de leg. & §. constat, & §. ex non scripto, inst. de jur. gent.* quia ad essentiam consuetudinis non requiritur scriptura, Suarez *l.*7. *de leg. cap.*2. *num.*2. Proptereà nec consuetudini repugnat esse scriptam. Sic enim feudorum consuetudines, & fori jam scriptæ sunt, & nihilominus nomen & essentiam consuetudinum retinent, ut multis citatis docet Fermosinus ubi suprà *num.*30.

37 Quod verò ait Suarez, nimirum, istam legum multitudinem non esse superfluam, quia si adsit consuetudo specialis in aliquo loco, quæ per legem generalem illi & aliis locis legislatoris subjectis sit confirmata, si Princeps per privilegium deroget legi communi, non intelligitur derogare illi consuetudini speciali, nisi faciat ejus mentionem; ergo illa manet in virtute consuetudinis non obstante, quod fuerit per legem scriptam confirmata; habet instantiam, quia juxta dicta suprà *cap.*1. *de constitut. quæst. un. art.*14. *& 15.* Si consuetudo specialis non habet aliud motivum honestatis, & utilitatis, quàm illud, quod habuit lex generalis, censetur unum esse cum illa, & abrogata lege per privilegium abrogatur & consuetudo, sed si consuetudo innitebatur rationi & motivo honestatis proprio illius loci, & particulari, tunc consuetudo manet, & manebat distincta à lege scripta, quæ ex alio motivo fuit scripta. Et tunc consuetudo, & lex non sunt sunt de eodem objecto formaliter, sed de diversis; unde non mirum si consuetudo habeatur ut lex distincta, nec cesset ex eo, quod cesset lex scripta.

Sed forsan dices, in consuetudine semper reperiri hoc speciale motivum, quod est subditorum consensus, & observantia; sic enim cum majori difficultate abrogatur lex consuetudine roborata, ut habetur ex D.Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.*2. *c.* Sed respondetur, & dicitur primò, quod consensus & consuetudo facti, quæ præcessit inductionem legis consuetudinis fuit occasio eam legem inducendi, sed motivum finale, fuit ejusdem legis utilitas, cujus usus & facti consuetudo fuit occasio. Et sic additur secundò, quod etiam lex scripta, quæ est in viridi observantia, habet annexum populi consensum, & observantiam, & sic in hac parte nihil speciale habet consuetudo, ut si non obstante consensu generali totius Regni, & Provinciæ, lex ex justa causa abrogetur, non censeatur abrogata consuetudo specialis unius civitatis, quæ est conformis legi generali, & non ex alia utilitate boni communis fuit in illa civitate inducta, quam ex ea, qua fuerat lata pro toto Regno, aut Provincia lex generalis. 38

Ex hac verò diffinitione consuetudinis sic explicata colligitur differentia ejusdem à præscriptione. Et cùm in utraq; habeatur & quid juris, & quid facti, quia utraque importat jus aliquod ex frequentia, seu continuatione actuum causatum, & resultans, hæc primo est differentia essentialis, quod per consuetudinem acquiritur jus legale, seu ipsa essentialiter est lex actuum frequentia inducta, ut est explicatum. Sed præscriptio importat jus dominii, aut quasi dominii, seu essentialiter est dominium, aut quasi dominium ex actibus continuatis introductum. In præscriptione enim tollitur uni dominium rei, & datur præscribenti, Rota *decis.*1630. *n.*5. coram Seraph. post Bart. *in l. Rem alienam, ff. de pignor. act.* Vasquez 1. 2. *q.*97. *art.*3. *disp.*377. *cap.*1. *n.*8. Martinez *ibid. dub.*1. *conclus.*2. Suarez *l.*7. *de leg. cap.*1. *n.*11. Palaus *tract.*3. *disp.*3. *punct.*1. *n.*3. 39

Et ex hac differentia aliæ consequuntur, ut quod præscriptio sit inter privatas personas, & jus illius sit jus privatum. Quia nec justitia est nisi inter privatas, seu determinatas personas, & certas. Nam & universitates, & collegia in quantum habent dominium, aut quasi dominium, & jus justitiæ super aliqua re, sunt personæ fictæ, & censentur privatæ, sicut eadem ratione etiam Principes, & Reges, sed consuetudo, cujus jus non est nisi jus legale, seu quæ est lex publica, & pro communi utilitate introducta, importat jus publicum, Rota *decis.*351. *num.*9. *part.*6. *& DD. suprà citati.* 40

Unde differunt tertiò, quod semper est præscriptio quando agitur de auferendo ab uno, & acquirendo alteri, quia per præscriptionem dominium, seu quasi dominium ejusdem rei aufertur uni, & acquiritur alteri. Et si quis rem derelictam, quæ nullius sit, acquirat, non præscribit, sed acquirit, & occupat. Tunc verò præscribit, quando quis rei alterius dominium, aut quasi dominium, seu jus quæsitum alteri, ab altero aufert, & sibi acquirit, Rota *decis.* 20. *num.*1. *part.*3. *& decis.*377. *part.*2. *recent. & decis.*351. *n.*9. *part.*7. *& decis.*351. *part.*3. coram Puteo, *& decis.*410. *num.*1. coram Seraph. *& decis.*754. *num.*5. coram Pena, *& decis.*191. coram Ludov. *ubi Add. numer.*6. *Canonistæ, cap. final. de consuetud.* ubi Anchar. *quæst.*8. *num.*11. Butr. *num.*39. Panormit. *num.*20. Imol. *num.*29. Felin. *in cap. statuimus num.*2. *lim.*1. *de major. & obed.* Aret. *cons.*123. *num.*11. Dec. *cons.*134. *numer.*5. Balbus *de præscript. quæst.*10. Covarr. *in reg. possessor. part.*2. §.3. *numer.*1. Vasquez *part.*2. *quæst.*177. *cap.*1. *numer.*6. & Gregor. Martinez 1. 2. *quæst.*97. *art.*3. *dub.*1. *conclus.*2. Suarez *de leg. l.*7. *cap.*1. *num.*11. Palaus *tract.*3. *dist.*3. *part.*1. *num.*3. Quod quidem verum est, etiam si vel communitas acquirat à privato, vel privatus à communitate, nam tunc communitas vicem unius personæ gerit, Rota coram Pena *decis.*759. *n.*6. Panorm. *d. cap. fin. num.*20. *& in cap. cum dilectus, numer.*21. *de consuetud. & in cap. cum Ecclesia num.*45. *de causa possess.* Aret. *d. cons.*123. *fin.* Molina *de primog. l.*2. *c.*6. *num.*10. Puteus *decis.* 188. *l.*2. Vasquez, Martinez, Suarez, Palaus, locis citatis. Unde quod sit præscriptio, ubi agitur de acquirendo Capitulo, & auferendo ab Episcopo, dixit Rota coram Pena *d. decis.* 754. *num.*8. 41

Sed

42 Sed in consuetudine nihil alicui aufertur, non enim per eam adversus aliquem præscribitur, Vasquez ubi sup *num.* 43. Martin. ubi supra, Palaus *num.* 3. Rota tamen *decis.* 20. *num.* 2. *p.* 3. dixit consuetudinem omnibus nocere posse, & prodesse, si sint personæ incertæ, *&* *decis.* 351. *num.* 10. *par.* 6. dixit, quod per consuetudinem omnibus acquiritur sine detrimento certarum personarum. Ad quod allegat DD. *in cap. fin. de consuet.* Aymon. *de antiquit. temp. par.* 4. *sect.* 1. *num.* 22. Seraph. *decis.* 410. *num.* 1. & Rot. *in Corduben. decimarum* 14. *Martii* 1608. coram Decano. Et secundùm Adden. *ad decis.* 191. Ludov. *num.* 6. hæc est præcipua differentia inter præscript. & consuetudinem, quod per hanc acquiritur publico, & per illam privato. Quod etiam voluit Panorm. *d. c. fin. n.* 20.

43 Sed si propriè loqui volumus per consuetudinem directè, & per se formaliter nullum jus proprietatis ab aliquo aufertur, & nihil alicui acquiritur, quamvis consecutivè id fieri possit. Et ratio est evidens, quia consuetudo non est nisi lex per frequentiam actuum inducta. Ideò non est consuetudo, sed præscriptio, quando qui illa uti volunt, non possunt super illa statuere. Rota coram Penna *decis.* 754. *num.* 7. Bartol. *cons.* 136. Alex. *cons.* 173. *num.* 12. *l.* 6. Balbus *de præscript. par.* 5. *quæst.* 10. *num.* 7. Et sic ubi ex actibus non potest induci lex, seu statutum non habet locum consuetudo, sed præscriptio. Lex verò propriè nullius est in bonis, & illius nullus habet dominium propriè, & ideò consequens est, quod per legem, nullum jus proprietatis alicui acquiritur. Subditi enim non sunt domini legis, nec lex est temporale, quod possideatur tanquam proprium, & legislator est quidem dominus legis, dominio libertatis, & jurisdictionis, quia potest illam instituere, & tollere, & sic est dominus illius dominio illo, quo est dominus suorum actuum, & quo habet jurisdictionem in subditos, sed hoc non est dominium justitiæ commutativæ, sed legalis, nec legem possidet, ut suam, sed illam intuitu boni communis promulgat. Sic ergo acquisitio legis non est acquisitio alicujus proprietatis, vel dominii, quod sit facultas utendi re aliqua temporali ad proprium suum, & privatum commodum. Quod est de ratione dominii secundùm Bart. *in l. si quis* §. *differentia, ff. de acquirend. possess.* Sot. *lib.* 4. *de just. quæst.* 1. *art.* 1. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 2. Quod non benè consideravit Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 15. ubi propterea vult, quod consuetudo contra legem sit propriè species præscriptionis, quia est acquisitiva immunitatis, & libertatis à lege. Quod ut infra advertitur, hoc non sit benè dictum. Communiter tamen loquendo in consuetudine acquiritur publico, quia acquiritur lex utilis, nam lex semper respicit utilitatem publicam, sed hæc utilitas non est pretio æstimabilis cum respiciat, vel publicam pacem, vel spiritualem utilitatem in ordine ad vitam æternam, unde est utilitas altioris ordinis, quam sint res pretio æstimabiles, & quæ propriè alicujus in bonis esse possint. Princeps verò legislator propriè condendo legem non acquirit, sed sua potestate utitur, & sic eo, quod habet utitur.

44 Sed nec per legem aliquid ab aliquo aufertur, quia lex non aufert principi, cùm non sit lex scripta, vel non scripta nisi eo volente, & consentiente, & ipse princeps est, qui legem facit, sive sit scripta, sive non scripta, & in hac sua utitur potestate, & usum justitiæ, & jurisdictionis sibi acquirit, & virtuosè agit, & meritum boni operis sibi accumulat; non ergo illi aliquid aufertur; privatæ verò personæ, aut universitati nihil aufertur, maximè in consuetudine, cùm hujusmodi lex non nisi à populo per proprios actus inducatur, & quidem in propriam utilitatem. Et si dicas consuetudine auferri à Principe valorem suæ legis, etiam illo inscio, nec cogitante, quando per consuetudinem præscriptam derogatur legi. Respondetur hoc non fieri nisi eo interpretativè, seu virtualiter sic volente, & liberè id admittente, & sic quodammodo utente sua libertate, & facultate; unde nihil ei aufertur, sed ipse suam legem abrogat, & consuetudinem approbat. Non ergo per consuetudinem aufertur aliquid alicui, & ideò per consuetudinem contra aliquem non præscribitur. Diana *p.* 6. *tr.* 5. *res.* 3. Martinez de Prado *cap.* 3. *q.* 13. *n.* 3. Quamvis sæpè consuetudo habeat conjunctam præscriptionem ratione cujus aufertur uni, & acquiritur alteri.

Consecutivè verò potest esse, quod aufertur aliquod jus, sed regulariter non aufertur aliquid à determinata persona, quia leges dantur pro universitate. Et quamvis non repugnet per legem auferri aliquid certæ personæ, *ut in l. pœnali*, tamen nunquam hoc fit per actionem, quæ sit acquisitio illius juris, quod ab altero tollitur, sed per actionem, quæ est dispositio ejus, quod spectat ad bonum commune, & ideò Rota *decis.* 20. *n.* 3. dixit, quod consuetudo est de rebus disponendis, non acquirendis. Institutio enim legis cujuscumque non est, nisi dispositio eorum, quæ agenda sunt pro communi utilitate, sed præscriptio est acquisitio juris privatæ personæ, & quidem juris alieni, unde directè aufert uni, & acquirit alteri.

Cùm verò consuetudo, & præscriptio hoc modo distinguantur in eo, quod essentialiter sunt, distinguuntur etiam in causa, ex qua sunt, sic enim inducuntur ex actibus, quod tamen in præscriptione non requiritur consensus ejus, contra quem præscribitur, sed in consuetudine requiritur legislatoris consensus, cujus lex per consuetudinem abrogatur. Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 1. *num.* 12. Palaus *tract.* 3. *d.* 3. *p.* 1. *num.* 3. Item in præscriptione requiritur titulus, & bona fides, non verò in consuetudine. Puteus *dec.* 377. *p.* 2. Seraph. *decis.* 1360. *num.* 12. Rota *decis.* 191. *num.* 16. *part.* 1. *&* *d.* 94. *num.* 3. *&* 61. *num.* 14. *p.* 7. *recent.* Panorm. *d. cap. fin. num.* 20. Vasquez, Suarez, Martinez, & Palaus locis citatis. Barbosa *in rubr. de consuetud. num.* 7. Quamvis de jure civili ad præscriptionem bona fides non sit necessaria, unde Rota coram Seraph. *d. decis.* 1360. *nu.* 12. dixit excepto casu malæ fidei nullam differentiam esse in præscriptione inter jus civile, & Canonicum. Item ad præscribendum requiritur certum, & determinatum tempus, quod non semper requiritur ad consuetudinem, ut infrà explicatur. Cùm verò Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 11. velit, quod ad consuetudinem, quæ inducitur via præscriptionis, seu, quæ dicitur præscripta, sit necessaria bona fides, patet, quod confundit præscriptionem cum consuetudine, quæ dicitur præscripta, non quia necesse sit, ut propriè sit talis, sed quia non inducitur nisi per spatium temporis necessarium ad propriè præscribendum, ut notat Panorm. *cap. fin. num.* 2. & Rochus *de consuet. sect.* 3. *num.* 1. Aliquando quidem consuetudo, quando præscribit jus alterius, debet esse propriè præscripta, & tunc ad eam est necessarius titulus, & bona fides. Sed hoc non convenit per se consuetudini, quæ per se non habet, ut alicui præjudicet. Sed consuetudo jus est, quod non debet induci nisi ex utilitate publica, & per publicam auctoritatem. Ideò ad consuetudinem non requiritur, quod consuetudo facti incipiat ex titulo, vel ex bona fide, sed sufficit, quod tempore, quo facti consuetudo firmanda est per legem adsit rationabilis causa id faciendi, qua deficiente, nunquam consuetudo transit in legem; potest verò adesse utilitas communis legem abrogandi, etiam si consuetudo facti mala fide sit introducta, ut apertè docet D.Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. ad secundum, & docent communiter DD. ut videbitur *art.* 3. *sequenti*. 45

Barbosa *cap. fin. num.* 21. de consuetudine alias differentias ponit, ut quod præscriptio consistat in rebus immobilibus, tam corporalibus, quàm incorporalibus; consuetudo verò solum locum habeat in corporalibus, veluti servitutibus, jurisdictionibus, electionibus. Sed hæc differentia impropria est, & respicit consuetudinem, quatenus adjungitur ei præscriptio, & adhuc nec vera est, quia consuetudine ratione præscriptionis etiam dominium corporalium acquiri potest. Cæterùm consuetudo non respicit nisi actiones subditorum, non ut eas, vel ex eis aliquid possideat, sed ut eas dirigat. Dicit etiam in secunda differentia, quod consuetudine acquiritur contra omnes de populo. Quod est impropriissimè dictum; quia consuetudo est regula morum habens pro fine bonum populi, non est ergo aliquid contra populum. 46

Tandem advertendum, quod sæpè in jure confunduntur præscriptio, & consuetudo, & unum pro alio accipitur, ut post Panorm. *cap. Cùm Ecclesia Vulterana n.* 6. *de elect.* dixit Rota coram Penna *decis.* 754. *num.* 9. *&* *decis.* 861. *num.* 5. 47

SUMMARIUM.

49 *Multipliciter dividitur consuetudo.*
50 *Divisio data ex parte materiæ improbatur.*
51 *Sententia Suarez.*
52 *Præscriptio respicit res, & personas, ut sunt pretio æstimabiles, & ut possunt esse in bonis præscribentis, consuetudo respicit actiones ut dirigibiles.*
53 *Distinctio consuetudinis in generalissimam, generalem, specialem, & specialissimam.*
54 *Ius gentium, & Ecclesiæ traditiones sunt generalissimæ consuetudines.*
55 *Consuetudinem particularis personæ, & familiæ esse tudi facti voluit Suarez.*
56 *Familia potest consuetudinem inducere.*
57 *Explicatur data distinctio quadrimembris.*
58 *Consuetudo alia secundum legem, alia præter legem, & alia contra legem.*
59 *Non datur actus indifferens in individuo.*
Actus in individuo est liber, quantum ad exercitium.
60 *Datur consuetudo præter legem naturalem.*
61 *Consuetudo, quæ est secundùm legem naturalem est facti.*
Potest dari consuetudo juris legis naturalis interpretativa.
62 *Consuetudo contra legem naturalem est corruptela, quæ nunquam præscribitur.*
63 *Traditio in plus se habet, quàm consuetudo.*
Traditio habet adjunctam consuetudinem facti.
64 *Consuetudo Ecclesiastica est secundum legem divinam.*
65 *Non omnes consuetudines obligant.*
66 *Consuetudo contra legem divinam est abusus, qui nunquam præscribitur.*
67 *Datur consuetudo juris, quæ est secundum legem humanam.*
68 *Consuetudo facti, quæ est secundùm legem eamdem roborat, adjuvat, interpretatur, non tamen extendit.*
69 *Consuetudo dividitur in civilem, & Canonicam.*
70 *Consuetudo, quæ dicitur mixta, vel est civilis, vel est canonica.*
71 *Consuetudo dividitur in Consuetudinem, stylum, ritum, & forum.*
72 *Stylus multipliciter dicitur; sed magis propriè significat consuetudinem judicii.*
73 *Stylus, etiam ut spectat ad judicium, tria significat: sed ut est juris, est lex obligans ad specialem formam judicii ex usu introducta.*
74 *Datur stylus facti, & stylus juris.*
75 *Ritus ad spiritualia pertinet, &, ut est juris, significat consuetudinem alicujus solemnitatis in exercitio divinorum.*
76 *Forum est consuetudo utendi jurisdictione in judiciis.*
77 *Consuetudo dividitur in inductivam obligationis, & exemptivam ab obligatione, sive in positivam, & privativam.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit consuetudo.

49 Multipliciter dividitur consuetudo, ut videre est apud Rochum Curtium *in cap. fin. de consuetud. in princ. num. 19. 20. & 21.* & ad majorem naturæ illius evidentiam nonnullas ex illis opus est considerare. Distinguunt quidam illam ex parte materiæ, circa quam versatur. Nam alia est circa res, aut personas, alia verò circa res, & personas simul, & alia circa actiones. Consuetudo solvendi decimas ex agro, vel vinea, versatur circa res, at verò circa personas versatur consuetudo solvendi decimas personales, vel tributa, consuetudo autem jejunandi, vel colendi festum de præcepto, versantur circa actiones. Vasquez verò *p. 2. quæst. 97. art. 3. disp. 177. art. 1.* existimat primas duas consuetudines spectare ad præscriptionem, tertiam verò esse propriè consuetudinem: & hanc putat esse essentialem differentiam inter præscriptionem, & consuetudinem. Nam licèt in consuetudine circa res, aut personam oriatur etiam obligatio agendi, nimirum obligatio, v. g. solvendi decimas, hæc non est obligatio consuetudinis, sed justitiæ, quæ oritur ex jure acquisito, & ex justitia obligante ad illas actiones.

Hæc tamen distinctio difficultatem patitur, quia cùm in his debeat distingui persona contra quam præscribitur, vel quæ ad agendum obligatur, & materia circa quam versatur consuetudo; jam manifestum est, quod omnis consuetudo versatur circa personam, quia vel contra eam præscribitur, aut illa obligatur ad agendum. Sed & omnis consuetudo est circa aliquam rem, & circa aliquam actionem. Nam per præscriptionem acquiritur dominium, vel quasi dominium, nimirum aliquod jus utendi re, vel persona; usus verò est actio. Consuetudo verò actiones dirigit, & continet jus obligans ad agendum. Tam consuetudo igitur quàm præscriptio respicit actionem. Sed & utraque aliquam materiam respicit, quia non est actio sive materia circa quam sit, sive hæc sit aliqua res, sive aliqua persona cujus esse potest usus, quem usum immediatè respiciunt tam præscriptio, quàm consuetudo, quia per præscriptionem acquiritur jus utendi re, vel persona ad commodum præscribentis, & per consuetudinem Princeps utitur subditis ad rectè agendum. 50

Propterea Suarez *de leg. l. 7. cap. 2. n. 5.* inquit, quod ut illa divisio intentui deserviat, debet intelligi formaliter. Nam quædam consuetudo videtur dirigi ad constituendum in rebus aut personis jus aliquod, & hæc dicitur propriè versari circa personas, vel res, & pertinet ad præscriptionem, & non ad legem non scriptam. Alia verò per se ordinatur ad actionum usum, vel non usum, sive actiones sint immanentes, sive transeuntes, & hæc consuetudo dicitur esse circa facta, aut circa actiones. 51

Clarius dici potest, quod consuetudo, vel respicit res, aut personas, aut personarum actiones, in quantum sunt res quædam pretio æstimabiles, & possunt esse in bonis alicujus, vel respicit actiones, ut dirigibiles per legem, quæ est agendorum regula. Priori modo respiciuntur per præscriptionem, quæ tendit ad hoc, ut ablato jure alterius transferat in præscribentem. Et sic hujusmodi consuetudo dicitur esse circa res, aut personas, quia ut plurimum est talis, & quatenus respiciat actiones non respicit eas formaliter, ut sunt actiones humanæ, sed ut sunt res utiles, aut ut sunt quid ad personam spectans, & quatenus persona per eas est utilis, & potest esse alicujus in bonis, & jure alterius, seu dominio, vel quasi dominio subesse. Sed secundo modo actiones humanæ considerantur ut actiones morales formaliter, & ut humanæ, & ut in finem bonum dirigibiles, & sic spectant ad consuetudinem, quæ agendorum est regula non scripta. Et hoc modo res non possunt pertinere ad consuetudinem, quia ipsæ non sunt dirigibiles, nisi ratione usus earum, sicut nec persona nisi ratione suarum actionum. 52

Secundò dividitur consuetudo in generalissimam, generalem, specialem, & specialissimam. Deducitur hæc distinctio *ex l. si servus plurium, ff. de legat. 1.* eamque explicat Hostien. *in sum. tit. de consuetud. §. penul. num. 12.* Et ejusdem meminit Rochus Curtius *cap. fin. de consuet. in princ. num. 21.* Eam verò explicant, ut generalissima dicatur, quæ est totius orbis, qualem putat esse consuetudinem Romanæ Ecclesiæ; generalem verò dicit, quæ est unius Regni, vel Provinciæ; specialem, quæ est unius civitatis; & specialissimam, quæ est unius domus, vel personæ particularis. Sed Suarez *lib. 7. de leg. cap. 2. num. 7.* trimembrem facit divisionem, scilicet in generalissimam, generalem, & specialem, sub generali enim comprehendit etiam consuetudinem unius civitatis, sub speciali verò quamcumque consuetudinem privatam. 53

Existimat verò Suarez & benè, quòd jus gentium ad generalissimam consuetudinem spectet. Non enim est jus naturale, sed positivum, prout colligitur ex D. Thom. *1. 2. quæst. 95. art. 4. & 2. 2. quæst. 57. art. 3.* & tenent Soto *lib. 1. de just. q. 5. art. 4. & lib. 3. q. 1. art. 3.* Bellarm. *l. 3. de Cler. cap. 29.* Covar. *in reg. peccatum 2. p. §. 11. num. 4.* Suarez *de legib. lib. 2. cap. 20. num. 4.* Neque tamen fuit inductum per aliquem legislatorem, sed est lex non scripta omnium usu, & moribus introducta, & ideò est consuetudo universalissima. Sic etiam Ecclesiasticæ traditiones, quarum initium, & auctor ignoratur, & universalissimè in toto orbe ab Ecclesia observantur, sunt communissimæ consuetudines, quia sunt leges non scriptæ, & totius Ec- 54

clesiæ

clesiæ moribus firmatæ. Et dici possunt nedum universales, sed universalissimæ, quia Ecclesia de se pro toto orbe est universalis.

55 Consuetudinem verò particularem, & privatam illam vocat Suarez *num.* 8. quæ ab una tantùm persona exercetur, vel ab imperfecta communitate, cujus consensus ad legem ferendam non sufficit, ut est privata domus, cujus Paterfamilias legem ferre non potest. Et hanc privatam consuetudinem sub consuetudine non comprehendit, quia jus constituere non potest. Nam primò privata persona legem sibi imponere non potest, nec se obligare ex vi frequentationis actuum, etiam si proponat millies se eo modo operaturam. Quod si addat promissionem, vel juramentum, vel votum, tunc erit obligatus ex lege naturali fidelitatis, aut ex lege naturali, vel supernaturali religionis, nunquam tamen ex vi frequentationis actuum, seu ex vi consuetudinis. Quod est verum, etiam de Principe, qui licèt leges condere possit, tamen in propriis actionibus se gerit, ut persona privata, nec potest sibi soli imperare, & sibi directè obligationem imponere. Ex eo verò, quod ipse frequenter aliquid faciat, non potest alios obligare, qui non tenentur Principem imitari, & solùm, si subditis legem imponat, eos obligat. Unde Bartol. *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* benè dixit, potestatem condendi legem consuetudinariam, tunc competere Principi, quando procedit ex populi consensu. Et eadem est ratio de imperfecta communitate, quæ sicut sibi non potest imponere legem expressam, sic nec potest impoonere tacitam. Et licèt hujusmodi communitates possint aliquid statuere per modum conventionis, & pacti; tamen hujusmodi conventiones, & pacta consuetudine non inducuntur, nisi præcedat præscriptio, vel aliqua lex, vel institutio, in qua consensus in obligationem pacti fundetur. Sic ergo consuetudines hujusmodi privatæ, sunt nudi facti, & ideò non pertineot ad consuetudinem juris.

56 Verum discursus iste fundatut super falso principio, nimirum, quod non possit inducere consuetudinem nisi, qui potest obligare per legem. Nam secundùm D. Thom. 1. 2. *quæst. 97. art. 3. Ad tertium*, & fatetur idem Suarez *d. cap. 2. num.* 10. & tradunt DD. omnes, nedum communitas libera, quæ potest lege ferre, sed etiam communitas subjecta, quæ facultatem legislativam non habet, potest consuetudinem inducere, cum hoc tamen discrimine, quod communitas subdita consuetudinem juris noo inducit, nisi superiore legislatore consentiente. Sic igitur estò imperfecta communitas, oon possit se obligare per legem, & sic neque ex frequentia actuum possit sibi inferre legem, si superior legislator non consentiat, id tamen facere potest legislatore consentiente. Nihilominus tamen hujusmodi consuetudines privatarum personarum, vel domorum, aut collegiorum, ut plurimum sunt oudi facti, quia vel ex frequentia actuum agentes non intendunt se obligare, vel non adest tacitus legislatoris consensus, cui etiam ista particularium domorum, aut collegiorum, seu communitatum facta non innotescunt, vel desunt aliæ conditiones requisitæ. Cæterùm, si v. g. in aliqoo collegio, vel in aliqua domo particulari adesset ratio non servandi aliquam legem, unde esset rationabile, quod lex pro illa abrogaretur, & domus illa ad hoc attendens faceret contra legem, ut induceret consuetedinem, & se liberaret à vinculo legis, & legislator hoc sciens annueret, introduceretur consuetudo, quæ esset specialis pro illa domo, & esset propriè juris consuetudo. Et quod familia possit inducere consuetudinem, probandum est infrà.

57 Quantum verò ad datas divisiones consuetudinis, illa, quæ est particularis civitatis, dici potest generalis, & specialis, est enim pro tota civitate universalis, sed respectu Provinciæ, est particularis. Et sic potest etiam juxta oumerationem Hostien. dari consuetudo specialis, & specialissima, ut specialis dicatur illa, quæ est particularis alicujos civitatis, aut oppidi, aut universitatis, aut alicujus generis hominum, & tamen verè est consuetudo juris à legislatore inducta. Specialissima verò dicatur, quæ si non est consuetudo juris, aut juris dispensatio, de quo dicendum est infrà, est saltem simplex usus, & factum. De qua benè idem Hostien. habet, quod inducit præsumptionem, cui statur, nisi probetur contrarium, quæ est consuetudo patrisfamilias *l. actio ff. de pignor. l. si servus plurium, §. ult. ff. de leg.* 1. *cap. ex studiis, cap. mandata, & cap. in Passer. in Lib. I. Sexti Decret.*

juventute, de præscript. cap. testimonium de test. cap. ille vos, in fin. de pignor.

58 Tertia divisio consuetudinis est in eam, quæ est secundùm legem, & præter legem, & contra legem. Quam divisionem tradiderunt Panor. *cap. fin. num. 20. de consuet. circa finem*, & ibi Anton. & Rochus *sect. 5. num. 5.* & Card. q. 45. & insinuat Hostien. *in sum. de consuet. §. ult.* & tradunt communiter alii.

59 Videri autem posset primò nullam dari posse consuetudinem, quæ sit præter legem naturalem, quia consuetudo noo est nisi ex actibus singularibus, at verò juxta sententiam communiorem D. Thom. 1. 2. *quæst. 18. art. 9.* noo datur actus in singulari, qui sit indiffereos ad booum, & malum; & ita omnis actuum frequentia, vel est secundùm legem oaturalem, si illi sint boni, vel est contra legem, si sint mali. Suarez *de leg. l. 7. cap. 3. n. 3.* ut solvat difficultatem recurrit ad libertatem exercitii, quia licèt quantum ad specificationem actus quilibet in individuo sit, aut bonus, aut malus, & sic quantum ad specificationem necessarius, tamen exercitium actus oon est sub legis præcepto, & propterea potest dari consuetudo, quæ sit præter id, quod lex oaturalis præcipit, aut prohibet.

60 Sed aliter dicitur, quod ad salvandam consuetudinem præter legem naturalem, sufficit indifferentia actuum secundùm speciem, quia quis potest se ex consuetudine obligare ad speciem actos: sic consuetudo jejunandi, quando jejunium non est de præcepto, est præter legem naturalem, quia ad jejunium tunc lex naturalis non obligat, & ad illud homo ex consuetudine se obligavit, licèt igitur consuetudo sit ex actibus singularibus, tamen quia actus singulares sunt sæpè secundùm speciem indifferentes, si homo ex consuetudine obligetur ad speciem actus illa consuetudo est præter legem naturalem. Quamvis verò actus indifferentes ot sic, quia non sunt boni, nec valent inducere consuetudinem juris, quæ non potest esse nisi de bono, tamen quia actus de se iodifferentes possunt esse ad finem honestum valde utiles, ideò sub hac ratione ad virtutem spectant, & laudabile est illos exercere, & quod homo ad illos obligetur vel consuetudine, vel voto, vel juramento. Sic enim religiosorum vota sunt etiam circa res indifferentes, nam paopertas res indifferens est, sicot & non accipere uxorem est res indifferens.

61 Consuetudo autem, quæ est secundùm legem naturalem regulariter noo habet vim legis, nec ponit in numerum cum lege. Non quia vim legis habere non possit, quia sicut per legem scriptam potest præcipi id, quod est de lege naturæ, ita id posset etiam præcipi per legem non scriptam, quæ est consuetudo, & tunc ex duplici titulo legis, & consuetudinis teneretur homo ad observantiam præcepti legis naturalis. Sed regulariter homines observantes legem naturæ non intendunt se obligare novo titulo ad illam servandam, ideò hujusmodi observantia est nudum factum, non est verò consuetudo juris. Multum tamen valet ad legis observationem; nam & ex hujusmodi frequentia actuum obedientiæ generatur habitus, qui facit ut lex promptè, & sine difficultate, & faciliter observetur. Observantia etiam juvat ad legis intelligentiam, quia consuetudo est optima legis interpres. Quamvis hujusmodi interpretatio non sit obligans, nisi transeat in consuetudinem juris, & sit vera lex. Et sic dari potest coosuetudo juris, quæ sit interpres juris naturalis, & obliget ad illud observandum secundùm hunc sensum declarando illum esse verum sensum legis.

62 Omnis verò consuetudo, quæ sit contra legem naturalem est corruptela, & abusus, ut habet D. Th. 1. 2. *qu. 97. art. 3. ad primum & traditur cap. fin. de consuet. & cap. si consuetudo, & cap. si contra mores, cum similibus d.* 8. Et hujusmodi consuetudo abusiva est qoæ infinito tempore non præscribitur, aut roboratur. Authent. *Nulli judicum liceat, collat. 9. tit. 9. cap.* 1. Quia lex naturalis est immutabilis, est enim de illis, quæ secundum se sunt ex oecessitate bona, vel mala, unde oec abrogari, nec mutari potest, ut docet D. Th. 1. 2. *q. 94. art. 5.*

63 Eadem verò cum proportione dicuntur de consuetudine in ordine ad legem divioam positivam. Nam quædam est consuetudo, quæ est secundùm illam legem, & talis est omnis illa, quæ ex divina lege ortum habuit, & oon est nisi ejusdem observantia. Est verò considerandum quod cum

de ratione legis non sit scriptura, multæ sunt leges nobis traditæ à Christo, quæ non sunt scriptæ, multæ enim sunt in Ecclesia traditiones, quæ ex Christi præcepto manarunt, ut colligitur ex *Conc. Trid. sess.* 4. & docent Bellarm. *l.* 4. *de Verb. Dei*, & Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 3. *num.* 11. Et sic non est idem traditio, & consuetudo, quia traditio dicitur enim de lege, nec ex moribus hominum inducta, nec scripta tamen à legislatore promulgata, quæ propterea non est consuetudo; & quamvis hujusmodi traditio consuetudine vigeat in Ecclesia, tamen, ut notat ibidem Suarez, hæc consuetudo est facti, non juris, quia ex tradito præcepto vim habet, & est præcepti prioris observantia. Et sic consuetudo non induxit legem, sed lex consuetudinem. Quando autem lex inducit consuetudinem, consuetudo est facti, non juris, quia non est lex, sed legis usus, & observantia. Sic ergo omnis consuetudo, quam lex divina scripta, vel non scripta, sed verbis tradita induxit est consuetudo secundùm legem, sed hæc est consuetudo facti, quæ non est lex, valdè tamen juvat ad legem servandam, & interpretandam.

64 Alia verò est consuetudo Ecclesiastica, quæ à divino præcepto ortum non habuit, nec ab aliquo præcepto Apostolorum, aut Ecclesiæ, & quæ aliàs est conformis juri divino positivo, & hujusmodi est consuetudo præter legem divinam. Nam & potuit esse, quod aliquæ universalissimæ consuetudines etiam à tempore Apostolorum initium non habuerint ab aliquo præcepto, sed ab Apostolorum observantia, ut de aliquibus cæremoniis sacramentalibus verisimile esse ait Suarez ubi supra. Et sic istæ consuetudines sine traditione præceptiva scripto vel verbo promulgata initium habentes, traditione ad nos pervenerunt. Nam ipsum initium consuetudinis ab Apostolis, & primis Pastoribus approbatum traditionis vim habuit. Et ita dicit Aug. *l.* 4. *de Baptismo parvul. c.* 24. *Quæ universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*. Hujusmodi ergo traditiones, quæ initium non habuerunt ex aliquo præcepto scripto, vel verbo expresso, sed ab observantia, sunt consuetudines præter jus divinum, & habent vim legis obligantis Ecclesiam. Et tales esse consuetudinem, ut laici sub una specie communicent, & quod baptizentur parvuli in infantia, & aliæ similes, observat Suarez *num.* 13.

65 Ubi etiam considerat, quod non omnes Ecclesiæ consuetudines sunt consuetudines juris, quæ obligent, quia non omnes fuerunt inductæ ex intentione obligandi, & inducendi legem, ut est cruce signari in fronte, & orare ad Orientem, quod inter has traditiones ponit Tertull. *lib. de coron. Mil. cap.* 3. & Basil. *lib. de Spir. S. cap.* 27. & *cap. Ecclesiasticarum*, d. 11. Et nihilominus hujusmodi consuetudines vim quandam habent ex approbatione Ecclesiæ, ut obligent ad credendum consuetudines illas esse pias, & sanctas, minimeque spernendas, tanquam approbatas, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia, quæ in moribus non potest tota aberrare aliquid turpè committendo, vel approbando.

66 Sed & potest esse, quod detur consuetudo contra legem divinam. Nam de ista dixit Chris. Matt. 15. *Quare, & vos transgredimini præceptum Dei propter traditiones vestras?* & Paulus ad Coloss. 2. *Videte ne quis vos decipiat, &c. secundùm traditionem hominum*. Hujusmodi verò consuetudines non sunt consuetudines juris, sed corruptelæ, & abusus, qui nulla temporum successione roborantur, ut D. Thom. docuit *p.* 2. *quæst.* 67. *art.* 3. *ad primum*, & tradiderunt Gloss. Panorm. & aliis *cap. fin. de consuet.* Et ratio est, quia non potest voluntas humana prævalere contra divinam, ut leges ejus abroget, nec est unde præsumamus Deum consentire, ut leges suæ mutentur, & irritentur.

67 In lege quoque humana locum habet hæc distinctio. Existimat autem Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. quod per consuetudinem non propriè constituatur jus, sed tollatur, quare non tam jus consuetudinis, quàm dissuetudinis dici debet. Sed hoc non verè dicitur. Quia lex non nisi lege abrogatur. Et ideò consuetudo contra legem propriè inducit jus contrarium legi, quam abrogat; & quamvis non sit necesse, quod hoc jus, vel lex obliget ad aliquid agendum, tamen obligat ad non impediendum, quin subditi possint liberè id agere, quod prius prohibebatur lege. Et sic est lex permissiva, seu juris prioris abrogativa. Quamvis verò Felin. *cap.* 1. *de rescript. num.* 17. & Butr. ibi Domin. *in cap.* 1. *de constitut.* in hoc libro senserint nullam dari consuetudinem, quæ sit secundùm legem, Suarez verò *cap.* 4. *num.* 14. ait hoc verum esse de consuetudine juris, quia hujusmodi consuetudo est facti; & non est lex, sed legis executio, & observantia, ex qua non inducitur nova obligatio, unde abrogata lege, nullam vim retinet, hæc consuetudo. In hoc tamen aliquam distinctionem ponit idem Suarez *num.* 15. Ubi enim prior sit lex, quàm consuetudo, arbitratur, quod abrogatio legis tollat consuetudinem; sed ubi consuetudo sit prior, quàm lex scripta, sentit manere vim consuetudinis, eamque non abrogari lege abrogata. Verùm primò dicendum est, consuetudinem interpretativam legis esse consuetudinem juris, & esse secundùm legem, cùm legis interpretatio non sit nisi lex ipsa interpretata. Et ideò datur aliqua consuetudo juris, quæ est secundùm legem. Quod & eo est verius, quia lex confirmans consuetudinem facit, ut & ipsa sit secundùm legem. Præterea verò, ut supra dictum est, solum si in loco particulari consuetudo vigeat ex causa speciali, præter illam, ex qua lex superveniens & scripta fuit data, abrogata lege, non censetur abrogata consuetudo, nisi fiat ejus mentio specialis.

Et nihilominus consuetudo etiam facti, quæ est secundùm legem, eam confirmat, & roborat. §. *leges d.* 4. *l. ult. C. Quæ sit longa consuet.* Bart. *l. de quibus, num.* 4. *ff. de leg.* consuetudo enim hæc dum contrariam consuetudinem tollit, & abrogat, legem firmat. Secundò adjuvat legem, *cap. sopitæ, de consu.* Tum quia reddit ejus observantiam faciliorem; Tum quia reddit illam magis immutabilem. Tertiò legem interpretatur, unde in jure vocatur optima legis interpres, *cap. Cùm dilectus, de consuet. l. si interpretatione, ff. de legibus c.* Bartol. *d. num.* 4. Panormit. *d. cap. fin. num.* 28. Significat enim in quo sensu lex in principio fuerit lata, & recepta. Et sic lex roborata consuetudine est quid fortius, & quid magis indubitatum. Layman *l.* 1. *tractat.* 1. *cap.* 24. *num.* 5. Quod verò etiam dicatur, quod extendit legem, non est propriè dictum, quia extensio legis est novæ legis institutio, & sic consuetudo, quæ legem extendit, est consuetudo juris, quæ non est secundùm legem, nisi secundùm quandam imitationem, & similitudinem, sed est nova lex præter legem extensam. Et sic etiam ubi interpretatio legis proveniens ex observantia, & consuetudine est legis extensio aliqua, vel restrictio, tunc consuetudo sic extendens, aut restringens, est præter legem, vel etiam contra legem. 68

Quarta divisio desumitur ex causa efficiente, & finali, sic enim dividitur consuetudo in Canonicam, & Civilem. Hæc enim divisio non tam sumitur ex parte materiæ, ut dixit Suarez *l.* 7. *cap.* 5. *num.* 1. quàm ex causa efficiente, & fine; quia civilis vim habet à jurisdictione temporalium Principum habentium pro fine civilem pacem, & tranquillitatem Reipublicæ, canonica verò robur habet à jurisdictione spirituali, quæ pro fine habet æternam hominum felicitatem, & salutem. Unde benè potest contingere, quod ejusdem materiæ sit duplex consuetudo civilis, & canonica: consuetudo propria Laicorum est civilis, & Clericorum est canonica, sed tamen consuetudo canonica non est propria Clericorum, quia etiam laici subduntur potestati spirituali, & ab ea ordinantur in vitam æternam. Omnis tamen consuetudo propria Clericorum, seu Ecclesiasticorum est canonica. Nam etiam dum respicit temporalia, ea non respicit nisi in ordine ad aliquod spirituale, & vim habet à spirituali potestate. 69

Hinc est, quod licèt detur consuetudo, quæ dicitur mixta Laicorum, & Clericorum, tamen omnis talis consuetudo, vel est civilis, vel est canonica. Omnis enim talis consuetudo, vel respicit civilem pacem, & temporale commodum civitatis, vel Provinciæ, vel Regni; & non habet vim immediatè nisi ex consensu Principis Laici. Et hæc solum indirectè clericos potest obligare, quatenus & ipsi cives sunt, & ad civitatem spectant, ut notat Bart. *in l.* 1. *ff. ad municip.* & Panorm. *cap. cùm causam, de re judic.* sicut & lex civilis scripta sic aliquando obligat etiam Clericos indirectè, & solum quantum ad vim directivam, ut tradunt Medina *p.* 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Sot. *l.* 1. *de just. q.* 6. *art.* 7. Silvest. *v. lex qu.* 15. Vict. *Relect.* 1. *de potest. Eccles.* Vasquez *p.* 2. *disp.* 167. *cap.* 4. Suarez *l. tertio de leg. cap.* 34. Canonistæ *in cap. Ecclesia*, ubi Panorm. *nu.* 13. Dec. *nu.* 27. 70

Felin.

Felin. *num.* 37. *de constit.* Hoc enim modo, & consuetudines aliquæ, quæ bonum, & commodum commune civium omnium respiciunt, possunt per consequentiam, sic disponente jure canonico obligare Clericos. Sed hæc licet ab initio sint consuetudines laicales, tamen extensio earum fit à lege, aut consuetudine Ecclesiastica, & sic non est una consuetudo, sed duæ, quarum una laicos, & alia Clericos obligat. Aliæ verò sunt consuetudines, quæ Christi ex fide trahunt originem, & pertinent ad laicos, ut sunt Christiani, & inducuntur ex fide, & fine æternæ vitæ, & non habent vim, nisi in quantum sunt approbatæ à potestate Ecclesiastica, ut sunt consuetudines jejuniorum, & observationis festorum. Et hæc sunt consuetudines canonicæ. Potest verò esse, quod circa eamdem materiam, ut v. g. in modo judicandi sit eadem consuetudo judicum laicorum, & Ecclesiasticorum. Sed hæc non est una, sed duæ consuetudines, à diversis inductæ, & ex diversa auctoritate comprobatæ.

71 Quinta divisio est consuetudinis in morem, stylum, ritum, & forum. Hanc divisionem sub his membris dat Suarez *l. 7. de leg. cap. 5. num.* 3. asserens eam sumi ex parte materiæ. Sed mos non benè ponitur sub hac divisione, neque distinguitur à consuetudine ex parte materiæ, sed ex parte diuturnitatis, quia mos est consuetudo vetusta, & jam à multo tempore introducta, ut probatum fuit artic. super. *nu.* 31. Ex parte ergo materiæ dividitur consuetudo in stylum, ritum, & forum.

72 Stylus usum specialem in scribendo significat *cap. Quam grave de crim. fals. & cap. venerabilem de confirmat. ut. vel inut.* Rochus Curtius *cap. fin. de consuetud. in præfat. num.* 27. Cùm enim stylus ex primæva significatione importet instrumentum æneum ad scribendum, inde nomen styli translatum fuit ad significandam scripturam, *l. 1. C. de sacros. Eccles.* & inde ad modum, & ordinem scribendi. Verùm etiam usum specialem in loquendo significat, & proptereà nomen styli accommodatum fuit, ut significet usum specialem, & modum servari consuetum in aliquo ordine judicandi. Et in hoc sensu Cynus *in l. 1. C. quæ sit long. consuet.* dixit, stylum esse practicam alicujus curiæ, & Bald. *in l. ult. C. eod.* idem habet, & ita per antonomasiam vocari solet stylus Romanæ Curiæ. Et in idem reddit, quod habet Bart. *in repet. l. De quibus num.* 10. *de leg. & in l. 1. Cod. quæ sit longa consuet.* Sic ergo stylus communiter dicit usum scribendi, & loquendi, sed propriè importat usum, & consuetudinem judicandi, Suarez *l. 7. de leg. cap. 5. num.* 3. Palaus *tr.* 3. *disp. p. primo n.* 3.

73 Sed sumpto hoc nomine in ordine ad judicia adhuc est analogum, & multiplicis significationis. Nam ut habetur ex Alberico *v. stylus* potest significare quid facti, & effectum aliquem productum, nimirum dispositionem, seu formam aliquam, vel realem ordinem positum inter verba ipsa prolata, aut scripta, quæ forma consistat, vel in eo, quod hæc verba sonantur, vel quod hoc tali ordine disponantur. Hæc enim significatio ex usu communi loquendi habetur, & colligi potest, *ex l. 1. C. de Sacros. Eccles.* ibi: *Voluntatis ultimæ stylum liberum esse debere*, idest liberam esse debere formam disponendi testamentum. Et hæc signif. clarius habetur *ex l. 3. C. de bon. vacant.* Sed quia scribendi, aut loquendi forma ex usu comparari solet, ideò stylus etiam accommodatum est, ut significet usum, & consuetudinem scribendi, & loquendi, & in hoc sensu stylus magis propriè importat usum, & consuetudinem loquendi, aut scribendi in judicialibus.

74 Verùm sicut dictum est de consuetudine, quod datur consuetudo facti, & consuetudo juris, ita & datur stylus facti, qui non est nisi usus, & continuata frequentia actuum similium in iis, quæ spectant ad judicium. Sed stylus juris est lex ex hujusmodi stylo, & consuetudine facti inducta, & auctoritate legislatoris approbata, & sic stylus juris videtur esse quasi proprium judiciorum, quia in aliis materiis stylus non obligat, sicut obligat in judiciis. Et sic stylus est lex non scripta, quæ vel obligat ad ordinem, & formam judicii, vel si sit contra jus commune, liberat ab obligatione servandi formam à communi jure inductam. Et non est nisi consuetudo servanda in ordine judiciali; & ideò ad illum sunt necessaria, quæ requirantur ad consuetudinem, & habet eamdem vim, quam habet consuetudo. Ideò in decisione causarum allegari potest stylus, Fermos. *ad rubr. de consuet. quæst. 6. num. 6. ex capella Passer. in Lib. I. Sexti Decret. Tholos. decis.* 115. Et potest allegari pro jure, sive tendat ad litem ordinandam, sive ad decidendam. Afflict. *decis.* 253. Guido Papa *decis.* 398. apud Fermos. ibid. Ubi *num.* 4. quod est jus tantæ virtutis, ut prævaleat consuetudini, ex Guid. Pap. *decis.* 292. De styli autem effectibus videri potest Ric. *part. 4. collect.* 794. Et leges styli dicuntur, vel quæ stylum usu inductum confirmarunt, & in scriptis reduxerunt ad perpetuam ejus memoriam, vel quæ stylum ipsum introduxerunt, & sic stylus tunc non est nisi consuetudo secundùm legem, seu consuetudo, quæ est observantia ipsius legis.

75 Ritus pariter ad consuetudinem spectat. Dicitur autem ritus propriè in spiritualibus secundùm Panorm. *in cap. de aliquibus de dec.* Sed sicut nomen stylus, sic & nomen ritus tria potest significare, primò, scilicet aliquam formam, seu solemnitatem, modum, vel ordinem, seu cæremoniam, quæ in materia sacra, Sacramentorum administratione, Missarum celebratione, orationibus, & divino officio servatur. Et sic ritus est, quid facti, qui nedum ex consuetudine, sed etiam ex lege, & institutione habetur. Secundò ritus potest importare consuetudinem solemnitatis, seu cæremoniarum præfatarum inductivam, prout est quid facti. Sed ritus, ut est quid juris, significat jus, & legem, quæ ex consuetudine est inducta, & quæ in peragendis sacris, & spiritualibus actibus obligat ad hanc, vel illam solemnitatem, seu cæremoniam adhibendam, & ita Rochus *in d. præfat. n. 28. ex cap. cum secundum de temp. Ord.* diffinivit Ritum; ut sit consuetudo solemnitatem præbens, in aliquo actu exercendo, nimirum si magis propriè sumitur, in exercendo aliquo actu spirituali ad Dei cultum pertinente.

76 Forus verò, prout ad consuetudinem spectat, non est nisi consuetudo, seu lex formam præbens usui jurisdictionis in iis, quæ ad judicia spectant, quæ ex frequentato illius usu inducta est. Nam modus utendi jurisdictione potest esse introductus, & per legem scriptam, & per facti consuetudinem, & sic lex non scripta, obligans ad modum utendi jurisdictione, quæ est ex frequenti usu inducta, est forus. Non desunt autem, qui dicant forum comprehendere omnes leges dantes formam usui jurisdictionis sive scriptas, sive non scriptas, sive ex voluntate Principis, sive ex frequenti usu Principe approbante inductas. In quo sensu forus non esset consuetudo, sed quid superius ad consuetudinem fori judicialis. Videantur Vasquez *disp.* 177. *cap.* 1. Greg. Martinez *p. 2. quæst. 97. art. 3. dub.* 1. Suarez *l. 7. de leg. cap. 5. num.* 9. Palaus *tract. 3. disp. 3. puncto p. num.* 3.

77 Sextò dividitur consuetudo in inductivam obligationis, & exemptivam ab obligatione, seu in positivam, & privativam. Nam consuetudo, quæ ordinatur ad inducendam legem obligantem ad aliquid agendum positiva est, & non nisi ex positivis actibus gignitur, qualis est consuetudo jejunandi, aut audiendi Missam: sed alia est consuetudo, per quam derogatur legi, & sic eximuntur subditi à legis obligatione, & hujusmodi consuetudo etiam ex omissionibus frequentibus legis induci potest, quando scilicet subditi servare legem frequenter, & continuatè omittuntur. Erit verò hæc divisio sæpius consideranda, quia membra illius, non parùm distinguuntur.

S V M M A R I V M.

78 *Consuetudo non plus habet virium, quàm id, quod habet ex actibus.*
79 *Non gignitur ex puro non usu negativo.*
80 *Ex non usu valdè distanti non gignitur consuetudo.*
Ad probandam hanc consuetudinem probanda est omissio.
81 *Ad consuetudinem non sufficit unus actus,* 82.
Actus non sunt causa efficiens consuetudinis facti.
83 *Sufficere unicum actum successivum aliqui volunt.*
84 *Hoc improbatur: non debet confundi præscriptio cum consuetudine.*
85 *Per unum actum aliquid simile consuetudini potest induci.*
86 *Consuetudo non inducitur ex actibus, qui dederunt causam liti, nec ex coactis, nec ex factis ex alia intentione.*
87 *Nec ex facultativis.*

88 *Exemplis hac declaratur.*
89 *Vt ex facultativis generetur consuetudo pramitti debet contradictio, & acquiescentia.*
90 *Idem est si pracedat preceptum, & observantia.*
91 *Non est materia facultativa, quando quis operatur ex titulo.*
92 *Nec ex pluralitate actuum per longum intervallum temporis.*
93 *Nec in materia causa pia.*
94 *Necesse est actus fieri ex intentione consuetudinis.*
95 *Arbitrarium decernere, an hac intentio adsit, & qua illius conjectura.*
96 *In dubio presumi debet consuetudinem esse ex devotione.*
97 *Consuetudo non est ex actibus difformibus.*
98 *Hoc limitatur dupliciter.*
99 *Ad probandam consuetudinem necesse est probare uniformitatem actuum, ut habitam intentione consuetudinis, quamvis ex longeva uniformitate hac intentio presumatur.*
100 *Ad inducendam consuetudinem requiritur populi scientia,*
101 *Et consensus majoris partis saltem tacitus.*
102 *Objectio contra dicta.*
103 *Consensus diversimodè necessarius in consuetudine inductiva, & exemptiva, 104.*
105 *Non est necesse, quod consensus detur collegialiter.*
106 *Non est semper necesse, quod major pars populi utatur consuetudine.*
107 *Non est necessarius consensus duarum partium.*
108 *Esse necessariam notitiam judicialem quidam volunt.*
109 *Oppositum probatur.*
110 *Intellectus cap. Abbate, de verb. signif. & l. cùm de consuetudine ff. de leg.*
111 *Consuetudo potest esse ex actibus malis.*
112 *Imo & ex nullis.*
113 *Quot actus sint necessarii variè fuit opinatum.*
114 *Hoc est arbitrarium.*
115 *Difficile, quod duobus actibus inducatur consuetudo.*
116 *Idem dicendum de stylo.*
117 *Vno actu contrario interrumpitur consuetudo.*
118 *Hic actus debet esse communitatis.*
119 *Non interrumpit actus factus ex alia causa.*
120 *Consuetudo inducta uno actu non tollitur.*
121 *Consuetudo facti causat consuetudinem legis in genera causa materialis.*

ARTICULUS III.

Ex quibus actibus causetur consuetudo.

78 Consuetudinem tantum habere de potentia, vi, & efficacia quantum habet de actu dixit Rota coram Seraphino *decis.* 1040. *n.* 2. & adnotavit Pasqual. *centur.* 1. *q.* 77. *n.* 6. quia consuetudo, cùm sit jus ex frequentia actuum introductum, non plus potest habere virtutis, quàm sit id, quod habet ex actibus.

79 Dubitatur autem primò, an consuetudo possit induci per non agere. Videtur enim hoc posse fieri, quia consuetudo privativa ex omissione agendi generatur. Sed respondetur, quod non potest introduci consuetudo per non agere, si non agere sumatur merè negativè, ut advertunt D. Anton. *p. p. tit.* 16. *cap. un.* §. 2. & ex Panorm. & Jo. And. *in cap. Ioannes, de Cler. conjug.* Felin. *cap.* 1. *de treugua, & pace*, Navarrus *consil.* 1. *de constitut. quast.* 6. *num.* 25. Rosella *v. consuetudo num.* 15. Gregorius Martin. *p.* 2. *q.* 93. *art.* 1. *dub. p. post* 5. *concl.* Rota coram Seraph. *decis.* 410. *num.* 5. Diana *p.* 6. *tr.* 5. *resol.* 10. Lorca *p.* 2. *tom.* 2. *disp.* 29. *mem.* 3. Pasqual. *cent.* 4. *quast.* 375. *nu.* 1. Fermosinus *in rubr. de const. quast.* 2. *num.* 41. Quamvis actus omissio quatenus moraliter, & virtualiter est actus consuetudinem inducere possit. Sic enim omissio observantiæ actus præcepti, quæ moraliter censetur actus, nam est legis transgressio, & qui sic omittit censetur operari contra legem, potest consuetudinem contra legem introducere, si aliæ adsint conditiones, ut citati DD. tradunt.

80 Advertit verò Fermosinus *num.* 47. ex Lorca, quod si materia rarò occurrat, non usus, qui provenit ex raro eventu, non poterit consuetudinem gignere, & legem contrariam abrogare. Ut si lex esset, quod Hermaphroditus deputetur sexui prævalenti. Quia verò simplex non usus non inducit consuetudinem, ideò ad probandam hanc consuetudinem privativam, non sufficiet probare non usum, sed probandum erit casum legis præcipientis evenisse, & tamen longo tempore contrarium observatum fuisse, *arg. l. sancimus, C. de test.* Nam lex per contrarium usum tollitur, Felin. *cap.* 1. *de treug. & pac.* Farin. *cons.* 38. *num.* 108. Fermos. ubi supra *n.* 44.

81 Dubitatur secundò, an consuetudo possit induci per unum actum. Est verò sententia communis, quod ad consuetudinem causandam non sufficit unus actus, sed plures sunt necessarii. Turrecrem. *cap. mos, art.* 3. *num.* 5. & D. Anton. *p. p. tit.* 16. *cap. un.* §. 2. Silvest. *v. consuetudo num.* 6. Tabien. *num.* 9. Armill. *num.* 5. Rota *decis.* 72. *num.* 30. *part.* 1. *divers. & decis.* 225. *num.* 7. *part.* 4. *tom.* 2. *recent. & decis.* 281. *num.* 2. coram Seraphin. & ibid. *decis.* 1410. *num.* 5. Barbos. *in rubr. de consuet. num.* 5. Fermosinus *in rubr. de consuet. quast. p. num.* 41. Clavis Regia *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. Et hoc quidem verum asseritur tam de consuetudine, ut est quid facti, quàm de consuetudine juris. Nam consuetudo facti non est aliud, quàm frequentia actuum. Arbitratur verò Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 10. *num.* 1. quod singuli actus sint causa efficiens hujus consuetudinis, & nihilominus frequentia, seu collectio horum actuum sit substantia ipsius. Quod quidem verum est de consuetudine habituali, quia habitus acquisiti generantur ex actibus, sed loquendo de consuetudine facti assertio implicat in terminis. Si enim substantia hujus consuetudinis consistit, sicut verè consistit, in frequentia, & collectione ipsorum actuum similium; igitur singuli actus sunt pars hujus totius collectionis, & per modum partis concurrunt ad illam integrandam, nulla autem pars est causa efficiens sui totius, quia causa efficiens est extrinseca à suo effectu, pars verò est toto intrinseca, & pars integralis ad totum integratum se habet ut materia, & sic singuli actus, qui sunt partes, ex quibus integratur hæc consuetudo non sunt illius causa efficiens, sed materialis.

82 Consuetudo autem juris est jus ex frequentia actuum causatum, seu ex ipsa facti consuetudine inductum, unde absque dubio requirit pluralitatem actuum, quod ex ejus diffinitione constat, quæ est, ut sit jus moribus utentium institutum, mores verò non sunt sine actuum pluralitate. Idem habetur ex nomine consuetudinis, quod importat assuetudinem, seu id, quod est in communi usu, *cap. consuetudo, dist.* 1. Item consuetudo dicitur usus longævus, *l. sed & ea ff. de leg. cap. consuetudinis, d.* 11. *& in l. de quibus ff. de leg.* dicitur populum in consuetudine facti declarasse suam voluntatem, facta autem non sunt sine actuum multiplicitate, & hanc vocamus actuum frequentiam.

83 Hoc tamen aliqui limitant, volentes ad consuetudinem unum actum sufficere, si ille sit successivus, & multum durans, & dant exemplum in collatione beneficii, si illa duravit convenienti tempore, *cap. cùm de beneficio, inf. de Preben.* Vel si aliquis semel ædificet pontem, & pons sufficienti tempore duret, acquirit jus. Ita limitant Panor. *sup. cap. fin. num.* 17. *de consuetud.* & ibi Rochus *num.* 420. Silvest. *v. consuet. num.* 6. Tabien. *num.* 9. Armill. *num.* 5. & Rom. *cons.* 368. *num.* 6. Soccin. Sen. *in l.* 1. *num.* 13. *ff. si cert. pet.* Corn. *l.* 2. *cons.* 90. *num.* 7. Clavis Regia *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. Rip. *resp.* 1. *num.* 6. *de consuetud.* & alii, quos refert Antonius Piaggius *tract. de consuetud. quast.* 8. *num.* 36. Et ita beneficium regulare, si semel collatum fuerit Clerico sæculari, efficitur sæculare, si hæc collatio duret per annos 40. Et infeudandi consuetudo inducitur unico actu concurrente eodem spatio annorum 40. secundùm Aym. *cons.* 545. *num.* 4. *lib.* 3. *& cons.* 491. *num.* 12. *l.* 3. *& cons.* 861. *n.* 3. *l.* 5. & Bursat. post Andr. de Iser. *cons.* 160. *num.* 80. *lib.* 2.

84 Limitationem tamen non esse admittendam, alii dicunt, nimirum Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 10. *num.* 2. Piaggius *de consuetud. quast.* 3. *num.* 39. Fermos. *in rubr. de consuetud. quast.* 1. *num.* 43. quia confundit præscriptionem, cum consuetudine. Ad præscriptionem, quæ est acquisitio juris super re aliqua individuali, aut persona, non est necessaria multitudo actionum, sed sufficit habitualis rei possessio durans per tempus determinatum, & aliis concurrentibus neces-

necessariis, & sic unica acquisitio durans veluti habitualiter per tempus requisitum sufficit ad præscribendum. Et hoc modo, qui fabricavit pontem, & mansit in pacifica possessione illius per tempus requisitum, præscripsit jus super illo, ut non possit cogi ad illum demoliendum, sed liberè illo, ut re sua, uti possit. Sic si beneficium regulare datur Clerico sæculari, qui illud possidet pacificè per 40. annos, concurrentibus aliis requisitis præscribit sæcularitatem. Et sic ad præscribendum sufficit unicus actus acquisitionis, & continuata per tempus necessarium pacifica possessio rei semel acquisitæ. Quamvis nec hujusmodi possessio, moraliter loquendo, sit sine multitudine actuum, per quos possidens re possessa utitur, ut transeundo v. g. per pontem fabricatum, & exercendo actus proprios beneficiati. Cæterùm quod hoc, quod sufficit ad præscribendum, non sufficiat ad consuetudinem hinc manifestissimè colligitur, quod qui fabricavit hunc pontem, non per hoc habet jus fabricandi alium; nec clericus sæcularis, qui obtinuit hoc beneficium regulare, habet per hoc jus, ut alia acquirat, nec ex his actibus inducta fuit aliqua lex concedens posse fabricari pontes, aut obtineri à Clericis sæcularibus beneficia regularia. Ideò esto ad præscribendum, sufficiat una acquisitio durans, non tamen ad consuetudinem sufficit unicus actus; quia nec unicus actus sufficit ut præsumatur in Principe legislatore consensus universalis, ut aliquid fiat ex universali lege, cùm ex multis aliis causis possit contingere, quod Princeps unicum actum contra suam legem permiserit, vel si sit præter legem illum admiserit, sed solum ex multitudine actuum præsumi potest legislatorem consentire in consuetudinem, juxta doctrinam D. Thom. *p. 2. quæst. 97. art. 3. c.* Ideò ad consuetudinem inducendam plures actus requiruntur, ut docuit ibid. D. Thom. & tradiderunt Turrecrem. *in cap. mos est num. 5. dist. 2.* Bald. *in l. de quibus num. 38.* & ibi Jason *num. 51.* Alex. *in l. In provinciali, §. si quis ipsi prætori num. 10. ff. de nov. oper. nunc.*

85 Mihi autem videtur considerandum, & distinguendum videtur inter consuetudinem inductivam, & exemptivam. Nam in exemptiva consuetudine potest sufficere omissio successiva ejusdem præcepti. Ut si Princeps præcipiat populo, ut destruat pontem unum, & populus non destruat, & omittat per tempus sufficiens ad consuetudinem inducendam, ex illa unica omissione derogabitur legi. Sed loquendo etiam de consuetude inductiva obligationis, non videtur impossibile dari casum, in quo sufficiat unus actus. Nam detur, quod populus incipiat aliquid agere simul proponendo se velle in perpetuum ex obligatione sic agere similiter, ut v. g. servet festum alicujus Sancti ex tali intentione, si Princeps conscius talis actus, & propositi factum approbet, inducetur lex obligans, quæ non erit lex scripta, quia Princeps eam scripto non promulgat. Et adhuc si consensum scriptis traderet, adhuc lex ista habens initium ex populi consensu, & intentione sic agendi ex obligatione non est propriè lex scripta, sed consuetudo, quia esset ex more, & usu populi inducta. Sed dicitur nihilominus, quod in eo casu lex haberet aliquid de consuetudine, & ad illam reduceretur, sed non esset propriè consuetudo, nec assuetudo, de cujus ratione est actuum plurium frequentia, hoc enim est assuefieri, quod est ex frequentia actuum ad similiter agendum disponi. In priori autem casu omissioris, illa omissio sic durens est saltem æquivalenter multiplex, & tot omissiones censentur, quot sunt vices per quas debuisset servari præceptum affirmativum, & non fuit servatum. Et hoc est de mente Rochi *sect. 4. n. 43.*

86 Dubitatur tertiò, an quilibet actus sufficiat ad inducendam consuetudinem, respondetur autem primò, quod non sufficiunt actus, qui dederunt causam liti, Rota *decis. 94. num. 12. p. 9. recent.* Secundò nec sufficiunt actus coacti. Rota *decis. 616. num. 3. part. 3. recent. & decis. 281. num. 9.* coram Penna. Debent enim esse actus tales, ex quibus præsumi possit consensus in consuetudinem inducendam. Silvest. *v. consuetudo num. 6.* Tabien. *num. 9.* ex actibus verò per vim, vel metum, vel ex alia quacumque necessitate habitis, non potest colligi quod operantium voluntas sit inducere consuetudinem, & obligationem ad similiter agendum. Quod tamen omninò necessarium est. Unde tertiò ex illis solis actibus potest induci consuetudo, qui ab operantis voluntate imperantur ex intentione inducendi consuetudinem, seu (quod idem est) ex intentione se obligandi, vel eximendi ab obligatione, Silvest. *v. consuetudo num. 7.* Tabien. *num. 9.* Armill. *num. 5.* Turrecrem. *cap. consuetudo, art. 2. num. 6. dist. p. ex l. 1. & ult. ff. de Iti. actuque priv.* Nam si solæ vices plures inducerent consuetudinem, exemplum faceret jus, at verò hoc falsum est, quia non exemplis, sed legibus judicandum est, *l. venio, C. de sent. & intent.* Secundùm consuetudinem verò rectè judicatur, *cap. cùm venissent, de eo, qui mit. in possess. & cap. Placuit dist. 32.*

Hinc est quartò regula generalis, quod ex actibus facultativis, quæ quis agit ex libertate sua, & libero beneplacito, non inducitur consuetudo, Silvest. *v. consuetudo num. 19.* Tabien. *num. 9.* Sotus *de just. l. 1. quæst. 7. art. 2.* Ubi quod ex actibus devotionis non inducitur consuetudo. Rota *decis. 716. num. 10. & 778. num. 1. & 813. num. 5. par. 1. divers. & decis. 443. num. 8. part. 5. & decis. 124. num. 7. p. 6. recent. & decis. 408. num. 7.* coram Penna, *& decis. 162. num. 10.* coram Greg. XV. Roch. *cap. fin. de consuet. num. 366.* Calder. *cons. 3. num. 3. de consuet.* Roland. à Vall. *cons. 22. num. 20. l. 2. & cons. 33. num. 28.* Afflic. *decis. 388. num. 4.* Panorm. *cap. Abbate num. 10. de Verb. signif. & cap. ad nostram, de confirm. & cap. Cùm sit generale num. 15. de for. compet.* Martinez de Prado *cap. 3. quæst. 13. num. 17.* Diana *p. 6. tr. 5. res. 9. & 12.* Antonius Piagius *de cons. quæst. 3. n. 41.* plures alios referens, Pasqual. *cent. 3. quæst. 326. nu. 2.* Donatus *p. 1. tr. 1. q. 22. n. 5.* R.P.D. Fagnan. *cap. cùm ad Monasterium num. 37. de stat. Monach.* Beltraminus *ad decis. 162.* Gregor. XV. *n. 16.* Ubi quod hoc procedit non obstante quocumque decursu temporis etiam immemorabilis, Surd. *post alios cons. 127. n. 82. & seq.* 87

Exemplificant verò hoc multipliciter DD. dicentes, quòd si quis per decennium ivit ad molendinum alicujus, non per hoc inducta fuit consuetudo, vel præscriptio, ut in futurum teneatur ire. Quinimò nec etiam, si per mille annos idem usus fuisset ire ad eumdem molendinum. Antonius Piagius *de consuet. quæst. 3. num. 42.* post Butr. *in cap. fin. num. 28. de consuetud.* Jacob. de Sancto Georg. *in l. Insulæ Italiæ, in princ. ff. de Iudic.* Item ex eo, quòd aliquis amicum venientem à longè pluries, ac pluries recipiat, nullum jus amico illi acquiritur, nec consuetudo inducitur. Idem Piagius *n. 43.* post Innoc. *in cap. Bonæ 2. de Postulat. Præl.* Dom. *in cap. Consuetudo num. 8. dist. 1.* Item si rusticus per decennium detulerit alicui par Caponum quolibet anno ex liberalitate, non est indicta consuetudo, ut in posterum invitus ad id adstringatur, Bart. *in l. cum de in rem verso, ff. de contr.* 88

Et propterea, ut ex actibus aliàs facultativis acquiratur possessio, vel inducatur consuetudo, necesse est, ut eorumdem actuum præcedat prohibitio, aut contradictio, cum subsequuta acquiescentia. Rota *decis. 66. n. 6.* coram Penna, *& decis. 186. num. 1.* coram Seraph. *& decis. 130. num. 2. & 3. part. 2. recent.* Beltraminus *ad decis. 162. num. 15.* Gregor. XV. Gonzal. *reg. 8.* Gloss. *5. §. 6. num. 36. & 37.* Antonius Piagius *de consuetud. quæst. 3. num. 58. 60. & seqq.* Ubi ex Roland. à Vall. *cons. 22. num. 23. l. 2.* extendit hoc, ut procedat etiam si contradictio fiat extrajudicialiter, & etiam si ei fuisset obtemperatam ex bono pacis. Quod tamen non credo, quia ad introducendam consuetudinem, seu præscriptionem, necesse est, ut ille, contra quem inducitur, id faciat non ex alia causa, sed eo animo ut patiatur alterum uti jure, Turrecrem. *d. cap. Consuetudo, art. 2. num. 6.* Et propterea ad hoc, ut per actus præscribatur, necesse est, ut verisimiliter præsumatur utentem uti pro jure suo, & patientem pati illum, pariter uti pro suo jure. Idem Piagius *num. 44.* Unde si patiatur ex gratia, vel ex aliqua alia causa, & maximè si ex alia necessitate, hæc acquiescentia non sufficit, ut contra illum inducatur consuetudo. 89

Pariter ex actibus facultativis poterit induci consuetudo, si quis alteri præcipit, ut id faciat, quod aliàs est suæ libertatis, & ipse acquiescit, & facit, Panorm. *cap. Abbate num. 10. de Verb. signific.* Ubi exemplificat in eunte ad molendinum, si fuit illi præceptum à domino molendini, ut veniret, & prohibitum ire ad alium; quod si acquiescit, & pluries id facit, sufficit ad inducendam præscriptionem, vel consuetudinem. Idem sensit Bald. *in §. Omne autem jus num. 23. just. de jur. nat.* Jas. *in l. quo minus num. 31. in repet. de flum.* Natt. *cons. 106. num. 8. l. 1.* quos sequitur 90

Anton. Piaggius *de consf. quaest. 3. num. 57.* Idem dicitur de veniente ad hauriendam aquam ex puteo alicujus, aut de eo qui quotannis venit ad prandium amici. Hi enim licet sint actos facultativi, si tamen ex parte venientium praetendatur id sibi deberi, & insistent manuteneri, & dominus, aut amicus acquiescat, & permittat, quod illi praetendunt, sufficit, ut illis acquiratur jus, seu ut introducatur consuetudo, si alia adsint requisita. Nam hic semper considerari debet, quod si usus,& actuum frequentia tendit in hoc,quod utens, ut dominium aliquod, seu jus habendi acquirat, vel roboret, aut firmet, praescriptio est, non consuetudo. At verò est consuetudo, si usus tendit ad obligandum,ad agendum ex lege, seu regula.

91 Licèt verò ex actibus facultativis non generetur consuetudo, quia tamen saepè dubium est, an actus sint facultativi, tres regulas ad hoc dignoscendum tradit Oliverius Beltraminis Add. *ad decis.* 162. *num.* 15. Gregor. XV. Prima est, quod non dicitur materia facultativa, quando praecedit titulus; quia tunc actus subsequentes praesumuntur facti in vim tituli praecedentis ad exclusionem voluntarii actus. Menoch. *l.6. Praesumpt.67.* & fuit dictum *in Calagurritana juris visitandi de Aquila* 13. *Feb.* 1617. coram Pirovano. Circa quod tamen considerandum est, quod licèt ex titulo praecedente excludatur praesumptio omnimodae libertatis actus, hoc tamen non semper juvat ad hoc ut ex actibus oriatur praescriptio, aut consuetudo; quia imò semper excludendae haec erunt, si causa & titulus, ex quo quis praesumitur agere, excludat intentionem illam praescribendi, aut inducendi consuetudinem,quàm esse necessariam probatum fuit.

92 Secunda regula est, ut excludatur praesumptio facultatis ex pluralitate actuum per longum intervallum temporis gestorum, Ripa *cap. Cum de Ecclesia num. 51. de causa poss.* Caesar de Grassis *decision.* 1. *num.* 3. *de causa possess.* Seraphin. *decis.* 212. *num.* 2. *& decis.* 323. *num.* 4. & fuit dictum *in Tusculana Silvarum 6. Junii* 1616. coram Verospio. Toties enim multiplicata gratia non est praesumenda,ut dicit Rota *decis.397. num.3. part.2. recent.* Haec verò regula locum maximè habet in praejudicialibus, quae non solent liberaliter, & ex gratia concedi; Nam aliàs in iis, quae solent esse facultatis, pluralitas actuum,& temporis longitudo non potest ferre praesumptionem contra gratiam & facultatem, ut ex supra notatis patet.

93 Tertia regula est, quod ubi agitur favore causae piae, & divini cultus non praesumitur materia facultativa. Rota *decis.470. num.7. recent.* Panorm. *cap. ad Apostolicam num. 4. de simonia*, loquens de consuetudine, quod in exequiis monachorum detur cereus, in benedictionibus nubentium panis, in Ordinationibus clericorum manustergium. Quod adeò extenditur, ut cum multi quos refert Piaggius *d. quaest.* 3. *num.* 51. limitaverint regulam, nisi consuetudo contrario statuto revocetur, alii apud eumdem censuerint consuetudinem de dando aliquid Ecclesiae non posse statuto revocari, & ita ut per judicem possint cogi ad continuandam consuetudinem hactenus servatam. Sed & regula inspectione indiget, quia benè contingere potest, ut quis det Ecclesiae ex devotione, quod verò sic datur non sufficit ad introducendam consuetudinem.

94 Et semper summè considerandum est, quod dictum est de necessitate intentionis se obligandi, aut eximendi ab obligatione. Ex una enim parte actus ex quibus generatur consuetudo debent esse facultativi, nedum quia debent esse voluntarii, & non habiti vi, vel metu, sed quia ex quacumque alia causa facti non habent vim ad inducendam consuetudinem, ut si fiant ex praecepto legis, vel ex gratitudine, vel ex mera liberalitate, vel ut per illos agens aliquid lucretur, vel ex alia quacumque causa, sed necesse est,ut iidem actus fiant ex intentione inducendi consuetudinem, seu se obligandi ad similes actus, aut se eximendi ab obligatione.

95 In dubio autem hujus intentionis arbitrarium esse decernere an illa adfuerit, voluit Vigens *p. 2. quaest. 97. art. 3. concl. 3. num.29.* quem sequitur Fermosinus *in Rubr. de consuet. quaest.2. num.*18. ad cognoscendum verò hanc intentionem quatuor dantur conjecturae. Prima est, si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & communiter servata à populo: quia non solet uniformiter populus agere in istis, nisi agat ex obligatione. Secunda est, si viri graves, & timorati malè sentiunt de his, qui non servant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur. Tertia est, si superiores puniunt violantes consuetudinem. Quarta est, si materia consuetudinis, & ejus obligatio multum conferat Reipublicae. Ita Suarez *l.7. de leg. cap.15. num.* 13. Palaus *tom.1. tractat.3. p.2. §.3. num.*13. Praepositus *p. 2. D. Thom. quaest. 97. art.3. dub.1. num.7.* Megal. *v. consuetudo num.5.* Gordon. *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 4. quaest. 14. num. 16.* Donat. *p. 1. tract. 1. quaest. 22. num.6.* Fermos. *d. quaest. 2. num. 19.* Sed Pasqualig. *decis. 487. 488. 489. &* 490. has conjecturas impugnat, quia dentur consuetudines non obligantes, in quibus illae conjecturae concurrunt, ut sunt consuetudo salutandi B. Virg. ad signum campanae, & aliae similes. Ipse verò *decis.491.* considerans, quod consuetudo sit lex, quae induci non debet nisi ex quadam necessitate, & utilitate communi eam exigente, vult considerandum esse, an consuetudo hanc necessitatem ferat. Ego puto omnia praefata esse consideranda, & quod attendi debeat consuetudo ipsa, quae erit sibimet optima interpres. Et debeat etiam considerari, nedum si consuetudo, ut est quid facti sit utilis Reipublicae, sed si sit utile ut Respublica ex obligatione consuetudinem servet.

96 Omnibus verò pensatis, si adhuc sit dubium an consuetudo sit inducta animo obligandi, eam judicandam potius fuisse inductam ex devotione, quàm ex obligationis intentione dixerunt Diana *p.6. tract.5. resol.12.* Bassaeus *v. consuetudo n.7.* Fermos. *d.q.2. n.23.* ex eo principio, quod in dubio nullus praesumitur se obligare. Suarez *lib.7. de leg.c.15. n.15.* Palaus *tr.3. disp.3. p.2.§.3.n.13.* Bonac. *de leg. disp.1. quaest. 1. punct. ult. §.3. n.21.* Vigens *in p.2. D. Th.q.97. art.3. n.29. concl.* 3. Donatus *p.1. tr.1. q.22. n.7.*

97 Dubitatur quartò, an necesse sit, quod actus ut inducant consuetudinem sint similes & uniformes, & respondetur affirmativè, & dicitur, quod ex variis, & difformibus non oritur consuetudo. Rota *decis.* 381. *nu.* 3. *& decis.438. n.3. part.5. div.* & ibid. *decis.72. num.* 20. *&* 29. *& decis. 19. n.6. & dec.112. n.5. part.2. recent. & dec.280. n.3. p. 3. & dec. 336. n.7. par.5. & dec.136. n.14. p.5.* Et quod non inducatur ex sententiis difformibus habet Mill. *dec.251. num.26. &* 27. Et quod, ut sit valida, non debeat claudicare, Eminent. Otthobonus *decis.4. n.36.* Et quod ex actibus difformibus non inducatur, Natt. *cons.106. n.1. lib.1.* Aym. *cons.114. l.5. & cons. 949. n.26.* Antonius Piaggius *de consuet. quaest.3. nu.* 64. Ubi quod in parochianagio difformiter soluto, quando aliqui plus, quidam minus, nonnulli autem nihil solverunt, non inducitur consuetudo. Et quod si rusticus aliquando portabat gallinam, aliquando spallam porcinam, ex hujusmodi varietate non potest praesumi certa praestatio, seu oblatio, sed ensenium.

98 Sic igitur solùm ex similibus actibus potest oriri consuetudo: nam aliàs ex actibus difformibus remanet dubium, quid sit illud, quod populus servare voluerit, cùm sicut lex, ita & consuetudo certa esse debeat, *l. Nemo §. temporalis ff. de reg. jur.* Farin. *2. p. decis.112. num.* 5. Nihilominus duplex limitatio datur huic regulae. Prima, ut non procedat, quando actus difformis potest reddi causa certa, & determinata, ut constet, varietatem non intervenisse ex animo recedendi à consuetudine. Fermos. in proemio *ad tit. de consuet. num.*10. ex Seraph. *decis.*362. & Ricc. *Collect.* 109. *in fin.* Secunda limitatio est, ut pariter non procedat, quando actus non similes sunt simul impossibiles. Tunc enim difformitas non impedit consuetudinem. Ita Oliverius Beltraminus *ad decis.*162. Ludovis. *num.*14. Fermosin. *in rubr. de consuet. q.1. n.8.* ex Dec. *cons.17. n.12.* & Rota *in recent. part. 1. decis.356. n.4.*

99 Hinc est, quod ad hoc, ut ex actibus consuetudo ipsa praeexistens probetur, necesse est, ut ipsi actus similes probentur habiti in vim consuetudinis. Et sic v. g. ex eo, quod probetur dotem fuisse pluries restitutam dotantibus, non probatur consuetudo, quia potuit restitutio fieri ratione pacti, non verò ex vi consuetudinis. Sic nec probaretur consuetudo excludendi foeminas extantibus masculis, si solùm probaretur plures exclusas fuisse per longum tempus, quia potuerunt excludi ex testamento. Ita pluribus citatis Antonius Piaggius *d. quaest.67. &* 68. Et tamen in his casibus, si probaretur non fuisse varietatem per longum tempus, sed v. g. foeminas fuisse semper exclusas, & saepius, nullam verò unquam fuisse inclusam, haberetur non leve argumentum ad probandam consuetudinem, cùm non sit verisimile omnes sem-

semper fuisse exclusas ex testamento, cùm in testando juxta testatorum varietatem, varia etiam dispositio, & uniformitatis in testando aliqua causa immutabilis assignari debeat.

100 Dubitatur quintò, an sit necesse, quod actus, ex quibus oriri debet consuetudo sint notorii ipso populo? Et respondetur id esse necesse. Cùm enim non nisi ex consensu populi induci possit communis consuetudo, & lex populum obligans, necesse est, quod actus inductivi consuetudinis sint populo notorii, & tales, ex quibus populi consensus præsumi possit. Panorm. *d. cap. fin. num.* 17. Silvest. *v. consuetudo, num.* 6. Tabien. *num.* 9. Armill. *num.* 5. Alex. *cons.* 132. *num.* 9. Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 10. *num. ult.* Diana *d. tract.* 5. *res.* 9. & alii plures, quos refert, & sequitur Piaggius *dict. quæst.* 3. *num.* 70.

101 Et certè ex eo, quod quis agat in abscondito, signum est, quod non fit ex publica auctoritate, & lege. Ideò hujusmodi actus debent haberi publicè vidente, & consentiente populo. Ex vi enim consensus populi inducitur consuetudo, quæ non est aliud, quàm lex moribus gentium ex eorum saltem tacito concessu inducta, *l. de quibus, ff. de consuetud.* Ita quod Fermosinus *in rubr. de consuet. quæst.* 1. *num.* 7. dixerit, ad inducendam consuetudinem potius populi, quàm Principis consensum requiri, ut not. Gloss. *in cap. In istis, dist.* 4. quod est verum quantum ad qualitatem legis, & speciem ejus, quia licet lex, ut lex tanquam à propria causa fit à consensu Principis; lex tamen talis, quæ est consuetudo tanquam à propria causa est à consensu populi. Qui proptereà est ad consuetudinem summè necessarius. Alex. *cons.* 132. *num.* 9. *l.* 2. *& cons.* 173. *num.* 173. Pasqual. plures referens *sent.* 2. *quæst.* 144. *num.* 3. Sicut tamen sufficit ad inducendam consuetudinem, quod major pars populi consentiat, ita sufficit, quod id majori parti innotescat. Panorm. *cap. fin. num.* 18. *de consuetud.* Et neque est necesse, quod hic consensus populi sit expressus, sed sufficit tacitus, *l. de quibus, ff. de consuetud.* & est de mente DD. qui citati sunt. Nomine autem populi hìc venit quæcumque multitudo personarum, quæ per consuetudinem remanere debent obligatæ.

102 Potest verò hoc habere difficultatem primò in consuetudine exemptiva. Nam consuetudo intantum inducit legem, in quantum præbet legislatori motivum eam stabiliendi, seu antiquam legem abrogandi. Hoc autem potest præbere sola frequentia actuum, etiam si non sit populo notoria, & etiam si non sit populo consentiente, & intendente abrogationem legis. Quia sufficit, quod Princeps videat legem non servari, & ex aliis circumstantiis simul percipiat legem non esse utilem, & sic annuat consuetudini, & annuendo legem abroget. Hinc argumentum militat etiam contra id, quod dicitur de majori parte, quia ex minoris etiam partis consensu, potest Princeps sumere occasionem, & motivum, ut legem statuat approbantem consuetudinem, vel abrogantem legem contrariam consuetudini.

103 Respondetur nihilominus, quod consensus populi omninò est de essentia consuetudinis, quia ejus essentia est, ut ex moribus, & actibus hominum proculdubio voluntariis sit inducta, & sic quod habeat sui initium à populi consensu. Diversimodè tamen hoc fit in consuetudine inductiva, & in exemptiva. Nam inductiva consuetudo, ex quo fert novam obligationem, requirit consensum eorum, qui obligandi sunt. Consensus ergo singulorum valet pro se ipso, sed non potest valere pro aliis, nisi nomine illorum consentire possit, & suo consensu illos obligare. Quod pars minor non potest facere respectu majoris. Si ergo pars minor intenderet per suos actus, se obligare ad aliquid, & Princeps hoc approbaret, consuetudo illa non obligaret totum populum, sed illam partem solùm, quæ consentiret, nisi forsan consentiret conditionatè sub conditione consensus majoris partis. Quod si Princeps accepta occasione ab usu frequenti minoris partis legem conderet universalem obligantem totum populum ad illum usum, hæc lex non esset consuetudo, sed lex consuetudini contradistincta, quia non esset lex imposita ex moribus, & consensu eorum, quibus imponitur, cùm toto populo imponeretur ipso suo usu, & consensu id non petente.

104 In consuetudine verò exemptiva, seu privativa, seu in consuetudine contra legem, quæ tendit ad legem abrogandam, sufficit ille consensus abrogationis legis, qui est conjunctus frequenti, & diuturnæ non observantiæ legis habitæ à toto, vel majori parte populi. Velle enim legem abrogari, præsumitur ille populus, qui pro majori parte toties quoties est observanda, eam transgreditur, & diu per longum tempus, in hac frequenti transgressione perseverat. Et sic sufficit tacitus consensus, & scientia, quæ præsumitur in populo, qui legem ex consuetudine transgreditur. Imò in hac consuetudine non est necesse, quod omissiones, ex quibus inducitur, sint publicæ, & notoriæ, & sciantur à toto populo, vel majori parte, vel quod unus sciat omissionem alterius, quia ipse multitudinis plures, frequentes, & diuturnæ omissiones legis, etiam si quilibet omittentium nesciret aliorum omissionem, sufficiunt ut præbeant legislatori motivum legis abrogandæ, quod quilibet omittentium præsumitur velle. In consuetudine verò inductiva respectu eorum, qui possunt obligari ex aliorum scientia, & voluntate, non est necessaria particularis scientia, & consensus, quia sufficit illos scire, & consentire, à quorum scientia, & consensu illi dependent. Sed respectu eorum, qui non possunt obligari nisi sciant, & suo personali consensu, consentiant, notitia, usus, & intentionis inducendi consuetudinem obligantem debet esse communis, & publica; quia aliter non est unde præsumi possit eos saltem tacitè consentire in novam obligationem, si illam penitus ignorant. Et est discrimen inter scientiam, & consensum, quia scientia magis explicita necessaria est; nam qui scit induci consuetudinem, nedum si consentiat expressè, sed si non dissentiat, censetur consentire tacitè, quod non esset, si explicitè non scivisset consuetudinem induci, quamvis & aliqua scientia implicita sufficiat in aliquo particulari, qui scire potuisset, & debuisset.

Hinc potest solvi dubitatio, an scilicet hìc consensus debeat dari à populo collegialiter congregato? Dicitur enim hoc non esse necesse, Rochus *de cons. sect.* 4. *num.* 65. Consensus enim iste sufficit, quod sit tacitus, & quod detur inquantum ii, qui subjiciendi sunt consuetudini successivè operantur, & actus frequentant, non in abscondito, sed palàm juxta operationis conditionem, & sic sufficit, quod populus consentiat, ita quod qui operantur, operentur ex intentione consuetudinis, & alii hoc videntes non repugnent, hæc autem nec est necesse, imò nec est possibile collegialiter fieri. 105

Alia quoque solvitur difficultas, nimirum an sit etiam necesse, ut major pars populi utatur, & operetur secundùm consuetudinem introducendam? Respondetur enim distinguendo. Nam actiones, ad quas populus obligari debet, vel sunt exercendæ per singulos, ut v. g. est jejunare, sanctificare aliquem diem, &c. vel sunt exercendæ per unum, vel duos, vel per certum genus personarum; ut esset dare votum in electione, si sit annorum viginti, esse exemptos à gabelli hos, vel illos, vel esse, vel non esse eligibilem, nisi qui sit talis nobilitatis, & alia similia. Quando actiones, ad quas populus intendit se obligare, sunt communes singulis de populo, & à singulis exercendæ, necesse est, quod omnes de populo, vel certè major pars illorum exerceat illas actiones ex consuetudinis intentione; quia consuetudo moribus, usu, & actuum frequentia inducitur; illi ergo uti debent, qui operandi consuetudinem inducere intendunt, & se per consuetudinem obligare. Et sic, si populus intendit obligare singulos, necesse est, quod singuli omnes, vel major pars utatur, & intentione consuetudinis operetur. Et in his non est necessarius alius consensus, quam operantium, dum sit publicus juxta actionis exigentiam. Et sic in consuetudine exemptiva à lege obligante singulos est necesse, quod omnes, vel major pars operetur contra legem. Sed ubi actiones non sunt exercendæ, nisi per certas personas, sufficit, quod illæ personæ, populo sciente, illas actiones exerceant suo tempore, & loco. Quando ergo Panorm. *d. cap. fin. num.* 18. cui consentit Baldellus *de legib. l.* 5. *disp.* 46. *num.* 8. dixit, necesse esse ad consuetudinem, quod major pars populi utatur, intelligendus est respectu illarum actionum, quæ ex vi consuetudinis exerceri debent à toto populo. Cæterùm aliquando sufficit, quod aliqui de populo utantur, & operentur aliis videntibus, & consentientibus, ut dixerunt Rochus *de consuetud. sect.* 4. *num.* 46. & Silvest. *v. consuetudo, num.* 7. 106

Et tandem explicatur, an sufficiat consensus majoris partis, vel potius sit necessarius consensus duarum partium ex tribus, ut videtur voluisse Silvest. *v. consuetudo, num.* 7. 107

ex l.

ex *l. nulli*, & *l. planè*, *ff. quod cuique*. Nam præfatæ leges loquuntur, quando consensus dandus est collegialiter, & nec loquuntur de consensu, sed de præsentia in collegio, volentes, quod ad minus ibi sint præsentes duæ partes ex tribus; & nihilominus tunc sufficit consensus majoris partis illorum, qui congregati sunt, ut habet Panorm. *d. cap. fin. num.* 18. Consensus verò in consuetudinem non est necessario dandus collegialiter. Et quatenus dandus esset, deberent esse præsentes, vel duæ partes vocalium, vel juxta populi consuetudinem, quot essent necessarii, sed tamen sufficeret consensus majoris partis illorum. Rochus *de consuet. sect.* 4. *num.* 49.

108 Dubitatur sextò principaliter an notitia, quam debet habere populus, debeat esse judicialis, ita quod necesse sit frequentiam actuum in judicio fuisse defensam, vel probatam. Affirmarunt enim Gloss. *in cap. fin. de consuet. & in cap. frustra*, §. *sine scripto*, *verb. diuturni*, *dist.* 8. & Gloss. *in Rubr. C. quæ sit longa consuetudo*. Aliter enim consuetudo non potest esse satis publica, & notoria, & secura, ut alios obliget, vel securos in conscientia reddat. Diana *par.* 6. *tract.* 5. *resol.* 8. & Fermos. *in rubr. de consuet. quæst.* 1. *n.* 47. tribuunt hanc sententiam Silvest. *v. consuetudo*, *quæst.* 4. qui hoc non dicit, sed solùm ait, quod quando consuetudo inducitur per actus judiciales, ad eam indicendum sufficiunt duo actus, D. Anton. verò etiam ab eisdem citatus pro hac sententia refert illam ex Jo. sed illam rejicit expressè.

109 Nam illi contraria est communis Canonistarum, & Theologorum, ut dixit Panorm. *cap. fin. num.* 16. *de consuet.* & tradit Bart. *l.* 2. & *l. de quibus*, *ff. de leg.* ubi etiam Jason. *col.* 12. Rochus *sect.* 4. *num.* 34. Petrus de Salazar *l.* 1. *de consuet. cap.* 7. Menchada, Anton. Faber, Cujacius, Donellus, Osualdus, Gillinus, Gallius, Varcio, Cencio, Molina, Bobadilla, Gregorius Lopez, quos refert, & sequitur Fermosinus *in rubr. de consuet. quæst.* 1. *num.* 52. Præpos. *in p.* 2. *D. Thom. quæst.* 97. *dub.* 1. *num.* 8. & ibi Silvius *nu.* 2. *concl.* 8. Lorca *disp.* 29. *num.* 3. Vasquez *disp.* 177. *cap.* 3. Salas *disp.* 19. *sect.* 11. *num.* 9. Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 11. *num.* 2. Poncius *l.* 6. *de matrim. cap.* 6. *num.* 21. Gordonus, & Granada, quos sequitur Diana *d. resol.* 8. Donatus *par.* 1. *tract.* 1. *quæst.* 22. *n.* 3. Palaus *tract.* 3. *num.* 3. *part.* 2. §. 3. *num.* 9. Etenim nulla extat lex humana positiva, quæ hujusmodi notitiam judicialem, seu notorium juris requirat; sed neque id est necessarium ex natura rei, quia tam respectu populi operantis, & utentis, quàm respectu principis, ut consuetudinem approbet, sufficit notorium facti, quod ex publico usu consequitur. Deinde notorium juris de actuum frequentia non posset haberi sine contradictore, & contradictione, seu in judicio contradictorio, contra omne jus autem, & praxim est, quod non valeat consuetudo, cui non fuerit contradictum in judicio. Et tandem, ut innuit Panorm. sententia opposita involvit contradictionem aliquam. Nam si ad valorem consuetudinis requiritur sententia lata in contradictorio judicio, jam si repugnat dari sententia justa in favorem consuetudinis, simul repugnat dari consuetudinem, quæ sine justa sententia non viget. Si verò dari potest hæc justa sententia, & datur, jam consuetudo ante illam sententiam erat instituta, & vigebat, nam quod declaratur justum esse, justum est ante sententiam declarantem, quamvis ergo ad consuetudinis firmitatem multum valeat, si ipsa sit approbata in contradictorio judicio, hoc tamen non est necessarium, quia ex publico usu, possumus esse moraliter certi de consuetudine. Sicut ergo lex inducitur absque alio contradictorio judicio, ex sola Principis dispositione, ita multò magis jus consuetudinarium supposita frequentia actuum etiam extrajudicialium inducitur ex solo tacito consensu Principis. Ex actibus verò judicialibus etiam gignitur consuetudo, sed hæc est species consuetudinis, quæ dicitur stylus, ut explicatum est art. 2. Et tamen ad styli essentiam, & valorem non est necesse, quod sit declaratus adesse per sententiam obtentam in contradictorio judicio.

110 Nec obstant, quæ in contrarium adducuntur. Non quidem obstat *cap. Abbate de verb. signif.* Tum quia ibi non est sermo de consuetudine, sed de præscriptione ejusdem juris eligendi, nec valet argumentum à præscriptione ad consuetudinem. Tum quia quod ibi objicitur contra præscriptionem illam, quod non fuerit firmata in contradictorio judicio, non dicitur in decisione textus, sed in allegatione partis, unde Panorm. ibi *num.* 13. advertit, quod ex illo textu potius contrarium deducitur etiam in præscriptione. Nec pariter obstat, *l. Cùm de consuetudine*, *ff. de leg.* Quia ibi non dicitur judicium contradictorium esse necessarium ad perficiendam consuetudinem, sed solùm ait, hoc esse explorandum, quia multum conferre potest, ad probandum consuetudinem. Aliud ergo est, quod in judicio externo, ut quis obtineat vigore consuetudinis, debeat illam probare; aliud est, quod consuetudo non sit, nec suum vigorem essentialem habeat, nisi probetur in contrario judicio ad esse. Quod verè implicat, quia si consuetudo non est, nulla sententia potest declarari, quod sit, sed si consuetudo est, quia verè adfuit actuum frequentia, ex intentione consuetudinis, & Princeps consensit, jam consuetudo prius est, quàm adveniat sententia pronuncians illam esse.

Dubitatur septimò, an sit necesse, quod actus ex quibus gignitur consuetudo sint boni? Hoc enim videtur esse omninò necessarium, & id tenet Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 11. quia frequentia actuum malorum non est usus rationabilis, consuetudo verò rationabilis esse debet. E contra verò constat consuetudinem, quæ est contra legem posse esse ex actibus non bonis, cùm sit ex actibus, qui sunt contra legem, Suarez *l.* 7. *de legibus cap.* 18. *num.* 8. & 15. nedum concedit consuetudinem posse induci ex actibus malis, sed vult consuetudinem, quæ derogat legi, non posse induci ex bonis, sed ex malis tantum. Sed hæc difficultas infrà explicatur, ubi quæritur qualiter consuetudo debeat esse rationabilis, & qualiter consuetudo possit derogare legi, interim verò dicitur cum communi sententia, quod non est necesse, quod actus ex quibus inducitur consuetudo sint boni, sed potest etiam ex malis generari. D. Thom. *p.* 2. *qu.* 97. *art.* 3. *ad secundum*, & ibi Cajet. Conrad. Medina, Martinez, Clavis Regia *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. Serra, Vasq. *disp.* 177. Salas. *disp.* 19. *de legib. sect.* 5. D. Anton. *par.* 1. *tract.* 16. §. 2. Silvest. *v. consuetudo*, *num.* 12. Sotus *l.* 1. *de just. quæst.* 7. *art.* 2. Panorm. *cap. fin. de consuet.* Suarez loco citato. Diana *dict. tract.* 5. *resol.* 1. & 9. Fermos. *in rubr. de consuet. quæst.* 4. *n.* 4. Martinez de Prado *cap.* 3. *quæst.* 13. *num.* 15. Admitto quidem posse esse, quod intra tempus præscribendi posteriores legem transgredientes possint bona fide excusari, & videntes legem non fuisse à prædecessoribus servatam, putare quod consuetudo contra legem præscripserit, ut dixit Soto *l.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. *de justit.* & ex eo Layman. ubi suprà. Sed tamen neque hoc est facilè, ut in toto vel majori parte populi, in qua sunt quamplures senes oblivioni traditum sit non multis ab hinc annis legis obligationem viguisse. Tum secundò, quia jam ad consuetudinem non sufficerent quadraginta anni, sed plusquam sexaginta, vel octoginta essent necessarii, si præscriptio expectare deberet, quod in populo incœpisset bona fides. Tertiò, quia & imò actus bona fide habiti minus apti sunt ad inducendam consuetudinem juris, quia non fiunt ex intentione inducendi consuetudinem, nisi valdè implicitè, fiunt enim ex errore, & quia putatur, quod lex non adsit, non ut lex rollatur. Tum quartò, quia posita omni mala fide adhuc potest esse magis utile bono communi abrogare legem, & consuetudinem non malam, nisi quia prohibitam ablata prohibitione approbare, sive verbo, sive consensu expresso, sive tacito per consuetudinem. Non igitur est necessarium, quod consuetudo juris inducatur ex actibus bonis. 111

Dubitatur octavò, quot actus requiratur ad inducendam consuetudinem. Nam sufficere duos actus quando Princeps scit, & tolerat, voluerunt Rosella *v. consuetudo*, & ibi Angelus, & Silvest. *num.* 6. Martinez de Prado *cap.* 3. *quæst.* 13. *num.* 15. cum distinctionibus tamen aliquibus, & limitationibus. Duallius *p.* 2. *D. Thom. de legib. qu.* 7. *art.* 2. existimat, quod in causis criminalibus sufficiant duo actus, imò & in civilibus, si actus sint judiciarii, & notorii, quia duo actus faciunt solitum. Tum quia hoc affirmat Jason. *l. de quibus*, *ff. de consuetud. num.* 51. quem sequitur Emanuel Sà *v. consuetud.* Sed Montesinus 1. 2. *D. Th. de legib. disp.* 23. *quæst.* 13. *num.* 224. asserit, quod consuetudo sit ex frequentatione plurium actuum, sic ut non sufficiat unus, aut binus actus, sed requirantur plures, & eorum frequentatio. Lessius verò *lib.* 2. *de just. cap.* 6. *d.* 74. *num.* 10. dixit, quod ut consuetudo dicatur contracta, sufficit bis, aut ter contra actum esse. Palaus *tract.* 3. *d.* 3. *part.* 2. §. 3. *num.* 3. vult non sufficere duos actus etiam judiciales. 112

Sed vitanda est æquivocatio, & aliud est loqui de consuetudine facti, & aliud de consuetudine juris. Nam de prima loquen- 113

loquendo, ut ex illa habeatur consuetudinis quædam præsumptio ad effectum gravius puniendi delinquentes sufficiunt duo actus, sic enim in hoc sensu, *l.3. C. de Episc. aud. & cap. Ita nos 35. quæst. 2.* geminatio actus vocatur consuetudo. Et ita quod ad præsumendam consuetudinem facti contra aliquem, sufficit advertit Turrecrem. *in cap. mos a. 2. num. 5. dist. 1.* Et quod consuetudo facti inducatur duobus actibus dixit Rochus *de consuet. in princ. num.* 24. De quo videri possunt plures DD. quos referunt Menoch. *de arbitr. l. 2. casu* 81. & Antonius Piaggius *de consuet. quæst. 3. nu. 25. & seq.* Farin.

114 Verùm loquendo de consuetudine juris dicendum est hoc esse arbitrarium judicare. Turrecrem. loco proximè citato ad tertium. Menoch. *l. 2. de arbitr. cas.* 81. Diana *p. 6. tr. 5. resol. 7.* Fermosinus *in rubr. de consuetud. qu. 1. num.* 41. Pontius *l. 6. de matrim. cap. 6. num. 1.* Marsil. *in l. quæstiones n. 44. ff. de quæstion.* Duaren. *de leg. quæst.* 12. Tiraquell. *de primog. quæst. 9. num. 1.* Rochus Curtius *d. num.* 24. Donatus *tom. 1. tract. 1. quæst. 21. num.* 3. Nam ubi ad consuetudinis valorem requiritur præscriptio *decem*, 40. vel 100. annorum necesse est, ut per illud tempus actus frequententur. Et si actus habendi sint, v. g. semel in anno, ut si agatur de jejunio certi diei, aut de observatione festi, opus est, ut tot actus habeantur, quot sunt anni, vel si pluries in anno habendi sint, ut si agatur de jejunio in die Sabbati cujuslibet hebdomadę, necesse est, ut in singulis Sabbatis per totum illud tempus jejunetur: vel si actus non sunt determinati ad diem certum, sed ad determinatam causam, seu occasionem, aut sub conditione, erit necesse ut sine interruptione occurrente occasione illa, vel conditione habeatur actus. Quod si actus pertineant ad collegium, seu ad universitatem, quæ ut persona ficta per modum unius colligitur ad eligendum, vel otandum, pauciores actus erant necessarii respectu collegii, quam respectu singulorum, quia in singulis actus multiplicantur juxta illorum numerum. Sed si ad valorem consuetudinis, non est necesse, quod sit præscripta per tempus certum, & determinatum, tunc sicut tempus necessarium est arbitrarium, ita arbitraria est frequentia actuum, quæ pensanda erit juxta exigentiam materiæ, & occasionum agendi. Et hoc pro certo habendum erit tantam actuum multitudinem requiri, quanta est necessaria ad hoc, ut sit, seu præsumatur adesse consensus populi, & legislatoris. Ita Hostien. *in summ.* Archid. *in hoc cap.* Panorm. *cap. fin. de consuetud. num.* 17. Bartol. *l. 2. num. 12. ff. de leg.* Suarez *l. 7. de legib. cap. 10. num. 4.* Rochus *de cons. sect. 4. num.* 37.

115 Plures verò existimant, quod ex bino, vel trino actu præsumi possit Principis voluntas. Ita Panorm. *cap. 1. num. 4. de treug. & pac.* & præter eos, quos suprà citavimus asserentes ad inducendam consuetudinem sufficere duos actus, vel tres, sciente Principe, & tolerante, idem tenent Fermosinus *in proœm. ad rubr. de consuet. num. 2. & cap. fin. quæst. 5. num. 9. eod. tit.* ex Azor. & Bart. Sed valdè difficilè existimo, quod ex duobus actibus, aut tribus solummodo possit præsumi consensus principis, neque enim, ut probabitur, sufficit sola tolerantia, aut permissio. Quod maximè verum est, si actus ab invicem distent per longum temporis intervallum; ut advertunt Duallius *d. qu. 7. art.* 3. & Diana *d. resol.* 7. Non enim actus tam distantes continuantur, & junguntur in unam consuetudinem facti, ex qua Principis consensus præsumi possit, cùm & de facili possit evenire, ut primi actus oblitus fuerit, cùm advenit secundus. Et licèt simus in materia, quæ rarissimè contingit, non tamen dici debet consuetudinem induci ex duobus actibus judicialibus, valdè interpellatis, ut dicit Duallius, quia eadem ratio militat, & valdè difficilè, ac rarum erit, ut ex illis consensus Principis præsumi possit.

116 Et cùm, ut dictum fuit, etiam ex actibus judicialibus induci possit consuetudo judicandi, seu stylus etiam non scriptus, ut docent Canonistæ, *cap. ex literis, de constit.* Bart. *l. 2. C. quæ sit longa consuetudo*, Bald. *in l. si quis, Cod. de bon. damn.* Nihilominus nulla lex est, per quam decernatur, quod duo actus sufficiant ad stylum inducendum, sed & in actibus judicialibus necessaria est frequentia actuum, quam requirit consuetudo. Quod & de stylo verum est, *l. 1. Cod. quæ sit long. consuet. l. nam & iis ff. de inof. testam.* Bart. *in l. de quibus, ff. de leg. num.* 14. Decian. *in rubr. de constit. num.* 35. Salicet. *in l. 2. C. quæ sit long. consuet. num.* 23. Bald. *in l. 3. eod. tit.* Suarez *dict. l. 7. cap. 11. num.* 13. Et quamvis stylus, qui sit quid facti non requirat tantam actuum frequentiam, eam tamen exigit stylus, qui vim habeat legis.

Dubitatur nonò, an hæc actuum frequentia debeat esse continuata, nec interrupta? Et respondetur affirmativè. Nam ubi consuetudo adhuc non est introducta, & perfecta, unicus actus sufficit ad illam interrumpendam, & ut de novo à capite incipiendum sit, ut consuetudo introduci possit. Silvest. *v. consuetudo, num.* 8. Tabien. *num. 9. &* 10. Armill. *num.* 7. Surdus *cons. 293. num. 23. & 24. vol.* 3. Palaus *tract. 3. disp. 3. p. 2. §. 2. n.* 11. ex Reginaldo, Salas, & Bonacina, Bassæus *v. consuet. num.* 11. Diana *p. 6. tract. 5. resol.* 4. Rota in Viterbien. decursus aquar. 15. *Martii* 1624. & apud Gregor. XV. *decis. 162. num.* 9. & ibi Beltramin. *n.* 15. Fermosinus *in rubr. de consuet. qu. 1. num.* 59. ex Scanderio. 117

Si verò quis interroget an hujusmodi actus, ex quo consuetudo interpollatur, & irritatur debeat esse actus ipsius populi, seu communitatis? Respondet Fermosinus ubi suprà, ex Stephano Matien. quod debet esse communitatis; & ita voluit etiam Roch. *sect. 4. num.* 67. quia & ex solo usu populi inducitur consuetudo. Verùm nec omnis consuetudo inducitur ex usu populi operantis per modum unius congregati in uno collegio, sed generatur ex usu singulorum de populo, & tunc ad disjungendam consuetudinem non sufficiunt actus contrarii, si adhuc major pars servat consuetudinem, sed statim, ac major pars desinit persistere in consuetudine, quod fit, ex quo plures, vel etiam unus recedit à consuetudine, & oppositum facit, jam interrupta manet consuetudo. Hujusmodi tamen actus singularium personarum possunt dici actus communitatis, quia fiunt ab illis singularibus ut à civibus, seu partibus communitatis, in ordine ad bonum commune, & de communitatis consensu. Unde si singulares deficiant aliquando à consuetudine, communitate non consentiente, non interrumpitur consuetudo. Et in hoc sensu verum est, quod actus interrumpens debet esse actus communitatis, quia non interrumpit nisi sciente, & consentiente communitate. 118

Limitatur etiam posita regula, quando actus contrarii consuetudini datur certa causa, ex qua habetur, quod actus contrarius nō fuit habitus ex voluntate interrumpendi consuetudinem. Et ideò Tabien. *v. consuetudo, num.* 9. ait non interrumpi consuetudinem ex actu contrario facto ex gratia. Addit etiam, quod uno actu contrario non interrumpitur consuetudo tendens ad favorem causæ piæ, quod verificari potest ex eo, quod non præsumatur actum habitum ex voluntate non prosequendi consuetudinem. Nam aliàs consuetudo semper interrumpitur ex actu contrario facto ex voluntate non continuandi consuetudinem inceptam. 119

Hæc tamen intelligenda sunt de consuetudine nondum inducta. Nam postquam est inducta non tollitur nisi per legem, aut per contrariam consuetudinem. 120

Dubitatur decimò, in quo genere causæ hæc actuum continuata frequentia, quæ est consuetudo facti, causet consuetudinem juris, seu jus illud, quod est lex non scripta? Respondetur quod est causa dispositiva materiæ, ut sit apta materia legis, & ideò ad genus causæ materialis reducitur. Hoc colligitur ex illis verbis D. Thom. *p. 2. qu. 97. art. 3. ad secundum: Nisi fortè per hoc solum inutilis lex videatur, quia non est possibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim est consuetudinem multitudinis removere.* Consuetudo igitur facti reddit legis materiam facilem, & convenientem moribus gentium, & sic illam disponit, ut sit apta materia legis. 121

SVMMARIVM.

122 *Textus ex D. Th. adducitur.*
123 *Consuetudo inducitur dispositivè, & auctoritativè.*
124 *Solus, qui potest legem condere, potest auctoritativè consuetudinem inducere.*
125 *Communitas subdita inducit consuetudinem dispositivè.*
126 *Sola communitas libera inducit consuetudinem auctoritativè.*
127 *Amentes &c. auctoritativè non possunt inducere consuetudinem.*
128 *Solam consuetudinem perfectam posse inducere consuetudinem quidam dicunt.*
129 *Omnis communitas potest dispositione consuetudinem inducere.*

130 *Cle-*

130 *Clerici inducere possunt consuetudinem.*
131 *Et laici.*
132 *Et mercatores.*
133 *Et moniales.*
134 *Et familia.*
135 *Et pars populi.*
Et Oppida, & Villula.
136 *Privatum non posse inducere consuetudinem, quidam dicunt.*
137 *Privata persona non potest inducere consuetudinem universalem.*
138 *Potest dispositivè inducere consuetudinem privatam.*
139 *Sæpè consuetudine præscribitur jus alterius: sed tunc præscriptio se habet, ut dispositio ad consuetudinem, quæ est simpliciter prior præscriptione.*
Episcopus consuetudine obtinuit posse corrigere sine consilio Capituli.
140 *Habentes usum rationis consuetudinem inducere possunt.*
141 *Nullus pro alio potest consuetudinem inducere, sed ejus communitatis est necessarius consensus, quæ subjecta esse debet consuetudini.*
Sufficit consensus majoris partis.
142 *Non sufficit consensus superioris.*
143 *Populo contradicente non inducitur consuetudo.*
144 *Non sufficiunt plures actus ejusdem ad inducendam consuetudinem.*
Consensus tacitus populi quando sufficiat.
145 *Consuetudo incipit præscribi à tempore, quo totus populus consentit.*
146 *Consensus populi est causa formalis dispositiva legis.*

ARTICULUS IV.

Quis possit consuetudinem juris inducere.

122 HUic difficultati satisfit ex eo, quod habet D. Thom. *p. 2. quæst. 97. art. 3. ad tertium*, ibi: *Dicendum quod multitudo, in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera multitudo, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quàm auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis: unde licèt singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem à superiori potestate positam removendi; tamen ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Ex hac doctrina faciliter intelliguntur ea multa, quæ de causa consuetudinis habent jurisperiti, & sine difficultate quæstio posita explicatur.

123 Primò enim ex hac D. Thom. doctrina habetur distinctio omninò necessariò præmittenda, quia nimirum inducere consuetudinem, contingit dupliciter, scilicet auctoritativè, & dispositivè. Seu dando formam juris ipsi consuetudini, vel disponendo materiam, ut ad præfatum jus sit disposita. Lex enim formalem essentiam habet à voluntate legislatoris, & ejus auctoritate. Nam lex non est nisi dictamen in mente legislatoris existens, quod est agendorum à subditis regula, & mensura, & quod ex ipsius legislatoris voluntate habet vim, & efficaciam obligandi subditos ad hoc, ut juxta illud dictamen operentur. Is ergo solus auctoritativè dat consuetudini vim legis, qui legem potest condere, & hic dat legi id, quod in ea est formale, quod scilicet est eam esse regulam, & mensuram actionum subditorum. Sed is inducit consuetudinem dispositivè, qui licèt non habeat facultatem condendi legem, & dandi consuetudini jus, seu esse mensuram agendorum, tamen ad hoc disponit, & præparat materiam, ut sit apta ad recipiendum jus legis ab eo, qui potest legem condere.

124 Dicitur igitur ad quæstionem, qnod consuetudinem juris auctoritativè, & formaliter solus legislator potest inducere, quia cùm consuetudo juris sit lex non scripta, solùm ille potest inducere consuetudinem, qui potest condere legem. Dicitur secundò, quod sola illa multitudo populi potest auctoritativè, & formaliter inducere consuetudinem juris, quæ est libera taliter, ut possit legem sibi ferre, quia solius legislatoris est juris consuetudinem inducere.

125 Dicitur tertiò, quod multitudo potest dispositivè inducere consuetudinem juris, quia ipsa consuetudo facti, quæ est frequentia actuum, si sit rationabilis, & utilis communitati est materia disposita, ut fiat consuetudo juris, & transeat in legem. Et dicitur quartò, quod multitudo quælibet ex hoc præcisè, quod frequentando actus similes inducit consuetudinem facti, non inducit consuetudinem juris, nisi dispositivè, quia consuetudo facti non est lex, neque necessariò infert legem. Et ita quod, etiam si sit rationabilis, & summè utilis, non per hoc est lex, & regula morum, nisi legislator ex sua voluntate, & approbatione vim legis illi tribuat. Hæc quidem ex data doctrina D. Thom. deducuntur, & communiter approbantur.

126 Si igitur quæratur, an omnis multitudo possit inducere juris consuetudinem? Respondetur, quod auctoritativè, & formaliter sola multitudo libera, quæ habet facultatem condendi leges potest hanc juris consuetudinem inducere. D. Thom. loco citato, & ibid. Conrad. Med. Martinez, Serra, & alii Expositores. Panorm. *d. cap. fin. num.* 8. D. Ant. *p. 2. tit.* 16. Silvest. *v. consuetudo, num.* 5. Tabien. *num.* 2. Sot. *de just. lib. 1. quæst. 7. art.* 1. Suarez *de leg. lib. 7. cap.* 9. Palaus *tract.* 3. *d.* 3. *part.* 3. Bart. Jason. & alii *ad l. de quibus, ff. de leg. & ad l. 2. C. quæ sit long. consuet.* Panorm. Rochus, & alii *ad cap. fin. de constit.* Felin. *cap. quæ in Ecclesiarum, de Constit. & cap. Accedentes de Præscript.* Navar. Com. de Spol. §. 14. *num.* 6. Tiraquell. *de jure primog. qu.* 16. unde Jo. Andr. *tract. de consuet. post cap. final. de consuetud.* hac ratione in definitione consuetudinis ponit debere esse jus populi, qui propria auctoritate leges condere possit.

127 Quod verò dicitur, non convenire omnibus de populo consuetudinem inducere, sed excludi dementes, furiosos, minores 25. annis, forenses, mulieres, & hujusmodi, ut dicunt Silvest. *v. consuetudo, num.* 7. Tabien. *n.* 10. Armill. *num.* 5. & ex Canonistis, & Juristis, Butrios, *cap. final. n.* 40. *de consuet.* Præpos. *cap. frustra* 8. *dist.* Felin. *cap. quoniam, num. 4. de test.* Panorm. *cons. 53. l.* 2. Bart. *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* Feder. de Sen. *cons.* 65. Soccin. Sen. *cons. 7. n.* 8. Antonius Piaggius *de consuet. quæst. 7. num.* 3. Est indubitatum quantum ad amentes, & infantes, qui non habent rationis usum. Sed & est verum de omnibus illis nedum mulieribus, & minoribus, sed etiam viris, & majoribus, qui votum non habent in condendis legibus, & suo consenso non possunt consuetudini vim legis tribuere. Quod si alicui ex illis, ut puta mulieribus competat jurisdictio, & potestas leges ferendi, sicut Reginæ habent, istis proculdubio competit facultas inducendi juris consuetudinem. Butr. *d. cap. fin. num.* 44. Piaggius *d. quæst. 7. num.* 8.

128 Si verò quæritur secundò, an omnis multitudo possit dispositivè saltem juris inducere consuetudinem? Suarez *l. 7. de leg. cap.* 9. quem sequitur Palaus *tract. 3. d. 3. p. 3. num.* 2. dicunt, quod sola communitas perfecta potest inducere consuetudinem. Vocat autem communitatem perfectam illam, quæ sit capax potestatis legalis, vel saltem ut vera lex ipsi possit imponi. Probat verò, quia solius communitatis potentis condere leges est inducere consuetudinem, ad hoc verò sufficit, ut sit capax potestatis activæ leges ferendi. Sed primò positio ista in se ipsa contradictoria implicat. Nam si loquitur de inducenda consuetudine juris auctoritativè, implicat, quod sola capacitas facultatis condendæ legis ad hoc sufficiat, quia implicat actu causare, & actu non habere potestatem causandi, & sic sola illa universitas potest actu juris consuetudinem auctoritativè inducere, quæ actu potest leges condere. Si autem loquitur de inductione consuetudinis dispositiva, distinctio non subsistit. Nam si ad communitatem perfectam sufficit, ut passivæ sit capax legis, ut dicunt Suarez *num.* 10. & Palaus *num.* 4. Martinez de Prado *cap. 3. quæst. 14. num.* 19. & Diana *d. tr.* 5. *resol.* 14. nulla est prorsus communitas, quæ passivè non sit capax, ut ei vera lex imponatur, & ita omnis communitas est communitas perfecta.

129 Dicitur propterea, quod omnis communitas, quæcumque illa sit, etiam si sit simplex familia potest dispositivè inducere consuetudinem, quæ à legislatore possit approbari, & ad legem elevari. Quia ad hoc sufficit consuetudo facti rationabilis, omnis verò multitudo potest inducere rationabilem facti consuetudinem. Nec obstat, quod inducere consuetudinem sit habentis facultatem leges ferendi, quia

hoc

hoc est verum de inducente consuetudinem formaliter, & completè, & auctoritativè, aliàs verò ad inducendam illam dispositivè, & materialiter sufficit præbere id, quod est materiale, & hoc est consuetudo facti, quæ sit rationabilis.

130 Et huc confirmant exempla allata à Suarez. Quia communitas Clericorum non potest contra Canones condere leges, *cap. Instituimus 25. quæst. 4.* & tamen potest inducere consuetudinem, *cap. fin. de constit.* Fermos. *in rubr. de consuet. quæst. 2. num. 26.* Sic enim latius patet facultas inducendi consuetudinem, quàm condendi leges, non ex speciali concessione juris, & Pontificum, ut potuisse esse, ait Suarez, sed quia posse inducere consuetudinem, quæ non habeat vim legis, nisi ex superioris approbatione, convenit cuicumque, qui consuetudinem facti rationabilem potest inducere.

131 Sic urget secundùm exemplum, quia laici possunt in materia spirituali inducere consuetudines jejunandi in Dei honorem, colendi aliquod festum, & tamen sunt incapaces ferendi leges spirituales. Et sic dum dicit Suarez, quod sunt passivè capaces legis spiritualis, & hoc sufficit, jam ergo sufficit, ut quis possit consuetudinem facti inducere, quæ sit capax, ut possit elevari in legem, quod potest facere omnis communitas.

132 Item tertiò communitas mercatorum potest inducere consuetudinem, juxta Bart. & alios *in l. 2. C. de const. pecun.* Martinez de Prado *cap. 3. quæst. 14. num. 20.* Diana *d. tract. 5. resol. 14.* Palaus *tract. 3. d. 3. p. 3. num. 6.* & tamen non potest leges condere. Et sic dum Suarez *num. 11.* ut hoc explicet, ait, quod ad inducendam consuetudinem sufficit, quod inducens sit capax legis, accedente consensu tacito Principis, vel Prælati, benè dicit; sed hoc convenit omni communitati.

133 Et ideò est quartum exemplum fœminarum, quibus non competit leges ferre, & tamen possunt consuetudinem juris inducere, ut de Monialibus sentiunt Bart. *in l. de quibus, ff. de leg. & l. 2. C. quæ sit longa consuet.* Palaus *tract. 3. disp. 3. p. 3. num. 6.* Salas *de leg. disp. 19. sect. 11. num. 90.* Diana *p. 6. tract. 5. resol. 14.* Montes. *p. 2. quæst. 97. disp. 23. quæst. 13. num. 220.* Fermos. *ad rubr. de consuet. quæst. 2. num. 31.* Et de mulieribus in universum advertit idem Fermosinus respectu eorum, quæ ad illos spectant, & ad quæ possunt se ipsas obligare, quidquid in contrarium dixerit Pasqual. *decis. 115. num. 1.*

134 Item quintò multos apud Tiraquell. *de jure primog. qu. 16.* dixisse, consuetudinem unius familiæ posse inducere legem in illa familia, refert idem Suarez *num. 8.* & id tenet Rochus *de consuet. sec. 4. num. 63.* & Barbosa *cap. fin. de consuet. n. 20.* ex Menochio, Velasco, & Cotta, quod admittit Fermosinus *d. quæst. 2. num. 27.* Id intelligens de consuetudine particulari, quæ scilicet illam solam familiam liget, & ideò idem Suarez *num. 11.* hoc sine solido fundamento negat, cùm sit manifestum Principem alicui familiæ posse imponere legem præcipientem, vel prohibentem aliquid. Et aliud est, quod lex imposita familiæ non liget alius, seu non obliget totam communitatem, aliud est, quod non sit lex obligans familiam, etiam in æternum; sicut ergo legislator potest familiæ imponere legem scriptam, ita approbando ejus consuetudinem potest ei vim legis non scriptæ tribuere.

135 Ex his verò colligitur, quod nedum civitas tota, sed etiam & pars civitatis, & parva oppida, & villulæ possunt hoc modo dispositivè, & accedente consensu legislatoris inducere consuetudinem. Piaggius *d. quæst. 7. num. 14.* qui opiniones contrarias super hoc puncto melius conciliasset dicendo, quod hujusmodi oppida, & villulæ non possunt propria auctoritate vim legis consuetudinis juris inducere, sed solùm auctoritate legislatoris accedente, quam dicere, prout dicit *num. 18.* quod possunt habere propriam consuetudinem immemorabilem, non autem aliam. Nam utramque habere possunt accedente legislatoris approbatione, sine qua nullam habere possunt. Et quod habet *num. 19.* scilicet quod valet consuetudo immemorabilis, etiam si inducta à non habente facultatem condendi leges, implicat in terminis, quia implicat esse effectum à non causa illius, & ideò implicat quod consuetudo sit lex, & sit lex ab eo, qui non potest legem facere. Et consuetudo facti durans per infinita secula, nunquam erit lex, nisi sit facta ab habente facultatem legis ferendæ.

136 Si tertiò, quis interroget an persona privata possit inducere consuetudinem? Tanquam rem indubitatam dicunt non posse, Suarez *d. cap. 9. num. 2.* Palaus *d. p. 3. num. 1.* Et cùm Suarez sibi objecerit primò, quod persona privata consuetudine acquirit privilegium, & quod eadem consuetudine potest se eximere ab obligatione legis communis, & quod cum Episcopus deberet in correctione subditorum uti Consilio Capituli, tamen excusatur consuetudine per *cap. Non est infra in hoc tit. & c. 1. infr. de Præscript.* Et amplius, quia lex potest tantum ex parte tolli, & sic per unius personæ consuetudinem potest legi derogari. Respondet ad primum hic non esse sermonem de privilegio, quod est lex privata, sed de lege non scripta, quæ habeat veram rationem legis. Et addit secundò privilegium præscriptione acquiri, non consuetudine propria. *Et in d. cap. Non est*, Pontifex forsan loquitur de præscriptione non de consuetudine. Et sic ad alia argumenta respondet, aliquem posse excusari à lege ex consuetudine non immediatè, & directè sed consecutivè ratione præscriptionis alicujus. Cæterùm impossibile est, quod privatus consuetudine legem deroget, quia non servando legem peccat, & consuetudo sic faciendi auget culpam, & hoc modo dicunt jura contra obedientiam non præscribi, *cap. Non liceat, de præscript.* Ubi Gloss. & alii id notant, quia non potest aliquis per inobedientium eximi ab obedientia.

Sed si hæc probant, simul probant, quod consuetudine non possit legi derogari; quia sive sit privata persona, sive sit communitas, quæ legem non servat, peccat, & consuetudo culpam auget, & per inobedientiam non potest quis se eximere ab obedientia. Dicendum igitur est personam privatam non posse auctoritativè inducere legem, cùm non habeat jurisdictionem, & quia nullus potest sibi legem imponere, nec in se ipsum propriè jurisdictionem habere. Pariter dicendum est privatum hominem nec dispositivè posse inducere consuetudinem universalem obligantem communitatem, quia consuetudo est lex essentialiter præsupponens consensum illius, quem obligat, privatus verò non potest pro alio consentire, si non sit procurator illius ad hoc institutus, ut vices illius repræsentet. Et in hoc sensu vera est sententia communis, quod privatus consensus non valet ad inducendam consuetudinem, quod probat Pasqual. *decis. 491. num. 3.* & dixerat Rota *decis. 112. num. 6. part. 2. recent. & decis. 162. num. 12.* coram Greg. XV. quia privatus consensus non redundat in alios. Et ideò etiam si in civitate singuli, ut singuli consentirent, non inducerent consuetudinem. Et ad hoc facit doctrina illa Bellam. *dec. 626.* qua utitur Fermosinus *in præmiss. ad rubricam de consuet. num. 9.* & quæ est communis, scilicet, quod in juribus concernentibus singulos, ut tales, & non ut universos, unus non potest alteri nocere, & ideò ab usu, & consensu singulorum, ut singulorum non potest induci consuetudo, quæ obliget omnes. 137

Sed nihilominus loquendo de lege privata, qualis lex est privilegium, vel dispensatio particularis, dicendum est privatum suo usu frequenti, & consuetudine privata facti posse dispositivè inducere jus, seu juris privatam consuetudinem. Et primò, quod privata persona possit inducere consuetudinem dispensantem illum à lege per actus bonos. Potest enim esse, quod lex sit talis, quod persona hæc necessitetur sæpiùs, ni per epiichiam agat contra verba legis, & potest simul esse, quod legislator hoc videns, & considerans melius esse, cùm tali dispensare in lege, id faciat, & sic quod ex vi frequentis usus contra verba legis tamquam ex dispositione obtineat dispensationem. Sed & per malos actus id potest dispositivè obtineri. Nam dato etiam, quod persona pessima sit, & pessimè operetur contra legem, nec legem servare velit, illamque contemnat; hic contemptus ipse aliis circumstantiis adjunctis potest esse occasio, unde Princeps ex nullitate boni communis, inde consurgente, melius judicet dispensare cum illo in lege, & sic de facto dispenset. Sed considerata etiam lege, ut est inductiva obligationis, certum est, quod in persona privata potest esse consuetudo facti, & usus frequens alicujus operationis bonæ. Nec impossibile est, quod in tali sit intentio sic operandi ex obligatione, si superiori eam placeat imponere. Nec verò impossibile est, quod superior legem imponat approbando usum illum. Potest igitur privata persona inducere privatam juris consuetudinem, illum tantum obligantem. Et hæc consuetudo dici poterit specialissima juxta distinctionem Hostien. suprà *art. 2.* explicatam. 138

Quam-

139 Quamvis verò sit verum, & sæpè accidat, quod consuetudo non habeat vim legis, nisi accedente præscriptione, tamen consuetudo directè derogat legi dispositivè, & præscriptio materialiter se habet ad derogationem legis, & simpliciter loquendo per prius derogatur legi, ut in proposito exemplo *ex d. cap. non est*, etiam concesso, quod capitulum haberet proprium jus ex jure communi, ut Episcopus sine ejus consilio non corrigeret, Episcopos consuetudine & præscripsit contra Capitulum, & derogavit juri commuoi. Et quidem præscriptio fuit dispositio, unde juri communi derogaretur, & tamen si vigeret lex præscriptio inutilis esset, lege exigente consilium illud; ideò per prius simpliciter fuit, quod Episcopus coosuetudine derogaret juri communi, quam quod validè contra Capitulum præscriberet, licèt in genere causæ materialis prius sit præscriptio, quàm legis derogatio. Episcopus igitur & præscripsit contra Capitulum, & derogavit juri communi, & quidem principaliter, & directè, quia cousuetudine sua directè, & principaliter disposuit materiam, ut adveniente consensu Papæ, consuetudo obligaret: sed videantur quæ ad illud *cap. inf.* adnotantur. Sed *& ex cap. cum contingat, de for. compet.* habetur expresè, quod consuetudine potest privatæ personæ acquiri jurisdictio, ut ibi adnotarunt Hostien. *num.* 3. Jo. Andr. *num.* 10. Imol. *num.* 6. Panorm. *num.* 5. Archid. *in cap. conquestus 9. quæst.* 3. & Gloss. *in cap. Romana in v. consuetudine, inf. de appellat.* & post alios R. P. D. Fagnan. *ad d. cap. cum contingat, num.* 12. Personæ verò privatæ coosuetudine privata, & sibi propria acquiritur jurisdictio.

140 Extenduntur verò suprà dicta, ut respectu habentium rationis usum liberum non sit danda limitatio, & quod hoc modo dispositivè, & mulieres, & minores, & forenses in iis, quæ illorom sunt, possunt dispositivè consoetudinem inducere, ut de mulieribus, quæ sint de Collegio per eas administraro dixit Piaggius *de consuet. quæst.* 7. *n.* 9. & Celsus Ugo *cons.* 64. *num.* 12. & de Obstetricibus, & aliis quantum ad ea, quæ spectant ad illarum artem, idem Piaggius *n.* 10. & Roch. *d. cap. fin. sect.* 4. *num.* 55. & de Monialibus Suarez *l.* 7. *cap.* 9. *num.* 11. Salas *disp.* 19. *de leg. sect.* 11. *n.* 91. Bonac. *de leg. d.* 1. *quæst.* 1. *punct. ult.* §. *v. n.* 15. Palaus *tract.* 3. *disp.* 3. *part.* 3. *num.* 15. Quod verò Fermosinus ubi suprà *qu.* 2. *n.* 31. ex Narbona, & Villalobos à facultate inducendi consuetudinem excludat nedum infantes, sed etiam adolescentes ante 21. annum non admittitur: tum quia non ipsi soli, sed simul com viris, & senibus ad consuetudinem inducendam operantur, at verò pueri à tempore usus rationis, si non habent prudentiam, ut se in arduis dirigant, sunt tamen capaces, ut dirigantur ab aliis. Tum quia, qui est capax usus rationis, non est incapax, ut per opera sua se disponat ad id, quod non potest consequi nisi à prudentia legislaroris. Soli ergo infantes, & usu rationis carentes, non possunt inducere consuetudinem.

141 Sic igitur cùm possit induci consuetudo ab omnibus, qui usu rationis pollent, hoc tamen est verum, quod nullus pro alio potest consuetudinem inducere, & ideò semper requiritur consensus omnium, & singulorum, pro quibus consuetudo induci debet, seu qui consuetudini subjiciendi sunt ut si totum regnum inducere velit consuetudinem, omnes, & singuli de illo regno consentire debeant, si Diœcesis omnes & singuli de Diœcesi, si oppidum, omnes & singuli de oppido, & sic de aliis communitatibus dicitur. Et non sufficit, quod consentiant singuli, ut tales individualiter, sed ut partes illius communitatis, pro qua consuetudo induci debet, ut probat Pasqualig. *decis.* 491. Et quia consuetudo lex est, lex verò respicit bonum, & utilitatem communem; ideò qui consentiunt intuitu boni communis consentire debent. Verum tamen est, quod in communitatibus, id censetur factum ab omnibus, & singulis, quod est factum à majori parte, *l. Quod major. ff. de munic.* ideò ad inducendam cousuetudinem consensus majoris partis sufficit, ut sentiont coiomuniter DD. *in l.* 2. *C. quæ sit longa consuet.* ubi Bart. *num.* 12. Roch. *in rubr. de consuet. num.* 17. Silvest. *v. consuetudo n.* 7. Tabien. *n.* 10. Armill. *n.* 5. Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 9. *num.* 12. Salas *de leg. disp.* 19. *sess.* 6. *num.* 60. Palaus *tom.* 9. *tract.* 3. *disp.* 3. *part.* 3. *num.* 5.

142 Sufficere verò etiam consensum Regentium universitatem ex Rocho *sect.* 4. *num.* 6. affirmat Piaggius *de consuet. quæst.* 5. *num.* 2. Quod tamen habet difficultatem, nisi Regentes habeant ad hoc speciale mandatum. Sed & ubi consuetudo sit de actibus, ut exercendis ab illis, qui sunt de universitate, sicut ex eorum usibus, & moribus induci debet consuetudo, ita eorum consensus requiritur. Ideò nec in Regularibus, ubi Prælati habent in manibus velle subditorum, ad inducendam consuetudinem obligantem subditos, sufficit consensus Prælatorum, quia natura consuetudinis hoc petit, ut sit lex originem trahens à voluntate eorum, qui illi subjiciuntur. Et Prælati possunt quidem per leges obligare subditos, non tamen possunt eos ligare per consuetudinem, nisi consuetudinem ab eis liberè inductam approbando. Et sic servanda est hæc regula, quod in his, quæ agenda sunt per subditos ex vi consuetudinis, eorumdem subditorum est oecessarius consensus, juxta materiæ & actionum exigentiam, ut per tales actiones induci possit consuetudo. Ut v. g. si Regentes velint inducere consuetudinem, ut aliquis officialis aliquid agat, & alicujus jurisdictionis actum exerceat, opus est, ut ille officialis tale opus exerceat, & publico nomine agat.

143 Si etiam populus resisteret, & tamen acquiesceret sententiæ, consuetudo induceretur secundùm Anton. *cap. fin. de consuet. num.* 30. quem sequitur Piaggius *d. quæst.* 5. *num.* 5. subdeos ex eodem *num.* 31. secus esse dicendum, si sententiæ sunt rescissæ, nisi facta sit rescissio ratione minoris ætatis, quia hoc præjudicaret. Sed si loquamur de consuetudine jam introducta, & de ea sit dubium, & lis & populus contradicat, & intendat consuetudinem non adesse, si per judicem competentem decernatur consuetudinem adesse, populus contra quem lata est sententia velit, nolit, debet acqoiescere, si sententia transit in judicatum. Ubi tamen agitur de consuetudine introducenda, non potest invito populo introduci; quinimò per unum actum in contrarium consuetudo jam inchoata interrumpitur, ut dictum est artic. soprà.

144 Quod etiam idem Piaggius habet *ibid. num.* 5. quod scilicet consensus tacitus populi colligitur tunc, cùm multis infinitisque personis præsentibus factum quid ostenditur, non sine consideratiooe admittitur. Nam ad inducendam consuetudinem universalem non sufficit actus unus, seu etiam non sufficiunt actus plurimi ejusdem hominis, licèt facti coram toto populo, & infinitis populis, eisque etiam expresè consentientibus. Per actus enim unius personæ populi consuetudo non inducitur, ut dixit Rota *decis.* 112. *num.* 6. *part.* 2. *recent. & decis.* 162. *num.* 12. coram Greg. XV. Nihilominus tamen potest esse, quod aliquid conveniat populo ut exercendum per unum, ut v. g. habere votum in aliqua Provinciæ electione, & tunc sufficeret actus personæ unius frequentatus ad inducendam Civitatis & populi consuetudinem, & tunc consensus tacitus Civitatis colligi posset, ex eo quod hujusmodi actus haberetur coram populo, seu esset populo notorius. Et de hujusmodi, quæ ita sunt populi, quod exercenda sunt solùm per unum, vel duos, vel certam partem populi, intelligendum, quod ait Silvest. *v. consuetudo, num.* 7. scilicet sufficere, quod communitas viderit, & approbaverit usum.

145 Sed quid dicendum, si consuetudo ortum habeat à paucis, & successivè plures concurrant, & tandem major pars populi accedat, & usum approbet, & illi consentiat: numquid hoc sufficiet ad inducendam consuetudinem, si v. g. solùm circa finem decem annorum populus acquiescat consuetudini, & in eam consentiat? Respondetur non sufficere, sed oecesse esse, quod per totum tempus necessarium ad præscribendam consuetudinem populus ex illius intentione agat. Et in iis, ad quæ singulæ personæ obligandæ sunt, seu quæ per singulos sunt exercenda, necesse est ut saltem major pars ex intentione coosuetudinis operetur. Et semper decem annorum, vel quadraginta necessarium ad præscribendum, incipiet ab eo tempore, quo populus incœpit agere ex consuetudinis intentione. Nisi ut infrà dicetur, ante tempus præscriptionis, Princeps consuetudini consentiret, & de ejus consensu constaret, quia tunc non est necesse expectare tempus præscriptionis.

146 De hoc consensu verò Anton. Piaggius *d. quæst.* 5. *num.* 7. ex Bal. *in l. de quibus, num.* 64. *ff. de leg.* ait, quod sit causa formalis consuetudinis, & hoc beoè intellectum est verum, nimirum si intelligatur de causa formali dispositiva. Nam multitudo actuum ad consuetudinem juris inducendam materialiter se habet, & solum eam inducere potest inquantum actus sunt humani, & voloorarii, & propterea consensus populi est veluti forma, per quam consuetudo facti habet, ut sit capax transeundi in consuetudinem juris.

Cæte-

Cæterùm causa formalis constitutiva consuetudinis in eo, quod sit jus, & lex non scripta, non est nisi lex ipsa, quæ est forma dans consuetudini vim obligandi.

SVMMARIVM.

147 *Consuetudo inducta per errorem est nulla.*
148 *Quidam tenent oppositum.*
149 *Consuetudo ex errore proveniens non irritat legem.*
Consuetudo ex errore facti nulla.
150 *Etiam consuetudo ex errore juris est nulla.*
151 *Intellectus l. 39. ff. de leg.*
152 *Non omnis ignorantia consuetudini repugnat.*
153 *Exempla consuetudinem ex errore.*
154 *Durante errore factum ex eo, non revocatur.*
155 *Ex metu non inducitur consuetudo.*
156 *Consuetudo non se extendit ad casus similes.*
157 *Nisi per modum exempli.*

ARTICULUS V.

Utrùm consuetudo inducta ex populi errore sit valida.

147 Videtur, quod ex hucusque probatis, hæc difficultas sit soluta, quia cùm consuetudo, ut obtineat vim legis, debeat esse voluntaria, at verò non sit voluntarium, quod vel nescitur, vel ex errore provenit, sequitur necessariò, quod consuetudo inducta ex errore sit invalida prorsus, & nulla. Et verè sic est. Hæc enim est essentia consuetudinis, ut sit lex ortum, & initium habens à moribus utentium. Et licèt, ut videbitur sit necessarius etiam legislatoris consensus, tamen hic supponit consensum populi, quia consuetudo cùm sit essentialiter lex inducta ex actibus subditorum, in hoc differt ab aliis legibus, quod ejus initium sit à populo. Ideò artic. super. dictum est populi consensum esse formalem causam dispositivam, ut consuetudo fiat lex. Unde pro certo habendum est, quod cùm sine scientia non sit consensus, per actus ignoranter, vel ex errore habitos non inducitur consuetudo legitima. Gloss. *in cap. fin. de consuet.* & ibi Card. Gloss. *in cap. frustra dist. 8.* Innoc. *in rubr. de consuet. num. 4.* Gloss. & Bart. *in l. 2. Cod. quæ sit longa consuet. qu. 17. in fin.* Bald. *in l. de quibus de leg. in 5. oppos.* Silvest. *v. consuetudo num. 7.* Suarez *l. 7. de leg. cap. 12. num. 2.* Martinez de Prado *cap. 3. quæst. 13. n. 17.* Diana *p. 6. tract. 5. resol. 9.* Fermosinus *ad rubr. de consuet. quæst. 2. num. 3.* post Innoc. *in rubr. de consuet. num. 4.* Donatus *p. 1. tract. 1. quæst. 22. n. 4.* Palaus *tr. 3. d. 3. p. 2. §. 3. num. 11.* Et probatur. Nam vim consuetudinis consistere in consensu populi habetur *ex l. de quibus, & ex l. sed & ea, & l. imo, ff. de leg.* Eamque debere esse ex ratione dicit, *l. 2. Cod. quæ sit long. consuet.* nec ratio verò, nec consensus stat simul cum ignorantia, vel errore.

148 Nihilominus multi oppositum sentiunt moti, *ex l. 39. ff. de leg.* ubi sic dicitur: *Quod non ratione introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinet.* Ex hoc enim textu colligi videtur consuetudinem sine ratione ex errore inductam esse validam, circa illam materiam, circa quam inducta est. Propterea distinguunt multi inter consuetudinem inductam ex scientia, & inductam ex errore, quod illa etiam ad casus similes extenditur, non verò ista, quæ tamen est valida in ordine ad propriam materiam. Ita sentiunt Bartol. *in l. de quibus num. 5. & in l. Diuturna, ff. de leg. & in l. 1.* cum Gloss. *C. quæ sit long. consuet.* ubi Bald. & alii Panorm. *cap. fin. de consuet. num. 12.* & ibi Butr. & Rochus, alios etiam allegans.

149 Sed hæc sententia ex propriis principiis impugnatur, & falsa probatur. Nam primò illi assertionem limitant, ut non procedat in consuetudine, quæ est contra legem. Ita Bartol. citatus, & alii antiqui. Quia si populus ex errore faciens contra legem, non habet animum derogandi legi, & sic illi non derogat. Secundò loquendo etiam de consuetudine præter legem Bartolus, & alii dicunt errorem facti vitiare consuetudinem, & sic assertio reducitur, ut sit vera solùm de errore juris.

150 Jam verò ex his primò patet hanc assertionem nullum fundamentum habere *in d. l. 39.* quia non est unde dicatur, quod illa lex intelligi debeat de solo errore juris. Sed propterea militat ratio, non enim voluntario minus repugnat error juris, quàm error facti, cùm voluntarium in nullo casu possit esse circa ignoratum, & sic sicut si errans consuetudo sit contra legem, non derogat legi, quia cùm sit ex errore non potest esse ex intentione derogandi legi; ita in qualibet alia consuetudine evenict, quod si sit ex errore, non poterit obligare, quia consuetudo non fuit ex intentione se obligandi. Quod in errore juris explicatur. Nam in illis, quæ sunt præter jus, non potest error juris contingere, nisi quia id ex errore judicetur esse prohibitum, vel judicetur esse præceptum. Si detur primum, constat, quod operantium intentio non est inducere jus novum, sed est derogare juri prohibenti, cui tamen nec etiam derogatur, quia nullum jus adest. Quod si error secundò modo contingat, minus potest induci consuetudo, quia tunc agens agit ex intentione servandi præceptum, quod adesse putat, ex obedientia verò non inducitur nova lex præcipiens, seu consuetudo juris ex vi novæ legis non scriptæ obligans. Quod si agens errat credens ex operibus non induci obligationem, multò minus eam inducere potest, quia illam non intendit, si ignorat illam induci, si agat. Nec etiam eadem ratione valida esset obligatio, si ex errore judicaret illam induci, ubi non potest induci, quia non potest agens inducere obligationem, si induci non potest, & tandem non est consensus, ubi adest error, ut est communissimum Theologorum, & Juristarum principium.

151 Lex autem illa 39. *quod non ratione, ff. de legibus* exponitur, ut textus per illa verba *in aliis similibus non obtinet*, voluerit significare, quod detecto errore illa consuetudo non durat, nec potest extendi ad actus similes, ad quos prius ex errore extendebatur. Et sic ex illo textu oppositum illius opinionis deducitur, scilicet, quod consuetudo ex errore inducta non est valida, unde errore cognito, illa evanescit.

152 Non tamen omnis ignorantia consuetudini repugnat, sed solùm illa, quæ est circa substantialia illius, & quæ tollit consensum in substantiam consuetudinis, Panorm. *d. cap. fin. num. 12.* non verò si error sit circa accidentalia, & extrinseca. Sic error circa causam impulsivam non tollit vim consuetudinis, quia non est circa substantiam illius, & ex quacumque occasione, quis assueverit alicui actioni, si id fecit ex intentione se obligandi, manet obligatus, licèt in motivo impulsivo erraverit. Suarez *d. cap. 10. num. 9.* Cæterùm ubi ignorantia, vel error sit circa substantialia, etiam si sit concomitans videtur, quod sufficiat, ut ex illo errore inducta consuetudo non valeat; quia actus ignoranter factus non est voluntarius, consuetudo verò ex actibus voluntariis inducitur. Hoc tamen, quod de errore concomitante dicitur, non admittitur præcipuè in consuetudine exemptiva. Cur enim non sufficiet virtualis intentio, quæ est in errante concomitanter, & per quam errans intendit se eximere ab obligatione legis per actus, quos alius, quantum ad actuum substantiam scienter, & voluntariè habet.

153 Propterea si consuetudo fuit inductiva, quia credebatur tale, vel tale opus non esse prohibitum, eo ipso, quod constaret esse prohibitum non valeret consuetudo, quippè quæ ex errore inducta est. Similiter si esset inducta consuetudo celebrandi festum alicujus Sancti in aliquo oppido, quia populus existimabat esse ibi sepultum ejus corpus, ita ut hæc fuerit adæquata causa celebrandi, si constaret eam fuisse deceptionem, quia Sancti corpus non fuit ibi sepultum, consuetudo non subsisteret. Fermosinus *d. quæst. 2. num. 7.* post Suarez *l. 7. de leg. cap. 12.* & Gordon. *in sum. tom. 1. l. 2. quæst. 14. cap. 5.* Item si consuetudo sit aurigam non esse obligatum de periculo vini, quod in plaustro defert, si Dominus vini plaustrum comitatur, eo quod existimet nullum jus habere, nulla est consuetudo, quia fundamentum illius est error, quo cessante evanescit consuetudo. Ita Fermosinus *d. qu. 2. num. 8.* ex Panorm. *d. cap. fin.* & Palaus *tract. 3. disp. 3. p. 2. §. 3. num. 11.* Pariter si populus consuevit non extrahere frumentum à Civitate, quia credebat id sibi esse prohibitum, non obligans est consuetudo, quia actio non fuit facta animo inducendi consuetudinem, sed animo observandi legem. Diana *d. p. 5. resol. 9.* Fermosinus *d. quæst. 2. num. 9.* Suarez *d. cap. 12. num. 5.*

154 Quod verò fit ex metu, licèt sit simpliciter voluntarium, nec sit ex natura rei nullum, tamen ex actibus metu factis non potest induci consuetudo, quia tales actus, cùm fiunt ex metu, non fiunt ex intentione se obligandi, seu inducendi con-

consuetudinem. Suarez ubi suprà, Diana *d. part.5. resol.9.* Fermos. *d. quæst.2. nu.4.* Rota in Gienen. portionis 13. *Novembris* coram Buratto *p.1. decis.19. num.11.* Præpos. *in p.2. D. Thom. quæst.97. dub.1. num.6.* Granado *in p.2. D. Thom. contr.7. tr.3. p.2. disp.16. sess.2. num.16.*

155 Quod tamen ex errore factum fuit, & durante errore observatum fuit, non revocatur, *l.3. ff. de off. Prat.* propter publicam utilitatem, ut subveniatur illis, qui ex justo, & probabili errore decepti sunt, *l.3. §.1. ff. ad Macedon.* Fermosinus *dict. quæst.2. num.9.* Palaus *tract.3. d.3. part.2. §.3. num.11.*

156 Quantum verò ad id, quod asserebat præfata opinio, nimirum, quod consuetudo, quæ est ex scientia se extendat ad alios casus ex similitudine rationis, est contra illud notum, & universale principium, quod consuetudo est stricti juris, & quod tantum habet de vi, & efficacia, & effectu, quantum habet de actu, de usu, & proprio facto, unde terminos suos non potest excedere. Rota *in recentioribus decis.94. num.1. part.4. t.2. & ibid. decis.629. quæst.18. tom.3. & decis.513. n.13. part.5. & decis.214. n.19. p.7. & decis.127. num.10. part.8. & decis.411. num.9. part.9. & decis.226. n.2.* coram Seraph. Piaggius *de consuet. quæst.12. num.1.* ubi ad idem plurimos refert.

157 Per modum tamen exempli potest consuetudo una ad simile faciendum deservire. Et consuetudo unius loci potest in alio loco introduci populo illius loci eam præscribente, seu introducente ex sua voluntate, & legislatore consentiente.

SUMMARIUM.

158 *Consensus Principis necessarius ad consuetudinem juris.*
159 *Consensus personalis Principis quando necessarius.*
160 *Necessarium esse consensum personalem Principis plures affirmant.*
161 *Intellectus l. de quibus, ff. deleg.*
162 *Ex vi cap. fin. de consuet. ad consuetudinem sufficit, quod sit rationabilis, & præscripta.*
163 *Sola consuetudines irrationabiles reprobantur.*
164 *A consensu legali consuetudo potest habere vim legis.*
165 *Præscriptæ consuetudinis præsumitur tacitus consensus in Principe.*
166 *Consensus legalis est virtute specialis.*
167 *Cap. fin. de consuet. satis significat sufficere, quod consuetudo sit rationabilis, & præscripta.*
168 *Intellectus cap. Consequens, & cap. Nolite distinct.11. & 17.*
169 *Sufficit ad consuetudinem consensus legalis, 170.*
171 *Hoc non probatur ex cap.1. de consuet. in hoc 6.*
172 *Non est eadem ratio de præscript. & consuet.*
173 *Esse necessarium expressum Principis consensum, aliqui voluerunt.*
174 *Consensus tacitus æquiparatur expresso.*
175 *Consensus tacitus sufficit.*
176 *Non tamen sola tolerantia.*
177 *De jure civili ad consuetudinem sufficit consensus legalis. 178.*
179 *Si consuetudo sit prajudicialis juri Ecclesiæ servanda est constitutio 157. Vrban. VIII.*
180 *Etiam de jure Canonico ad consuetudinem sufficit consensus Principis legalis.*
181 *In immemorabili consensus adfuisse præsumitur.*

ARTICULUS VI.

An, & qualis consensus Principis sit necessarius ad consuetudinem firmandam.

158 Hoc primò est indubitatum aliquem Principis consensum esse necessarium ad hoc, ut consuetudo vim habeat; nequit enim esse lex sine legislatore. Et ita si multitudo inducens consuetudinem habeat facultatem condendi leges, ejus consensus sufficiet. Sed si hanc facultatem non habet, non poterit tribuere vim legis suæ consuetudini, sed semper remanebit pura facti consuetudo, non obligans, ad sui observantiam, donec ex voluntate legislatoris efficaciam recipiat. Et de hac *consuet. loquitur lex de quibus, ff. de legib.* Quod si suprema statuendi potestas in aliqua Republica sit posita in Senatu, tunc consuetudo illius vim legis non habebit, nisi accedente consensu Senatus, saltem per illius majorem partem præstitus, cùm reliqua Reipublicæ pars non habeat facultatem obligandi per leges.

Certum est secundò, & in eo conveniunt omnes, quod 159
quando communitas non habet facultatem leges ferendi, ubi consuetudo non habet efficaciam ex vi præscriptionis, & longitudinis temporis, sed ex præsumpto consensu legislatoris requiritur ejus consensus personalis; & non sufficit consensus legalis. Et tamen circa hoc considerandum, quod nedum quidam volunt, quod consensus Principis possit præsumi ex duobus actibus factis sciente Principe, quos retulimus suprà *art.3. num.113.* Sed ulterius dicunt sufficere si illos actus sciant Auditores Principis, & Officiales Pontificis, & Episcoporum. Ita enim voluerunt Rodriq. *tom.1. quæst.6. art.12.* Burgos de Pac. *in l.1. Tanti num.232. & 233.* Diana *part.1. tract.10. resol.7. in fin.* Fermosinus *cap. fin. de consuet. quæst.5. num.9.* Et quia scientia officialium noceat Principi, qui præsumitur scire, quod sciunt officiales ejus. Rota *decis.166. num.3. & 600. num.5. part.1. diverf.* Aymon. *de antiquit. tem. part.4. §. absolutis num.22,* Gratian. *tom.5. discept.965. num.8.* Garz. *de Benef. part.5. cap.5. num.8.* & apud istos Surd. Tiraq. Menoch. & Cassad. Sed ut loco citato dictum est, nec facilè est, ut ex duobus actibus Principis voluntas præsumi possit; Quod imò est impossibile, quando agitur de actibus exercendis à singulis de communitate, vel à majori parte eorum; sed hoc etiam dato, quod ex duobus actibus visis, & toleratis posset præsumi consensus; quod præsumatur Principem scire, quod sciunt officiales, esto concederetur verum esse in illis, quæ respiciunt personale præjudicium illius, & in ordine ad præscriptionem, non debet tamen concedi in ordine ad legem abrogandam, cùm in hoc attendi debeat utilitas publica; quod exigit propriam Principis scientiam, & voluntatem, cujus solius est leges condere, & abrogare. Ideò dicendum non sufficere scientiam Officialium Principis ad hoc, ut lex ante tempus præscriptum dicatur abrogata ex Principis scientia, & tolerantia. Posset verò hujusmodi doctrina facere ad alteram partem quæstionis infrà tractandam, ad hoc scilicet, ut consuetudo præscripta deroget legi. Sed amplius semper est considerandum, quod ad legem derogandam ex consuetudine non sufficit, quod Princeps oppositam consuetudinem sciat, & positivè toleret, sed requiritur consensus moraliter positivus, ut benè advertit Panor. *d. cap. final. num.13.* Et est sententia communis. Hinc in nostro casu nedum scientia ipsa Principis est necessaria, & non sufficit scientia officialium in foro externo, ut concessit Donatus *part.1. tract.1. quæst.23. num.9.* Sed etiam in foro conscientiæ.

Difficultas igitur est, an ubi consuetudo vim habeat ex 160
præscriptione temporis à lege determinati necessarius sit consensus personalis Principis legislatoris tunc regnantis, & gubernantis, vel potius sufficiat consensus legalis, datus per legem instituentem, quod rationabilis consuetudo præscripta per tempus determinatum decem, vel viginti, vel triginta, vel quadraginta annorum vigeat, & obliget, & efficaciam habeat. Esse enim necessarium consensum personalem Principis plures affirmant, scilicet Vasquez *p.2. disp.177. cap.2. num.20.* Pontius *lib.6. de matrim. cap.6. n.5.* Gabriel Martinez *part.2. quæst.93. art.3. dub.2. concl.4. §. ex quo sequitur.* Jo. Martinez de Prado *tom.1. Theol. mor. cap.3. quæst.14. num.10. juncto num.7.* Felin. *in cap. Cùm ex officiis num.8. de Præscript.* R. P. D. Fagnan. *cap. Vtrum autem, de cognat. spirituali num.18.* Idem tenent Archid. *infr. cap. Cùm de beneficio*, & ibi Domin. *num.6.* Franc. *num.4.* D. Anton. *part.2. tit.16. §.2.* Rota in Romana observationis contractus 23. *Octobris* 1551. coram Chusan. quæ est apud Verallum *decis.204. num.3. part.3.* & in Romana concordiæ S. Petri 12. *Februarii* 1610. coram Cavallerio, & in Treveren. Abbatiæ S. Maximini *die* 24. *Ianuarii* 1625. coram Coccino, quam refert Castell. *de elect. cap.4.* & particulam ejus habet Diana *part.4. tract.5. resol.13.* Citantur autem pro hac eadem sententia quam plures alii, qui vel eam non tenent, ut Gloss. *in §. leges instituuntur, distinct.4.* Silvest. *v. consuetudo, quæst.3. & 7.* Qui ibi oppositum tenent, vel loquuntur in communi, & dicunt requiri consensum Principis ad hoc, ut consuetudo habeat vim legis, sed non tractant quæstionem istam, an sufficiat consensus virtualis, & implicitus datus semel pro semper à lege.

Fundatur verò hæc opinio primò in *l. de quibus, ff. de legib.* 161
quam

quam Pontius sic ponderat, si enim actibus populi inducitur consuetudo, penes quem est potestas legem condendi; ergo est specialis consensus legis, non generalis. Verùm si fiat vis in illa lege potius probatur, quod Principis consensus nullo modo sit necessarius, quia id nimis clarè vult ille textus in §. *Inveterata*. Sed etiam si detur, quod ibi loquatur de populo libero, jam etiam manifestè patet, quod non valet consequentia, quæ procedit ab uno casu ad alium valdè diversum. Certè ubi populus liber suis actibus inducit consuetudinem, non est dubium, quod adest consensus personalis legislatoris, cùm ipsemet populus sit simul & agens liberè & voluntariè, & legem ferens independenter ab alio consensu. Ex hoc verò deducere ergo semper, & in omni casu est necessarius personalis consensus Principis legem approbantis, manifestum est, quod consequentia est inutilis. Nam non posset Princeps semel concedere populis alias non liberis facultatem condendi legem non scriptam, per consuetudinem? quid enim est in oppositum? Nam & ita de facto factum fuisse multi tenent, non est igitur de essentia consuetudinis quod Princeps eam approbet toties, quoties per consensum personalem, sed potest sufficere consensus legalis, quod verò de facto non sufficiat, hoc est probandum.

162 Argumentatur ille secundò, quia in *cap. fin. de consuetud.* solum traditur generalis doctrina, quæ explicat vim consuetudinis approbatæ à Principe. Verùm difficilè nimis erit persuadere, quod Gregorius IX. ibi loquutus fuerit ut simplex Doctor, & non ut legislator, ibi ergo decernit, quod consuetudo non derogat juri communi, nisi sit rationabilis, & legitimè præscripta, & hoc docet, & decernit ad consuetudinem hæc duo sufficere, quod scilicet sit rationabilis, & sit præscripta.

163 At objicit ampliùs. Nam consuetudinum aliæ à Principe approbantur, aliæ verò non, ergo ex vi universalis doctrinæ illius *cap. final.* non omnes censeri debent approbatæ: Sed dici poterit, quod etiam legum scriptarum aliquæ reprobantur. Consuetudinum verò multæ reprobantur, quia non sunt rationabiles, aut nondum præscriptæ, vel quia saltem minus utiles. Verùm dum sint rationabiles & præscriptæ nullæ non approbantur, & permittuntur, quia solæ reprobantur, quæ sunt nocivæ, aut inutiles, vel minus utiles. Et præterea ex hoc quod aliquæ non approbentur, hoc solum sequitur, quod sit in libertate Principis illas, non approbare. Cùm tamen à lege, & ideò à Principe, omnes illæ, donec reprobentur, censentur approbatæ, quæ sunt rationabiles, & præscriptæ.

164 Addit contra: Nam consuetudo est lex specialis; igitur requiritur specialis Principis consensus. Sed & huic dici poterit, quod à causa generali sunt specialissimi effectus mediis instrumentis, seu secundis causis specialibus: sic benè à consensu legali, ut à causa universali efficacissima medio rationabili, & speciali consensu populi potest consuetudo rationabilis, & præscripta vim legis obtinere.

165 Tandem replicat, quia nec præsumi potest, nec debet solo illo generali jure *in d. cap. fin.* explicato Pontificem voluisse tacitum suum consensum in quavis speciali consuetudine præsumi, cum multis consuetudinibus sese opponat. Verum dicent alii, debuisse ab arguente dari exemplum alicujus consuetudinis rationabilis, & præscriptæ, cui Pontifex aliquis se se opposuerit. Cæterùm præsumptio consensus taciti in quacumque rationabili consuetudine præscripta habet fundamentum in eo, quod Pontifex ad hoc, ut consuetudo deroget juri communi non requirit, nisi quod consuetudo sit rationabilis, & præscripta.

166 Ad idem verò arguit Martinez de Prado *d. cap.3. qu.14. num.11. & seq.* Nam ad consuetudinem requiritur Principis consensus, in jure verò non continetur consensus expressus, aut tacitus respectu cujuscumque consuetudinis; est ergo necessarius personalis consensus. Et minorem probat, quia Princeps potest abrogare consuetudinem. At facilè respondebit opposita sententia consensum legalem causalitate generalem esse virtute specialem, & hoc sufficere. Posse verò abrogari consuetudinem, non quia sit nulla, vel nulliter inducta, sed ea ratione, qua lex facta nociva, vel inutilis potest abrogari.

167 Sed urget secundò nam *in d. cap. fin.* & aliis juribus non continetur potestas condendi legem non scriptam, sed solum exponitur, in quo casu constituatur à potente eam inducere. Etenim ex quo jus naturale, & divinum determinant, quam vim habeant justæ leges, non excluditur consensus legislatoris. Dici tamen poterit, & præmitti, quod populus à jure habet potestatem inducendi consuetudinem, quæ sit apta, ut sit lex, si ei consentiat legislator, non verò dicitur ab opinione contraria, quod per illa jura detur populo potestas inducendi consuetudinem, sed quod ponitur, quod deest ex parte Principis, & hoc deducitur, quia enumerando necessaria ad consuetudinem juris non requirit, nisi quod sit rationabilis, & præscripta, & ex hoc satis significare videtur, quod non sit necesse, quod sit specialiter approbata.

Tandem urget *ex cap. consequens dist.11. & cap. nolite eadem dist.* Sed cùm ibi dicatur, quod consuetudo non potest prævalere contra decreta Sedis Apostolicæ, ad hoc respondet Gregorius IX. *in d. cap. fin.* quod debet intelligi de consuetudine, quæ non sit rationabilis, & præscripta. 168

Verùm ex opposito, quod sufficiat consensus legalis Principis ad valorem consuetudinis concurrentibus aliis necessariis tenent plures. Nam & hanc esse communem juris peritorum sententiam affirmat Panormit. *cap. fin. de consuetud. num.13.* Eamque tenent Gloss. *Istæ leges post cap. in istis, dist.4.* Item Gloss. *in cap. frustra dist.8.* in ultimis verbis si attentè legatur, & ibi Card. Alex. Idem tenent Anton. Barbat. *cap. fin. de consuetud.* Rochus *sect.4. num.24.* Turrecremata *cap. sicut 4. dist. art.2.* D. Antonin. *part.1. tit.16. §.6.* Silvest. *v. consuetudo quæst.4.* & Clarius *quæst.7. numer.12.* ubi loquitur de consuetudine legem abrogante, Angelus *v. confessio numer.9.* Palud. 4. *dist.42. quæst.3. artic.1. numer.7. supplementum quæst.2. art.2. conclus.3.* Sanchez plures referens *l.7. de matrim. disput.4. num.11. & 14. & disput.8. num.20.* Suarez *l.7. de leg. cap.13. numer.7.* Bonac. *de leg. disput.1. quæst.1. punct. ult. §.3. numer.15.* Palaus *tract.3. disput.3. part.2. §.4. numer.3.* Villalobos *part.1. tract.2. diff.38. num.6.* Rocaful. *3. part. praxis l.6. cap.3. part.1. conclus.4.* Escobar Mendoza *lib.5. probat.15.* Salas *disput.19. sect.3. numer. 20. & 57. & sect.4. numer.19. & 40. sect.5. numer.58. & sect. 6. numer.62.* Bardus *lib.8. quæst.2. numer.16.* Baldellus *de leg. lib.5. disput.46. num.7.* Fermosinus *in rubr. de consuet. quæst. 1. numer.1.* Donatus *part.1. tract.1. quæst.21. numer.16. & quæst.23. numer.1. & seqq.* Layman *l.1. tract.4. cap.24. numer.10.* 169

Fundatur hæc opinio, nam indubitatum esse debet, quod Princeps lege sua potuit decernere, quod consuetudo habens has duas conditiones, ut sit rationabilis, & præscripta, legitimè sit valida, & efficax etiam si sit contra legem humanam. Tota igitur difficultas est, an id fecerit, sed quod id fecerit, deducitur *ex d. cap. fin. de consuetud.* ubi ad hoc, ut consuetudo sit efficax ad condendam legem duæ solæ conditiones requiruntur, scilicet, quod sit rationabilis, & legitimè præscripta; igitur contra legem est exigere aliquam aliam conditionem, in illis duabus non contentam; scientia verò Principis, & ejus personalis assensus est conditio in illis non contenta; igitur scientia, & personalis assensus non est necessarius, ubi ex temporis præscriptione consuetudo est inducta. Sed alia opinio respondere poterit hanc conditionem scientiæ, & consensus personalis Principis esse contentam in illa conditione, *& legitimè præscripta*, quia non potest consuetudo legitimè præscribi Principe id ignorante, & non approbante. Sed alia opinio replicabit hoc esse probandum; non enim est in jure lex, quæ decernat consensum personalem Principis esse necessarium ad præscribendam consuetudinem. 170

Urgetur secundò, quia ex una parte valdè rationabile est & necessarium, ut consuetudines rationabiles vim obtineant, & observentur, ex alia verò parte impossibile est, quod Princeps sciat omnes rationabiles consuetudines, & quod Papa illas de facto non scire præsumi debeat, habetur *in hoc lib. cap.1. de constitut.* Igitur expedit, & est necessarium, quod in populo sit facultas rationabiles consuetudines præscribendi, & inducendi. Sed dici poterit primò, quod ad summum hoc probaret de consuetudine, quæ est præter jus, de qua est sermo in illo cap.1. Et secundò dicitur, quod lex eo capite non colligitur nisi dari consuetudines rationabiles, & validas à Papa ignoratas, sed non probat eas consuetudines fuisse validas legislatore igno- 171

ignorante, & personaliter approbante. Quia præter Papam multi sunt, qui potestatem leges ferendi habent, nimirum apud laicos Principes sæculares, & inter Ecclesiasticos Episcopi in suis Diœcesibus, à quibus potuerunt particulares consuetudines approbari Papa id non sciente.

172 Tertiò, argumentantur exemplo præscriptionis, ad quam non requiritur scientia ejus, contra quem præscribitur; consuetudo autem dicitur præscripta contra Principem legem ferentem, eo modo, quo præscribitur adversus alios. At poterit ad hoc responderi; quod valdè distinguuntur præscriptio, & consuetudo, quæ est lex, cui repugnat habere vim obligandi aliundè, quàm à voluntate legislatoris, ideò nisi ostendatur lex, quæ clarius concedat populo; ut possit consuetudinem præscribere, & inducere sine personali assensu Principis, hoc non est asserendum.

173 Quæstionis istius solutio maximè pendet ab hac alia, an ad valorem consuetudinis sit necessarius expressus consensus Principis, vel sufficiat tacitus. Quia si est necessarius expressus, prima quæstio locum non habet, cùm consensus legalis, & generalis non sit expressus consensus specialis consuetudinis, quia non est specialis, sed generalis. Quod ergo sit necessarius consensus Principis expressus voluerunt locis citatis, Archid. Domin. Francus, Rota in dict. Treveren. Jo. Novar. in Lucer. Regularium *v. electio nu.* 34. Massorbius, quem refert, & sequitur Diana *part.6. tract.5. resolut.* 13. Citatur etiam S. Anton. *part.1. tit.16. §.2.* Sed ibi non omninò adhæret huic opinioni, & posteà §.6. docet sufficere consensum legalem, qui non est nisi tacitus. D. Antoninum verò sequitur Conradus 1. 2. *quæst.97. art.3. §. Infert jam*. Fundatur verò hæc opinio, quia Archidiac. ait, quod habetur expressè *in cap. consequens, & cap. nolite, dist.* 11.

174 Ut verò incipiamus ab his canonibus, qui sunt Nicolai, & Julii Pontificum, manifestum est legenti, quod illi canones ad rem non faciunt; quia in eis hoc solum decernitur, quod consuetudo non debet prævalere contra Sedis Apostolicæ leges. Si verò dicatur hoc verum esse de consuetudine irrationabili, vel non approbata à Sede Apostolica, id admittitur. Sed quid inde? Qualis debeat esse hæc approbatio, ibi non dicitur, quia nec verbum de hac approbatione habetur. Cùm verò approbatio, & consensus dividatur in expressum, & tacitum; seu in formalem, & virtualem, quod ad consuetudinem non sufficiat tacitus, & virtualis, sed requiratur expressus, & formalis, aliundè debuit probari, nec tamen probatur, aut probari potest, quia in moralibus consensus tacitus æquiparatur expresso, exceptis casibus, in quibus manifestè lex expressum consensum requirit. Sic enim *ex cap. qui tacet, inf. de reg. jur.* habetur, quod taciturnitas æquiparatur consensui. Sed quod in hac materia consuetudinis consensus tacitus æquiparetur expresso habetur *in l. De quibus, §. Inveterata, ff. de leg.*

175 Dicitur igitur, quod ad valorem consuetudinis, etiam de jure canonico sufficit tacitus Principis consensus, talis tamen, qui non sit merè permissivus, sed sit virtute approbativus. Ita sensit expressè D. Thom. 1. 2. *quæst.97. art. 3. ad tertium*, & præter DD. omnes suprà *num.*169. pro secunda opinione relatos, idem docent Sotus *lib.1. de just. qu. 7. art.2.* Gregor. Martinez 1.2. *quæst.97. art.3. dub.2.* & ibidem Serra *dub.2.* Montesin. ibid. *disp.*23. *& disp.*13 *num.*220. Pontius *de matrim. l.6. cap.6. num.5.* Vasquez *part.2. dist.177. c.2.* Lorca *disput.29. de legibus*, R.P.D. Fagnan. *cap. cum contingat, num.13. de for. compet.* Baldell. *de leg. lib.15. disput.46. numer.2.* Fermosin. ubi suprà *quæst.1 num.8.* & latius *cap. fin. de consuetud. qu.3. n.7.* Vericell. *de mission. tit.3. q.87. n.12.* Donatus *qu.1. tract.1. q.23. n.5.* Layman *l.1. tr.4. cap.24. n.2. & 3. Clavis Regia l.3. c.11.5.*

176 Benè advertendum est, ut dictum est etiam *numer.*159. quod puta permissio non potest haberi pro consensu, quia multa permittuntur, quæ mala sunt, & quæ adducta in judicium non possunt tolerari, *cap. cum jam dudum, de præbend.* Rota *decis.*162. *num.*11. coram Greg. XV. Superiores enim sæpius multa tollerant, quia vel non possunt impedire, vel ad vitandum majus malum. Et ideò quod pro tollerantiam non inducatur consuetudo, dixit etiam Rota *decis.*112 *num.6. part.2. recent.* Panormitan. *d. cap. fin. num.*13. Martinez de Prado *quæst.13 numer.31.* Sot. *l.1 de just. quæst.7. art.2. Clavis Regia l.3. cap.11.* Quamvis ubi consuetudo fit ex longitudine temporis præscripta, si potest præsumi scientia ejus in Principe, vix præsumi poterit puta permissio, quæ non sit approbatio; quia in longo tempore poterit Princeps de facili, vel consuetudinem impedire, vel saltem facto aliquo, vel verbo ostendere, quod si permittit, non approbat consuetudinem, quæ inducitur. Et ex Lorca *part.2. tom.2. disput.29. num.2.* advertit Fermosinus *ad cap. fin. de consuetud. quæst.5. num.44.* Quod si Princeps ex desidia annuat consuetudini, illamque approbet, valet approbatio, licet injustè data. Quod tamen puto intelligendum præcisè quantum ad abrogationem prioris legis. Si tamen Princeps semel reprobet consuetudinem, illa reprobata manet, nec potest de novo introduci etiam ex causa rationabili, nisi servatis servandis, & de novo eam inchoando. Si etiam Princeps coactè, ut cedat multitudini, consuetudinem abrogantem admittat, & in abrogationem consentiat, abrogatio etiam ex injusta causa promanans subsistit, ut præter citatos DD. dixit etiam Diana *part.6. tract. 5. resolut.13. in fine*, lex tamen, & consuetudo injusta non obligant.

His stantibus ad primam quæstionem dicendum est primò, quod in jure civili ad validam consuetudinem non requiritur scientia Principis, vel personalis ejus consensus, sed sufficit legalis. Probatur conclusio *ex l. De quibus, §.1. ff. de leg.* ibi: *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur (& hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum.) Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sunt; meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis? Quare rectissimè etiam illud receptum est; ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per dissuetudinem abrogentur.* Clarè igitur hic habetur, sine Principum suffragio consuetudinem valere etiam ad abrogandas leges. Nec est unde dicatur jurisconsultum ibi loqui de populo libero, qui habeat facultatem condendi leges. Tum quia loquitur universaliter de consuetudine omni, quæ fit jus moribus constitutum. Tum quia consuetudo inducta à populo libero habet vim etiam si non sit inveterata; At verò lex illa vult consuetudinem esse inveteratam, ut valeat. Tum quia lex pro ratione adducit, quia leges scriptæ non habent vim nisi recipiantur à populo, hoc verò etiam de populo non libero verificari quamplurimi DD. volunt. Tum quia in principio textus loquitur de omni consuetudine, cùm decernit, ut deficiente lege scripta recurramus ad consuetudinem, & ita de hac subjungit posteà, quod populi consensu inducitur, & quod etiam sine Principis suffragio valet. Tum quia textus absolutè loquitur de populo, & vim facit in concordi ejus consensu, sermo verò non erat, nisi de populo Imperatori Romano subdito, qui quidem liber non erat, nec jus condendi leges habebat. 177

Hæc verò confirmantur, quia *in l. Diuturna, ff. eod. tit.* 178
absolutè dicitur: *Diuturna consuetudo pro jure, & lege in his, quæ non ex scripto descendunt observari solet.* Et sic sola diuturnitas consuetudinis, ejus supposita rationabilitate, requiritur ad ejus valorem. Et in eodem sensu ibid. *leg.*35. subditur: *Sed & ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus, quàm ea, quæ scripta sunt jura servantur.* Sic igitur, & hic quoque consuetudinem longitudine temporis comprobari statuitur. Sic & *in Cod. quæ sit longa consuetud. leg.1.* dicitur: *Et ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad solicitudinem suam revocavit præses. & leg.3. & ult.* decernitur, quod id, quod consuetudinem præstitum fuit pro lege perpetua habeatur, licet verò ibid. *l.2.* quæ habetur relata à Gratian. *in decret. cap. consuetudinis d.* dicatur, quod consuetudo longæva non vincit rationem, & legem, vel de consuetudine irrationabili intelligitur, vel sensus est, quod consuetudo non quatenus est quid facti, sed solum ut est quid juris, legi derogat. Sed melius dicitur juxta doctrinam D. Thom. 1.2. *quæst.97. art.3. ad secundum*, quod meritò lex illa ait, ut *aut rationem, aut legem vincat*, quia loquitur in casu, in quo ratio legis adhuc militat, in eo enim casu lex prævalere debet per se loquendo, quia ubi ratio legis urget lex, nec consuetudine, nec alia lege debet abrogari.

Loquendo verò de jure canonico, in primis distinguendum est inter consuetudines præjudiciales in aliquo juri Sedis Apostolicæ, vel ejus jurisdictioni, Ecclesiæ immunitati, 179
aut

aut libertati, vel aliis Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis, eorumque bonis, fructibus, aut juribus, & non præjudiciales. Nam de præjudicialibus loquendo servanda est constitutio felicis recordationis Urban. VIII. in Appendice Bull. 47. & in ordine aliarum 157. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, & fuit data 5. Junii 1641. In qua declarat hujusmodi consuetudines, quamvis longissimas, & immemorabiles, & cum asserta fama privilegii illicitas, & irrationabiles, irritas, & nullas, & pro talibus mandat haberi. Et nihilominus tamen, ibid. in fine declarat, quod non intendit tollere centenariam præscriptionem concurrentibus à jure requisitis, nec immemorabilem, nisi in casibus, in quibus per Sacros Canones, & Concilia generalia, vel Constitutiones, Ordinationes, aut dispositiones Apostolicas illa reprobatur, seu illi derogatur, aut alias de jure illa non suffragatur. An verò hæc constitutio locum habeat quando una Ecclesia præscribit adversus aliam, dixi *tom. 2.*
180 *de statibus q. 187. art. 4. n. 1106.*

Ubi verò consuetudo non præjudicat juri Ecclesiæ alicujus, vel personæ Ecclesiasticæ, quia vel est præter legem, vel si est contra legem nulli fert præjudicium, pro secunda opinione mihi videtur, quod urgeat hæc ratio, nimirum, quod ex una parte de jure civili ad valorem consuetudinis non requiritur scientia, & personalis approbatio Principis, sed sufficit approbatio legalis, ex alia verò parte non adest textus in jure canonico, in quo decernatur necessarium esse consensum hunc personalem Papæ ad præscribendam consuetudinem. Hoc enim stante, cùm Greg. IX. *in d. cap. fin.* non requirat ad valorem consuetudinis, nisi quod sit rationabilis, & legitimè præscripta, seu longa, & diuturna, quæ sunt requisita consuetudinis etiam de jure civili, ex quo tamen jure sufficit consensus legalis ipsius Principis; & addito, quod verè expedit communitati, ut rationabiles locorum consuetudines locum habeant, quas omnes Pontifex scire non potest, moraliter loquendo, & jura eum nescire præsumunt, mihi de jure verior videtur eadem secunda opinio, ut ad consuetudinis valorem sufficiat legalis Principis consensus, non sit verò necessaria scientia, & personalis Papæ consensus. Decisiones verò Rotales, quæ pro opposita sententia referuntur, loqui in casibus particularibus, in quibus sit necessarius expressus consensus Papæ, explicat Fermos. *d. q. 5. n. 8.*

181 In immemorabili verò consuetudine, ubi hæc adsit, consensus Principis præsumitur, nec illum oportet ostendere, quia temporis antiquitas habet jus constitutum, *l. 2. §. ductus, ff. de aqua pluv.* Covar. *in reg. possessor. 2. p. in princ. n. 8.*

SUMMARIUM.

182 *Introductio quæstionis.*
183 *Illa consuetudo rationabilis, quæ habet conditiones legis.*
184 *Plura possunt requiri ut consuetudo inductiva sit rationabilis, quàm exemptiva.*
185 *Judicare in singulari, quæ consuetudo sit rationalis est arbitrarium.*
186 *In dubio consuetudo non prohibita præsumitur rationabilis.*
187 *Irrationabilis consuetudo, quæ est contra legem naturalem, vel divinam.*
188 *Hoc explicatur.*
189 *Irrationabilis qualiter illa sit; quæ est contra legem naturalem, humanam, & divinam.*
190 *Coincidunt consuetudo bona, & rationabilis.*
191 *Sola consuetudo, quæ est mala ex causa perpetua reprobatur simpliciter omnino à jure.*
192 *Irrationabilis est, quàm jura reprobant.*
193 *Exempla irrationabilis.*
194 *Et rationabilis.*
195 *Consuetudo & lex pari passu currunt.*
Ideò est consuetudo rationabilis, quæ est lex justa.
196 *Irrationabilis consuetudinis plures causæ numerantur.* 197.
198 *Illa quæ est irrationabilis ex causa perpetua cursu temporis non præscribitur.*
Omnis consuetudo prava extirpanda.
199 *Quomodo sit verum, quod consuetudo debeat esse rationabilis.*

ARTICULUS VII.

Utrùm omnis, & sola consuetudo, quam jura reprobant, sit irrationabilis.

Consuetudinem rationabilem, vel irrationabilem multipliciter describunt DD. omnes quidem verè, sed non omnes sufficienter. Præ oculis verò semper haberi debet, quod alia est consuetudo facti, & alia est consuetudo juris. Nam stat consuetudinem facti esse rationabilem in se, & tamen non esse materiam aptam, ut transeat in consuetudinem juris, quia nimirum, illa non sit utilis communitati, unde non conveniat homines ad eam obligari. Cùm ergo consuetudo juris sit lex, debet esse rationabilis, & ex utilitate communi procedens; quod tanta necessitate est verum, ut consuetudo nullam vim obligandi habeat, si sit irrationabilis etiam si sit inducta Principe sciente, & approbante, ut ex Panormit. *cap. fin. de consuet.* habet ibid. Rochus *sect. 2. n. 40.* Et quamvis non defuerint, qui dixerunt de jure civili non esse necesse, quod consuetudo sit rationabilis. Pro qua opinione à Rocho ubi suprà *n. 41.* referuntur, Joan. Andr. *in add. ad specul. tit. de instit. edit. §. compendiosè*, & Imola *ad cap. fin. de consuet.* & Corneus *in consuet. 293.* quem sequitur Antonius Piaggius *de consuet. qu. 6. n. 13.* Tamen hanc opinionem meritò reprobat idem Rochus, & si loquamur de consuetudine juris, sicuti loquimur, est absurda & omninò falsa; quia absurdum est, dari legem, quæ non sit rationabilis. Hoc enim est contra omnem legem naturalem, humanam, & divinam. 182

Itaque de consuetudine juris loquendo, hæc datur regula generalis quod illa sit rationabilis, quæ continet conditiones omnes quæ ad legem justam sunt necessariæ; Nam cùm ista consuetudo sit lex non scripta debet omnes justæ legis conditiones habere, ut dixerunt Domin. *sup. cap. 1. de consuet. in hoc lib.* Anton. *cap. fin. de consuet.* Barbos. ibi *n. 11.* Silvest. *v. consuetudo qu. 1. n. 2.* Tabien. *n. 5.* Sotus *lib. 1. de just. qu. 7. art. 2.* Sanchez *l. 7. de matrim. disp. 4. n. 41.* Suarez *de leg. lib. 7. cap. 6. num. 17.* Salas *de leg. disp. 19. sect. 5. n. 40.* Basil. *lib. 6. de matrim. cap. 5. num. 1.* Bonac. *de leg. d. 1. quæst. 1. part. ult. §. 3. n. 46.* Palaus *tract. 3. disp. 3. part. 2. §. 1. num. 1.* Gabriel Martinez *part. 2. q. 97. art. 3. d. 2.* & ibi Serra *dub.* Joan. Martinez de Prado *cap. 3. qu. 14. n. 12.* Baldell. *de leg. lib. 5. disp. 46. n. 11.* Fermos. *ad rubr. de consuet. quæst. 1. n. 7.* Rubeus *ad decis. 28. num. 231. part. 3. recent.* Et propterea sicut lex respicit utilitatem publicam, ita & consuetudo, Rota *decis. 400. num. 1.* coram Coccino. 183

Sed quia consuetudo est lex quæ aliquando præcipit, aliquando potiùs permittit, seu ab obligatione eximit, aliquando verò approbat usum aliquem & ad illum inclinat, ideò considerandum est, quod diversimodè potest oriri, quod sit rationabilis. Nam plura possunt requiri ad consuetudinem sub una ratione, quam sub alia consideratam. Et quidem prout præcipit, non sufficit, quod sit de re honesta, sed ulterius, quod sit de re utili Reipublicæ, & quod obligatio ejus sit tollerabilis. Sed si consideretur consuetudo ut eximit ab obligationem legem abrogando, hoc primo attendi debet, ut advertit D. Thom. *p. 2. quæst. 97. art. 3. ad secundum*, an maneat in vigore ratio, ob quam lex scripta lata fuit; hoc enim stante lex non poterit abrogari rationabiliter, ideò si consuetudo debet legem abrogare, vel corrigere, necesse est, quod adsit ratio ob quam utilius sit Reipublicæ legem abrogari, vel corrigi. Ex Suarez autem *cap. 18. num. 9.* affirmat Layman *l. 1. tract. 4. cap. 24. num. 4.* quod ad consuetudinem positivam, & obligationis inductivam positivè requiritur, ut ad publicam utilitatem conferat, ad consuetudinem verò exemptivam sufficit, quod utilitati publicæ non adversetur. Cujus ratio est, quia sola legis veteris inutilitas dat motivum sufficiens ad illam abrogandam. Sed jam hoc posito adest magna boni communis utilitas, ex hoc consurgens, quod populus inutiliter non oneratur lege. Et nihilominus ubi consuetudo abrogans id faceret inducendo contrariam obligationem, deberet ferre etiam aliam utilitatem, ut habetur ex D. Th. *p. 2. quæst. 97. art. 2.* & consideratum est suprà *cap. 1. de consuetud. quæst. 1. art....* Et sic consuetudo debet esse de re secundùm se honesta, & utili Reipublicæ; Non est verò necesse, quod materia ejus sit de facto etiam extrinsecè honesta, quia non prohibita, quia imò hæc consuetudo habet pro 184

pto materia rem prohibitam per legem, & sic illa in suo fieri potest esse mala, debet tamen haberi causa ob quam bonum sit prohibitionem tollere, ut hoc modo consuetudo possit induci, & legem abrogare seu corrigere.

185 Hinc est quòd ubi occurrat dubium de honestate & rationabilitate consuetudinis in arbitrio judicis est id judicare, Gloss. *sup. in hoc lib. cap.* 1. *de constitut.* & ibi Franc. Hostien. *in sum. tit. de consuetud.* §. *quid sit consuetudo*, Joan. Andr. Panormit. *num.* 5. *& alii cap. fin. de consuetud.* Bart. *in l. de quibus, ff. de leg.* Turrecrem. *cap. in his num.* 5. 11. *dist. & cap. sicut num.* 22. 3. *dist.* 4. Petrus de Raven. *de consuetud. num.* 135. Rochus *ad d. cap. fin. num.* 204. *seu sect.* 2. *numer.* 20. Dec. *in cap.* 2. *numer.* 41. *de probat.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 82. *numer.* 2. Piaggius *de consuetud. quaest.* 6. *nu.* 21. & apud eum plures alii, Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 6. *num.* 15. Barbosa *cap. final. de consuet. num.* 12. Baldell. *de leg. lib.* 5. *disput.* 46. *numer.* 11. Attendi tamen debebit praefata regula, ut scilicet consuetudo habeat conditiones legis justae, & servetur illud Isidori, quod habetur *cap. consuetudo dist.* 1. *Porro, si ratione lex constat, lex erit omne jam, quod ratione constiterit dumtaxat, quod religioni conveniat, quod disciplinae congruat, quod saluti proficiat.*

186 In dubio autem consuetudinem debere praesumi rationabilem dixerunt Diana *part.* 6. *tract.* 5. *resolut.* 1. *& 9.* Sanchez *l.* 7. *de matrim. disput.* 14. *numer.* 14. Fermosin. *ad rubr. de consuetud. quaest.* 5. *num.* 37. referunt Bart. *ad d. l. de quibus*, Fontan. *in schol. Marg. ad d. cap.* 1. *de consuetud. in hoc* 6. Palaus *tract.* 3. *disput.* 3. *part.* 2. §. 1. *num.* 5. Suarez *d. cap.* 6. *num.* 15. Et debere praesumi, quod bonum habuerit initium docet R. P. D. Fagnan. *cap. Praetereà num.* 55. *Ne Praelati vices suas.* Hoc tamen limitant Palaus, Diana, & Fermosinus, ut non procedat ubi consuetudo est prohibita. Et debet etiam assertio intelligi de consuetudine jam inducta, & de qua constat esse perfectam. Nam si adhuc consuetudo est in fieri, non praesumetur in dubio rationabilis, si sit contra legem, & hoc considerate erit legislatoris, qui in dubio an sit consuetudo rationabilis non debebit illam confirmare. Qui verò sunt de populo non tenetur investigare an consuetudo habuerit rationabile initium, seu rationabiliter instituta, hoc enim de non prohibitu praesumi debet, Palaus *d. numer.* 5. Quod enim ab omnibus fit, rectè fieri praesumitur, *l. de quibus, ff. de leg.* Basil. *l.* 6. *de matrim. cap.* 6. Immemorabilis verò consuetudo etiam si sit à lege prohibita, nisi aliundè oppositum constet in dubio praesumitur rationalis.

187 Aliam regulam tradidit Navarrus *com. de spoliis* §. 14. quae coincidit, cùm tradita licet sit minus clara. Inquit enim eam esse rationabilem consuetudinem, quae nec directè, nec indirectè est contra jus naturale, aut divinum; eam verò esse irrationabilem, quae saltem indirectè juri naturali, aut divino repugnat. Quamvis enim de facto dari possit usus, seu consuetudo facti, quae sit praeter legem divinam, & naturalem, & spectato objecto sic res honesta, aut differens, ut esset consuetudo caelibatus, aut paupertatis, aut alterius consilii Euangelici, nihilominus lex universalis de caelibatu, aut paupertate esset lex irrationabilis, quia non utilis communitati, & ideò hujusmodi consuetudo, si induceretur per modum legis esset lex, & consuetudo irrationabilis, sed simul esset contra naturae legem, quia legi contrariatur lex irrationalis etiam de re secundùm se honesta.

188 Itaque hic considerandum est, quod aliquid esse contra legem naturalem, aut divinam contingit dupliciter; vel quia contrarietur illi secundùm se, sicuti contrariatur v. g. furtum, homicidium &c. vel quia contrariatur ex circumstantiis, vel ex aliquo, quod tamen ad legem, & ex consequenti ad juris consuetudinem requireretur. Et sic juri naturali ad effectum inducendi consuetudinem contrariatur, quod bono communi non est utile. Et sic universalis caelibatus servandus ex lege ab omnibus, & est contra utilitatem publicam, & est contra naturale jus illum legem universaliter praecipere. Sic ergo haec regula Navar. sic explicata coincidit cum regula data suprà, quia quod habet conditiones justae legis est conforme naturali juri; & ab eo est difforme, & ideò irrationaliter cadens sub consuetudine juris, quod non habet conditiones justae legis.

189 Etiam ad bonum sensum reduci potest, quod dicunt alii, scilicet, quod consuetudo rationabilis est, quae est secundùm legem naturalem, divinam, & humanam, irrationabilis verò, quae est contra aliquam legem, aut naturalem, aut divinam, aut humanam. Quod sensit Gloss. *in cap. ad nostram v. Canonicis, sup. de consuetud.* Hoc enim debet intelligi non spectata materia consuetudinis secundùm se, quia hoc modo consuetudo, quae legem humanam abrogat, est contra legem humanam, & tamen est rationabilis, sed tamen omnibus pensatis illa est conformis legi naturali, lex enim sive scripta, sive non scripta non est talis, quae legem priorem possit abrogare, nisi habeat conditiones, quas ex lege naturali, divina, & humana habere debet ut sit lex, & ex consequenti, ut possit priorem legem tollere. Quando ergo *in d. cap. ad nostram*, & in multis aliis textibus juris improbatur consuetudo, quia sit contra canones, hoc debet intelligi de canonibus sacris, aut canonica lege absolutè simpliciter, & omnimodè non verò secundùm Rotam *decis.* 6. *num.* 4. de consuetudine, quae si uni contrariatur, approbatur ab alio, quia consuetudo rationabilis, & praescripta contraria huic, vel illi canoni in singulari tantum abest, ut non valeat, quod legem canonis abrogat, *cap. fin. de consuetud.* quia consuetudo legi huic humanae, vel illi contraria, si alias sit rationabilis, non est absolutè, & simpliciter sacris canonibus contraria, sed illis est conformis; quia imò jura volunt, quod consuetudo, quae omnibus pensatis est lex rationabilis legem sibi contrariam abroget, vel corrigat.

Existimat autem Suarez *de leg. l.* 7. *cap.* 6. *numer.* 11. quod 190
convertantur ad invicem bona, & mala consuetudo, & consuetudo rationabilis, & irrationabilis, quia bonitas, & malitia attenditur ex objectis, & per respectum ad legem obligantem, & praecipientem; Rationabile autem, & irrationabile dicuntur per respectum ad bonum commune, & ad communem usum. Verum evidens est, quod rationabile idem est, quod conforme ad rationem rectam, & hoc est bonum; & irrationabile dicitur, quia contrarium rationi rectè, & hoc est malum. Sed hic distingui debet consuetudo juris à consuetudine facti; omnis enim consuetudo juris bona est rationabilis, & è contra. Licet non omnis consuetudo facti bona sit lex rationabilis, quia non est rationabile, & omne bonum praecipiatur per legem positivam, ut ipsemet Suarez dixit *eodem cap. num.* 9. & omnis consuetudo facti bona est etiam in suo genere rationabilis.

Pariter in bono sensu vera est aliorum regula, qui di- 191
cunt eam consuetudinem esse rationabilem, quae non est à lege reprobata. Quod DD. diversimodè intelligunt. Alii enim existimant omnem consuetudinem à jure abrogatam esse à jure reprobatam. Alii volunt aliquid addendum esse, nimirum ut etiam à jure sit prohibita. Sed alii haec non sufficere volunt, sed dicunt necesse, ut consuetudo à jure sit declarata irrationabilis, vel sub hoc titulo sit prohibita. Et sic tria haec diversa sunt abrogatio consuetudinis, & illius prohibitio, & ejusdem reprobatio; Et ita distinguit Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 7. *numer.* 2. *& cap.* 19. *numer.* 18. & Salas *p.* 2. D. Thom. *de leg. disput.* 19. *sect.* 7. *numer.* 71. Sed hanc distinctionem rejicit Palaus *tract.* 3. *dist.* 3. *part.* 4. §. 2. *num.* 7. Nam quod prohibetur reprobatur. Sed quidquid sit de hac distinctione, considerandum est, quod consuetudo potest esse mala, vel secundùm se, vel ex circumstantiis, & quaecumque sit taliter mala à jure reprobatur. Neque consuetudo, aut abrogatur, aut prohibetur, nisi quia mala, & irrationabilis saltem ex circumstantia. Sed discrimen est, quod illa, quae secundùm se est mala, & quae est illa, quae secundùm se est contra jus naturale, aut divinum, semper est mala, & ideò simpliciter est à jure reprobata. Sed illa, quae est mala ex circumstantiis est duplex, quia vel circumstantia est mutabilis de mala in bonam secundùm temporum, & aliarum circumstantiarum, & accidentium mutationem, vel non est mutabilis saltem moraliter, sed ordine rerum spectato habet immutabilem, & perpetuam repugnantiam ad rectam rationem, quamvis metaphysicè forsan non repugnet dari casum, in quo cesset mala circumstantia illa, & consuetudo sic mala semper moraliter est mala, & ideò etiam simpliciter est à jure reprobata. Sed consuetudo, quae est mala accidentaliter ex circumstantia variabili, & mutabili de mala in bonam, non est simpliciter perpetuò reprobata, sed solum ea rerum conditione durante, & pro quanto sit mala, & nisi re mutata, vel etiam ex causa occulta manifestata rationabilis fiat, vel appareat; ex eo verò,

quod

quod consuetudo abrogatur, vel prohibetur, non reprobatur simpliciter, nisi id fiat ex caosa, ex qua consuetudo perpetuo sit mala. Quamvis omnis consuetudo, quæ prohibetur sub ea ratione, qua prohibetur sit mala.

192 Dicitur igitur primò, quod omnis consuetudo, quam simpliciter omninò reprobant jura est irrationabilis. Ita Gloss. *in cap. fin. sup. de consuetud.* Rota *decis. 165. numer. 23. part. 5. recent.* Panormit. *in cap. fin. numer. 13. de consuetud.* Et cæteri DD. Sed non omnis consuetudo mala est simpliciter omninò à jure reprobata, quia illa consuetudo, quæ oon est mala ex causa perpetua, sed mutabili, & fieri potest rationabilis, & bona non est reprobata, nisi secundum quid, & quatenus mala, seu pro loco, & tempore, in quo est mala. Et in hoc sensu verum est, quod omnis illa consuetudo est irrationabilis, quam jura reprobant, sic tamen ut irrationabilis simpliciter omninò sit illa sola, quam jura simpliciter omninò reprobant, eo quia sit talis ex causa perpetua, & immutabili saltem moraliter. Et hæc est illa, quæ cursu temporis oon præscribitur, sed irrationabilis solum pro loco, & tempore sit illa, quæ non reprobatur ex mala causa perpetua, sed solum, ex causa mala pro loco, & tempore. Illa verò consuetudo est rationabilis, quam jura nullo modo reprobant, *cap. cum Ecclesia Sutrina, de causa possess. cap. Abbate, de verb. signific. cap. cum Dilectus, de consuet.* Rota *d. decis. 165. num. 22.* Et hæc sola est rationabilis propriè & formaliter loquendo; quia omnis consuetudo, quam jus etiam humanam aliquo modo reprobat, sub ea ratione, qua reprobatur est mala. Cùm quo tamen stat, quod detur consuetudo, quæ secundùm se præcisis circumstantiis est bona, vel non est mala quamvis sit à jure prohibita.

193 Exempla verò consuetudinis irrationabilis habetur *cap. 2. de probat. cap. ad nostram, eodem tit. cap. cum decore de vit. & honest. Cler. cap. extirpanda, & cap. fin. de prabend. cap. constitutus, de fideiussoribus cap. aqua de consecrat. Eccl. cap. quanto de consuet. & infrà cap. 1. de Cler. non resid. & cap. 1. de Cler. ægrot. cap. 1. de Capell. Monach. cap. quamquam, & cap. fin. de censibus cap. 1. de Big. cap. 1. de injur. & dam. dat. cap. 1. de preben. cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss. cap. cum non deceat, de elect. & in Clem. statutum, de elect. & in jure civili l. 1. in princ. ff. de usur. l. eos. C. eod. & in authentica habita, C. ne fil. pro patr. & in authen. Navigia, C. de furt. & in authen. Omnes peregrini, C. cum success. & in authen. causa, C. de Sacros. Eccles.*

194 Rationalis exempla habentur etiam suprà *in cap. certificari, de sepult. cap. super eo, de cognat. spir. cap. cum omnes, de constit. cap. 1. de Cler. ægrot. cap. ex parte, de concess. prabend. & in cap. de trina, de consecrat. dist. 4. & cap. 1. dist. 16. & cap. unam 76. dist. & in cap. pudenda 24. dist.* In jure verò civili, textus est *in l. Item eorum, ff. quod unius, univers. nom. & in l. si sine, §. Lucius, ff. de administrat. & l. 3. §. Non tantum, ff. quod vi, aut clam, & in l. non tantum, ff. de decur. & in l. semper, §. Legem, ff. de jur. immun. & in l. fin. Cod. de testam. & in missi opinatores, Cod. de exact. trib. l. 10. & l. 1. Cod. de petit. bon. subl. eodem l. 10. & in l. si fundus, ff. de evict. & in l. cum de laniones, §. asinam, ff. de fund. instruct. & in l. si servus plurium, §. fin. ff. de legat. & in l. vel universorum, ff. de pignor. act. & in l. excepto, Cod. locat. & in l. si Publicanus, ff. de public. & in l. Parabolani, ff. de Episc. & Cler. & in l. 1. ff. de vent. inspicien. & in §. Pavonum, instituat. de rerum divis.*

195 Tandem verò iterum dicitur, quod consuetudo, & lex pari passu ambulant, de quo sunt plures textus, & præsertim *l. 2. & l. fin. ff. Quemadmodum testam. aper. C. de emancip. liber. & in authent. jubemus in fin. cap. Cum venissent, de eo, qui mittit. in possess. Canonistæ in cap. Clerici,* ubi Panormit. *num. 3.* Rota in Tiburtina juris Molendi 4. Julii 1614. Rubeus *ad decis. 28.* Igitur qualis legis talis debet esse consuetudinis finis, cujus præcipuus ac particularis est, humanas actiones quantum in se est ad publicam quietem, & æternam felicitatem, & salutem dirigere. D. Thom. 1. 2. *q. 90. art. 2.* & ibi Expositores, Suarez *lib. 1. de leg. cap. 7. n. 3.* Rota in Barcinonen. Statuti 3. Martii 1637. coram Verospio, *seu decis. 107. n. 16. part. 7. recent.*

196 Ideò inter irrationabiles consuetudines illa singulariter dicitur talis, quæ est nutritiva peccati, juxta textum *in cap. Cum venerabilis 7. & cap. fin. de consuetud. & in cap. quia in omnibus, & cap. cum in Ecclesia de usur. & in Clem. Ex gravi, eod. tit. & in cap. Mala autem consuetudo 8. dist.* Rota in causa Forosempronien. Bonorum 4. Martii 1642. coram Rojas, & in Fanen. Commendæ 6. Februarii 1640. coram Dunozetto, Gloss. *in cap. Ad hæc in v. Clericis, de rescript.* Rubeus *ad decis. 28. num. 240. part. 3. recent. & ad decis. 217. num. 404. part. 9.*

197 Irrationalis quoque est illa, quæ est contra utilitatem Ecclesiæ, vel illi onerosa, hanc enim jura reprobant, *cap. 1. de consuetud.* & ibi Gloss. & Panormitanus, Rota *decis. 11. numer. 8. part. 2. recent.* Barbos. *cap. 1. numer. 4. de constitut. & cap. cum causam numer. 5. de sent. & re judic.* Baldell. *de leg. lib. 5. disput. 39. numer. 7. & seqq.* Nec potest juramento coofirmari, *cap. 1. de iis, quæ fiunt à major. part. cap. Item quæ est sacris canonibus inimica, cap. Cum Venerabilis 7. de consuetud.* Illa enim est sacris Canonibus inimica, quaio sacri Canones reprobant. Sic enim talis est illa, quæ veritati, & sacris canonibus est contraria, *cap. Cum causam, de sent. & re jud. cap. Clericis de jud.* Item quæ est contra nevum Ecclesiasticæ disciplinæ, Rota *decis. 265. numer. 23. part. 5. recent.* Reverendiss. P. Dom. Fagnan. *cap. Cum venerabilis num. 4. de consuetud. quæ impedit reformationem, & cap. Irrefragabili numer. 4. de off. ordin.* quæ discrepat ab instituto universalis Ecclesiæ. Idem Reverendiss. P. Dom. Fagnan. *cap. Explicari numer. 41. de observat. jejun.* quæ est contra libertatem Ecclesiæ, Panormitanus *cap. fin. numer. 23. de consuetud.* Barbos. *cap. Ecclesia numer. 20. de constitut.* Quæ est contra utilitatem publicam, Panormitanus *d. numer. 23.* quæ est contra hooestatem, Pasqual. *cent. 4. quæst. 397. numer. 4.* quæ est cootra Sanctorum PP. instituta Barbos. *cap. Eccles. numer. 34. de constitut. Ex cap. etiam secundo infra de constitut.* Illa est irrationabilis quæ est contra substantiam actus, ut dicitur ibi *num. 3.*

198 Sed semper tamen præ oculis est habendum quod consuetudo potest esse nutritiva peccati, contra Ecclesiam &c. vel secundùm se, vel ex causa accidentali, sed moraliter perpetua, vel ex causa contingente, & mutabili. R. P. D. Fagnan. *cap. extirpandæ num. 7. de prabend.* Et quod sola illa consuetudo est simpliciter irrationabilis, quæ secundùm se, aut ex causa perpetua nutrit peccatum, vel Ecclesiam offendit, aut aliquod ex enarratis præstat. Et hæc illa est, de qua dicitur, quod cursu temporis non præscribitur, & quod etiam si immemorabilis, non subsistit, sed eo est pejor, quo diuturnior. Quamvis omnis consuetudo quatenus est peccati nutritiva, vel contra Ecclesiæ utilitatem, aut morum honestatem, aut sanctorum Canonum, aut PP. instituta, aut ex quacumque causa prava sit extirpaoda, R. P. D. Fagnan. *cap. Suæ fraternitati n. 29. de spons. & cap. cum causam n. 6. de elect.* Pasqual. *cent. 4. q. 308. n. 2.*

199 Quando ergo dicitur, quod consuetudo debet esse rationabilis, sufficit quod pro loco & tempore pro quo inducitur sit talis. Et in suo fieri non est per se oecesse, quod sit rationabilis etiam ex circumstantiis, quia stat, quod sit lege prohibita, & ideò sit contra rationem. Sed necesse est quod in se non sit mala, & ex circumstantiis habeat adjunctam utilitatem talem in ordine ad bonum commune, ut possit legislator eam in legem statuere. Et sic quando consuetudo est contra legem sufficit, ut secum ferat utilitatem, ex qua bonum sit legem tollere, & consuetudinem approbare, Montes. *p. 2.* D. Thom. *tom. 2. disp. 23. q. 3. n. 210.* Diana *d. tr. 5. resolut. 2.* Sanchez *l. 8. de matrim. disp. 14. num. 14.* Granado *tract. 7. part. 2. disp. 56. sect. 1. num. 2.* Fermosinus *in rubr. de consuet. q. 5. num. 9.*

SVMMARIVM.

200 *Consuetudo debet esse longæva, & præscripta.*
201 *Quæ inducitur ex consensu Principis non est necesse, quod præscripta.*
202 *Irrationabilis non potest præscribi.*
203 *Istæ, quæ longiores, eo sunt pejores.*
204 *Consuetudo præter jus, & contra jus.*
205 *Consuetudo, quæ est contra jus tertii debet esse propriè præscripta.*
206 *Consuetudo contra jura Ecclesiæ debet esse præscripta in terminis Constit. 157. Vrbani VIII.*
207 *Consuetudo, quæ est contra jus Regularium, debet esse centenaria.*
208 *Quantum temporis requiritur ad præscribendum jus tertii tantum requiritur ad consuetudinem, quæ juri tertii præjudicat.*
209 *Vbi lex favens tertio non dat illi jus, non est necessaria præscriptio propriè dicta.*

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

210 *Vbi consuetudo non præjudicat juri tertii non requiritur ad eam titulus, nec bona fides.*
211 *Ad præscribendam consuetudinem non est necessarium tempus immemorabile.*
Dictio Diu, *multiplicis significationis.*
212 *Vbi consuetudo est præter jus sufficiunt decem anni ad præscribendam consuetudinem.*
213 *Quidam, si Princeps sit absens 20. annos requirunt.*
214 *Sed non admittitur.*
215 *De jure civili sufficiunt 10. anni etiam si consuetudo sit contra legem.*
216 *De jure canonice sufficere decennium etiam quando consuetudo est contra legem plures affirmant.*
217 *Ad præscribendum contra legem canonicam requiritur quadragenaria.*
218 *Si consuetudine acquiritur facultas non concessa, necessaria est propria præscriptio.*
219 *Decem anni sufficiunt in statu Ecclesiæ contra legem temporalem.*
220 *Quid ubi Papa utitur consuetudine?*
221 *Vbi consuetudo inducitur sciente, & consentiente Principe, non est necessarium tempus præscriptum.*
222 *Sed arbitrarium est id judicare.*
223 *Sententia judicis utilis ad probandam consuetudinem.*
224 *In dubio an adsit consuetudo censendum est illam non adesse.*
225 *Decem vel 40. anni inchoandi à tempore, à quo incœpit intentio se obligandi.*
226 *Circa reservata Principi requiritur tempus immemorabile.*
227 *Præscriptio uno actu in contrarium interrumpitur.*
228 *Præscriptio necessaria etiam in foro conscientiæ.*

ARTICULUS VIII.

Vtrum consuetudo debeat esse præscripta, & per quantum tempus præscribatur.

200 Consuetudinem, ut vim habeat debere esse diuturnam habetur *ex l. Diuturna, ff. de leg. seu inveteratam, l. de quibus, §. inveterata eod. tit.* Menoch. *de arbitr. l. 2. cons. 83. numer. 4.* Dec. *cons. 588. num. 6. seu veterem, l. Imperatores, de pollicit.* Rolandus *cons. 79. numer. 2. l. 3. seu antequam*, Baldus *in l. an in totum numer. 2. Cod. de ædific. privat. seu longinquam*, Quintilian. *l. u. cap. 3.* & secundum sacros Canones præscriptam, *cap. fin. de consuetud.* Quamvis verò Juristæ reprehendant Canonistas, ex eo, quia aliud præscriptio sit, & aliud consuetudo, & propterea eos ineptè loqui dixerit post Cyn. Natt. *cons. 401. num. 7. l. 2.* apud Antonium Piaggium *de consuetud. quæst. 4. num. 8.* tamen sine rationis fundamento illi discurrunt, quia cùm temporis diuturnitas requiratur ad valorem consuetudinis, & jura determinaverint quantum temporis requiri debeat ad hoc, ut consuetudo debeat esse diuturna, in hoc conveniunt præscriptio, & consuetudo, quod vim obtinent ex diuturni temporis legitima præscriptione, & ideò meritò dicitur, quod consuetudo debeat esse legitimè præscripta, hoc est per tempus à jure præscriptum inducta, Panorm. *cap. fin. de consuetud. num. 7.* & ideò sub nomine consuetudinis in jure venit consuetudo præscripta, Rochus Curtius *in cap. fin. de consuetud. sess. 3. num. 6.* post Panorm. *in cap. Cum ana de elect.* Anton. Domin. Jo. And. & Alex.

201 Verum quidem est, quod consuetudo dupliciter induci potest, vel scilicet ex observantia habita sciente, & consentiente Principe, & hæc ad sui valorem, cùm non requirat temporis vetustatem, aut determinationem non est necesse, quod sit præscripta, idest per tempus præscriptum inducta. Sed alia est consuetudo, quæ per modum præscriptionis etiam Principe non sciente inducitur, & vim habet, & hæc debet esse diuturna, inveterata, & longæva, & nonnisi per tempus à jure præscriptum inducta. Unde nec decem, nec centum, nec mille actus sufficiunt ad inducendam hoc modo consuetudinem sine decursu præscripti temporis, ut consideravit Rochus *cap. fin. de consuetud. num. 369.* Et in ista temporis diuturnitate dari plures ætates ex Bald. *in rubr. de consuetud. num. 2.* adnotavit Anton. Piaggius *de consuetud. quæst. 4. num. 14.* nimirum, ut metaphoricè consuetudo censeatur infans quando incipit, adolescens dum crescit, & in virili ætate cum vigore solidatur.

Loqoendo ergo primò de consuetudine præscripta, dicitur, quod hæc debet esse rationabilis, quia irrationabilis per nullum omninò tempus etiam longissimum, etiam immemorabile vigorem accipit, sed semper est inanis, & nullius virtutis, seu juris, *Authen. ut nulli*, ubi Bart. & Angel. Turrecrem. *cap. mala 8. dist.* Rota *decis. 265. numer. 10. part. 1. & decis. 232. numer. 15. part. 7. recentiorum*, Bald. *in l. de quibus, ff. de leg. & in l. dudum numer. 6. Cod. de contrah. empt.* Soccin. jun. *cons. 110. num. 9. l. 2.* Afflict. *decis. 71.* Sed istæ omninò tamquam leges mortis, quo longiores sunt extirpandæ, Turrecrem. *d. cap. mala*, ubi Gemin. Host. *cap. extirpanda, n. 8. de præb.* 202

Sed imò istæ consuetudines sunt eò pejores, & plus gravant animam, & majora impedimenta virtutum præbent, & ferunt maximam difficultatem ad resurgendum à malo, Turrecrem. *d. cap. mala dist. 8.* 203

Inter rationabiles verò consuetudines distinguendum est, quia aliæ sunt præter jus, nullique ferunt præjudicium; Aliæ verò sunt contra jus, & hujusmodi duplicis generis sunt. Nam aliæ sunt tantum contra legem, aliæ verò addunt etiam tertii præjudicium in aliquo ejus jure. 204

Dicendum igitur est, quod consuetudo, quæ est in præjudicium tertii debet esse propriè præscripta, ita quod à propria præscriptione dependeat, nec vigorem obtinere valeat contra legem, nisi antecedenter fuerit propriè præscriptum illud jus, quod est in præjudicium tertii, Seraphin. *decis. 1410. n. 6.* 205

Unde est, quod consuetudo si præjudicet juribus Romanæ Ecclesiæ, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, aut juribus, seu bonis, aut fructibus aliarum Ecclesiarum, aut personarum Ecclesiasticarum ex nova Constitut. Urbani VIII. de præservatione jurium Ecclesiæ, minimè valet, & nullius omninò roboris est, nisi sit centenaria, vel immemorabilis in terminis dictæ Constitut. quæ in Append. Romani Bullarii est 47. & inter Constit. Urbani 157. Cujus meminit R. P. D. Fagnan. *cap. cum Apostolicam n. 13. de his, quæ fiunt à Præl. & cap. consuet. de consuet. n. 52. & 53.* An verò dicta constitutio locum habeat etiam dum Ecclesia præscribit contra Ecclesiam dixi cum Rota *tom. 2. de statib. q. 187. art. 4. n. 1106.* 206

Et quia Monachi Cassinen. & plures alii Monachi habent privilegium, ut ad præscribendum adversus eos requiratur centenaria, quod privilegium esse commune aliis Regularibus habentibus privilegium communicationis probavi *tom. 2. de stat. q. 187. art. 4. n. 688.* Ideò contra hujusmodi Regulares nulla valet consuetudo, quæ per spatium centum annorum non sit præscripta. 207

Et sit respectivè de aliis loquendo, quantum temporis requiritur ad præscribendum, tantum requiritur ad hoc, ut contra illos consuetudo vim habeat, si infert præjudicium in aliquo jure illorum. 208

Considerandum tamen est, quod si detur aliqua lex lata ad favorem alicujus, per quam tamen illi non tribuatur jus propriæ justitiæ ad habendum favorem illum, tunc ad hoc ut consuetudo obtineat vim contra illam legem non est necesse, quod sit propriè præscripta, quia persona ad cujus favorem lex disponit nullum jus habet ex illa lege, quod sit justitiæ commutativæ. 209

Dicitur enim secundò, quod ubi consuetudo non præjudicat justitiæ commutativæ, & juri, quod ex ea aliquis habet, non est necesse, quod ipsa sit propriè præscripta, & ideò nec est necesse, quod consuetudo illa habeat titulum, (quidquid in contrarium dixerit Baldell. *de leg. l. 5. disput. 46. n. 14.*) vel quod illam inducens habeat bonam fidem, vel quod servetur tempus necessarium ad præscribendum jus alterius; sed sufficit, quod consuetudo sit talis, ut dici possit diuturna, & inveterata. Semper tamen requiritur, quod sit rationabilis. Inter alias enim conditiones, quas ponunt DD. communiter inter præscriptionem, & consuetudinem duæ sunt, quia scilicet ad illam requiritur titulus, & bona fides, non verò ad istam. Et sic suprà art. 3. probatum fuit consuetudinem per malos actus induci posse. Et hoc est communitati valdè utile, ut ex ratione leges abrogentur per communem populorum consensum. Et ideò præciso præjudicio tertii, cui eo ignorante, & non consentiente non potest fieri præjudicium, nisi propriè præscribendo illud jus ad hoc ut consuetudo rationabilis vim legis obtineat, sufficit quod sit longa & justa præscriptum legis durans. 210

Di-

211 Dicitur tertiò, quod ad consuetudinem præscribendam non est necessarium tempus immemorabile, oppositum tenuerunt aliqui antiqui prout retulit Gloss. *in l. de quibus*, *verb. Inveterata*, *ff. de leg.* Sed communissimè hæc opinio rejicitur, quia nullo jure fundatur. Quod enim adducitur, quia dictio *diu* importat tempus immemorabile, ut *in l. 1. §. fin. de aqu. pluv. arcen.* At verò consuetudo debet esse diuturna. Hoc inquam non probat; quia imò dictio *diu* diversimodè intelligitur & ut notat Piaggius *d. quæst. 4. num. 21.* aliquando importat tempus 20. annorum, Gloss. *in l. 1. Cod. de long. temp. præscript.* quandoque decennium, aliquando quinquennium, interdum biennium, novum quam annum, & tandem decem dies, ut not. Gloss. & DD. *in cap. Lectis 63. dist. & in l. si cum fideicommissaria §. Aristo, ff. si à quibus.* Et secundùm subjectam materiam longius tempus, aut brevius importat. In ea verò lege citata ex materia subjecta, tempus immemorabile denotat. Minus obstat, quod actus ex quibus inducitur consuetudo habeant causam discontinuam, quia consuetudo ex actibus liberis inducitur, & taliter quod immediata illius causa est consensus populi; hic verò causa immediata attendi debet *l. cum quis, ff. de dolo, l. 3. §. ex pluribus*, ubi Gloss. *fin. ff. de acquiren. possess.* Bald. *ad dict. l. de quibus num.* 88. Piaggius *ubi suprà num. 25.*

212 Dicitur quartò, quod ubi consuetudo sit præter jus ad illam præscribendam tam de jure civili, quàm de jure canonico sufficit tempus decem annorum, Turrecrem. *in cap. mos numer. 7. dist. 1.* Seraphin. *decis. 1159. numer. 3. & decis. 639. num. 11.* Pena *decis. 1266. numer. 7.* Rota *decis. 375. num. 8. part. 2. & decis. 214. num. 2. part. 4. tom. 2. recentiorum*, Hostien. *in sum. tit. de consuetud. num. 3.* Butr. *cap. fin. num. 39. de consuetud.* Panormit. ibi *num. 11. & cap. suam nobis num. 9. de simon.* Felin. *cap. statuimus col. 1. de maior. & obed.* Bart. *in l. de quibus num. 9. & in repet. num. 14. ff. de leg.* & ibi Bald. *num. 89.* Salicet. Aret. Corn. Ruin. Franc. Rip. Alciatus quos sequitur Piaggius *quæst. 4. num. 40.* Covarr. *l. 1. var. cap. 17. numer. 8.* Navarr. *in manual. cap. 13. num. 19.* Suarez *de leg. lib. 7. cap. 15. numer. 2.* Gabriel, Martinez *t. 2. quæst. 97. art. 3. dub. 2.* Barbos. *cap. fin. num. 13. de consuetud.* Fermosinus *ad rub. de consuetud. quæst. 1. num. 22.* & apud eum Curt. Præpos. Gordon. Megal. Bonac. Mascard. Palaus *tract. 3. dist. 3. part. 2. §. 2. num. 5.* Diana *part. 6. tract. 5. resolut. 2.* Ratio autem est, quia ad consuetudinem inducendam sufficit longum tempus. Hoc enim illud est, quod jura requirunt, *l. 1. ff. de aqu. pluv. arcen. l. 2. C. de servit. l. 1. Cod. quæ sit long. consuet. & in l. sed ea quæ, ff. de leg. & in l. non tantum, §. ult. ff. de decur.* At verò longum, & diuturnum tempus decennium esse dicitur, *ut C. de præs. long. temp. & in l. si cum fideicommissa, §. Arist. ff. qui & à quibus, & §. 4. instit. de usucap.*

213 Limitant verò nonnulli hanc assertionem distinguendo inter præsentem, & absentem, & dicendo quod respectu absentis ad consuetudinem requiritur tempus 20. annorum. Ratio est, quia ad præscribendum contra absentes requiruntur 20. anni, *§. 1. institut. de usucap.* Et ideò hanc sententiam tenuit Gloss. *in l. Diuturna, ff. de legib.* Et hanc eandem videtur approbare Silv. *v. consuetudo quæst. 2.* Et ejusdem meminit Hostien. *in sum.* referens aliquos Canonistas ita sensisse, & quoad civiles consuetudines multos Juristas ita tenere. Et ita quoque sensit Baldell. *de leg. lib. 5. disput. 46. num. 13.*

214 Sed limitatio communiter non admittitur in nostro casu, Diana *part. 6. tract. 5. resolut. 3.* ex Vuigers *p. 2. Div. Thom. quæst. 97. art. 3. conclus. 3. num. 26.* Palaus *tract. 3. dist. 3. part. 2. §. 2. num. 7.* ex Vasquez, & Salas. Vera quidem est in civilibus ubi consuetudo sit in præjudicium juris alicujus, & ad præscribendum contra illum ut absentem requiruntur viginti anni. Sed ubi consuetudo nullius juri infert præjudicium, & est præter jus, non facit ad rem distinctio illa absentis, & præsentis, quia hæc consuetudo non pendet à præscriptione propriè sumpta. Nec ista consuetudo præscribit contra aliquem, nec alicui adversatur, ideò ad eam sufficit illud tempus, quod absolutè in jure censetur longum & hoc est tempus 10. annorum. Existimat verò Rochus *de consuetud. sect. 3. num. 34.* quod ubi aliqua dispositio requirat consuetudinem legitimè præscriptam, sit necessaria quadragennaria. Sed alii DD. hoc non afferunt, & meritò quia ubi consuetudo sit præter jus, legitimè præscribitur per decem annos. Idem verò Doctor *numer. 43.* advertit, quod consuetudine potuisset induci ut nulla consuetudo possit præscribi, nisi per quadraginta annos.

215 Sed imò ampliatur assertio, ut in civilibus etiam si consuetudo sit contra jus, adhuc sufficiat ad illam præscribendam tempus 10. annorum. Ita enim sentiunt DD. citati suprà *num. 112.* & alii communiter. Et ratio est, quia jura distinguentes inter præsentes & absentes loquuntur respectu præscriptionis, in qua jus alterius ab eo aufertur, & præscribenti acquiritur. Sed in consuetudine nulli aliquid aufertur. Nam & licet abrogetur prior lex, nihil legislatori aufertur, cùm hoc non fiat nisi eo consentiente. Quod verò tollatur lex, hoc est ex lege ipsa, quæ vult, ut detur locus consuetudini rationabili. Item Princeps numquam abest, quia semper est præsens per se, vel per suos ministros. Et ideò quod etiam in consuetudine, quæ est contra jus civile sufficiat tempus decem annorum dixerunt Gemin. *cap. consuetudo num. 2. 12. dist.* Imol. *cap. fin. num. 43. de consuet.* Bursat. *cons. 186. num. 11. lib. 2.* Roch. *d. cap. fin. num. 281.* Natt. *cons. 431. num. 3. & cons. 406. num. 14. lib. 2.* Ludov. Gomez *cons. 101. numer. 23.* quos refert & sequitur Piaggius *de consuetud. quæst. 4. numer. 41.* idem tenent Suarez *l. 7. de leg. cap. 15. numer. 5.* Molin. *de just. tractat. 1. disp. 77.* Vasquez *part. 2. disput. 177. cap. 3. numer. 33.* Palaus *tract. 3. disput. 3. part. 2. §. 2. num. 7.* Salas *part. 2. disp. 19. sect. 4. num. 31.* Et alii quos infra referam tenentes hoc idem respectu juris Canonici.

216 Dicitur quintò, quod consuetudo, quæ est contra jus Canonicum, ut sit præscripta requirit tempus quadraginta annorum. Oppositum hujus tenent Palaus *tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 2. numer. 5.* & apud eum Donell. *l. 1. cap. 10.* & ibi Osuald. *in notat. liter.* Bonac. *de leg. dist. 1. quæst. 1. part. ult. §. 3. numer. 31.* Mascardus *de probat. conclus. 424. numer. 24.* Emanuel Sà *v. consuetudo num. 3.* Et apud Diana *part. 6. tract. 5. resolut. 2.* Præpos. *in p. 2. Div. Thom. quæst. 97. art. 3. dub. 1. num. 10. & dub. 2. num. 13.* Jacobus Gordon in promptuario *v. consuetudo num. 5. & num. 8.* Ratio autem illorum est, quia jura ad consuetudinem inducendam requirunt solum longum tempus, sed decennium absolutè est longum tempus, ut dictum est. Tum quia consuetudo absolutè per decennium est præscripta, & quia tempus decennii ad hoc sufficit, non debet exigi tempus longius. Et possunt hæc confirmari, quia jura canonica quæ requirunt quadragenariam loquuntur expressè & manifestè de præscriptione propriè sumpta; at verò non valet argumentum à præscriptione ad consuetudinem, cùm illa tollat quod suum est à vero domino, & alteri tribuat, consuetudo verò habet assistentiam juris naturalis, cùm sit rationabilis lex, & quidem communi populi consensu introducta. Et hoc confirmatur; Nam aliter si servandæ essent leges, & tempus præscriptionis Canonicæ, cùm ex una parte ad præscribendum contra jura Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis requiratur tempus centum annorum; & ex alia parte lex Canonica sit jus Summi Pontificis, sequeretur, quod ad præscribendum contra jus Canonicum non sufficeret tempus quadraginta annorum, sed centum anni essent necessarii, quod etiam DD. contrariæ opinionis negant.

217 Nihilominus standum conclusioni assertæ, quam tenent Ægid. *decis. 1. num. 2. vers. ista regula de constitut.* Rota *in recent. decis. 355. numer. 2. & decis. 497. numer. 4. & decis. 524. numer. 3. part. 1. & decis. 1. numer. 17. decis. 323. numer. 23. part. 4. tom. 2. & decis. 224. numer. 2. part. 6. & decis. 11. numer. 8. part. 8. & decis. 336. numer. 1.* coram Pena, Bartol. *in l. de quibus numer. 14. ff. de leg.* Rom. *cons. 68. numer. 5.* Hojed. *de incompatibil. offic. 2. part. cap. 11. numer. 14. Canonistæ, in cap. final. de consuetud.* ubi Cardin. *num. 17.* Butr. *num. 19.* Bellamer. *num. 11. in 2. quæst.* Panormitanus *num. 11.* Imol. *num. 15.* Ancharanus *num. 7.* Anton. Rocus *num. 293.* Burg. *in repet. cap. quæ in Ecclesiarum num. 2. de constitut.* Præpos. *cap. frustra num. 6. dist. 8.* Petrus de Raven. *de constit. num. 18.* Purpur. *numer. 315. num. 19. lib. 1.* Paris. *cons. 27. num. 28. l. 1.* Anton. Piaggius *de consuetud. quæst. 4. num. 45.* Covarruv. *l. 1. var. cap. 17. numer. 8. ver. 4.* Suarez *de leg. l. 7. cap. 15. num. 2.* Donatus *part. 1. tract. 1. quæst. 21. numer. 9. Clavis Regia l. 3. cap. 11. numer. 8.* Ratio autem est, tum primò, quia in his, quæ sunt juris Canonici magni fieri debet praxis Curiæ Romanæ, etiam si sit consuetudo facti, quæ habetur ex tot. decis. Rotæ, & alii pluribus, quæ citari possent. Tum secundò, quia hujusmodi consuetudo convenit cum præscriptione in hoc, quod si sit con-

contra jus derogat juri etiam Pontifice ignorante. Et in hac parte, si dicatur, quod consuetudo non potest derogare juri Canonico nisi Pontifice sciente, & personaliter consentiente, non est unde dicatur, quod ad valorem consuetudinis sit necessarium, quod sit præscripta, quia tunc semper consuetudo, (ut infra est probandum) habebit locum, quando præsumi poterit Pontificem consentire consuetudini, etiam si nec annus transierit; ex hoc ergo est necesse, quod consuetudo sit præscripta, quæ potest esse valida etiam Pontifice consuetudinem nesciente. In quo casu conveniens est, ut consuetudo assimiletur præscriptioni etiam in hoc, quod ad ejus valorem est necessaria quadragenaria, ex eo quod non requirit scientiam, & consensum ejus contra quem præscribitur. Quia tamen consuetudo propriè non est contra jus Summi Pontificis, cùm non deroget illi juri Pontificio, nisi ipso consentiente, & non intuitu privati commodi inducentis consuetudinem, sed intuitu boni communi, ideò non est necessarius omnis rigor præscriptionis, & sic non est necessaria centenaria præscriptio, sed sufficit quadragenaria. Nec obstat, quod habet Palaus *numer.9.* quia scilicet consuetudo rationabilis non sit contra Romanam Ecclesiam, vel Pontificem, sed potius pro illo, cùm non nisi ex Pontificis consensus vim habeat; quia non nihil est, imò non est parum in ordine ad bonum regimen Ecclesiæ, quod consuetudo etiam nesciente Pontifice inducta vim possit habere, & debeat servari, ut lex Ecclesiastica, & sic habetur nonnulla similitudo cum præscriptione, ut saltem tempus ex jure ad illam necessarium servandum sit etiam in consuetudine.

218 Hoc autem maximè est verum, quando lex contra quam consuetudo præscribi continet privilegium, vel concessionem gratuitam, & facultatem, quæ aliàs non competeret. Si enim consuetudo tunc procedit ad limitationem, facultatis concessæ intrat propriæ præscriptio, quia acquiritur facultas aliqua, quæ de jure operanti ad consuetudinem non competit, & quæ superioris jus est; ideò tunc servandæ sunt leges præscriptionis, & Constitutio Urbani VIII. 157. supra relata.

219 Limitatur autem assertio, ut non procedat quando essemus in profanis & inter laicos, inquantum sunt subditi temporali dominio Ecclesiæ, ut tunc consuetudo decennalis deroget juri Canonico. Ita Piaggius post Corner. Silvan. & Aym. *d.q.4.art.47.* Rochus *de consuet.sect.3.n.37.*

220 Ulterius idem Doctor *numer.49. & 50.* limitat eandem assertionem, ut non procedat Papa utente consuetudine illa contra jus, vel si ipse consuetudinem sciret, & approbaret, quia tunc sufficerent decem anni, ad hoc, ut consuetudo esset præscripta. Idem tenet Rochus *de consuet. sect. 3. numer. 39.* Layman *l. 1. tract. 4. cap. 24. numer. 2.* Sed hoc jam pertinet ad aliud membrum nostræ quæstionis, & limitatio deficit, quia tunc neque decem anni sunt necessarii.

221 Itaque igitur aliud membrum quæstionis erat, quando consuetudo non habet vim ex vi præscriptionis, sed ex vi scientiæ, & consensus Principis consuetudinem approbantis. In quo casu dicitur sextò, quod non est necesse propriè loquendo, quod consuetudo sit præscripta per tempus determinatum, quia non est necesse, quod duret per tempus præscriptum, seu prædefinitum, sed statim consuetudo habet vim, ac præsumi potest Principem illam approbare, etiamsi nec per annum duraverit. Hanc conclusionem tenent DD. quos infrà refero. Probatur autem evidenti ratione. Nam posita simul materia rei, & forma ejus ponitur substantialiter res ipsa: In consuetudine autem juris frequentia actuum, seu consuetudo facti habita à populo ex intentione se obligandi, se habet ut materia, consensus autem Principis se habet ut forma simpliciter dans consuetudini vim obligandi. Quotiescumque igitur datur facti consuetudo habita à populo ex intentione se obligandi, & advenit consensus Principis, non est unde desideretur longius tempus ad hoc, ut consuetudo habeat vim legis. Confirmatur, nam jura dixerunt quidem consuetudinem præscriptam vim legis habere, sed non dixerunt. quod non possit citius perfici, si Princeps sciat, & consentiat.

222 Dicitur propterea septimò in arbitrio prudentis judicis, seu viri positum esse judicare, an consuetudo juris sit inducta Principe sciente, & approbante. Ita Sotus *lib.1. de just. quæst.7. art.2.* Med. *part.2. quæst.97. art.3. §. sed dubitatur*, & ibi Serra *dub.1. §. an verius*, Silvius *conclus.8.* Valenz. *punct.8.* Montesin. *dist.23. quæst.33. num.225.* Vasquez *disp.177. cap.5.* Lorca *disput.29. in fin.* Granado *controv.7. tract.2. part.2. dist.16. sect.1. num.19.* Martinez de Prado *cap.3. quæst.13.* Suarez *l.7. de leg. cap.15. num.8.* Baldell. *de leg. lib.5. disput.18. num.14. disput.46. num.18.* Donatus *part.1. tract.1. disput.21. numer.18.* Citatur etiam pro hac sentent. Menoch. *de arbitr. lib.2. casu 83.* & apud ipsum Corras. Cujac. Ant. Fab. Duar. Sed Menoch. quem sequitur Fermosin. *ad rub. de consuetud. quæst.1. numer.28.* loquitur in sensu valdè diverso, existimat enim arbitrarium esse, an sumi debeat tempus decem, vel quadraginta annorum, vel immemorabile, & nihilominus sensit, quod ubi consuetudo sit contra jus canonicum, sit necessaria quadragenaria præscriptio. Probatur tamen conclusio in sensu posito, quia ubi res variabiliter contingit, non potest dari certa regula; sed in arbitrio prudentis est de ea judicare, an legitima sit & firma, & valida; consuetudo verò valdè variabiliter contingere potest, nam operum alia fiunt frequentiùs, & in minori tempore, alia rarius, & in tempore longiori. Item alia secretius fiunt, & toti populo non innotescunt, nisi in longiori tempore, alia in breviori. Pariter non tam citò apparet, qua intentione operentur homines, an scilicet ex intentione inducendi consuetudinem, & se obligandi in futurum, an ex alia causa. Scientia etiam Principis diversimodè adesse potest. Nam & operum alia manifestiora sunt, alia occultiora, & Princeps potest etiam adesse operantibus, vel abesse. Hæc enim & alia faciunt, ut non possit dari regula certa ad cognoscendum, an & quando consuetudo sit legitimè introducta, & ideò hoc arbitrio prudentis relinquitur judicandum.

Ad probandum verò consuetudinem adesse multum valet sententia judicis, maximè si à Principe sit confirmata. 223
Nam judicatum ab inferiori judice, & toleratum est signum grande consuetudinis. Item cujuscumque prudentis judicis sit sententia, per se conciliat auctoritatem consuetudini, quæ potest esse justa etiam si non præscripta. Quia cùm non requirat certum tempus, sed pendeat ex conjecturis, fieri potest, ut ex prudenti, & probabili judicio detur sententia in favorem consuetudinis, quæ licet præscripta non sit, reputatur sufficiens, quia satis indicat voluntatem Principis scientis, & populi. Unde quamvis talis sententia principaliter necessaria non sit ad sufficientiam talis consuetudinis, quia hoc ipsum ad sententiam supponitur, & per illam declaratur, nihilominus si aliquando lata est, multum confirmat conjecturam consuetudinis, & si multiplicetur potest facere moralem certitudinem: nam & per testimonia virorum prudentum multum confirmabitur.

In dubio verò an consuetudo sit consuetudo nudi facti, 224
vel juris, consuetudo neque obligat, neque liberat ab obligatione legis. Non obligat quidem, quia est dubia in sui existentia, & quia in dubio potius, ut suprà dictum est, judicari debet, quod consuetudo facti sit ex devotione, non verò ex intentione se obligandi. Sed neque liberat ab obligatione legis, quia possessio stat pro lege, cujus obligatio est certa.

Hoc etiam est considerandum, quod anni decem, vel qua- 225
draginta, qui sunt necessarii ad hoc ut consuetudo dicatur perfectè præscripta numerandi sunt à die, non à quo incœpit consuetudo facti, sed à quo incœpit animus se obligandi, aut liberandi ab obligatione; quia consuetudo facti non est inductiva consuetudinis juris, nisi ex illa intentione; aliàs etiamsi per mille annos duret, non obtinet vim legis, ut hoc obtineat ex vi præscriptionis necesse est, quod respectivè duret per decem vel quadraginta annos, vel per tempus immemorabile.

Nam respectu eorum, quæ non possunt præscribi nisi per 226
annos centum, vel per tempus immemorabile, consuetudo ante illud tempus nequit esse præscripta. Inter hæc verò computantur ea, quæ competunt Principi in signum specialis privilegii, quia tunc ex utroque jure requiritur tempus immemorabile, *cap. super quibusdam de verb. significat. l. non solum, Cod. nov. vectig.* Piaggius *dict. quæst.4. p.59.* multos citans, & Panorm. *d. cap. fin. num. 11.* Rochus *de consuet. sect.3. num.36.* sicut & in reservatis summo Pontifici circa spiritualia consuetudo nullo unquam tempore inducitur secundùm eundem Piaggium *num.60.* & Panorm. *cap. sanè in princ. de tempor. ordin.*

Jam

227 Jam etiam supra *art.* 3. probatum est, quod hoc tempus debet esse continuum, & quod præscriptio uno actu io contrarium interrumpitur, Panorm. *cap. fin. nu.* 19. *de consuet.* Diana *d. tr.* 5. *res.* 4. Fermosinus *d. q.* 1. *n.* 59. Palaus *d. p.* 2. §. 2. *n.* 11. Bassæus *v. consuetudo n.* 11. Et sic oportet, quod pee totum tempus præscriptionis populus inducere volens consuetudinem operetur secundùm illam quando, & quoties oportet.

228 Nedum verò hæc continuata præsctiptio est necessaria pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ, ut consuetudo sit valida, Diana *d. tr.* 5. *resol.* Lex enim aliter non consentit consuetudini.

S V M M A R I V M.

229 *Consuetudinis magna vis.*
Initium ejus cum initio mundi.
230 *Obligat sicut lex etiam sub mortali, nec indiget promulgari.*
231 *Consuetudo potest obligare ad pœnam, & ad puram pœnam.*
232 *Potest inducere formam, & actus irritare.*
233 *Vnius Regni, vel civitatis non obligat aliud, vel aliam.*
Metropolitanæ Ecclesiæ, non obligat suffraganeas.
234 *Intellect. cap. super eo de cognat. spir.*
Romana Ecclesia, ut particularis non obligat alias.
235 *Civitatis non obligat oppida.*
236 *Consuetudines locorum consulenda ut magistra.*
237 *Consuetudo particularis derogat Generali.*
238 *An obliget Principes, Forenses &c. remissivè.*
239 *Consuetudo laicorum non obligat Clericos.*
240 *Vbi Clerici obligantur legibus Clericorum, duæ sunt leges, & ex Canonica obligantur Clerici.*
241 *Laici in materia spirituali possunt inducere consuetudinem etiam clericos obligantem.*
Plebiscita leges.
Clericorum consuetudo non obligat Regulares.
242 *Consuetudo non extenditur ad casum non expressum ex similitudine rationis.*
243 *Qui nescientes continuant consuetudinem non inductam, eam non inducunt.*

ARTICULUS IX.

Vtrum consuetudo obliget, & qualiter, & quando.

229 MAgnam esse vim consuetudinis jura ipsa restantur, & advertit etiam Cicero *lib. de amicit.* Et ratione antiquitatis illius sibi maximè tribuendum est. Fuit enim inducta ante jus scriptum, Butr. *cap. fin. num.* 49. *de constit.* D. Antoninus *par.* 1. *tit.* 16. §. *Rochus de consuet. in rubr. colum.* 1. Dicunt verò primitus inductam fuisse a Cain eo tempore, quo civitatem ædificavit. Gen. 4. quia tunc homines simul habitare cœperunt, Gloss. & DD. *in cap. non est*, 6. *dist.* Sed cùm jus gentium consuetudine fuerit introductum, & cùm homines etiam ante constructionem civitatis primæ simul viverent, consuetudinis initium statim, ex quo in mundo multitudo hominum esse cœpit, imò ab ipsa mundi origine initium suum ab ipso Adamo, & Eva habuit.

230 In primis verò cùm consuetudo sit lex, effectus legis potest apparere. Non enim interest, quod lex sit scripta, vel non scripta, sed usu, & factis instituta. Ex hoc verò consuetudo est lex, quæ non indiget publicari, cùm experimento ipso factorum publica sit, & notoria. Ideò consuetudo obligat ad sui observantiam sicut & aliæ leges, undè obligat in conscientia, Rochus *de consuet. sect.* 1. *num.* 12. magis, vel minus juxta materiæ gravitatem, & juxta intentionem populi, qui consuetudinem introduxit. Nam & potuit introduci lex, quæ solùm ad veniale obligaret. Quamvis, nisi de hac intentione constet, dicendum sit consuetudinem in re gravi obligare sub mortali, Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 16. *num.* 2. Felin. *cap.* 1. *de spont.* R. P. D. Fagnan. *cap. cum esset num.* 23. *de testam.* Et qui non observat consuetudinem, puniendus est, ac si esset transgressor legis, R. P. D. Fagnan. *cap. irrefragabili*, §. *Cæterum n.* 21. *de off. Ordin.*

231 Secundò potest consuetudo obligare ad pœnam, & legem pœnalem inducere. Nam omnis lex consecutivè obligat ad pœnam, quæ semper debetur transgredienti legem. Ideò consuetudo potest etiam hujusmodi pœnam determinare, *cap. super eo, de cognat. spiritual.* ubi Innoc. Panor. & alii. Imò & posset legem purè pœnalem inducere, quæ non obligaret ad culpam, sed ad pœnam. Arbitratur verò Suarez *num.* 3. quod tunc consuetudo induceret eam obligationem, magis per modum præscriptionis, quàm per modum legis; quia illa pœna videtur potius esse quoddam tributum, ad quod exigendum Princeps consuetudine jus acquisivit. Verum dicendum est oppositum, quia consuetudo, & lex non scripta obligans ad aliquid agendum, vel non agendum est regula operandi ex ordine ad bonum commune, non verò est acquisitio alienæ rei ex fine privato, qualis est præscriptio. Ideò consuetudo talis obligat tamquam lex, non verò tamquam præscriptio. Lex enim purè pœnalis, licet non obliget ad culpam, obligat tamen etiam sub culpa, vel ad servandum, quod lex præcipit, vel ad subeundam pœnam. De quo videri possunt, quæ scripsi *com.* 1. *de stat. q.* 186. *art.* 9. *num.* 41. & *seqq.*

232 Tertiò consuetudo potest dare formam contractibus, & ut ea non servata contractus sit nullus. Semper enim militat eadem ratio, & sicut Princeps hanc nullitatem inducere potest, si verbo vel scripto manifestet suam voluntatem, idem potest facere, si manifestet facto approbando consuetudinem, *cap. super eo, de cognat. spirit.* & *cap. olim de cleric. conjug.* Felin. *cap.* 2. *de sponsal. num.* 2. & *tertio*, Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 4. Soarez *l.* 7. *de leg. cap.* 16. *num.* 6. Et sic consuetudo potest facere; ut aliquis aliàs idoneus sit ineligibilis, Gloss. *in dict. cap. olim*, *ver. repugnet.*

233 Quartò consnetudo convenit cum lege in modo obligandi, sicut enim lex non obligat nisi personas subditas, sic consuetudo non obligat nisi eos, qui sunt pars illius populi, qui se per consuetudinem obligavit. Et ita consuetudo unius regni non obligat aliud; & unius civitatis, aut oppidi, noo obligat aliam, vel aliud; & unius collegii, aut generis hominum, non obligat alia collegia, vel homines, & sic consuetudo nec ad alias personas ab illis, quæ eam induxerunt, nec ad alia loca se extendit. Rota *in recentioribus decis.* 94. *num.* 1. *part.* 4. *t.* 1. & *decis.* 629. *num.* 18. *par.* 4. *c.* 3. & *decis.* 513. *num.* 12. *par.* 9. & *decis.* 214. *num.* 19. *par.* 7. & *decis.* 127. *num.* 10. *part.* 8. & *decis.* 411. *num.* 9. *p.* 9. Suarez *lib.* 7. *de leg. cap.* 16. *n.* 6. Diana *p.* 6. *tr.* 5. *resol.* 17. Vviguers *p.* 2. D. Thom. *q.* 97. *art.* 3. *conc.* 3. *diffic.* 5. *n.* 30. Fermosinus *in rubr. de consuet. q.* 3. *num.* 8. Panorm. *in cap. fin. de Feriis*, Salas *de leg. disp.* 19. *sect.* 14. *num.* 10. Et apud istos alii plures Palaus *tract.* 3. *d.* 3. *punct.* 4. §. 1. *num.* 2.

234 Imò consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ non se extendit ad Episcopatus Suffraganeos, nisi sit consuetudo Provinciæ totius. Et quod *in cap. super eo de cognat. spir.* scriptum fuerit Episcopo cuidam, quod consuetudinem Metropolitanæ Ecclesiæ, vel circumpositarum Ecclesiarum studeret imitari, Suarez *d. cap.* 16. *num.* 7. putat intelligendum quando consuetudo est totius Provinciæ in veritate, sed hoc latet in aliquo Episcopatu. Cæterùm unius Ecclesiæ consuetudo aliam non obligat. Ita quod nec consuetudo Romanæ Ecclesiæ, ut est particularis alias Ecclesias non obliget, quia ut sic non se habet ut superior ad illas; nisi Pontifex sua lege consuetudinem extendant, Panorm. *cap. ult. de Feriis*, *in fin.* Turrecrem. *cap. nolite dist.* 11. Suarez *d. cap.* 16. *n.* 6.

235 Et sic consuetudo civitatis non obligat oppida intra districtum civitatis existentia, nisi civitas possit per legem illa oppida obligare, vel nisi consuetudo universaliter à toto civitatis districtu sit inducta. In quo sensu verum est, quod oppida subjecta intra districtum civitatis existentia, si non habent propriam, consuetudinem civitatis servare tenentur, prout voluerunt Bart. *l.* 2. *Cod. quæ sit long. consuet. q.* 36. *num.* 41. Butr. *cap. final. de constitut. sect.* 4. *num.* 17.

236 Quod si objiciatur, quod consuetudo vicini loci attendi debet, si contingat, quod in civitate non sit lex, vel consuetudo, ex quibus causa decidatur. Ad quod allegantur Sil-

Silvanus *cons.* 60. *num.* 10. Menoch. *cons.* 312. *num.* 13. *& cons.* 390. *num.* 22. *& cons.* 395. *num.* 9. *&* 10. Mascard. *de probat. concl.* 1415. *num.* 12. Gama Lusit. *decis.* 16. *num.* 6. *& decis.* 144. *num.* 10. Velascus *consult.* 51. *num.* 48. *& consult.* 70. *num.* 5. Respondetur hoc verum esse de æquitate, & ex lege naturali suadente causas decidendas ex ratione, & consilio peritorum, & ut consulantur Doctores. Consuetudo enim est magistra optima æquitatis. Consuetudines igitur aliorum locorum consuli debent, non ut leges obligantes, sed ut magistræ docentes, & consulentes quid sit agendum, Palaus *tract.* 3. *disp.* 3. *part.* 4. §. 1. *num.* 3. Salas *de leg. disp.* 19. *sect.* 14. *num.* 102. Diana *dict. res.* 13. Vvigers *dict. num.* 30. Fermos. *d. q.* 3. *num.* 17. Et ita ex hoc explicatur etiam *dict. cap. super eo, de cognat. spir.*

237 Ex hoc etiam sequitur, quod ubi in aliquo loco particulari est consuetudo contraria consuetudini communi Provinciæ, aut Regni, consuetudo particularis prævalet, & observari debet. Rota in una Calaguritana decimarum 19. Martii 1610. & in una Pampilonen. Vicariæ 3. Martii 1617. coram Cavalerio *decis.* 95. *n.* 3. *& decis.* 419. *num.* 4. & in una Placent. Decim. 10. Maji 1628. coram Coccino, quas refert, & sequitur Diana *d. tract.* 5. *resol.* 31. Bart. *l.* 2. *C. quæ sit longa consuet.* Paris. *cons.* 25. *num.* 42. *l.* 4. & ex Velasquez Cened. Rebuff. Guttierez & Pereg. Fermos. *d. q.* 3. *n.* 4. Nam particularis consuetudo derogat generali, sicut & derogat legi.

238 Hinc verò solvuntur multæ quæstiones, scilicet primò, quas personas obliget consuetudo, an scilicet obliget Principem, vel Senatum supremum, item an consuetudo civitatis obliget forenses, & an eadem obliget cives existentes extra territorium. Cùm enim consuetudo à lege scripta differat solum in modo, quo inducitur; quia nimirum consensus Principis in consuetudine facto manifestatur non verbo, vel scripto, quæ differentia materialis est, dicendum est consuetudinem obligare sicut obligant aliæ leges, unde non est in hoc specialis difficoltas de consuetudine, sed ex communi doctrina de legibus quæstiones illæ sunt solvendæ.

239 An verò consuetudo laicorum obliget clericos, dicendum est consuetudinem, quæ est tantum laicorum non obligare illos, quos tamen obligat consuetudo mixta, quæ est utrumque. Ita Felin. *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut. num.* 100. *& cap. ad nostram, de probat. num.* 3. ubi Panorm. *num.* 3. Alber. *tract. de stat.* 2. *p. q.* 9. Rochus *ad c. fin. de consuet.* Illa verò est laicorum tantum consuetudo, quæ est ex eorum consensu tantum, & est de materia civili, & temporali, & à solo beneplacito Principis sæcularis est comprobata.

240 Sed numquid sicut potest dari lex civilis, quæ clericos obliget, nimirum illa, quæ respicit commune bonum civium, eorumque communem convictum, nec est contra immunitatem, aut libertatem Ecclesiæ, sic dari poterit consuetudo civilis, quæ obliget etiam clericos? Respondetur, quod ut dictum est supra *art.* 2. *num.* 76. hujusmodi leges non sunt merè laicales, licet à potestate laica initium sumant; approbatæ sunt enim à jure canonico, & communi consuetudine Ecclesiæ, & ex ipsa ratione naturali, & supernaturali, & non ex vi potestatis sæcularis obligant clericos, sed ex vi juris naturalis, & canonici. Ideò in materia civili tali, in qua leges à laicis latæ possunt obligare clericos, dari etiam potest consuetudo illos obligans. Sed hæc non est consuetudo merè laicalis, sed est mixta, & ex vi juris canonici vim habens, & ex supereminenti approbatione, & directione Sedis Apostolicæ. Ideò sunt jam consuetudines mixtæ, nam & quando materia mixta est, & pertinens tam ad materiam civilem, quàm ad Ecclesiasticam, & consuetudo inducta fuit, & servatur communiter tanquam approbata tam à Principe laico, quàm à Prælato Ecclesiastico, non est una consuetudo, sed potius est duæ, quarum quælibet à proprio legislatore vim habet.

241 In materia verò spirituali ordinata ad salutem animæ, ut est consuetudo colendi festa, jejunandi, &c. si sit communis, & ex communi consensu laicorum, & clericorum inducta, omnes obligabit, quia vim non habet, nisi ex potestate Prælati Ecclesiastici, qui potest suis legibus obligare tam laicos, quàm clericos. Sed numquid in hac materia spirituali populus laicus, qui est major pars, si consentiat in aliquam consuetudinem, puta in consuetudinem jejunandi, poterit ne invitis clericis induci consuetudo, quæ etiam Clericos obliget? Negat Palud. 4. *d.* 15. *q.* 4. *art.* 3. Tum quia clerici habent modum vivendi sibi proprium, v. gr. proprias abstinentias &c. Tum quia sunt veluti Senatores, quos non obligant Plebiscita, nisi consentiant. Tum quia Monachi non obligantur legibus, & consuetudinibus clericorum regularium. Verùm in materia spirituali laici non considerantur ut laici, sed ut Ecclesiæ cives ex fide Christi operantes, & constituentes unum corpus spirituale, cujus partes sunt etiam clerici: Ideò quia major pars potest cogere minorem in inducenda consuetudine, dicendum est, quod ubi populus ex fide Christi operans ad Dei cultum, & populi salutem intendit se obligare, populus potest obligare clericos, idest potest inducere consuetudinem, quæ si sit approbata à Prælato Ecclesiastico obligabit etiam clericos. Plebiscita verò non obligabant Senatores, quia Plebiscita à populo, & ejus tribuno proficiscebantur non verò à legislatore, cui Senatores subessent. Et consuetudines clericorum non ligant Regulares, quia isti non sunt subditi Episcopo, à quo clericorum consuetudines vim obligandi habent. Consuetudo verò inducta non est lex, nisi in virtute approbationis superioris legislatoris, qui non potest obligare non subditos.

242 Quintò Rochus *d. cap. fin. nu...* & alii dicunt consuetudinem convenire cum lege, ut extendatur de uno casu ad alium ex similitudine rationis, Suarez verò *l.* 7. *de leg. cap.* 16. *num.* 14. ait hoc difficillimè fieri posse. Sed dicitur hoc fieri non posse. Nam cùm verum sit, quod neque lex ob similitudinem rationis umquam se extendit de casu expresso, ad non expressum, nisi Princeps ipse nova lege hanc extensionem faciat, quia ratio legis, & finis non cadit sub lege, ut res præcepta, sed ut causa præcipiendi, sub lege verò, ut præceptum cadit medium, quod ob finem eligitur, hoc verò est illud, quod lex exprimit, non verò aliud, quod non est expressum. Præterquam quod numquam casus casui est similis adæquatè, & omninò, & sola similitudo in aliquo communi non potest sufficere. Multò minus igitur hoc potest convenire consuetudini. In lege verò ex motivo finali potest fieri major, vel minor extensio, secundùm quod verborum significatio magis, vel minus potest extendi. Sed hoc verè difficillimè potest habere locum in consuetudine. Quod verò etiam in consuetudine, quæ est contra jus, non fiat extensio ex similitudine rationis, dixit Pasqual. *decis.* 393. *n.* 2. *juncto n. fin.* Sed est verum de omni consuetudine.

243 Baldell. autem *de leg. l.* 5. *disp.* 22. *n.* 1. arbitratur, quod consuetudo ex temporis extensione accipiat vim obligandi, ut quę ab initio non obligabat, ex quo postea subditi nescientes illam observarunt, incipiat obligare. Sed hoc est contrarium communi doctrinæ. Neque enim consuetudo, quæ est ex ignorantia, nec observantia ejus, quod creditur obligare valet, ut consuetudinem obligantem inducat. Qui ergo ignorans, observat consuetudinem putans eam obligare, & si per mille annos id faciat, numquam consuetudinem obligantem inducit.

SVMMARIVM.

244 *Consuetudo optima legis interpres.*
245 *Consuetudo facti interpretatur legem tamquam magistra.*
246 *Et hoc convenit etiam consuetudini prævenienti legem.*
247 *Consuetudo, ut est juris legaliter interpretatur legem.*
248 *In dubiis standum consuetudini potius, quàm communiori opinioni, aut verborum proprietati.*
249 *Quomodo præscribatur.*
250 *Interpretatur qualitatem legis, & sub qua culpa obliget.*
251 *Etiam legem divinam interpretatur.*
252 *Se extendit quantum se extendit authoritas eam approbantis.*
253 *Se ipsam interpretatur.*

ARTICULUS X.

Vtrùm consuetudo interpretetur legem.

244 CONsuetudinem esse optimam legis interpretem habetur, *cap. Cùm dilectus*, ubi DD. *de consuet. & cap. certificari, de sepul.* Gloss. *in cap. ex parte, de celebrat. Miss.* Gloss. *in cap. ab eo de appell.* Hostien. *cap. Nonnulli num.* 10. *de rescript.* Panorm. *cap. quod dilectio, de consang. & affinit.* Seraph. *decis.* 284. *n.* 5. *& dec.* 606. *n.* 17. *& dec.* 1001. *n.* 5. *& decis.* 1410. *num.* 3. Put. *decis.* 172. *n.* 2. *lib.* 1. Rota *in recent. decis.* 642. *n.* 15. *p.* 1. *decis.* 480. *n.* 6. *p.* 2. *decis.* 11. *num.* 6. *p.* 4. *tom.* 2. *decis.* 462. *num.* 2. *part.* 5. & universaliter per omnes DD.

245 In duplici verò sensu potest intelligi, quod consuetudo legem interpretatur, vel scilicet per modum signi, seu testimonii, vel authoritativè, & per modum legis. Sola consuetudo facti interpretatur legem per modum signi attestantis, docentis eam sic intelligendam esse, sicut eam ipsa consuetudo interpretantur, & sic ipsa in genere doctrinæ, & testimonii habet vim non ad persuadendum quod talis fuerit mens legislatoris, & quod in eo sensu & intelligentia lex fuerit recepta, quia leges moribus coalescunt, ut ex Isid. *dict. cap.* 1. *dist.* 1. Verùm quidem est, quod hujusmodi interpretatio non est infallibilis; quia solum est humana conjectura; est tamen valdè probabilis, & propterea ad doctrinalem interpretationem legis multum juvat. Et quò consuetudo est extensior, & diuturnior, eo habet majorem probabilitatem, & efficaciam. In hoc verò nulla certa conjectura assignari potest, sed prudentem relinquitur arbitrio.

246 Nedum verò consuetudo, quæ legem sequitur, sed illa quoque quæ eam præcedit, vim habet, ut legem interpretetur. Quod etiam probari potest *Ex l. si de interpretatione, ff. de legibus*. Cùm enim, ut habetur ex Isid. *cap.* 2. lex secundùm patriæ consuetudinem fieri debeat, præsumi potest, vel conjecturari legislatorem ad consuetudinem Patriæ respexisse, cùm legem condidit, & in eo sensu loquutum, qui eidem consuetudini alias rationabili faveret. Nam & in hoc sensu DD. sæpè dicunt legem esse interpretandam secundùm consuetudinem loci, etiam si oporteat verba legis minus propriè exponere, quia debet moribus hominum accommodari, Gloss. *in cap. Nonnulli, de rescript.* Bart. *in l. omnes pop. ff. de just. & jur.* Panorm. *in c. Certificari num.* 2. *de rescript.* Suarez *l.* 7. *de leg. cap.* 17. *num.* 2.

247 Sed consuetudo etiam authenticè & per modum legis interpretatur legem, obligando ad hoc, ut lex in sensu à se interpretato & servato custodiatur, *l. Nam imperator, ff. de legib.* Suarez *d. cap.* 17. *num.* 3. Mascard. *de prob. tom.* 2. *concl.* 1045. Hanc verò consuetudinem Suarez ibidem *num.* 1. vocat secundùm legem, & imò vult, quod sola consuetudo, quæ est secundùm legem, possit legem interpretari. Et quidem evidens est, quod consuetudo, quæ est contra legem, & legi derogat, legem non interpretatur. Et talis censeri debet consuetudo, si legem habentem sensum clarum, & manifestum, in alio sensu interpretatur, & vult eam observari. Hæc enim consuetudo non debet dici legis interpres, sed correctio, Rota *decis.* 212. *part.* 2. *recent.* Sed nihilominus videtur quod consuetudo, quæ legaliter legem interpretatur aliquid novi præcipiat; quod non præcipiebatur per legem interpretatam, & inducat novam obligationem. Verùm quia interpretatio legis ejusque declaratio non est nisi ipsa lex interpretata clarius expressa; ideò melius dicitur, quod hujusmodi consuetudo interpretativa sit consuetudo secundùm legem, non autem præter legem. Nisi aliquid simul addat, quia tùnc quantum ad additum esset consuetudo præter legem.

248 In dubiis ergo consuetudo inspici debet, nam in casibus valdè dubiis multum valere consuetudinem ex Panorm. probat R. P. D. Fagnan. *cap. Tuam num.* 59. *de ord. cognit.* & dixit Seraph. *decis.* 1410. *num.* 2. 16. *&* 22. idemque R. P. D. Fagnan. *cap. Irrefragabili §. excessus num.* 31. *de off. ordin.* etiam addidit, quod potius consuetudini in dubiis standum est, quàm communiori DD. opinioni, ut etiam voluerunt Panorm. *in cap. Cum dilectus, num.* 17. *de consuetud.* Bald. *cons.* 275. *num.* 3. *l.* 1. Mant. *de conjectur. ultim.* *volunt. l.* 11. *tit.* 18. *num.* 34. & Rota *decis.* 625. *num.* 15. *p.* 4. *t.* 3. *recent.* Et tantum valet in lege interpretanda consuetudo, ut primò loco in ea interpretanda recurrendum sit ad illam, deindè ad verborum propriam significationem, per Gloss. *un. in leg. Non possunt, ff. de leg.* & DD. *in cap.* 1. *de constit.* ubi Anchar. *num.* 34. Panorm. *num.* 14. R. P. D. Fagnan. *cap. Cum venissent num.* 87. *de judic.* Unde est, quod quatenus consuetudinis interpretationi repugnaret verborum proprietas, nihilominus illi standum esset. Quod indubitatum esse debet de consuetudine juris, quæ vim legis habet. Et nihilominus prædicta verificatur etiam de consuetudine facti, si aliàs non sit irrationabilis, & ejus interpretatio absurda, quia consensus communis in interpretanda lege magni faciendus est. Sic enim & verba legis ex consuetudine, & communi intelligentia interpretari debere consideravit Baldell. *de leg. l.* 5. *disp.* 22. *num.* 4. Et in hoc maximè fundantur jura, quæ, ut in artic. sup. visum est, volunt ut in dubiis consuetudo vicinorum locorum attendi debeat, ubi deficit propria lex, aut consuetudo, quia magisterium consuetudinis in significando vero sensu legum, ut ex eis dirigi possimus, est valdè efficax, & opportunum.

Hæc verò consuetudo debet esse præscripta, quod intelligendum est juxta dicta superius de præscriptione consuetudinis, ut censeri debeat præscripta quotiescumque constet de consensu Principis. Addam quoque quod ad præscribendum minus tempus requiritur etiam de jure Canonico. R. P. D. Fagnan. *cap. super inordinata num.* 33. *de præben. & cap. veniens num.* 22. *de cognat. spir.* Unde spatio decem annorum præscribi dixerunt Gloss. *in d. l. Nam Imperator*, Puteus *dec.* 276. *num.* 2. *lib.* 1. Rota *decis.* 625. *num.* 1. *p.* 4. *rec. tom.* 3. Barbos. *cap. cum dilectus num.* 8. *de consuet.* R. P. D. Fagnan. *cap. nos quidem num.* 72. *de testamen.* Imò in interpretativa consuetudine non esse necessariam præscriptionem habetur ab eadem Rota apud Seraph. *decis.* 964. *num.* 5. *& in recentiorib. decis.* 14. *num.* 5. *p.* 7. *& decis.* 624. *n.* 4. *p.* 7. *& decis.* 118. *n.* 13. *par.* 9. R. P. D. Fagnan. *cap. Tuæ, nu.* 15. *de Cler. non residen. cap. consuetudines num.* 35. *de consuetud.* Barb. *cap. cum dilectus num.* 9. *eodem tit.* Quod verum esse puto ratione dicta, quia ubi constet de legislatoris consensu non requiritur alia præscriptio temporis, quando tamen consuetudo interpretatur legem contra mentem legis, quia tùnc legem abrogat, vel corrigit, debet esse præscripta, eo modo, quod consuetudo, quæ dicitur contra legem, Put. *decis.* 276. *num.* 2. *lib.* 1. *& decis.* 15. *num.* 4. *lib.* 2. Si etiam hæc interpretatio fiat judicialiter, & nimirum per judicum sententias concordes, qui perpetuo, idest sive varietate legem in eodem sensu interpretati sunt, indiget præscriptione sicut aliæ consuetudines, sed censebitur præscripta, ubi præsumi poterit legislatorem eam approbasse. Quod etiam ad illam inducendam unicus actus sufficiat, dixerunt Barbos. *ad cap. Cum dilectus num.* 9. & ibi Fermosinus *num.* 3. *de consuetud.* & supposita approbatione Principis, licet talis non erit propriè consuetudo, erit tamen vera legis interpretatio. 249

Potest verò consuetudo etiam qualitatem obligationis legis interpretari. Et ideò, si constet consuetudinem esse receptam, ut graviter obligantem, obligat sub mortali, Silvest. *v. præceptum num.* 2. *in fin.* Cajet. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad secundum, & q.* 147. *art.* 2. circa secundum loquens in particulari de præcepto jejunii, Navarr. *cap.* 21. *num.* 11. Suarez *de leg. lib.* 7. *cap.* 17. *num.* 5. sicut è contra si etiam consuetudo in benigniorem sensum legem interpretatur verba sufficientia ad significandam obligationem sub mortali, ut non dicant, nisi sub veniali, solum obligabit sub veniali, ut etiam Cajet. adnotavit, & post eum Suarez. Quia in omni casu, etiam si lex & verba legis in alio sensu essent intelligenda, consuetudo potest derogare legi. Sed sæpius verba sunt ambigua; & ideò interpretationem admittunt. Sed ut consuetudo efficaciter præstet hunc effectum debet esse consuetudo vim & conditiones legis habens. 250

Legem quoque divinam & naturalem potest consuetudo interpretari, non tamen addendo, vel minuendo, seu corrigendo, sed ejus sensum explicando, & quod intimum in lege continetur manifestius declarando. Hæc tamen debet esse totius Ecclesiæ traditio, vel per Pontifices approbata, secundùm Suarez *dict. cap.* 17. *numer.* 6. Quia enim lex non potest habere contrarios sensus, si ali- 251

aliqua Ecclesia id approbante Pontifice Romano legem in aliquo sensu interpretatur, ille est verus sensus & certus, & totam Ecclesiam obligans, sicut illam lex ipsa obligat.

252 Sic legem interpretativam extendi ex similitudine rationis dixit Pasqual. *decis.* 396. *num.* 6. Sed dicendum est ipsam consuetudinem interpretativam ex natura sua esse communem omnibus, ad quos se extendit lex interpretata & authoritas approbantis consuetudinem interpretantem; quia interpretatio legis non est nisi lex ipsa interpretata, ideò se extendit, quantum se extendit lex, & authoritas superioris; quia interpretatio habens vim legis à superiore non potest authoritativè sic extendi magis, quàm authoritas approbantis consuetudinem, quamvis per modum magisterii ad omnem locum possit extendi.

253 Sed & se ipsam potest consuetudo interpretari, quia ipsa etiam ostendit intentionem utentium. Tamen etiam ratione debet consuetudo explicari, ut ex Baldo *in l. maximum, C. de liber. preter. in princ.* adnotavit Roch. *ad cap. fin. de consuet. sect.* 4. *n.* 23.

SVMMARIVM.

254 *Argumenta in contrarium.*
255 *Consuetudo legem abrogat.*
256 *Populus liber authoritativè abrogat legem; sed subditus illam consuetudine abrogat ex consensu Principis.*
257 *Consuetudo est causa materialis abrogans legem.*
258 *Potest abrogare legem pro parte.*
259 *Pars minor potest pro se abrogare legem.*
260 *Pars minor non potest pro toto populo abrogare legem.*
261 *Dissuetudo abrogat legem.*
262 *Consuetudinem abrogantem legem non posse induci ex actibus bonis quidam dicunt.*
263 *Hoc rejicitur.*
264 *Quæ intentio sit necessaria in consuetudine exemptiva.*
265 *Etiam ex actibus ex timore provenientibus induci potest consuetudo exemptiva.*
266 *Consuetudo non est tantum signum, sed est vera causa abrogationis legis.*
267 *Etiam ex consuetudine bonorum actuum conjecturari potest voluntas legislatoris.*
268 *Lex non abrogatur sine causa rationabili, sed hæc ex parte Principis est necessaria.*
269 *Consuetudo ex parte populi pessima potest, ut causa per accidens, mutando materiam legis rationabiliter abrogare legem.*
270 *Sufficit quod consuetudo habeat adjunctam causam rationabilem, ut lex abrogetur.*
271 *Quo tempore præscribatur consuetudo abrogans legem.*
272 *Non est necesse, quod omnis consuetudo abrogans legem sit præscripta; quidquid aliqui hoc negent.*
273.
274 *Cap. fin. de consuetud. non tollit Principis potestatem ad abrogandum leges, quando sibi visum fuerit.*
275 *Non est eadem necessitas rationabilitatis consuetudinis, & præscriptionis.*
276 *An ad non recipiendam legem* 10. *anni sufficiant.*
277 *Ex sola tollerantia multorum annorum non colligitur legis abrogatio.*
278 *Consuetudo facti sola vi sua legem non abrogat.*
279 *Non est eadem ratio de statuto, & de consuetudine.*
280 *Consuetudo in lege dispensat.*
281 *Consuetudo consuetudinem tollit, & quomodo præscribatur.*

ARTICULUS XI.

Vtrùm consuetudo possit legem humanam abrogare, aut corrigere.

Videtur autem, quod non possit, tum *ex l.* 2. *C. quæ sit long. consuetud.* Tum *ex l.* 3. §. *Divus, ff. de sepul. viol.* ubi dicitur, quod statutum municipale non derogat juri communi, est autem eadem ratio de consuetudine. Tum maximè quia in hoc cap. reprobatur consuetudo habendi plures personatus &c. in eadem Ecclesia, quia sit inimica sacris canonibus. Tum quia consuetudo vim non habet, nisi sit rationabilis, hujusmodi verò non est, quæ est legi contraria, unde supra art. 7. dictum fuit consuetudinem irrationabilem esse, quæ sit sacris canonibus contraria. Et propterea quod consuetudo non possit abrogare legem, voluit Hostien. *c.* 1. *de treug. & pace.* 254

Nihilominus dicitur, quod consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta potest legem humanam abrogare, aut corrigere. Hoc est indubitatum, & certissimum, & quantum ad legem Canonicam habetur expressè determinatum, *cap. fin. de consuet.* & quantum ad jus civile *in l. de quibus, ff. de legibus.* Unde idem sentiunt Theologi cum D. Thom. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. Canonistæ *in dict. cap. fin. de consuet.* Juristæ *in d. l. de quibus ff. de leg.* Summanistæ *in v. consuetudo*, & cæteri DD. de vi consuetudinis agentes, & Hostien. ipse *ad d. cap. fin. & in summ.* Dictum est tamen *consuetudo rationabilis*, quia irrationabilis nullam vim habet. Et dictum est *legem humanam*. Quia legem naturalem, aut divinam consuetudo auferre non potest, *cap. non tanto, & cap. fin. de consuetud.* Panorm. *in rubr. ejusd. tit. num.* 9. *& in d. cap. non tanto*, Barbos. *dict. cap. fin. num.* 1. Pontius *l.* 6. *de matrim. cap.* 6. *num.* 2. Consuetudo enim contra legem divinam non est consuetudo, sed corruptela inefficax ad abrogandam legem, D. Thom. *p.* 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *ad primum*, D. Anton. *p. p. tract.* 16. *cap. unic.* §. 4. Martinez de Prado *cap.* 3. *num.* 13. Sotus *l.* 5. *de just. q.* 7. *art.* 2. Silvest. *v. consuetudo, quæst.* 14. Tabien. *vers. tertiò*, Dried. *l.* 1. *de libert. cleric. cap.* 19. Clavis Regia *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 4. 255

Est verò considerandum, quod in populis liberis hæc abrogatio fit authoritativè ex facultate condendi leges, in aliis autem populis non liberis non adest hæc facultas abrogandi legem per consuetudinem, quia lex ipsa sit conditionata, & non obliget, nisi sub conditione, quod non adsit contraria consuetudo, vel quia illa non obligat, nisi recipiatur, aut sit in potestate subditorum, vel legem non recipere, vel receptam revocare. Nam leges absolutè obligant, & saltem respectu legis canonicæ non est in libertate subditorum illam non recipere. Et cùm Pontifex, & Prælati non habeant à populo authoritatem condendi leges latas à potestate superiori tenentur, & recipere, & perpetuò observare. Ideò vis abrogandi leges humanas, quæ est in consuetudine, est per conjunctionem consensus populi ad consensum Principis legislatoris. Ita quod non alius legem tollat, quam legislator, qui legem condidit. 256

Ideò quærenti, in quo genere causæ consuetudo abroget legem? Respondetur, quod non abrogat in genere causæ efficientis, & activæ, unde legem abrogare non est actus jurisdictionis in subditis. Etenim solus legislator, & superior, cui ex officio convenit dirigere subditos, & tradere eis regulam agendorum potest leges condere, & abrogare. Sed consuetudo derogat legi in genere causæ materialis, & dispositivæ, disponit enim materiam legis, ut sit capax legis priorem legem abrogantis. Ex eo quod decet leges esse moribus hominum conformes. Et ut habet D. Thom. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad tertium*, ex hoc lex inutilis videtur, quod non potest observari secundùm consuetudinem patriæ, ideò consuetudo longæva, & diuturna non servandi legem disponit materiam legis, ut sibi tribuatur tamquam forma nova lex, quæ legem priorem abroget. Et sic causa effectiva abrogans legem est legislator; finalis est publica utilitas; formalis est lex nova inducta ex consuetudine, quæ tamquam forma contraria priorem legem expellit; materialis est consuetudo. 257

Si secundò quis interroget, an ad hoc, ut consuetudo deroget legi, sit necesse, ut sit universalis totius populi, seu com- 258

communitatis? Videtur enim esse necessariũ, quia consuetudo ad sui valorem consensum requirit totius populi, aut majoris partis. Respondetur nihilominus, quod licet ad derogandum legi universaliter, & pro tota universitate, requiratur consensus saltem majoris partis illius, & sic ad tollendam per consuetudinem legem Ecclesiæ universalis esset necessaria totius Ecclesiæ contraria consuetudo, tamen lex universalis potest tolli pro parte, & ideò tunc sufficit consuetudo partis communitatis ad abrogandam legem universalem pro parte, Gloss. *in §. sine scripto*, *Instit. de jur. natur. v. imitatur*, Suarez *l. 7. de leg. c. 18. n. 6.* Et ratio est, quia ubi in parte adsit rationabilis causa, ut lex communis in ea non vigeat, si legislator ex ea motus consentit, ut pars illa legem universalem non servet; jam est legi derogatum pro illa parte.

259 Hinc est, quod communitas tota, licet intendat inducere consuetudinem ut servandam ab omnibus, si tamen pars etiam minor resistat, & superior annuat, pars illa legi non obligatur. Quia major pars non potest minori legem obligantem imponere, nisi superior consentiat; si igitur superior non consentiat in consuetudinem, ut universalem, sed solum pro majori parte, sola illa pars subditur consuetudini. Et est ulterius considerandum, quod in universitate contingit dari partes, quæ etiam sunt in suo genere corpora veluti integra, & totalia, & specialis legis capacia, sicuti sunt in regno civitates; in Diœcesi civitas, & oppida; in civitate collegia, vel universitates nobilium, ignobilium, mercatorum, notariorum, artificum &c. Horum igitur consuetudo, si alias sit rationabilis, & præscripta potest legem pro se ipsis abrogare superiore consentiente.

260 Diana verò *p. 7. tr. 5. res.* 14. sequutus Montesinum *p. 2.* D. Thom. *disp.* 23. *q.* 13. *num.* 222. existimat, quod minor pars numero, sed major qualitate, possit per consuetudinem abrogare legem, ut si minor pars virorum tamen seniorum, principalium, & prudentium legem transgrediatur, & Princeps videns, & potens illos punire, non puniat, censetur consentire, quod illa consuetudo habeat vim legis, quæ priorem legem abroget. Sed hoc non est in jure fundatum, nam minor pars, licet virorum insignium, sicut non potest obligare totam communitatem, sic nec potest inducere consuetudinem universalem, unde nec potest ex toto derogare legi universali. Dato igitur, quod præsumi posset consensus Principis, non posset præsumi, ut universalis respectu totius populi, sed respectu minoris partis. Quod si hac occasione Princeps moneretur, ut legem in totum abrogare vellet, hoc non esset ex vi consuetudinis, sed ex sua voluntate; neque enim lex nova esset moribus totius populi inducta. Alias verò nedum ex consuetudine virorum magis insignium, sed quorumcumque etiam minimæ partis posset Princeps habere occasionem, ut legem in totum tolleret.

261 Si tertiò interrogetur, an per dissuetudinem derogetur legi? Respondetur quod dissuetudo opponitur legi affirmativæ, cui contra fit per omissionem, consuetudo verò omittendi legem moraliter censetur esse consuetudo plurium actuum, quia omissio actus quando ille est de præcepto censetur, ac si esset actus positivus legi contrarius. Et ideò per dissuetudinem, quæ fit continuata frequentia omittendi legem derogatur legi affirmativæ, si adsint aliæ conditiones ad consuetudinem requisitæ, & omissio sit legi contraria, Panorm. *in c. Io. de cler. conjug.* Silv. *v. consuetudo q.* 8. Roch. *d. cap. fin. sect.* 4. *num.* 76. Navar. *cons.* 2. *de consuet.* Suar. *l. 7. de leg. cap.* 18. *num.* 7. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *p.* 5. *§.* 2. *num.* 6.

262 Quartò interrogatur, an consuetudo inducta per actus bonos possit derogare legi, vel solum, quæ sit inducta per actus malos? Suarez *l. 7. de leg. cap.* 18. *num.* 8. *&* 23. Hoc tenet, & probat, quia ad derogandum legi ex consuetudine necesse est, quod inducatur consuetudo saltem ex intentione non servandi legem, hæc autem intentio semper est mala. Et confirmatur, quia non est possibile, quod actus sit bonus, & sit contra legem, quia si est bonus hoc erit, quia per epiiciam in eo casu intelligitur legem non obligare, quia si in eo casu lex obligat, actus transgressionis legis est malus; consuetudo verò agendi ex epiicia contra verba legis, cùm non sit legi contraria, non potest legem abrogare. In contrarium autem videtur esse D. Th. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad secundum.*

Sed respondetur, quod cùm consuetudo non abroget legem activè, prout est à subditis, sed solum dispositivè, tam per actus bonos, quàm per actus malos inducitur consuetudo abrogans legem. Per actus malos quidem, quia per eos mutatur quodammodo materia legis, & fit, quod lex non sit possibilis observari, ut dixit D. Thom. ibidem. Et quamvis ad hoc ut à legislatore abrogetur lex, non sit necessarium tantam fieri mutationem, ut lex dicatur simpliciter observata impossibilis, debet tamen adesse talis, ac tanta difficultas, aut mutatio ex ista, vel alia causa, ut inde consurgat rationabilis causa mutandi legem. Per actus bonos verò, quia continuata, & diuturna frequentia necessitatis, ex qua per epiiciam lex non servatur, ostendit legem esse inutilem. Et ita cùm dispositio ad legem mutandam sit non solùm mutatio materiæ, sed notitia inutilitatis legis, seu inutilitas legis cognita, consuetudo, quæ inutilitatem legis ostendit, disponit ad abrogandam legem, quod facit consuetudo bonorum actuum contra verba legis habitorum, ut docet D. Th. ibidem. 263

Ad primum autem in oppositum dicitur, quod ad consuetudinem, quæ inducit obligationem, necesse est, quod actus fiant ex intentione inducendi obligationem, seu consuetudinem obligantem. Sed ad consuetudinem, quæ liberat ab obligatione, sufficit quod disponat quomodocumque legislatorem, ut obligationem tollat. Et alia intentio non requiritur, quàm illa, quæ actuali non observantiæ ejus, quod lex præcipit, est conjuncta, ut supra art. 3. est explicatum. Unde & quando per actus malos inducitur consuetudo, non est necesse, quod agens intendat introducere novam legem, ut fatetur idem Suarez *num.* 5. sed sufficit intentio non habendi talem legem, quæ ex ipsa actuum frequentia, & consensu populi in non observanda lege colligitur. Et sic sufficit, quod intendat non servare legem; imò verè sufficit, quod non servet. Sic enim ex quo continuata, & diuturna frequentia lex non servatur, materia legis est ita mutata, ut Principis possit habere rationabile motivum, ut legem abroget. 264

Hinc est, quod consuetudo inducta ex actibus contra legem provenientibus ex timore, vel ignorantia, vel necessitate potest hoc modo dispositivè legem abrogare. Et ut fatetur idem Suarez *num.* 8. Ex similibus actibus consurgit consuetudo abrogans legem ex parte, ut etiam si v. g. metus non sufficiens ut transgressio excusetur à culpa; frequentia tamen agendi contra legem ex timore inducat consuetudinum derogantem legi, & ut jam liceat ex tali necessitate legem non servare. Sic ergo, & quando occurrentibus frequenter, & diuturnè, & respectu totius communitatis, vel majoris partis causis, ex quibus sine culpa lex non servatur, ex hoc potest rationabiliter moveri Princeps, ut legem abroget, vel corrigat. 265

Et si dicatur, quod hæc consuetudo inducta ex actibus bonis non potest esse signum consensus legislatoris, semper enim præsumitur, quod transgressiones permittat, quia locum habet epiicia, & urget necessitas, consuetudo autem abrogat per modum signi denotantis, & facientis præsumere consensum Principis. Respondetur; quod consuetudo non abrogat legem in genere signi, ut vult Suarez *d.* 2. *num.* 8. *& num.* 24. ubi vult, quod actus consuetudinis non concurrunt, ut causa abrogationis legis, sed ut indicium voluntatis Principis. Nam horum utrumque non subsistit. Quia consuetudo est vera causa abrogationis legis, & in suo genere est causa etiam consensus Principis, aliter non diceretur propriè, quod legem abroget; quia abrogare importat causalitatem aliquam; & consuetudo est vera causa disponens ad legis abrogationem. E contra verò non esse signum sufficiens consensus Principis, inde colligitur, quia imò supposita consuetudine potest esse, quod Princeps eam permittat, non verò approbet: unde aliundè debent accipi conjecturæ, ex quibus deducatur Principem approbare consuetudinem. 266

Et nihilominus dicitur, quod ubi consuetudo inducitur ex actibus bonis potest haberi signum consensus Principis in abrogationem legis. Tum primò, si causæ, ob quas populus tam frequenter legem non servat, non habent apparentem; & claram justitiam, & tamen Princeps cùm possit, & debeat inquirere nil aliud curans, & investigans transgressionem tolerat. Tum secundò, quia potest contingere, quod aliqui illicitè legem transgrediantur, & 267

nihi-

nihilominus licet eorum transgressio non præberet se sola causam rationabilem consentiendi in abrogationem legis, nihilominus, & bonos, & malos tolerat majori parte licitè ex epiicia legem non servante, quod tamen alias Princeps nec posset, nec deberet id tolerare. Similiter ex aliis conjecturis Principis consensus potest innotescere. Et sic aliud est, quod consuetudo non sit causa abrogationis in suo genere sufficiens, & aliud est, quod non sit sufficiens signum consensus legislatoris, hoc enim non est necessarium ad hoc, ut lex abroget legem.

268 Quintò hinc oritur alia difficultas, quia consuetudo inducta ex actibus malis videtur, quod non possit esse rationabilis; & eo magis sit contra rationem, quod tendit ad tollendam rationabilem legem. Respondetur sine dubio dicendum esse, quod necesse sit, quod consuetudo abrogans legem præbeat justam causam legem abrogandi, quia indubitatum est legem, nec condi posse, nec abrogari sine justa causa, D. Thom. *q.* 97. *art.* 1. *ad secundum*. Verum considerandum est, quod sicut abrogans legem est Princeps, ita sufficit, quod respectu illius detur rationabilis causa id faciendi. Consuetudo verò, quæ solum dispositivè legem abrogat, non est necesse, quod sit in se rationabilis intrinsecè & ex vi sua, sed sufficit, quod habeat adjunctam rationabilitatem extrinsecam. Consuetudo enim non abrogat legem tamquam causa per se, sed tamquam causa per accidens, & occasio, seu conditio, sine qua non; & quia ex illa mutatur legis materia, & occasione illius consurgit alia utilitas communis, quæ justificat abrogationem legis.

269 Arbitratur quidem Suarez *d. cap.* 18. *num.* 10. quod inducens consuetudinem debeat moveri ex rationabili causa, ita quod non satis sit, quod consuetudo secundùm suam substantiam non sit contra legem naturalem, vel divinam, vel non sit reprobata à lege, sed ulterius necesse sit, ut voluntas carendi tali lege aliqua ratione honestari possit in subditis, quæ honestet etiam in Principe consensum abrogandi illam. Sed in contrarium militat primò authoritas D. Th. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad secundum*, ibi: *Si autem adhuc manet ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, nisi fortè propter hoc solum lex inutilis videatur, quia non est possibilis secundùm consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis.* Ex hac enim doctrina habetur, quod sola consuetudo non servandi legem potest legem inutilem reddere, & sic præbere legislatori rationem justam ad abrogandam legem, cui competit esse conformem consuetudini Patriæ. At verò sic est, quod consuetudo populi ex pessimis actibus, & pessima intentione, & prorsus irrationabili inducta, potest reddere legem inutilem, igitur potest præbere legislatori causam justam legem tamquam inutilem tollendi.

270 Unde hoc secundò evidentius probatur; nam ad hoc ut legislator legem abroget expresse scripto, vel verbo sufficit, quod detur causa rationabilis ex parte ipsius etiam si accepta ex sui benignitate, & clementia, & etiam si in populo adsit demeritum, & culpa, dum utilitas publica potius clementiam Principis postulat, quàm rigorem punitionis. Et sic potest dari casus, quod Princeps videat populum obstinatum omninò in repugnantia legis, & prævidens, inde ex pessima obstinatione subditorum secutura pejora mala, clementia utens, & benignitate legem à se latam abroget. Si igitur hoc potest facere expressè multò magis id potest facere tacitè. In hujusmodi verò casu consuetudo, ut est ab inducentibus illam est penitus irrationabilis, sed accidentaliter habet adjunctam causam honestam, & est rationabilis ex parte Principis. Igitur per se ex parte inducentium consuetudinem sufficit, quod consuetudo sit de materia secundùm se honesta præcisa lege abroganda, & quod consuetudo sit occasio, unde possit sumi justa causa legem abrogandi, seu cui saltem ex accidenti sit conjuncta utilitas boni communis, quod quidem consuetudini potest convenire etiam si sit ex malis actibus, & mala intentione illam inducentium. Hoc tamen multò magis adest, quando subditi habent aliàs motivum rationabile ad operandum contra legem, licet non sit sufficiens, ut excuset eos à culpa.

271 Sextò interrogari posset, qualiter, & quo tempore consuetudo debeat esse præscripta, ut abroget legem. Sed de hoc satis dictum est art. 8.

Septimò tamen dubitatur, an aliqua consuetudo non præscripta possit legem abrogare? Negat enim Panorm. *cap. fin. num.* 13. *de consuetud.* ubi vult, quod data etiam scientia Principis, consuetudo non abroget legem, donec per tempus decem, vel respectivè quadraginta annorum sit præscripta. Quia *d. cap. fin.* absolutè requiritur, quod consuetudo sit præscripta, igitur ante præscriptionem non datur hæc derogatio. Alii verò loquentes de lege canonica dicunt, quod data scientia Pontificis sufficit præscriptio decem annorum. Ita Butr. *d. cap. fin.* Silvest. *v. consuetudo num.* 4. Angelus *num.* 8. Et idem sentiunt multi, quando consuetudo resistit legi non acceptatæ, ut refert Felin. *in cap. Tua nos, de jurejur. num.* 3. *& in capit. statutum, de major. & obed. num.* 9. Baldell. *de leg. lib.* 5. *disp.* 18. *num.* 15. Alii etiam distinguunt inter leges Pontificias, & aliàs ab inferioribus clericis editas, & dicunt, quod ad istas sufficit tempus decem annorum. Ita Card. Alexand. *in cap. frustra col.* 2. *penul.* 8. *dist.* quem sequitur Rochus *de consuet. sect.* 3. *num.* 41. Quod tamen puto esse diligentius alibi examinandum. 272 273

Verum oppositum dicendum est, quia ad legem abrogandam sufficit scientia, & voluntas legislatoris, & sicut ad condendam legem voluntas legislatoris est summè efficax, sic ad legem abrogandam, ut manifestum est ex probatis supra in hoc lib. *cap.* 1. *de constitut. q.* 1. & tenent Donatus *tit.* 1. *tract.* 1. *q.* 12. *num.* 7. Non est verò unde negetur, quod ubi adest utilitas publica, ut lex abrogetur, (quæ adesse potest etiam ex ipsa consuetudine occasionata, & quia consensus populi in legem maximè facit ad legis observationem, sicuti multum obstat dissensus) & simul cum utilitate publica adest legislatoris consensus in legis abrogationem, non censeatur lex abrogata. 274

Cap. verò illud fin. de consuetud. loquitur de illa consuetud. quæ etiam Principe nesciente potest legem abrogare, seu quæ hoc facere potest ex vi, & efficacia, quam habet ex lege, non verò loquitur de ea consuetudine, quæ non habet efficaciam, nisi Principe actu sciente, & liberè legem abrogante. Nam textus illi non diminuit potestatem Principis, quam habet abrogandi legem, quotiescumque sibi benè visum fuerit, & ex consequenti non negat, quod occasione consuetudinis non abrogetur lex toties, quoties Princeps vel expresse, vel tacitè eam voluerit abrogare; & quod verè lex non haberi possit, ut abrogata quotiescumque de voluntate Principis satis constiterit. Non est verò eadem ratio de prima conditione requisita ad valorem consuetudinis, quæ est rationabilitas, & de præscriptione, cùm illa sit necessaria ex jure naturali, & hæc de solo jure positivo: Illa est necessaria etiam ad hoc ut Princeps expressè abroget legem, hæc verò non, & ideò nil mirum, si ex defectu rationabilitatis semper consuetudo sit inefficax ad legem abrogandam. 275

Quod verò dicebatur, quia nimirum ad præscribendum contra legem non receptam sufficiant decem anni, videtur probari ex eo, quod minus sit legem impedire, ne recipiatur, quàm receptam tollere, verum in casu, quod Princeps ignoret consuetudinem, Rochus *d. sect.* 3. *num.* 40. post Panorm. *cap.* 1. *num.* 4. *de treug. & pace*, existimat, quod in puncto juris non sit verum. Quia *cap. fin. de consuetud.* sine distinctione requirit, quod consuetudo sit legitimè præscripta, ut deroget legi canonicæ. Sed ex opposito respondetur, quod in jure etiam canonico præscriptio decennalis aliquando est canonica. Sed nihilominus, quia lex canonica non pendet à receptione subditorum, & obligat eos, ut recipiant, & si non recepta, habenda est, ac si esset recepta, ideò ad illi derogandum per consuetudinem necessaria est quadragenaria. 276

Considerandum verò est, quod in hac parte ad consuetudinem nedum non sufficit unus actus, sed aliquando nec plures, nec frequentes, nec facti diuturna consuetudo, quia benè potest contingere, quod Princeps consuetudinem permittat, & tolleret, non verò approbet. Nam & dictum est, quod Principis consensus ex ejus sola tollerantia non potest præsumi. Signum optimum consensus Principis est, si permissio malæ consuetudinis lege aliàs non abrogata, sed durante sit manifestè contra utilitatem publicam, & populo nociva, tunc enim præsumendum esset, permissionem non esse puram, sed esse quia Princeps velit legem esse abrogatam. Idemque erit, quoties res ad eum statum de- 277

devenerit, ut abrogatio censeatur prudens, tunc enim meritò præsumetur consensus in Principe sciente, & tollerante, Suarez *d. c.* 18. *n.* 20. Neque præsumi debet, quod Princeps muneri suo desit, in eo ergo sciente præsumetur etiam consensus abrogationis legis, quanto manifestum erit eum & debere, & posse impedire consuetudinem contra legem, idque non facere.

278 Quæ verò in principio adducta sunt in oppositum minimè probant. *Nam in l. C. quæ sit longa consuet.* est sermo de consuetudine non habente qualitates, *cap. fin. de consuet.* seu est sermo, de consuetudine spectata vi sua, & præcisio eo, quod habeat ex legum præscripto, & Principis consensu. Verissimum enim est, quod consuetudo facti vi sua legem non potest vincere.

279 Sed neque in contrarium militat *l.* 3. §. *Divus*, *ff. de sepulch. viol.* Nam verum est, quod statutum municipale superveniens, non potest legi communi derogare. Sed non est eadem ratio de consuetudine, quæ non usu, nec authoritate eam inducentiam, sed authoritate legis, & legislatoris legem abrogat, aut corrigit. Ad tertium autem patet ex dictis supra *num.* 264. quod stat consuetudinem ex inobedientiis inductam conjunctam habere utilitatem publicam ratione, cujus lex à legislatore abrogatur.

280 Ultimò interrogari potest, an sicut consuetudo legem abrogat, aut corrigit, ita in ea dispensare possit? Affirmat Lorca *p.* 2. D. Thom. *disp.* 29. *num.* 1. quia sicut generalis consuetudo legem abrogat, ita specialis, si aliæ conditiones concurrant potest in lege dispensare. Quod confirmat ex Alfonso Hispaniæ Rege, *leg.* 6. *tit.* 2. *part. prima.* Sed Martinez de Prado *cap.* 3. *q.* 13. *num.* 10. ait doctrinam hanc esse in re verum, quia ut habet Gloss. *in l. De quibus, ff. de leg.* consuetudo generalis vincit legem generaliter, & specialis specialiter. Sed negat hanc esse dispensationem propriè loquendo, quia dispensatio est relaxatio legis respectu unius personæ, at verò consuetudo privatæ personæ legem vincere nequit. Sed dicitur, quod ex hac causa non potest negari assertio Lorcæ, quia consuetudo privatæ personæ, licet non vincat legem universaliter, vincit illam singulariter, si adsit consensus Principis. Ideò admitti debet, quod consuetudo etiam in lege dispenset.

281 Consuetudo etiam consuetudinem abrogat §. *penult. inst. de jur. natur.* Particularis enim tollit universalem, Panorm. *dict. cap. fin. num.* 24. Sed & universalis universalem contrariam tollit, & etiam potest particularem abrogare, particularis verò particularem aufert, in eodem tamen loco, quia contrariæ consuetudines in diversis locis non sunt omninò contrariæ, nec se excludunt, Hostien. *in sum. tit. de consuet.* §. *quæ cui præjudicet*, Diana *part.* 6. *tr.* 5. *res.* 27. Si verò quæratur per quot annos præscribatur consuetudo, ut consuetudinem vincat, Panorm. *d. cap. fin. num.* 19. & Palaus *tract.* 3. *d.* 3. *par.* 5. §. 2. *num.* 5. existimant sufficere spatium 10. annorum, Suarez verò *l.* 7. *de leg. cap.* 20. requirit quadragenariam, nisi in casu, quod nova consuetudo abrogando particularem, quæ erat contra jus commune, reducat rem ad terminos juris communis, quia tunc nova consuetudo potest dici, quod sit secundùm jus, unde tunc sufficiunt 10. anni. Sed ubi prior consuetudo fuit præter jus, vel si fuit contra jus, fuit universalis, & ex toto jus commune abstulit, tunc nova consuetudo est contra jus, & ideò requirit spatium quadraginta annorum, ut sit præscripta. Et ita etiam sensit Diana *d. res.* 27. & Fermos. *ad cap. fin. q.* 5. *num.* 14. *de consuet.* Rochus etiam *de consuet. sect.* 4. *n.* 80. vult quod aliquando unus actus sufficiat, nimirum si à populo fit collegialiter habitus. Mihi dicendum videtur, quod si consuetudo abrogatur ex Principis consensu sine temporis præscriptione unus actus sufficere possit, dummodò sit actus communitatis, etiam non collegialiter habitus, quamvis tunc minus propriè diceretur, quod consuetudo abrogaretur consuetudine, quia propriè non est consuetudo, ubi non est actuum pluralitas. Ubi verò consuetudo una contrariam abrogat ex vi præscriptionis, valdè rationabile mihi videtur, quod non requiratur majus tempus ad consuetudinem abrogantem inducendam, quàm fuerit necessarium ad inducendam priorem consuetudinem, quæ per posteriorem abrogatur, Clavis Regia *l.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. *in fin.* Nam & contra naturalem cursum rerum est, quod plura, & majus tempus requiratur ad rem destruendam, quàm ad producendam. Nec obstat, quod consuetudo jam inducta sit jus, quia est jus consuetudinis revocabile per similem consuetudinem, & ideò consuetudo, ut abroget consuetudinem sufficit, quod sit præscripta per tantum tempus, per quantum fuit inducta consuetudo abroganda, & sic ubi prior consuetudo fuit, vel civilis, vel præter legem, sufficiunt decem anni. Qui etiam sufficiunt quotiescumque per posteriorem consuetudinem reducitur res ad jus antiquum, cui prius fuerat derogatum, quia hujusmodi consuetudo jam est secundùm jus. Et hoc credo verum esse etiam de consuetudine generali, quæ abstulit ex toto jus commune, quia adhuc consuetudo est secundùm legem, quam si fuit bonum abrogari consuetudine ferente majorem utilitatem Reipublicæ, est bonum reintegrari hac utilitate cessante, & sic hujusmodi consuetudo est conformis juri simpliciter, licet non posset dici conformis juri jam abrogato, & tunc non existente. Et sic universaliter consuetudo abrogans consuetudinem decem annis præscribitur.

SUMMARIUM.

282 *Consuetudo deroget legi pœnali.*
283 *Tollit aliquando pœnam non culpam.*
284 *Etiam si irrationabilis excusat in foro externo à culpa.*
285 *An hoc verificetur de pœna ipso jure lata.*
286 *Non verificatur de consuetudine privata.*
287 *Consuetudo universalis dicitur excusare per modum circumstantiæ actus.*
288 *Consuetudo ut irrationabilis non excusat, & ex circumstantia actus potest abrogare legem.*
289 *Tollit culpam relicta pœna.*
290 *Consuetudine non abrogari legem irritantem aliqui volunt.*
291 *Id reficitur.*
292 *Manente lege non valet actus, quam lex irritat.*
Non potest consuetudine introduci, ut excommunicatio cesset sine absolutione. 293.
Stat quod maneat lex, ut prohibens actum, & abrogetur lex, ut actum irritat.
294 *Distinctio abrogationis, prohibitionis, & reprobationis consuetudinis non admittitur.*
Consuetudinum aliæ immutabiliter malæ, aliæ mutabiliter.
295 *Quorumdam opinio.*
296 *Princeps mutabilitatem rerum non potest impedire.*
297 *Nec potest suo successori auferre potestatem cum causa rationabili abrogandi legem à se conditam.*
298 *Lex non debet esse sine effectu.*
Lex positiva non potest facere, quod per consuetudinem rationabilem, non abrogetur lex, si id Principi placeat.
299 *Lex prohibens consuetudinem, licet non possit impedire, quod per futuram rationabilem consuetudinem non abrogetur, plures tamen effectus habet.*
Isti effectus numerantur.
300 *Non valet argumentum à præscriptione ad consuetudinem.*
301 *Consuetudo continet derogatorias derogatoriarum.*
302 *Non est eadem ratio de contractibus, & de consuetudine.*
303 *Per reprobationem consuetudinis non tollitur, quia consuetudo rationabilis non possit præscribi in tempore juris, & per consensum tacitum roborari.*
304 *Consuetudo reprobata, sed mutabiliter mala potest iterum ex nova causa induci.*
Legi munitæ per clausulam reprobantem consuetudinem, potest per novam consuetudinem derogari.
305 *Tunc potest consuetudine abrogari lex, cùm potest condi nova lex scripta abrogans illam legem.*
306 *Ad consuetudinem præscriptam non est necessaria scientia Principis.*

307 *Con-*

ARTICULUS XII.

An detur aliqua lex humana, cui consuetudo non possit derogare.

282 HAbet difficultatem hic articulus ex multiplici capite. Primò quidem ex conditione legis pœnalis, per quam imponitur pœna, ut incurrenda ipso facto. Quosdam enim tenuisse, quod hujusmodi lex consuetudine non abrogetur, referunt Jo. Andr. & Panorm. *cap.* 1. *de treug. & pac.* Ab eis tamen meritò rejicitur. Tum quia *in cap. fin. de consuet.* nulla fit exceptio, sed absolutè admittitur, quod consuetudo rationabilis, & præscripta abroget legem. Tum quia Princeps expressè potest derogare legi pœnali cuicumque; idem igitur facere potest tacitè, cùm non interfit, an Princeps scripto, aut facto voluntatem suam manifestet. Nam & hoc potest esse utile Reipublicæ, quod Princeps non expressè, sed tacitè approbet consuetudinem, quæ est contra legem, sicut & in lege pœnali potest contingere, quod publica utilitas petat, ut habeatur ratio consuetudinis, & ideò lex abrogetur. Dat hujus exemplum Suarez *l.* 7. *de leg. c.* 19. *num.* 1. ex Navar. *cap.* 27. *n.* 106. *in lege extravag.* 1. *de simon.* prohibente aliquid recipere pro ingressu in Religionem, quam probabile est esse abrogatam. Sed de hoc dixi *de stat. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 8. *num.* 50. *pag.* 551.

283 Extenditur verò assertio, ut sit vera nedum de abrogatione, sed etiam de derogatione, seu correctione legis, ita ut consuetudo legi pœnali imponenti pœnam ipso facto derogari possit ex parte, ut ablata sit pœna remanente culpa, quidquid in contrarium dixerit Castro *de leg. pœnali, l.* 2. *cap.* 12. ea motus ratione, quod manente obligatione ad culpam manet obligatio ad pœnam. Non enim considerat, quod culpæ debetur quidem pœna, sed non hæc, vel illa determinatè, & quod hæc, vel illa pœna determinatè est à culpa separabilis, & de facto sæpius per dissuetudinem in jure correctæ fuerunt leges pœnales pœnas ipso facto importantes, & abrogatæ quantum ad pœnam, durante obligatione quoad culpam. Sic olim filii clericorum nascebantur servi in pœnam incontinentiæ paternæ, *cap. cum multa dist.* 11. & hæc pęna modò in dissuetudinem abiit, ut ibi notat Gloss. *Item in pœnis extravag.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienand.* quæ per non usum cessarunt durante lege secundùm Navar. *cap.* 27. *num.* 15. & Suarez *d. cap.* 19. *n.* 3. Sed de hoc dixi, quæ judicavi oportuna *tom.* 1. *de stat. q.* 181. *cap.* 4. *inspec.* 10. *num.* 1664. *& seqq.* Clem. Octavus quoque Constitut. Sixti Quinti de illegitimis abrogavit quantum ad pœnam nullitatis professionis, non verò quantum ad obligationem sub culpa. Nam & potest esse communitati utile, ut pœna hæc, vel illa determinata locum non habeat, manente lege prohibente actum, potest ergo consuetudine, seu dissuetudine induci, ut lex pœnalis colligatur, & abrogetur ex parte quantum ad pœnam manente obligatione ad culpam, ut tradiderunt Panorm. *in cap.* 1. *de treug. & pac.* ubi Felin. Navar. *cons.* 3. *de Reg. cap.* 55. *& in man. cap.* 27. *num.* 250. Suarez *l.* 7. *de legib. cap.* 19. *n.* 3. *&* 12. Layman *l.* 1. *tr.* 4. *cap.* 24. *n.* 12. Martinez de Prado *cap.* 3. *q.* 13. Palaus *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 4. §. 8. *n.* 4. *&* §. 2. *p.* 3. Diana *part.* 6. *tract.* 5. *resolut.* 20. ex Vviguers, Salas, Godon. Montes. *in p.* 2. D. Thom. *disp.* 23. *q.* 13. *num.* 132. *&* 133. Fermosinus *cap. fin. q.* 5. *num.* 15. *de consuet.* ex Præpos. & Vviguers.

284 Extenditur amplius, ut etiam consuetudo irrationabilis, quæ non omninò excusat à culpa excuset à pœna, Gloss. 1. *in cap. venerabilis, de consuet.* Gloss. *in cap.* 2. *de tempor. ordinand. in v. antiqua*, Rochus *in cap. fin. de consuet. sect.* 2. *num.* 3. R. P. D. Fagnan. *cap. explicari num.* 47. *de obser. jejun.* Imò quod publica consuetudo excuset à delicto, docet Barbos. *cap. cum venerabilis, num.* 4. *de consuet.* ex Menoch. *cons.* 324. *num.* 11. Et à culpa ex Gutier. *q.* 29. *num.* 24. *l.* 3. & Farin *in praxi crim. p.* 3. *q.* 150. *num.* 83. Et à pœna, & ex Hippol. *cons.* 90. *num.* 8. Et quamvis consuetudo sit irrationabilis ex Covar. *de spons. p.* 2. *c.* 7. §. 3. *num.* 5. *fin.* vel reprobata à lege, ex Cat. *v. consuetudo*, Farin. *p.* 4. *cons.* 4. *n.* 19. ut in terminis usurarum resolvit Cravet. *cons.* 145. *num.* 12. Quæ tamen pro foro externo intelligi debent. Consuetudo enim, quæ non excusat à culpa coram Deo, nec excusat à pęna æterna.

Hoc tamen limitat Suarez *d. cap.* 19. *num.* 5. Primò ut non valeat in pœna ipso facto incurrenda, quia ista statim ex vi culpæ incurritur, sed solùm de pœna imponenda. Sed si, ut dicunt DD. citati consuetudo excusat etiam à delicto, & culpa, excusabit etiam à pęna, licet ipso jure lata, cùm sit lata pro culpa; à qua consuetudo excusat. Nam ut excuset à pœna ordinaria, sufficit quod diminuat culpam. 285

Secundò ut valeat de consuetudine communitatis, non verò de privata consuetudine alicujus personæ; Nam privata delinquentis consuetudo facit delictum nimis atrox, & delictum auget, Fermosinus *cap. fin. q.* 1. *num.* 1. *de consuetud.* ex Farin. *in praxi, de delict. & pœnis, q.* 18. Qui quæst. 20. explicat per quot actus inducatur consuetudo peccandi, & qualiter consuetudo loci excuset in delictis. 286

Consuetudo autem communitatis excusat à pęna non abrogando legem, sed per modum circumstantiæ actus, quia ex quo multi sunt, qui solent delinquere resultat aliqua convenientia, ut pęna minuatur, & ut non sit irrationabile delinquentem mitius punire. Nam ex consuetudine universali, maximè si sit tolerata, oritur aliqua ratio ignorantiæ, unde qui peccat existimat saltem peccatum esse minus grave, quàm sit. Secundò aliorum exemplum est veluti vehemens tentatio inducens ad malum per modum cujusdam vehementis objecti, & passionis, quæ solet excusare, ut advertunt Gloss. *in d. cap. cum venerabilis*, & ibi Panorm. Sed & ex parte superioris consideratur, quod ubi multi sunt, qui deliquerunt, executio pęnæ est difficilior, & quæ perturbare possit communitatem, & scandala parturire; nec forsan facilè sit unum punire relictis aliis, quia ex hoc violari posset justitia distributiva, & scandalum generari. Et ex hoc ergo patet, quod consuetudo multitudinis diminuit pęnam per modum circumstantiæ actus, Suarez *d. c.* 19. *n.* 8. 287

Sed ego puto, quod consuetudo ut irrationabilis numquam excuset à pęna, etiam si sit consuetudo multitudinis. Deinde assero, quod ad hoc, ut consuetudo ex parte utentis irrationabilis abroget, vel corrigat legem, sufficiat rationabilitas fundata in circumstantia actus, & quæ consuetudini est adjuncta, si habeat alias conditiones consuetudinis. De facto verò lege vel scripta, vel consuetudine non scripta introductum est, ut in arbitrio judicis sit magis vel minus, vel nullo modo punire habita ratione multitudinis, & consuetudinis publicæ, & tolleratę, potest enim esse ut etiam in foro externo consuetudo sit talis, ut minuat, non ut tollat reatum, & pęnam. 288

Extenditur tandem, ut consuetudine possit abrogari lex quantum ad obligationem culpæ, durante obligatione ad pęnam, Suarez *l.* 7. *de legib. cap.* 19. *num.* 11. ex Navar. *in cap. fraternitatis* 12. *q.* 2. *num. ult. consid.* 3. Salas *p.* 2. *d.* 19. *sec.* 9. *num.* 77. Palaus *tract.* 3. *disp.* 3. *p.* 4. §. 2. *num.* 4. Martinez de Prado *d. q.* 13. *num.* 6. Diana *d. tract.* 5. *resolut.* 12. Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 12. Nam obligatio ad culpam, & ad pęnam separabiles sunt, cùm dari possit lex obligans ad pęnam, & non ad culpam; igitur consuetudine obligatio ad culpam præscribi potest, manente obligatione ad pęnam: ex separabilibus enim unum præscribi, & tolli potest manente alio. Et sicut hoc idem fieri posset expressè à legislatore per legem, ita & ab eo fieri potest tacitè per consuetudinem. Hoc tamen non verificatur in pęna, quæ ab intrinseco supponit culpam, ut patet de excommunicatione, quæ non potest incurri nisi prævia culpa, Diana ubi suprà. 289

Secundò difficultas est de lege munita decreto irritanti, & dante firmitatem actibus, & irritante quidquid in oppositum fuerit attentatum. Est enim juristarum plurium sen- 290

sententia, quod contra decretum irritans non valeat consuetudo. Tum quia lex irritans actum facit inhabiles personas ad sic agendum, consuetudo autem non potest habilitare inhabiles. Tum tertiò, quia lex irritans facit personam incapacem, consuetudo verò non potest tollere incapacitatem personæ, ut est commune apud jurisperitos, Felin. *in cap. Antecedentes, de præscript.* Dec. *in cap. Novit de jud. num.*11. Cravet. *de antiquit. temp.* 4. *part.* §. 3. Tum quia irregularitates, & censuræ non possunt consuetudine tolli.

291 Sed cùm lex irritans lex humana sit, quæ consuetudine potest abrogari, & cùm *cap. fin. de consuet.* absolutè dicatur, quod consuetudine rationabili, & legitimè præscripta lex abrogatur: & cùm de facto sæpè per Pontifices leges hujusmodi novis legibus abrogentur: & cùm consuetudo legem non ex propria vi, sed ex concessione legislatoris legem tollat, non est unde negetur, quod sicut Princeps potest expressè abrogare legem irritantem per aliam legem scriptam, non possit etiam tacitò eandem abrogare per consuetudinem, quod quidem docuerunt Gloss. *in cap. frustra, dist.*8. *v. consuetudinem*, Innoc. *cap.*1. *de cognat. spirit. in fin.* Turrecrem. *in cap. Placuit, dist.*32. *art.*2. Hostien. *in sum. tit. de cognat. spirit.* Gabriel. *in* 4. *d.*42. *q.*1. *art.*3. *dub.*6. quos refert, & sequitur Suarez *l.*7. *de leg. cap.*19. *n.*14. Sanchez *l.*7. *de matrim. disp.*4. *n.*4. Salas *p.*2. *de legib. disp.*19. *sect.*10. *num.*78. Basilius *l.*6. *de matrim. cap.*4. *n.*6. Palaus *tr.*3. *disp.*3. *punct.*4. §.2. Layman *l.*1. *tract.*4. *cap.*24. *n.*12. & alii plures apud istos.

292 Nec obstant adductu in oppositum, quia esto concederetur, quod consuetudo, seu præscriptio non possit manente lege irritante tollere nullitatem actus, vel inhabilitatem subjecti, aut ejus incapacitatem, id tamen potest facere tollendo legem inhabilitantem subjectum, & irritantem actum. Sic non obstat *cap. quando, de consuetud.* quia utique verum est, quod consuetudine non potest præscribi, quod simplex Sacerdos ministret Sacramentum pœnitentiæ, quia manet lex divina id prohibens. Et sic *in l. positiva*, nullus illegitimus, v. g. potest præscribere capacitatem contrariam, quia manet lex Ecclesiastica in sua vi, & efficacia, quæ reddit illum incapacem. Et sic nihil quoque obstat inductio de censuris; neque enim excommunicatus potes facere per aliquem usum, ut excommunicatio cesset sine absolutione, sed benè potest facere, ut non incurratur excommunicatio derogando legi illam imponenti. Et sic distingui debet inter præscriptionem, & consuetudinem propriè, quia contra legem irritantem ea manente non præscribitur, & sic ea manente non potest præscribi valor actus irriti seu habilitas subjecti inhabilitati, sed tamen consuetudine, si sit rationabilis, & præscripta potest tolli lex, quæ irritat. Et dicitur, si consuetudo sit honesta, & rationabilis; quia si subjectum factum est inhabile, v. g. ob aliquam indecentiam, quæ in illo est, non erit consuetudo rationabilis, ut ea indecentia manente subjectum fiat habile. Et præ oculis semper haberi debet doctrina D.Thom. *p.*2. *q.*97. *art.*3. ad secundum, quia scilicet manente, & durante ratione legis, lex non vincitur consuetudine, nisi consuetudo sit talis, quod reddat impossibilem observantiam legis, cujus est, ut sit conformis consuetudini patriæ.

293 Verum quoniam dictum est, quod consuetudine potest abrogari lex pro parte, ut quod manente lege obligante quantum ad culpam, sit abrogata pœna legis: sic videtur dicendum, quod non abrogata lege quantum ad obligationem ad non aliquid agendum, abrogetur in quantum est irritans actum attentatum, & sic abrogetur irritatio. Quod expresè docent Gregor. Martinez *p.* 2. *D. Thom. quæst.*97. *art.*3. *dub.*1. *post* 4. *concl.* §. *secundo sequitur*, & Martinez de Prado *cap.*3. *quæst.*13. *num.*6. Quando igitur pœna vel nullitas sequitur ad jus naturale, vel divinum, sicut non potest consuetudine vinci lex, ita non potest cessare pœna, vel nullitas consequens ad legem. Sed ubi irritatio est merè à lege positiva, non est unde dicatur eam non posse tolli, etiam manente prohibitione, ut prohibet actum, lege abrogata ut actum irritat. Non potest verò consuetudine tolli excommunicatio sine absolutione, quia hæc consuetudo est irrationabilis, nam irrationabile est ut pœna, quæ datur pro medicina cesset medico inconsulto. Enervaretur enim disciplina Ecclesiastica per abusum talem. Et hoc est præcipuum semper considerandum, quod consuetudines hujusmodi sunt de se irrationabiles. Cæterùm spectata natura legis positivæ secundùm se, lex ut irritans sicut lege scripta, sic lege non scripta potest irritari, si cætera concurrunt. In quo aliud etiam est semper considerandum, quod ubi agitur de præjudicio tertii, & de jure illi quæsito, consuetudo non valet, nisi prius propriè præscribat; & si jus tertii non potest præscribi, nec potest consuetudine illi præjudicari. Et quatenus tolli posset vinculum obligationis legis positivæ ut positivæ, manebit vinculum legis naturalis, & justitiæ. Et hoc opus hìc labor est, ut possit dari in tali casu rationabilis, ex qua nova lex ex consuetudine inducatur, quæ abroget legem positivam foventem naturale jus, & justitiam tertii.

Tertia difficultas est de lege prohibente consuetudinem, an possit nova consuetudine abrogari. Ut hanc difficultatem solvat Suarez *l.*7. *de leg. cap.*7. *num.*1. *& cap.*19. *num.*18. utitur illa sua distinctione, qua distinxit inter abrogationem, prohibitionem, & reprobationem consuetudinis, sentiens quod sola reprobatio impediat, ne consuetudo legi derogare valeat, & pro eadem sententia referuntur Salas *p.* 2. *D. Thom. disput.*19. *sect.*7. *num.*71. & Vuigers *p.* 2. *D. Thom. quæst.*97. *art.*3. *num.*43. Sed distinctionem non admittunt Palaus *tract.*3. *d.*3. *p.*4. §.2. *num.*7. Basilius *l.* 6. *de matrim. cap.*6. *num.*9. Martinez de Prado *cap.*3. *quæst.* 15. *num.*14. Fermos. *ad cap. fin. quæst.*3. *num.*72. Eo quia id lex reprobat, quod abrogat, & prohibet, & non abrogat, aut prohibet consuetudinem, nisi quia illam reprobat, ut malam, & irrationabilem. Prætermissa ergo hac distinctione, & omissa illa quæstione, an clausula non obstante consuetudine reprobet etiam consuetudinem futuram, & dato, non tamen concesso, quod ita sit, alia præmissa distinctione quæstio est solvenda. Consuetudinem enim aliæ sunt immutabiliter perpetuò malæ, aliæ sunt malæ mutabiliter. Prioris generis sunt, quæ secundùm se sunt contra jus naturale, aut divinum; unde secundùm se malæ sunt. Item hujus generis sunt, quæ sunt malæ ex circumstantia mala immemorabiliter, & perpetuitate saltem morali adhærente consuetudini. Mutabiliter verò malæ sunt, quæ sunt tales ex mutabili circumstantia. 294

Loquendo ergo de consuetudine reprobata, sed ex circumstantia contingenter mutabili, nihilominus, quod consuetudo legi sic consuetudinem reprobanti non possit derogare, tenuisse videntur, qui absolutè dixerunt consuetudinem non posse abrogare legem habentem derogatorias ad futuram consuetudinem. 295

Sed hujus sententiæ fundamenta examinanda sunt. Primò enim probari potest, quia consuetudo non vincit legem, nisi sit rationabilis, at verò consuetudo prohibita rationabilis non est; igitur non potest vincere legem. Sed duo certissima, & omninò indubitata, hìc præmitti debent. Primum quod Princeps non potest sua lege impediri mutationem rerum, quæ natura, & conditione sunt mutabiles, & solius divinæ providentiæ est contingentia futura ad votum suæ voluntatis disponere; Principes verò, quorum non est naturam rerum, & mundi ordinem disponere, contingentia futura universaliter non possunt impedire, nec prohibere, quin mutetur rerum conditio; igitur non possunt facere, quod id, quod hodiè est irrationabile ex contingenti, & mutabili circumstantia crastina die non sit rationabile ex circumstantia opposita, & sic non possunt facere, quod id, quod hodie est utile Reipublicæ crastina die non sit inutile, & reprobandum prudenter, & etiam necessariò. 296

Secundùm indubitatum est, quod Princeps non potest successorum ligare manus, diminuere auctoritatem, & restringere jurisdictionem, cùm par in parem auctoritatem non habeat. His præmissis patet, quod ista propositio, consuetudo prohibita est irrationalis, vera est sub conditione, quod maneat immutata ratio, ob quam est prohibita, quia si illa cesset, vel mutetur adeò rerum ordo, ut fiat, quod oppositum sit utilius Reipublicæ, jam consuetudo prohibita est rationabilis, & lex prohibens illam inutilis, & nociva bono communi, & abrogabilis sive per legem scriptam, sive per consuetudinem. Imò tam nova consuetudo ex nova causa rationabilis facta non est illa consuetudo, quæ fuit reprobata, sed est omninò ab illo diversa, & sic per hanc non reprobatam consuetudinem poterit lex illa abrogari. 297

Secundum fundamentum est, quia non debet dici, quod lex justa sit sine aliquo effectu; si verò lex prohibens consuetudinem futuram posset consuetudine abrogari, jam lex justa 298

effectum non haberet. Nam non potest dici, quod per legem illam prohibita sit consuetudo acti, quia hæc est prohibita per substantiam legis, non verò per legem ut prohibentem consuetudinem, sed quod lex intendit per illam clausulam est, quod facti consuetudo non possit contra illam legem prævalere obtinendo vim legis derogantis. Sed dicitur ad argumentum, quod simul manifestissimum esse debet, quod legi justissimæ non debet tribui effectus, quem non potest habere, quia illum non potest causare. Non potest verò lex facere, quod consuetudo, quæ hodie est irrationabilis ex causa mutabili, crastina die non sit rationabilis rerum conditione mutata, quam mutationem non potest impedire; At verò nec lex potest facere, quod consuetudo rationabilis accedente consensu Principis non tollat inutilem legem, & sic non tollat se ipsam, si fiat inutilis. Ad summum ergo lex illa non potest prohibere consuetudinem, nisi stante eodem ordine, & non mutatis rebus, & ejusdem consuetudinis irrationabilitate manente. Sed quia lex antecessoris non potest successoris auctoritati detrahere, neque facere potest, quod successor ex quacumque causa rationabili sibi benè visa, non abroget se ipsam, aut corrigat. Non ergo legi prohibenti consuetudinem futuram tribui potest, quod possit impedire, ne consuetudo si sit rationabilis legem eamdem non abroget consentiente Principe, sed solùm si sit irrationabilis.

299 Dices jam ergo illa clausula erit superflua, quia sine illa ex natura ipsa rei consuetudo irrationabilis non potest legi derogare, & sic superfluè clausula illa ponitur. Sed respondetur, quod etiam DD. sententiæ relatæ tenentur hanc objectionem solvere, nisi manifestè impossibile velint admittere; Impossibile enim est, quod lex possit impedire Principem, ut si velit non possit per consuetudinem rationabilem derogare legi, nec potest lex facere, quod consuetudo rationabilis non possit fieri rationabilis. Quem ergo effectum habebit illa clausula prohibens consuetudinem? Primus est, quod ipsa lex per consuetudinem à se reprobatam, nunquam potest abrogari. Sed hæc est illa consuetudo, ut stat sub illis circumstantiis, & præcipuè sub illa inutilitate, aut contrarietate ad bonum commune, ratione cujus fuit reprobata. Et sic ab ista consuetudine non potest lex abrogari, cùm quo stat, ut possit abrogari ab alia. Secundus est, ut nisi res mutentur, illa consuetudo censenda sit irrationabilis, & sic sine dubio habenda sit ut talis? Tertius est, & quidem magnus, destituere consuetudinem auctoritate legis eam approbantis, & sic quod debeat reputari, & præsumi improbabilis, seu irrationabilis, nisi de opposito constet, & sic quod non ex quacumque causa possit rationabilis reputari, Barbosa *clauf.87. n.12.* Quartus est reddere judices attentiores ut invigilent, ne re immutata notabiliter permittant eam consuetudinem introduci, aut vigere. Quintus est, quod infirmat præsumptionem consensus Principis ad derogandum legi, non enim de facili præsumi potest, quod Princeps consentiat in abrogationem legis per consuetudinem, stante quod lex prohibeat consuetudinem ipsam.

300 Tertium fundamentum est, quia lex potest impedire præscriptionem, ita quod nulla consuetudine fieri possit, quod res præscribatur, *l. ubi lex, ff. de usucap.* igitur potest facere, quod consuetudo non præscribat contra legem, & illam tollat. Sed certè non valet argumentum à præscriptione ad consuetudinem, quia præscriptio est quid statutum ex lege positiva, sed quod lex posterior possit priorem abrogare est de jure naturali, & quod actu abroget est liberæ voluntatis legislatoris, quam lex positiva non potest ligare, aut impedire. Et cùm consuetudo sit lex, non potest lex prior impedire quin possit per posteriorem consuetudinem abrogari, & quin actu abrogetur, si legislator velit.

301 Quartum fundamentum est, quia lex prior potest disponere de modo, secundùm quem possit ipsa, vel non possit abrogari. Potest enim disponere, ut non tollatur nisi ejus fiat expressa mentio, sic ergo quando lex prohibet consuetudinem prohibet, ne possit tacitè tolli. Sed hoc argumentum spectata rei veritate se destruit: quia quantumcumque lex se muniat contra futuras derogationes, si tamen legislator sciènter disponat contrarium legis illius nulla ejus facta mentione, lex manet derogata, ut probatum est suprà *in hoc lib. cap.1. de const. qu.1. art.10. n.149.* Et sic lex prior non potest impedire, quin Princeps, si velit, tacitè illi non deroget. Sed secundò dicitur, quod sicut Principes per novas leges volentes derogare prioribus habentibus clausulas derogatorias ad futuras dispositiones adhibent clausulas derogatorias derogatoriarum, ut tollatur omnis dubietas, ita tacitè subintelligi debent hujusmodi clausulæ in consuetudine, quando Princeps per eam legi prohibenti sui derogationem velit derogare.

Quintum est, quia legislator potest irritare contractus, ut non valeant, igitur poterit irritare etiam futuram consuetudinem, & hoc intendit, quando illam prohibet. Sed evidens est non esse eamdem rationem, quia lex irritando contractus exercet jurisdictionem in subditos, sed irritando consuetudinem exercet jurisdictionem in parem sibi, vel in ipsum legislatorem. Potest verò lex, quod sibi videtur conveniens indicare Principi, ut habetur *tit. l. super. cap. ult.* Sed non potest illum ligare. Et sic hujusmodi clausulæ derogatoriæ dispositionum faciendarum à legislatore sunt accipiendæ ut indicativæ ejus, quod convenire lex putat, non verè ut coactivæ, vel obligativæ, &. sic clausulæ prohibentes consuetudinem futuram hoc modo accipi debent ut indicativæ irrationabilitatis consuetudinis, non verò, quia vel facere possint, quod consuetudo non possit fieri rationabilis, vel quod non possit esse rationabile approbare consuetudinem, seu quod legislator tam præsens, quàm futurus non possit per consuetudinem abrogare legem. 302

Sed replicabit quis, & dicet, quod lex sicut potest dare formam contractibus, sic & consuetudini. Hoc enim potest fieri sine præjudicio successoris, quia potest lex determinare tempus intra quod consuetudo præscribi possit, & sic decernere, v. g. ut nunquam consuetudo censeatur præscripta, nisi per immemorabile tempus duraverit. Sic enim & in præscriptione contra jura Ecclesiæ decrevit Urbanus VIII. in Constit. 157. volens, ut sola centenaria, vel immemorabilis præscriptio in terminis illius constitut. valeat. Ex quo ergo lex prohibet futuram consuetudinem, ad minus tollit tempus præscriptionis, ut non per decem, vel quadraginta annos præscribatur. Item potest facere, ut non sufficiat tacitus Principis consensus, sed requiratur expressus. Et hoc ad minus continet prohibitio futuræ consuetudinis, ut scilicet illi legi non possit derogari, nisi per legem scriptam, vel per expressum legislatoris consensum. Sed horum, quæ objiciuntur; primum si probaret, improbaret solam consuetudinem, quæ est ex vi præscriptionis per tempus non immemorabile, non tamen tolleret eam, quæ esset ex tacito consensu Principis, & quæ nullius temporis præscriptioni est obligata. Sed dicitur secundò, quod cùm correctio jurium sit vitanda, *cap. cùm expediat, infr. de elect.* Et jura juribus concordari debeant, quantum potest; cùmque *in cap. fin. de consuet.* contineatur, quod consuetudo rationabilis, & præscripta derogat legi, & de jure communi sufficit præscriptio quadraginta annorum, non est censendum derogatum his juribus per clausulam derogantem futuræ consuetudini rationabili, ut spatio quadraginta annorum non possit præscribi. Quod confirmatur, nam prohibitio futuræ consuetudinis, non est determinatio temporis ad præscribendam consuetudinem, sed est consuetudinis reprobatio; ideò consuetudo, de qua loquitur clausula illa, totaliter tollitur, quia ipsa reprobatur, non verò solùm tempus illius præscribendæ determinatur. Ideò reprobatur consuetudo, quæ non contineat majorem utilitatem, quàm contineat lex, quæ reprobat consuetudinem. Et ita ad secundum dicitur, non posse tolli quin sufficiat consensus tacitus, si Princeps velit sufficere. Et nova consuetudo, cui consentit Princeps tacitè continet derogatorias derogatoriarum omnium, quibus munita fuit lex præcedens. Præterquam quod, ut dicebatur derogatoria non respicit nisi consuetudines inutiles, seu quas superat ratio, & utilitas legis conditæ, non verò eas, quæ utilitatem legis vincunt. Et prætereà si lex consensum tacitum voluisset auferre id expressisset. Et jam suprà satis ostensum est, quod lex cum clausula derogante futuris consuetudinibus habet suos effectus, sine eo, quod consuetudinem ex nova causa rationabilem tollat, nec clausula derogans consuetudini est latè interpretanda, sed valdè strictè cùm sit odiosa, & juri communi non conveniens. 303

Dicendum igitur est, quod non obstante quod lex sit munita clausula prohibente, seu reprobante consuetudinem in 304

in futurum potest per novam consuetudinem ex nova causa, vel ex antiqua de novo cognita rationabilem abrogari. Ita sentiunt expressè Panorm. cap. 2. de probat. num. 8. & cap. Cæterùm num. 9. de juram. Calum. & cap. fin. num. 24. de constitut. Domin. in hoc lib. sup. cap. primo de const. in fin. & ibi Franc. num. 19. Felin. cap. 2. n. 11. de probat. & ibi Dec. n. 68. Aret. num. 34. Barbat. in d. cap. fin. de consuet. num. 81. & 82. Rochus de consuet. sect. 4. num. 29. & sect. 7. num. 11. Petrus Ravennas de consuetud. num. 11. & 16. Silvest. v. consuetudo quæst. 6. num. 10. Tabien. quæst. 4. num. 5. Armill. num. 4. Angel. num. 9. Covar. lib. 3. var. cap. 13. num. 4. Anton. Gomez l. 51. Tauri num. 26. in fin. Sanchez l. 7. de matrim. disput. 4. num. 14. & apud eum quam plures alii. Suarez l. 7. de leg. cap. 19. num. 21. Navar. in com. de spoliis, §. 14. num. 8. Sotus l. 1. de just. quæst. 7. art. 2. Medina part. 2. quæst. 87. art. 3. Azor. tom. 1. l. 5. cap. 17. quæst. 10. Salas par. 2. disp. 19. sect. 7. num. 71. Basil. lib. 6. de matrim. c. 6. num. 9. Bonac. disput. 1. de leg. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num. 37. Palaus tract. 3. d. 3. punct. 4. §. 2. num. 10. Greg. Martin. part. 2. quæst. 97. art. 3. dub. 1. concl. 5. Serra concl. 3. Vasquez disput. 177. cap. 8. n. 83. Montes. disp. 23. quæst. 13. num. 230. Araujus disput. 3. sect. 8. num. 6. Martinez de Prado cap. 3. quæst. 15. num. 15. Layman l. 1. tract. 4. c. 24. num. 7. & alii apud istos. Probatur ar. in l. si hominem, ff. mandati, & quod ibi not. Bart. Ubi ex causa nova procurator generalis inhibet speciali, ne procedat ad injunctum sibi mandatum. Et ad idem facit, quod notat Bart. in l. omnes populi, ff. de just. & jur. & facit optimè, cap. non debet de consanguin. & aff. Non enim debet reprehensibile reputari, si secundùm varietatem temporum statuta mutentur humana. Item mens, seu ratio legis est ipsa lex, non autem verba, Cod. de leg. l. non dubium, & cap. fin. infr. de reg. jur. & ibi per Dynum. Sed inspectata ratione legis non est verum dicere, quod ista consuetudo damnetur per legem antiquam, quia non est illa, sed alia, ex quo non inducitur nisi nova ratione tunc non considerata. Hoc autem quod hic assertum est, multò magis procedit, si consuetudo non abrogat legem ex vi præscriptionis, sed ex consensu Principis expresso vel tacito; quia ubi Princeps vult legem abrogare illa abrogata remanet.

305 Hinc infertur tunc posse per consuetudinem derogari legi habenti derogatoriam ad futuras consuetudines, quotiescumque pensatis pensandis posset rationabiliter condi nova lex, quæ priori illi derogaret, quia & consuetudo lex est. Et quia in consuetudine derogante legi, non est necesse, quod sit simpliciter rationabilis, ut est ab inducentibus, sed sufficit, quod habeat adjunctam utilitatem communem, & quod Princeps ratione prudenti possit consuetudinem approbare, ideò sufficit hoc ad hoc, ut consuetudo deroget legi. Sed numquid ubi lex consuetudinem reprobat, potest consuetudine induci quidquid posset privilegio acquiri, seu quidquid posset rationabiliter concedi? Negat Layman l. 1. tract. 4. cap. 24. num. 9. & se fundat in eo, quod regula illa, quod acquisibilia privilegio, possunt acquiri præscriptione, vel consuetudine, fallit ubi lex resistit præscriptioni, & consuetudini, Panorm. cap. Accedentes num. 3. de præscript. ubi Felin. num. 15. Rochus de consuet. sect. 4. num. 33. Craveta, Mascard. Suarez, & Canisius ab eo relati. Nam præscriptio locum habere non potest, ubi jus facit aliquem incapacem possessionis. Sed totum hoc deficit, quia innititur præscriptioni propriè sumptæ, quæ maximè distinguitur à consuetudine. Et ubi consuetudo non potest induci, nisi simul præscribendo jus Ecclesiæ alicujus, vel personæ Ecclesiasticæ. Jam ex Constitut. 157. Urbani VIII. indubitatum est, quod requiritur centenaria, vel immemorabilis. Ratio ergo est, quia ut habetur ex D. Thom. p. 2. quæst. 97. art. 2. ad inducendam novam legem abrogantem priorem non sufficit, quod materia sit honesta, & possit concedi, nec sufficit quælibet utilitas, sed requiritur quædam necessitas, quod etiam consideravit Pasqualig. decis. 491. Ideò non sufficit ad novam legem ex consuetudine inducendam, quod materia consuetudinis sit honesta, & possit concedi privilegio, sed requiritur utilitas, quæ habeat quandam rationem necessitatis, & quod utilitas communis, quam inducit consuetudo, vincat utilitatem, quam lex abroganda affert. Quod est expressum dicendo, quod debet consuetudo illa sic esse rationabilis, ut meritò possit lege stabiliri.

306 Limitant verò aliqui assertionem, ut sit vera tantum de consuetudine inducta sciente Principe, & personaliter consentiente. Ita apud Sanchez ubi suprà, Anton. Burgen. cap. At si Clerici, num. 57. de Iud. & alii relati à Rocho de cons. sect. 4. n. 19. Sed ut idem Sanchez advertit, hoc asseritur sine fundam. Quia ex cap. fin. de consuetud. legi derogatur per consuetudinem rationabilem, & præscriptam. Et hæc limitatio etiam ex dictis num. 303. excluditur. Sicut & excluditur, quod habet Layman lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 7. nimirum, quod nec longissimum tempus cum titulo sufficit ad inducendam consuetudinem, cui jus resistit, nam consuetudo vim habet à Principis voluntate, quod si ille resistit consuetudini illa non subsistit. Quia aliud est in præscriptione, & aliud in consuetudine. In illa enim requiritur titulus, & bona fides, & ad illam inducendam sufficit tempus, quia illa respicit solùm privatum præscribentis bonum, quem non convenit agendo ex mala fide acquirere, quod est alienum. Sed consuetudo respicit bonum commune, & publicum, nec valet nisi sit rationabilis, & bono communi conducens, cui bono nec lex, nec Princeps resistit. Unde si consuetudo ex nova causa sit rationabilis, sufficit, quod per tempus ordinarium etiam sine titulo sit præscripta.

Sed si consuetudo sit immutabiliter, & perpetuo mala, 307
& ut talis sit reprobata, talis consuetudo non potest de novo induci, & legi talem consuetudinem reprobanti non potest per novam consuetudinem derogari. In hac assertione omnes conveniunt. Et est per se manifesta. Sive enim consuetudo sit per se ex natura sua mala, & rectæ rationi contraria, qualis est, quæ repugnat juri naturali, vel divino: sive sit mala ex circumstantia, si hæc mala circumstantia immutabiliter ei adhæret, sicut immutabiliter, & perpetuo est mala, sic perpetuo nec potest de novo induci, nec per eam potest legi derogari.

Quarta difficultas est de lege circa sacramentalia. Multi 308
enim existimant, quod consuetudo hujusmodi legi derogari non possit, nisi sciente Papa, & approbante expressè. Ita Hostien. in sum. tit. de 2. nup. num. 3. & cap. vir, num. 2. eod. tit. ubi Henric. num. 2. & cap. 1. de sponsal. in fin. Alii saltem in Pontifice desiderant scientiam, & tacitam approbationem, Gloss. in cap. vir, in fine de secund. nup. & ibi Panorm. num. 3. & 5. Nevo num. 8. Rosell. v. nuptiæ num. 2. Silvest. v. consuetudo, quæst. 7. Ducuntur verò ex cap. 2. de temp. ord. & cap. super eo, de cognat. spir. & cap. quod super de consanguin. ubi similes consuetudines rejiciuntur, & Clem. ult. de ætat. & qual. confirmatur consuetudo circa ætatem promovendorum ad Ordines contra antiquos Canones introducta.

Verùm ab hoc ultimo incipiendo, si consuetudo ista fuit 309
expressè confirmata, erat igitur rationabilis, & quod fuerit confirmata, quia Pontifex noluit eam abrogare, sed valere, & durare. In cap. verò illo 2. de tempor. Ordin. significatur eam consuetudinem promovendi ad Ordines extra quatuor tempora valuisse, antequam per legem abrogaretur, unde ex eo cap. Navar. cap. 22. num. 83. probat consuetudinem circa sacramentalia valere, in aliis autem juribus consuetudines reprobatæ fuerunt, quia irrationabiles, non quia non posset induci consuetudo circa sacramentalia. Nam imò, quod possit, habetur clarè ex cap. 1. de cognat. spirit. Et non est unde admittatur hæc exceptio, quantum ad ea, quæ inducta sunt jure humano, cap. fin. de consuetud. Roch. de consuet. sect. 4. num. 27. Palud. 4. d. 42. qu. 5. art. 1. & ibi supplem. Gabriel quæst. 2. art. 2. Covar. 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 10. n. 19. Tabien. v. impedimentum matrim. num. 14. Ang. v. nuptiæ num. 2. Armill. v. matrimonium num. 71. Navar. cap. 22. num. 83. Sanchez l. 7. de matrim. disput. 82. num. 20. Suarez l. 7. de leg. cap. 19. num. 26. Salas de legib. disput. 19. sect. 5. num. 58. Palaus tract. 3. disput. 3. part. 4. §. 2. num. 10. Layman l. 1. tract. 4. cap. 24. num. 12.

Quinta difficultas est de lege Concilii Generalis, non va- 310
lere enim consuetudinem contra illam tenent nonnulli ex notat. cap. quanto, n. 42. de consuet. & cap. si quis n. 65. de for. compet. & cap. quod à Prædecessore n. 61. de schism. & allegantur Hostien. cap. cùm laicis, n. 11. de reb. Eccl. non alienand. & ibi Jo. Andr. n. 3. & Card. n. 7. Bald. in tit. de pac. constant. col. 4. Jason. in l. de quibus num. 13. ff. de legibus, & Rochus de consuetud. num. 546. seu sect. 7. num. 25. vers. secundò limita. Ratio autem est, quia Concilium generale servandum est sicut Euangelium, cap. sicut 15. distinct. Et quia Concilia gene-

generalia continent derogatoriam ad futuras dispositiones, & consuetudines. Tum quia si non valet contra Concilium generale privilegium habens expressum consensum Papæ, multò minus valebit consuetudo, quæ habet consensum tacitum.

311 Sed ex jure oppositum colligitur. Nam *cap. quia propter, de elect. est desumptum* ex Concil. Gener. Lateranen. sub Innoc. III. Et tamen quod formæ contentæ *in d. cap.* derogetur consuetudine dixit Rochus *de consuet. sect. 6. num. 4. ad quod allegat cap. cùm Ecclesia Vulterana, de elect.* Sic enim contra formam *d. cap.* posse introduci ut scrutatores non eligantur, sed sint aliqui ex electoribus digniores, probavi *tract. de elect. cap. 16. num. 6.* Et contra eandem formam posse consuetudine introduci, ut electio fiat per sortes probavi *ibid. cap. 18. num. 10.* Et cùm ex eadem forma vocandi sint ad electionem absentes, nihilominus posse consuetudine præscribi ut non vocentur probavi *ibid. cap. 11. num. 13.* sed & suprà *in hoc lib. cap. 1. de constit. quæst. 1. art. 13.* abundè probatum est Concilia generalia non habere assertam derogatoriam ad futuras dispositiones, aut consuetudines, nec esse necessariam specialem eorum mentionem ad illis derogandum. Et quatenus illam clausulam continerent consuetudo continet derogatorias derogatoriarum ex tacito Principis consensu. Ex *cap. verò sicut d. 15.* non debet colligi, quod leges Conciliares sint juris divini immediatè, sicut sunt leges Euangelii, quia humanæ sunt, & positivæ; ac verò positivæ legi derogat consuetudo. Et quod non possit derogare legi Conciliari non est ex defectu potestatis, quia Papa ex cujus potestate vim habet consuetudo, illi derogare potest. Sed neque est ex defectu voluntatis, quia consuetudo ista non habet vim nisi ex voluntate Papæ, & vel consuetudo non est, vel per eam Papa vult derogare legi, quæ est consuetudini à se approbatæ contraria.

312 Sexta difficultas est de legibus Regularium, an contra illas possit valere consuetudo? Et cùm certum sit, nullam consuetudinem posse valere contra substantialia Religionis, nimirum contra vota, cùm ad illorum Observantiam Religiosi teneantur de jure divino, dicitur quod quantum ad non substantialia, quæ sunt de jure positivo, consuetudo valere potest, & Regulares leges abrogare, Sanchez *l. 6. mor. cap. 2. num. 26.* Lezana *tom. 1. cap. 7. num. 17.* Tambur. *tom. 3. disp. 4. quæst. 5. num. 3.* Peyr. *de subd. quæst. 1. cap. 8. §. 4.* Suarez *de leg. l. 7. cap. 8. num. 3.* & ex Diana, Mascardo, Bonacin. Less. Garzia, & Reginal. Fermos. *ad rubr. de consuet. quæst. 2. num. 52.* Consuetudo enim dicitur quasi alterum jus naturale, & ideò omnia potest, Bal. *cons. 433. l. 3.* Surd. *de alim. tit. 1. num. 7.* Tuscus *t. 2. l. C. concl. 806. n. 16.* Et propterea habet eamdem vim cum lege, & venit nomine juris, Barbosa *Axiom. 56. n. 5.* Et prævalet juri scripto, *l. de quibus, ff. de leg.* Estque potentior statuto, Gonzal. *reg. 8.* Gloss. 45. §. 1. *num. 78.* Barbosa *d. Axiom. 56. ubi num. 7.* quod possit inducere quidquid potest induci privilegio, & *num. 9.* quidquid potest facere pactum, Fermos. *ad cap. fin. de cons. quæst. 3. num. 67.* Unde non mirum, si possit etiam prævalere contra leges Regularium positivas, si sit rationabilis. Hoc idem tradidi *in tract. de elect. cap. 3. num. 90. & tom. 1. de stat. qu. 186. art. 8. d. 11. num. 164.* ubi dixi hoc habere locum etiam in Ordine Prædicatorum, licèt in Constitutionibus ejus consuetudo improbetur. Quomodo verò consuetudo non possit impedire reformationem, latè probavi *ibid. dub. 12.*

313 Septima difficultas est de jure gentium. Qui existimant, quod jus gentium sit jus naturale consequenter volunt, quod ei non possit per legem derogari. Ita Panorm. *cap. fin. de consuet.* Et ibi Rochus *sect. 5. num. 16.* Sed jus gentium esse de jure positivo habetur clarè ex D. Thom. *p. 2. quæst. 95. art. 4. & 2. 2. quæst. 53. art. 3.* Verum est, quod cùm sit constitutum consuetudine generali totius universitatis hominum, videtur quod ei derogari non possit, quia quilibet Princeps est inferior tota humani generis universitate, & ita tenent Bald. *tit. de nat. feu. cap. 1. & tit. qui feudum dare possunt, cap. 1. §. ult.* & sequitur Jason. *in l. quominus, ff. de flum. in repet. num. 3.* Nihilominus, quod possit Princeps fortan pro sua ditione derogare juri gentium sentiunt Suarez *l. 7. de leg. cap. 4. num. 6.* & Palaus *tract. 3. d. 3. p. 4. §. 2. num. 10.* Inquit tamen Suarez, quod fortasse princeps se solo non potest aliquid statuere contra jus gentium. Ego dicerem quod in favorabilibus, & quæ nullum præjudicium inferunt aliis, posset Princeps accedente consensu populi voluti renunciare privilegio aut favori, quod sibi competit de jure gentium. Sed ubi hoc fit in aliorum præjudicium, potestatem hanc non habet, sed urget ratio Baldi, & ejus sententia est vera.

S V M M A R I V M.

314 *Consuetudo difficillime probationis.*
Consuetudo ab allegante probari debet, ut existens ante motam litem.
315 *Notoria non indiget probari, & quatenus probanda sit, sufficit extrajudicialis probatio.*
Probata generali, non est necesse probare particularem.
316 *An consuetudo notoria allegandа.*
317 *An in ordinatoriis sit probanda.*
318 *Stylus an probandus.*
319 *Quid ubi sit dubium de qualitate consuetudinis.*
320 *Quid probare debeat, qui vult probare consuetudinem.*
321 *Debet testis deponere de frequenti usu in loco, & rationem sui dicti reddere.*
322 *Debet plene probari.*
323 *Probatur per scripturas, & instrumenta.*
324 *Probatur per privilegia, & libros officii.*
325 *Unus testis non sufficit.*
326 *Nisi ubi agitur de loco distanti.*
327 *Vel nisi consuetudo sit antiqua.*
328 *Testes debent esse contestes, & de visu, & duo plene probant.*
329 *Ad probandam consuetudinem communem sufficiunt testes singulares.*
330 *Interpretativa consuetudo qualiter probetur.*
331 *Immemorabilis quomodo probetur.*
332 *Doctori testanti de consuetud. in foro externo, non creditur.*
333 *Doctoris dictum facit præsumptionem.*
334 *Quando secundum aliquos Doctori credatur.*
335 *Doctori non creditur in judicio, nisi jurato, & nisi ut uni testi.*
336 *Pluribus Doctoribus creditur.*
337 *Quid dicendum in foro conscientiæ:*

ARTICULUS XIII.

Utrùm, & qualiter consuetudo sit probanda.

Consuetudinem esse valdè difficilis probationis dixerunt 314
Rota coram Greg. XV. *decis. 162.* Fulgos. *cons. 6. in fin.* Dec. *cons. 215. in fin.* Aym. *cons. 325. num. 1.* Imò eam probari esse quasi impossibile ex Purpurat. *cons. 66. num. 11. l. 1.* Card. Paris. *cons. 25. num. 20. l. 1.* & multis aliis advertit Antonius Piaggius *de consuet. q. 10. n. 2.* Cùm tamen consuetudo dubia non sit observanda, & attendenda donec examinetur. Turrecrem. *cap. In his, n. 7. 11. dist.* Et ideò vulgatum, & indubitatum axioma est consuetudinem ab allegante illa nt prius esse probandam Gloss. *in l. 1. in v. probatis, C. quæ sit long. consuet.* Rota coram Seraph. *decis. 1159. n. 1.* & coram Put. *decis. 306. n. 2. l. 1.* Gregor. XV. *decis. 162. nu. 1.* DD. *in cap. fin. de consuet.* Bart. *in l. de quibus, ff. de consuet.* Bald. *in l. 1. C. quæ sit longa consuet. num. 3. 11. & 23.* & communiter omnes. Et ita debet probari. Debet verò probari consuetudinem viguisse ante motam litem. Rota *decis. 123. num. 5. part. 9. recent.*

Limitatur tamen assertio in consuetudine notoria, quam 315
non est necesse probari, Piaggius *d. quæst. 10. n. 18.* Palaus *tr. 3. disp. 3. p. 6. n. 2.* Paris. *cons. 31. n. 14. l. 1. & cons. 16. n. 14. lib. 1.* Purpur. *cons. 250. n. 7. l. 1.* Jason. *cons. 192. num. 32. l. 1.* Et quatenus consuetudo notoria aliquo modo probanda sit, potest probari per testes non juratos, & parte absente, & judex potest procedere per modum informationis, ut ex Anton. *in repet. cap. fin. n. 67. de consuet.* & Jason. *in repet. l. Admonendi n. 32. ff. de jur. jur.* tradit Piaggius *d. qu. 10. n. 18. & 21. ubi n. 20.* dixerat, quod probata consuetudine generali, relevatur quis ab onere probandi particularem in loco secundùm Imol. *cap. in Genesi num. 8. de elect.*

Est autem difficultas an consuetudo notoria, licèt non sit 316
probanda, debeat tamen allegari, seu proponi. Affirmarunt enim

enim Gloss. *in Clem. appellanti, de appellat.* Bartol. *in l.1. C. qui & adversus quos*, & plures alii apud Piaggium *d. qu.*10. *num.*32. quod tamen negarunt alii, quos idem refert *n.*33. sed contrarias sententias concilians Felin. *cap. dilecti num.*1. *de judic.* distinguit, & ait, quod quando notorium proponitur ad finem prosequendi illud in judicio, debet allegari, ut illa Gloss. voluit. Sed quando notorium exigitur solùm ad finem notificandi, non est necesse illum allegare per Imol. *in d. Clem. Allegante*. Et in hoc sensu Innoc. & Panorm. *in d. cap. dilecti*, dixerunt, quod libellus notoriè ineptus potest à Judice ex officio parte non opponente lacerari. Cujus plura exempla dat Felin. *ibid.* Addit verò Piaggius, quod notorium, quod resultat ex actis, non indiget probari, & sic quod si consuetudo notoriè constat ex actis, potest judex supplere nemine proponente, Dec. *cap. ex insinuatione n.*23. *de appellat.*

317 Limitatur secundò, ut consuetudo in ordinatoriis judicii non sit probanda, eo quia id sit modici præjudicii. Mascard. *de probat. v. consuetudo nu.*33. cum Dec. Bart. & aliis. Sed Paulus *tract.*3. *disp.*3. *p.*6. *num.*3. admittit exceptionem, sed rejicit rationem, quia & in ordinatoriis judicii potest parti contingere non modicum præjudicium, si ex prætensa consuetudine prolongetur judicium, vel aliquid simile contingat. Sed exceptionem admittit, quia consuetudo in ordinatoriis debet judici esse nota. Quod si adsit dubium, illa debet probari. Quod admittens Piaggius *d. q.*10. *n.*11. ait, quod sufficit hanc consuetudinem probare summariè, & sine scriptis, & quod judex potest se informare ab Advocatis, & Procuratoribus etiam parte absente, & testibus non juratis, allegans ad hoc Ludov. Gomez *cons.*101. *num.*27. & sic quia probare hanc consuetudinem est levioris præjudicii sufficiunt leviores probationes, secundùm Petrum de Raven. *de consuet. num.*101.

318 Limitatur tertiò à Mascard. *num.*14. quem sequitur Palaus *num.*4. in consuetudine, quæ vocatur stylus fori, & curiæ, quam non sit necesse probare. Tum quia non est consuetudo inducta à populo, sed à judicibus ipsis. Tum quia hæc pertinet ad ipsum judicem, qui illam scire tenetur. Sed hæc limitatio debet explicari sicut præcedens, si enim judex stylum ignoret, illum debet inquirere, & probationes saltem extrajudiciales procurare.

319 Limitatur quartò si non sit dubium de consuetudine, sed de ejus qualitate, utputa an sit honesta. Cùm enim hoc non sit dubium facti, sed juris, eum resolvere spectat ad judicem ex regulis juris. Ita Palaus *num.*5. Rochus *de consuet. sect.*7. *num.*24. Panorm. *cap. fin. de consuet. num.*5. *fin.* Salas *part.*2. *disp.*19. *sect.*18. *num.*108. Sed cùm hoc jus dependeat ex facto, ad hoc ut Judex possit dubium juris resolvere, necesse est, quod sibi plenè constet de facto, quod si id deficiat probandum erit.

320 Cùm igitur consuetudo ab allegante probanda sit, duo consideranda sunt, primò scilicet quid probare debeat, & secundò qualiter. Qui igitur consuetudinem probare debet, curare debet, ut habeat testes, qui deponant de usu populi, frequentia actuum, & temporis diuturnitate, Rochus *de consuet. sect.*8. *num.*25. Piaggius *dict. quæst.*10. *nu.*7. Bambin. *cons.*87. *num.*3. Purpur. *cons.*109. *num.*12. *lib.*1. Sed non sufficit eam probare quomodocumque, sed necesse est eam probare in specie casus, de quo est controversia. Seraph. *decis.* 1159. *num. ult.* Cæsar de Crassis *decis.*6. *num.* 5. *de preben.* Gregor. XV. *decis.* 162. *num.*2. Oldrad. 237. Anchar. *cons.*331. *num.*8. Aymon. *cons.*96. *n.*4. & apud Piaggium *d. qu.*10. *n.*55. Aymon. Roland. à Valle, unde nec articuli generales super probanda consuetudine sunt admittendi, nisi actus in specie exprimantur super quibus consuetudo inducta est. Idem Piaggius *num.* 54. post Decium *cons.*275. *num.*10. Aym. *cons.*134. *num.*6. Tab. *cons.*48. *n.*16. Et sic etiam testes probare debent certum tempus, per quod consuetudo duravit. Rota *decis.*233. *num.*2. *part.*4. *divers.* & *in recent. decis.*124. *num.*13. & 14. *p.*5. & *decis.*123. *num.*2. *part.*9. non sufficit enim probare tempus; quod possit esse brevius decennio, vel eo quod ad præscriptam consuetudinem est necessarium. Panorm. *in cap. Cum sicut homines n.*6. *de decim.* quem refert Achiles *decis.*3. *n.*5. *eod. tit.* Puteus *d.*154. *aliàs* 155. *num.*7. *l.*1. & *decis.*163. *p.*2. *divers.* Ideò probare consuetudinem pro tempore vitæ defuncti, quæ potest verificari in minori spatio decem annorum, non relevat. Rota *d. decis.*124. *num.*14. *part.*5. *recent.* post Bart. *in l. non solum*, *§. sed nec probari*, *ff. de nov. op. nunc.* Dec. *cap. in præsentia num.*52. *de probat.* Aym. *cons.*54. *n.*11. Surd. *decis.*75. *num.*20. Et propterea Rota *decis.*177. *num.*54. *part. recent.* judicavit non fuisse probatam consuetudinem, quod etiam in bonis extra territorium servetur statutum Narnien. exclusivum fœminarum. Quia non fuerat probatum, quod consuetudo illa esset universalis, quod fuerit in contradictorium deducta, & obtinuerit, quod verisimiliter devenerit ad notitiam, & frequenter id contigerit, & quod idem casus cum eisdem qualitatibus contigerit sæpiùs, & pro masculis fuerit resolutus.

321 Pariter verò debent testes deponere de pluralitate, & frequentia actuum in loco, quia nimirum deponant se vidisse sic observatum in loco, scientibus, & præsentibus multis, toto temporis spatio, quod ad inducendam consuetudinem requiritur. Palaus *d. part.*6. *num.*8. ex Rota in novissimis apud Farin. *decis.*255. *part.*1. & *ibid. decis.*5. & 6. *num.*7. & *decis.*497. *num.*2. *part.*2. Ideò ex eo, quod usus probatus fuerit de una sola Ecclesia, non autem generaliter de omnibus Ecclesiis, quod consuetudo non fuerit sufficienter probata dixit Rota *decis.*124. *num.*12. *part.*5. *recent.* ex Panorm. *cap. fin. num.*20. Cardin. *quæst.*16. Butr. *n.*39. *de consuet.* Imò nec sufficit si testis deponat esse consuetudinem, nisi illius rationem reddat. Palaus *dict. num.*8. Dec. *cons.*215. *num.*3. Rochus *cap. fin. de consuet. nu.*617. Bart. *in l. de quibus col.*9. *ver. sed quid si testis*. Nam cùm consuetudo sit usus frequens longo tempore durans, qui de consuetudine testatur, debet de usu frequenti, & longo tempore durante ferre testimonium.

322 Dum autem quæritur, qualiter hìc frequens usus, & longævus probari debet, dicitur primò, quod debet plenè probari. Bart. *in l. de quibus num.*22. *ff. de leg.* Palaus *d. punct.*6. *n.*6. Piaggius *qu.*10. *n.*6. Rochus *cap. fin. nu.*644. Mascardus plures referens, *v. consuetudo*, *concl.*423. *num.*19. *de probat.* Quod intelligitur ubi decisio causæ ex probata consuetudine dependet. Nam si de consuetudine principaliter non agatur in judicio, sed incidenter, videtur sufficere semiplena probatio, secundùm Palaum *d. num.*6. id probantem ex Bart. Guid. Papa, & Mascard.

323 Probatur verò consuetudo multipliciter. Probatur enim primò per scripturas, & instrumenta. Ita dixit Rota *decis.* 152. *num.*19. *par.*5. & *decis.*32. *num.*15. *par.*7. *recent.* per not. à Bart. *l.*2. *n.*12. *C. quæ sit long. consuet.* Ang. *in l. vetustissimam n.*1. *C. de jur. domin. impetran.* Aymon. *de antiq. tem. part.*1. *in ver. ampliatur num.*16. Et idem probat Piaggius *d. quæst.*10. *num.*13. post Roland. *cons.*40. *num.*15. Menoch. *cons.*37. *num.*94. & alios. Præsertim cùm in pluribus illorum, & antiquis fit mentio de consuetudine, quia tunc consuetudo probatur etiam ex enunciativis ipsorum, & tum ratione antiquitatis eorumdem. Rota *ibid. num.*16. citatis Gloss. *in cap. Cum causam, de probat.* Felin. *ibid. nu.*5. Bald. *in l. Cum aliquos*, *num.*4. Salyc. *num.*3. *C. de jur. delib.* Rota *decis.*388. *num.*1. *part.*1. *divers.* & *decis.* 223. *num.*4. *part.*2. *recent.* Maximè si enunciativæ continent idem, quod disponebatur in dictis instrumentis. Rota *decis.*176. *num.*3. *part.*1. *recent.* Addit verò Piaggius *d. quæst.*10. *num.*15. quod consuetudo probata per instrumenta dicitur notoria per not. à Bart. *l.*1. *num.*8. *ff. de nov. op. nunc.* & Bald. qui dixit hoc mente tenendum *l.*1. *num.*12. *Cod. ad S. C. Velle.* & quod alia probatione ad hoc non est opus, secundùm Cur. Jun. *cons.*106. *num.*5.

324 Probari etiam consuetudinem per privilegia ipsam enunciantia dixit idem Piaggius *num.*22. ex Aret. *cons.*161. *n.*10. & addit *num.*23. probari etiam per libros officii, ex Fed. de Sen. *cons.*94. *num.*7. *lib.*1. ubi respondit in consuetudine librorum in quibus fidejussores fuerunt recepti absque testibus. Quod tamen non sufficit, nisi pariter probetur, quod talibus libris fidei adhibita sit. Non enim sufficit scripturas officii produci, in quibus appareat fidejussores receptos sine testibus. Panorm. *cons.*53. *col.*1. *prope fin.* & *cons.*79. *circa primum dub. col.*4. *l.*2. Ubi consuetudo diminutiva solemnitatis inventarii non probatur, quod ita aliàs fuit confecta, nisi etiam quod istis sic confectis fides daretur. Et quod negativa non solvendi probetur per inspectionem librorum, subdit *num.*26. ex Aymon. *cons.* 497. *numer.* 19. *lib.*3. De his videndus Rochus *sect.* 8. *num.*19.

325 Per testes quoque probatur consuetudo. Rota *decis.* 52. *num.*6. & *decis.*266. *num.*4. *par.*7. *in recent.* Non sufficiunt verò testes de auditu. Piaggius *d. quæst.*10. *n.*8. Aym.

*cons.*814. *num.*15. *l.*5. Nec sufficit unus testis etiam ad semiplenam probationem; imò neque in hac parte sufficit deferre juramentum. Palaus *d. punct.*6. *n.*7. ex Mascard. *d. casu* 423. *n.*21. imò unius testis depositio potius nocet, nam præsumi potest suspecta, & fallax, quia consuetudo, si est, pluribus debet esse nota, consistit enim in facto frequenti, & diuturno, & in populi consensu, unde quod unus solus testis sit informatus de consuetudine non est verisimile.

326 Hoc tamen dupliciter limitatur à Mascardo. Primò si alterius loci sit consuetudo probanda, quia tunc cùm ejus consuetudinis possit dari ignorantia probabilis, non præsumitur testis unicus suspectus. Quod tamen displicet Palao *d. num.*7. Et verè considerandum esset, an sit verisimile consuetudinem alterius loci, si adesset, ignorari. Loco enim propinquo, & ad quem homines sæpè accedunt consuetudo, si adsit, non ab uno solo erit cognita, sed pluribus innotescet, sed in consuetudine loci valdè distantis oppositum continget, nec præsumi poterit, quod Romæ plures debeant esse conscii consuetudinis Constantinopolitanæ, unde ubi agitur de probanda consuetudine loci valdè distantis unus testis semiplenè probabit.

327 Et ideò secundò id limitatur in consuetudine antiqua, cujus vix est, qui recordetur, unde unus testis juratus illam semiplenè probat ex Authent. *sed cum testatur*, *C. ad l. Falcid. & l. si Arbiter*, *ff. de probat.* & limitationem admittit etiam Palaus.

328 Per duos autem testes plenè probatur consuetudo. Bart. *in l.*2. *num.*30. *C. quæ sit longa consuet.* Sylvan. *cons.*57. *n.*38. Rochus *de consuet. sect.*8. *num.*8. Mascard. *cas.*424. *num.* 1. *&* 13. Salas *disp.*19. *sect.*8. *num.*108. Palaus *dict. p.*6. *num.*8. Piaggius *d. quæst.*10. *num.*10. Qui tamen deponere debent de visu actus cujus consuetudo allegatur. Dec. *cons.*538. *num.*9. Card. Paris. *cons.*27. *num.*3. *l.*1. Piaggius *d. quæst.*10. *num.*52. debent etiam esse contestes, & concordare de eodem actu; neque enim sufficeret si unus de uno actu, & alius de alio deponeret. Unde nec sufficiunt testes singulares. Bald. *in l. de quibus num.*119. *de consuet.* quem sequitur Piaggius *d. quæst.*10. *nu.*45. Et sic quod testes debeant etiam esse contestes in tempore addit ex Alex. *cons.*131. *num.*9. *l.*2. *& cons.*173. *num.*7. *l.*6. Et in personis, quibus præsentibus fuerunt visi actus, quod debeant testes concordare, ex Petro de Ravenna *de consuet. num.*151. An verò testis teneatur etiam non requisitus reddere rationem scientiæ, tractat Rochus *de consuetud. sect.* 8. *num.* 37. *& num.*38. & tenet testimonium valere, etiam si testis simpliciter deposuerit non reddita ratione sui dicti. Quod tamen multi alii negant.

329 Ad consuetudinem tamen generalem Provinciæ, vel Diœcesis probandam sufficere testes singulares dixerunt Alex. *cons.*172. *num.*10. *l.*2. Card. Paris. *cons.*25. *lib.*4. Dec. *cons.*586. *num.*2. apud Piaggium *d. quæst.*10. *num.*46. qui eos sequitur, *& num.*48. addit, quod imò consuetudinem generalem non oportet probare per Pancirol. *cons.*96. *nu.*42. *l.*1. & quod sufficiat eam allegare. Purpur. *cons.*398. *n.*4. *l.*1. Sed hoc quidem poterit esse verum, ubi lis agitatur intra Provinciam, aut Diœcesim, in quantum ibi erit notoria, sed ubi lis tractetur extra Provinciam, aut Diœcesim, vel ubi consuetudo non sit notoria erit probanda. Addit verò Piaggius *num.*5. hanc generalem consuetudinem posse probari per testes, quos tangit negotium, & sic quod consuetudo de non solvenda quarta Episcopo potest probari per Clericos, & Rectores Ecclesiarum illius loci deponentis de suo facto negativo ad commodum eorum. Sed an hoc possit admitti difficilè v. detur. Quod etiam dictum est, sufficere testes singulares, intelligitur, dum testes concludunt in eundem finem.

330 Non solùm autem consuetudo inductiva novæ obligationis, sed & consuetudo interpretativa juris probari debet: sed non requirit tam exactam probationem, ut admonet Decian. *respons.*51. *post num.*50. *& num.*95. *&* 110. quem sequitur Rota *decis.*118. *num.*12. *part.*9. *recent.* quæ addit, quod & sufficiunt ad hoc testes de auditu, si deponant simul, quod de hoc est publica vox, & fama, ut habet eadem Rota, sicut quod neque exigitur, quod probent, quod lapsum fuit tempus sufficiens ad præscribendum; nec quod fuerit sic observatum in contradictorio judicio; sed sufficit quod deponant se audivisse sic fuisse observatum à decem annis citra, etiam si in suo dicto sint singulares, ubi prout hic agitur de probanda consuetudine particulari. Et propterea Piaggius *d. qu.*10. *n.*66. ait, quod ad probandam hanc consuetudinem articulus debet sic formari. Quod scilicet à decem annis, & citra, & per ipsum tempus, communis usus intelligendi fuit, quod talia verba, *v. g. si filius meus decesserit*, intellecta sunt, si decesserit sine filiis. Et testis postea de hoc deponens interrogabitur, quomodo sciat, & sufficiet, si dicat, quia per totum dictum tempus in Civitate audivit ab omnibus loquentibus de hoc, & quod hæc verba sic intelligantur. Debet tamen hæc consuetudo specialiter in casu, de quo agitur probari, & non sufficit probari generaliter.

Ad immemorabilem verò consuetudinem probandam necessarium est servare requisita per Gloss. *in ver. memoria cap.*1. *infrà de Præscript.* sunt, ut testes deponant, quod semper viderunt, & audierunt ita esse, nec unquam viderunt tali tempore contrarium, & quod communis est, & semper fuit opinio, quod sic fuerit, & quod non extat contrarii, aut initii memoria. Et sic isti testes debent deponere partim de visu, partim de auditu, & partim de fama. De visu deponere debent de tempore vitæ illorum. Hoc autem tempus per Rotam decernitur esse quadraginta annorum, & sic testes necesse est ut ad minus sint quinquaginta quatuor annorum, ut possint deponere suprà quadraginta annos vidisse, & audivisse ita esse. Sed de tempore antecedente eorum nativitatem, & memoriam debent deponere de auditu, nimirum de auditu à majoribus eorum, qui retulerunt ita semper fuisse. At verò de consuetudine absolutè deponere debent de fama, quia nimirum, quod ita sit, sicut deponunt, habetur ex fama, quæ est, & fuit; unde deponere debent per verba est, & fuit, & quod contrarii aut initii consuetudinis, non extat memoria. Videatur Rota *in recent. decis.*74. *n.*21. *& decis.*136. *n.*5. *&* 6. *part.*6. *& decis.*232. *n.*4. *part.*7. Mohedan. *decis.*3. *de jurepatr.* Capitaquen. *decis.*72. *part.*2. *&* 273. *lib.*1. Seraph. *decis.*102. *num.*4. Gregor. XV. *decis.*196. & ibi Beltramin. *num.*3. Mol. *de primog. l.* 2. *c.* 6. *n.*39. Castell. *de tertiis Reg. Hisp. cap.*26. *&* 27. Roch. *sect.*8. *n.*28. Covar. *in cap. possessor p.*2. §.3. *n.*7. Non probatur verò immemorabilis, ubi constat de ejus initio. Rota *decis.*115. *num.*15. *part.*6. 331

Tandem verò quæritur, an dictum unius excellentis DD. probet consuetudinem. De hoc multæ sunt opiniones, ut videre est apud Sanchez *l.*7. *de matrim. d.*17. *num.*8. & Mascard. *de probat. concl.*426. Salas *disp.*19. *sect.*18. Si verò loquamur in foro externo. Romanæ Rotæ praxis est, ut Doctori attestanti de consuetudine non præstetur fides. Seraph. *decis.*1349. *num.*5. *& decis.*141. *num.*14. coram Eminentiss. Orthobono, *& decis.*123. *num.*27. coram Coccino, *& decis.* 174. *num.*5. coram Gregor. XV. *& decis.*274. *num.*5. coram Gregor. XV. *& decis.*2. *&* 3. *de consuetud.* apud Mohed. *& decis.*193. *num.*13. *par.*6. *recent.* Et meritò non creditur, non enim sufficienter probat, cùm consuetudo sit quid facti. At verò in his, quæ sunt facti non est, unde magis credatur Doctori, quàm alteri; quæ enim fiunt, & coram oculis sunt, non minus vident non Doctores, quàm Doctores. Et prudentissimi quandoque errant in iis, quæ sunt facti, *l.* 2. *ff. de jur. & facti ignor.* Et si dicatur, quod Doctoris auctoritas facit probabilitatem, respondet Rochus *de consuet. sect.*8. *n.*9. quod hoc est verum in illis, quæ sunt juris, non verò in illis, quæ sunt facti. 332

Arbitratur verò Mascard. *de probat. conclus.*424. quod dictum excellentis Doctoris fidem facientis de consuetudine faciat præsumptionem, quod probat, quia testis non juratus facit præsumptionem, ut observat Gloss. *in cap. Nuper de test.* & vir honestus inducit credulitatem, ut observat Accursius *in l. Titio fundus*, *ff. de cond. & demonst.* & Dec. *cons.*540. *&* 691. Item quia pro judice præsumitur, *cap. in nostra*, *de Procur. & cap. in præsentia de Renunc.* Quia etiam præsumitur pro Notario, *cap. ad audientiam*, *de præscript.* igitur etiam pro excellenti Doctore præsumi debet. Sic ergo Doctori præsumptivè credendum esse ex Mascardo approbarunt Palaus *dict. p.*6. *num.*8. Diana *p.*6. *tract.*5. *resol.*28. Martinez de Prado *cap.*3. *quæst.*15. *a.*20. 333

Oliverius autem Beltraminus *add. ad decis.*274. Gregor. XV. dictum Rotæ temperat, ut procedat in aliis curiis, & foris, in quibus Doctores attestantes de consuetudine versati non sunt: secus verò in iis curiis, in quibus Doctores sunt versati, juxta distinctionem, quam facit Surdus, *cons.*74. *num.*14. post Gabriel. *de probat. concl.*4. *num.*2. Sed Rota *d. decis.*193. *n.*14. *p.*6. *recent.* dat alteram limitationem, 334

ut sci-

ut scilicet Doctori credatur, quando non agitur de probanda consuetudine speciali unius loci, sed allegatur universalis consuetudo passim observata in forensibus judiciis, & quod sic intret distinctio Surdi *cons.74. num.14.*

335 Mihi tamen videtur dicendum quod Doctori in judicio credendum non sit, nisi jurato. Quia imò nec S. Rom. Ecclesiæ Cardinali creditur nisi jurato secundùm Gloss. *in cap. Cùm olim, in v. fratrum*, & ibi Panorm. *de privil.* & idem Panorm. *in cap. Nuper de testibus*. Et amplius, quod Doctor in judicio examinatus non facit majorem fidem, quàm faciat unicus testis; quamvis in hoc dari possit latitudo, ut majorem faciat quàm alii, si agatur de consuetudine in judicio, in quo ipse versatur, sed minorem si tractetur de consuetudine extrajudiciali, quam melius potuerunt alii advertere. Doctor verò in hoc excedet, ut firmius possit testari de valore consuetudinis, cùm hujus cognitio maximè dependeat à jure.

336 Si verò communiter DD. testantur de consuetudine, & nullus sit qui contradicat, Palaus *num.10.* credit eis fidem esse præstandam, quia tunc habetur probata consuetudo notoria, & dicta illorum DD. habentur tanquam publica instrumenta. Et citat pro hac opinionis Sanchez *lib.7. de matrim. disput.17. num.8.* & Salas *par.2. d.19. sect.18. n.108.* Et tamen hoc limitat ut non procedat in consuetudine contraria jure communi, omnibus enim illis jus commune præponderat, ut cum aliis probat Mascard. *num.24.* Sed idem dicendum est, quod dictum fuit, quod in judicio unus Doctor non probat, plures verò probant si sint contestes, quia duo sufficiunt, nec interest, quod deponant de consuetudine contra jus, quia si factum est, verè dicitur esse, & testi fide digno credendum est. Quod si autem alii testes deponant contrarium, videndum erit quorum dictum præponderet, & tunc poterit esse, quod jus commune, cui est contraria consuetudo, præponderet, nam cæteris paribus credendum erit testibus, quibus jus commune assistit.

337 Loquendo autem extrajudicialiter, & in foro conscientiæ, idem Palaus *num. fin.* vult quod si nullus contradicit uni excellenti DD. testanti de consuetudine, integra fides sit præstanda, quia ejus dictum facit certitudinem moralem, & citat Suarez *l.7. de leg. cap.11. num.8.* & Salas *d. num.108.* Idem sentit Martinez de Prado *cap.3. quæst.15. num.20.* Si tamen nullæ sint probationes in contrarium. Sed puto quod considerari deberet etiam materia, de qua est sermo, si sit magni momenti, si de facto Doctor referens est informatus, si ejus interest vel non interest, quod præstetur fides consuetudini, & similia, quæ prudenter sunt consideranda.

SUMMARIUM.

338 *Rationes ad quæstionem.*
339 *Resolutio D. Thomæ.*
340 *Habere plura beneficia nec est per se contra jus naturæ, nec est res per se omninò indifferens, & meritò est prohibita ab Ecclesia.*
Pluralitas beneficiorum ex ambitione.
341 *Et ambitionis mala.*
342 *Et etiam ex cupiditate.*
343 *Pluralitas beneficiorum præbet dissolutionis materiam.*
344 *Præbet occasionem vagandi.*
345 *Vnus pluribus officiis non sufficit.*
346 *Pluralitas beneficiorum non est sine periculo animarum.*
347 *Alia mala causat.*
348 *Illegitimè petere, & obtinere plures præbendas est peccatum grave.*
349 *Qui sine causa justa habet plures præbendas, peccat contra legem naturalem.*
350 *Peccat, qui sine dispensatione plura beneficia tenet.*
351 *Non licèt in pluralitate beneficiorum dispensare sine causa.*
Quæ sint justæ causæ.
352 *Dispensatio ista data sine causa est invalida.*
353 *Etiam si sit à Pontifice, nisi respectu ejus, quod est de jure positivo.*
Dispensatio Principis sine justa causa est valida.
In Papa præsumitur justa causa.
354 *Consuetudo obtinendi plura beneficia est corruptela.*
355 *Hoc explicatur.*
356 *Hæc vera de beneficiis sufficientibus.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

Et maximè de his, quæ sunt sub eodem tecto.
Iura magis abhorrent pluralitatem beneficiorum sub eodem tecto.

Quæstionis Secundæ

De incompatibilitate plurium beneficiorum in eadem Ecclesia.

ARTICULUS I.

Vtrùm habere plures præbendas sit prohibitum jure naturali, aut divino.

Videtur enim absolutè respondendum non esse prohibitum, quia aliter Ecclesia non permitteret haberi simul ab eodem plures præbendas, sicut permittit, cùm non possit in jure naturali dispensare. E contra verò pluralitati præbendarum per se plura inconvenientia conjuncta sunt; unde sequi videtur, quod habere plures præbendas non sit quid indifferens. 338

Ut quæstio resolvatur sufficit afferre quę habet D. Thom. *quodl.9. art.15.* ubi ex professo quæstionem hanc tractat, & resolvit, sic dicens: *Respondeò dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Error verò quo credit esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit. Cùm enim hæc quæstio ad Theologos pertineat, inquantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali: & ad juristas inquantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iurista Iuristis contraria sentire. In jure namque divino non invenitur determinata expressè, cùm in sacra Scriptura expressa mentio de ea non fiat, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus Scripturæ fortè adduci possint: quæ tamen non lucidè veritatem ostendunt. Determinando verò eam secundùm jus naturale, sic videtur ad præsens de ea dicendum, quòd actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam: ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo benè fieri possunt: de numero talium non est habere plures præbendas, aliàs in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit. Quædam verò sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquod hujusmodi: inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes. Ita licitum est habere plures præbendas, sicut habere plura poma. Sed hoc non videtur esse verum, cùm hoc, quod est habere plures præbendas, plurimas in se inordinationes contineat, utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus, cùm præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent: unde non potest contineri inter indifferentes actiones, & multò minus inter eas, quæ sunt secundùm se bona, ut dare eleemosynam, & hujusmodi. Sunt verò quædam actiones quæ absolutè considerata deformitatem, vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere in se deformitatem quandam importat, sed si addatur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur: ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantundem absens quàm alius præsens, & si quæ alia sunt hujusmodi. & tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum secundùm jus naturale, quia dispensatio ad jus* 339

art.65. over. qu.17. art.3. ad 4.

ar.171. ad 1. 22. qu. 110. ar. 3. cap. ma. d. 1. ar. 4. ad 2. Reprobatio.

Ma. q. 1. ar. 4. & 5.

naturale non pertinet, sed solùm ad positivum. Si verò aliquis intentione plura beneficia habeat, ut fit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione, & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale etiam nullo jure positivo superveniente. Nunc autem certum est per antiqua jura hoc esse prohibitum; patet etiam huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata. Nam per contrariam consuetudinem jura humana abrogantur. Quidam vero dicunt per hanc consuetudinem antiqua jura non abrogari, eo quod quædam Decretalis &c. multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta, justitia cogente cassarentur, & hæc controversia juristis est relinquenda, quamvis hoc videatur esse probabile, quod quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc quod solùm de jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipue si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare. Si ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione, etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, eoque dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

Hac doctrina usus quæstionem etiam per quinque conclusiones resolvit R. P. D. Fagnan. *cap. quia in tantum, de Præbend.*

340 Dicendum igitur est, quod habere pluras præbendas, seu beneficia non sit prohibitum jure naturali, aut divino, Sotus *l.3. quæst.6. art.3. conc.1.* aliter in pluralitate beneficiorum non posset Pontifex dispensare. Dicitur secundò, quod neque est res purè indifferens, sed quæ regulariter habet conjunctam inordinationem ex multiplici causa. Idem Sotus *ibid. concl.2.* R. P. D. Fagnan. ubi suprà. Dicitur tertiò, quod etiam ex circumstantiis potest omnis inordinatio tolli, ut plura beneficia ab eodem haberi possint. Sotus & Fagnan. ubi suprà. Sed nihilominus dicitur quartò, quod meritò jus positivum pluralitatem præbendarum, seu beneficiorum prohibuit, *cap. Sanctorum, dist. 70. cap. Presbyteros 16. quæst.1. & causa 21. quæst.1. per totam, cap. Quia in tantum, cap. de multa*, cum multis aliis, *de præben. cap. literas de concess. præb. & in hoc cap.* & quam pluribus aliis in locis.

341 Hujus verò legis ac prohibitionis multæ in jure assignantur causæ. Prima, quia quod qui plura beneficia appetat, venit ex radice ambitionis, ut dicitur in hoc textu, & suprà *de præb. c. cùm jam dudum, & cap. Quia in tantum*, ubi Hostien. Jo. Andr. Card. Butr. Panorm. & alii. Et cùm Panorm. dixerit contra pluralem esse præsumptionem ambitionis, & quod ad hoc facit textus ille ibi *quorundam*. Hostien. exponens illud verbum *quorundam*, melius, inquit, dixisset omnium allegans, illud S. Bernardi: *O ambitio ambientium! Crux quomodo omnes torques, omnibus places.* Est autem ambitio vitium quoddam infinitum, *Tanta enim est cæcitas ambitionis, & avaritia*, inquit Beatus Albertus Magnus *in cap.20.* Lucæ ad illa verba: *Occidamus eum, ut nostra fiat hereditas, quod finem non ponit in malis, dummodo dignitates, & divitias rapere possit.* Et S. Basilius *in constit. exercitatoriis cap.9.* ambitionem sic describit: *Diabolicus enim morbus est, & ambitionis crimen, quod supremæ diaboli malitiæ signum est. Nam & ille ab hoc vitio in conspicuam ruinam delatus est: & qui ab hoc vitio tenetur, æqualiter cum illo ægrotat. Deinde verò & invidos, & contentiosos, & accusatores, & impudentes, & calumniatores, & adulatores, & varia molientes, & præter decorum humiles, & arrogantes, & infinitis turbis plenos facit hoc vitium, & correptos.*

342 Cùm verò ambitio propriè sit inordinatus appetitus honoris. Nam ambitiosus non respicit, unde venerit, sed quo tendit; quia non discutit merita sua, sed altitudinem gradus inspicit, & ambit, tamen in appetitu pluralitatis beneficiorum non est sola præsumptio ambitionis propriè sumptæ, sed etiam cupiditatis, & avaritiæ, *cap. Clericus 21. quæst.1. cap. de multa sup. de præben.* quæ secundùm eundem S. Thomam 2. 2. *quæst.118. art.1.* est inordinatus appetitus habendi. Et quæ omnium malorum est radix. Nam ut dixit etiam S. Cyprian. *serm. de jejun. & tentat.* Ubi quando mortem Domini amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. Nam avarus nunquam dicit satis, & quò plus bibit, plus sitit, quamobrem de eo, qui uno beneficio ejusque fructibus non contentus aliud postulat, præsumitur quod ex avaritia moveatur.

Secunda causa, quia præbet dissolutionis materiam, 343
quam causam reddit Concil. Lateranen. *in d. cap. quia in tantum*, præbet enim causam dissolutionis in vestibus, & moribus, ut explicant ibi *in v. dissolutionis*, Hostien. Jo. Andr. Card. *not.* Panorm. *num.2.* R. P. D. Fagnan. *num.4.* Nam ex adipe prodit iniquitas, juxta illud: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Psal.72. & Deut.32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, impinguatus, incrassatus, dilatatus.*

Tertia causa est, quia pluralitas beneficiorum præbet ma- 244
teriam vagandi, *cap. 2. de eff. Ordin.* Nam quò magis homo exuberat, eo facilius efficitur vagus. Panorm. *ad dict. cap. quia in tantum, num.2.* R. P. D. Fagnan. *num.4.*

Quarta causa est impotentia serviendi pluribus Ecclesiis, 345
& plura officia exercendi, de qua hic in textu, *& cap. quia in tantum de Præbend. & cap. quia nonnulli, de Cler. non resident. & cap. Diversis de Cler. conjug.* Eminentia enim vel oneris curæ animarum, vel sanctitatis officiorum Ecclesiasticorum tanta est, ut vix inveniatur, qui uni convenienter satisfacere possit, sunt ergo ut plurimum homines ad plura impotentes. Panorm. *d. num.2.*

Inde est quinta causa, quæ est periculum animarum, 346
prout dicitur *in d. cap. quia in tantum*, & docent ibi Panor. *num.2.* & R. P. D. Fagnan. *num.4.* In hoc enim stat periculum habentis beneficia, ut non possit plenè muneri suo satisfacere, unde immineat periculum aliorum, ut patiantur in ministerio Sacramentorum, vel in auditione divinorum, vel in administratione rerum Ecclesiæ.

Sed præter istas causas adsunt aliæ, quas recenset D. Th. 347
loco citato. Prima est in substantia ferè eadem cum quinta recensita, vel in ea fundata, cui additur aliqua violatio justitiæ distributivæ, ut considerat etiam Sotus *l.3. quæst.6. art.3.* cùm enim, ut dicebatur, non sit facilè possibile, ut unus serviat duabus Ecclesiis, vel officiis, dum alia ex parte duplici præbenda fruitur, pro unico operè duplex stipendium recipit. Secunda causa est diminutio divini cultus, minuuntur enim Dei cultores, & sic etiam opera in Dei cultum ordinata, & est v. g. unicus, qui officium recitat habens duas præbendas, cùm tamen duo essent, si nulli nisi unica daretur præbenda. Tertia causa est defraudatio voluntatis testatorum, quæ contingere potest, dum illi plures instituerunt præbendas intuitu plurium ministrorum, & numeri illorum. Quarta est inæqualitas, dum unus pluribus abundat, & alius forsan etiam meritò longè major, nec unum habere potest, sed omnes suprà narratas causas habemus recensitas à Jo. XXII. *in Clem. execrabilis de præb.*

Hinc sine dubio dicendum est eum, qui illegitimè quæ- 348
rit, obtinet, retinet plures præbendas peccare graviter, ut habetur ex loco citato D. Thom. *quodl. 8. art. 13.* & tenent *ad d. cap. quia in tantum.* Hostien. Jo. Andr. Card. Panorm. & alii, quos ibi sequitur R. P. D. Fagnan. *cap. 5.* Nam primò iste peccat contra legem naturalem, si sine causæ verè justa, & præponderante inordinationibus, quas secum fert regulariter pluralitas præbendarum, plures nihilominus vult habere. Quia quando actus regulariter habet inordinationes conjunctas, ratio dictat, ut actus ille vitetur tamquam habens annexum peccandi periculum, nisi justa causa aliud suadeat. Et ideò nedum peccat, qui plures præbendas vult, si illas vult ex fine non bono, ut v. g. ut sit ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad Episcopatum perveniat, ut ait D. Thom. Sed præciso malo fine extrinseco, etiam peccat, si desit causa justa, per quam auferatur illud inordinationis quod pluralitas beneficiorum habet ex circumstantiis, quæ tamen non merè contingenter ad illam se habent, sed sunt veluti passiones ejus morales: Semper verò peccat contra legem positivam, quæ hodiè nimis clarè prohibet pluralitatem beneficiorum, aut præbendarum.

Hinc

349 Hinc ergo sequitur primò, quod causa justa, & proportionata cessante illicitum est, & contra jus naturale, & divinum plura beneficia retinere. Ita colligitur ex D. Thom. loco citato, & est de mente S. Bernardi citati à D. Thom. & dicentis, quod qui non unus, sed plures est in beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis. Unde hoc tenent communiter Canonistæ *in cap. quia in tantum, sup. de Prebend.* ubi Hostien. *in fin.* Jo. Andr. *in fin.* Card. *num.* 5. Anchar. *num.* 3. Panorm. *num.* 2. R.P. D. Fagnan. *num.* 14.

350 Sequitur secundò pariter non licere retinere plura beneficia, seu præbendas sine dispensatione. Ita citati DD. & ratio est, quia jure positivo prohibitum est id facere, non verò licet contra legem agere sine dispensatione. Cùm dispensatione verò licet Gloss. *in d. cap. quia in tantum.* Gloss. *in verb. retinere, in cap. dudum el 2. de elect. Specul. in tit. de dispensat.* §. *Dicendum.* Panor. *in cap. de multa de Præb.* & ibi alii Scribentes Hojeda plures referens *de benef. incompatib. par.* 2. *c.* 12. *n.* 1.

351 Sequitur tertiò, quod non licet dispensare in pluralitate beneficiorum sine causa. Quod est verum nedum quia omnibus pensatis, non fit licitè, quod non fit rationabiliter, sed quia dispensatio ista ex objecto est intrinsecè mala, si fiat sine causa. Ita *ad d. cap. quia in tantum,* Host. *in fin.* Jo. And. *in fin.* Card. *num.* 5. Anchar. *num.* 3. Panorm. *n.* 2. R.P. D. Fagnan. *num.* 4. Et hoc quia plura beneficia habere sine causa est contra jus divinum, & naturale, contra quod non valet Princeps agere, & si agit peccat, unde secundùm D. Bernardum dispensatio hujusmodi, si fiat sine causa, non est dispensatio, sed dissipatio, Gloss. *in cap. non est, de voto* Panorm. *in cap. significasti, de elect.* Hojeda *de incompatib. benef. par.* 2. *cap.* 12. *num.* 36. Jo. Monach. *infr. in cap.* 1. *de ætat. & qual.* Solent verò justæ causæ conferendi plura beneficia assignari quinque, scilicet nobilitas, literatura, necessitas, utilitas Ecclesiæ, & prærogativa meritorum. Sed unica est causa Religionis Christianæ exigentia, sive Ecclesiæ Christi utilitas; quia tam officia, quàm fructus officiorum, ideoque beneficia sunt Christi patrimonium, & ad Ecclesiæ incrementum ordinata. Ideò aliæ causæ non valent, nisi inquantum isti subordinantur. Videantur Navar. *c.* 25. *num.* 128. *&* 129. Hojeda *p.* 2. *cap. ult. num.* 46. Bossius *tit.* 7. §. 1. *num.* 9.

352 Sequitur quartò, quod dispensatio ista facta sine justa causa est invalida, & irrita, & promotus vi talis dispensationis non sit tutus in conscientia. Hoc enim est proprium dispensationis requirentis causam, ut nulla sit, si concedatur sine causa, *cap.* 1. *& cap. non est, de voto, & cap. innotuit, de elect.* & probatur expressè *ex cap. de multa, de Præb.* ibi, *cùm ratio postulaverit.* Hostien. *ad d. cap. quia in tantum,* ubi Panorm. *num.* 2. asserens hoc docere communiter DD. ibi; & allegans Innoc. *in cap. cum ad Monasterium, de stat. Monac.* Idem tenet Panorm. *in cap. extirpandæ,* §. *qui verò, de Præb.* post Jo. de Lignan. *in Clem. Gratia de rescript.* R. P. D. Fagnan. *d. cap. quia in tantum num.* 4. *& cap. dudum el* 2. *de elect. & cap. final. de filiis Presbyterorum,* Rubeus *ad decis.* 254. *num.* 360. *part.* 9. *recent.* Layman *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 9. Idem quoque dicendum est, si causa sit falsa, quia æquivalent non causa, & causa falsa. Hojed. *d. cap.* 12. *num.* 37. Mil. in repertorio in verbo *dispensatio,* vers. *dispensatio ex causa falsa.*

353 Cùm verò nonnulli limitent, ut non procedat hoc in dispensatione data à Pontifice, sed solum ab inferioribus, ex eo quia de factis Pontificis judicare non licet, *cap. nemini* 17. *quæst.* 4. & in dispensationibus Papæ voluntas est pro ratione, quia in Papa ad validè dispensandum non sit necessaria causa, sicut nec in alio Principe non habente superiorem, ut per Gloss. & DD. *in cap.* 2. *de schismat.* Panorm. *in cap. diversis, in ult. not. de Cler. conjug.* Felin. *in cap. si quando col.* 4. *de rescrip. & cap. Præterea col.* 3. *de testibus.* Et hanc esse communem sententiam affirmat Curt. junior *in cons.* 75. Nihilominus distinctione difficultas de facili explicatur, & assertio probatur advertendo, quod habere plura beneficia sine causa justa est contra jus positivum, & contra jus naturale. Dispensatio ergo Papæ in pluralitate beneficiorum facta sine causa, quatenus est dispensatio in jure positivo est valida; unde sic dispensatus est tutus tam in foro externo, quàm in foro conscientiæ ab omni delicto contra jus positivum, & ab omni pœna per jus positivum contra tenentes plura beneficia lata. Sed & hoc verum est, quod in dubio præsumendum est Pontificem dispensantem in pluralitate beneficiorum id facere ex justa causa, quia regulariter pro facto Papæ præsumendum est, *cap. proposuit, de concess. præbend. cap. in præsentia, de renunciat. cap. si quid culpatur* 23. *q.* 2. Gloss. *in cap. ad aures, de tempor. ordin. & cap.* 2. *de major. & obed.* Panorm. *q.* 1. *num.* 17. *& in cap. cum venissent n.* 3. *de jud.* Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum num.* 44. *de constitut.* Rota coram Merlino *decis.* 278. *num.* 24. Et quamvis Papa in istis non possit agere sine causa, quia patrimonium Christi non potest dispensare nisi in Dei cultum, & Ecclesiæ utilitatem; nihilominus hanc causam nulli reddere tenetur, sed semper debet præsumi justa. Butr. *in cap. quæ in Ecclesiarum num.* 28. & ibi Felin. *num.* 60. *de constit.* Rubeus *ad decis.* 254. *num.* 276. *part.* 9. *recent.* Et propterea quando Papa dispensat in pluralitate beneficiorum præsumi debet eum moveri ex justa causa, ut latè probant Hojeda *part.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. & Flamin. *lib.* 5. *q.* 6. *num.* 130. Verùm Papa in jure divino, & naturali non potest dispensare, & si dispenset est invalida dispensatio, nec dispensatus est tutus in conscientia, sed legis divinæ, & naturalis prævaricator existit: & in hoc sensu dicitur, quod dispensatio Papæ in istis, si fiat sine causa, est invalida. Cajet. *in sum. v. beneficium,* & Silvest. *v. beneficium* 4. *num.* 4. Tabien. *num.* 26. Sotus *lib.* 1. *de just. q.* 7. *art.* 4. Medina *p.* 2. *q.* 97. *art.* 4. *in fin.* Petrus de Ledes. *p.* 2. *cap.* 8. *post* 12. *concl. diff.* 2. Panorm. *in cap. de multa num.* 9. ubi explicat Innocentium *in cap. cum ad Monasterium, de statu regularium,* ut intelligi debeat in foro externo, non verò coram Deo. Idem habet Panorm. *cap. extirpandæ* §. *qui verò, num.* 44. *de prebend.* Hostien. *cap. dudum el* 2. *de elect.* Jo. Andr. *in d. cap. de multa,* Anchar. *cap. in causis, not.* 3. *de re jud.* Rebuff. *in praxi tit. de dispensat. super plural. benef. num.* 54. Hojeda *de incompatibil. benef. par.* 2. *cap.* 12. *num.* 45. Rubeus *ad decis.* 254. *num.* 252. *&* 307. *part.* 9. *recent.*

Sequitur quintò, quod consuetudo habendi plura beneficia est corruptela, & abusus, & non valet, ut habetur in 354
hoc textu. Butr. *d. cap. quia in tantum num.* 2. *de præb.* & ibi Panorm. *num.* 2. R.P.D. Fagnan. *num.* 16. Et iterùm Panorm. *cap. extirpandæ,* §. *qui verò de prebend.* Silvest. *v. beneficium* 4. *num.* 4. Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *num.* 10. Rubeus *ad decis.* 254. *num.* 420. *par.* 9. *recent.* Et hoc est de mente D. Th. loco citato. Nec obstat, quod habere plura beneficia non est secundùm se malum: quatenus verò fit ex jure positivo prohibitum, consuetudo prævalere potest juri positivo. Sic enim verum est, quod habere plura beneficia non est secundùm se ab intrinseco malum, quinimò potest ex causa rationabili fieri bonum, quod tamen adhuc secundùm se est de genere nocivorum, ut dictum est, quia habet regulariter, & ut in pluribus adjuncta inconvenientia suprà enarrata; non est verò justa lex, quæ approbet, & permittat absolutè id, quod est de se ut pluribus extrinsecè malum, & quod solet ex mala radice, nimirum ex radice ambitionis, & cupiditatis procedere, ut dicitur in hoc textu, & quod habet adjunctum periculum animarum, *cap. quia in tantum.*

Et ad majorem claritatem distingui hic debet consue- 355
tudo facti à consuetudine juris. Consuetudo enim facti potest habere, & non habere malitiam in singularibus factis, quantum sit ex jure naturæ; quia si alicui conferantur plura beneficia ex justa causa, factum, quantum sit ex jure naturæ non est malum; erit verò malum pro quanto sit contra jus positivum. Sed consuetudo juris est lex; at verò lex respicit honestum universaliter, & ut in pluribus, & quod possit esse utile communitati, quod quidem non convenit consuetudini facti in hoc negotio, cùm dare plura beneficia sine justa causa sit malum, & habere plura beneficia sine dispensatione, ut in pluribus sit ex aliqua circumstantia non honestum. Non potest igitur dari justa lex, quæ indifferenter permittat sine delectu pluralitatem beneficiorum.

Cùm verò hoc sit universaliter verum de beneficiis ha- 356
bentibus sufficientes redditus, quia quæ non habent redditus sufficientes, ut dixit Cajet. *v. beneficium* sunt imperfecta in suo genere; præcipuè tamen verificatur de pluribus beneficiis in eadem Ecclesia, seu ut dicunt sub eodem tecto habitis. Quod enim jura magis abominentur pluralitatem beneficiorum sub eodem tecto, dixit Gloss. *in Clem. ult. in v. vacavit de præben.* quam sequitur Hojeda *par.* 1. *cap.* 20. *n.* 1. Franc. hìc *num.* 7. Rota *in Toletana Capellaniæ de Barachas* 15. *Febr.*

15. *Febr.* 1591. coram Pamphilio apud Garziam *p.* 11. *cap.* 5. *num.* 224. Panorm. *in cap. literas num.* 2. R. P. D. Fagnan. *cap. ad hæc num.* 14. *de præbend. & cap. literas num.* 6. *de conceſſ. præb.* & Franc. hic *n.* 7. Imò addidit Gloſſ. citata, quod jura magis abhorrent pluralitatem beneficiorum ſub eodem tecto, quàm habere plura curata, quia permittunt haberi duo curata licèt titulo unionis, at verò titulo annexionis, nec licèt habere duas præbendas. *Ex Clem. ult. de præbend.* (Sed de hoc dicetur infrà.) Cujus rationem reddidit Hojeda loco citato. Quia ubi in Eccleſia eadem, quis habet duo beneficia, Eccleſia privatur omninò unius beneficiati miniſterio, quod neceſſario non contingit in diverſis Eccleſiis, quia beneficiatus poteſt perſonaliter aliquando inſervire uni, & aliquando alteri, imò utrique ſimul, ſi officia ſint compatibilia. Secundò quia ex eo, quod aliquis habeat in eadem Eccleſia duo beneficia, veriſimiliter oritur occaſio invidiæ in aliis, & ex invidia rixæ, & contentiones; ad quas vitanda, jura prohibuerunt ſpecialiter, ne plura beneficia ſub eodem tecto alicui conferantur.

SUMMARIUM.

357 *Quæ ſint beneficia uniformia*, 358. 359.
360 *Quid ſit eſſe ſub eodem tecto*, 361.
362 *Non licèt habere plura beneficia uniformia ſub eodem tecto.*
363 *Etiam ſi beneficia non requirant reſidentiam.*
364 *Nec valet ſtatutum in contrarium.*
365 *Neque conſuetudo.*
366 *Nec Epiſcopus poteſt diſpenſare.*
367 *Diſpenſatus ad plura non eſt diſpenſatus ad plura in eadem Eccleſia.*
Motus proprius non tollit incompatibilitatem, nec defectum intentionis.
368 *Secundùm aliquos non poteſt quis habere duas præbendas, etiam ſi una ſit annexa alteri.*
369 *Parochialis annexa præbendæ acceſſoriè extinguitur.*
370 *Curatum annexum ſimplici induit naturam ſimplicis.*
371 *Idem dicitur de portione annexa acceſſoriè dignitati.*
372 *Præbenda non unitur acceſſoriè dignitati.*
Non licèt habere ſimul præbendam, & dignitatem, cui annexa ſit non acceſſoriè alia præbenda.
373 *Hoc idem aſſeritur de præbendis quaſi canonicalibus, ſeu beneficiis.*
Non tamen de portionibus temporalibus.
374 *Poſſunt haberi plures penſiones.*
Penſio non eſt beneficium.
375 *Qui eſt diſpenſatus ad duo, poteſt obtinere ſecundum, cui ſit annexa Capellania.*
376 *Qui habet beneficium in Eccleſia non impeditur ex uniformitate, quin recipiat rectoriam in alia Eccleſia, cui eſt annexa Capellania.*
377 *Unio ad vitam inducit incompatibilitatem.*
378 *Duæ Capellaniæ in eadem Eccleſia non poſſunt haberi.*
379 *Nec Epiſcopus poteſt in hoc diſpenſare.*
380 *Nec valet in oppoſitum conſuetudo.*
Duæ Capellaniæ etiam de conſuetudine immemorabili non poſſunt conferri habenti in eadem Eccleſia aliud beneficium.
381 *Barboſæ ratio rejicitur.*
382 *Tenruiæ & exigua quædam beneficia unica collatione conferri poſſunt.*
383 *Onera Eccleſiarum, quæ erant in ſylvis annexa Parochiali, non ſunt incompoſſibilia, quia ſub eodem tecto.*

ARTICULUS II.

Utrùm ſine diſpenſatione poſſint haberi ab eodem plura beneficia uniformia ſub eodem tecto.

357 HIc primò declarandum eſt, quæ beneficia cenſeri debeant, uniformia; & quid ſit haberi plura beneficia ſub eodem tecto. Quantum verò ad primum. Navar. *conſ.* 16. *&* 22. *de præbend.* exiſtimat, quod ad hoc ut beneficia ſint uniformia, non ſufficiat convenientia in nomine, ſed ſit neceſſe, quod ſint inſtituta ad eundem finem, & ad eadem munera. Et propterea ſenrit, quod ſi dentur duo Capellaniæ, quarum una contineat obligationem celebrandi duas Miſſas ad unum altare, & alia obliget ad dicendam unam Miſſam in alio altari, hujuſmodi Capellaniæ ſint beneficia diſformia, quia unum eſt in uno loco, & aliud in alio, & habent diverſum onus. Navar. ſequuntur Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.* Gloſſ. 10. *num.* 35. Gratian. *diſcept.* 133. *à num.* 20. Piaſec. *in praxi p.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. Pax Jordan. *l.* 10. *tit.* 28. *num.* 33. Mandaſ. *de ſignat. gratiæ, tit. de diſpenſat. ad plura benef. ſub eodem tecto ver. ad duo.* Palaus *tom.* 2. *diſp.* 6. *p.* 2. §. 6. *num.* 5. Barboſ. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *num.* 14. *de reform.* Ubi vult, quod ad deformitatem ſufficit, quod beneficia habeant officium diverſo ſaltem tempore exercendum. Et ita ſecundùm hanc ſententiam Barboſæ duæ Capellaniæ erunt diſformes, licèt obligent ad celebrandum eundem numerum Miſſarum ad idem altare, ſed diverſo die, aut etiam diverſa hora.

Sed oppoſitum ſentiunt omnes illi, qui volunt quod Capellaniæ ad duo altaria ſint beneficia uniformia, & ideò incompatibilia, quod tenent Domin. hic *num.* 14. Franc. *n.* 8. Silveſt. *v. beneficium* 4. *num.* 11. Armill. *num.* 56. Fuſcus *de viſitat. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. & ex Rota *in Tolet. Capellaniæ de Barachas* 3. *Martii* 1589. coram Mantica, & 4. *Iunii* 1590. & 15. *Februar.* 1591. coram Pamphilio, Garz. *de benef. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 226. Et ita dicendum eſt. Quamvis enim ad conformitatem non ſufficiat identitas generica nominis, quia aliter omnia beneficia ſimplicia eſſent uniformia, quia conveniunt in nomine beneficii ſimplicis. Et quamvis verum ſit, quod debeat attendi uniformitas finis, ſeu muneris, ad quod beneficia ordinantur; ſimul tamen verum eſt, quod non poteſt ſufficere ſola differentia munerum materialis, & numerica, ſed aliqua veluti ſpecifica moralis diſtinctio eſt neceſſaria, aliter non darentur plura beneficia uniformia, quia non eſt pluralitas beneficiorum, ſine illorum diſtinctione, & diſformitate ſaltem numerica. Capellaniæ verò ad duo altaria ſolum numero diſtinguuntur: ſicut ſolo numero diſtinguuntur Capellaniæ, & obligationes ad quotidie, vel quatuor, aut tribus diebus in hebdomada celebrandum, vel ad celebrandum ter in uno altari, & bis in alio; ideò hujuſmodi Capellaniæ ſunt uniformes. 358

Eſſent verò diſformes, ſi una ordinaretur ſolum ad celebrandum, & alia ad celebrandum, & ſimul ad coadjuvandum Parochum in cura animarum, vel etiam ad celebrandum, & ſimul ad perſolvendum in choro officium divinum, vel ad aliquam aliam actionem, quæ ſit alterius rationis, & veluti ſpecie diſtincta à celebratione Miſſæ. Non tamen eſſent diſſimiles ex hoc ſolo, quod ordinarentur ad cantandam Miſſam, vel aſſiſtendum anniverſario, & ſolemni Miſſæ de requiem, vel de Sancto, quia ſubſtantialiter unius rationis eſt Miſſa lecta, & Miſſa cantata, ſic ergo illa ſunt beneficia uniformia, quæ ad eum veluti ſpecificè finem, & munus ordinantur, unde etiam in nomine ſpecifico conveniunt, & per illud à cæteris diſtinguuntur, illa verò ſunt diſformia, quæ ad munera ſpecie diſtincta ordinantur, & ideò etiam diverſis ſpecificè nominibus ſignificantur. 359

Illa verò dicuntur eſſe ſub eodem tecto, quæ vel ſunt intra Eccleſiam ipſam, vel in loco contiguo Eccleſiæ, ut in Clauſtro, Cœmeterio, Sacriſtia, & quocumque alio ſimili exiſtente in ambitu contiguo Eccleſiæ taliter, ut locus ille polluta Eccleſia cenſeatur pollutus, Franc. hic *num.* 7. Garz. *de benef. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 259. Barboſ. *in cap.* 17. *ſeſſ.* 24. Concil. Trid. *de reform. num.* 17. Rota *deciſ.* 6. *de conceſſ. præb. in novis*, quam ſequitur Gonzales *d. gloſſ.* 10. *num.* 24. Si verò beneficium ſit erectum extra ſepta Monaſterii, aut Eccleſiæ in loco, ab Eccleſia diſcontinuo, & extra illius ambitum, ita ut non pollueretur polluta Eccleſia, non cenſetur eſſe ſub eodem tecto: quod ampliatur, ut verum ſit, etiam ſi Capellanus beneficii erecti in eo loco ſic disjuncto ex vi Capellaniæ eſſet obligatus ad aliquod miniſterium in Eccleſia alia majori, puta ibi intereſſe divinis, vel celebrare in aliquibus feſtivitatibus. Ita Rota, Garz. & Gonzal. citati. 360

Præmiſerat verò Gonzal. *num.* 20. ex Rota *deciſ.* 9. *de præben. in antiquis*, quod ubi Capellanus habeat exercitium mixtum, quia partim habet exercere officium in Eccleſia, & partim in Capella extra Eccleſiam, ibi dicitur conſiſtere beneficium, ubi Capellanus recipit proventus ratione 361

officii,

officii, & exercitii. Et si utrobique servit, & recipit proventus, tunc potius dicitur consistere beneficium, ubi dignius, & frequentius officium exercetur, *arg. cap. ad Apostolica, de Decim. & l. ejus qui, §. fin. & l. si quis fructus ff. ad municip.*

362 Dicendum propterea est non licere alicui habere sub eodem tecto plura beneficia etiam simplicia, quæ sint uniformia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Ita habetur ex hoc textu, & docent Dom. *num.* 13. Franc. *num.* 7. & Probus *num.* 6. *& sup. cap. de multa, de praben.* Innoc. Anchar. Butr. & Panorm. *num.* 4. Imol. *num.* 5. *& cap. literas de concess. praben.* Gloss. *v. ex consuetudine* Panorm. *num.* 2. *&* 4. R.P.D. Fagnan. *num.* 39. & alii, & idem probatur *ex Clem. ult. de praben.* Card. *in Clem. Gratiæ num.* 5. *de rescript.* Lambert. *de jure patron. par.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *art.* 15. Navar. *cons.* 16. 18. 22. *num.* 1. 24. *num.* 2. *de praben.* Hojeda *de incompatib. p.* 1. *cap.* 21. Staphilæus *de literis gratiæ, tit. de gratiis expectativis in* 3. *forma.* Mandos. *de signat. gratia, tit. de dispensatione plurium benef. sub eodem tecto.* Garz. *de benef. part.* 11. *c.* 5. *num.* 182. Paris. *de resignat. benef. l.* 3. *q.* 1. *art. num.* 121. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* Gloss. 10. *num.* 35. Pax Jordan. *lib.* 10. *tit.* 28. *num.* 28. & alii plures apud istos. Puto tamen hic considerandum, & investigandum, ex quo textu posita assertio universalis deducatur. Nam ex hac decretali non deducitur, quia in ea sola triplicitas prohibetur; nimirum prohibetur habere simul duo uniformia cum præbenda, ut duas dignitates cum canonicatu; sed non prohibetur habere duas dignitates, si simul cum illis non habeatur Canonicatus. Et nec fit vis in uniformitate, sed in triplicitate, quia nedum prohibetur habere duas dignitates, v.g. sed etiam habere dignitatem, & aliud officium simul cum Canonicatu, *in cap. verò de multa, de prebend.* solum fuit prohibitum habere duas dignitates, vel personatus in eadem Ecclesia, unde ex vi illius textus non est prohibitum habere duo alia beneficia simplicia in eadem Ecclesia, ut v.g. duas Capellanias, *in cap. verò literas, de concess. prabend.* est sermo de præbendis, præbenda verò propriè est eadem cum Canonicatu. *In Clem. verò ult. de prebend.* manifestè est sermo de Canonicatu, unde videtur, quod ex nullo istorum textuum habeatur universalis assertio, quod non possint haberi sub eodem tecto plura beneficia simplicia, quæ nec sint dignitates, nec Personatus, nec Canonicatus. Sic *in cap. Sanctorum Canonum, dist.* 70. prohibitum fuit, ne quis esset Canonicus in diversis Ecclesiis. Pariter *in cap.* 1. *&* 2. 21. *q.* 1. præcipitur, ne quis intituletur in diversis Ecclesiis. Verùm quia communis sensus DD. & praxis Curiæ, ita jura intellexit, ut intelligatur prohibitum esse habere plura beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam simplicia. Nam & nomen præbendæ *in d. cap. literas, & in d. Clem. final.* potuit accipi communiter pro omni beneficio, ideò assertio in sua universalitate sustinetur. Et ita intellexerunt S. Congregationes, & Rota, ut ex dicendis manifestius erit. Ideò tanquam certum habendum hoc est, & omninò indubitatum.

363 Quod quidem verum est etiam si beneficia simplicia aliàs non sint incompatibilia, nec requirant residentiam in conformibus titulis, Garz. *d. num.* 182. ex Greg. Lopez *in l.* 3. *tit.* 16. *par.* 1. *verb. Otro in otra Iglesia.* Et ratio est, quia existentia ipsa beneficiorum in eadem Ecclesia per se ipsam fert incompatibilitatem. Et quia ut dictum est artic. super. Jura magis abhorrent pluralitatem beneficiorum haberi in eadem Ecclesia, quàm extra.

364 Ideò hoc adeo verum est, ut non valeat statutum aliquod Episcopi vel Synodi alicujus, aut Concilii Provincialis in contrarium. Garz. *ubi sup. num.* 183. ex Bart. *de sign.* 3. *part. art.* 1. *n.* 88. Quia certum est, quod inferior non potest statuere contra certam legem superioris, jure verò communi Pontificio illicitum est habere ab eodem plura beneficia uniformia sub eodem tecto.

365 Sed neque consuetudine potest introduci, ut quis obtineat plura beneficia conformia in eadem Ecclesia, *cap. literas, de concess. Prebendarum.* Cùm enim Præpositus, qui in eadem Ecclesia præbendam aliam habebat pro se allegasset extare consuetudinem generalem, ut in ea Ecclesia plures præbendæ simul haberi possent, nihilominus Innocent. Tertius hoc non obstante præcepit ut Præpositus cogeretur illam præbendam dimittere, quam alteri à se nominato voluit conferri: Non ergo valet consuetudo, ut plura beneficia conformia simul sub eodem tecto habeantur, Panorm. *d. cap. literas num.* 2. & ibi R. P. D. Fagnan. *num.* 7. *&* 10. idem Panorm. *in cap. extirpandæ, §. qui verò in repet. num.* 41. post Anton. de Butrio, Silvest. *v. beneficium* 4. *num.* 11. Domin. hic *num.* 12. & Probus ad Jo. Mon. *num.* 6. Caputaquen. *decis.* 356. *num.* 4. *&* 5. *p.* 2. Hojeda *d. cap.* 5. *num.* 3. Paris. *d. quæst.* 1. *num.* 124. Garz. *d. cap.* 5. *num.* 184. Azor. *part.* 2. *l.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 1. Gratian. *discept.* 133. *à num.* 18. Hujusmodi enim consuetudines corruptelæ sunt nedum ratione communi, quia corruptela sit consuetudo habendi indifferenter & sine speciali causa plura beneficia, sed etiam ratione speciali, quia habere plura in eadem Ecclesia habet adjunctam specialem deformitatem ad rationem, ut dictum est suprà *num.* 456. Et eo amplius quod hoc rumpit numerum ministrorum deputatum in Ecclesiis, & illum minuit, & ideò ad hoc ut eidem conferantur duo uniformia in eadem Ecclesia requiritur specialis causa justa. Consuetudo igitur conferendi plura hujusmodi uniformia sub eodem tecto indifferenter, & sine delectu, & speciali causa justa est abusus juri naturæ contrarius, & ideò non valet. Et si dicas potuisse obtineri consuetudine, ut ad hoc non esset necessaria dispensatio Apostolica, sed sufficeret arbitrium Episcoporum à jure tamen regulandum. Respondetur quod jura ipsa viderunt hoc non esse remedium aptum ad tantum malum rejiciendum ab Ecclesia, ut patet *ex cap. quia nonnulli de Cler. non resident. & cap. de multa, & aliis de Prabend. & extravag. Execrabilis, eod. tit. & ex Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 17. Experientia enim comprobavit arbitrium Episcoporum non valuisse ad hoc malum curandum. Et ideò reprobata fuit consuetudo conferendi plura beneficia, & maximè uniformia, sine dispensatione Apostolica. Et sic lex reprobans hanc consuetudinem, quia fovet jus naturale, & movetur & causa universa & moraliter perpetua, vix dari potest casus, in quo consuetudo contraria possit esse rationabilis, & valida. Gratianus autem citatus tantum dicit, quod in exiguis salvari posset consuetudo; & hoc refert, & non reprobat Garz. & habet fundamentum, quia S. Congreg. Episc. & Regul. in Altamur. 25. Septembris 1582. dixit posse tolerari, ut quis sub eodem tecto habeat tenuissima beneficia valoris 2. aut 3. ducat.

Pariter nec Episcopus potest in hoc dispensare, Gloss. *in* 366
Clem. ult. in v. vacabit. de Praben. Gloss. *in cap. literas, de concession. Preb.* ubi Innoc. Jo. Andr. Panorm. *num.* 3. *&* 6. R.P.D. Fagnan. *num.* 39. Iterùm Panorm. *in cap. Cum jam dudum num.* 9. *& d. §. qui verò num.* 41. *de Prebend.* Domin. hic *num.* 12. Franc. *num.* 7. Probus *num.* 6. Hojeda *d. cap.* 20. *num.* 2. *& cap.* 12. *num.* 3. Flam. Paris. *d. quæst.* 1. *num.* 123. Garz. alios referens *d. cap.* 5. *num.* 185. qui numero 186. benè rejicit Zerolam dicentem licere modo habere sub eodem tecto duo beneficia simplicia non requirentia residentiam, & hoc per decretum *Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 17. quoniam Concilium nihil innovat circa hoc, vel disponit.

Quamvis verò ex dispensatione Apostolica possint haberi 367
plures præbendæ in eadem Ecclesia, nihilominus si contingat dari hujusmodi dispensationem non expresso, quòd possint haberi in eadem Ecclesia, dispensatio non valet, nisi pro diversis Ecclesiis, quia jura nimis abhorrent pluralitatem beneficiorum in eadem Ecclesia, & cùm dispensatio tanquam odiosa sit stricti juris, & interpretationis, debet interpretari strictè, & sumi intellectus qui juri minus sit odiosus, ut *cap.* 1. *&* 2. *de fil. presbyt.* propterea hujusmodi dispensatio debet accipi, ut non se extendat ad plura beneficia in eadem Ecclesia, ut post Ægidium *in cap. de multa de Praben.* tenent Innoc. Bellam. Jo. And. *num.* 13. Anchar. *num.* 7. Imol. *num.* 8. Panorm. *num.* 4. R.P.D. Fagnan. *num.* 23. Card. *in verb. hoc idem.* Franc. hic *num.* 7. Felin. *in cap. postulasti n.* 9. *de rescript.* Hojeda *d. cap.* 20. *num.* 4. & apud eum Staphilæus, Rebuff. & Jason. Garz. *d. cap.* 5. *num.* 187. Paris. *d. q.* 1. *num.* 125. Barbosa *de off. Episc. alleg.* 62. *num.* 16. Pax Jord. *lib.* 10. *tit.* 28. *num.* 37. Quod verum est etiam si dispensatio data sit motu proprio, quia motus proprius nec incompatibilitatem tollit, ut pluribus probat Hojeda *d. cap.* 20. *num.* 13. *& seqq.*

Tantum verò repugnant jura, ne quis plura beneficia 368
habeat in eadem Ecclesia, ut multi dicant, quod nec possit hoc contingere ex titulo annexionis. Ita quod licet possit quis habere duo beneficia curata, si unum est annexum alteri, *cap. super eo, infr. de Praben.* non possit tamen habere duas præbendas in eadem Ecclesia, etiam si una illarum sit

sit annexa dignitati. *Clement. fin. de Prabend.* & ibi Card. *in 4. oppos.* & *cap. literas eod. tit.* ubi Panormit. *num.* 2. R. P. D. Fagnan. *num.* 8. *qui num.* 61. advertit annexionem etiam esse considerandum ad inducendum incompatibilitatem.

369 Idem quoque sentiunt hic Dom. *num.* 13. & Franc. *num.* 7. Sed Garz. *d. cap.* 5. *num.* 192. advertit non esse hic differentiam inter duo curata, & duas præbendas in eadem Ecclesia, sicut enim nec duæ præbendæ in eadem Ecclesia haberi possunt sine dispensatione, ita nec duo beneficia curata. Sed per annexionem Ecclesiæ Parochialis factam præbendæ, cùm fiat accessoriè supprimitur, & extinguitur titulus parochialis, & perdit nomen beneficii, ut amplius non possit dici beneficium, sed prædium præbendæ, & sic tunc non intitulatur aliquis in parochialis unita, sed in præbenda aut beneficio principali. Et institutus non censetur habere curam, & propterea parochialis unita, cùm amplius non subsistat, sed sit membrum alterius, non inducit incompatibilitatem Rota *decis.*786. *num.* 3. *p.* 1. *diversorum*, Mandos. ad Lapum *allegat.*35. *addit. ultim. lit. G*, Gonzal. *super reg.*8. Gloss. 5. §. 7. *num.*21. allegans Rotam *in Burgen. Servitutis* 13. *Iunii* 1594. coram Litta, & in Virdunen. Decanatus 9. Martii 1580. coram Lancelloto, Hojeda *de incompatib.*2. *p. cap.*3. *n.*10.

370 Sic enim, & quid habet duo curata, quando unum venit per annexionem, non dicitur habere duo curata, sed unum curatum, & aliud simplex. Nam curatum annexum assumit naturam simplicis, ut dixit S. Cong. Concilii: *Beneficia etiam curata, inquit, aliis beneficiis annexa transeunt in simplicium naturam, dummodò accessoriè sint unita, & illorum per Vicarium ab Ordinario positum exerceatur cura. Et iterum. Congregatio Concilii censuit, parochialem perpetuo unitam beneficio simplici desinere esse parochialem, & assumere naturam simplicis, dummodo unio fiat accessoriè, & cura per Vicarium temporalem non exerceatur.*

371 Quod idem esse dicendum de portione unita dignitati accessoriè addit ibid. Garz. *num.*198. ex Rota *in d. decis. Burg. Servitutis*. Et sic obtinens dignitatem cui est annexa portio, si obtineret aliam præbendam seu portionem in eadem Ecclesia non esset in illa triplex, nec duplex in eadem specie beneficii. Ex hac igitur ratione qui habet beneficium curatum, si obtineat dignitatem cui accessoriè est annexa alia parochialis nec est triplex, nec est duplex in beneficio uniformi, quia parochialis, accessoriè unita dignitati, non est amplius parochialis, ideò non habet incompatibilitatem uniformitatis cum alia parochiali.

372 Sed è contra unio præbendæ ad dignitatem, licèt videatur fieri accessoriè, non tamen fit, nec solet supprimi, & extingui titulus illius, quamvis contrarium senserit Navar. *cons.*14. *de rebus Ecclesiæ non alien.* Quia imò hæc unio fit dignitati, ut beneficiatus maneat habens dignitatem inter dignitates, & habens canonicatum inter Canonicos, inter quos numeratur, & habet vocem in Capitulo cum aliis, & tanquam unus ex illis judicatur. Et sic manente titulo præbendæ, manet incompossibilitas ex causa uniformitatis, ita ut dispensatus ad plura beneficia, vel præbendas, non censeatur dispensatus ad habendum in eadem Ecclesia plures præbendas, etiam si altera illarum sit annexa dignitati.

373 Quod verò dicitur de præbendis Canonicalibus, quæ propriè præbendæ sunt, dicitur etiam de quasi canonicalibus, imò de omni præbenda spirituali, & titulo beneficii. Secus dicendum est de portionibus temporalibus, quæ cùm non sint tituli beneficiales non inducunt incompatibilitatem. Garz. *d. cap.* 5. *num.*202. ubi etiam latè ostendit, unde cognosci possit, an portio sit temporalis, seu importet jus quoddam, & beneficium temporale, vel potius dicat jus spirituale, & censenda sit titulus beneficialis.

374 Quidam etiam resolutionem datam extendunt ad pensiones, ita quod sine dispensatione duæ pensiones non possint haberi in eadem Ecclesia. Quæ fuit sententia Rebuff. *in prax. tit. de dispensat. ratione ætatis*, §. *Et si sint sub eodem tecto*. Contrarium verò voluit Gigas *de pensionibus quæst.*32. Hojeda *vero d. cap.* 20. *à num.*18. tractans hanc quæst. variis distinctionibus variè conciliat opiniones istas contrarias. Sed dicitur quod jura, quæ prohibent obtineri plura beneficia sub eodem tecto, non comprehendunt pensiones. Quia pensio non est beneficium per DD. & jura, quæ affert R. P. D. Fagnan. *in cap. ad audientiam num.* 69. 71. 81. 128. & 130. *de rescript.* Sed [illegible] em ex Rota *num.*81. deducitur est jus temporale, ad tempus separatum, & per se distinctum à Beneficio, quæ Clerico assignari potest sine aliqua erectione, aut canonica institutione, ibid. *num.* 101. Quæ propterea in materia odiosa non venit sub nomine beneficii ibid. *num.*113. Etiam si beneficium exprimatur per dictionem universalem quodcumque ibid. *num.*114. Et ideò, quod decretum Concilii *sess.*24. *cap.*17. non habeat locum in pensionibus declaravit S. Congreg. Concilii, in una Hispalen. *in respons. ad* 4. *dubium*, quæ declaratio habetur apud Garz. *part.*11. *cap.*5. *num.*310. Unde quod non sit prohibitum habere plures pensiones sub eodem tecto tenuerunt etiam Mandos. *de Signatur. Gratiæ tit. de dispensat. ad benefic. sub eod. tecto, versic. an autem pensio.* Hojeda *citatus num.*16. & 22. Hieron. Paulus *in practica Cancell. ver. & inter cætera est necessaria*. Sed tamen quod stylus curiæ videatur tenere contrariam sententiam dixit Garz. *num.*317. Quia in pensionibus pro palatinis solet apponi clausula, *Etiam sub eodem tecto*. Et quando impetrans beneficium narrat habere pensionem super fructibus alicujus beneficii additur, *non tamen in eadem Ecclesia consistentis*, sed hæc non probant, quod sub juribus citatis, & decreto Concilii Tridentini comprehendantur pensiones, quæ non sunt beneficia, sed quod Cancellaria ipsa difficilius ex quadam similitudine rationis concedat plures pensiones eidem sub uno tecto, quàm sub diversis.

Plura verò ex hucusque probatis sequuntur, & quidem primò contra Rebuff. loco citato sequitur, quod si quis sit dispensatus ad duo potest absque nova dispensatione obtinere alterum, vel retinere, etiam si illi sit annexa Capellania, vel aliud beneficium in eadem Ecclesia, dum tamen sit annexum accessoriè. Quia per illam unionem beneficium illud unitum fuit suppressum, & extinctum, & sic non est habendum in consideratione. Vera tamen esset doctrina Rebuff. si unio fuisset facta æquè principaliter, vel ad tempus, seu ad vitam obtinentis tantum. Garz. *d. cap.*5. *num.* 216. 375

Pariter secundò sequitur contra Navar. *cons.*23. *de praben.* non impediri ex ratione uniformitatis retentionem beneficii simplicis cujusdam Ecclesiæ cum rectoria alterius propter annexionem factam dictæ rectoriæ de alio beneficio simplici Ecclesiæ primò dictæ, cùm per illam unionem factam accessoriè illud beneficium simplex fuerit suppressum, & extinctum, & confusum cum dicta rectoria, cujus est quasi prædium, & sic obtinendo rectoriam non obtinet beneficium aliquod uniforme, quod sit in ea Ecclesia, in qua est beneficium, quod retinet. Nisi, ut dicebatur unio facta fuerit æquè principaliter, vel ad tempus, seu ad vitam obtinentis rectoriam illam. Garzias ubi sup. *n.*217. 376

Unionem enim ad vitam hodie saltem inducere incompatibilitatem habetur ex *Concil. Trid. sess.* 7. *cap.* 4. ibi *sive per viam unionis ad vitam*, & *sess.* 24. *cap.*17. §. *Illi verò*, ibi, *Ac unionibus ad vitam*. Et ita sentiunt Mandos. *de Signat. Gratiæ tit. de union.* Quintanaduen. *lib.* 1. *Ecclesiast. cap.* 4. *num.* 12. & *cap.* 7. *num.* 6. Garz. *num.* 229. quod tamen prius non erat. Gonzal. Gloss. 1. §. 7. *num.*145. Put. *decis.* 246. *num.*3. & 9. *l.* 1. Mohed. *decis.* 2. *de preb.* Flamin. *lib.*12. *q.*3. *n.*49. 377

Sequitur tertiò contra Pax Jordan. *l.*10. *tit.*28. *num.*32. & 33. Layman *l.*4. *tract.*2. *cap.*8. *num.* 6. & Navar. *cons.* 16. *de preben.* quod duæ Capellaniæ etiam in diversis altaribus institutæ, tanquam uniformes sunt incompatibiles. Ita hic Anchar. Dom. *num.*14. Franc. *num.* 8. Silvest. *v. beneficium* 4. *n.*11. Armilla *n.*46. Rota *in una Barcinonen. Archidiacon.*21. *Octob.*1560. coram Grotperio. *Et in causa Tolet. Capellaniæ de Barachas* 3. *Martii* 1589. coram Mantica, & 4. *Iunii* 1590. & 15. *Februar.*1591. coram Pamphilio, quæ tres decisiones habentur per extensum apud Garz. *de Benef. part.* 11. *cap.*5. *n.*222. 378

Neque in hoc potest Episcopus dispensare, cùm in lege Pontificis dispensare non possit, ut hic asserunt Domin. *num.*14. Franc. *num.*8. Fuscus *de Visit. l.* 1. *cap.* 11. *num.* 9. Garz. *d. cap.* 5. *n.*221. & 228. Rota *in d. Toletana Capellaniæ de Barachas*, Hojeda *de incompatibil. p.*1. *cap.* 11. *num.* 4. & *cap.*12. *n.*13. 379

Et propterea nec valet consuetudo in contrarium ex dictis supra *num.*365. Arbitratur tamen Garz. *num.* 229. quod quia sunt opiniones, an duæ istæ Capellaniæ sint uniformes, ideò consuetudo tenendi duo beneficia hujusmodi in 380

eadem

eadem Ecclesia sine dispensatione, vel cum dispensatione videtur tolerabilis, ubi Concilium quoad hoc non est receptum. Sed hoc nihil aliud inferre potest, nisi quod non sit undequaque certum consuetudinem habendi duas hujusmodi Capellanias, sive altaria esse abusum ex parte uniformitatis, cùm non sit certum eas esse uniformes, cùm quo tamen stat eam consuetudinem non liberari à ratione abusus ex causa generali, ex qua est abusus habere plura beneficia. Scio quod Layman *lib.4. tract.2. cap.8. num. 7.* ait non posse dubitari, quin ista consuetudo, ubi est, licita sit. Imò Navar. *conf.22. de preb.* vult, quod ratione consuetudinis immemorabilis duæ Capellaniæ sub eodem tecto conferri possint ejusdem Ecclesiæ Thesaurario, vel aliam dignitatem, personatum, aut officium obtinente. Sed hoc est directè contra præsentem nostram decretalem, in qua omnis talis consuetudo ut irrationabilis, etiam si immemorabilis, reprobatur, & semper lex naturæ clamat, quæ non patitur, quod ex lege consuetudinis liceat, nisi adsit specialis justa causa, quod plura etiam difformia beneficia dentur eidem. Nec Navar. *d. conf.22.* id asserit, quod refertur dixisse, sed totum oppositum sensit, & probat. Nam & hujusmodi consuetudo etiam in quantum est contra jus commune est ab eo jure reprobata, quia jus commune fovet jus naturale, & talis consuetudo ex causa moraliter saltem universali, & perpetua est irrationabilis, & ut talis reprobata.

381 Lege etiam apud Barbosam *d. cap.17. sess.24. num. 13.* Conc. Trid. duo beneficia uniformia sub eodem tecto obtineri non posse sine provisione Apostolica, nisi id dictet statutum, vel consuetudo Ecclesiæ, vel Episcopus expressè dispensaverit, cùm utrumque conferendo non intelligatur tacitè dispensasse, & subdit, quod hoc tenet Sell. qui attestatur sic fuisse decisum. Sed in hac parte, nec Sell. nec Barbosæ est credendum. Cùm ut probatum est, nec statutum cujuscumque inferioris valeat contra jus commune. Nec Episcopus possit dispensare in lege Pontificia. Et consuetudo hujusmodi sit abusus. Et quatenus Episcopus dispensare posset, si constaret illum scienter contulisse duo uniformia eidem in eadem Ecclesia, censeretur dispensasse, quia non posset præsumi, quod scienter voluisset actum nullum facere.

382 Ultimo verò notanda hic est declaratio S. Cong. quam affert Garz. *num.318.* quæ talis est: *Congregatio Concilii censuit, hoc decreto non comprehendi terrulas beneficiales, seu pia legata cum onere Missas, aliave divina officia celebrandi, quæ neque Ecclesia habent aliquam denominationem, conferri tamen consueverunt in titulum simplicis beneficii uni, vel pluribus presbyteris ad præsentationem hærendum, sive patronorum, & singula duorum, aut trium aureorum valorem non excedunt: quod decretum Congregationis Sanctissimus D.N. probavit, & placuit servari stylum Cancellariæ, & unica collatione plura uni conferri possint in titulum simplicis beneficii.* Et quod incompatibilia sub eodem tecto non sint simplicia Legata Missarum non erecta in titulum beneficii, unde posse eorum pluralitatem permitti sub eodem tecto, *dixit S. Cong. Episc. & Regul. in Castellanen. 15. Junii 1591. & quod hujusmodi legatum possit haberi cum præbenda, in Granaten. 21. Martii 1583.*

383 Addit etiam R.P.D. Fagnan. *d. cap. literas n.46.* quod beneficia, quorum onera ad Parochialem Ecclesiam translata sunt, eo quod eorum Ecclesiæ in sylvis essent sita, ex S. Cong. sententia non sunt incompossibilia tamquam existentia sub eodem tecto.

SVMMARIVM.

384 *Nullus in eadem Ecclesia potest esse triplex.*
385 *Etiam si duo priora beneficia sint insufficientia.*
Et etiam in diversis Ecclesiis.
386 *Rejicitur Bossaus.*
Non possunt haberi duæ Capellaniæ cum dignitate insufficienti.
387 *Pænitentiarius ne sit triplex non potest simul habere dignitatem.*
388 *Pænitentiaria se ipsa est officium, & beneficium.*
389 *Canonicus Doctoralis, vel Lector non erit triplex, si obtinuerit dignitatem.*
Munus legendi est onus, non verò officium institutum in titulum beneficii.
390 *Quando ratione annexionis inducatur triplicitas, 391.*
392 *Idem non potest esse duplex in beneficiis requirentibus residentiam etiam cum dispensatione Episcopi.*
393 *Beneficia sufficientia non requirentia residentiam esse incompossibilia alii negant, alii affirmant, 394.*
395 *Duplex status rerum.*
396 *De jure antiquo qualiter pluralitas beneficiorum esset prohibita.*
397 *Plures casus in quibus licebat habere plura beneficia.*
398 *Consuetudine non potuit obtineri; quod Episcopi sine justa, & speciali causa potuerint conferre plura beneficia.*
399 *Potuit consuetudine abrogari lex Canonica prohibens conferri uni plura beneficia simplicia.*
400 *Potuit consuetudine acquiri consuetudo dispensandi in pluralitate beneficiorum simplicium.*
401 *Discrimen inter opiniones recensitas.*
402 *Secundùm utramque dici debet, quod concessio plurium sine justa causa sit invalida.*
403 *Ante Concilium plura beneficia difformia haberi poterant in eadem Ecclesia.*
404 *Singula beneficia sufficientia singulis sunt danda ex decreto Conc. Trid.*
405 *Si provisus consensit pensioni attenditur sufficientia beneficii secundùm valorem.*
Habenti sufficiens sustentamentum ex pensionibus potest conferri beneficium.
406 *Plura insufficientia possunt ex dispensatione Episcopi obtineri.*
407 *Oppositum videtur probari.*
408 *Duo beneficia insufficientia potest Episcopus conferre sub eodem tecto.*
410 *Nunc an valeat consuetudo dandi plura beneficia sufficientia, variè dictum, 411.*
412 *Consuetudinem aliqui non laudant.*
413 *Concilium abrogavit consuetudinem habendi plura beneficia.*
414 *Non potest dari consuetudo, quæ vel obliget, vel etiam permittat dari plura beneficia sine justa causa.*
415 *Supposita justa causa potuit esse consuetudo obtinendi plura in una specie beneficii, & non in alia.*
Non valet extensio consuetudinis de uno ad alium casum.
416 *Arbitrarium judicare quodnam beneficium sit sufficiens.*
417 *Ad judicandum de sufficientia beneficii non debet considerari patrimonium.*

ARTICULUS III.

Vtrùm sine dispensatione Sedis Apostolicæ possint ab eodem simul haberi duo beneficia difformia sub eodem tecto.

Est autem primò certum, quod in eadem Ecclesia nullus potest esse triplex, cùm hoc expressè sit in hac nostra decretali prohibitum, & ita hìc tenent Domin. *num.13.* Franc. *num.7.* Probus *num.6.* Puteus *decis.446.n.3.l.2.* Grat. *disceptat.133. num.18.* Item Gloss. *fin. in Clem. fin. de præbend.* quam sequitur Garz. *part.11. cap.5. num.238.* R. P. D. Fagnan. *cap. cùm jam num.35. 45. & 71. & cap. literas num.59. de concess. præbend.* Garz. *de benefic. part. 11. cap.5. num.138.* Barbosa *in cap.17. sess.24. Concil. Trid. num.4. & 6.* 384

Hoc autem procedit, ut licèt *ex concess. Concil. Trident. sess.24. cap.17.* Ex Episcopi dispensatione habenti beneficium insufficiens possit concedi aliud beneficium simplex, numquam tamen possunt concedi alia duo, ut sic habeat tria beneficia in eadem Ecclesia. Et ita nedum est verum, quod habens duo de se insufficientia, sed in simul sufficientia non potest retinere tertium, ut dixit Barbosa *d. cap.17. num.6. & alleg.62. num.6.* ex Hojeda *part.1. cap.19. num.1. cum seq.* & Paris. *l.3. q.1. num.138.* & Garz. *d. c.5. num.268.* Palaus *tr.13. disp.6. p.2. §.6. num.7.* sed insuper habenti jam duo etiam insimul non sufficientia, non potest ex sola dispensatione Episcopi conferri tertium. Ad quod comprobandum quamplures declarationes S. Congr. Concilii refert Garz. *d. c.5. num.310.* Et ideò tanquam sic declaratam hoc sustinent Barbos. *d. cap.17. num.4.* & apud eum Armendar. Massor. & Vul- 385

Vulpe. R.P.D. Fagnan. *cap. cùm jam dudum num.* 45. *& 71. de prabend.* Amayden. de stylo datariæ, *l.* 1. *c.* 16. §. 3. *num.* 18. Quod adeo verum est, ut nedum in eadem Ecclesia, sed nec diversis possit aliquis esse triplex sine dispensatione Apostolica, ut Sac. Cong. declaravit, & tanquam ab ea declaratum tenent præfati DD. Non obstante, quod oppositum senserint Navar. *cons.*10. *de prabend. & cap.* 25. *man. num.* 129. *& Miscel.*60. *de orat. num.*13. & latè Hojeda *de compat. p.*2. *cap.*1. *à num.*26. Flam. *lib.*3. *quæst.*1. *num.*141. Azor. *par.* 2. *lib.*6. *cap.*11. *quæst.*8. Perez *de anniv. lib.*1. *cap.*7. *num.* 12. Piasec. *par.*2. *cap.*5. *num.*26. Cenedo, Azevedo, Quintanaduenas, Zechius, & Salon. apud Garz. *d.c.*5. *n.*308. Ubi refert ita tenuisse Rotam *in Theanen. S. Eustachii* 20. *April.* 1487. coram Gipsio.

386 Et propterea contra Bassæum de Synodo 3. *p. art.* 1. *num.* 88. dixit Garz. *d. cap.*5. *num.*239. falsum esse, quod dixit scilicet, quod quis in eadem Ecclesia potest esse duplex, aut triplex in beneficiis difformibus, citans ad hoc Domin. & Franc. qui id non dicunt de triplici, sed oppositum docent. Item falsum esse, quod habet Navar. *cons.*22. *de prabend.* ubi dicit posse retineri duas Capellanias, cum dignitate in eadem Ecclesia ex consuetudine; si dignitas non est sufficiens ad sustentationem. Triplicitatem enim omninò jura excludunt, etiam in casu insufficientiæ.

387 Et hæc est ratio propter quam Pœnitentiario habenti præbendam, non potest conferri Dignitas, seu quod Pœnitentiarius Canonicus non potest simul retinere dignitatem, at declaravit S. Cong. Concilii apud Garz. *d. cap.*5. *nu.* 249. & tanquam sic declaratum sustinent R.P.D. Fagnan. *cap. literas num.*59. *de prabend.* Garz. loco citato, Barbos. *de off. & potest. Epis. all.*62. *num.*27. Pax Jordan. *l.*10. *tit.* 28. *num.* 30. Nam in eo casu Pœnitentiarius esset triplex in eadem Ecclesia, quia haberet officium Pœnitentiarii, Canonicatum, & Dignitatem. Præbenda enim non unitur officio Pœnitentiarii accessoriè, nec ex unione suspenditur, & extinguitur, sed Pœnitentiarius remanet propriè Canonicus, & functiones canonici exercet, & voce, & aliis Canonicorum prærogativis gaudet. Aliàs verò officium Pœnitentiariæ, non est simplex onus annexum Canonicatui, sed est de per se officium, & beneficium Ecclesiasticum. Nec obstat, quod de per se non habeat fructus, quia non per hoc desinit esse officium, aut beneficium, quia sufficit, quod illos habeat ratione Canonicatus.

388 Cæterùm quod Pœnitentiaria à Concil. Trident. fuerit instituta, ut officium per se distinctum colligit R. P. D. Fagnan. *num.* 63. & eo quod Concilium *sess.* 24. *cap.* 8. voluit institui Pœnitentiariam ante vacationem præbendæ, ut Sacra Congregatio declaravit. Et quamvis Moneta *de option. cap.*4. *num.*12. *&* 13. existimaverit, quod officium Pœnitentiariæ se habeat ut quid annexum præbendæ, sed tanquam mortuum, & extinctum respectu illius, tamen merito hoc rejicit Garz. *d. cap.*5. *num.* 250. Nam verè illud officium est principale, & ut tale institutum fuit à Concilio, & ei fuit annexa præbenda, voluit enim Concilium ut officium Pœnitentiariæ institueretur cum unione præbendæ vacantis, vel vacaturæ, & sic Pœnitentiaria est officium principale: cui est annexa præbenda, sed annexione non extinctiva Canonicatus, & sic Pœnitentiarius jam duo officia habet, & est duplex, quia est Pœnitentiarius, & Canonicus; unde non potest ei conferri vel alia præbenda, vel dignitas, vel aliud officium, ne sit triplex in eadem Ecclesia.

389 Nec tamen est eadem ratio de Canonico Theologo, aut Lectore, quia munus docendi, aut legendi non est de per se officium Ecclesiasticum in titulum beneficii institutum, sed est onus annexum Præbendæ. Concilium enim *d. sess.* 24. *cap.*8. decrevit præbendam ad hunc casum esse ipso facto constitutam, & intelligi deputatam, & sic voluit esse præbendam, quæ hoc usui deserviret, non verò voluit, quod munus docendi, aut legendi esset titulus, aut beneficium Ecclesiasticum. Sic enim & DD. *in cap. significatum de praben. & in cap. quia nonnullis, de magis.* munus legendi vocant onus præbendæ annexum, ut constat ex Gloss. quam DD. sequitur *in d. cap. quia nonnullis, in ver. prabend. in fin.* Ubi igitur aliàs liceret habere duo beneficia difformia in eadem Ecclesia, vel in hoc posset Episcopus dispensare, Canonicus Doctoralis, & Canonicus Lector possent simul obtinere dignitatem, nec impedirentur ex triplicitate, quia in eo casu essent duplices, non triplices. Et ita sentiunt R. P. D. Fagnan. & Garzias citati, & alii.

Est autem adeò illicitum esse triplicem in eadem Ecclesia, 390
ut hoc fieri non posse dicatur etiam ratione annexionis. Sic R.P.D. Fagnan. *d. cap. literas num.*61. arbitratur, quod licèt dicatur communiter, quod solum officium, cui facta est unio alterius sit considerandum *cap. super eo, infr. de praben.* & beneficium unitum nomen beneficii ammittat, nihilominus hoc fallit cùm beneficium unitum est in eadem Ecclesia, sic enim ad incompatibilitatem inducendam ex pluralitate beneficiorum; etiam beneficium unitum alteri debet considerari per Gloss. *ult. in Clem. fin. de prab.* Franc. hìc *n.*7. Panor. *cap. literas n.*2. *de prabend.*

Sed juxta doctrinam datam suprà *num.* 470. *& seqq.* aliter 391
dicendum est; nimirum tunc annexionem inducere pluralitatem, & incompatibilitatem, quando unio non est facta accessoriè, sed annexi titulus & officium remanet, tunc enim unitum ponit in numerum cum principali beneficio, cui annectitur: & qui habet beneficium, cui aliud est unitum non accessoriè, est verè duplex, & ideò si ei aliud beneficium conferatur, remanet triplex, ut dictum est de Pœnitentiario. Sed ubi beneficium est unitum alteri accessoriè, & suspenditur, & extinguitur ejus titulus, & aliud fit membrum alterius, non ponit in numero cum illo, nec inducit incompatibilitatem. Rota *decis.* 786. *num.*3. *part.* 1. *divers. ex cap. super eo*, & Gloss. ibid. *in v. non obtinet*, & Anchar. ibi *num.*2. *inf. de prabend.* & ex Hostien. *in cap. extirpanda col.*3. & Butr. ibi *in finalibus verbis, sup. de praben.* Item Gonzal. Gloss. 5. §. 7. *n.*24. Mandos. ad Lapum *alleg.*35. *addit. ult.* Garz. *d. cap.*5. *n.*595.

Est igitur difficultas, an licèt idem in eadem Ecclesia non 392
possit esse triplex, possit saltem esse duplex in beneficiis difformibus, ut an possit esse Canonicus & dignitas, vel Canonicus & Sacrista, & quantum ad hanc partem si beneficia aliam habent incompatibilitatem, at quia obligantur ad residentiam præcisam in suis titulis, certum est, quod unus & idem hujusmodi beneficia, nec in una, nec in diversis Ecclesiis potest obtinere, cùm idem simul eodem tempore non possit in diversis locis esse, vel diversorum officiorum diversa munera exercere; & per hujusmodi assecutionem similium beneficiorum valdè diminuatur divinus cultus, & Ecclesia non modicum recipiat detrimentum, unde nec Episcopus potest dispensare ut hujusmodi beneficia difformia residentiam requirentia uni conferantur. Federicus de Senis *cons.*120. *num.*2. quem refert & sequitur R.P. D. Fagnan *cap. literas num.* 49. *de concess. praben.* Gonzal. Gloss. 10. *num.*41. Perez de Lara *de anniv. lib.*2. *cap.*7. *n.* 24. Garz. *d. cap.*5. *n.*84. ubi quamplures declarationes S. Cong. Concilii ad hoc refert, ubi *num.*87. quod hæc sententia recepta est, & practicatur in Dataria, & Cancellaria Apostolica, & quod Rota, quæ prius tenuerat oppositum à prima opinione recessit, *ut in Salmant. dimidia portionis* 11. *Decemb.* 1583. coram Orano. *Et in Virdun. Canonic.* 2. *Julii* 1589. coram Pamphilio, *& in Tolet. Capellania de Barachas coram eodem* 15. *Febr.* 1591. *& in Tarraconen. Archidiac.* 22. *Martii* 1592. *coram Litta, & in Conchen. Archipresbyteratus de Huerta* 17. *Martii* 1592. coram Penna. Ideò secundùm ejusdem S. Cong. decreta, Canonicus non potest retinere Parochialem, nec idem potest habere duos Canonicatus, & Capellanus obligatus nedum ad certas Missas, sed ad coadjuvandum in cura animarum, non potest retinere aliam Parochialem, vel aliud beneficium requirens residentiam.

Deducitur igitur quæstio ad beneficia difformia non re- 393
quirentia residentiam præcisam. Fuit verò multorum sententia, quod beneficia hujusmodi difformia non sint incompatibilia etiam sub eodem tecto, nisi aliàs incompatibilia sint ratione residentiæ, seu servitii. Ita tenent Dom. *infr. cap. cùm in Ecclesia, num.*7. & Franc. *num.* 4. *de praben.* Panorm. *cons.*96. *dub.* 2. *num.*2. Felin. *in cap. ex parte* 2. *num.*3. & ibi Dec. *num.*4. *de Rescript.* Flam. *l.*3. *q.* 1. *num.*128. Milis *in repert. v. beneficia*, plura Lap. *alleg.*116. *&* 127. Navar. *cons.* 21. *de prabend. & cons.*24. *num.*4. *&* 6. Genuen. *in praxi cap.* 64. *num.*5. Gonzales Gloss. 10. *num.*41. Perez de Lara *de anniverf. & Capell. l.* 2. *cap.* 34. *num.* 144. Layman *lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. Pax Jordan. *l.* 10. *tit.* 28. *num.* 33. Et hanc sententiam veriorem de jure putat Garz. *par.*11. *cap.*5. *num.*237. ex quo non videt textum, ex quo contrarium probetur.

Alii verò admittentes incompatibilitatem, eam dicunt 394
esse talem, ut in ea possit Episcopus dispensare. Ita sensit Gloss. hìc *in v. vacabit*, Dom. *num.*11. *&* 13. Franc. *num.* 7. Butr.

Butr. *ad cap. literas n.8. & 11. de concess. prebend.* Jo. Andr. *num.* 11. Imol. *num.* 8. Panorm. *num.* 6. R. P. D. Fagnan. *num.* 39. Item DD. *in cap. cum jam dudum, de prebend.* ubi in specie Panorm. *num.* 9. Butr. *num.* 10. Rota *in Toletana Capellania de Barachas* 3. *Maji* 1589. & 4. *Junii* 1590. coram Mantica, & 15. *Februar.* 1591. coram Pamphilio. Barbosa ad textum nostrum *num. ult.* *Et in causa Lucana beneficiorum* 4. *Novemb.* coram Seraphino, Achiles *decis.* 269. Puteus *decis.* 466. *num.* 3. *lib.* 2. & *decis.* 189. *lib.* 3. Mandos. *de signat. gratie, tit. de dispensat. ad beneficia sub eod. tecto vers. ad duo, & ver. Canonicatus,* Hojeda *cap.* 11. *num.* 4. & 5. & *cap.* 20. *nu.* 25. Staphil. *de sign. gratia secunda forma expect.* Gomez *de expect. num.* 44.

395 Distingui hic debent duo status rerum, nimirum ante, & post Concil. Trident. Aliud enim ex antiquo jure licebat, quod non licet jure novo Concilii. Itaque ante Concilium etiam distingui debet, quod de jure scripto poterat fieri, & quid de consuetudine.

396 De jure ergo communi plura curata simul haberi non poterant. Concil. Lateranen. sub Innoc. III. *cap.* 29. & *c. dudum el 2. de elect. c. de multa, de prebend. cap. Ordinarii infr. de off. ordinar. & extravag. execrabilis, de prebend.* Item secundò non poterant haberi simul plures Personatus, aut Dignitates, quia de istis eadem ratio erat, ac de curatis *d. cap. dudum, & d. cap. de multa.* Item tertiò nullus de jure communi poterat habere plura beneficia, quæcumque requirentia residentiam 21. *q.* 1. *per tot. cap. unio* 10. *qu.* 3. *cap. Presbyteror.* 16. *q.* 1. *cap. per laicos* 16. *q. ult. cap. singula* 89. *dist. cap. cum te, de etat. & qual. cap. quia nonnulli, cap. relatum, cap. conquerente, cap. Clericos, de Cleric. non residen.* Pariter quartò non poterat Clericus habere plura beneficia in eadem Ecclesia saltem uniformia, *ut c. de multa, de Preb. ex cap. literas, de concess. prebend. & Clem. ult. de prebend.* Sextò tandem nullus poterat habere plures præbendas, aut beneficia, quarum quælibet, aut quodlibet sufficiens erat ad ejus sustentationem. *Cap. Sanctorum Canonum dist.* 70. *cap. singula d.* 89. *cap.* 1. & 2. 21. *quæst.* 1. De his videri potest Turrecremata *in cap. Sanctorum dist.* 70. *art.* 2. *à n.* 18.

397 De jure verò communi unus etiam sine dispensatione plura beneficia habere poterat, si illorum neutrum sufficiebat ad sustentationem beneficiati. Hoc Turrecrem. loco citato *num.* 28. *colligit ex cap. unio* 10. *quæst.* 3. & *ex c. quia de Relig. Dom.* In quibus textibus tamen sermo est de parvarum Ecclesiarum unione ad majores. Ex similitudine tamen rationis arguendo, etiam præbendæ, quæ non sufficiunt uniri poterant simul, ut sufficerent. Sed hoc melius probatur, ut idem advertit *num.* 34. *ex cap. eam te de etat. & qual.* & hoc notat ibi Panorm. *not.* 3. *num.* 3. Secundus casus habetur *in d. cap. eam te,* & est quando plures Ecclesiæ sunt subordinatæ, & una dependet ab alia. Tertius casus est ex inopia Clericorum, qua stante unus in pluribus poterat institui Ecclesiis, *cap. Clericus* 21. *quæst.* 1. Quartus est cùm unum beneficium erat alteri annexum, puta annexum præbendæ, vel dignitati, *cap. dudum el 2. de elect. cap. extirpande, de preben. cap. super eo inf. eod. tit.* Quintus casus est, si unus habebat unam Ecclesiam intitulatam, & alteram commendatam, *Cap. qui plures* 21. *q.* 1. Quomodo verò hæc commendatio non deberet fieri nisi ex magna utilitate, aut necessitate, & non ultra semestris spatium decretum fuerat, *cap. nemo inf. de elect.* Sed quod hujusmodi commendæ post Concilium locum non habeant, advertit Barbos. *in cap.* 4. *sess.* 7. *Conc. Trid. n.* 19.

398 Cùm ergo de jure humano antiquissimo sicut prohibitum erat, quod unus plura officia haberet, ita esset interdictum, quod haberet plures præbendas, seu beneficia, & nedum curata, sed simplicia; punctum est, an de consuetudine potuerint Episcopi eidem plura beneficia conferre. Sed tria sunt, quæ potest quis imaginari, quod Episcopi acquisierint consuetudine. Primum est, ut pluralitas beneficiorum esset res indifferens, & sic, quod ad eorum nutum, & voluntatem potuissent dare plura beneficia cui voluissent, etiam sine causa speciali ad id movente, & ita ut suppositis aliis requisitis ad justam collationem beneficiorum potuissent sine scrupulo ad nutum, & sine alterius causæ exigentia dispensare uni, & eidem plura beneficia. Et hoc est impossibile, quia legi naturæ adversatur. Sequeretur enim, quod ex sola voluntate Episcopi licitè unus posset esse ebrius, & alter esuriret; & quod Episcopus non dispensator, sed Dominus esset patrimonii Christi; & quod item posset ad nutum minuere Dei cultum, & Ecclesiam ministrorum munere privare; & quod benemeriti ad voluntatem illius privarentur Ecclesiæ officiis, & beneficiis, & alia multa sequerentur absurda, quæ artic. primo considerata sunt, & à DD. recensentur. Remanet igitur, quod Episcopi consuetudine potuerint hoc solum acquirere, ut ex causa justa aliquando plura beneficia potuerit eidem conferre non obstante jure communi.

Secundò igitur potest intelligi, quod lex canonica prohibens dari uni plura beneficia simplicia per consuetudinem fuerit abrogata, & sic quod Episcopi non quidem dispensando in lege superioris, veluti ex præscripto privilegio, sed auctoritate eorum ordinaria, tanquam non ligati alia lege, quàm divina, potuerint ex causa justa plura conferre beneficia eidem. Hoc enim, quod est præcisè contra legem positivam potuerunt Episcopi consuetudine acquirere saltem videntibus, & consentientibus Pontificibus, aut immemorabili temporis cursu. 399

Sed tertiò intelligi potest, quod Episcopi consuetudine acquisierint facultatem dispensandi in jure communi ex causa ista, & rationabili. Quod etiam acquiri potuit. Nam & jurisdictio consuetudine acquiri potest. Rochus Curtius *de consuet. sect.* 1. *num.* 2. Piaggius *de consuet. quæst.* 8. *nu.* 130. R. P. D. Fagnan. *c. cùm contingat, n.* 3. & 26. & *cap. nullus nu.* 47. & 64. *de for. compet.* Hostien. *cap. Dilecto num.* 4. *de off. Archid.* Panor. *cap.* 2. *num.* 2. *ne Prelati vices suas.* Potuerunt igitur Episcopi consuetudine saltem immemorabili, aut sciente, & approbante Pontifice acquirere jurisdictionem, & facultatem dispensandi ex causa justa in lege prohibente conferri plura beneficia. 400

Hoc ergo est discrimen inter opiniones recensitas, quod prima intendit, quod consuetudine derogatum fuerit juri communi, quatenus prohibuerat posse Episcopum conferre plura beneficia simplicia. Et sic Panorm. *d. cons.* 96. *dub.* 2. *num.* 2. dixit consuetudine generali haberi, ut etiam in eadem Ecclesia quis possit habere nedum duo beneficia simplicia, seu dignitatem, & Canonicatum. Idem sentit Pax Jordan. *lib.* 10. *tit.* 28. *num.* 29. Sotus *lib.* 3. *de just. quæst.* 6. *art.* 3. *post* 4. *conclus.* Sed secunda opinio vult, quod jus commune prohibens pluralitatem beneficiorum etiam simplicium adhuc vigeat, sed quod consuetudine fuerit introductum, ut quantum ad simplicia saltem illa, quæ non exigunt residentiam possit Episcopus dispensare. 401

Inter istas verò opiniones quantum spectat ad punctum nostræ quæstionis parva differentia est, quia etiam concesso, quod consuetudo legem abrogasset Canonicam quantum ad ista beneficia simplicia, nihilominus quia legi naturali repugnat plura beneficia dare, obtinere, & retinere absque justa causa, non majorem libertatem, & facultatem habent Episcopi ad conferendum plura beneficia, si id faciant auctoritate ordinaria abrogata lege id prohibente, quàm si id faciant dispensando in ea lege. Quia neutro modo possunt id facere nedum ritè, sed validè absque justa causa, & semper plurium collatio est jure naturali nulla, ut probatum est, si fuerit facta sine justa causa. Parum ergo interest, si una, vel altera ex prædictis opinionibus fuerit electa ante Concilium. Quamvis secunda sentiat id, quod est minus contrarium juri communi, quia secundùm illam jus commune viget. 402

Itaque ergo ante Concilium Trid. poterant Episcopi uno, vel altero modo conferre plura beneficia simplicia difformia eidem ex causa justa, tamen & tunc hoc verum erat secundùm multos etiam de Dignitatibus, & Personatibus, & Canonicatibus, ut quis in eadem Ecclesia posset habere Dignitatem, & Canonicatum. Unde multò magis poterat habere Canonicatum, & Capellaniam, seu duas Capellanias difformes, & reliqua inferiora beneficia difformia. Solum tamen duo habere poterant. Nam & consuetudo habendi tria per præsentem decretalem fuerat reprobata. Sed experientia ostendit, quod hæc consuetudo, per quam arbitrio Episcoporum remittebatur, posse plura beneficia simplicia conferre, non valebat ad reprimendam ambitionem, & cupiditatem quærentium plura beneficia, & ad servandam in Ecclesia justitiam distributivam, & tollendam pluralitatem beneficiorum sine causa, unde & illa consuetudo conversa erat in abusum, & ideò *Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 17. ut restitueret disciplinã Ecclesiasticam voluit ut singula beneficia in posterum nonnisi singulis Clericis distribuerentur. 403

At

404 At secundus status est post Concilium Tridentinum, & ejus decretum *sess.24. cap.17.* ibi: *Præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tam sæcularia, quàm regularia, quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant.* Hoc autem decretum nimis clarum est, & ideò tanquam omninò certum dicendum est nunc sola beneficia simplicia, quæ non requirunt residentiam, & non sufficiunt sustentare vitam beneficiati esse compatibilia, & præter ista omnia alia esse incompatibilia, nec posse plura obtineri sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Et ideò sine ejusdem Sedis Apostolicæ dispensatione nullus potest nec in eadem, nec in diversis Ecclesiis esse duplex etiam in beneficiis difformibus. Ita R. P. D. Fagnan. *cap. cùm jam dudum num.31. 43. & 49. de prabend. & cap. literas, num. 50. de concess. prabend.* Garz. *parte 11. cap. 5. num. 84.* plures declarationes Sacræ Congr. Concilii ad hoc referens, & decisiones Rotæ. Rubeus *ad decis.254. num.67. part.9. recent.* Amayd. *de stylo Datariæ quæst.16.*

405 Cùm verò hæc assertio duas habeat partes, prima scilicet, quod nec cum dispensatione Episcopi quis potest esse duplex in eadem Ecclesia in beneficiis difformibus & sufficientibus, secunda quod in non sufficientibus potest esse duplex cum dispensatione Episcopi. Circa primam partem notandæ sunt duæ declarat. S. Congreg. quas refert Garz. *d. cap.5. num.*310. Nam in una Hispalen. inter alia proposito tertiò dubio sequenti. *An decretum Concil. Trident. sess.24. cap.17. habeat locum, quando beneficium primò obtentum est sufficiens juxta suum verum valorem, & honestam possidentis sustentationem, quamvis tempore, quo secundum beneficium confertur, non sufficiat propter onus pensionis super tali beneficio impositum.* Ad quod respondit S. Congreg. dicens: *Ad tertium non valere, dummodò provisus post collationem sibi factum non consenserit pensioni.* Quartum autem dubium fuit. *An quod dicitur in beneficiis, habeat locum in pensionibus, scilicet quod Ordinarius non possit conferre beneficium habenti jam in pensionibus Ecclesiasticis sufficientem sustentationem.* Et Sac. Cong. respondit. *Ad quartum minimè habere locum in pensionibus.* Barbos. *all.62. num. 7.* Gonzal. Gloss. 5. §.5. *à n.14.*

406 Sed pars assertionis secunda videtur habere difficultatem. Eam quidem absolutè affirmat R. P. D. Fagnan. *d. cap. cùm jam dudum num.50. & d. cap. literas num. 50.* Item Garzias *part. 11. cap. 5. num.377.* ubi ad id refert decisionem S. Congregationis datam 11. Januar. 1594. super *d. c.17.* sequentis tenoris. *Congreg. Concilii censuit Episcopum ex causa posse dispensare, ut quis possit obtinere duo beneficia difformia sub eodem tecto, dummodò quodlibet per se, non sit sufficiens ad sustentationem provisi.* Et idem tenuit Rota *in Telesina Beneficii 1594. ultima Januar.* coram Seraph. Idem quoque sentiunt Barbosa *ad d. cap.17. num.14. & alleg. 62. num. 17.* Franc. Leo in Thesauro *p. 2. cap.8. num.31.* Molfes. *tract.6. cap.9. num.48.* Azor. *p.2. l.3. cap.50. quæst. 6. & l. 6. cap. 11. quæst.2. & cap.23. q.6.* Vviguers *const.12. num.15.* Palaus verò *tom.2. disp.6. p.2. §.6. num.6. tract. 13.* putat quod etiam sine dispensatione possit quis plura beneficia insufficientia obtinere. Et quod Dignitates cum Canonicatu, quæ nullos, aut tenues fructus habent, licèt habeant sedem in choro, quæ per Canonicos obtineri solet, juxta hanc decretalem nostram non comprehendantur sub decreto *Conc. sess. 24. c.17.* dixit decisum fuisse Barbos. ibi *nu. 28.* ex Armend. *tit.7. de incompatib. benef. n.56.*

407 Sed in contrarium sunt aliquæ declarationes S. Congreg. Concilii apud Garziam *d. cap.5. n.243.* Prima data fuit Episc. Ferrarien. & est ista. *Reverendissime Domine, S. Congregatio censuit, si re ipsa vera sunt, quæ in hoc libello commemorantur, sanctorum Cosmæ & Damiani Capellaniam ipso jure non vacasse, nec etiam ex Conc. Decretis incompatibilem cum Mansionaria, de qua agitur, habita ratione annuorum fructuum utriusque beneficii, qui perquam tenues sunt, opus tamen esse dispensatione Apostolica ut Ferrinus iste utrumque beneficium retinere possit, ea ratione, qua utrumque est sub eodem tecto. Die 9. Decemb.* 1570. Hoc idem refert Barbosa *in cap. 4. sess. 7. Concil. Trid. num.11.* ex Armend. & Garz. Secunda data ibidem 17. Decemb. 1570. *Capellania, & Monasterium, quarum fructus sunt tenues, sunt incompatibilia beneficia, nec possunt retineri sub eodem tecto, sine dispensatione Apostolica.* Et hujus quoque meminit Barbosa loco citato *num.13.* ex Garz. & Armend. Tertia super *cap.17. sess.24. Capellania cui adjunctum est onus deserviendi in choro, obtineri non potest cum Canonicatu, per hoc decretum non autem si haberet simpliciter onus celebrandi Missam, nisi essent sub eodem tecto, & tunc potest, cum dispensatione Apostolica.* Hujus etiam meminit Barbos. loco citato *num.9.* ex eod. Garz. & Armend. Alia etiam consimilis declaratio habetur apud Amaydenum de stylo Datariæ *l. 1. cap. 16. §. 3. num. 17.* quæ sic habet: *Episcopus non potest duo beneficia simplicia conferre uni, quod intellige, si sint sub eodem tecto, cum Sedis Apostolicæ dispensatione indigeant.* Clarè namque in prima, & secunda declaratione est sermo de beneficiis tenuibus, & insufficientibus, & tamen asseritur ea non posse retineri sine dispensatione Apostolica. Quamvis igitur Episcopus possit dispensare, ut plura beneficia insufficientia habeantur in diversis Ecclesiis, videtur quod non possit dispensare, ut illa habeantur sub eodem tecto. Et ita juxta primam declarationem, quod Capellania, & Mansionaria, etiam si fructus sint tenues, non possint simul retineri sine dispensatione Apostolica, dixit etiam Barbosa *ad d. cap.17. num.25.* Amaydenus autem ubi suprà declarationem à se relatam explicat, ut intelligatur de beneficiis concordibus. Sed constat in aliis declarationibus recensitis sermonem esse de difformibus, qualia sunt Capellania & Mansionaria, seu Capellania & Monasterium.

De jure verò loquendo, cùm de jure communi non sit 408
prohibitum habere duo beneficia difformia sub eodem tecto, quia ex vi præsentis decretalis prohibita est triplicitas in beneficiis difformibus, non duplicitas, alibi verò non reperitur hoc specialiter esse prohibitum haberi cum dispensatione Episcopi, quia jura quæ prohibent haberi plura beneficia sub eodem tecto, vel non loquuntur de beneficiis simplicibus, vel intelligantur de sufficientibus, dicendum videtur hoc neque per concilium esse illi ablatum, quia imò Concilium absolutè, & absque limitatione concedit, ut duo insufficientia beneficia possint eidem conferri, unde Episcopus ex causa potest hoc facere etiam si beneficia sint sub eodem tecto.

An verò valeat consuetudo, ut quis possit retinere plu- 409
ra difformia sufficientia sub eodem tecto, vel quod Episcopus possit in hoc dispensare, Garz. *d. cap. 5.* refert multas declarationes S. Congregationis id affirmantes. Nam *num.245.* hanc refert: *Posse aliquem in una Ecclesia ex privilegio vel consuetudine fungi duplici officio, ut sit Thesaurarius, & Canonicus, & propterea duplices lucrari distributiones, quia obtineat eas diverso jure, cùm inter Dignitates suppleat numerum dignitatum, & inter Canonicos suppleat numerum canonicorum, nec eget substituto,* Abb. *in cap. cùm olim, num.6. de re judic.* Atque propterea hoc tenet Barbos. *d. cap.4. sess.7. Concil. Trid. num.7. & all.62. num. 18.* & subdit, quod hujusmodi Dignitati, & Canonico debentur distributiones tam ratione Archidiaconatus, quàm Canonicatus, ut tenuit Rota *in Oriolen. Canonicatus 10. Junii* 1636. coram Ramboldo, *& n.246.* Idem Garz. aliam subdit declarationem datam *in una Valent.* 1593. *Congregatio censuit, consuetudini permittenti, quod in eadem Ecclesia Dignitates cum præbendis Canonicalibus teneantur, non esse derogatum à S. Concil. Trid. sess.24. cap.17. & num.247. Congregatio Concilii censuit consuetudini permittenti, ut in eadem Ecclesia dignitas cum Canonicatu per eundem obtineri, & retineri possit, non censeri derogatum ex decreto Concilii cap. 17. sess. 24. de reformat. ubi disponitur habenti beneficium competens, non posse conferri alterum. Hier. Card. Matthæus.* Et ita quod hujusmodi consuetudo sit rationabilis, & toleranda docet idem *num. 248.* citans Azor. *2. p. l. 3. cap. 11. quæst. 8. & l.6. cap. 11. quæst. 1. & cap. 13. quæst. 6.* Idem tenet Barbos. *ad d. cap. 17. num.22. & de offic. Episc. alleg. 62. num.18.* idem quoque habet R. P. D. Fagnan. *cap. literas à n.52. de concess. Prabend.* ubi *num.67.* refert declarationem S. Congreg. Concilii hujus tenoris: *Sac. Congreg. censuit, Non posse Amodeum absque provisione Sedis Apostolicæ hæc duo difformia sub eodem tecto beneficia obtinere, nisi id dictet statutum, vel Ecclesiæ Maurianensis consuetudo, vel Episcopus*

cum

cùm eo expressè dispensaverit, *& num.* 68. refert hanc aliam: *Respondetur ita debere, quia licet Episcopus possit ex causa dispensare ad duo beneficia difformia sub eodem tecto; tamen periculosum esse, an causa subsit ea, quam Canones requirunt; ideò tutius esse adire sanctissimum*. Hujus declarationis meminit etiam Amaydenus de stylo Datariæ *lib.* 1. *cap.* 16. §. 3. *n.* 18.

410 Nihilominus Garz. *d. cap.* 5. *num.* 256. asserit hoc non verificari circa alia beneficia, & sic concesso quod valeat consuetudo retinendi Canonicatum cum Dignitate, vel portione in eadem Ecclesia, tamen non valeat consuetudo retinendi alia beneficia. Nam Sacr. Congreg. Concilii in una Abulensi; cujus meminit etiam Barbosa *cap.* 17. *num.* 24. *Conc. Trid.* cùm dubium sextum inter alia propositum esset tale: *In Episcop. Abul. est consuetudo tenendi Beneficium curatum vel simplex simul cum Capellania in eodem Ecclesia, dubitatur an stante Concil. id fieri possit*. Sact. Congreg. prout refert idem Garz. *part.* 5. *cap.* 8. *num.* 87. *respondit: Ad sextum consuetudo est sublata*. Quamobrem rationem distinctionis ponit, *num.* 248. quia specialis ratio est in Dignitatibus, & Canonicatibus, ut scilicet decentius dignitates sustententur. Sed hæc ratio non probat, nisi quod hujusmodi locum habere possint in casu insufficientiæ. Quod etiam nullius consuetudinis ratione Dignitatem posse retineri cum portione, pro qua teneretur inferiora servitia subire ex Rota in Giennen. Portionis 5. Junii 1613. voluit Barbos. *d. cap.* 4. *n.* 8. *sess.* 7. *Conc. Trid.*

411 Idem Barbosa *de off. Episc. alleg.* 62. *num.* 8. post Hojed. *part.* 1. *cap.* 19. *num.* 8. hujusmodi consuetudines putat irrationabiles, & non excusantes à peccato mortali, & pœnis æternis, nec tutam putat Hispaniæ consuetudinem, quam refert Garz. *d. cap.* 5. *num.* 323. dicens usu receptum esse Ordinarios posse conferre uni plura beneficia, etiam ultra duo, quamvis unum sit sufficiens ad congruam sustentationem. Quamvis tam ibi *num.* 10. quàm *c.* 17. *num.* 7. *sess.* 24. *Conc. Trid.* Barbosa addat quod nunc de consuetudine non datur dispensatio ad plura beneficia simplicia, sed Prælati inferiores Summo Pontifice videntur quod conferre possint, & de facto conferunt, nulla habita ratione an sint pinguia, vel tenuia, quæ secundùm ea, quæ habentur in hoc decreto, non sunt laudabilia. Hujus quoque consuetudinis testis est Sotus *lib.* 3. *q.* 6. *art.* 3. *concl.* 4. Et cùm Adrianus dixerit aliquam requiri causam, subdit quod jam nunc licet nulla interveniat ratio conferuntur à Prælatis sine ulla dispensatione. Hujusmodi tamen beneficiorum coacervationes sive per dispensationem fiant, sive secus carere non posse culpa asserit *concl.* 6. potissimè ubi nimium accumulantur, & personis deputantur indignis.

412 Mihi dicendum videtur, quod Concilium juxta dictam declarationem datam in causa Abulen. abstulerit de jure omnem consuetudinem habendi plura beneficia sufficientia absque dispensatione Apostolica, & de jure scripto in hoc neque Episcopum posse dispensare. Nec obstat, quod lex generalis non derogat speciali consuetudini *sup. in hoc lib. cap.* 1. *de consuet.* Quia consuetudo ut singula beneficia non darentur singulis, sed plura uni erat generalis, non verò propria hujus vel illius Diœcesis. Tum quia quando lex reprobat factum aliquod, ex ratione universali, & afficiente etiam consuetudinem particularem, si non adest ratio aliqua specialis justificans consuetudinem, consuetudo etiam particularis manet abrogata. Ex eo enim quod lex illa reprobat factum absolutè, & universaliter; lex directè tendit ad hoc ut tollat consuetudinem ubicumque illa sit. Nisi ergo in loco particulari sit specialis ratio, ob quam cesset illa absurditas, ob quam lex consuetudinem tollit, etiam specialis consuetudo manet abrogata. Lex ergo directè tendens ad tollendam consuetudinem, etiam particularem, tollit si sua ratio ad particularem se extendit.

413 In illis verò regionibus, ubi Concilium non fuit pro hac parte receptum, & sic consuetudinem videri possit abrogatam. An hujusmodi consuetudines sint tollerandæ tanquam rationabiles judicent superiores. Hoc mihi certum est, quod si consuetudo est, lex est, & si lex est, obligat etiam Collatorem, qui sicut subditur legi, ita subditur consuetudini. At verò ex alia parte quod detur lex, quæ obliget collatorem, ita quod justè non possit negare collationem beneficii ex hoc solo capite quod potens habet aliàs sufficiens beneficium non est, nec esse potest rationabile. Sive quòd sit consuetudo, ut possit, qui habet primum sufficiens petere secundum beneficium, & possit ei conferri, etiam si nulla adsit justa causa specialis justificans pluralitatem beneficiorum, non potest judicari consuetudo rationabilis, cùm sit contra jus naturæ, ut probatum est, & advertit Layman *l.* 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Quod si consuetudo sit, ut collatio plurium sit in arbitrio Episcopi, ex jure regulanda, ita tamen ut non liceat Episcopo plura conferre, nisi ex justa causa; In hoc sensu consuetudo absolutè considerata posset esse rationabilis, sed an de facto sit talis, alia est quæstio.

Et hoc modo potest esse consuetudo in una specie Beneficii, & non in aliis, puta in Dignitatibus, ut habens Dignitatem posset habere simul præbendam, aut Capellaniam, aut alıud beneficium. Unde ubi valeat attendi debet consuetudo qualis sit, nec ab una specie beneficii valet consequentia ad omnes, vel ad alium nec debet admitti extensio, quod verò R. P. D. Fagnan. *dict. cap. literas num.* 52. Ex quo Barcinon. Ecclesiæ consuetudo est obtinendi ex collatione Ordinarii duo beneficia sub eodem tecto, probaverit hanc consuetudinem posse extendi ad hoc, ut quis cum dignitate habeat simul præbendam Theologalem, etiam si antea casus non advenerit, ut ita contigerit, verum esse potest, si consuetudo sit generalis, ut Dignitas habere possit præbendam absque determinatione ad præbendam hujus, vel alterius rationis. Cæterùm, quod adducitur ex Felin. *in cap. auditis, num.* 21. *de præscript.* nimirum, quod consuetudo Conventuum unius Religionis se extendit ad nova, verum est, quia hæc est consuetudo Religionis, non verò hujus vel horum Conventuum. Sed consuetudo specialis unius Conventus non se extendit ad alium. Sic si consuetudo est, ut Dignitas habeat simul beneficium aliud quodcumque illud fuerit, se extendit consuetudo ad singula. Sed si consuetudo esset, ut permitteretur, quod dignitas habere posset simul solum, v. g. Capellaniam, non posset id extendi ad præbendam. Consuetudinem enim non se extendi de persona ad personam, de loco ad locum, & de casu ad casum communiter asseritur, ut visum est *q.* 1. *art.* 9. 414

Ultimò adnotandum, quod beneficium esse sufficiens non est res certa, & indivisibilis, sed inducenda ex qualitate personarum, locorum, & temporum. Neque hoc potest punctualiter definiri, ut habet D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *c.* Unde hoc arbitrio boni viri relinquitur, Menoch. *cas.* 216. Flam. *lib.* 5. *q.* 6. *num.* 131. Navar. *Miscell.* 62. *de orat.* Gonzalez Gloss. 15. *num.* 39. Garzias *d. cap.* 5. *n.* 310. Barbosa *ad d. cap.* 27. *sess.* 24. Concil. Trident. *num.* 17. *& de off. Episc. alleg.* 62. *num.* 11. Rubeus *ad decis.* 90. *num.* 5. ubi *num.* 1. vocat resolutionem hujus puncti spinosam, involutam, & profundam, *& ad decis.* 254. *num.* 315. *par.* 9. *recent.* ubi latè tractat materiam hanc, & apud istos quam plures alii. Unde tam qui plura beneficia retinet, quam qui confert consulere multum debet conscientiæ suæ, ne erret in præjudicium animæ suæ. In dubio autem præsumi debere, quod beneficium sit sufficiens voluit Rota penes Caputaquen. *dec.* 72. *p.* 1. Penna *dec.* 182. Rubeus *ad dec.* 90. *p.* 9. *rec.* 415

Crediderunt verò aliqui, quod ad judicandam sufficientiam beneficii considerandam sit etiam patrimonium beneficiati, & quod sufficiat ad sufficientiam, si patrimonium, & beneficium simul juncta sufficiant ad sustentandum beneficiatum. Ita enim senserunt Jo. And. simul *in c. postulasti col. pen.* & ibi Philipp. Dec. *de rescrip.* Sed oppositum est certum. Et ratio est, quia per accidens est, quod Beneficiatus habeat patrimonium. Nam Christus pauperes elegit ad regimen Ecclesiæ, & ad Ecclesiastica ministeria, eosque ex loculis, quos habebat sustentavit, & voluit, quod inservientes altari, de altare viverent, ut docuit Paulus 1. *Cor.* 9. Ideò Beneficiati domini sunt sui patrimonii, ut de illo faciant, quod volunt, aliàs verò tamquam Ecclesiæ ministri ab illa sustentari debent, & sic ad arbitrandam sufficientiam beneficii non est habenda ratio patrimonii ipsius beneficiati, Rubeus plures ad hoc probandum referens *ad. d.* 254. *n.* 396. *p.* 9. *rec.* Sed & supra ex declarat. S. Cong. visum est, quod habens sufficientem sustentationem ex pensionibus adhuc potest obtinere beneficium. 416

427 Quomodo verò in mensuranda sufficientia ista considerandi sint etiam famuli, & consanguinei multi tradunt, Palaus *t. 2. tract. 13. disp. 6. par. 2. §. 6. num. 14.* arbitratur sub honesto sustentamento beneficiati comprehendi sustentamentum parentum, fratrum, sororum, & nepotum egentium, imò & filiorum etiam illegitimorum, quia omnibus his alimenta debentur. Item sustentamentum famulorum, & equorum, quos alii similes beneficiati timorati alunt. Item eas eleemosynas, & hospitia, quæque alii similes præstant. Sed de hoc puncto latè dixi *tom. 1. de stat. q. 185. art. 7. num. 78. & n. 83. & seqq.*

SUMMARIUM.

418 *Distinguuntur quatuor tempora.*
419 *Ante Concil. Lateranen. 3. dabatur optio proviso ut retineret, quod vellet.*
420 *Post Concil. Lateranen. vacabat secundum beneficium.*
Post Concil. Lateranen. quartum vacabat primum ipso facto.
Post Io. XXII. vacabat utrumque, si statim non dimittebatur primum.
421 *In his temporibus non erat omninò ablata optio retinendi ex pluribus unum.*
422 *Nunc non datur optio.*
423 *Potest conferri secundum beneficium cum hoc, ut dimittatur primum.*
424 *Obtento Canonicatu vacat dimidia portio, & sic in aliis.*
425 *Obtento secundo uniformi sub eodem tecto vacat primum.*
426 *Etiam tertium potest conferri cum hoc, ut priora vacent.*
427 *Obtento secundo sufficienti non vacat primum insufficiens.*
428 *Obtento secundo primum vacat ipso jure.*
429 *Retinens utrumque est ipso jure eis privatus.*
430 *Hoc habet locum etiam in Patronatu.*
431 *Etiam delegatus potest habenti beneficium dare secundum ita, ut vacet primum.*
432 *Quod obtento secundo vacet primum, habet veritatem in multis casibus.*
433 *Habentes plura beneficia statim sunt ipso jure illis privati.*
434 *Ad incurrendam pœnam Concil. necessaria est præsumptio.*
435 *Ille retinet beneficium, qui illius aliquam administrationem habet.*
436 *In uno casu datur optio.*
437 *An, qui plures retinet, teneatur in conscientia resignare, & non faciat fructus suos.*

ARTICULUS IV.

Qualiter vacent plura beneficia ex incompatibilitate eorum in eadem Ecclesia.

418 MOdus vacantiæ beneficiorum ortæ ex eo, quod beneficiatus promovetur ad aliud beneficium incompossibile habuit varietatem secundùm diversa tempora, & varias constitutiones Pontificum, unde antiqui DD. distinxerunt quatuor tempora, secundùm quæ modus vacantiæ hujusmodi diversitatem habuit; sic enim distinxit Panorm. *cap. quia nonnulli num. 3. de Cler. non resident.* & ex eo, & aliis adverterunt R. P. D. Fagnan. *cap. referente num. 6. de præb.* Hojed. *p. 1. cap. 7. num. 7.* Garz. *p. 11. cap. 5. à princip.* Barbosa *ad cap. 4. sess. 7.* Concil. Trid. *num. 20.* Primum tempus antecessit Concilium Lateranense tertium sub Alexand. III. Et in hoc tempore ei, qui promovebatur ad secundum beneficium dabatur optio, & sic illud beneficium vacabat, quod beneficiatus retinere nolebat, *ut in cap. referente, & in cap. præterea, de præbend.* Advertit verò R. P. D. Fagnan. quod licet hujusmodi duo cap. sint Alexand. Tertii, cujus etiam est *cap. quia nonnulli, de Cleric. non resident.* quod fuit desumptum ex Concil. Lateranen. 3. *cap. 13.* sub Alex. III. tamen illa duo cap. edita fuerunt ante Concil. desumpta enim sunt ex Epistolis Alexand. qui proculdubio respondisset, secundùm quod continetur *in d. cap. Conciliari*, si post illud eas epistolas scripsisset. Ex hoc igitur conjectura sumitur, quod illa duo cap. antecesserint tempus dicti Concilii.

Secundum ergo tempus fuit tempus Concil. Lateranen. 3. in quo cap. ejus 13. prout habetur *in d. cap. quia nonnulli*, restricta est libertas beneficiandi, & ablata fuit optio, & determinatum fuit, quod beneficiatus habens dignitatem, vel beneficium curatum promotus ad secundum beneficium illud amitteret, & sic vacabat secundum, non quidem ipso jure, sed debebat promotus eo privari, juxta mentem Panorm. *d. cap. quia nonnulli num. 4.* Tertium tempus fuit Concilii Lateranen. quarti sub Innocentio III. ex quo desumptum fuit *cap. de multa de præben.* In quo fuit statutum, ut si habens dignitatem, vel beneficium curatum acceptet aliud beneficium, vel dignitatem, statim vacet primum beneficium, vel prima dignitas ipso facto. Quartum tempus fuit Jo. XXII. *in quo edidit extravag. execrabilis de præbend.* In qua statuit, quod obtinens dignitatem vel beneficium curatum, recipiens secundum curatum, nisi statim adepta pacifica illius possessione dimittat primum in manibus Ordinarii sub testimonio publico, privatus sit utroque, & inhabilis ad Ordines, & beneficia, & beneficium ultimo collatum non possit conferri, nisi per Papam. 419

420 Ex decretis tamen factis in istis tribus ultimis temporibus non fuit totaliter ablata optio, quæ in usu erat in primo tempore ante Concil. Lateranense tertium. Quia *cap. quia nonnulli*, & extravagans *Execrabilis* locum non habet, nisi in habentibus dignitatem, vel beneficium curatum, si aliam dignitatem, vel curatum recipiant. Decretalis verò *de multa* locum non habet nisi in beneficiis curatis, ut explicant ibi Panorm. *in 3. Notab.* & Anchar. *n. 10.* Unde si habens dignitatem recipiebat curatum, vel habens curatum recipiebat dignitatem, vel habens aliud beneficium personalem residentiam exigens recipiebat, vel aliud simile, vel dignitatem, aut curatum, non erat privandus secundo *ex d. cap. quia nonnulli*, nec erat ipso jure privatus primo, *ex d. cap. de multa*, nec erat privatus utroque *ex extravag. execrabilis*, sed habebat optionem retinendi, quem vellet, *ex d. cap. requirente*, ut ibi notat Panorm. *num. 3. & ex cap. præterea de præb.* A jure enim antiquo non erat recedendum, nisi quantum ad id, in quo illud erat correctum, *c. constitutionem inf. de regul.* R. P. D. Fagnan. ubi sup. Garz. *d. c. 5. n. 65.*

421 Sed modò supervenit quintum tempus Concil. Triden. in quo duo statuta sunt. Primum *sess. 24. cap. 17.* Ut beneficia incompatibilia sint omnia illa, quæ habent sufficientes redditus. Secundum *in sess. 7. cap. 4.* ut per assecutionem pacificam secundi incompossibilis vacet ipso jure primum, & si beneficiatus utrumque retineat, utrumque vacet ipso jure. Et sic nunc non habet locum optio: quia insufficientia simul retineri possunt, & si sint sufficientia, vel primum vacat ipso jure, vel utrumque.

422 Sic ergo datur hic regula generalis, quod habenti beneficium sufficiens, seu incompatibile cum alio non est prohibitum aliud obtinere dimittendo primum, seu cum animo dimittendi primum habita pacifica possessione secundi, sed est prohibitum plura sufficientia, seu incompatibilia retinere, seu animo retinendi accipere. Sic enim declaravit S. Congregatio Concilii apud Garziam *p. 11. cap. 5. num. 283.* ubi per hæc verba explicavit illud Concilii *sess. 24. cap. 17. singulis conferatur. Id*, inquit, *intelligitur cum effectu, ut unum possit retinere, quia Ordinarius potest instituere præsentatum, vel conferre aliud beneficium incompatibile, vel ratione residentiæ, vel ratione sufficientiæ, dummodo habita pacifica possessione secundi beneficii dimittatur primum.* Et hoc idem sæpiùs eadem Sacr. Congreg. declaravit, & docuerunt R. P. D. Fagnan. *in cap. super inordinata num. 9. de præbend.* Garz. *dict. cap. 5. num. 84. & d. num. 283.* ex Rota in Calagurritana de Subizana coram Bravo, & in alia de Trivinna coram Orano, relata ab eodem *par. 5. cap. 3. num. 42.* & in Cæsaraugustana Capellaniæ 16. Martii 1587. coram Seraphino, & aliàs sæpè Genuen. *in praxi cap. 65. in annot. num. 15.* Barbosa *in cap. 4. sess. 7. Concil. Trident. num. 4. & in cap. 17. sess. 24. num. 31. & alleg. 62. num. 16.* ex Rota in Mutinen. Canonicatus 13. Junii 1614. coram Ubaldo Sen. ex quibus manifestum est alienam à mente Concilii esse inter-

interpretationem, Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 8. *num.* 3. *sententiis Conc. in d. c.* 4. *sess.* 7. *solum confirmare cap. de multa, de preb.* Extendit enim illud, ad omnia beneficia incompatibilia, & imponit privationem, seu vacantiam beneficiorum ipso jure, ut citati DD. docent, & declaravit sæpiùs S. Congr. Conc.

423 Ideò per assecutionem Canonicatus vacare mediam præbendam, dixerunt Garz. *num.* 114. & Barbosa *in cap.* 4. *n.* 6. *sess.* 7. *Concil. Trident.* Et pariter per assecutionem Scholasticæ vacasse ipso jure portionem, quam provisus de Scholastica in ipsa Ecclesia tenebat, subdit Barbos. *num.* 6. dicens id declaratum per S. Congr. quam sequuta est Rota in Zamoren. Canonicatus de foro 13. Martii 1598. coram Orano, & in Gienen. portionis 5. Junii 1613. coram Ubaldo. Sic quoque Canonicum obtinentem dignitatem perdere Canonicatum tanquam decisum tenuerunt Garz. *d. c.* 5. *n.* 244. & Barb. *d. c.* 4. *n.* 7.

424 Sed loquendo de incompatibilitate ratione ejusdem tecti ad majorem claritatem tres casus distinguuntur, quia beneficiatus, vel accipit secundum uniforme, vel tertium difforme, & fit triplex vel secundum difforme, & fit duplex. Quamvis beneficia sint uniformia non prohibetur beneficiatus, v. gr. Canonicus alium Canonicatum recipere dimisso primo, sed benè accepta pacifica possessione secundi Canonicatus vacat primus ipso jure. Ita ex hac nostra decret. dicendum est, *& cap. de multa*, *sup. de preben. & cap. literas*, *de concess. prebendarum*, & ibi Gloss. Panor. & alii Garzias *de benef. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 188. quam plures referens, Hojeda *de incompatibil. par.* 1. *cap.* 20. Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 11. *q.* 3. Palaus *tract.* 13. *disp.* 6. *par.* 2. §. 6. *num.* 5. Et cùm antiquitus concertatio fuerit, an ubi qui habet dignitatem, recipiat aliam in eadem Ecclesia vacet prima ipso facto, hoc negante Joanne, & affirmante Zenzelino, hodie dubitatio sublata est ex Concil. Triden. per quod universaliter accipiens secundum beneficium incompatibile ipso jure perdit primum, R. P. D. Fagnan. *cap. de multa num.* 28. *de prebend.* Quod si habens beneficium accepto secundo uniformi non dimittat primum, perdit ipso jure utrumque, ex ejusdem Conc. decreto. Palaus ubi supra, R. P. D. Fagnan. *cap. cum jam dudum num.* 69. *de preben.* Propterea quod habens tres Capellanias sub eodem tecto uniformes, si eas ex collatione Episcopi retinuerit per annum sit ipso jure omnibus privatus, tamquam resolutum docuerunt Garz. *d. c.* 5. *num.* 98. & Barb. *d. cap.* 4. *num.* 12. *Conc. Trid.*

429 In secundò autem casu triplicitatis idem R. P. D. Fagnan. *d. cap. cum jam dudum num.* 67. *& cap. cum literas num.* 3. *de concess. prebend.* existimat, quod habenti duo beneficia, si in eadem Ecclesia conferratur tertium, collatio sit ipso jure nulla. Fundamentum sumitur ex hac decretali, *& ex cap. Ordinarii*, *infr. de off. ordin.* Sed ex hoc 2. loco assertio non probatur. Nam ibi declaratur irrita collatio tertii beneficii non absolutè, sed si non sit facta juxta formam ibi assignatam, quæ in hoc consistit, quod collator prius examinet, quo jure plura beneficia, quæ habet, obtinuerit, & si super hoc legitimè dispensatus fuerit, & in tertium retinere possit cum jam prius obtentis, vel potius obtenta prius resignare teneatur. Unde ex eo textu oppositum potius deducitur, quia nimirum colligitur, quod ubi velit priora beneficia resignare, nulla sit difficultas eidem tertium conferre. Ex præsenti verò decretali videtur assertio illa probari, quia Pontifex prohibet tertium recipere, & receptum retinere, unde non solùm prohibetur retinere tria uniformia, sed & illa recipere, & sic receptio ipsa, & ex consequenti collatio est nulla. Sed nihilominus dicitur, quod neque hoc probatur, quia ut in simili declaravit S. Congreg. Concilii, ut supra recensitum fuit, hujusmodi textus debebat intelligi de receptione, seu collatione cum effectu, ita ut qui recipit, recipiat animo retinendi, & qui confert, conferat eo animo, ut recipiens retineat. Ideò DD. in hoc sensu textum intelligentes dicunt ex eo prohiberi ne aliquis sit triplex, Domin. *num.* 13. Franc. *num.* 7. qui verò resignare vult alia beneficia, & tertium retinere, non est triplex. Item verba legis intelligi debent cum proprietate, & formalitate, & non merè materialiter, qui verò habet duo beneficia, & animo resignandi priora accipit alium, non accipit tertium, imò accipit unum solum, ideò non comprehenditur sub hac decretali, & in hoc est eadem ratio de triplici, & de duplici, ut sine dispensatione possit ab Episcopo habenti duo conferri tertium, ita tamen ut priora ipso facto vacent, obtento pacificè ultimò. Quod si simus in beneficiis insufficientibus, si tertium non sit per se sufficiens vacet unum de duobus, & sit in optione retinere unum ex illis prioribus quod maluerit, Garz. *d. c.* 5. *n.* 310. & ibi expressè S. Congregatio hoc declarans Barbos. *de off. Episcop. alleg.* 62. *n.* 6. Quod si provisus velit esse triplex, vacant omnia ipso facto. Si tamen ex dispositione Episcopi aliquod priorum sit compatibile cum ultimò, poterit provisus utrumque retinere.

In tertiò casu quoque procedit regula generalis, ut non 430
sit prohibitum ei, qui habet in eadem Ecclesia obtinere, & retinere aliud sufficiens difforme, ita tamen, ut obtento posteriori pacificè, vacet prius ipso jure, quod si voluerit utrumque retinere, vacent ambo ipso facto. Sed numquid hoc est dicendum etiam in casu, in quo primum beneficium est insufficiens, ita quod obtento secundo sufficienti vacet primum insufficiens, ipso facto? Affirmat enim Garz. *dict. cap.* 5. *num.* 303. quia mens Concilii est, ut nullus habeat duo beneficia quorum alterum sit sufficiens. Sed si hic sit sensus Concilii, non erat necesse exprimere, quod habenti beneficium insufficiens possit Episcopus conferre aliud sufficiens, quia si sub conditione quod primum vacet obtento pacificè secundò, hoc potest fieri etiam si primum sit sufficiens, multò magis potest fieri, si primum sit insufficiens. Sed Concilium dicit, quod habenti beneficium insufficiens possit conferri sufficiens; & quod negat de sufficienti, concedit de insufficienti; de sufficienti verò solum negat, quod possit retineri alio sufficienti obtento; igitur hoc concedit de insufficienti. Et in hoc mens Concilii servatur, quia hujusmodi provisus non habet, nisi unum beneficium sufficiens, Palaus *d. p.* 2. §. 6. *n.* 13. Amaydenus de stylo Datariæ, *l.* 1. *c.* 16. §. 3. *n.* 18.

Supposito verò, quod primum beneficium sit sufficiens, 431
& alias non sit incompatibile ex jure, vel ex munere arbitrantur multi, quod non vacet ipso jure, sed solùm quod sit auferendus, quia illud beneficium est incompatibile cum secundo solum ratione personæ, Flamin. *lib.* 3. *q.* 1. *num.* 138. Gonzalez Gloss. 15. *num.* 26. Barbosa plures referens *alleg.* 62. *num.* 3. Palaus *d.* §. 6. *num.* 11. *&* 12. Sed hoc est manifestè contra Concilium *sess.* 7. *cap.* 4. *ubi constit. de multa de Prebend.* extendit ad beneficia quæcumque incompatibilia. Et beneficium sufficiens ex vi sufficientiæ est incompossibile cum alio, & ideò per assecutionem secundi sufficientis ipso jure vacat primum. Hoc enim declaravit Sac. Congregatio Concil. cujus multas declarationes refert Garz. *d. cap.* 5. *num.* 84. Et inter alias istas duas. Prima est ista: *Episcopus potest habenti Canonicatum, aut beneficium simplex, quod ad vitam ejus sufficit, parochialem Ecclesiam conferre, & adepta possessione parochialis vacabit Canonicatus*. Secundò: *Habens beneficium simplex sufficiens ad ejus victum, si adipiscatur pacificam possessionem parochialis Ecclesiæ sibi legitima collatæ, vacat beneficium simplex*. Et ideò hanc partem tenent R. P. D. Fagnan. *cap. de multa num.* 3. Garzias multas decisiones Rotæ ad hoc referens *d. cap.* 5. *num.* 83. *& seqq.* Barbos. *de off. Episc. alleg.* 62. *n.* 28.

Hinc est etiam, quod hujusmodi beneficia plura retinens 432
ipso jure est utroque privatus. Et pro hac veritate facit declaratio S. Congr. quam ex Jo. Vamerio refert Garz. *dict. cap.* 5. *num.* 381. his verbis: *An duo Canonicatus de jure in vim S. Conc. Trident. decretorum sint incompatibiles? Congregatio respondit esse incompatibiles. An per assecutionem secundi Canonicatus ipso jure vacet primus? Congregatio censuit post adeptam pacificam possessionem secundi, primum ipso jure vacare. An is, qui duo Canonicatus simul absque dispensatione Apostolica per triennium, & ultra detinet, utrosque ipso jure excidat in vim d. Decret. Concil. Trid. Congregatio judicavit, si duos hujusmodi Canonicatus simul retinere perrexerit, utroque esse ipso jure privatum, ex decreto Concil. Trident. An utriusque Canonicatus possessionem tueri, & deffendere valeat possessor ex regula de triennali? Congregatio respondit non posse*. Et hæc eadem docent Garz. *num.* 379. Rota *decis.* 310. *numer.* 3. *part.* 2. *recent.* Barbos. *alleg.* 62. *num.* 29. ex apud eum Armendar. & Camp. Ex cursu verò decem vel viginti annorum præsumi dispensationem, dixerunt Flam.

l. 3. *q.*6. *n.*74. Barb. *all.* 62. *n.* 30. ex Ricc. *in praxi decis.* 701. *& resol.* 593. *in* 2. *edit.*

433 An etiam Decretum Concilii habeat locum in jurepatronat. Negat Lambert. *part.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *art.* 15. asserens praxim esse, ut Episcopi instituant præsentatos, etiam si habeant tertium, & quartum beneficium. Sed affirmat Garz. *d. cap.* 5. *num.* 286. & Barbos. *allegat.* 62. *num.* 10. refert declaratum in una Benevent. 13. Novembris 1617. beneficium tertium simplex etiam de jurepatronatus, non posse retineri cum duobus aliis prius obtentis absque Sedis Apostolicæ dispensatione, hujusmodique priora beneficia post pacificam possessionem tertii vacare eidem Sedi Apostolicæ.

434 An verò delegatus Papæ habenti in Ecclesia beneficium sufficiens possit dare aliud difformæ, ita quod ex acceptatione secundi, & ejus pacifica possessione vacet primum, negat Garz. *d. cap.* 5. *num.* 289. eo quod beneficiatus sufficienter non sit persona idonea, ad hoc ut promoveatur ad aliud beneficium. Sed hoc non admittitur, quia beneficiatus sufficienter est idoneus, ut aliud beneficium recipiat primò resignato, seu vacante ex secundi possessione, Palaus *d.* §. 6. *n.* 10.

435 Itaque ergo unica regula communis hic habetur, nimirum, quod sive in beneficiis conformibus, sive in difformibus, habens beneficium vel requirens residentiam, vel sufficiens, si obtinet aliud, statim ipso jure à possessione pacifica secundi vacat primum. Quod est verum etiam si recipiens secundum adhuc sit infra tempora promotionis ad Ordines ad præscriptum, *cap. licet canon, infr. de elect.* & etiam si provisus de secundò primum habeat de jure non de facto, quia illo erat spoliatus. Et hoc est verum etiam in regularibus, *cap. cum singula infr. de elect.* quod procedit etiam in Prioratibus Monialium, *Clem. quia regulares, de supplend. negl. Prel.* Regula item procedit in eo, qui ex dispensatione Apost. obtinet plura curata; nam si ex dispositione Apostolica obtinet aliud curatum, vacabunt omnia priora. Et similiter procedit in illo, qui habet expectativam ad dignitatem vel beneficium curatum; nam si pacificè aliud incompatibile possideat, vacat illud jus ad rem quod prius ex expectativa habebat, *Clem. Gratiæ, de rescrip.*

436 Ubi verò provisus de secundò non dimittat primum statim post pacificam possessionem adeptam, vacat utrumque beneficium. Neque est attendendum aliquibus, qui fundati *in cap.* 17. *sess.* 24. *Conc. Trident.* ad hoc assignant tempus 6. mensium. Nam ibi Concil. loquitur de illis, qui tempore Concilii plures Parochiales habebant, non verò loquitur de illis, qui post Concilium præsumerint retinere plura beneficia quomodocumque incompatibilia. Sed de his loquitur *sess.* 7. *cap.* 4. & nullo concesso spatio temporis absolutè vult, quod illa tenentes sine legitima dispensatione, eisdem sint ipso jure privati, Garz. *d. cap.* 5. *n.* 77. Barbos. *in dict. cap.* 17. *sess.* 24. *Conc. Trid. n.* 52.

437 Ad hoc tamen ut hujusmodi pœna ipso jure incurratur requiritur præsumptio ex eo *cap.* 4. *sess.* 7. Unde ignorantia excludens malam fidem, & dolum ab ejus pœnæ incursu excusabit juxta dicta supra in hoc lib. *cap.* 2. *de constit. q.* 1. *art.* 25. *à num.* 538.

438 Quamvis verò ad hanc pęnam incurrendam Flores de Mena *quæst.* 13. *num.* 4. voluerit esse necesse quod provisus fructus beneficiorum perceperit, tamen Garz. *d. cap.* 5. *n.* 99. fundatus in eo quod Concil. de sola retentione loquitur, existimat, quod hæc sola sufficiat. Crediderim tamen esse necessariam aliquam administrationem, quia Concilium loquitur de retentione perfecta & cum effectu, & sic adepto beneficio ille retinet secundum, qui de facto illius aliquam administrationem habet.

439 In casu verò quod alicui simul conferantur duo beneficia, si ipse illa reciperet animo unum solum retinendi, putat R. P. D. Fagnan. *in cap. referente n.* 10. *de prabend.* quod detur optio, & sit in provisi voluntate accipere possessionem ejus, quod voluerit dimisso alio. Sed in hoc casu melius esset unum solum, quod vellet recipere.

440 Cùm verò antiquitus ad incurrendam pœnam hanc vacationis beneficiorum ob eorum retentionem fuerit necessaria litis contestatio, ita quod secundùm Vincent. & alios, ille solus pœnam hanc incurreret, qui beneficia retinebat usque ad litem contestatam; quamvis Innoc. & Panorm. senserint contrarium, *nunc & ex extravag. execrabilis*, & ex Concil. Trident. quæstio est ablata. Ipso enim jure pœna illa incurritur, ut notant Garz. *d. cap.* 5. *num.* 96. & R. P. D. Fagnan. *d. cap. de multa num.* 6. Sed addendum puto, quod licet regulariter ad hoc, ut lex pœnalis imponens pœnam ipso jure habeat executionem, necessaria sit aliqua sententia declarativa criminis, ut probavi *tract. de elect. cap.* 25. *quæst.* 51. *per totam*. Tamen hoc fallit in præsenti, & qui incurrit hanc pœnam ipso jure tenetur in conscientia resignare beneficia, saltem secundum, quod nulliter accipit, quia illud acquisitum fuit sub conditione dimissionis prioris, pœnæ autem conventionales statim in conscientia incurruntur. Ideò talis nec facit fructus suos saltem quantum ad illud ultimum beneficium, & in conscientia tenetur illos restituere. Et in casu eorum qui tempore Concilii habebant Parochiales plures, si infra spacium sex mensium non dimittebant alias una sola retenta, vacabant ipso jure illæ Parochiales, & alia beneficia, & illi in conscientia non faciebant fructus suos, ut habetur *ex cap.* 17. *sess.* 24. *Conc. Trid.*

D E C O N S U E T U D I N E.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T II.

NOn putamus illam consuetudinem quantocumque tempore de facto servatam; consonam rationi, quòd ab officiali Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari: ne ab eodem ad seipsum (cùm sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur.

S V M M A R I V M.

1 *REgula contenta in Decretali.*
2 *Per dictionem* putamus *respondetur de jure.*
3 *Consuetudo quæ destruit substantiam actus est irrationabilis.*
4 *Consuetudo irrationabilis longitudine temporis non convalescit.*
5 *Dictio* quocumque adjecta tempori immemorabile *tempus amplectitur.*
6 *Consuetudo appellandi à Vicario ad Episcopum quæ causa irrationabilis.*
7 *Officialis nomen dicitur tam de Vicario Generali, quàm de Foraneo. Hic significat Vicarium Generalem.*
8 *De essentia appellationis est, quod sit inter plures judices.*
9 *Et quod fit à minori ad majorem.*
10 *Nec statuto, nec consuetudine induci potest, ut detur appellatio à minori ad majorem.*
11 *Appellatio à majori ad minus nulla.*
12 *Episcopi & Vicarii idem tribunal.*
13 *Eamdem causam illorum quilibet cognoscit.*
14 *In causis delegatis à Sede Apostolica ne Episcopus cognoscit de delegatu Vicaria, nec è contra.*
15 *Quid in recusatione.*
16 *Si Episcopus sit suspectus, est suspectus Vicarius.*

Bre-

1 BRevis est hæc decretalis, unamque regulam continet, nimirum quod consuetudo, ut ab Officiali, seu Vicario Generali Episcopi detur appellatio ad eumdem Episcopum est irrationabilis etiam si sit immemorabilis, unde nec est observanda. Quam regulam unanimiter tradunt hic Gloss. & alii expositores, & præter eos Putens *decis.94. lib.1.* Mobedan. *decis.1. de appell.* Rota *decis.1. de off. Vicaris in antiq. alias decis.350. in novis. & decis.1131. part.3. divers.* Marant. *de Ord. judic. part.6. tit. de appellat. à num.* 380. Lancell. *in just. Canon. tit. de Vic. Episc.* Sbroz. *de Vic. Epist. l.1. q.22. num.8. & l.3. q.2.* Ugol. *de off. Episc. cap.4. §.9. num.2.* Scacc. *de appellat. q.8. num.35. & seqq.* Narbona *de appell. à Vicario ad Episcopum*, Barbosa *de off. Episc. allegat. 54. num. 46.* Gamon. *l.p. animadvers. juris cap.7. per totum*, Cuch. *Inst. l.2. tit.8.* Marchesan. *de commiss. par.1. cap.6. num.67.* Sanchez *de matr. lib.3. disp.29.* Cardona *in praxi, v. Vicarius num.8.* Azor. *p.2. l.3. cap.43. quæst.6.* Riccius *collect.* 1166. Garz. *de benef. par.5. cap.1. num.28. & 29.* D. Barb. *in l. cum prætor. §.1. num.215. & 223. & seqq. ff. de judic.* Molin. *tract.5. disp.10. num.1.* Tuschus *lit.V, concl.186. num.1. & 2.* Bero *cons.22. num.13. vol.1. & cons.149. num.3.* Gregor. *in l.2.* Gloss. *1. post med. tit.4. par.3.* Legur. *in direct. jud. Eccles. part.2. cap.16. num.3.* Rebuff. *in praxi, tit. de Vicario Episc. num.6. & 40.* Petrus Gregor. *in cap. conquerente, de off. Ordin.* Menoch. *cons.51. num.2. cum seq. & cons.52. nu.17. 108. & 160.* Suar. *de pace in praxi tom.2. prał.3. n.4.* Fermos. *in c. sua nobis de off. Vicarii q.7.*

2 Primò autem considerandum, quod per verbum *non putamus*, respondetur quod est de jure, sive sit in ore superioris, sive in ore Doctoris, aut Advocati, ut advertunt Dominicus, & Franc. *n.1.*

3 Duo autem de consuetudine habemus ex hoc textu. Primum est, quod irrationabilis est omnis illa consuetudo, quæ est contra substantiam ipsius actus, Gloss. *in v. officialis*, Archid. *num.1.* Ancbar. *num.2.* Dom. *num.4.* Franc. *num.7.* Barb. *num.12. & 13.* Propterea enim dicitur, quod consuetudo appellandi à sententia Vicarii generalis ad Episcopum sit irrationabilis, quia est contra substantiam appellationis, cùm hujusmodi appellatio nedum non sit à minori ad majorem, sed nec ad alium, sed ad seipsum, cùm idem tribunal sit Vicarii, & Episcopi. Est verò de substantia appellationis, quod sit à judice ad judicem, nimirum à minori ad majorem. Certè enim implicat, ut subsistat valor actus, qui destruitur; seu implicat, quod subsistat lex præcipiens aliquem actum, si præcipit id, quod substantiam actus ejusque naturam destruit. Pariter igitur implicat, quod subsistat consuetudo, quæ est lex non scripta, si præcipit appellari à Vicario ad Episcopum, cùm implicet hanc esse appellationem, quæ non habet naturam, & essentiam appellationis.

4 Secundum est, quod consuetudo irrationabilis, ut dictum est cap. sup. longitudine immemorabilis temporis non convalescit, ut DD. citati tradunt, quia quod contra rationem est immutabiliter, quo est diuturnius eo fit pejus; nec lex irrationabilis potest unquam habere vigorem. Ideò decernitur in textu, quod consuetudo appellandi à Vicario ad Episcopum, etiam si sit immemorabilis, non subsistat.

5 Et quidem *in quocumque tempore*. Hæc enim dictio *quocumque* ad suam universalitatem comprehendit etiam tempus immemorabile, & ideò consuetudo quocumque tempore durans dicitur etiam de tempore immemorabili, Gloss. Franc. *num.6.* Barb. *num.14.* Et ideò in textu significatur, quod consuetudo appellandi à Vicario ad Episcopum, etiam si sit immemorabilis, non valet.

6 Hæc quoque consuetudo appellandi à Vicario Episcopum ostenditur aliis rationibus non consona rationi, quia scilicet per eam confunditur magistratuum majestas, ut idem sit, qui gravat, & qui appellatur, ut defendat à gravamine. Item secundò hinc sequitur, quod subditorum usus immutat ea, quæ sunt superiorum, & judicum. Consuetudo enim initium habet à subditorum usu, ut ex dictis cap. super. constat, & sic à voluntate populi procederet immutatio circa modum judicandi, & judices quorum est dare normam populis, à populis normam reciperent judicandi, & ideò non est rationi consonum, quod consuetudine introducatur, ut liceat appellare à Vicario ad Episcopum. Ita Jo. Mon. *num.3. & 4.* Jo. Andr. *num.1.* Butr. *num.1.* Domin. *num.2.* Sed si alias non repugnaret substantiæ appellationis, quod a Vicario appellatio interponeretur ad Episcopum, sed hoc esset illi accidentale, id esset consuetudine præscriptibile, neque ex allatis modò probaretur, quod consuetudo non esset consona rationi, quia cùm vim legis consuetudo non habeat, nisi superiore consentiente, nullum est inconveniens, quod à populi usu initium habeat consuetudo, quæ vim non est habitura, nisi superiore approbante. Vera igitur ratio, ob quam hæc consuetudo est irrationalis hæc est, quia est contra naturam justitiæ, quod tribunal, quod gravavit, cognoscat de justitia gravaminis, cùm certum sit moraliter illud pronunciaturum sententiam fuisse justam, etiam si gravamen fuisset injustissimum, est verò idem tribunal Vicarii, & Episcopi.

7 Est verò hic sermo de Vicario Generali. Verum quidem est, quod aliquando hæc dictio *Officialis* Episcopi sit communis, ita quod propriè sumpta dicatur etiam de Vicario foraneo, ut habetur manifestè *ex Clem. 2. de rescript.* Ubi expressè distinguitur officialis Episcopi in Officialem principalem, qui est Vicarius Generalis, & Officialem foraneum, qui est Vicarius foraneus. Imò *in cap. fin. infr. de off. Vicarii*, Officialis distinguitur contra Vicarium generalem, ut alius sit Officialis, & alius Vicarius generalis. Itaque dictio ista officialis communis est, & convenit tam Vicario generali, quàm Vicario foraneo. Nam & idem significat, quod Vicarius, ita, quod inter Officialem, & Vicarium non rei, sed solùm nominis sit differentia, Gonzal. *ad reg.8. Canc.* Gloss. *5. §.3. num.8.* Barbosa *de off. Episc. alleg.54. num.53.* Mandos. *de commiss. in commiss. per Breve 28. Vicario, & in Reg. Cancellar. 14. q.6. num.16.* Fermosinus *in cap. sua nobis q.6. num.8. de off. Vicarii.* Propterea enim notant Barbosa, & Fermosinus quod Curiæ Romanæ stylus observat, ut in expeditionibus ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Epyrum, Cretam, Siciliam, & Corsicam Cancellaria utatur nomine Vicarii, sed ultra montes, dum scribit in Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, & in Ultramarina, ut in Africam utatur nomine Officialis, sicut testantur etiam Sbroc. *de off. Vicarii lib.1. q.2. num.10.* Mandos. *in dicto per Breve* 28. Ver. Vicario Bononien. & Hier. Paul. *in pract. Cancell. fol.7. & 8.* Quamvis verò jura aliquando distinguant manifestè Vicarium generalem vocando Officialem principalem, & Vicarium foraneum Officialem foraneum, *ut in d. Clem. de rescriptis*, aliquando tamen, ut hic, nomine Officialis simpliciter utuntur, & tunc ex subjecta materia accipiendum est, in quo sensu sumatur, ut notat Barbosa *in appellat. in v. officialis num.10.* ex Gloss. *in v. obtinentibus, cap. statutum, supra de rescript. in hoc 6.* Hic verò sumitur pro Vicario Generali, Gloss. Archid. *num.1.* Ancb. *num.2.* Dom. *num.3.* Franc. *num.8.* & alii, quos infra referam docentes regulam hujus textus non habere locum in Vicario foraneo.

8 Rationem verò reddit Pontifex suæ dispositionis, ne scilicet ab eodem ad se ipsum appelletur. Duæ enim conditiones essentiales sunt appellationi, nimirum, quod sit inter distinctos judices, & quod sit à minori judice ad majorem. Appellatio enim est de minori ad majorem judicem provocatio, *l.1. §. si quis in appellatione, ff. de appell. cap. omnis oppressus, & cap. si quis, & cap. placuit 11. q.6.* Gloss. *hic in v. officialis*, Goffred. & alii *in tit. de appell.* Panorm. *in rubr. de appell. num.3.* Silvest. & alii Summist. *v. appellatio*, Scaccia *q.2. num.1.* Et quidem quod necessario appellatio sit inter distinctos judices, & non possit dari appellatio ab eodem ad se ipsum, ratio naturalis dictat, quia judex qui gravavit sententiando non est judex competens, ut cognoscat juridicè de gravamine illato. Nam sive ex ignorantia, sive ex malitia injustam sententiam protulerit, meritò præsumitur, quod ignorantia, aut malitia sit in eo perseveratura, & quod sententiam fuisse justam defendet, cùm hoc etiam cedat in ejus laudem, & honorem, & in ejus dedecus sit futurum, si sententia ut injusta cassetur; aut certè evidens est periculum, quod sententiam à se latam sit confirmaturus; & sic est judex de jure suspectus, quoniam agitur etiam de suo interesse. Appellatio igitur est provocatio de uno ad alium judicem, quia nullus in propria causa debet judicare, Gloss. *in v. officialis*, Jo. And. Anch. *n.2.* Butr. *n.3.* Franc. *n.3.*

9 Sed & est non de majori ad minorem, seu de æquali ad æqualem, sed de minori ad majorem, ut iidem DD. tradunt, quia opus est, ut judex appellationis, qui debet cognoscere

scere de actu, & sententia inferioris judicis, habeat in illum jurisdictionem, & sic oportet, ut sit major. Quod declaratur advertendo, quod qui aliàs est minor, imò subditus judicis, qui in prima instantia sententiavit, si constituatur judex appellationis, jam fit major, ut ex Jo. Andr. advertunt hic Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 7. quia datur illi jurisdictio, ut possit de illius judicis sententia cognoscere, solus enim superior, debet corrigere, quod malè fecit inferior, *cap. si quis modo, dist.* 81. *cap. cum inferior, de major. & obed.* Dec. *in rubr. de appell. n.* 7. Marant. *p.* 6. *art.* 2. *in v. Et quandoque appellatur nu.* 3. Marchesan. *de commiss. p.* 2. *de commiss. appell. cap.* 1. *n.* 25. *& de commiss. extr. Rom. Cur. c.* 6. *num.* 114.

10 Quamobrem nec pacto, nec statuto, nec consuetudine introduci potest, ut quis possit à majori ad minorem, vel ab æquali ad æqualem appellare, quia nec statutum, nec pactum, nec consuetudo potest tollere substantialia appellationis, inter quæ hoc unum est, quod sit provocatio à minori ad majorem, Dom. *num.* 1. Franc. *num.* 7. Felin. *in princ. de appellat.* Mandos. *tract. de inhib. q.* 4. *num.* 9. Marches. *de commiss. par.* 2. *commiss. de appell. cap.* 1. *num.* 113. Scaccia *de appell. q.* 2. *num.* 6. *& sequent.* Et licet consuetudine induci posset, ut privatus, & minor esset judex appellationis. Nam & lege scripta privata persona potest institui judex, tamen ut dicebatur, tunc ille privatus fit major, & in causa appellationis est superior. Sic igitur nisi minor judex, vel à lege, vel à consuetudine, vel à Principe, seu superiore constituatur judex in causa appellationis, non potest ad illum appellari, sed omninò necesse est, ut appellatio fiat ad habentem jurisdictionem saltem ad cognoscendum in illa causa. Et ille major est, qui jurisdictionem habet.

11 Quod si quis appellet à majori ad minorem, vel ad æqualem nulla est appellatio, & nullum producit effectum, nec dat judici ad quem jurisdictionem, Scaccia *d. quest.* 2. *num.* 5.

12 Vicarii autem generalis, & Episcopi unum est Auditorium, unum Consistorium, unum Tribunal. Ex quo enim Vicarii Generales constituuntur tales tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & non in uno loco, sed in tota Diœcesi, & cum plena jurisdictione exceptis aliquibus casibus reservatis, dicuntur posse omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopi, quem adeò repræsentant, ut censeantur esse una persona cum illo. Plures enim personæ possunt esse una fictione juris, ut hic habet Dom. *n.* 1. & sic de facto sunt Vicarius generalis Episcopi, & Episcopus, propterea utriusque unum est auditorium, ut tradunt hic Gloss. Joan. Monach. & alii interpretes omnes, Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *n.* 27. Scacc. *de appellat. q.* 8. *n.* 53. Fermosinus *in c. sua nobis q.* 6. *n.* 9.

13 Et idem est, quod Episcopus cognoscit per seipsum, si vult de causa, quam incœpit cognoscere Vicarius, & è contra Vicarius potest prosequi causam, quam cognoscebat Episcopus, & coram eorum quolibet causa tractari potest modò ab uno, modò ab altero, ut habet hic Franc. *n.* 15. Dom. *n.* 11.

14 Quod tamen non est verum de causis delegatis Episcopo, vel Vicario à Sede Apostolica, quia in istis nec Episcopus potest se ingerere in causa commissa suo Vicario, quia tunc Vicarius non procedit ex Episcopi jurisdictione, sed ex jurisdictione Papæ. Sicut nec Vicarius potest cognoscere de causa commissa Episcopo, quia & illa à superiori jurisdictione dependet, Francus *num.* 4. Anchar. *in Clem.* 2. *Et si principalis numer.* 5. *de rescript.* Marches. *part.* 2. *commiss. de avoc. caus.* §. 4. *num.* 127. Scacc. *q.* 8. *num.* 56. Et ideò Cancellaria, quando vult committere causam Episcopo, sed ita tamen, ut eam cognoscere possit etiam Vicarius, id exprimit, & rescribit *Episcopo, seu ejus in spiritualibus Generali Vicario*, Marches. *de commiss. tom.* 1. *de commiss. appell. extra Rom. num.* 45. Scaccia *d. num.* 56. qui putat, quod si commissio facta sit Vicario sub nomine dignitatis tantùm, quod eo mortuo cognoscat Episc. citans Franc. *in cap. dilecti, de appell.* Sed hæc fuit quidem mens Innoc. *in c. eam te de rescript.* sed Franc. *hic num.* 4. *& cap. statutum supra de rescript. in hoc lib.* 6. *num.* 11. Expressè tenet oppositum, & ita dicendum est, sicut dictum est etiam supra *d. c. statutum num.* 65.

15 Hoc tamen quod dicitur esse idem auditorium Episcopi, & Vicarii, ita ut si appelletur à Vicario, censendum sit appellatum esse ab Episcopo, & causa ad alium judicem sit devoluta, non extenditur ad recusationem, quia ex quo sit recusatus Vicarius, non intelligitur recusatus Episcopus, Gloss. *in v. utriusque*, Archid. *num.* 2. Dom. *num.* 2. Franc. *n.* 10. Barb. *n.* 11. Sed causa recusationis coram Episcopo erit discutienda. Vicarii enim recusatio inhæret ossibus ejus, & est personalis concernens ejus personam, non verò jurisdictionem. Ideò in casu, quod Vicarius sit suspectus Episcopus potest alium judicem delegare, Marches. *par.* 1. *de commiss. app. ext. Rom. n.* 114. & Gloss. hic *in v. officialis, & in v. utriusque.*

Sed tamen si sit suspectus Episcopus, quod possit allegari suspectus ejus Vicarius tradit idem Francus *num.* 10. & dixerunt Panorm. *in cap. insinuante num.* 2. Imol. *num.* 10. Felin. *num.* 1. *de off. & potest. jud. deleg.* Rota *decis.* 2. *num.* 22. *part.* 2. *recent.* March. *de comm. part.* 1. *de commiss. appellat. extra Rom. num.* 123. Scaccia *de appell. q.* 8. *num.* 68. Nam & Vicario præcipere potest Episcopus, Panorm. *in cap. insinuante num.* 2. ubi Imol. *num.* 10. Felin. *num.* 1. *de off. deleg.* Præpos. *in cap. dilecti el* 3. *num.* 21. *de appell.* ubi Franc. *num.* 20. Marant. *par.* 6. *de appell. num.* 28. Caputaquen. *decis.* 77. *num.* 9. Cùm autem Bal. oppositum senserit *in l.* 1. *num.* 4. *Cod. si quæ præd. potest.* Marches. ubi suprà, illud dictum explicat ut possit esse verum de jure civili. Quod non admittitur ex dictis infra, vel si Episc. seorsum habitat, ex Franc. *cap. dilecti num.* 54. & Felin. *d. cap. insinuante num.* 1. Sed neque hoc caret instantia, quia Vicarius semper dependet ab Episcopo, qui etiam si distet, potest Vicario præcipere, si non expressè, tacitè, & illius animum subvertere. 16

SVMMARIVM.

17 *Rationes ad quæstionem.*
18 *A Vicario non appellatur ad Episcopum.*
19 *Etiam in appellatione extrajudiciali.*
20 *Nec licet supplicare.*
21 *Nec de consensu partium valet hæc appellatio.*
22 *Nec à Vicario Capitulari ad Capitulum.*
23 *Declaratio regulæ positæ.*
24 *A Vicario Principis ad Principem datur appellatio.*
25 *Et datur supplicatio pro restitutione in integrum.*
26 *Et potest dici de nullitate.*
27 *Et datur appellatio à Delegato.*
28 *Nisi Episcopus delegasset, quia esset suspectus.*
29 *Et nisi adesset fraus: quod explicatur.*
30 *A subdelegato per Vicarium appellatur ad Vicarium.*
31 *A subdelegato appellatur ad delegantem. Si aliquid jurisdictionis sibi retinuit.*
32 *A Vicario foraneo appellatur ad Episcopum.*
33 *Et a Vicario civitatis.*
34 *Et à judice subdito.*
35 *Et à Vicario generali ubi est delegatus.*
36 *Et hoc est verum etiam de jure civili.*

Quæst. un.

De appellatione à Vicario ad Episcopum.

ARTICULUS UNIC.

Vtrum appellatio à Vicario Episcopi ad Episcopum sit valida.

Videtur enim ita esse, quia id potest induci consuetudine, quod potest firmari pacto, quia quod potest firmari pacto, valet ex consensu partium, & sic potest etiam per consuetudinem induci consentiente Principe, & populo; potest verò firmari pacto, ut sit valida appellatio à Vicario ad Episcopum, quia si partes in hoc conveniunt, poterit Episcopus de justitia causæ cognoscere. Item secundò non valet ratio, quæ in contrarium assignatur in textu, quia scilicet non datur appellatio ob eodem ad se ipsum, quia si Episcopus sit Canonicus ab electione in qua Episcopus est unus de vocalibus provocatur ad eundem Episcopum, *c.* 2. *de appell.* & pariter appellatur ab Episcopo ad Synodum, in quo Episcopus præsidet tanquam Judex, Archid. *n.* 1. 17

Di-

18 Dicitur nihilominus, quod à Vicario generali Episcopi non datur appellatio ad Episcopum, sed ab eo appellatur ad Archiepiscopum, vel immediatè ad Papam, sicut placuerit gravato. Ita habetur in textu & tenent omnes textus interpretes, & DD. citati *n.* 1.

19 Hoc verò extenditur primò, ut verum sit etiam si à Vicario ad Episcopum appelletur extrajudicialiter, Barbosa hìc *num.* 3. Fermosinus *in cap. sua nobis, quæst.* 6. *num.* 22. *de off. Vicarii*, Rota *decis.* 7. *de off. Vicarii aliàs* 371. *in novis.* Nicelus in concordia Glossarum *à num.* 81. Narbona *de appell. à Vicarii num.* 167. Sbroc. *de off. Vicarii l.* 3. *q.* 2.

20 Extenditur secundò, ut nec liceat supplicatio propriè dicta à Vicario ad Episcopum, Barbosa *de off. Episcopi, allegat.* 54. *num.* 49. *& hic num.* 4. cum Marant. Bertach. Cuccho, Sfort. Jacob. Laurea, Fermosinus *d. cap. sua nobis q.* 6. *num.* 23. & post Innoc. & Host. Archid. *in cap. Romana n.* 2. & ibi Gem. *num.* 6. *de appellat. Capella Tolos. decis.* 379. & ibi Stephanus Aufredus, Sbrocc. *lib.* 1. *de off. Vic. quæst.* 12. *per totam*. Narbona *de appell. à Vicario num.* 168. Et licet non defuerint, qui existimaverint posse à Vicario supplicari ad Episcopum, ut apud Scacciam *quæst.* 8. *num.* 79. quod voluit etiam Marches. *p.* 1. *cap.* 6. *de commiss. appell. extra Rom. num.* 118. ex Anch. *in cap. Anteriorum* 2. *q.* 6. tamen res est evidens. Nam ut habeatur quod Episcopus concedere potest, simul potest ipse supplicari, ut id concedat. Sed non potest Episcopus de re judicata à Vicario generali suo vel ipse cognoscere, vel ejus cognitionem delegare. Et ideò nec licet adversus causam à suo Vicario judicatam ad eum supplicationem porrigere, Scacc. ibidem ex Franc. *cap. Dilecti* 66. *q.* 9. *num.* 44. *de appell. & cap. Romana infr. eodem tit.* Franc. *num.* 5. & Dom. *num.* 6.

21 Extenditur tertiò, & neque de consensu partium valeat hæc appellatio; quamvis enim partes possint renuntiare appellationi ad alium judicem interpositæ à Vicario, & causam remittere arbitrio Episcopi determinandam. Nam renuntiata appellatione partes de consensu communi possunt litigare etiam coram eodem Vicario. Nihilominus sicut non possunt appellare à Vicario ad Vicarium, sic non possunt appellare ad Episcopum, quia essentia appellationis est, ut sit ad aliud auditorium. Ideò ex quo appellatio à Vicario ad Episcopum interponatur de consensu partium, non deest appellatio esse nolla, Fermosinus *d. q.* 6. *num.* 21. Jo. Andr. hìc, Specul. *tit. de appell.* §. *Nunc tractamus, n.* 4. Sbrocc. *de off. Vicarii Episc. l.* 3. *q.* 1. *num.* 11. *&* 12. Tuschus *lit. A, concl.* 349. *num.* 5. Narbona *de appell. à Vic. n.* 165. *&* 166.

22 Extenditur quartò, ut nec à Vicario Capitulari detur appellatio ad Capitulum eadem ratione, quia est idem consistorium Barbos. hìc *num.* 5. post Pavin. *de potest. Vicar. cap.* 2. *p. q.* 10. *n.* 24.

23 De solo tamen Vicario generali Episcopi quatenus procedentis authoritate sui officii ordinaria, & de sententia sola diffinitiva intelligitur principalis assertio. Unde sequitur primò, quod à Vicario Papæ, aut cujuslibet Principis non habentis superiorem detur ad Papam, aut ad Principem appellatio, quia aliter non haberet gravatus ad quem refugeret, cùm nullus alius sit supra talem Vicarium nisi Papa, aut Princeps, Scacc. *de appellat. q.* 8. *n.* 84. March. *de commiss. p.* 1. *de commiss. appell. extra Rom. num...*

24 Infertur secundò, quod ab interlocutoria sententia provocari potest à Vicario ad Episcopum, quia enim hanc sententiam ipse Vicarius revocare potest. Neque enim proferendo illam sententiam plenè functus est officio suo, sed appellatio ista interponitur à gravamine illato nondum lite finita. Ideò & ad eumdem judicem potest appellari ab interlocutoria, Gloss. *hic in v. officialis*, Lap. *num.* 1. Dom. *n.* 3. Franc. *num.* 4. Barbos. *num.* 6. Puteus *decis.* 503. *lib.* 2. Marches. *de commiss. par.* 1. *de commiss. appell. ext. Rom. num.* 116. Scacc. *de appellat. q.* 8. *num.* 73. Fermosinus *d. cap. sua nobis q.* 9. *num.* 11. Narb. *de appellat. à Vic. num.* 175. Quod tamen explicat Scacc. *num.* 74. ut non procedat nisi respectu ejus sententiæ, quam ipse Vicarius posset revocare, *& num.* 75. ut si contingat gravatum non appellare ad eumdem Vicarium, vel ad Episcopum, sed ad alium, causa non possit eidem Vicario, aut Episcopo delegari, nisi à supremo Principe ex certa scientia. Aliàs si delegaretur ab inferiore delegatio esset nolla, & non esset necesse excipere de suspicione, cùm hæc suspicio sit juris, & de jure, quæ non indiget recusatione. Ita Scacc. citatus.

Infertur tertiò, quod potest supplicari Episcopus, ut restituat in integrum contra scientiam latam à suo Vicario. Nam & Vicarius ipse potest damnatum restituere in integrum contra sententiam à se latam contra ipsum. Nam multum differunt appellatio, & hæc supplicatio. Nam appellans conqueritur de iniquitate, & injustitia judicis, & quærit, qui defendat ipsum contra illum, & ideò merito non possunt Vicarius, aut Episcopus per viam appellationis cognoscere de injustitia sententiæ latæ à Vicario. Sed supplicatio pro restitutione in integrum innititur, vel supplicantis errore, cujus petitur venia, vel circumventione adversarii, *ut in l. in causa* 16. §. *fin.* ubi Gloss. Bart. Alber. & Bald. *in l. præfecti* 17. *& l. præses* 47. *ff. de minor.* Quamobrem non est inconveniens, quod Episcopus contra sententiam sui Vicarii restituat gravatum in integrum, Panorm. *cap. ex literis num.* 11. *in fin. & cap. cum ex literis num.* 3. *de in integ. restit.* Fermosinus *dict. cap. sua nobis q.* 7. *num.* 7. *de off. Vicarii*, Scaccia *de appellat. q.* 8. *num.* 80. Jo. Andr. *in cap. Romana, inf. de appellat.* Sfortia Oddus *de in integ. rest. q.* 32. *art.* 27. *n.* 146. Capell. Tolos. *dec.* 479. Et ita extensio supra posita, ut nec liceat supplicare à Vicario ad Episcopum debet intelligi, ut dicebatur, de supplicatione propriè adversus rem judicatam, non verò de supplicatione largo modo, quæ respicit restitutionem in integrum, Fermosinus *n.* 8. Scacc. *d. n.* 80. 25

Infertur quartò, posse gravatum dicere de nullitate sententiæ Vicarii, & ad Episcopum recurrere, ut de ea nullitate cognoscat, Dom. hic *num.* 3. Franc. *num.* 10. Barb. *n.* 7. Vant. *de null. tit.* coram quo nullitas proponi possit *num.* 20. Sbroc. de Vicariis *lib.* 3. *q.* 10. *num.* 1. Scacc. *de appell. q.* 8. *num.* 77. ex Bertach. & Marant. Nam & ad Vicarium ipsum posset recurri, ut de nullitate sententiæ suæ cognoscat, & ideò Vicarius etiam de nullitate latæ à sententia Episcopi cognoscere potest. 26

Infertur quintò, quod à delegato Episcopi ad certum locum, vel ad certam causam appellatur ad ipsum Episcopum. Ratio est, quia à delegato appellatur ad delegantem, *cap. super quæstionum*, §. *porrò de off. & potest. jud. deleg. cap. dilecti de appell.* Fermosinus *cap. sua nobis quæst.* 6. *num.* 10. Scacc. *de appellat. quæst.* 7. *num.* 63. *& quæst.* 8. *num.* 31. *&* 34. Barbos. *de off. & pot. Episc. alleg.* 54. *num.* 22. *&* 23. Loterius *de re benef. lib.* 1. *q.* 23. *n.* 46. Tuschus *lit. A, concl.* 352. *num.* 4. & apud Fermosinum citatum, Matthæus à Pizzella, Mastrill. Valenzuela, Rodericus, Molina, Ricc. & D. Barbosa. Propterea à delegato Episcopi ad ipsum Episcopum appellatur, Gloss. *in v. officialis*, Jo. Mon. *num.* 4. Archid. *num.* 2. Joan. Andr. *num.* 2. Anchar. *num.* 1. Dom. *num.* 7. Franc. *n.* 9. Scaccia *q.* 8. *num.* 26. Barbosa *alleg.* 54. *num.* 22. Fermos. *d. q.* 6. *n.* 10. 27

Restringitur tamen hæc illatio primò, ut non procedat, quando Episcopus delegavit causam, quia erat suspectus, in hoc enim caso à delegato ab Episcopo non appellatur ad ipsum Episcopum, sed ad superiorem, Scacc. *de appellat. q.* 7. *n.* 42. *& q.* 8. *n.* 19. *&* 27. & ex Specular. Francus, Socc. Felin. Maranta, & alii. 28

Non procedit etiam quando Episcopus delegaret in fraudem. Posset enim hoc modo legem appellationum eludere, delegando causam, eamque ad se per appellationem reversam iterùm secundò, & tertiò delegare, & quia à tertia sententia non datur appellatio, posset facere, ut ad Metropolitanum numquam appellatio perveniret. Non licet ergo Episc. uti hac fraude, Archid. *num.* 2. Anch. *num.* 2. Butr. *num.* 4. Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 6. Barb. *num.* 9. Scaccia *d. q.* 8. *n.* 28. Ubi quod Episcopus propter hoc posset excommunicari secundùm Panorm. *cap.* 66. *dilecti el* 3. *num.* 18. & Franchum ibid. *q.* 3. *n.* 37. Dom. *c. Rom. num.* 3. *inf. de appell.* ubi Franch. *num.* 5. Ea conjecturis verò deduci si fuit fraus, dicunt citati DD. Ego tamen ubi de his fraudibus est sermo, semper advertendum puto, quod finis extrinsecus operantis, etiam pessimus, licet malam faciat actionem extrinsecè, non potest tamen facere, quod actio intrinsecè sit injusta, si non est talis ex objecto, seu ex fine operis, qui est finis intrinsecus. Et cùm Episcopus possit causas suas delegare, si utendo jure suo illas deleget secundùm quod justitia exigit, numquam erit intrinsecè frau- 29

dulenta commissio, & delegatio, etiam si finis ejus extrinsecus esset, ut à suo tribunali causa non discederet. In hoc enim casu hic extrinsecus finis erit causa, quam dicunt impulsivam, & propriè erit finis ea parte operantis, non ex parte operis, & delegatio erit valida.

30 Infertur sextò, quod à subdelegato per Vicarium ad eumdem Vicarium delegantem appellatur. Ita Gloss. Jo. Monach. Jo. And. Dom. & Franc. citati. A subdelegato enim ad delegatum, qui subdelegavit interponitur appellatio, Specul. *tit. de appell. §. nunc tractemus n. 3. & 10.* Quod est verum etiam de subdelegato à delegato Papæ, quia ab eo ad proximum delegantem datur appellatio, *c. si delegatus in fin. inf. de off. jud. deleg.* ubi Jo. Andr. Butr. Panorm. & Felin. Rebuff. *tract. de appell. in præf. num.* 33. Nam cùm delegatus à Papa repræsentet Papam, meritò ad ipsum à subdelegato appellatur, *cap. 27. super quæst. §. porro de off. & pot. jud. delegati.*

31 Quod tamen procedit si delegatus, qui subdelegavit sibi aliquid jurisdictionis reservavit. Ita Jo. Andr. Butr. Panorm. Felin. & alii *ad dict. §. porrò*. Item Panorm. *cap. dilecti el 3. num.* 11. & 19. & ibi Fran. *num. 25. de appellat.* Marant. *part. 6. art. 2. v. & quandoque appellatur, num.* 386. & quod Cancellaria non det judices appellantibus à subdelegato delegati Papæ dato non in totum refert Jo. And. *d. cap. si delegatus, de off. & potest. Iud. deleg. infr. in hoc 6.*

32 Infertur septimò, quod à Vicario foraneo, quem dicunt, datur ad Episcopum appellatio, ut per Jo. Andr. Anchar. Butr. *num.* 4. Domin. & Franc. *num.* 6. Barbos. *num.* 8. Rota *decis. 3. de off. Vic. aliàs* 350. *in novis. & decis. 297. num. 1. p. 2. divers.* Marches. *de commiss. par. 1. cap. 6. de commiss. extra Rom. num.* 117. Tuscus *lit. A, conc. 350. num. 43. & lit. V, concl. 180. num. 6. & 183. num. 9.* Sanchez *de matr. l. 3. disp. 29. num. 10. & 12.* Garz. *de benef. p. 5. cap. 8. num. 29.* Scacc. *de appellat. q. 8. num.* 72. Covar. *pract. part. 4. num. 8.* Sbroc. *de Vic. l. 2. q. 62. num. 6. & 7. & lib. 3. quæst. 6. num. 24. & 25.* Fermosinus *cap. tua nobis q. 26. num. 9. de off. Vicarii*, & apud istos quam plures, & ratio est, quia hujusmodi Vicarius est delegatus, nec residet in illo ordinaria Diœcesis potestas. Nec obstat, quod sit datus ad universitatem causarum; quia etiam si hoc esset, quia datur pro certo loco, ut pro civitate, oppido, aut certa Diœcesis parte, non est generalis, nec habet universalem jurisdictionem ordinariam, sed partem sibi ad libitum delegatam, & propterea non est Ordinarius, sed delegatus. Quamobrem meritò rejicitur Gemmonius *lib. 1. animadver. cap. 7. num.* 88. ubi voluit quod à Vicario foraneo non possit ad Episcopum appellari, quia ipse simpliciter dicitur Officialis Episcopi, sicut Vicarius generalis, nam licet sit Officialis Episcopi, tamen non nisi delegatus, & partialis, nec habens simpliciter idem auditorium, & consistorium cum Episcopo, & ideò ab eo potest ad Episcopum appellari, Sanchez *lib. 3. de matr. disp. 29. num. 2.* Garz. *d. cap. 8. num.* 32. Narbona *de appellat. à Vic. num.* 5. Fermosinus *d. q. 6. num.* 11. Barbosa *all. 54. n. 25.*

Infertur octavò, quod eadem ratione potest provocari à Vicario, qui sit Vicarius illius ejusdem civitatis, in quo manet Episcopus, sed non sit Vicarius generalis, quoniam iste non est nisi Vicarius foraneus, Barbos. *d. alleg. 54. num. 18. & 24.* Garz. *d. cap. 8. num.* 33. Sanchez *d. disp. 29. num.* 11. Fermosinus *d. q. 6. num.* 8. Mohedan. *decis. 5. num. 3. de appellat.* Sbrocc. *de Vicar. lib. 1. q. 23. num. 4. & 29.* Valenz. *cons. 192. num.* 12. Marches. ubi supra *n.* 117. Neque ex eo esset dicendus generalis, quod esset constitutus ad universitatem causarum, nam semper est localis, & propter hoc foraneus, & non habens jurisdictionem à jure, sed ab Episcopo. 33

Infertur nonò, quod etiam à subdito ejusdem Episcopi licet ad eumdem appellare, quia tunc appellatio est à minori ad majorem, ut hic habent Gloss. *in v. auditorium*, Jo. And. *n. 2.* Dom. *n. 7.* Franc. *n. 8.* 34

Infertur decimò, quod ubi Vicarius Episcopi in aliqua causa speciali sit Episcopi delegatus, nimirum si in aliquo ex casibus exceptis, quos Episcopus non commisit in constitutione officii Vicariatus, postea cognitionem specialiter committat, potest appellari ad Episcopum. Tunc enim Vicarius non ex jure officii sui, sed ex speciali commissione, & delegatione procedit, unde in simili causa non est idem tribunal Episcopi, & Vicarii, & ideò ab eo ad Episcopum delegantem datur appellatio, Gloss. *in v. officialis, & infra cap. 2. de off. Vic.* ubi Lap. *num.* 12. Anchar. *num.* 2. Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 4. Barbosa hic *num.* 11. Rota *dec. 7. de off. Vicar. in antiq. alias decis. 371. in nov.* Sanchez *d. disp. 29. num.* 6. Garz. *d. cap. 8. num.* 40. Fermosinus *d. q. 6. num.* 18. Narbona *de appell. à Vic. num. 251. p. 1.* Quod tamen non procederet, si cognitio talis casus excepti collata fuisset Vicario in institutione illius, & generali commissione, quia tunc ad ordinariam Vicarii potestatem cognitio illius casus pertineret. Sicut idem dicendum esset, si in nova commissione data ab Episcopo esset clausula *ampliantes, & extendentes priorum potestatem per nos commissum*. Ita Sanchez *d. disp. 29. num.* 8. Barbosa *de off. Episc. alleg. 54. num.* 52. Narbona *num.* 255. Fermosinus *n.* 19. 35

Cùm verò aliqui voluerint de jure civili ab Officiali generali posse appellari ad ejus Ordinarium, rejicit hoc Scaccia *de appellat. q. 8. num. 87.* ex Franc. *inf. cap. Romana num. 5. & ex l. 32. præcipimus C. de appellat.* Et meritò hoc asseritur, quia ea natura rei est, quod officialis generalis, in quo est depositata sui Ordinarii potestas universalis, censeatur habere unum adjutorium cum suo Ordinario, & censeatur unus cum illo, non potest verò dari appellatio ab eodem ad idem. 36

DE CONSUETUDINE.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

NOn est (dum tamen aliàs sit præscripta canonicè) consuetudo, quam allegat Episcopus; reprobanda: quòd in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium sui Capituli requirere minimè teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Dubitant aliqui an hoc cap. ritè sit situatum sub hoc titulo.*
2 *In casu hujus decretalis non habet locum præscriptio propriè, & quatenus haberet adhuc casus principalius pertinet ad consuetudinem.*
Lex lata ad commodum tertii non dat illi jus, nisi sit lata principaliter ad commodum illius.
3 *Hoc declaratur exemplis.*
4 *Ex jure communi Capitulum non habet jus privatum, ne Episcopus sine ejus consilio non procedat ad correctionē.*
In casu hujus decretalis non habet locum præscriptio, sed consuetudo.
5 *Quando tertius habet jus ex lege non præscribitur illud jus nisi lege abrogata.*
In casu nostro prius derogandum fuit juri communi.
6 *Consuetudo lex est.*
Hoc cap. debuit poni sub hoc titulo.
7 *Conclusio textus.*
8 *Obligatio, seu libertas requirendi consilium potest præscribi.*

Lex

Lex data ad favorem alterius potest consuetudine abrogari.

9 *Quomodo consuetudo debeat esse præscripta.*

10 *Ad consuetudinem Franeus 6. requirit.*

11 *Delegatus ad inquirendum non potest punire.*

12 *Et ardua & non ardua possunt consuetudine rationabili præscribi.*

13 *Punire &c. non competit Vicario Episcopi, nisi ex commissione speciali.*

14 *Episcopus ex consuetudine non tenetur in puniendis excessibus accipere consilium Capituli.*

15 *Quando agere sine consilio reddat actum nullum.*

16 *Episcopi præscripserunt ut quantum ad jurisdictionalia procedant sine consilio Capituli.*

1 VIdetur quòd hoc cap. non sit benè situatum sub titulo de consuetudine, sed quod poni debuisset sub titulo de præscriptionibus. Nam ubi agitur de tollendo jure tertii agitur de præscriptione, hic verò agitur de tollendo jure Capituli. Secundò, quia tunc agitur de consuetudine, ubi agitur de quærendo jure contra omnes homines loci, hic verò solum agitur de quærendo jure contra Capitulum. Joan. Andr. hic existimat, qood in præsenti adsit & præscriptio, & consnetudo, scilicet præscriptio in quantum derogatur jure Capituli; consuetudo verò in quantum tollitur solitum, & per novum usum abrogatur usus antiquus, qui erat ut Episcopus sine consilio Capituli oon inquireret, & corrigeret. Et ita etiam ex Jo. de Fano, sentit hic Domin. *n.1.* dicens, quod respectu Capituli hic est præscriptio, sed respectu corrigendorum est consuetudo. Joan. verò de Lignano apud Domin. reprehendens Jo. Andr. ait hic agi propriè de consuetudine, quia procedere in corrigendo sine consilio, vel cum consilio Capituli tangit totum populum, alias verò hic adest actuum pluralitas, & temporis diuturnitas, & tacitus consensus Cleri, & populi; adsunt igitur omnia requisita ad consuetudinem, unde meritò hoc cap. situatum est sub titulo de consuetudine, Suarez etiam *lib. 7. de legibus cap. 9. num.* 2. indicavit hic non esse forsan sermooem de consuetudine propriè, sed accipi consuetudinem pro præscriptione, quia singularis persona non potest inducere consuetudinem, Episcopus verò est singularis persona.

2 Sed dicendum est casum hunc contineri sub consuetudine propriè, non verò sub præscriptione & quatenus sub hac contineretur, nihilominus per prius, & principalius spectaret ad consuetudinem, quam ad præscriptionem. Totum hoc probatur ex stabilitis supra *cap.* 1. *q.* 1. *art.* 1. in hoc tit. præmittendo tamen, quod Capitulum numqoam habuit jus justitiæ commutativæ contra Episcopum, ut Episcopus non corrigeret, sine ejus consilio. Est enim supponendum, quod lex disponens aliquid, quod est favoris alicujus non dat illi jus justitiæ commutativæ, oisi id faciat principaliter ob privatum illius commodum, & utilitatem. Quia justitia commutativa est inter privatas, seu particulares personas, ut habetur ex D. Thom. 2. 2. q. 58. *art.* 7. & respicit illorum jus, & ponit æqualitatem inter illas, & facit, quod unicuique proprium jus tribuatur; ideò tunc solum ex lege coosequitur justitia commutativa, quando ob commodum personarum singularium principaliter aliquid per legem disponitur, ex intentiooe dandi illis jus, & dominium, aut quasi dominium ejus, quod lex disponit ut fiat. Sed quando lex ex alterius virtutis motivo aliquid disponit in commodum tertii, tribuit quidem tertio illi jus quoddam, quod potest dici legale, ex quo tertius ille potest implorare officium superioris, ut faciat legem observari, ex qua illi resultat utilitas. Sed non habet ex hoc jus justitiæ commutativæ, quod est jus propriè dictum, quia lex non respexit principaliter commodum illius tertii, nec mota fuit ex honestate justitiæ commutativæ, vel intendit illam inducere, sed ex alterius virtutis intuitu disposuit, quod legislatori benè visum fuit.

3 Sic si quis in Dei cultum mandet in suo testamento dari eleemosynam pauperibus nullo eorum determinato, nec intendens alicui eorum tribuere jus justitiæ commutativæ, tunc si hæres non det eleemosynam est quidem injustus in testatorem, sed non in pauperes, quorum oullus nec divisim, oec collectivè habet proprium jus ad illam eleemosynam, quia hoc non fuit intentum à testatore. Sed hoc evidens est in lege, quæ v. g. ne vita civium lædatur, si præcipiat, ne aliquis deferat arma, quod quidem redundat in utilitatem cujuscumque, non per hoc dat cuique jus justitiæ commutativæ, & ut possit prætendere ex justitia, quod hic, vel ille arma non deferat, & ita ut qui defert arma contra legem sit ex hoc injustus contra singulos de civitate. Quia lex hanc justitiam nec respexit, nec intendit; sed ad bonum commune respexit, & legislator ex justitia legali legem edidit, nulli interim intendens conferre jus justitiæ privatæ, quod est jus justitiæ commutativæ; ideò ad hoc quod usu abrogetur similis lex nulla est necessaria præscriptio propriè dicta, quæ respicit jus privatum alterius, sed sufficeret consuetudo, quæ respicit jus legale, cùm ipsa consuetudo facti inducat legem, & consuetudo juris sit lex.

4 At verò sic est, quod jura quæ statuerunt Episcopum non procedere ad corrigendum sine consilio Capituli, non fecerunt hoc in privatum commodum Capituli, sed ob bonum publicum, ut publicum Ecclesiarum, & ut consultius, sanctius, & cum summa rectitudine judicium procederet. Unde non per hoc Episcopus, qui contra hujusmodi jura egisset fuisset iojustus, & ad aliquam restitutionem obligatus ex justitia commutativa violata, sed solum ex violata obedientia, & justitia legali. Tam ergo Jo. Andr. quàm alii citati supponunt hoc, quod ab illis probandum fuisset, quod scilicet, in Capitulo sit, vel fuerit jus proprium, quod est justitiæ commutativæ contra Episcopum, ut sine Capituli consilio ad corrigendum non procederet. Ubi verò non est jus justitiæ commutativæ, quod est jus privatum, non potest habere locum præscriptio, cujus essentia est auferre privatum jus ab uno & alteri tradere. Hic ergo non est præscriptio, quia nec est jus privatum, sed jus publicum justitiæ legalis. Nec quis æquivocet, dicendo quod jus Capituli sit jus publicum, quia jus proprium prout est justitiæ commutativæ semper est privatum, & respicit communitatem tanquam fictam personam privatam, & particularem, solius verò justitiæ legalis est respicere boourn ut publicum, & jus publicum promovere.

5 Sed etiam dato, quod in Capitulo fuisset jus proprium contra Episcopum, adhuc in hoc casu præscriptio interveniret solum secundariò, & materialiter, & dispositivè, sed principaliter interveniret consuetudo. Ubi enim tertio convenit jus ex lege, illud jus non est præscriptibile, nisi lege abrogata. Ideò sola præscriptione etiam centenaria, & millenaria non potest illud jus tolli; quia manente legis tribueotis illud jus vigore, manet jus, quod est legis effectus. Ut ergo jus illud præscribatur, necesse est, quod abrogetur lex illud conferens, at verò lex non nisi lege abrogatur, & sic solum vel lega scripta, vel consuetudine, quæ est lex non scripta tollitur. Ubi igitur est lex scripta per prius, & principalius est, quod consuetudine tollatur lex; quàm quod præscribatur validè, & cum effectu jus, quod dependet ex lege, & quod tertiò non nisi ex lege, & vivente lege competit. Cùm ergo Capitulum non habuerit jus contra Episcopum, ut ille sine ejus consilio non procederet ad correctionem, nisi quia jus commune sic voluit, & disposuit, per prius vel lege scripta, vel consuetudine (ut factum fuit in casu hujus decretalis) derogandum fuisset juri communi, quàm potuisset jus illud contra Capitulum præscribi.

6 Rationes verò dubitandi non tangunt præcipuam differentiam præscriptionis à consuetudine, quæ est ista, quod illa respicit jus privatum, & ista jus publicum, & ad istam non est necesse quod acquirat aliquod jus justitiæ commutativæ, sed quod legem inducat, vel quod sit lex inducta. Consuetudo enim juris est lex, sive sit lex novam inducens obligationem, sive à prioris legis obligatione eximens; qualis est in casu istius Decretalis consuetudo eximens Episcopum ab obligatione juris commonis obligantis eum ad adhibendum in correctionibus Capituli concilium. Quod verò etiam particularis Prælatus possit inducere consuetudinem probatum est suprà *cap.* 1. *q.* 1. *art.* 4. Unde propriè hoc cap. poni debuit sub tit. de Consuetudine.

7 Unicam verò regulam continet nostra hæc decretalis, quæ est ista, scilicet, Consuetudo quæ sit canonicè præscripta, qua Episcopus non tenetur requirere consilium Capituli, dum inquirit, punit, & corrigit excessus subditorum non est reprobanda. Quam regulam amplectuntur hic interpretes omoes.

8 Ex hac verò deducitur, quod consilium requirendum ab ali-

aliqoo sit res, quæ præscribi possit, & sic, quod tam Episcopus, vel judex possit contra Capitulum præscribere libertatem ab onere petendi consilium, vel Capitoli, vel cujuscumque alterius, quàm Capitulum, vel alius possit contra Episcopum, vel judicem præscribere obligationem requirendi ejus consilium. Ita Jo.Andr.& Domin.*n.*1.Franc.*n.*2. Sed melius deduxissent, quod lex data ad commodum, & utilitatem alicujus potest altera lege, vel consuetudine abrogari, sicut consuetudine abrogatum fuit jus commune obligans Episcopum ad requirendum consilium Capituli in corrigendis excessibus subditorum.

9 Requiritur tamen ad hanc consuetudinem, quod sit præscripta canonicè. Sic semper jura ad consuetudinem requirunt, quod sit præscripta canonicè. Ad hoc verò ut consuetudo sit canonicè præscripta, duo hæc scilicet bonam fidem, & titulum, requirunt Gloss.*in v.canonicè*, Domin.*n.*4.Gloss. approbans. Jo.And.autem, quem sequitur hic Franc.*n.*2. vult non esse necessarium titulum. Veritas est, quod ubi per consuetudinem derogatur juri tertii, quia tunc necessaria est præscriptio propriè, ad quam de jure canonico requiruntur bona fides, & titulus, etiam ad consuetudinem talem ut sit præscripta bona fides, & titulus sunt necessaria. Sed ubi per consuetudinem non derogatur juri tertii, nec est necesse, quod consuetudo sit propriè præscripta, nec requiruntur titulus, & bona fides, sed sufficit, quod sit præscripta quantum ad tempus, seu per tempus necessarium ad præscribendum, quod esse tempus 40.annorum dixit hic Archidiac. Sed videantur dicta supra *cap.*1. *quest.*1. *art.*8.

10 Se autem ad consuetudinem requirit hic Franc. *n.*3. Sed non oportet repetere ea, quæ cap.1. probata sunt, & præcipuè *q.*1.*art.*1.3.7.*&* 8.

11 Multa etiam hic habet Archid.disputans, an Ordinarius possit inquirere non præcedente fama; quæ ad alium locum spectant. Hinc notandum, quod ex hoc textu colligitur distingui inquisitionem à punitione, & correctione, & quod delegatus ad inquirendum non propter hoc potest punire.

12 Putat quoque Joan. Monach. quod regula textus non se extendat ad ardua, & quod non potest Episcopus sine consilio Capituli deponere Abbatem. Quærunt alii an habeat locum in alienatione rerum Ecclesiæ, & Franc. *num.*2. ait non valere, quia hæc consuetudo non esset rationabilis, quia talis consuetudo esset onerosa Ecclesiis. Sed dicitur, quod ubi agitur de virtute consuetudinis potest illam fieri, quidquid rationabile est, & ad bonum commune proficuum, & tale, quod possit de eo lex dari. Ideò non potest consuetudine introduci, quod Episcopus alienet res Ecclesiæ absque necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, quia hæc consuetudo esset Ecclesiæ onerosa, & irrationabilis. Sed quod non sit necessarius consensus Capituli non est per se malum. Sed tamen ad legem non sufficit quod objectum non sit malum, sed requiritur, quod sit utile bono communi, ideò non est tam facilè, quod sit rationabilis consuetudo, ut Episcopus possit res Ecclesiæ alienare sine consensu Capituli. De hoc verò videri possunt, quæ dixi *tom.*1.*de statibus q.*185.*art.*7. *inspect.*1.*n.*551. *& seqq.* Exceptio autem Jo. Monac. non habet locum, quia contra quæcumque ardua potest consuetudo, si alias sit rationabilis.

Inquirere, puniri, corrigere excessus subditorum est unum de illis, quæ sunt propria Episcoporum, nec competunt Vicario illius ex vi generalis commissionis, nisi specialiter id exprimatur, & concedatur, ut advertit Gloss. *in v. corrigendis*, & ex Bero. *in rubr.de off.Vicarii n.*2.Lancellot. *in instit.tit.de off.Vicarii*, *§.per Vicar.* Rebuff. *in addit.ad* 3. *reg.Cancell.ver.aut Vicarios*, & aliis tradit Barbosa *n.*4. *& de off.Episc.alleg.*54.*n.*117.& Sanchez *l.*3.*de matrim. d.*29.*n.*16. *in princ.* 13

Per hoc autem cap.exclusa est opin. Host. suprà *in cap.novit,& cap.cognoscitur, de iis, quæ fiunt ab Episc. sine cons. Cap.* ubi voluit, quod consuetudine possit præscribi, quod Episcopus non requirat in istis consensum Capituli, non tamen possit præscribi, quod non requirat consilium. Hujus verò contrarium resolvitur in hoc textu. 14

An verò, ubi jura requirunt consilium, sit nullum, quod fit sine consilio, dicendum est esse nullum, si lex requirit consilium de forma substantiali. Et an quod facit Episcopus sine consilio sit nullum; dicendum est tale in illis casibus, in quibus consilium est requisitum de forma. Ubi tamen Episcopus consuetudine jam præscripsit libertatem, validè agit etiam sine consilio Capituli. 15

Quod verò Episcopi præscripserint, ut jurisdictionalia possent exercere sine consilio Capituli dixerunt Gratian. *discept.* 1.*n.ult.* ex Panorm. *in cap.irrefragabili column.fin.de off.ordin.*& Barb. *in cap.*1.*de his,quæ fiunt a Prælat.n.*5. 16

DE CONSUETUDINE.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

CUm in tua Ecclesia (in qua consuetudo habetur, quòd antiquiores canonici gradatim meliores, si voluerint, possint cùm vacant, per se, vel per alios optare præbendas) provideri mandamus alicui de præbenda nulli alii de jure debita: proximo inibi vacatura: hujusmodi non obstante mandato, poterunt ipsi antiquiores juxta consuetudinem eamdem optare: cùm præbenda vacabit: & illa, quæ optata non fuerit (si nulli sit debita) erit illi, pro quo scripsimus, conferenda. In præbendis verò apud sedem Apostolicam vacantibus, cùm de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur, locus prædictæ consuetudini non existit. Ne autem prætextu ejusdem consuetudinis, provisiones auctoritate Apostolica faciendæ, ultra debitum differantur: statuimus, ut executores super ipsis provisionibus deputati, optare volentes per viginti dies dumtaxat expectent: quibus elapsis, liberè in non optatis, ad exequenda sibi mandata procedant, præfata consuetudine non obstante.

SUMMARIUM.

1 *TRes regulæ statutæ in textu.*
2 *Consuetudo potest novam formam inducere in provisionibus beneficiorum.*
3 *Canonici possunt inducere consuetudinem validam.*
4 *Nomine consuetudinis non venit semper consuetudo præscripta per 40.annos,n.5.*
6 *Nomine consuetudinis in jure venit rationabilis, & legitima, seu præscripta, idest per tempus ex lege præscriptum ad ejus valorem introducta.*
7 *Ubi consuetudo inducitur non ex vi præscriptionis sed ex præsumpto consensu Principis nullum determinatum tempus est necessarium ad consuetudinem.*
8 *Reprobatur distinctio absentis, vel præsentis, ubi consuetudo ex vi præscriptionis inducitur.*
9 *Non omnis consuetudo optandi est præter jus.*
10 *Consuetudo in facultativis non tollitur per non usum.*
Consuetudo optandi non tollitur per non usum.
11 *Qualiter consuetudo non tollitur per non usum explicatur.*
12 *Ad abrogandam consuetudinem, quæ non est contra jus sufficiunt 10.anni.*
13 *Consuetudo venit sub nomine juris.*

14 *In*

14 *In commodorum distributione prærogativa antiquitatis est.*
15 *Consuetudo ut antiquiores optent, est fundata in æquitate.*
16 *In optione non fit mutatio status, sed ascenditur de gradu ad gradum.*
17 *Optare competit antiquioribus.*
18 *Antiquioribus non ætate, sed receptione, & possessione.*
19 *Prævalet antiquior possessione antiquiori fundatione Canonicatus.*
20 *An prævaleat antiquior receptione, si de novo permutavit Canonicatum.*
21 *Consuetudine potest introduci ut receptione antiquior non optet.*
Inter Cardin. aliquando Diaconus optat titulum Episcopatus.
22 *Gradatim fit optio.*
23 *Inæqualitas præbendarum non reprobata.*
24 *Minores præbendas posse optari affirmatur.*
25 *Potest dari consuetudo, ut minores tantùm optentur.*
26 *Potest consuetudine introduci, ut optetur præbenda non vacans.*
27 *Absentes per Procuratorem possunt optare.*
Cardinales præsentes solum optant.
28 *Optio dicitur multipliciter.*
29 *Quod sit optio.*
30 *Optio, consuetudine, vel statuto introducta.*
31 *Optio non potest habere locum in omni Ecclesia.*
32 *Præbendalia diversimodè annexa beneficio.*
Aliqua annexa perpetuo certo beneficio.
33 *Alia annexa in communi Capitulo.*
34 *Præbenda est nomen analogum.*
Præbenda ut dicit jus habendi temporale est semper jus spirituale.
35 *Ius habendi præbendalia, & convenit Clericis de jure divino, & est jus spirituale.*
36 *Hoc jus quantum ad determinationem ex lege positiva.*
Non tamen sunt duo jura, sed unum proveniens, quantum ad substantiam à lege divina, & quantum ad determinationem à lege positiva.
37 *Hoc jus distinguitur, & veluti specificè, & numeraliter.*
38 *Optans semper acquirit novam præbendam, & novum jus.*
39 *Et hoc jus est spirituale.*
40 *In optione aliquando optatur novus titulus, & aliquando non.*
41 *In duplici casu in optione acquiritur novus titulus.*
42 *Distinctio præbendæ in spiritualem, & temporalem rejicitur.*
Præbenda perpetua, & temporalis.
43 *Hoc explicatur.*
44 *Malè dictum ab aliquibus, quod in optione non acquiratur novum jus spirituale.*
45 *Benè dictum ab aliis, quod in his præbendis, non acquiritur novus titulus.*
46 *Optio aliquando est contra jus, & aliquando præter jus.*
47.
48 *Consuetudo optandi aliquando præscribitur spatio 40. annorum, & aliquando spatio annorum 10.*
49 *Qui sunt de Capitulo habent jus ad rem respectu præbendarum, ut optens illas, toties quoties vacant.*
50 *Præbenda alteri debita non potest optari.*
51 *Per expectativam non tollitur optio.*
52 *In dubio Papa non censetur tollere consuetudinem, aut jus tertii.*
53 *Nisi Papa deroget consuetudini. Sed circa hoc variæ sunt sententiæ.*
54 *Vbi mandatum Papæ est contrarium consuetudini ad illi derogandum sufficit clausula* non obstante &c.
55 *Præbenda dimissa ab optante vacat.*
Si optans non assequitur optatam reddit ad dimissam.
56 *Aliquando sub nomine præbendæ venit Canonicatus &c.*
Grossi fructus Canonici morientis in curia, non possunt optari.
57 *Dictio* apud significat idem, *quod in.*
58 *An detur casus, in quo beneficium vacans in curia optari possit.*
59 *Aequum est aliquando leges aliorum jus arctare.*
60 *Infra 20. dies est optandum. Et multa de hoc puncto.*
61 *Dictio* liberè importat *facultatem expeditam.*

AGitur in hoc cap. de consuetudine optandi præbendas, 1
& decernitur qualiter provisio Apostolica impediat, vel non impediat optandi consuetudinem, & dantur tres regulæ. Prima est ista. Per rescriptum Apostolicum, per quod mandatur alicui provideri de præbenda in proximo vacatura, & nulli alii debita, non impeditur consuetudo, quæ sit in Ecclesia, ut antiquiores Canonici gradatim si voluerint, possint cùm vacant optare meliores præbendas per se, vel per alios. Secunda regula est. Præfata consuetudo optandi meliores præbendas non habet locum in præbendis vacantibus apud Sedem Apostolicam, cùm de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur. Tertia regula est. Executor mandati Apostolici de providendo alicui de præbenda volentes optare expectabit duntaxat per 20. dies, post quos liberè ad exequenda sibi mandata in non optatis procedet, consuetudine optandi non obstante.

Primò verò colligitur ex hoc textu, quod consuetu- 2
do novam formam inducere potest in provisionibus beneficiorum, & valebit talis consuetudo, ut advertit Franc. *num.* 1.

Et habetur secundò, quod Canonici possunt inducere 3
consuetudinem validam, & observandam, ut notat Dom. *num.* 1.

Gloss. quoque ponderat, quod textus utitur nomine 4
consuetudinis simpliciter, & non addit, quod sit præscripta, ex hoc duo colligens, primum, quod ubi in jure requiritur consuetudo, non est necesse, quod intelligatur de præscripta, quia non omnis consuetudo debet esse præscripta, secundùm quod ad consuetudinem optandi, de qua est sermo in hoc textu non est necesse, quod sit præscripta sed sufficit quod sit longæva, quia sufficit, quod duraveri, per decem annos ex eo, quia sit præter jus, non verò contra jus.

Quantum verò ad horum primum, si per consuetudi- 5
nem præscriptam intelligimus eam, quæ sit præscripta per quadraginta annos, certissimum est, quod in jure nomine consuetudinis simpliciter non venit consuetudo præscripta, quia de jure civili ad consuetudinem sufficit, quod sit longæva, scilicet decem annorum, quod de jure canonico sufficit ad consuetudinem, quæ non est contra jus, sed est præter jus, ut probatum est suprà *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. & tradunt hic Gloss. & Archid. *num.* 2. Domin. *num.* 7. Franc. *n.* 5. Bellam. *decis.* 62. Put. *decis.* 201. *n.* 1. *l.* 2. Moneta *de opt. cap.* 2. *n.* 15. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* Gloss. 34. *num.* 11. Franciscus Tondutus *quæst. & resolut. benef. cap.* 110. *numer.* 4. Barbosa *de Canon. cap.* 30. *num.* 3. & 4. Solum verò consuetudo, quæ sit contra jus canonicum requirit 40. annos. Quæ verò est contra jus tertii, tot annos requirit, quot requiruntur ad præscribendum contra illud jus, & sic modo ad hoc ut sit præscriptum contra jus Ecclesiæ cujuscumque aut Ecclesiasticorum requiritur centenaria, aut immemorabilis in terminis *constit.* 157. Urbani VIII. Non ergo sub nomine consuetudinis simpliciter prolato intelligitur consuetudo per 40. annos præscripta.

Sed si per consuetudinem præscriptam intelligimus il- 6
lam, quæ habeat tempus ad ejus valorem à lege requisitum secundùm materiam, circa quam versatur, quæ potest dici præscripta, quia habet tempus præscriptum à lege. Sic verum est, & sic debet intelligi illa communis assertio, quod in jure ubi fit mentio consuetudinis, & illa approbatur, intelligitur de præscripta. Sed hoc tempus non est in lege determinatum, sed aliquando est centum annorum, aliquando 40. aliquando 30. aliquando decem, & aliquando sine ulla determinatione, quia ubi Princeps approbat consuetudinem, nullum aliud tempus requiritur, ut probatum est *d. art.* 8. Quamobrem melius dicitur, quod ubi in jure approbatur consuetudo intelligitur de rationabili, & legitima; illa verò est legitima, quæ est inducta secundùm leges, seu secundùm tempus à lege requisitum.

Hinc est, quod meritò rejicitur, quod habet Butr. *sup.* 7
cap. fin. de consuetud. & refert Franc. *num.* 5. nimirum quod ad consuetudinem requiritur, quod sit præscripta per 40. annos, si sit contra jus, nisi procedat ex actibus ejus, qui potest jus tollere, quia tunc satis apparet de consensu per

10. an-

10. annos, unde infert, quod si agatur de coosnetudine inducenda in curia ex actibus, gestis per Papam, sufficerent decem anni, essent verò necessarii 40. anni, si consuetudo induceretur per actus aliorum. Nam omnino sine ratione asseritur, quod ad cognoscendum, seu præsumendum consensum Papæ, seu Principis, sit necessarium tempus, vel decem annorum, vel quodcumque aliud determinatum, quia consensus ex actione, vel omissione Principis habetur, non ex tempore. Neque enim est necessaria diururna duratio actionis ad hoc ut interiorem consensum agentis significet. Quia actio liberi agentis se ipsa, etiam si momentanea, consensum ejusdem ageotis manifestat. Ideò ubi consuetudo inducenda sit ex actibus Principis actoum freqoentia, vestita debitis circumstantiis indicat consensum ejus in coosuetudinem. Quod idem dicitur de agendi omissione. Et inde est, quod ubi consuetudo inducenda sit per actus aliorum, si alias constat de scientia, & tolerantia Principis, quæ non sit pura permissio, sed approbatio, nullum tempus determinatum est necessarium. Sed & consuetudo est inducta, quo satis constat, quod à Principe est approbata.

8 Unde etiam reprobatur in consuetudine distinctio inter absentes, & præsentes, ut ex Imola advertit etiam Franc. *n.5.* Quando scilicet consuetudo inducenda est ex vi præscriptionis temporis, quia tunc juxta materiæ exigentiam sufficiunt vel 10. anni, vel 40. vel etiam centum sunt necessarii, vel nullom requiritur tempus determinatum.

9 Quantum etiam ad secundum Glossæ assertum attendi debet, quod ut probatur infra, non omnis consuetudo optandi est præter jus, sed aliqua est contra jus canonicum; & sic ista debebit esse præscripta per tempus à lege præscriptum.

10 Hic verò benè advertitur, quod consoetudo contraria consoetudine abrogetur, minimè tamen in facultativis, & liberis tollitur per non usum negativum, sed solùm per dissuetudinem contrariam, quæ importet saltem moraliter contrarium usum. Ideò quod consuetudo optandi non tollatur ex eo, quod per aliquod tempus, & occasiones Canonici non optaverunt, tenent hic Joan. Andr. *num.1.* Butr. *num.4.* Ancharan. *in fin.* Domin. *num.3.* Franc. *numer.5.* Franciscus Tondutus *quæst. resolut. benef. cap.111. numer.16.* Tusc. *in v. optio conclus.163. numer.4.* Monet. *de opt. cap.8. num.22.*

11 Universaliter autem loquendo de consuetudine Domin. distinguit. Quia vel in tempore necessariò ad præscribendam consoetudinem contrariam, scilicet contrariam dissuetudinem, numquam accidit casus utendi consuetudine, ut in proposito nostro numquam accidit casus optandi. Et in hoc casu certum est, quod non usus consuetudini illi non præjudicat. Aut occurrerunt casus in quibus potuit esse usus consuetudinis, & tunc vel consuetudo est inductiva obligationis utendi, quia vel præcipit aliquid agere, vel illud probibet, & in hoc casu est discrimen, quia si consuetudo habet vim præcepti negativi, & prohibentis aliquid fieri, non contravenitur illi per non usum, sed per positivum usum contrarium, & ex eo, quod fit, quod prohibetur fieri, & si hic positivus usus contrarius duret per tempus necessarium ad inducendam consuetudinem contrariam illi priori prohibenti, illa prior abrogatur. Si verò consuetudo habet vim præcepti affirmativi, illi contravenitur per non usum, scilicet per omissionem agendi, sed hic non usus non est quid purè negativum, sed moraliter habetur tanquam positivus usus, quia moraliter censetur agere qui non facit, quod potest, & debet facere. Et ita si hæc omissio duret per tempus necessarium ad inducendam consuetudinem, & illam inducat abrogatur prior consuetudo. Sed si consuetudo sit inductiva libertatis, & facultatis agendi, non verò præceptiva, non usus consuetudinis noo est dissuetudo positiva, nec abrogativa consuetudinis etiam si millies, vel per tempus longissimum quis facultate tributa per consuetudinem non otatur, quia imò ille non nsus non est contrarios, sed conformis consuetudini, quæ dat facultatem utendi si placet, & non utendi. Et talis non usus debet etiam in dubio præsumi ut proveniens ex libera voluntate utentis, nisi sibi contradiceretur uti, & ille toleraret, & contradictionem per tempus necessarium ad consuetudinem ferret, juxta ea, quæ suprà *c.1. q.1. art.3. n.89.* dicta sunt de actibus facultativis, ex quibus dictum est non induci consuetudinem, nisi adsit contradictio, & acquiescentia.

12 Quantum verò temporis requiratur ad hoc ut dissuetudo contraria abroget consuetudinem, dictum fuit suprà *cap.1. quæst.1. art.10. num.28.* qood sofficit tempus decem annorum, quia omnis talis consuetudo est secundùm legem, Domin. tamen *num.3.* & Franc. *num.5.* ex Innoc. *in cap. Accedentibus, de privil.* & Gloss. *in cap. Cum de beneficio, in v. post. infr. de preben.* Moneta *de opt. cap.8. num.26.* tantum tempus requirunt ad inducendam consuetudinem abrogantem priorem, quantum fuit necessariam ad inducendam priorem consuetudinem quæ abrogatur. Et sic ad abrogandam consuetudinem, quæ est contra jus commune, esset necessarium tempus quadraginta annorum, quia tantum fuit necessarium ad inducendam illam consuetudinem, & proptereà quod ad abrogandam consuetudinem optandi, quæ sit contra jus, sit necessarium tempus 40. annorum dixit Moneta *d. cap.8. n.27.* Sed boc non benè dicitur, quia consuetudo abrogans consuetudinem, quæ est contra jus commune, non est contra jus, sed potius est juri conformis, unde sofficiunt ad illam 10. anni & tot sufficiunt ad abrogandam consuetudinem optandi..

13 Tandem hic deducitur, quod consuetudo venit nomine juris, ut dicatur esse de jure alicujus, quod est de consuetudine, ita Franc. *hic num.9.* & Barbosa *num.34.* ex Gloss. *in v. de jure*, dixit autem Franc. *quod ad hoc facit cap.1. suprà ut lite pendente*, unde si allegatur aliquid factum contra formam juris, verificatur etiam de statuto, Bald. *in l.1. C. de Confess. in 18. col.* Et hinc etiam est, quod si aliquis in suo libello dicit aliquid ad se pertinere de jure, intelligitur intentasse etiam jus statuti, vel consuetudinis, Bald. *in l.1. inf. princ. ff. de edendo*. Pro quo etiam facit, quod si partes renuntiant omnibus exceptionibus juris, venit tunc consuetudo, vel statutum, secundùm Bald. *in l. sed & si quis, §. quæsitum, ff. si quis cav.* Sed ut idem Francus advertit ista non admittuntur sine controversia, & quod in dubio sub nomine juris veniat jus commune, voluit Angel. *in l. si pater, Cod. quando mut. tutela off. pro quo*, Gloss. *sing. in cap.1. suprà de transact.* videndi Jo. Andr. *ad specul. tit. de arbitris, §. excipitur*, Butr. *in cap. Quintavall. supra de jurejurand.* & ibi DD. Nicolaus *in rubr. de consuetud.* & iterum DD. *in rubr. infr. de reg. juris*.

14 Sic igitur & consuetudo optandi jus qnoddam est, & quidem in æquitate fundatum; nam in commodorum consecutione, & distributione æquitas postulat, ut prærogativa vel ordinationis, vel dignitatis, vel antiquitatis prævaleat, ut advertit Anchar.

15 Propterea, quod consuetudo, quæ est in Ecclesiis, ut antiqoiores primi possint optare meliores præbendas sit fundata in æquitate, dixerunt Gloss. Joan. Monac. *numer.1.* Domin. *n.10.* Barbos. *n.31.* Delphin. *decis.1258. num.1. part.1.* Azot. *part.2. lib.6. cap.26. quæst.13.* Monet. *de opt. cap.2. qu.1. num.1.*

16 Et si instetur, qnod beneficia danda sunt per institutionem, non per optionem, *cap.3. de institut. & infrà cap.1. de reg. jur.* Item hoc est contra jura, quæ dicunt permanendum esse in vocatione sua, *cap.1. 21. quæst.1.* Item quod ambitio, & inconstantia reprobanda est in Clericis, suprà *& cap.1. & infr. tit.1. in fin.* Respondent Gloss. Joan. Andr. & Domin. *numer.10.* quod hic non sit status mutatio, quia obstantes manent in eodem corpore, & statu vivendi, & deputatione divini cultus, & quod mutent præbendam, vel domum, adhuc totum nomine Ecclesiæ possidetur, ad quod facit *§. fin. 11. quæst.1.* Et verè aliud est ascendere per gradus intra eumdem statum, & aliud est statum mutare. Non est reprebensibilis ascensus graduum intra eumdem statum, sed imò hic summè pertinet ad pulchritudinem Ecclesiæ, & decorem justitiæ distributivæ. Nec per se est malum majorem commoditatem appetere, si id fiat ex recto fine, & sit de re licita. Et tandem additur, quod eùm optio fiat ex consuetudine permissa, cessat præsumptio ambitionis, vel inconstantiæ.

17 Ita quoque jus optandi antiquioribus convenit, ut advertunt hic Gloss. *in v. antiquiores, & reliqui interpretes*, & præter eos Panormit. *in cap. Dudum n.2. de elect.* Felin. *in cap. cum omnes n.35. de constit.* Rota *decis.2. & 3. de consuet. in nov. & decis.411. n.1. part.1. divers. & decis.434. num.1. part.4. tract.2. & decis.571. n.3. part.4. tom.3. recent.*

18 Est tamen hic sermo non de antiquioribus ætate, vel etiam dignitate, sed de antiquioribus receptione in Collegio suo, ideòque de antiquioribus sacra militia intra Ordinem

nem suum, Gloss. Archid. num.1. Butr. num.1. Ancharan. Domin. num.11. Franc. num.2. Barbos. num.27. & seq. & iterùm Barbos. de Canon. cap.30. numer.7. Gonzal. ad reg.8. Cancell. Gloss.34. num.22. & 100. Franciscus Tondutus in quæst. & resolut. Benef. cap.110. num.5. Rota decis.6. num.2. in antiqu. & decis.411. n.2. part.1. divers. Axor. part.2. l.6. cap.26. q.15. Menoch. de arbit. part.2. casu 124. n.5. Hoc tamen debet intelligi de eo, qui est prior nedum receptione, seu institutione, sed possessione, Gloss. hìc & Domin. n.11. Gonzalez d. Gloss.34. num.49. & 60. Addit. ad decis.3. ad med. de consuetud. in novis, Barbos. hic num.28. Ventrigl. in praxi Annot.6. n.5. Et ratio est, quod qui est antiquior possessione, esto non sit antiquior receptione, est antiquior opere, militia, & servitio, Palaus tom.2. tract.13. p.22. §.6. n.5. ubi cum Gonzalez excipit casum, in quo iste prior in possessione fraudulenter impedierit prius receptum ne priùs reciperet possessionem, quia tunc fraus illi patrocinari non deberet.

19 Cùm verò in Capitulis sæpè contingat, ut sint plures Canonicorum fundationes, quarum una sit alia antiquior, si contingat quod Canonicus junioris fundationis sit prior receptione, possessione, & militia in Collegio respectu ejus, qui est prioris fundationis, ille censendus erit antiquior in ordine ad optionem, qui est antiquior receptione & possessione, quia iste jam simpliciter est de Capitulo, & habet jus ad omnia privilegia, præeminentias, & jura Capituli, & in eo præcedit meritò longioris servitii, & militiæ sacræ, Franciscus Tondutus quæst. & resol. Benef. cap.111. n.2. ubi hoc latè probat.

20 Sed quid dicendum, si qui erat prior possessione in Canonicatu, quia mutavit præbendam per novam institutionem, & collationem obtenta alia præbenda, factus est junior in illa? Barbos. hic numer.5. ex Moneta de opt. cap.5. quæst.1. numer.12. censet hunc non esse antiquiorem in ordine ad optandum, sed antiquitatem suam numerandam à receptione novæ præbendæ seu Canonicatus. Et ratio est, quia ille mutavit nedum præbendam, sed Canonicatum, atque adeò novus Canonicus est, & dicitur noviter receptus, cùm non consequatur aliam præbendam, & Canonicatum ex vi prioris Canonicatus, ut fit in optione, sed tanquam extraneus assequitur novam Canonicalem præbendam, & per accidens est, quod prius fuerit Canonicus: Unde videmus, quod iterùm ab eo capienda est possessio, & admittitur de novo ad osculum, & recipitur in fratrem, & novissimum, ac postremum locum in eodem ordine tenet, nisi in eodem à sociis ejus Ordinis manere permittatur, & similia facere tenetur, quæ nuper recepti facere consueverunt, & propterea censeri debet posterius admissus. Hæc & multa alia habet Moneta loco citato, quæ quidem intentum probant in eo casu, in quo Canonicus simpliciter resignaverit primum Canonicatum, vel illum amiserit, vel primus Canonicatus nullus fuit, & ita quod per aliquod tempus non fuerit de numero Canonicorum, & talis non sit, quando promovetur, sed quando mutatio Canonicatus fit permutatione, & sic licet Canonicus mutet hunc numero Canonicatum in alium, numquam tamen desinit esse Canonicus, & tunc solum desinit habere priorem Canonicatum, cùm assecutus est posteriorem; resolutio præfata non procedit sine difficultate. Nam jus optandi non competit Canonico quia talis Canonicus, sed quia Canonicus, at verò in hoc casu Canonicus, qui mutat Canonicatum non fit de novo Canonicus post non Canonicum, sed solum fit talis Canonicus, manente sibi antianitate in hoc, quod est esse sine interpellatione de corpore Capituli, quamobrem cùm iste sit antiquior in hoc quod est esse de corpore Capituli, & in hoc quod est inservisse, & militasse tamquam de Capitulo, non videtur, quod debeat esse posterior in optando eo, qui post eum receptus est in Canonicum, licet ante mutationem Canonicatus fuerit receptus. In hoc ergo puto servandas esse consuetudines Capitulorum, quæ si sit, ut permutans Canonicatum habeatur tamquam de novo receptus, & posterior omnibus receptis ante permutationem, erit etiam posterior in optando, in vi talis consuetudinis. Sed ubi non sit specialis consuetudo, & in iis, quæ Canonicis competunt ratione Canoniæ absolutè, dicendum videtur, quod attendi debeat primo receptio in Canonicum perseverans, & non interpellata, licèt in individuo hic vel ille Canonicatus in alium fuerit permutatus, quia talis Canonicus semper fuit de corpore, & in hoc est antiquior, & ideò in iis, quæ ratione Canoniæ competunt est antiquior, & ut talis est habendus.

Quamvis verò regulariter consuetudo sit, ut priores sint in optando, qui sunt antiquiores receptione & militia, tamen posset consuetudine introduci, ut attenderetur antiquitas ætatis, vel Ordinis, aut dignitatis, Barbosa hic num.30. ex Moneta cap.4. num.18. Sic inter Cardinales in optando aliquem ex sex Episcopatibus, non semper servatur ordo receptionis, vel Ordinis. Siquidem si quarta vacatio sex Episcopalium Ecclesiarum contingat, excluso ea tantum vice antiquiori Presbytero, prior Diaconorum Cardinalium, qui præsens in Urbe fuerit, & in ætate legitima constitutis, vel illo nolente, aut legitimè impedito sequens Diaconus iisdem qualitatibus prædictus ad eam promovetur, per Constit.50. §. ut vero, Sixti V. ut notat Jacobus Cohellius in notitia Cardinalatus cap.10. qui fatetur se vidisse id observatum ab Alexandro Card. Montalto, & Emanuele Card. Pio, qui ex Diaconorum Ordine ad Episcopalem dignitatem evecti fuerunt. 21

Optio etiam fit gradatim. Nimirum ut sicut in scalam ascendendo gradum, quem relinquit prior ascendit secundus, & gradum, quem relinquit secundus ascendit tertius, & sic de aliis. Sic in optione præbendam, quam optando meliorem dimittit primus, optat secundus in ordine antiquitatis, & quam dimittit secundus optat tertius, & sic de aliis, Gloss. & Barbos. num.7. Rota decis.411. part.1. divers. Gonz. d. Gloss.34. num.15. Monet. cap.5. quæst.1. numer.15. Barbos. iterùm de Canon. cap.30. num.12. ubi num.13. post Gonzal. advertit, quod ubi Portionarius statuto, vel consuetudine potest optare Canonicatum, hoc illi non convenit, nisi prius Canonici, qui voluerint optare id fecerint, & tunc ille Portionarius poterit optare Canonicatum ab ultimo Canonicorum optantium dimissum. 22

Meliorum verò præbendarum est optio. Unde colligit Gloss. imparitatem inter præbendas non reprobari à jure. Qua supposita in multis Ecclesiis consuetudo invaluit, ut antiquiores optent successivè meliores. 23

Sed numquid ubi est consuetudo optandi meliores præbendas, poterit aliquis minorem sibi magis gratam optare? Gonzalez d. Gloss.34. n.23. distinguit, quia aut statutum, vel consuetudo dixit, quod possint optari præbendæ, & tunc possunt optari minores; vel specificè dixit, quod possunt optari majores præbendæ, & tunc ex vi talis statuti, aut consuetudinis non possunt optari minores. Ita etiam senserunt Domin. n.11. Franc. n.8. Milius in repertorio, v. consuetudo, Palaus tom.2. tract.13. num.2. p.22. §.6. num.2. & Gonzal. ad hunc sensum reducit Rotam in decis.3. de consuetud. in novis, ubi negat posse optari minores præbendas, si consuetudo est optandi majores. Sed primo hic est distinctio inter statutum & consuetudinem, quia hæc est lex non scripta, & ex quo usus introductus fuit optandi meliores præbendas, non per hoc dici potest, quod consuetudo excludat optionem minorum; consuetudo enim optandi respicit per se, & directè commodum optantium, & quia hoc consistit ut plurimum in optione meliorum præbendarum secundùm substantiam, ideò introducta fuit consuetudo optandi meliores secundùm substantiam, & propter hoc etiam dicitur quod in optione attenditur ascensus ad majora, non descensus ad inferiora, Franc. n.8. Gonzal. d. Gloss.34. num.8. Rota decis.3. de consuetud. in nov. & decis.140. n.12. part.4. tom.2. recent. Ex hoc tamen non excluditur, quin possit optari illa, quæ est secundùm substantiam minor, si ex circumstantiis sit melior optanti, quia quod per se intendit consuetudo optandi est commodum optantis, unde nec cogitur optare, si nolit. Quamobrem dicendum est, quod ubi est consuetudo optandi, potest etiam optari minor præbenda, ut dixerunt Gloss. Joan. Andr. Anchar. in princ. Barb. n.33. & apud eum Roman. cons.127. Navar. cons.4. de rebus Eccl. non alien. Monet. de opt. cap.3. q.7. n.135. Ventrigl. in praxi annot 6. n.4. Idem verò dicendum est de statuto, ut etiam si expressè contineat facultatem optandi meliores, intelligi debeat etiam de melioribus comparativè, & respectu optantis, quia tale statutum commodum optantis respicit, nisi statutum expressè excluderet optionem minorum secundùm substantiam. Quod & dicitur de consuetudine si manifestum esset intentionem inducentium consuetudinem fuisse, ut minores non possent optari, sed solum meliores. 24

Posset verò dari consuetudo, ut solum minores possent optari, ut si esset consuetudo, quod Canonicus supranumera- 25

merarius non posset optare nisi præbendam minorem, Franc. *num.* 1.

26 Consuetudo autem est optandi præbendas, sed vacantes; nihilominus posset etiam introduci, ut optatentur io aliquo casn præbendæ vacaturæ, Gloss. Barbos. *n.* 14. ex Monet. *cap.* 3. *n.* 151. *&* 152.

27 Absens etiam pet procuratotem potest optare, quod adeò vetum est, ut neque ad hoc in procuratore requiratur mandatum speciale, sed sufficiat mandatnm generale cum libera, vel etiam mandatum genetale, & oegotiorum gestot, si principalis ratam habeat optionem, & sic sufficit ratihabitio optionis, Archid. *num.* 1. Joan. Andt. *num.* 2. Anchar. *in princ.* Butt. *num.* 9. Domin. *num.* 5. Barbos. *num.* 10. Monet. *cap.* 4. *numer.* 52. *cum seqq.* Quod tamen non verificatur ubi lex, vel statutum, aut consuetudo sit, ut optent solum præsentes. Sic enim in Collegio Catdinalium solum præsentes optant titulos Ecclesiarum Episcopalium, nt fuit determinatum per Paulum IV. in constit. 5. & advertit Cohellius *de notit. Card. cap.* 10.

28 Optio autem dicitur multipliciter. Nam interdum sumitur pro certo genere exactionis, *l. super creandis in fin.* & ibi Gloss. *v. optione*, *Cod. de jure Fisci l.* 10. Aliquando accipitur pro electione, *ut in tit. ff. de optione*, *vel electioni legata*, *&* §. *optionis institut. de legat.* Sed hic sumitur pro jure ascendeodi ad majores, & pinguiores præbendas vigore primæ, Gonzal. *d. gl.* 34. *num.* 10. Rota *decis.* 2. *de consuet. in novis*.

29 Hæc verò optio diffinitur, ot sit jus quoddam Capitulo, seu Collegiali alicujus Ecclesiæ ex consuetudine, vel statuto competens, ut antiquiores gradatim vacantem præbendam, quæ reservata non sit, proptia dimissa, intra certum tempus eligere, & consequi possint, Monet. *de opt. cap.* 1. *n.* 13. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *n.* 1. Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disput.* 2. *p.* 22. §. 6. *n.* 2.

30 Dicitur verò, quod est jus consuetudine, vel statuto inductum. Neque enim de jure communi inducta fuit optio, quamvis jus commune illam permiseeit, & approbaverit, sed vel privilegio Apostolico, vel statuto particulari Capitulorum, aut Collegiatarnm, vel coosuetudine introducta fuit, Barbos. *de Canon. n.* 2. & hic *n.* 2. Gonzal. *d. gloss.* 34. *num.* 11. Monet. *d. cap.* 1. *num.* 31. Tondutus *quæst. & resol. benef. c.* 110. *num.* 1. Rota *decis.* 411. *part.* 1. *divers.* Ventrigl. *in praxi annot.* 6. *n.* 2.

31 Noo in omni verò Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata potest babere locum optio. Locum enim primò habere noo potest in ea Ecclesia, in qua noo est præbendarum distinctio, nec certus earum numerus, sicut nec certus numerus Canonicotum, ut in casu textus *in cap. dilecto, & in cap. vacante, de præbend. & in cap. ex parte, de concess. præb.* In his enim Ecclesiis non est dare vacantiam præbendarum, prout disponitur in prædictis juribus, quod tamen ex hoc textu est necessariom ad optionem, Rota *decis.* 6. *de præb. in nov.* Barbos. *de canon. cap.* 30. *num.* 4. Monet. *de opt. cap.* 2. *qu.* 2. *n.* 16. Secundò, optio locum non habet in ea Ecclesia, in qua licet sit certus numerus Canonicorum, seu Canonicatuum, non est tamen distinctio & certus numerus præbeodarum, ut *in cap. fin.* §. *si autem, infr. de concess. præb.* Nam in istis Ecclesiis pet Administratores Capituli bona, seu fructus dividuntur inter Canonicos, & quo fuerint plures Canonici minor pars fructuum competit singulis, quibus major tribuitur, si Canonici sint in minori numero, ut *in d.* §. *si autem*, Rota & DD. citati. Tertiò, si in Ecclesia sit certus numerus Canonicorum, & præbendarum. Sed ita tamen, quod præbendæ distinctæ non sunt, imò bona sont Capitulo communia, quoad dominium Capituli, & super istis bonis quasi in confuso, & absque aliqua actuali distinctione institutus est numerus præbendarum cortespondens numero Canonicatuum. Et secundùm Rotam citatam istæ præbendæ propriori vocabulo dicuntut portiones privilegiatæ. In boc ergo casu, si Capitulum per Officiales suos bona administrat, & de fructibus tot portiones facit, quot sunt Canonici, sicut teste eadem Rota fit in Eccl. Andegav. non potest intfoduci optio; quia cùm inter præbendas non detur inæqualitas, locum non babet electio, neque optio. Quartò, tamen si in præfato casu Capitulum non administrat bona per Officiales suos, sed ea dividit in tot præbendas, quot sunt Canonicatus, & Canonici, cuilibet assignando suam præbendam ad tempus tamen, & secundùm quod Capitulo placet, ita ut eo tempore elapso iterùm in commune reducantur, fiatque nova bonorum divisio. Tunc si divisio non fuerit facta omninò æqualis, sicut fortè est impossibile, quod facta fuerit, aliquem locum habere poterit optio, quia ubi inæqualitas, ibi electio cadit, & ita consuetudine potuit introduci ut antiquiores meliores præbendas optare possint, ea inæquali divisione durante. Quintò, tandem locum optio habere potest, si in Ecclesia sit certus numerus Canonicatuum, & præbendæ actu sint distinctæ, & separatæ, & quælibet illarom uni Canonicatui perpetuo sit annexa, ita ut illæ præbendæ non faciant simul unum beneficium Ecclesiasticum, quod immediatè sit Capituli, sed quælibet illarum sit dos sui Canonicatus, illique sit annexa. In boc enim casu, in quo & præbendæ sunt inæquales, & sunt distinctæ potest habere locum optio, & sic coosuetudine induci potest facultas optandi.

Sed oumquid in optione acquiritur novus titulus spiritualis, & novum beneficium? Considerandum est ex Panormit. *cap. majoribus num.* 7. *de præb.* quod præbendalia in rebus temporalibus consistuot nimirum in campis, vineis, censibus, prædiis, & aliis rebus temporalibus fructiferis, quæ in sustentamentum Canonicorum, vel aliorum ministrorum Ecclesiæ deputatæ suot. At verò hujusmodi applicatio multiplex esse potest. Vel enim præbendale est annexum perpetuo, & inseparabiliter uni certo Canonicatui, veluti unum individuum constituens cum illo per incorporationem illi factam. Et boc modo præbenda, qnæ est jus spirituale percipiendi fructus præbendalium bonorum, est perpetuò inseparabiliter annexa Canonicatui; unde oon potest optari nisi simul optato Canonicatu, ut latè probat Rota *d. decis.* 6. & sine dubio tuoc per optionem acquiritur novus titulus, quia oon potest acquiri illud præbendale annexum perpetuò canonicatui certo, nisi eo Canonicatu optato, & præbenda illi annexa. 32

Alio modo præbendale potest esse annexum primò, & priocipaliter Capitulo. Et in hoc casn præbenda prout est jus percipiendi illud temporale residet principaliter in Capitulo, sed respectu hujus, vel illius Canonicatus, aut Canonici, hæc annexio est accidentalis, temporalis, & separabilis. Quia in potestate Capituli est applicare illud temporale modò huic, modò illi Canonico. Quod quidem, nt dictum est *n.* 21. potest contingere multipliciter, & ex eodem Panorm. ibi dupliciter potest accidere, primò scilicet, quia præbendæ non sint distinctæ, sed bona omnia sint communia, & per Capitulnm applicetur uni Canonico unum prædium, vel io commendam, & aliud alteri. Et potest esse etiam, quod præbendæ sint distinctæ, sed non sint annexæ perpetuo Canonicatibus, ut quia ibi non est certus numerus Canonicorum. Quando ergo præbenda altero ex his modis se habet, noo dicit, seu connotat, & importat titulnm specialem beneficii, & qui præbendam optat non est necesse, quod optet novum titulum, sed ex habito titulo Canonicatus stante optandi consuetudine eam obtinet. 33

Sed remota æquivocatione vocis *præbendæ*, quæ aliquando significat illud temporale præbendale, quod datur Clerico in sui sustentamentum, & aliquando importat jus habendi illud temporale, & illud possidendi. Et concesso etiam, quod jus habendi, & otendi re temporali pet se sic præcisè sumptum oon sit spirituale, sed possit esse merè temporale, dicitur qnod si accipiatur pro jure ntendi præbendalibos, eaqne possidendi, omnis præbenda dicit jus spirituale, & quidem distinctum, ita quod quot sunt præbendæ, tot sunt spiritualia jura, & quod in omni optione optans novum jus spirituale acquirit, licèt non semper acquirat novum titulum beneficialem. Hæc omnia distinctè explicantur. 34

Nam primò absolotè, & universalissimè jus stipendii, quod convenit Clericis, & convenit illis de jure divino, & est jus spirituale. Hoc dilucidè probat, & explicat Cajet. *tom.* 2. *opus tract.* 9. *qu.* 1. & ex eo R. P. D. Fagnan. *cap. cùm pridem num.* 100. *& seqq. de pactis*. Quod enim hoc jus habendi præbendam sit divinum, & se habeat sicut jus habendi decimas, de quo D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *Ad tertium*, probatur, quia eo ipso, quod quis Clericus est, & divinis officiis mancipatus, babet jus, nt sustentetur ab Ecclesia, *cap. clerici* 1. *qu.* 2. *Nam dignus est Operarius mercede sua* 1. *Tim. cap.* 5. *& cap. quicumque* 12. *quæst.* 2. *Et denario fraudari non debent in vinea Domini laborantes*, Matt. 20. *cap. fin. de magist. Neque ligari debet os bovi trituranti*. Deut. 25. *& cap. Ecclesias* 13. *quæst.* 2. *cap. extirpanda, de præbend.* Et qui ad onus assu- 35

assumitur, repelli non debet à mercede, *cap. unu secundùm, eod. tit.* Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore præstant obsequium, *cap. charitatem 12.q.2.* Et propterea tribus levi partem inter alias tribus non est consecuta, quia habebat jus ut aleretur ab aliis, & ab eis reciperet decimas, cùm ministerio divinorum fuerit deputata. *Nam qui altari deserviunt, de altari participant: 1. Cor. 9.13.*

36 Hoc tamen jus, quod in communi est divinum, quantum ad sui determinationem est ex lege positiva, ab Ecclesia enim determinatur quantum ad certam quantitatem, vel ad certum tempus & ad certum locum. Neque tamen sunt duo jura ista, sed unum est, quod est à divino jure indeterminatum, & determinatum ab Ecclesiâ. Quod probat Cajet. exemplo juris sacerdotalis. Sacerdoti enim cùm datur Parochialis Ecclesia, vel authoritas audiendi Confessiones non tribuitur novum jus, cùm in sua ordinatione acceperit potestatem absolvendi, ut in decreto Conc. Trident. *sess.23.cap.15.* Sed juri, quod habet à Deo, determinatur materia ab Ecclesia, circa quam operetur. Ad quod facit *cap. generaliter, §. ecce sufficienter, & cap. seq. qu.1.* & docet D.Th. *quodl.12.art.30.* Pariter ergo non sunt duo jura in Clerico jus divinum ad sustentamentum, & jus humanum determinans, ut ex hoc, vel illo stipendio, aut emolumento se sustentet, sed est unum jus à Deo proveniens indeterminatum, & determinatum ab Ecclesia.

37 Hoc tamen jus unum aliunde multiplicatur, vel ex titulis, ad quos hoc jus consequitur, ut hoc modo aliud sit jus Episcopale, & aliud Canonicale, & aliud Abbatiale &c. quæ distinctio habet quemdam modum distinctionis specificæ, sicut tituli distinguuntur. Multiplicatur verò numero nedum ex parte individuorum, quibus convenit, sed ex parte bonorum temporalium, quæ assignantur. Et sic ubi præbendalia sunt distincta numero, etiam præbendæ sunt numero distinctæ, unde non est idem numero jus possidendi unum prædium, cum jure possidendi aliud, quando præbendalia inter se sunt distincta, & separabilia in ratione possessionis; sed talia jura sunt numero distincta.

38 Hinc ergo patet, quod optans semper acquirit novam præbendam, & novum jus numero saltem distinctum ab eo, quod habebat, imò ab eo separabile, quia acquirit de novo jus utendi, & ad sui commodum possidendi aliud præbendale, nimirum aliud prædium, aliam domum. Acquirit enim novam determinationem juris divini, quod habet ad propriam sustentationem, quod sufficit ad numericam juris distinctionem. Quæ tamen distinctio non est formalis, sed materialis, & sic novitas, & distinctio est ratione materiæ corporalis, non verò ratione spiritualitatis. Alias verò etiam si Canonicus novum titulum ejusdem rationis optet, scilicet novum Canonicatum, non recipit novum jus ad sui sustentationem, quoniam hoc jam habet ex Clericatu, & ex canonicatu jam habet jus ad præbendalia Capituli, sed solum acquirit novam determinationem, quantum ad materiam. Et sic optando aliud non acquiritur novi, nisi nova determinatio juris præhabiti, quod tamen sufficit, ad hoc, ut verè acquirat novum jus numero à priori distinctum.

39 Indubitatum verò est, quod hoc jus est spirituale, quoniam secundùm sui substantiam & essentiam per se consequitur tamquam proprietas ad Clericatum, vel aliud spirituale officium, & ex hoc tamquam ex propria causa media spirituali potestate Ecclesiæ, & in ordine ad cultum Dei ex fide Jesu Christi determinatur ad hanc, vel illam materiam, & sic tam in genere, quàm in specie, & in individuo est spirituale, quia & formale objectum illius spirituale est, licet objectum materiale sit res corporalis.

40 Respondetur igitur ad principale intentum, quod id quod acquiritur per optionem, aliquando est titulus beneficialis, & aliquando non, sicut & aliquando propriè est præbenda, aliquando verò magis propriè loquendo est portio, quæ de communibus bonis Capituli illi tribuitur. Nam jus percipiendi præbendalia, seu corporalia bona ad sui sustentamentum, vel per se primo, & immediatè, & perpetuò est unitum alicui beneficio, & tunc hoc jus, quod dicitur præbenda non est sine titulo beneficiali, & sic qui hujusmodi præbendam optat, optat alium, & novum titulum distinctum ab eo, quod prius habebat, & optando dimisit. Nam nec optando potest hujusmodi præbendam habere, nisi optet beneficium, cui illa est perpetuo, & inseparabiliter unita, ut latè probat Rota *in d. decis.6. de consuet. in novi.* & tenent Gonz. d. Gloss.34. *n.61.* Tondutus *d. cap.110 n.3.* Barbos. *d. cap.30. de Canon. num.3. & 4.* Monet. *cap.2. qu.2.* Et tunc qui optat acceptando optionem dicitur à fundatore, vel consuetudinem optandi inducente electus, & institutus, non verò se eligit, & instituit, Rota *decis.110. num.8.* coram Penna. Vel jus percipiendi temporalia, licèt sit perpetuò annexum Capitulo, vel Collegio, non tamen alicui particulari titulo beneficii est immediatè per se, & perpetuò annexum, sed solum separabiliter, & temporaliter, juxta diversorum Capitulorum praxim. Et ita, qui optando hoc jus acquirit, non optat necessariò novum titulum, sed ex titulo præexistenti novam veluti portionem bonorum communium consequi potest. Et hoc jus non importat certum, & specialem titulum beneficialem, quia nulli beneficio est per se immediatè, & perpetuò annexum, sed contingenter, & separabiliter, ita quod modò uni beneficio, modò alteri annexum sit, juxta Capituli praxim. Et sic jus hujusmodi magis propriè dicitur portio, quia est quædam pars bonorum Capituli, quæ pro sua portione tribuitur huic, vel illi Canonico, aut beneficiato.

In duplici ergo casu optando mutatur titulus, primò quando de inferiori ad majorem titulum ascenditur, ut cùm Portionarius optat Canonicatum. Et tunc licet præbenda optata non esset unita perpetuo illi numero Canonicatui, qui optatur, quia tamen est perpetuo unita Canonicatui in genere, unde à non Canonico non potest percipi, ideò nec potest optari, nisi optato titulo Canonici. Secundò, quando præbenda est unita per se immediatè, & perpetuo huic beneficio numero, v. g. huic Canonicatui, nam tunc nec potest optari præbenda, nisi optato titulo illius Canonicatus. 41

Hinc quoque patet, quod distinctio illa, qua utuntur Gonzalez d. Gloss.34. *num.61.* distinguentes inter præbendam temporalem, & spiritualem, non est de jure vera, quia sumendo temporale, ut distinguitur à spirituali, & est idem, quod corporale, nulla datur præbenda temporalis: quia jus habendi hoc, vel illud corporale ad sui sustentamentum ex causa spiritualis muneris exhibiti, & ex lege spirituali, & jure illo divino, ex quo Clericis alimenta debentur est simpliciter jus spirituale, omnis autem præbenda tale jus importat. Benè verò distinguitur hoc jus in illud, quod est perpetuo annexum alicui titulo beneficii, & quod solum est annexum temporaliter, contingenter, & separabiliter. Et hoc jus potest dici præbenda temporalis, non ut contradicta spirituali, sed perpetuæ. 42

Et si dicatur, quod omnis præbenda, quæ est jus spirituale est perpetuo annexa alicui beneficio saltem in genere, & sic omnis præbenda importat titulum aliquem beneficialem, vel illum supponit. Respondetur, quod in genere omnis præbenda est perpetua, sed respectu certi beneficii alia est perpetua, & hæc non optatur, nisi optato novo titulo beneficii. Alia verò est annexa solùm temporaliter, & hæc ab habente aliquod beneficium illius generis, cui est annexa præbenda, optatur non optato novo titulo. 43

Hinc quoque apparet, quod non benè Ancharanus, & Butrius, & cum illis Tondutus *d. cap.110. numer.3.* & Pasqual. *in quæst. jurid. quæst.231. numer.6.* dixerunt in optione non acquiri novum jus spirituale, sicut nec benè dixit Barbosa *d. cap.30. de Canon. numer.2.* quod ubi præbendæ sunt separabiles à singulis Canonicatibus reputantur quid merè temporale, nec intelligitur dimitti, seu optari præbenda Canonicalis quatenus veræ præbenda est jus spirituale. Nam jus habendi hoc numero corporale ex annexione ejus ad spirituale, & ex jure divino volente ut Clericus vivat de altari, est essentialiter jus spirituale. Nam & tale jus, si divisim est separabile, v.g. à singulis Canonicatibus, non est separabile à Canonicatu, & sic semper est quid annexum, & fundatum in spirituali titulo. Nec potest dici quòd per optionem ex separatione à titulo beneficiali amittat spiritualitatem; quia spiritualitatem non habet ex annexione ad illum numero titulum à quo separatur, sed ex annexione ad titulum genericum Canonicatus, quæ annexio numquam solvitur. Non potest verò negari, quod non sit novum jus, cùm sit jus de novo habitum, quod prius non habebatur. 44

Benè verò dixerunt Jo. Andr. Domin. *n.4. in fin.* Franc. *n.6.* Rota *decis.597. n.3. & 910. n.10.* coram Penna, & alii quod in hujusmodi præbendis per optionem non acquiritur novus titulus beneficii, sed ex præhabito titulo solum variatur jus ha- 45

habendi corporale, & magis propriè dicitur, quod ex præhabito titulo variatur non præbenda, sed portio præbendæ.

46 Hinc facilè solvitur quæstio an consuetudo optandi sit contra jus, vel sit præter jus. Quod enim propria auctoritate non possit aliquis beneficium consequi habetur *ex cap.3.& final.de instit.& cap.per nostras de jure patron.* Et ideò optare novum titulum sine Episcopi, aut Pontificis institutione, aut collatione, est contra jus commune. Probus hic ad Jo.Mon.*num.*28.Rota *d.decis.6. de consuetud.* Tondutus *d.cap.*110.*num.*3. Moneta *de opt.cap.2. quæst.2. numer.*16. Barbosa *de Canon.cap.*30.*num.*4.Gonzal.*d.gloss.*33.*numer.*13. Calder.*cons.7.de consuet.* Milius *in repert. v. consuetudo optandi*, Ventrigl.*in praxi annot.6.n.*3. Palaus *tom.*1. *tract.*13. *disp.* 2. *punct.*22. §.6. *num.*3. Hoc autem dupliciter contingit, vel quia optatur novus titulus distinctus etiam genere, vel specie, ut cùm Portionarius optat præbendam Canonicalem, Canonicatum, vel quia optatur novus titulus saltem numero sub eadem specie distinctus, ut cùm Canonicus optat aliam numero præbendam perpetuo alteri Canonicatui unitam.

27 Sed non est contra jus commune, quod Capitulum bona sibi propria administret, & ea modis sibi benè visis salva justitia distributiva dispenset, & sic quod divisis bonis communibus in particularibus præbendis, seu potius portionibus à quocumque beneficio singulari separabilibus, eas gradatim dispenset dando antiquioribus meliores, seu permittendo ut consuetudine ita fiat, ut antiquiores gradatim meliores hujusmodi præbendas optent. Et in hoc sensu verum est, quod consuetudo optandi hujusmodi præbendas à quocumque singulari Canonicatu separabiles, & quæ sunt inter bona capituli, non est contra jus commune, & quod optando istas non acquiritur novus titulus, sed mutatio fit ex vi præcedentis tituli, prout tenuerunt hic Joan.Andr. Domin.*n.*4. Franc.*n.*6. Anchar. *n.*2.Butr.*n.*3. & alii DD.citati.

48 Pariter hinc habetur quantum tempus sit necessarium ad præscribendam hanc consuetudinem. Nam juxta dicta *sup.cap.1.quæst.1.art.*8. ad præscribendam consuetudinem hanc prout est contra jus, scilicet quando non potest optari nova præbenda, nisi optato novo titulo, requiruntur ad minus quadraginta anni; quia tot requiruntur ad præscribendum contra Ecclesiam. Et ita tenent Rota *d. decis. 6.de prabend.* Calder. *consil.7. de consuetud.* Gonzalez *d.gloss.* 34.*num.*13.& 14. Tondutus *d.cap.*110. *num.*4. Barbos.*de Canon.cap.*30.*num.*3.& 4.Moneta *de opt. cap.2. quæst.2. num.*15. Palaus *tom.2.tract.13.disp.2.punct.22.* §.6. *num.*3.Sed quando consuetudo ista est præter jus, præscribitur spatio 10.annorum sicut aliæ consuetudines, quæ sunt præter jus. Et talis est consuetudo optandi præbendam ex vi tituli habiti; nullo novo optato titulo beneficii. Et in hoc sensu vera est sententia Jo.Andr.Anch.Butr.Domin.& Franc.locis citatis, & id docent DD.suprà in hoc num. citati.

49 Stante igitur hac optandi consuetudine jam constat, quod Canonici seu qui sunt de Collegio habent jus ad rem respectu præbendarum, quæ optari possunt, Gonzal. *d. gloss.*34.*num.*126. Et ibi non tantum semel, sed toties quoties præbendæ vacant, possunt optare, Domin. *n.*5. Barbosa *n.*3.& *de Canon.cap.*30.*n.*7.Bellam. *decis.*229. Moneta *cap.*4. *q.*1.*n.*15.

50 Consuetudo tamen ista non potest præjudicare juri alterius; ideò si præbenda vacans sit debita alicui, non potest optari. Id verò est de jure, quod est de consuetudine, ut hic advertit Gloss.

51 Supposita igitur hac optandi consuetudine decernitur in hoc textu, quod per mandatum Pontificis de providendo seu per expectativam, & reservationem etiam motu proprio de beneficiis incertis vacaturis pro aliquo in terminis hujus nostræ decretalis non tollitur optio, Garz. *part.*5. *cap.*1. *numer.*451. Moneta *cap.*3.*numer.*43.& *cap.*8. *num.*14.

52 Et amplius colligit Domin. *num.*2. Franc. *num.*4. quod in dubio Papa non censetur tollere consuetudinem, ut in hoc textu & suprà *cap.1.de constitut.in hoc lib.& cap. constitutus, suprà de rescript.* Quod tunc maximè verificatur, quando sine præjudicio consuetudinis, mandatum Papæ non potest habere effectum sicut in casu hujus textus, Domin. *n.*2. quod verò dicitur de consuetudine asseritur etiam de jure alterius. Non enim in dubio asserendum est Papam habuisse intentionem præjudicandi juri quæsito alterius, ut dicti DD. advertunt.

Supradicta tamen vera sunt, ubi in mandato Papæ non 53
derogetur expressè consuetudini. Quod autem ad hunc effectum sufficiant clausulæ generales *non obstantibus consuetudinibus, &c.* dixerunt Garz.*part.*5.*cap.*1.*num.*451.Gonzal.*d.gloss.*34.*num.*3.Rota *decis.5. de consuetud.* Ex qua deduxit Franc. *n.*4. quod si Papa mandat simpliciter alicui provideri de præbenda, ubi non est distinctio graduum, sed omnes sunt præbendæ inter quas media optione pervenitur ad majorem ex consuetudine, clausulæ generales *non obstantibus consuetudinibus, &c.* non tollunt optionem, quia gratia impetrantis habere potest locum suum etiam servata consuetudine, Domin. autem §.*In præbendis num.*4. Ex Lap. Abb.ait, quod si Papa confert alicui certam præbendam, vel mandat alicui specialiter, ut illam conferat illi, si Papa hoc mandat motu proprio, vel saltem cum clausula generali *non obstante*, vel etiam ad petitionem alterius, & cum speciali clausula *non obstante*, tunc locus non erit optioni, ex quo mandat provideri de illa, cum illis clausulis. Præfati autem DD. Garz. & Gonz. citant etiam Crescentium & Cassador. sed Crescent. loco citato *scil. decis.9. de concess. prebend.* ad hoc, ut in hoc casu tollatur optio requirit; quod mandatum duo habeat copulativè, scilicet quod sit datum motu proprio, & habeat clausulam *non obstante, &c.* Cassador. autem *decis.4.eod.tit.* satis obscurè loquitur, & videtur velle, quod mandatum de providendo datum motu proprio tollat optionem, si verò sit datum ad alicuius instantiam eam etiam tollat, si habet clausulam *non obstante*.

Mihi in hac parte placet consideratio Franc. *d. numer.*4. 54
ut scilicet attendatur si mandatum Papæ munitum clausula generali *non obstantibus quibuscumque consuetudinibus*, possit verificari non abrogata optione. Si enim non posset verificari, dicendum esset in vim talis clausulæ tolli optionem, quia satis constat mentem Pontificis esse, ut mandatum suum locum habeat consuetudine non obstante. Sic si Papa mandaret, ut alicui daretur major præbenda, quæ vacaret, non obstante consuetudine quacumque intelligeretur velle, quod nullus majorem posset optare, cùm eam Pontifex vellet concedi ei, qui gratiam ejus impetravit. Sed ubi gratia concessa impetranti posset habere locum stante optione, non intelligeretur derogatum esse consuetudini ex clausulis generalibus, quia tale mandatum optioni non est contrarium. Ita Franc. & est de mente Rotæ *d. decis.5. de consuetud.* Et non obstaret, si Papa mandaret impetranti concedi præbendam in proximo vacaturam, quia hoc totum verificaretur etiam de minori dimissa, quæ vacaret in proximo, quia stante consuetudine optandi censeretur jam vacare, cùm vacaret major, quæ optari posset. Sic enim & in casu hujus textus Papa mandaverat provideri impetranti de præbenda in proximo vacatura, & tamen decernit, quod hoc non obstante, valeat optandi consuetudo. Ubi igitur mandatum Papæ verè est ex terminis ejus contrarium consuetudini optandi, sufficit clausula generalis *non obstante quacumque consuetudine, &c.* ad tollendam illam consuetudinem, sed ubi non est manifesta contrarietas, illa generalis clausula non officit, quia non officit nisi contrariis mandato, cui apponitur.

In optione enim præbenda dimissa ab optante meliorem 55
vacat, Barbos. *hic numer.* 35. ex Monet. *cap.* 4. *quæst.* 5. *numer.*55. Sed numquid vacat ipso jure? si est incompossibilis cum optata ipso jure vacat, secus si non sit incompossibilis. Unde tunc alius illam dimissam non potest optare, vel non potest de ea alteri provideri, nisi qui alteram optavit, vel voluntarius, vel coactus illam dimiserit, Gonzalez *d.* §.34. *numer.*125. ex Put. *decis.*228.*l.*1. & Rota in una Calagurritana de Amarit.18. Decembris 1579. coram Gypsio. Et nihilominus attendi debet, quòd si optans ex post facto meliorem præbendam optatam in effectu consequi non possit, reddit ad dimissam, juxta *cap. si beneficia, infr. de prabend.* ubi Anchatanus *num.*2. Franc. *num.*4. Rota *decis.*160. *num.*4. & 6. coram Eminentiss. Otthob. Gonzal. *d. gloss.*34. *num.*93. Monet. *cap.*5. *num.*68. Barbos. *de Canon. cap.*30. *num.*26.

Advertit autem Franc. §. *in præbendis numer.* 1. quod 56
aliquando sub nomine præbendæ venit Canonicatus, & præbenda simul. Et addit *numer.* 3. quod licèt textus utatur nomine præbendæ, tamen resolutio illius se extendit etiam ad grossos fructus Canonici morientis in Curia, ut

ut optari non possint, etiam si dicti fructus redirent ad Capitulum.

57 Non potest verò consuetudo optandi habere locum in præbendis vacantibus apud Sedem Apostolicam. De hac autem dictione *apud* dicunt Gloss. & Franc. §. *in prebendis num.* 2. quod aliquando idem significat, quod dictio *in*, *ut in cap. statutum in princip. infr. de prebend.* Et idem est beneficia vacare apud Sedem Apostolicam, quod vacare in Curia Sedis Apostolicæ.

58 Limitant tamen hoc aliqui, & volunt dari posse casum, in quo etiam in beneficiis vacantibus in Curia optio locum habere possit, scilicet, si de illis beneficiis Papa infra mensem non ordinaverit, illaque non contulerit, Gloss. Franc. §. *in prebendis num.* 5. & ibi Dom. *in fin.* Barb. *num.* 36. Lap. *alleg.* 82. Gigas *de pens. quæst.* 63. *num.* 11. Monet. *cap.* 3. *q.* 3. *num.* 70. Et hoc in vi *cap. statutum infr. de prebend.* Sed ibi videndum erit, an hoc sit verum; & an illud cap. statutum sit abrogatum *per extravag. ex deb. de elect. & per extrav. ad regimen, de preben.*

59 In ultima verò parte textus Papa arctat jus optandi, sic enim æquum est, ut leges arctent aliquando jus onius, ad vitandas fraudes, & præjudicium alterius, Dom. §. *ne autem num.* 1.

60 Et ideò qui optare volunt intra 20. dies id facere debent, qui dies à die scientiæ vacantiæ præbendæ numerari debent, Gloss. Domin. *num.* 2. Franc. *num.* 1. §. *ne autem*, Barbosa *num.* 21. *& de Canon. cap.* 30. *num.* 5. Tondutus *d. cap.* 110. *num.* 5. Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 75. Nec isti dies divisim conceduntur, ut scilicet major habeat 20. dies, & minor illo alios 20. & illo major alios 20. Sed omnibus collectivè soli 20. dies conceduntur, ut d. DD. advertunt. Verùm tamen est, quod si major differat optare, junior sine præjudicio optare potest, & sub conditione, quod alius optet, vel non optet, & valebit optio conditione purificata. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 8. *& hic num.* 4. Gonz. *d. gloss.* 34. *num.* 76. Monet. *cap.* 5. *quæst.* 1. *num.* 3. istos verò dies numerari debere de momento ad momentum, dixit Franc. *in fin.* Et tamen ubi non est expectator Apostolicus, non obligare legem hanc, sed posse optari post dies 20. si tamen sit statutum, aut consuetudo, ut id possit fieri, dixerunt Domin. *num.* 2. Franc. *num.* 1. Sed tamen benè Franc. advertit non posse fieri statutum contra jus commune. Ex Gloss. tamen & Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 5. vult Ventrigl. *in praxi ann.* 6. *num.* 8. quod Capitulum, & Episcopus possunt abbreviare hos 20. dies, etiam ad duos. Et addit Domin. quod nova consuetudine potuisset introduci, ut etiam expectator Apostolicus per majus tempus expectaret. Sed ubi qui possunt optare id facere nolunt, non est necesse hos viginti dies expectare, ut notant Gloss. Dom. *num.* 3. Franc. *in fin.* Cùm verò isti dies computandi sint à die scientiæ, non sufficit scientia ficta, *de qua in Clem.* 1. *in fin. de concess. preb.* 20. sed requiritur vera secund. Gloss. Dom. Franc. & Lapum.

61 Nota tamdem, quod dictio *liberè* liberam facultatem agendi, minimeque impeditam importat, ut hìc advertit Domin. *n.* 2.

S V M M A R I V M.

62 *Prebendæ reservatæ non possunt optari.*
63 *Reservatio generalis, & specialis, & assertio habet locum in utraque.*
64 *Prebendæ vacantes in curia optari non possunt.*
65 *Etiam si de illis provideat delegatus.*
66 *Idem est prebendam vacare in Curia, & apud Sedem Apostolicam.*
67 *Optio locum non habet in aliis beneficiis reservatis.*
68 *Reservatio generalis, & specialis explicatur in alio sensu.*
69 *An reservatio specialis tollat optionem variè fuit opinatum*, 70.
71 *Reservatio per se precisè non tollit optionem.*
72 *Reservatio non tollit optionem ex eo precisè, quod fiat motu proprio.*
73 *Reservatio specialis ad favorem certæ personæ de beneficio incerto non tollit optionem.*
74 *Reservatio certi beneficii ad instantiam certæ personæ tollit optionem, si sit ex certa scientia, vel adsint clausulæ derogatoriæ generales.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.
75 *Idem dicitur de reservatione facta motu proprio ad favorem certæ personæ.*
76 *Reservatio beneficii jam vacantis, ut valeat debet derogare regulæ de jure quæsito*, 77.
Idem dicitur de reservatione certi beneficii absolutè.
78 *Explicatur qualiter intelligatur, quod reservatio de certo beneficio facta motu proprio tollit optionem.*
Motus proprius non tollit defectum intentionis, 72.
79 *Devolutio collationis beneficiorum ad Papam non tollit optionem.*
Quatuor modis Papa confert beneficia.
Quando confert ex plenitudine potestatis an tollat optionem.
80 *Qualiter valeat consuetudo optandi reservata.*
81 *Reservationem non tollere, quin possint optari prestimonia non unita perpetuo prebendis alii affirmant, alii negant*, 82.
Affirmativa sententia non caret difficultate.
83 *Et servandus est stylus Curiæ.*
Non dantur prebendæ simpliciter separatæ.
84 *In beneficiis resignatis, aut permutatis in Curia non cadit optio.*
85 *Quando in resignatione, & permutatione facta coram Ordinario locum haberi possit optio.*
86 *Quid si resignatio fiat coram Legato.*
87 *Quid in juris patronatu.*

Quæstio unica.

De prebendarum optione.

ARTICULUS I.

An omnes prebendæ optari possint.

62 CONstat ex præsenti textu, quod præbendæ, quæ vacant in Curia optari non possunt. Sed jam communis est conclusio, quod beneficia reservata Papæ optari non possint. Anchar. hìc *in fin.* Dom. §. *in prebendis num.* 3. Franc. *num.* 6. Probus *num.* 18. Card. *cons.* 16. *circa fin.* Rota *decis.* 2. *de consuetud. in novis*, *& decis.* 1. *num.* 4. *de rerum permutatione in novis.* Put. *decis.* 4. *lib.* 2. Mohed *decis.* 297. *sect.* 27. *de prebend.* Lap. *alleg.* 84. *num.* 2. Gigas *de pens. q.* 63. *num.* 9. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 1. *num.* 454. Gonzal. *Gloss.* 34. *num.* 2. *& seqq.* Æneas de Falconibus de reservatione *quæst.* 4. *effectu* 3. *&* 17. *&* 39. *&* 50. Franciscus Marcus *quæst.* 1269. Mandos. *in reg. de annali quæst.* 51. *num.* 7. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 22. *& hìc num.* 16. Franciscus Tondutus *quæst. & resol. benef. cap.* 110. *num.* 6. Et quamplures alii, quos refert, & sequitur Rota *in una Bononien. optionis de mense Ianuarii* 1579. coram Lancelloto, quæ habetur apud Garz. ubi suprà *n.* 452. Cassad. *decis.* 4. *de concess. preben.* Rot. *decis.* 4. *de consuet. in nov. & in recent. decis.* 42. *n.* 3. *&* 4. *par.* 1. *& decis.* 285. *n.* 2. *p.* 9. *& decis.* 18. *n.* 8. coram Eminentissimo Otthobono.

63 Ad hujus tamen assertionis evidentiam videndum est primò, quæ sit reservatio generalis, & quæ sit specialis. Generalem dici illam, quæ habetur in corpore juris, & per jus commune introducta fuit, specialem verò illam esse, quæ habetur in Regulis Cancellariæ, vel etiam in extravagantibus disponentibus ultra jus commune, dixit Moneta *de opt. cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 51. ex Cassad. *decis.* 3. *de reserv. num.* 7. & Gam. *de off. legati lib.* 3. *num.* 121. Et accipiendo generale, & speciale hoc modo assertio est communis, nimirum, quod optio locum non habet in beneficiis tam generaliter, quàm specialiter reservatis.

64 Et sic verificatur primò in beneficiis vacantibus apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana, ut expresè decernitur in hoc textu, & tradunt DD. omnes. Addit verò Monet. *d. quæst.* 3. *num.* 15. quod si contingat aliquem provideri de simili beneficio, aut præbenda, non erit necesse derogare consuetudini de optando, sed sufficiet generalis derogatio statutorum, & consuetudinum, cùm hujusmodi præbendarum dispositio spectet ad Pontificem, *cap. licèt inf. de preb.* Sed melius dictum fuisset, nec esse necessariam derogationem generalem, cùm jam per hunc textum sit generaliter derogatum consuetudini optandi præbendas vacantes in Curia.

65 Est autem adeo verum, quod præbendæ in Curia vacantes non possunt optari, ut hoc verum sit etiamsi inferior Pontifice ex ejus delegatione de hujusmodi præbendis provideat, illasque conferat. Nec obstat, quod in hac decretali, dicatur tunc non habere locum optionem, cùm Pontifex de vacante præbenda ordinat. Gloss. *in v. ordinatur*, Domin. & Franc. Moneta *cap. 3. quæst. 3. num. 63.* Tum quia dicitur Pontifex de præbenda disponere, cùm id fit à Delegato Pontificis auctoritate, juxta *regul. Qui per alium, infra de reg. juris*. Tum quia illa clausula apposita fuit ad excludendum casum, in quo Pontifex infra mensem non disposuisset de præbenda vacante, tunc enim locum habuisset optio jure antiquo illius temporis spectato, ut *ex cap. statutum, infr. de præben.* & advertunt Gloss. *in v. ordinatur*, Dom. Franc. & alii.

66 Et est considerandum, quod paria sunt imò idem beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, & vacare in Curia, ut patet *ex cap. 2. juncto cap. statutum inf. de præb.* & ibi notant Gloss. & DD. & hìc Gloss. *in v. apud Sedem Apostolicam*, & tradunt Mon. *d. c. 3. n. 16.* Put. *decis. 36. l. 1.* Simon. *de reserv. q. 30. n. 2.* & alii.

67 Secundò verificatur assertio principalis in præbendis ubicumque vacantibus, sed dispositioni Papæ reservatis, sive quia vacent per promotionem ad Episcopatum. *Extravag. ad regimen, de præbend. cap. cum in cunctis, §. cum vero, de elect. cap. cum nostris, & cap. post electionem, de concess. prebend. & reg. p. Cancell.* Sive sint beneficia Familiarium Papæ, aut Cardinalium. *Extravag. ad Roman. de præbend. & reg. 4. Cancell.* Sive sint Dignitates Pontificales, & majores post Pontificales in Cathedralibus, nec non valorem 10. Florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis. Item Prioratus, Præpositurae, Præpositatus, & aliæ dignitates conventuales, & præceptoriæ generales Ordinum quorumcumque, sed non militiarum, ut disponitur in eadem 4. reg. Cancell. Sive sint beneficia Collectorum, aut Subcollectorum, in terminis quintæ regulæ Cancell. Sive juxta reg. 7. sint beneficia Cubiculariorum, & Cursorum. Sive juxta reg. 9. Si beneficia vacent in mensibus Papæ reservatis. Sive comprehendantur sub reg. 2. & 3. aut alia Cancell. regula, aut alia reservatione in constit. aliqua Pontificia existente. In his igitur beneficiis sic reservatis locum non habet optio, prout DD. citati tradunt. Et sic sumptis dictionibus generaliter, & specialiter in sensu explicato, verum est, quod optio locum non habet in beneficiis reservatis Papæ generaliter, aut specialiter.

68 Sed alio modo intelligunt alii præfatas dictiones, ut scilicet reservatio generalis sit, quæ fit de aliquo beneficio in genere, vel de beneficiis alicujus generalis personarum. Et sic generalis reservatio est, qua reservantur omnia beneficia vacantia in mensibus Papæ, vel beneficia Officialium Papæ; reservatio autem specialis sit, qua reservatur certum beneficium, ut habet Rota *decis. 28. de præbend. in antiq.* vel reservatur beneficium ad favorem determinatæ personæ. Monet. *cap. 3. quæst. 3.* Intellecta autem distinctione ista in hoc sensu, communis sententia est, quod in beneficiis generaliter reservatis non datur optio.

69 Sed & hoc idem intelligendum esse, si beneficia sint specialiter reservata ad favorem certæ personæ, dixerunt Rota *in Bononien. optionis 9. Ianuarii 1579.* coram Lancelloto, quam refert Garz. *p. 5. cap. 1. num. 452.* allegans inter aliàs Domin. hìc *§. in prebendis num. 3.* Franc. *num. 6.* Probum ad Monachum *num. 18.* Idem quoque tenet Moneta *d. cap. 3. q. 3. concl. 2. num. 41.* adhibita tamen duplici limitatione. Prima est, quando reservatio specialis fit ad instantiam partis, quia tunc cùm reservatio sit ambitiosa, debet strictè intelligi, juxta *cap. quamvis, & si quis propter sup. de rescr. in hoc lib.* Secunda est, si reservatio ad favorem alicujus personę, fiat de non certo beneficio, sed de incerto, ut puta, quod quis duxerit acceptandum.

70 Sed alii distinguunt, nam reservatio de certo beneficio, vel ad favorem certæ personæ, vel fit motu proprio, vel fit ad instantiam impetrantis, si fit motu proprio tollit optionem, non verò si fiat, ad instantiam. Ita pluribus citatis sentiunt Gonz. *ad reg. 8. Cancell. Gloss. 34. num. 2.* Garz. *p. 5. de benef. cap. 1. num. 450.* Citantur quoque Domin. & Franc. qui tamen non ita absolutè loquuntur admittentes reservationem factam motu proprio de certo beneficio tollere optionem, sed addentes clausulam *maximè cum clausula generali non obstante &c.* Unde quod tamquam indubitatum affirmant est, quod ubi reservatio sit facta motu proprio, si habet adjunctam generalem derogationem, tollit optionem, sed si sit facta ad instantiam partis, eam non tollit, nisi adsit expressa, & specifica derogatio juris optandi.

In hac parte autem dicendum primò, quod reservatio beneficii facta per Papam per se præcisè sumpta non tollit consuetudinem optandi. Habetur hoc ex præsenti decretali, quæ primo decernit, quod per mandatum de providendo alicui de beneficio in proximo vacaturo non tollitur optandi consuetudo. Tale verò mandatum reservationem continet, cùm tollat ab Ordinario facultatem conferendi beneficium, & illam Papa ad se, aut suum executorem avocet. Et tamen Papa decernit, quod simile mandatum non aufert optandi consuetudinem. Et quia Pontifex noluit optionem habere locum in beneficiis vacantibus in Curia, ideò expressè huic consuetudini derogavit. Et ratio est, quia rescriptum Papæ non se extendit ad statuta, & speciales consuetudines locorum, nisi id exprimat, ut decernitur cap. 1. supr. de constit. in hoc lib. & ibi probatum est. Et hoc supponunt hìc DD. & maximè Lap. Dom. & Franc. & alii, qui, ut per reservationem tollatur optio, requirunt, quod vel sit facta motu proprio, vel habeat adjunctas clausulas derogatorias. 71

Dicitur secundò, quod ad tollendam consuetudinem optandi per reservationem non sufficit quod reservatio sit facta motu proprio. Ratio est, quia motus proprius in iis, quæ sunt facti, non tollit ignorantiam, quæ potest esse in Principe rescribente; at verò consuetudinis optandi, quæ est specialis hujus, vel illius Ecclesiæ, præsumitur ignorantia in Pontifice, quam non tollit motus proprius, qui propterea non tollit defectum intentionis in rescribente, R.P.D. Fagnan. *cap. super literis num. 38. & 39. de rescript.* Bald. *in l. imperialis, §. si miles de nupt.* Bellam. *decis. 392.* Rota *decis. 119. n. 3. p. 5. recent.* Barb. *claus. 179. num. 47.* Ex eo ergo, quod Pontifex motu proprio reservet sibi beneficium, non sequitur, quod id faciat cum scientia consuetudinis optandi, & cum voluntate, & intentione illi derogandi, sed imò illam ignorare præsumitur cap. 1. supra de const. in hoc lib. Et ideò præsumi debet eum tali ignoratæ consuetudini noluisse derogare. 72

His verò suppositis quatuor casus hic distingui possunt. Primus est, ut ad instantiam alicujus certæ personæ Papa reservet alicujus Ecclesiæ incertum beneficium, ut fit in expectativis, in quibus Papa mandat provideri alicui de beneficio proximè vacaturo. Et hic est casus primæ partis hujus nostræ decretalis, & indubitatum est, quod per hujusmodi reservationem non tollitur consuetudo optandi, prout in eadem decretali decernitur. Nisi ejusdem consuetudinis fiat expressa mentio, & derogatio, Domin. *§. in prebendis num. 4.* Franc. *num. 6.* Monet. *c. 3. q. 3. num. 43.* Rota *decis. 5. de consuetud. in nov.* 73

Secundus casus est, si ad instantiam certæ personæ fiat reservatio certi beneficii. Distinguitur verò hic casus à primò, quod hic expressè contrariatur consuetudini optandi; quia si daretur optio, qui impetravit à Papa certum beneficium, illud consequi non posset, si alius illud optaret; quamobrem dicitur, quod in hoc casu licet per se ex tali reservatione non tollatur optio, ex defectu intentionis in Papa reservante, qui præsumitur ignorare specialem consuetudinem optandi. Tamen vel ubi constet de certa scientia Papæ, vel in Papæ rescripto adsint clausulæ etiam generalissimæ derogantes consuetudini, tollitur optio, quia hoc sufficit, ad hoc, ut in Papa non possit præsumi defectus intentionis, dum ex vna parte disponit id, quod est incompossibile cum optione, & pro alia parte constat, quod vel hoc facit ex certa scientia, vel vult consuetudinem, quæ contraria sit, non obstare. Et sic non est necessaria expressa & specifica derogatio consuetudinis optandi, quia supposita contrarietate expressa dispositionis Papæ ad consuetudinem optandi generalis derogatio consuetudinis æquivalet specificæ. 74

Tertius casus est, si Papa motu proprio reservet certum beneficium ad favorem certæ personæ. Et in hoc casu tertio dicitur idem, quod dictum est in secundo. Licèt enim clausula motus propriis se sola non sufficiat ad tollendum defectum intentionis in Pontifice reservante, si tamen sit in facto talis ex circumstantiis ut æquivalent certæ scien- 75

scientiæ, vel si saltem in Papæ rescripto adsit clausula derogatoria non obstante consuetudine, non potest præsumi defectus intentionis in Papa reservante, & ideò cessat optio, & ei, ad favorem cujus Papa rescripsit debet conferri illud certum beneficium, quod conferri Papa mandavit, ut benè advertunt hìc Lap. Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 6. & est multo magis de mente eorum, qui dixerunt reservationem certi beneficii factam motu proprio tollere optionem.

76 Est tamen considerandum, quod hæc reservatio potest fieri vel antequam beneficium vacet: ut si Papa mandet provideri alicui certæ personæ de beneficio aliquo certo statim ac vacaverit. Et hoc modo verum est, quod dictum fuit, ut scilicet sufficiat clausula generalis derogans consuetudini, ad hoc ut consuetudo optandi abrogetur. Vel reservatio fit de beneficio jam vacante, & ex consequenti postquam antiquior acquisivit proximum jus optandi illud beneficium. Et in hoc casu non sufficit derogare consuetudini optandi, sed necesse est ulterius derogare juri quæsito ab antiquiori optandi illud beneficium, aliter facultas optandi non cessat. Sic si Papa alicui conferat vel mandet conferri certum beneficium jam vacans in Ecclesia, ubi viget optandi consuetudo, opus est, ut derogetur regulæ de jure quæsito, ut advertit Garz. *part.* 5. *cap.* 1. *num.* 455. post Æneam Falc. *de reservat. quæst.* 4. *effectu* 47. *num.* 9. & Sarmen. *reg. de non tollendo jure quæsito* q. 1. *v. septimus modus*.

77 Quartus casus est, si reservatio de certo beneficio fiat motu proprio, & absolutè, non verò ad favorem hujus vel illius, sed & in hoc casu idem dicitur. Si enim hæc reservatio fiat post vacantiam beneficii, jam necessè est derogare duobus, scilicet consuetudini optandi, & juri quæsito ab antiquiori ex vacantia præbendæ, quibus non derogatur ex pura reservatione, seu decreto Pontificis sibi reservantis provisionem beneficii, nisi illa reservatio fiat ex certa scientia consuetudinis, & juris ab antiquiori quæsiti, vel saltem per clausulas sufficientes utrique juri derogetur. Sed si reservatio fiat de certo beneficio vacaturo, ut reservatio tollat optandi consuetudinem, necesse est quod reservatio vel procedat ex certa scientia consuetudinis, vel quod per clausulas saltem generales consuetudini derogetur. Quæ est sententia Lapi hìc, quem sequuntur Domin. *num.* 3. & Franc. *num.* 6. In omnium autem prædictorum confirmationem juvat afferre particulam Eminentissimi Otthoboni *decis.* 53. *num.* 7. Ibi Præsertim quando reservatio est specialis, utpotè facta ad favorem certæ personæ; quia tunc non præsumitur Papam velle præjudicare habentibus ad sui favorem privilegium, aut consuetudinem immemorabilem, aut aliàs legitimè præscriptam; secus verò quando reservatio emanavit per viam legis, aut constitutionis generalis. Rota *decis.* 643. *num.* 1. *&* 2. *p.* 4. *divers. & in Aquilejen. Option.* 14. *April.* 1636. coram Motmanno.

78 Quod verò Rota in illa Bononien. Optionis, Rota coram Puteo *decis.* 4. *l.* 2. & coram Mohedano *decis.* 27. *de Prabend.* & alii plures, quos referunt & sequuntur Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 2. & Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 450. dixerit quod reservatio specialis facta de certo beneficio motu proprio Papæ tollit optionem, id intelligi debet, de motu proprio, qui sit ex certa scientia consuetudinis optandi, & illi æquivaleat, cùm aliàs ex communi doctrina certum sit, motum proprium Papæ, qui non sit ex certa scientia, non tollere defectum intentionis consurgentem ex præsumpta ignorantia specialis statuti, aut consuetudinis optandi, quæ in Papa præsupponitur, juxta *cap.* 1. *supr. de constit. in hoc libr.* Rota *decis.* 33. *n.* 6. *de Prabend. in ant.* Cassad. *decis.* 4. *n.* 4. *de concess. prabend.* Rota *decis.* 8. *n.* 2. *p.* 8. *recent.*

79 Cùm verò Dominicus hìc *num.* 4. advertit, quod quatuor modis Papæ convenit conferre Beneficia tamquam ad se pertinentia, vel scilicet, quia vacent in Curia, vel quia aliàs de jure sint reservata, vel quia ad illum ex negligentia inferiorum sint devoluta, vel ex plenitudine potestatis, benè idem Domin. ait quod in primis duobus modis locum non habet optio. Tertiò autem modo valet optio, ubi est optandi consuetudo, quia devolutio non mutat beneficiorum qualitatem, & spectat ad Papam tamquam ad Ordinarium, seu ad illum, quia via Ordinaria confert, & succedit ut ordinarius, ideò non mutatur status beneficiorum, quæ si sunt optabilia, optari possunt. Domin. §. *in prabend. num.* 4. Franc. *num.* 6. Barbos. *num.* 18. *& de Canon. num.* 30. *&* 24. Gonzal. *d. Gloss.* 34. *nu.* 75. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 26. *num.* 13. Advertit tamen quod cùm beneficiorum collatio non devolvatur ad Papam, nisi ad minus post tempus sex mensium, optio verò debeat fieri intra 20. dies, casus iste non est possibilis, nisi in eo, qui per illud tempus ignoraverit vacantiam, quod ferè est impossibile, ut advertit Ventrigl. *in praxi Annot.* 6. *num.* 18. Quartò etiam modo ait Domin. quod non tollitur optio. Sed ille quartus modus consistit in eo, quod Papa conferat beneficium, licèt de jure Ordinario collatio spectaret ad Episcopum. Quando verò ex hoc tollatur, vel non tollatur optio explicatum est, quia Papa sic conferendo beneficia ea sibi specialiter reservat. Jam verò dictum est, qualiter ex reservatione speciali impediatur optio.

Adeo autem verum est, quod non valet optio in reser- 80
vatis, ut nec vigore alicujus novæ consuetudinis hoc valeat. Distingui tamen debet reservatio in mensibus reservatis Papæ, de qua modo in reg. 9. Cancellariæ, ab aliis reservationibus. Nam in ea regula derogatur expressè consuetudini etiam immemorabili. Et quia quilibet Pontificum eam regulam innovat, ideò nulla potest introduci consuetudo immemorabilis in contrarium, quia omnis talis consuetudo interrumpitur per novam regulam Cancellariæ & promulgationem, & derogationem in eis contentam. Garz. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 450. Rota *in Bononien. Optionis 9. Ianuarii* 1579. coram Lancelloto, *& decis.* 396. *num.* 3. *&* 597. coram Penna. Respectu verò aliarum reservationum posse dari consuetudinem saltem immemorabilem optandi reservata beneficia, tradit Garz. ibid. Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 36. Cald. *cons.* 3. *de consuetud.* Rota *decis.* 642. *num.* 3. *p.* 4. *divers. & decis.* 53. *num.* 5. *&* 6. coram Eminentissimo Otthobono, *& decis.* 18. *num.* 8. Moneta *de opt. cap.* 3. *num.* 105. *& cap.* 8. *num.* 13. & Dec. Quadragenaria tamen consuetudo non sufficeret ex hac ratione inter aliàs, quod hujusmodi consuetudo derogat juri Sedis Apostolicæ, ad quod requiritur centenaria, seu immemorabilis.

Disputat autem Garzias an virtute reservationis Apo- 81
stolicæ impediatur optio in illis Ecclesiis, in quibus non optantur præbendæ, sed præstimonia pinguiora, ut in Ecclesia Corduben. in qua quot sunt Canonicatus, & præbendæ, tot sunt præstimonia illis annexa, sed separabiliter, unde per optionem gradatim Canonici optant præstimonia pinguiora. Non habere enim locum voluit Æneas Falcon. *de renunt. quæst.* 4. *effect.* 9. *quod probat.* Tum quia ex praxi Cancell. ex vi reservationis beneficii reservatur etiam locus, quem habebat præcedens beneficiatus, ex cujus morte vacavit beneficium, unde noviter provisus à Sede Apostolica, licèt non intret in locum defuncti quantum ad stallum in choro, & vocem in Capitulo, intrat tamen quantum ad Cameram seu domum, quæ est annexa præbendæ reservatæ. Secundò, quia si præbenda vacet per obitum beneficiati in curia Romana, sic illa præbenda est reservata, quod simul sunt reservati grossi fructus, etiam si illi grossi fructus redirent ad Capitulum, ut per suam Bullam declaravit Greg. XI. & dixerunt Franc. hìc §. *in prabendis n.* 5. Milius *ver. Consuetudo optandi*. Gigas *de Pensionibus q.* 63. *n.* 10. Francis. Marc. *decis.* 1268. *lib.* 1. Flam. *de resignat. lib.* 2. *q.* 20. *n.* 7. Gonz. *d. Gloss.* 34. *n.* 31. Rota *dec.* 4. *de consuet. in novis*.

Pasqualig. in quæst. moralibus juridicis, quæst. 254. 82
aliter distinguit. Nam bonum præbendale separabile à titulo beneficii, dupliciter potest esse separabile, scilicet absolutè, & simpliciter, itaut præbenda stare possit tamquam corpus separatum, absque eo quod sit annexa alicui Canonicatui. Vel secundùm quid, quia scilicet possit separari ab hoc vel illo Canonicatu, non autem ab omni, sed semper necessario alicui adhæret. Sed & hæc distinctio difficultatem patitur. Nam nullum est præbendale separatum simpliciter, sed solum potest esse separatum ab hoc, vel illo Canonicatu, non verò à Capitulo. Nam præbendale vel est Ecclesiæ, seu Capituli, vel non est. Si non est Ecclesiæ, nec jam est præbenda, nec est bonum capituli, nec cadit sub nostra quæstione: & sine dubio de eo non est optio, quia illud bonum nec est præbenda, nec est Ecclesiæ, nec est annexum alicui titulo Ecclesiastico, in illa Ecclesia in qua sunt Canonici. Unde saltem non

spectat ad illam Ecclesiam, & universitatem, ad quam spectant optantes. Si verò illud præbendale est Ecclesiæ, & Capituli, jam per se est annexum Canoniæ, & non est à titulo beneficii spiritualis separatum, sed jus percipiendi illud præbendale est jus Ecclesiasticum, & Canonicum, & Spirituale, adhærens Ecclesiæ, seu Capitulo, & Canoniæ inseparabiliter, & solum est separabile ab hoc, vel ab illo Canonicatu in particulari. Quamobrem de jure loquendo dicendum est, quod reservatio tollit optionem etiam illorum, quæ non sunt annexa beneficio, aut præbendæ perpetuo, sed separabiliter ab hoc vel illo beneficio, quod est de mente Rotæ *in Lucana Optionis 24. Ianuarii* 1607. coram Manzanedo *num.* 2. quæ habetur apud Marches. *de commiss. part.* 1. *pag. mihi* 385, ubi expresse docet, quod in mensibus reservatis non fiunt optiones domorum. Et ratio est, quia in beneficiis reservatis Papa manus apponit ad illa & ad omnia, quæ illi de facto sunt annexa, & quæ unum faciunt cum titulo, ex quo omnia illa annexa conveniunt beneficiato, seu Canonico: reservatio enim repetit illa omnia de facto annexa titulo, unde illa omnia affecta manent Sedi Apostolicæ. In his tamen servandus est stylus Curiæ. Et hoc addi potest, quod si aliqua præbendalia nedum titulo essent accidentaliter annexa, sed ex statuto, consuetudine, vel privilegio non competerent omnibus Canonicis, sed eorum aliquibus tantùm, ut puta solis tribus antiquioribus, ista bona non caderent sub optione alicujus minus antiqui, & reservatio non faceret ut illa obtineri possent ab inferioribus, sed solis tribus antiquis reservarentur. Ita tamen quod inter illos tres antiquos dari posset optio ad illa bona.

83 Sed Garz. *l.* 5. *cap.* 1. *num.* 457. admittens ex vi reservationis tolli optionem respectu omnium illorum, quæ perpetuo annexa sunt præbendæ, negat hoc de præstimoniis accidentaliter illis unitis, & hanc dicit esse praxim Ecclesiæ Corduben. Et ad primum in oppositum respondet, quod procedit in domo perpetuo unita præbendæ, hæc enim reservata præbenda manet reservata, sed non verificatur in domo reservata accidentaliter, & quam defunctus obtinebat jure optionis, prout etiam docet Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 32. ex Caputaquen. *decis.* 283. *num.* 1. *part.* 2. Palaus *t.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 22. §. 6. *num.* 7. Ad secundum respondet, quod verificatur in grossis fructibus, qui dantur pro præbendis. Verùm in contrarium obstat, quod ex hac sententia sequitur, quod reservatio nec tollat optionem præbendæ, quando præbenda non est perpetuo annexa beneficio, & sic quod reservatio non tollat optionem, nisi quando in optione acquiritur novus titulus, non verò quando sola præbenda temporalis, & à beneficio separabilis obtinetur. Quia & in hoc casu militat ea ratio, quod præbenda non est perpetuo annexa beneficio, sed separabiliter, & accidentaliter. At verò manifestè contra hanc decretalem est asserere, quod reservatio non tollat facultatem optandi præbendas, cùm in ea statuatur, quod præbendæ vacantes in Curia non possint optari, dum de illis per Pontificem ordinatur. Præterea argumentum desumptum ex eo, quod non possint optari grossi fructus ejus, cujus beneficium vacavit in Curia non solvitur sufficienter dicendo cum Moneta, quod loquitur de grossis fructibus unitis perpetuo præbendæ, vel beneficio, quia DD. suprà citati fundati in declaratione Greg. XI. loquuntur de grossis fructibus separabilibus, quia loquuntur de illis etiam in casu, in quo grossi fructus redirent ad Capitulum. Unde etiam eadem ratione non sufficit dicere cum Garz. eos loqui quando grossi fructus dentur pro præbendis, quia fructus, qui in morte beneficiati redeunt ad Capitulum sunt separabiles à beneficio in individuo, seu præbenda unita perpetuo beneficio, & qui non obtinentur nisi media optione, & tamen si possidebantur à beneficiato cujus beneficium vacet in Curia manent affecti Sedi Apostolicæ, nec possunt optari. Quamobrem sententia apposita Garziæ non procedit sine difficultate.

84 Ex his colligitur quando in beneficiis resignatis, aut permutatis locum haberi possit, vel non possit optio. Consuetudo enim optandi non impedit, quod beneficia resignari non possint. Quia per resignationem non tollitur aliquod jus in re, vel ad rem, quod sit proprium proximum, & determinatum, & aliis Canonicis competens, quia consuetudo optandi non dat nisi jus ad beneficia optanda, si vacent, quod est jus vagum, remotum, indeterminatum, & conditionatum, & quod non potest prohibere vacantiam beneficii per resignationem. Et eo magis, quod resignatio de se non impedit optionem. Gonzalez *d. Gloss.* 34. *num.* 25. *juncto num.* 126. *&* 127. Palaus *t.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 22. §. 6. *num.* 2. Quia tamen beneficia resignata in manu Papæ sive sint resignata simpliciter, sive intuitu permutandi, verè vacant apud Sedem Apostolicam, ideoque sint reservata per tradita à Gonzal. *d. Gloss.* 34. *num.* 35. Flamin. *de resign. lib.* 3. *quæst.* 20. *num.* 3. Cassador. *decis.* 4. *num.* 1. *&* 7. *de concess. præbend.* Caputaquen. *decis.* 282. *part.* 2. Rota *decis.* 1. *num.* 7. *&* 8. *de rerum permut. in novis.* Archid. *in fin. cap.* 2. *de præbend.* ubi Franc. sequitur, quod in hujusmodi beneficiis sic resignatis, aut permutatis locum non habeat optio. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 23. & hìc *n.* 20. Tondutus *d. c.* 110. *n.* 8. *&* 9. Et verè sic convenit, quia Papa beneficium, & præbendam apud se vacantem tradit ei, qui illam impetrat, ut eam habeat. Et in permutatione talis est etiam intentio partium, quam Papa approbat.

Sed ubi resignatio, aut permutatio fit coram Ordinario, 85
si verum esset, quod dixit Penna *decis.* 39. *num.* 5. scilicet, quod consuetudo optandi non procedit nisi per obitum, dicendum esset optionem non habere locum in vacantia per resignationem, etiam coram Ordinario. Nihilominus, quod in resignatione, & permutatione coram Ordinario, quod locum habeat optio voluit Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 24. Et antiquitus tenuerunt Domin. hìc, & cum Monet. *de opt. cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 104. apud Tondutum *d. cap.* 110. *num.* 13. voluerit, quod etiam locum habeat optio in beneficiis, & præbendis resignatis coram Legato; hoc non habere locum in Legato, aut Vicelegato Avenionen. dixit ibid. Tondutus ob amplissimas ejus facultates. Sed hìc distinguendum puto. Si loquamur enim de præbendis perpetuo annexis alicui beneficio, non potest habere locum optio etiam in permutatione, etiam si fiat coram Ordinario, quia in istis non potest optari præbenda, nisi optato beneficio, quod in permutatione locum non potest habere per Clem. *de permut.* in qua statuitur collationes beneficiorum aliis, quam permutantibus factas nullius esse roboris; si verò optarentur in hoc casu præbendæ, optarentur etiam beneficia, & sic illa darentur aliis à permutantibus. In resignationibus tamen simpliciter factis hæc ratio non militat, sicut militat in præbendis accidentaliter unitis huic, vel illo beneficio, & quæ possunt optari non optato novo titulo beneficii ex vi prioris tituli. Et ideò in resignatione, & permutatione hujusmodi beneficiorum coram Ordinario potest habere locum optio præbendarum, quia stat quod beneficia dentur permutantibus, & præbendæ, optari possint, ut notavit etiam Tondutus *d. num.* 13.

An verò Legati possint in suis literis derogare consue- 86
tudini optandi, affirmarunt Lap. hìc *vers. Tunc iterum subdistingue*, Domin. *num.* 4. *vers. si verò non consenserunt*, Gambar. *de off. legat. lib.* 3. *num.* 238. Sed negavit Bellam. *tract. de permut. part.* 12. *num.* 6. ea ratione, quia jus alterius in beneficialibus non potest tolli ab alio, quam à Papa. Monet. *de opt. cap.* 8. *num.* 16. Ea enim, quæ soli Papæ reservantur, Legatus authorizare non potest. Eminentiss. Otthobonus *decis.* 53. *num.* 12. Gamb. *de off. legat. lib.* 2. *num.* 415. Rota *in Cracovien. Decimarum* 21. *Maji* 1640. coram Reverendissimo Cerro, §. *nec visum est relevare*. Ideò attendi deberent in facto eorum facultates, & videndum esset an & qualiter in hujusmodi resignationibus, & permutationibus derogent sufficienter consuetudini, & juri optandi, quod habent Canonici. Si enim eis non derogent, vel aliter non disposuerit Sedes Apostolica ex hoc præcisè; quod resignatio, vel permutatio coram illis fiat præbendæ non sunt reservatæ, quia decretalis ista de solis præbendis vacantibus apud Sedem Apostolicam loquitur, & sic illæ solæ sunt reservatæ.

In beneficiis etiam jurispatronatus laici, aut mixti, lo- 87
cum non potest habere optio, nisi de consensu Patroni, aut nisi in contrarium sit consuetudo per 30. annos introducta contra laicum, & per 40. annos contra Ecclesiam. Tondutus *d. capit.* 110. *num.* 7. ex Monet. *cap.* 3. *à num.* 112. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 25. Verùm & de istis beneficiis loquendo dicendum est, quod in præbendis illis beneficiis annexis accidentaliter optio locum habet. Nam patronus habet jus præsentandi ad beneficium, sed non habet jus ad hoc, ut præsentatus, & institutus habeat

hanc,

hanc, vel illam præbendam ex illis, quæ accidentaliter annexa sunt beneficio, & ideò in hujusmodi præbendis, quæ sunt juris ipsius Capituli, locum habet Capituli dispositio, & sic locum habet Capituli consuetudo, ut hujusmodi præbendæ pinguiores per antiquiores optari possint.

S V M M A R I V M.

88 *Omnes de Collegio optare possunt, si hoc illis tribuit consuetudo, statutum, vel privilegium.*
89 *Multi absentes verè dicuntur fictione juris præsentes.*
90 *Consuetudo præter jus extenditur secundùm aliquos de casu vero ad fictum.*
Absentes ex justa causa habentur pro præsentibus de jure, quantum ad percipiendum fructus beneficiorum.
Ius optandi dicitur fructus beneficii.
91 *Si consuetudo expressè excludit fictos præsentes, illi optare non possunt.*
92 *Quando consuetudo optandi est contra jus, non se extendit ad casum fictum.*
93 *Consuetudo contra jus non extenditur ad casum fictum ex identitate rationis.*
94 *Præsentes veri, & ficti non æquiparantur in jure optandi.*
Ius optandi non est propriè fructus beneficii.
95 *Sub motivo legis alia continentur per necessariam consequentiam, & alia per contingentem.*
Intellectus illius Axiomatis tantum se extendit lex, quantum se extendit ratio legis.
96 *Consuetudo ut soli præsentes optent, non se extendit ad fictè præsentes.*
97 *Absentes optare possunt, nisi sit consuetudo in contrarium.*
98 *An absentes sine licentia optare possint.*
99 *Pœnitentiarium posse optare quidam dicunt.*
100 *Oppositum est verum.*
101 *Idem dicitur de Theologo.*
102 *Pœnitentiaria, & Theologalis non possunt optari.*
103 *Pœnitentiarius potest optare portionem separabilem.*
104 *Coadjutus potest optare.*
105 *Vbi non optatur novus titulus, præbenda optata subrogatur in locum dimissæ.*
106 *Vbi optatur novus titulus præbenda dimissa est, in qua succedet coadjutor.*
107 *Coadjutus retento Canonicatu si optet dignitatem, coadjutor succedit in Canonicatu.*
Coadjutor non succedit in bonis separatis à Canonicatu.
108 *Si beneficium coadjuti vacet per obitum, præbenda illius non potest optari.*
109 *Coadjutor non potest optare.*
Quid si coadjutor optare nolit.
110 *Habens beneficium reservatum potest optare.*
111 *Præbenda de novo optata fit reservata.*
112 *Beneficium de novo optatum non fit reservatum.*
113 *Habens pensionem potest optare.*
Pensionem tenetur solvere, qui possidet beneficium dimissum.
114 *Qui optat retinendo beneficium tenetur solvere pensionem.*
Quia si pensio posita fuerit super fructibus beneficii, & præbendæ.
115 *Excommunicatus potest aliquando optare*, 116.
117 *Et quid de irregulari*, 119.
118 *Quid de eo, qui obtento beneficio factus est cæcus.*
120 *Clericus in sacris quando possit optare.*
121 *An habens Canonicatum sub lite potest optare.*
122 *An qui habet dignitatem minorem possit optare majorem.*
123 *In materia optionis attendi debet consuetudo.*

A R T I C U L U S II.

An quilibet de Capitulo optare possit.

88 EX multiplici capite est difficultas circa præsentem articulum. Quæritur enim primò, An solis Canonicis conveniat optare? Cui quæstioni respondetur, quod cùm optio respiciat liberam electionem alicujus vel præbendæ, vel fructus, vel commodi ac boni temporalis spectantis ad aliquod Collegium, aut corpus alicujus universitatis, ideò soli illi optare possunt, qui sunt de corpore communitatis. Cæterùm licèt optio magis regulariter competat Canonicis, qui gradatim ubi est consuetudo optant pinguiores præbendas, tamen jus optandi omnibus beneficiatis qualitercumque competit, qui sint partes alicujus Capituli, vel Collegii, & quibus jus optandi tribuit vel consuetudo, vel statutum, vel privilegium. Ideò optio competit Cardinalibus, & equitibus Jerosolym. & ubi est consuetudo, quòd Dignitates optant præbendas Canonicales, & idem faciunt Portionarii. Hoc tamen semper est considerandom, quod consuetudo optandi est stricti juris, nec se extendit de persona ad personam. Ideò ex vi consuetudinis per quam concessum est Canonicis optare præbendas Canonicales, non possunt illas optare Dignitates, aut Portionarii. Viden. Moneta *de opt. cap. 4. q. 1.*

Quæritur secundò, An ubi est consuetudo, quod soli 89
præsentes optent, possint optare, qui fictione juris sunt præsentes, ut qui absunt vel in servitio Ecclesiæ, vel in obsequio Episcopi, vel manent in Curia, ut serviant Papæ, vel etiam in scholis ut adiscant. Omnes enim isti ex legis statuto censentur præsentes, ut fructus præbendarum suarum suos faciant, & habeant, ut de servitio Papæ habetur, *cap. Cùm dilecti, & de servitio Episcopi, cap. Ad audientiam, & cap. De cætero, & de servitio Ecclesiæ, cap. Ex parte el 2. de Cler. non residen. & cap. unic. eod. tit. in hoc lib. & cap. Cùm non decent. infr. de elect.* Et de absentibus causa studii, *cap. Tua fraternitati, de Cler. non resid. cap. licet, de Præbend. cap. fin. de Mag. c. 2. infr. de privil. & in Concil. Trid. sess. 5. cap. 1. de reformat.* Dubitatur propterea an isti in jure optandi censendi sint esse præsentes, licèt verè absint, ob causam aliquam, ex relatis. De absentibus enim manentibus in Curia in servitio Papæ, quod possint optare docent hic Jo. Andr. & Imola, Dom. *num. 6.* Franc. *num. 7.* & ex Rom. *decis. 6. num. 2. de consuet.* Moneta *de opt. cap. 4. qu. 3. num. 32.*

Moventur verò primò, quia consuetudo optandi est præ- 90
ter jus, at verò consuetudo præter jus extenditur de caso vero ad casum fictum *per not. ad cap. cùm in tua de decim. & in l. omnes populi, ff. de just. & jur.* Sed hanc rationem rejicit Moneta *num. 33.* sentiens consuetudinem optandi esse contra jus, juxta probata ab illo *cap. 2. quæst. 2. consl. 1.* Sic enim, ut dictum est suprà *num. 36.* Quando non potest optari nova præbenda, nisi optato novo titulo beneficii, consuetudo optandi est contra jus. Alia propterea ratione movetur Moneta *d. num. 33.* nimirum, quia absentes ex aliqua ex prædictis causis habentur pro præsentibus de jure communi, quantum ad percipiendos fructus suorum beneficiorum, ut ex juribus citatis constat, at verò jus optandi inter hujusmodi fructus computatur, sunt enim emolumenta possessionis beneficiorum, ut post Gloss. *in cap. cùm olim, verbo Capitulo, de major. & obed.* Jo. Silvest. *de benef. 3. part. 4. quæst. 40. num. 4.* tenent, Gonzal. *ad reg. 8. §. 2. proœm. num. 26.* Cassador. *decis. 3. de pens.* Nec obstat, quod consuetudo contra jus non extendatur de casu vero ad fictum, quia hæc regula fallit primò, quando in casu omisso à consuetudine militat omninò eadem ratio, tunc enim non dicitur fieri extensio, sed idem casus dicitur comprehendi in ratione consuetudinis. Secundò illa regula fallit, quando casus verus, & fictus æquiparantur à lege, tunc enim consuetudo superveniens in uno casu, se extendit ad alium, quia tunc extensio non fit ab homine, sed à lege.

Sed ad quæstionem respondetur distinguendo, quia con- 91
suetudo, ut soli præsentes optent, ad absentes ex aliqua justa causa etiam à lege approbata potest se habere vel contrariè, vel negativè. Contrariè quidem si consuetudine expressè introductum sit, ut absentes etiam si sint in servitio Papæ, vel Episcopi, vel Ecclesiæ non optent, ita quod jam casu dato hujusmodi absentes non fuerunt permissi optare. Et in hoc casu, cùm consuetudo positivè, & expressè excludat casum hunc fictum, implicat dicere, quod ad illum se extendat, sed omninò certum est hujusmodi absentes optare non posse.

Negativè verò potest se habere consuetudo ad hujusmo- 92
di absentes, si consuetudo sit ut absentes non optent, sed tamen non sit positiva consuetudo in contrariũ, ut non optent

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

absentes tales. Est autem considerandum, quod si casus optionis advenit, & absens ex aliqua ex dictis caussis voluit optare, si permissus fuit, jam facto declaratum fuit, consuetudinem excludentem absentes ab optando, non excludere absentes ex aliqua ex illis caussis; sed si exclusus fuit, tunc intrat quæst. an justè fuerit exclusus, vel an debuerit includi. In quo casu dicitur, quod in quantum consuetudo optandi sit contra jus merito absens etiam ex aliqua ex illis caussis excludi debet ab optando, quia tunc consuetudo est stricti juris, & intelligenda propriè, & strictè de solis verè præsentibus per exclusionem cujuscumque absentis, ut benè docent hic Archidiac. Butt. & Inde de Lign.

93 Nec admitti debent limitationes positæ à Moneta, ut scilicet consuetudo contra jus extendatur de casu vero ad casum fictum, seu de proprio ad improprium, si adsit omnimoda identitas rationis: Nam numquam adest hæc omnimoda identitas, quia præsentes veri, à fictis distinguuntur, & quia consuetudo non habet vim nisi quatenus approbata à Principe, ideò non potest deduci, quod ex quo Princeps approbavit eam in casu vero & proprio, voluerit eam approbare in casu ficto, & improprio. Hoc enim est contra juris regulas, quæ volunt strictam fieri interpretationem.

94 Ideò nec approbatur secunda limitatio, ut scilicet consuetudo contra jus extendatur de casu vero ad fictum, quando casus verus, & fictus æquiparantur in lege, eo quod tunc casus fictus dicatur in ratione legis comprehendi, Hoc enim non procedit nisi æquiparatio sit in casu singulari, de quo est controversia. Cæterùm non valet hæc consequentia, præsens verus, & præsens fictus æquiparantur in perceptione fructuum præbendarum; ergo æquiparantur in consuetudine optandi, quæ sit contra jus; quia nec jus optandi propriè est fructus beneficiorum, sed est emolumentum ab extrinseco beneficiatis concessum, & si sit contra jus, non potest nec debet intelligi concessum nisi cum restrictione, & ita ut quando minus deroget juri. Et sic etiam non sequitur, quod ex quo præsens verus, & fictus æquiparantur in perceptione eorum, quæ sunt beneficiorum fructus propriè dicti æquiparentur etiam in perceptione eorum, quæ non sunt fructus proprii; Unde de facto isti præsentes veri, & ficti non æquiparantur in perceptione distributionum. Glos. *in d. cap. ad audientiam in v. integre*, & R. P. D. Fagnan. *n. 7. de Cler. non resid.*

95 Et quantum ad fundamentum quod fit in comprehensione sub ratione legis; considerandum est, quod sub motivo legislatoris quædam comprehenduntur per necessariam consequentiam; ut in materia justitiæ, si Princeps decernat dari Petro hæreditatem ejus, qui decessit ab intestato, quia Petrus est filius defuncti, sequitur, quod eadem ratione hæreditas alia adjudicari debet Paulo, vel Andreæ, vel Jacobo filiis; quia hæc est necessaria consequentia, filius est hæres patris decedentis ab intestato; ergo Petrus, Paulus, Andreas, &c. qui sunt filii debent esse hæredes. Sed aliquando ad motivum legislatoris consequentiæ particulares non deducuntur, nisi per consequentiam contingentem, & non necessariam, & non habentem, propterea vigorem obligandi, nisi Princeps ipse talem consequentiam deducat, & approbet. Sic quia utile est reipublicæ ad vitanda homicidia, lites, & odia, potest ex hoc principio deduci, quod nec hominibus, nec mulieribus, nec senibus, nec juvenibus, nec ignobilibus, nec nobilibus. Liceat arma deferre, vel etiam in domo retinere; & tamen si Princeps solum jubeat, ut arma non deferantur, non jubet, quod non retineantur. Et si jubet ut non deferatur unum genus armorum præceptum ad aliud genus non se extendit. Et si expressè prohibet, ne viri deferant arma, hoc non se extendit ad mulieres. Et sic nec lex, nec consuetudo se extendit, vel de casu ad casum, vel de persona ad personam, vel de loco ad locum. Et dum dicitur, quod tantum se extendit lex, quantum se extendit ratio legis, respondetur, quod in consequentia negativa, regula est vera, scilicet dicendo ad hoc non se extendit ratio legis adæquatè, ergo neque ad hoc se extendit lex. In consequentia verò affirmativa, etiam regula vera est, ubi consequentia est necessaria, sed ubi consequentia est contingens, regula illa non est vera, quia non est cujuscumque Doctoris ex ratione legis deducere consequentias ad determinatos casus, sed hoc est proprium legislatoris, qui tantum deducit, quantum se deducere exprimit, & ideò lex ejus ad alios casus, aut personas, aut loca non se extendit. Quod maximè verum est, ubi lex vel consuetudo est contraria juri communi, & illi derogat.

Sed etiam in casu, quod consuetudo optandi non sit contra jus commune; quia nihilominus semper est contra jus 96
tertii, nimirum contra jus verè præsentium, dicendum est, quod consuetudo ut soli præsentes optent, non se extendit ad fictè præsentes, & verè absentes. Quia & consuetudo, quæ est contra jus tertii strictè debet interpretari; & potius præsumi debet, quod qui introduxerunt ex usu, ut soli præsentes optent, id intellexerint de verè præsentibus, quibus hoc est magis favorabile. Unde nisi aliunde constet de contraria intentione eorum, qui induxerunt consuetudinem, ut soli præsentes optent, quod scilicet intellexerint tam de verè, quàm de fictè præsentibus, de solis verè præsentibus debet intelligi.

Sic igitur, quia consuetudo optandi non excludit absen- 97
tes, ex eo quod præsentes optent, non remanent exclusi absentes, nisi in contrarium sit specialis consuetudo, quæ absentes excludat. Sed data hac consuetudine absentes veros ab optando excludente, & nisi adsit specialis consuetudo limitans hoc ad solos absentes tam verè, quàm fictè, consuetudo intelligi debet ut excludens absentes omnes, etiam dato, quod alios, quantum ad aliquem effectum aliqui ex illis absentibus sint præsentes fictione juris.

Dubitari autem hic ulterius potest, an Canonicus absens 98
sine licentia optare possit, ubi est consuetudo, quod absentes optent. Nam *in decis. 571. Rotæ part. 4. tom. 3. recent. n. 9.* allegatur quod quidam Henricus fuerit optandi incapax, ex eo quod abfuerit à Capitulo celebrato 19. *Febr.* 1616. absque licentia. Et dicta incapacitas admittitur à Rota. Verùm hoc procedebat ex vi statuti particularis Ecclesiæ Heldesimen. Absolutè autem loquendo, ex eo, quod quis absit sine licentia non perdit jura sua, nisi adsit lex specialis in contrarium. Itaque attendenda erit consuetudo loci, in dubio autem, non debebit excludi absens sine licentia ab optando. Quoniam verò Dignitates, Canonici, aut portionarii absentes per longius tempus, quàm per tres menses puniendi sunt privatione fructuum, ut habetur in *Concil. Trid. sess. 24. cap. 12.* non per hoc Canonicus absens poterit privari jure optandi, quia optio non est propriè fructus beneficii, nisi sit tanta, & tam longa, & tam contumax absentia sine licentia, ut hac pœna etiam puniendus sit, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones.

Quæritur tertiò, an Pœnitentiarius alium Canonicatum, 99
aut præbendam possit optare. Affirmat Moneta *de opt. cap. 4. quæst. 1. num. 11.* & ratio ejus est, quia regula hujus nostræ decretalis est, quod antiquiores possint optare, regulæ verò universali standum est, donec aliunde exceptio probetur *cap. 2. de cognat.* Leprof. & DD. *in rubr. de reg. jur.* & Covar. *lib. 2. var. cap. 12. num. 4.* Nam indefinita æquipollet universali, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed hæc ratio non urget. Neque enim decretalis ista decernit, quod quicumque antiquior possit optare, sed ex suppositione consuetudinis, ut antiquiores optent, dicit consuetudinem esse laudabilem. Cæterùm an consuetudo ista comprehendat, vel non comprehendat omnes antiquiores non determinat.

Et ideò communior sententia, & vera est, quod Canoni- 100
cus Pœnitentiarius non possit aliam præbendam optare. Propriam enim præbendam non potest mutare, nisi officio relicto, quia illa est immutabiliter, & perpetuo illi officio unita. Aliàs verò non convenit, quod Pœnitentiarius dimittat officium Pœnitentiarii, quod qualitates speciales, & singulares requirit. Et in hanc partem tenent Navar. *cons. 22. de præbend. aliàs cons. 15. de reb. Eccles.* Sayr. *decis. 22. de præb.* Gonz. *d. Gloss. 34. n. 78. & 79.* Barbosa *de Canon. cap. 26. n. 23.* & hìc *n. 13.* Palaus *tom. 2. tr. 13. d. 2. p. 22. §. 6. n. 8.* Garz. *p. 5. c. 4. n. 134.* Ubi refert declarat. S. Cong. Concil. hujus tenoris: *Pœnitentiarius nec retento, nec dimisso officio potest optare aliam præbendam, cujus officio fuit perpetuo unitus unus Canonicatus, & certa præbenda ex hoc decreto Concilii, & authoritate Apostolica unio confirmata fuit.*

Et propterea idem dicendum est de Theologo ut benè col- 101
ligunt Gonzal. *d. n. 78. & 80.* Barbosa *d. n. 23.* Palaus ubi suprà, Garz. *d. n. 134. ubi & hoc fuisse decisum à Sac. Cong. Concil. 26. Februar. 1606.* per hæc verba: *Cong. Concilii censuit, obtinentem præbendam Theologalem non esse admittendum ad jus optandi competens Canonicis.* Quod & fuit dictum à Rota *in Lucana 24. Ianuar. 1067.*

Et

102 Et viceversa nec Pœnitentiaria, nec Theologalis optari possunt. Cujus ratio est, quia hujusmodi officia requirunt particulares, & præcipuas qualitates, quas regulariter non habent omnes, quibus competit jus optandi. Et circa hoc adsunt istæ declarar. S. Congreg. nimirum. *Non potest optari præbenda, quæ fuit erecta, & deputata in Theologalem pro Theologo à sequenti Canonico*, & 12. *Februar.* 1607. *Cong. Concilii censuit tam Theologi, quàm Pœnitentiarii præbendam, etiam postquam est effectum sortita, non subjacere optioni*. Et ita hoc docent Garz. ubi suprà *num.* 132. qui has declarationes refert. Moneta *de opt. cap.* 3. *quæst.* 6. *à num.* 98. *dicens fuisse decisum per S. Cong. in una Mediolanen.* Et fuit idem dictum per Rotam *in d. Lucana* 24. *Iannar.* 1607. Barbos. *de Canon. cap.* 26. *num.* 23. *cap.* 21. *num.* 19.

103 Ubi tamen contingat præbendam aliquam, vel portionem, aut præstimonium posse optari non dimissa, nec præbenda habita, nec officio nec poterunt Pœnitentiarius, & Theologus optare, quia tunc nec dimittitur officium, nec præbenda officio annexa dividitur, vel mutatur, sed solum, quod vacat priori adjungitur. Ventrigl. *in praxi annot.* 6. §. *un. num.* 24.

104 Quæritur quartò an Canonicus habens coadjutorem cum futura successione possit optare. Cùm verò Gonzalez *d. Gloss.* 34. non nisi cum distinctione quæstionum hanc definierit, quam distinctionem latè impugnant Moneta *de opt. cap.* 4. *quæst.* 8. *à num.* 159. & Garz. *de benef. part.* 4. *cap.* 5. *num.* 19. respondetur absolutè, quod nisi contraria aliqua consuetudo obstet, coadjutus non obstante, quod habeat coadjutorem cum futura successione potest optare, ut citati DD. tenent, & cum illis Barbosa *de Can. c.* 29. *num.* 29. & hic *num.* 10. Ita tamen, quod in præjudicium coadjutoris non potest coadjutus optare, minorem præbendam. Ventrigl. *in praxi notabilium annot.* 6. *n.* 13. & est de mente Rotæ *decis.* 140. *p.* 4. *tom.* 2.

105 Triplex tamen casus distingui debet. Primus est, in quo Canonicus retento titulo Canonicatus, solum novam præbendam optat, & eam, quem habet dimittit. Et in hoc casu secundùm Garziam *d. cap.* 5. *num.* 122. præbenda pinguior, quæ optatur subrogatur in locum minoris præbendæ, quàm coadjutus dimittit, & sic futura successio coadjutori concessa intrabit in ea præbenda subrogata. Gratia enim coadjutoriæ cum futura successione confert coadjutori beneficium coadjuti cum ejusdem præbenda, & juribus, cùm verò optio spectet ad jura beneficii, ad idem spectat etiam præbenda optata, quia ad idem spectat præbenda jure optionis consecuta, & ideò in eadem succedit coadjutor.

106 Secundus casus est, si coadjutus optando mutet titulum beneficii, & dimisso quem habet, alium titulum optet. In hoc verò casu beneficium optatum non subrogatur in locum dimissi, nec coadjutori competit succedere in beneficio, & præbenda optata, sed in minori, quæ post optionem remanet. Gratia enim coadjutoria se habet sicut gratia expectativa, quæ juxta hanc decretalem non derogat consuetudini optandi, si adsit, sed expectans in vacantia obtinet illud beneficium, quod post optionem remanet vacans; unde illud beneficium censetur de proximo vacare, non quod fuit beneficiati in proximo defuncti, sed quod vacat præmissa optione, si alii beneficiati optare vellent.

107 Tertius casus est, si coadjutus retento beneficio, & præbenda, quam habet, aliud beneficium & præbendam optet, ut si retento Canonicatu, & canonicali præbenda, optet dignitatem. In hoc enim casu coadjutor coadjuvabit in Canonicatu tantùm, & Canonicus coadjutus tenebitur residere in dignitate. Coadjutor verò succedet in Canonicatu, non verò in dignitate. Sic etiam coadjutor non succedet in bonis à Canonicatu, & præbenda separatis, quæ coadjuto nec bona non competunt ratione sui Canonicatus, sed ea titulo antiquitatis suprà Canonicatum, & præbendam optavit, licèt ea Canonicatus non essent annexa. Rota *decis.* 385. *num.* 2. *p.* 3. coram Verallo *decis.* 281. & 282. *p.* 2.

108 Si tamen beneficium coadjuti vacet per ejus obitum, & aliàs in mensibus Ordinariis, tunc beneficium illud, & præbenda non poterit optari, sed per coadjutorium jus optandi censebitur sublatum, ut decisum fuit per Rotam *in una Capuana optionis* 23. *Martii* 1609. coram Lancelloto, *Passer. in Lib. I. Sexti Decret.* quam sequitur Garz. *p.* 4. *cap.* 5. *num.* 122. Ventrigl. *in prax. adnot.* 6. *num.* 15.

109 Coadjutor verò cùm nondum habeat titulum beneficii non potest pro se ipso optare, sed nec pro coadjuto, nisi optet tamquam Procurator illius, aut negotiorum gestior & coadjutus, ubi opus sit, ratam habeat optionem nomine suo factam. Moneta *d. c.* 4. *à num.* 163. Barbos. *de Canon. cap.* 29. *num.* 29. Garz. ubi suprà *num.* 119. Si verò pinguiorem præbendam nollet coadjutus optare in coadjutoris præjudicium posset coadjutor implorare officium superioris, qui ubi coadjutus non haberet justam causam non optandi, sed ex odio abstineret, posset illum ad optandum compellere. Ita Ventriglia *in praxi adnot.* 6. *num.* 14. Sed quis esset hic superior? Non credo, quod Episcopus posset compellere coadjutum ad optandum, etiam illi constaret, quod ex odio in coadjutorem nollet optare, quia optio libera est, & neque ex justitia, neque ex alia lege Canonici optare tenentur. Unde Canonicus, qui non vult optare utitur jure suo. Quod verò id faciat ex fine malo, id malum est, & ille hunc malum animum deponere debet, sed non per hoc tenetur optare, si non vult optare. Si tamen coadjutori in gratia coadjutoriæ concessa fuisset facultas optandi, ut fuisse solitum in aliquibus casibus testatur Garz. *p.* 4. *cap.* 5. *num.* 119. posset tunc optare.

110 Quæritur quintò an habens beneficium Papæ reservatum possit optare? Dicitur verò posse id facere, nisi sit in contrarium speciale statutum, aut consuetudo. Rota *in Salmant. portionis* 15. *Octobr.* 1584. coram Vicecomite, & *in eadem* 11. *Februar.* 1585. & *in eadem* 20. *Decemb. ejusdem anni* coram Cantuccio, & *in una Vrgellen. Canonicatus* 7. *Maji* 1593. coram Blanchetto. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 1. *num.* 335. Collectarius *in cap. Dilect. quæst.* 7. *de præben.* Card. *in cons.* 126. Simoneta *quæst.* 45. *num.* 8. Gonzal. *d. Gloss.* 34. *num.* 42.

111 In hoc verò casu, ut videatur an præbenda dimissa remaneat reservata, duo casus particulares subdistingui debent. Primus est, si non optatur novus titulus beneficialis, sed solum nova præbenda. In hoc enim casu præbenda obtenta subrogatur in locum dimissæ, quæ remanet libera, nisi aliundè fiat reservata, & sic præbenda optata reservationi subest, tamquam competens beneficiato ratione beneficii reservati. Et in hoc sensu procedit doctrina Rotæ *in d. Salmantina* 15. *Octobris* 1584. & Veregel. & Gonzal. *d. Gloss.* 34. *num.* 40. Falcon. 4. *quæst.* 87. Probi apud Monac. hìc *n.* 27. Simonet. *quæst.* 35. & hoc tradit Garz. *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 342. post Rot. *decis.* 6. *de consuet. in novis*, & *decis.* 10. *de Præb. in antiq.* Cassad. *decis.* 17. *de Præb.* Put. *decis.* 201. *l.* 2. Mohed. *decis.* 1. *de consuet. aliàs* 46. Rotam *in Oscen. Optionis* 4. *Iun.* 1593. Franc. hìc *n.* 6.

112 Sed alter casus est, si in optione mutatur titulus beneficii. Nam in hoc casu beneficium optatum non subrogatur in locum dimissi, sed dimissum remanet reservatum, nec potest optari. Rota *in d. Salmantina* 11. *Februarii* 1585. coram Vicecomite, & 20. *Decemb. ejusdem anni* coram Cantuccio. Garz. *d. p.* 5. *cap.* 1. *num.* 340. Reservatio enim tollit optionem, ut est probatum; non verò beneficium desinit esse reservatum ex eo, quod ab optante est dimissum. Sed & imò si in optione duret qualitas in optante, quæ fundat reservationem etiam beneficium optatum manebit reservatum, ut si tempore optionis in optante duret familiaritas, vel subcollectoria, vel Pronotariatus, &c. Garz. *d. n.* 340.

113 Quæritur 6. An optare possit, qui habet beneficium de ejus consensu pensione gravatum? Et dicitur posse, nisi obstet specialis consuetudo in contrarium. Barbosa *de Canon. cap.* 30. *num.* 37. Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 43. vel nisi qui consensit pensioni id fecerit in fraudem, quia in proximo sperabat mutare beneficium per optionem. Ita Ventrigl. in praxi notabilium *adnot.* 6. *num.* 29. In similibus tamen hoc semper advertendum non esse fraudem ubi sive injustitia quis utitur jure suo. Sed ut videatur quis postea debeat solvere pensionem, pariter distingui debet, & considerari an optetur novus titulus beneficialis dimisso primò, vel potius optetur solum nova præbenda. In primò enim casu quia dimittitur beneficium cum sua præbenda, super cujus fructibus fuit pensio imposita, ideò pensionem solvere tenetur, non qui optavit, & consecutus fuit aliud beneficium, sed qui optat, vel consequitur beneficiū

ab optante dimissum. Gigas *de pens. quæst.* 63. *numer.* 2. Barbos. *d. cap.* 30. *num.* 17. Moneta *de opt. cap.* 7. *quæst.* 3. *num.* 51. Palaus *tom.* 2. *tractat.* 13. *disp.* 2. *p.* 22. §. 6. *num.* 3.

114 Sed ubi non optatur novus titulus beneficii, sed ex vi prioris tituli, & eo retento optatur præbenda pinguior, ejusdem est pensionem solvere. Pensio enim imposita fuit super fructibus illius beneficii, inter quos sunt fructus præbendæ optatæ ab habente beneficium, & cessant esse fructus præbendæ ab eo dimissæ, & ab alio optatæ; Ideò ille qui retinet beneficium optata pinguiori præbenda, vel portione, aut præstimonio tenetur solvere pensionem super fructibus illius beneficij impositam. Garz. *d. Gloss.* 34. *num.* 47. Rota *in Lucana pensionis* 29. *Ianuarii* 1618. coram Ubaldo Sen. Mant. *decis.* 279. *num.* 1. Seraph. *decis.* 1429. *num.* 1. Barbos. *de Canon. cap.* 30. *num.* 17. Palaus *t.* 2. *tract.* 13. *d.* 2. *p.* 22. §. 6. *num.* 3. Ventrig. *in praxi adn.* 6. *num.* 25. *in fin.* Si tamen pensio fuerit imposita super fructibus, & distributionibus quotidianis Canonicatus, & præbendæ, & contingat, quod vacante Canonicatu, & præbenda, unus fuerit provisus de Canonicatu, & alius optaverit præbendam, quod in eo casu pensio solvenda sit ab utroque secundùm ratam fructuum voluit Ventriglia in praxi notabilium *adnot.* 6. *num.* 25. post plures DD. ab eo citatos, eo quia pensio sit onus reale, & ideò solvenda per possessorem Canonicatus, & præbendæ. Hoc tamen habet difficultatem, quia pensio principaliter videtur afficere titulum Canonicatus, qui non est sine præbenda, licèt possit esse sine hac vel illa, & sic pensio afficit præbendam, ut est aliquid Canonicatus, & veluti fructus illius; quod si præbenda separatur à Canonicatu, & loco illius præbendæ alia eidem Canonicatui adjungitur, videtur quod possidens Canonicatum, & præbendam licèt aliam à priori teneatur ad integram pensionem, ideò punctum hoc esset diligentius examinandum.

115 Quæritur 7. An excommunicatus possit optare? Et respondetur cum eadem distinctione. Nam ubi non optatur præbenda nisi optare novo titulo Beneficii, excommunicatus non potest optare, quia non licèt ei novum beneficium conferre, nec ipse potest illud validè consequi, Suarez *de cens. disp.* 13. *sec.* 1. *num.* 19. Barbos. *d. cap.* 30. *num.* 18. Garz. *p.* 7. *cap.* 13. *num.* 48. *cum seqq.* Ricciul. *de jure person. extra &c. l.* 4. *cap.* 11. *per tot.* Addit tamen Garz. *num.* 50. quod in hoc casu excommunicatus potest declarare mentem suam ad optionem, & illam acceptare, dum tamen expectet ut sit absolutus antequam optatum beneficium sibi conferatur, ut collatio non fiat sibi excommunicato. Et subdit *num.* 51. quod ubi optio non operaretur collationem novi beneficii sed retentionem unius, & dimissionem alterius, non obstare excommunicatio: Nam excommunicatus non est prohibitus dimittere beneficium, vel beneficium retinere. Ventriglia in praxi notabilium rerum, *ann.* 6. *num.* 11.

116 At verò ubi optio fit sine mutationi beneficii, & sine novi tituli assecutione, sed vi beneficii habiti optatur pinguior præbenda excommunicatus etiam notorius, & denunciatus potest optare. Quidquid enim in contrarium senserit Michael Costa *in repet. cap. referente, de præbend.* dicitur quod jus optandi nec propriè est fructus beneficii, nec est de illis, quibus privatur excommunicatus. Nec est eadem ratio de electione, & optione, quia in jura expressè excommunicatus privatur jure eligendi, non verò privatur jure optandi. Et propterea quod in hoc casu excommunicatus possit optare docuerunt Domin. hìc *in fin.* Franc. *num.* 6. Gonzal. *d. Gloss.* 34. *num.* 65. Garz. *part.* 7. *cap.* 13. *à num.* 48. Rota *decis.* 5. *de concess. præb. in nov. & decis.* 8. *de sentent. excom. in antiq.* Moneta *de opt. cap.* 4. *nu.* 20. Gigas *de pens. quæst.* 63. *num.* 15. Barbosa *de Canonic. cap.* 30. *num.* 18. Pasqual. *in quæst. jurisd. quæst.* 231. *num.* 3. Sayr. *l.* 2. *de cens. cap.* 6. *num.* 13. Bonac. *disp.* 2. *de excomm. quæst.* 2. *p.* 8. §. 1. *num.* 9. Palaus *tom.* 2. *tract.* 3. *d.* 2. *p.* 22. §. 6. *num.* 3. Et juxta hanc distinctionem explicantur DD. qui dixerunt excommunicatum non posse optare, quos refert & sic explicat Garz. *num.* 50. Nec obstat si dicatur, quod in optione acquiritur aliquod jus spirituale, ut probatum est suprà *num.* 34. Excommunicatus verò non potest jus novum spirituale acquirere. Pasqualig. loco citato conatur probare, quod acquiritur solum temporale aliquid, non verò spirituale. Et verum est quod jus spirituale, quod acquiritur in optione in nostro casu est novum solùm materialiter, & ex determinatione ad aliam materiam, & acquiritur ex vi juris spiritualis, & titulo quod habetur. Non repugnat verò quod jus spirituale, quod habet excommunicatus extendatur de una materia ad aliam; & sic diversificetur materialiter.

Quæritur 8. An irregularis, seu impeditus ab exercitio ordinum optare possit? Sed & hæc quæstio eadem distinctione resolvitur. Nam ubi novus titulus beneficii optatur, quod beneficium habet annexum exercitium alicujus ordinis, impeditus ab illius ordinis exercitio, sive ex defectu naturali, ut cæcitatis, surditatis, loquelæ &c. non potest optare, quia non potest illius beneficii oneribus satisfacere, & ideò est ad beneficium illud inhabilis, Monet. *de opt. cap.* 4. *à num.* 109. Barbosa *decis.* 30. *num.* 19. Rota *decis.* 906. *nu.* 5. coram Penna. Si tamen hujusmodi impeditus esset dispensatus, ut posset beneficium obtinere ad quod aliàs ex impedimento est inhabilis, posset etiam optare, quia per dispensationem sicut ablatum esset impedimentum consequendi illud beneficium, ita esset sublatum impedimentum optandi. Monet. 16. *n.* 116. 117

Quod verò idem Moneta ibid. *n.* 117. arbitretur eum, qui cæcus factus est post obtentum beneficium in aliqua Cathedrali posse optare, si id intelligatur in casu, in quo optandus sit novus beneficii titulus, difficultatem pati meritò advertit Barb. *d. num.* 19. Posset forsan habere locum, si beneficium optandum non requireret alterius ordinis exercitium, seu frequentius, & majus ejusdem Ordinis exercitium, quàm requirat beneficium jam à Beneficiato habitum, & per optionem dimittendum. Nam tunc non magis interesset, quod beneficiatus esset impeditus ab uno, quàm ab alio beneficio exercendo, & aliàs ex vi beneficii jam obtenti, ipse habet jus ad pinguiores præbendas obtandas. 118

Sed ubi retento beneficio ex vi illius solum optatur nova præbenda, irregularitas, vel impedimentum exercitii ordinum non potest impedire optionem præbendæ, quia ex quo non obtinetur novus titulus beneficii; & novum onus exercendi ordines impedimentum exercitii ordinum impedire non potest optionem. Barbos. *d. num.* 19. Nisi præbendæ annexum esset speciale onus ordines exercendi, suprà id, quod est annexum præbendæ minus pingui, & quæ per optionem dimitti debet. 119

Quæritur nonò, an optare possit Clericus, qui non est in sacris? Respondetur, quod si optandus sit titulus beneficii requirentis sacrum Ordinem, qui non est in sacris non potest optare, nisi sit in ea ætate, in qua possit ordinari infra tempus à jure statutum. Sed si optanda sit sola præbenda, vel portio, non est quod impediat Clericum, qui non est in sacris ab optando, quia jus optandi competit ex Canonia, & Præbenda, non ex voce Capituli, unde nec optio est actus Capitularis. Gloss. *in Clement.* 1. *de ætat. & qualitat. in v. capitulo.* Gonz. *d. Gloss.* 34. *num.* 128. Monet. *d. cap.* 4. *à num.* 71. Gratian. *disceptat.* 482. *num.* 21. Franciscus Tondutus *d. cap.* 110. *num.* 5. Barbos. *d. cap.* 30. *n.* 15. Duran. *decis.* 460. *n.* 3. Rub. *ad decis.* 15. *num.* 24. *p.* 3. *recent.* 120

Quæritur decimò, an optare possit, qui habet Canonicatum litigiosum super quo illi mota est lis, & nondum terminata. Respondet Ventrigl. *in prax. ann.* 6. posse si constet de suo bono jure, secus, si id non constet, vel fuit declaratum nullum jus illi competere super illo Canonicatu. Et allegat Puteum *decis.* 194. & Bisignet. *decis.* 5. *de consuetud.* Sed non video qualiter pendente lite possit plenè constare de bono jure possidentis Canonicatum. Et si dicatur, quod materia optionis talis est, quæ potest extrajudicialiter determinari per Capitulum. Rota *decis.* 397. *part.* 4. *tom.* 2. *recent.* Respondetur id verum esse, ubi causa non sit jam in judicium deducta. Qua pendente non potest dici quod constet de bono jure alicujus partis, nisi simul sit notoria injustitia litis. 121

Quæritur undecimò, an optare possit Canonicus, qui simul cum præbenda habet dignitatem aliquam licèt aliam à Pœnitentiaria, & Theologali? Solutio hujus quæstionis dependet à consuetudinis optandi latitudine. Nam si consuetudo est optandi etiam dignitates, ut simplex Canonicus optet dignitatem, & qui habet dignitatem minorem optet majorem, potest Canonicus antiquior de minori ad majorem dignitatem ascendere. Secus si dignitates optari non possunt, sed solùm præbendæ. 122

In

123 In præmissis verò semper attendi debent statuta particularia consuetudines,& privilegia singularum Ecclesiarum. Et consuetudo ipsa in his sæpiùs erit interpretativa vel juris scripti, vel privilegiotum, vel ejusdem consuetudinis; & propterea attendi debebit, & servari. Sed & considerari debet quod consuetudo optandi nedum potest tolli à Pontifice, sed & à statuto Capituli, & Episcopi simul, & à contraria consuetudine legitimè præscripta, Moneta *cap.* 8. *quæst.*3. *à num.*32.

Agendum hìc esset de Postulatione, & de Electione, qui sunt tituli sequentes immediatè post titulum de Consuetudine. Sed quia tractatum particularem edidi de Electione Canonica, nec ibi dicta circa materiam Postulationis, & Electionis sunt hìc repetenda, ideò transeo ad explicationem tituli 7. qui est de Renuntiatione.

DE RENUNTIATIONE.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

QUoniam aliqui curiosi disceptantes de his, quæ non multum expediunt, & plura sapere, quàm oporteat, contra doctrinam Apostoli, temerè appetentes, in dubitationem sollicitam, an Romanus Pontifex (maximè cùm se insufficientem agnoscit ad regendam universalem Ecclesiam, & summi Pontificatus onera supportanda) renuntiare valeat Papatui: ejusque oneri, & honori, deducere minùs providè videbantur: Cœlestinus Papa quintus prædecessor noster, dum ejusdem Ecclesiæ regimini præsidebat, volens super hoc hæsitationis cujuslibet materiam amputare, deliberatione habita cum suis fratribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus) de nostro, & ipsorum omnium concordi consilio & assensu, auctoritate Apostolica statuit, & decrevit: Romanum Pontificem posse liberè resignare. Nos igitur, ne statutum hujusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eamdem in recidivam disceptationem ulterius deduci contingat: ipsum inter constitutiones alias, ad perpetuam rei memoriam, de fratrum nostrorum consilio duximus redigendum.

SUMMARIUM.

1 *SUmma textus.*
2 *Papa liberè potest resignare.*
3 *Curiositas est opposita studiositati.*
4 *Studium veritatis potest esse malum ex duplici causa.*
5 *Quid sit curiositas, & quot modis incurritur.*
6 *Disputandum est de iis, quæ expediunt.*
7 *Papa licitè non nisi ex justa causa potest resignare.*
8 *Non potest Papa deponi ex insufficientia.*
Insufficienti Prælato datur Coadjutor.
9 *Rationes, ex quibus videri posset, quod Papa non possit renuntiare judicantur remissivè.*
10 *Papa est dubia circa Papatum definire.*
11 *Papa an remaneat Cardinalis.*
12 *Papa ex Monacho assumptus, si renuntiet, non tenetur redire ad claustrum.*
13 *Papam ardua non posse definire sine consilio, & consensu Cardinalium aliqui dixerunt.*
14 *Oppositum probatur. Petro absolutè fuit dictum:* Pasce oves meas.
15 *Cardinalium jurisdictio est à Pontifice.*
16 *Papa validè ardua definit sine consilio, & consensu Cardinalium.*
17 *Nec in contrarium potest valere consuetudo.*
18 *Neque lex.*
19 *Ex lege naturali prudentiæ tenetur Pontifex accipere consilium quando opus est, & ad ejus prudens arbitrium.*
20 *De honestate Pontifices tenentur, sicuti faciunt accipere consilium, & votum Cardinalium.*
21 *DD. plures explicantur.*
22 *Gratiæ Cœlestini revocata à Bonifacio VIII. non tamen præcisè, quia concessæ sine consilio Cardinalium.*
23 *Statuta Bonifacii VIII. aliqua revocata à Benedicto XI. non præcisè, quia data sine consilio Cardinalium.*
24 *Negotia Sedis Apostolicæ, quomodo sint negotia Ecclesiæ.*
25 *Cap. per venerabilem, Qui filii sint legitimi.*
Cap. auctoritate, de privil.
26 *Papa narranti etiam facta ante creditur.*
Scriptura ad legem non est essentialis.
27 *Statutum Cœlestini est declarativum juris naturalis, cui etiam Papa subjicitur.*
28 *Plures Pontifices referuntur renuntiasse Papatui.*
29 *Liberius non renuntiavit Papatui.*
30 *Incertum, quod Marcellinus thus adoleverit Idolis.*
31 *Cyriaci Papatus est commentum fabulosum.*
32 *Clemens non renuntiavit Papatui.*
33 *Nec Petrus.*
34 *Unicus, qui renuntiavit Papatui, fuit S. Cœlestinus.*
35 *Pontificem debere renuntiare coram Cardinalibus quidam dicunt.*
36 *Papa liberè, sine consensu Ecclesiæ potest renuntiare.*
37 *Responsio aliquorum rejicitur.*
38 *Ecclesia non contraxit cum Petro dum factus fuit Pontifex.*
39 *Pontifex non contrahit cum Ecclesia recipiendo Papatum.*
40 *Differunt carnale Matrimonium, & Pontificatus.*
41 *Non est eadem ratio de Papatu, & aliis Prælaturis.*
42 *Forma renuntiationis Cœlestini.*
43 *Renuntiatio ut valeat, debet denunciari Ecclesiæ.*
44 *Casus renuntiationis dubia non est moraliter possibilis.*
45 *Iuramentum de renuntiando Papatui ad nutum Cardinalium an valeat.*
46 *Certa scriptis consignanda ne eorum detur oblivio.*
Creditor potest exigere scripturam obligationis.
47 *Descriptus in Catalogo habendus est de numero.*

IN tres partes principales dividitur hæc Decretalis. In prima parte ponitur causa constitutionis Cœlestini V. in secunda ipsa constitutio, in tertia eadem constitutio ex duplici causa inter Constitutiones inseritur. Primò igitur assignatur causa constitutionis Cœlestini Papæ, quæ fuit dubitatio aliquorum, qui curiosi plus sapere volentes, quàm oporteat sapere, dubitarunt an Papa possit renuntiare Papatui. Propter hoc Cœlestinus V. de Cardinalium consilio, & assensu statuit Romanum Pontificem posse liberè Pontificatum resignare. Sed quia Cœlestinus non edidit constitutionem suam in scriptis, propterea Bonifac. VIII. ne illa detur oblivioni eam inter constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam redegit. 1

Est ergo certa regula in hoc textu statuta, quod Romanus Pontifex liberè potest Papatum resignare, maximè cùm se sentit insufficientem ad regimen. Ita colligunt Gloss. & alii textus interpretes, & hoc idem ex hoc textu deduxerunt D. Anton. 3. *p. tit.*22. *cap.*4. §.2. Armill. *in v. Papa Card. in cap. qualiter, num.*6. 7. *q.*1. Ægidius Columna *de renunt.* Jo. Burgund. *in simili tract.* Dec. *in cap. ex parte num.*20. *de rescript.* Corras. *de Benef. cap.*8. *num.*6. Sarnen. *de inter. resign. quæst.*1. 2

*quæst.*1. Vitalin. *in Clem.*1. *de renunt.* Alex. *consf.*224. Pelag. *de planctu Eccl. lib.*1. *cap.*18. Jacobat. *de Concil. lib.*1. *art.*3. *num.*3. Gambar. *de Simoniaca Pontif. electione n.*98. Albert. *de agnoscend. prop. quæst.*30. *n.*6. Tuscus *lit. P*, *conc.*48. Flam. *de resign. l.*2. *qu.*1. *n.*4. *&* 19. *& l.*7. *quæst.*5. *num.*3. Gonz. *ad reg.*8. *Cancell.* §.5. *proœm.* Comit. *respons. moral. l.*1. *q.*100. Azor. *part.*2. *l.*4. *cap.*6. *quæst.*1.

3 Duo in textu recensentur curiositatis actus, nimirum disceptatio de his, quæ non multum expediunt, & plura sapere quàm oportet. Horum enim utrumque vitium est. Est autem curiositas peccatum studiositati oppositum, ut habeat D. Thom. 2. 2. *quæst.*167. *art.*1. Certè enim scientia per se non est mala, sed est intellectus perfectio, licèt ex accidenti mala sit ex consequentibus ad illam, ut si aliquis de cognitione veritatis superbit, juxta illud 1. ad Cor.8. *Scientia inflat.* Vel si homo cognitione veritatis abutitur ad peccandum. In quibus tamen casibus scientia ipsa veritatis non est illa, quæ mala est, sed malum est, quod ex illa ex scientis malitia consequitur.

4 Sic ergo ex duplici capite studium cognoscendi veritatem potest esse malum, vel ex parte cognitionis, seu ex malo fine eam inquirentis, sicut qui scientiæ studet ut inde superbiat, & inferatur, vel ut aliquod malum operetur. Et hoc studium licèt sit malum non tamen spectat ad vitium curiositatis, sed ad illud mali genus, ad quod cognitio ordinatur, & sic vel ad genus superbiæ spectat vel avaritiæ, vel alterius mali ex cujus affectus quis cognitionem quærit.

5 Alio autem modo potest esse vitium ex inordinato appetitu studii adiscendæ veritatis, & hoc vitium est curiositas, quæ opponitur studiositati. Hæc enim est virtus quæ moderatur in nobis naturale desiderium cognoscendi veritatem, unde est pars temperantiæ secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst.*176. *art.*2. Huic verò virtuti opponitur curiositas, quæ immoderatè tendit in cognitionem veritatis. Quod quidem fit quatuor modis. Primus est, qui primò tangitur in hac decretali, quando scilicet quis studet iis, quæ minus expediunt, & utilia sunt, consumendo tempus in hoc minus utili studio, & sic à studio magis utilium retrahendo animum. Quod vitium reprehendebat Hier. ad Damasum dicens: *Sacerdotes dimissis Euangeliis, & Prophetis videmus comœdias legere, & anatoria buccolicorum versuum verba cantare.* Secundus est discere veritatem ab eo Magistro, à quo non licet. Et tales sunt qui à Dæmone secreta, vel futura perquirunt, unde sunt superstitiosè curiosi, ut ex S. Aug. *lib. de vera Relig. cap.*4. Tertius modus est affici ad veritatem creatam, ut ad ultimum finem, non ordinando hanc in Dei cognitionem, quod est veritatem creatam propter se quærere, & non ut medium ad cognitionem divinorum: quod vanam curiositatem esse tradidit S. Aug. *l. de vera Relig. cap.*29. Quartus est plura velle scire, quàm ferat proprii ingenii infirmitas, unde est posteà, quod curiosus iste in errores labitur. Propterea Eccl.3. dicitur: *Altiora te ne quæsieris.* Et ad hunc modum reducitur idquod in decretali dicitur, scilicet, plura velle sapere, quàm oportet, contra doctrinam Apostoli Pauli ad Rom.12. *Plura enim vult sapere, quàm oportet*, nedum qui vult sapere inutilia, sed qui vult sapere, quæ proprio studio, & acumine intellectus non potest percipere. Quod maximè verificatur circa fidei mysteria, & arcana, quæ simplici corde, ac puro credere oportet, non curiosè perquirere.

6 Utile documentum, ergo hinc sumere debent Doctores, ut de iis, quæ utilia sunt solummodo disputent, resecando inutilia, *l. nemo, C. de sum. Trin. cap. Abbate, de re judic.* Præcipuè verò abstinendum esse ab illis disceptationibus, per quas detrahi potest honori, reverentiæ, & dignitati Summi Pontificis, monet Butr. *num.*1.

7 In textus verò regula dicitur, quod Papa potest tunc maximè renuntiare, cùm se sensit insufficientem. Ex quo, quod Pontifex possit resignare Papatum etiam si sit sufficiens, & aptus ad regimen totius Ecclesiæ, deducunt Gloss. & Dom. *num.*4. & Franc. *num.*3. Verùm distingui debet inter resignare validè, & resignare licitè. Nam validè Papa renuntiare potest ex sua libertate, & sive cum causa, & sive sine causa. At verò licitè id facere non potest sine justa causa, Azor. *p.*2. *l.*4. *c.*6. *qu.*3. Barbosa *de jure Eccles. lib.*1. *cap.*2. *num. fin.* Fermosinus *ad cap. lectâ, quæst.*4. *num.*8. *de renunt.* Ideò Pontifex ad regendam Ecclesiam idoneus tenetur Ecclesiæ inservire, & non nisi Ecclesiæ bono id exigente sibi licèt renuntiare, & sponsam Christi sibi commissam dissolvendo spirituale matrimonium, relinquere ut de Episcopo docuit D. Thom. 2. 2. *quæst.*185. *art.*4. & latè explicavi ibi *tom.*1. *de stat.*

Ex multis causis verò potest Pontifex fieri insufficiens ad Ecclesiæ regimen. Tres causas enumerat Gloss. scilicet, defectus literaturæ, senectus, infirmitas: Addit verò Papam ob insufficientiam non posse deponi, sed solùm ob hæresim: Cùm alias Prælati inferiores ob insufficientiam deponi debeant. Ad quod allegat *cap. si quis Abbas* 18. *quæst.*2. *& cap. alius* 15. *quæst.*6. Et hoc idem asseruit Barbosa *num.*2. Verum Prælati ob culpam deponi debent, non ob insufficientiam, quæ sit inculpabilis, sed illis inculpabiliter insufficientibus datur coadjutor, ut probavi citato loco *q.*185. *art.*4. *n.*48. & vide etiam *tit. seq. cap.*4. *num.*25. Hunc verò coadjutorem in casu necessitatis teneretur Pontifex assumere, vel modo sibi benè viso Ecclesiæ providere. Et ubi casus esset talis, ut Pontifex nec per se, nec per ministros sufficere posset ad Ecclesiæ regimen, tunc nedum posset, sed teneretur renuntiare, ut hic advertit Anchar. *num.*2. 8

Rationes autem, ob quas videbatur, quod Papa non posset renuntiare ponit hic Gloss. quibus alias decem addit Jo. Andr. easque ponderant D. Anton. 3. *p. q. tit.*22. *cap.*4. §.2. & alii, qui de materia tractant. In illis tamen confutandis non est necesse immorari, cùm articulus sit diffinitus. 9

Ex hoc verò textu plura colliguntur. Et quidem primò colligitur, quod dubiorum, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, etiam si sint de concernentibus statum Sedis Apostolicæ, & Papatus, resolutio non nisi à Papa est petenda, & acceptanda, Gloss. Domin. *num.*3. Franc. *num.*2. Sic enim dubitantibus multis, an Papa possit resignare Papatum, Cœlestinus Pontifex fecit hanc litem dirimere, & hoc dubium diffinire. 10

Secundò ex illo verbo eramus præteriti temporis significatur, quod Papa licèt electus ex Cardinali, definit esse de numero Cardinalium, ut advertunt Gloss. & Franc. *num.*2. qui propterea ait, quod non transit sine dubio, quod voluit Archid. *cap. Sacrosancta* 22. *dist.* dicens, quod sicut Imperator est de numero Senatorum suorum, *ut l. jus Senatorum, C. de dignitatibus*; ita & Papa est de numero Cardinalium suorum. 11

Verùm dicendum est Papam esse eminenter Cardinalem non propriè, & formaliter; Est enim caput supremum Ecclesiæ. Si tamen renuntiaret Papatui, quod remaneret Cardinalis affirmat Franc. *num.*6. sicut Abbas renuntians dignitati, remanet Abbas, & Monachus renuntians Episcopatui remanet Monachus. 12

Tertiò considerandum, quod Cœlestinus renuntians, rediit ad Eremum, & in habitu Monachi usque ad mortem vixit. Fuerunt verò, qui existimaverunt Pontificem ex Monac. assumptum, si renuntiet Pontificatui teneri redire ad Monasterium. Hoc enim inter alios senserunt Aragon. 2. 2. *quæst.*88. *art.*1. *ad tertium*, & Azor. *part.*1. *l.*12. *c.*7. §. *rogabis*, sed meritò eos rejicit Fermosinus, *cap. lecta, quæst.*4. *num.*16. *de renunt.* & Barbosa *l.*1. *de jure Eccl. cap.*2. *num.*211. Et quod Episcopus ex Religioso assumptus post renuntiationem non teneatur redire ad claustra probavi *to.*1. *de stat. qu.*185. *art.*8. *n.*268. *pag.*442. quod praxis ipsa confirmat. Quartò notandum, quod ex illis verbis consilio, & assensu Anchar. hic *num.*4. voluit, quod Papa in arduis nihil debeat decernere sine consilio Cardinalium. Sed Domin. *num.*4. & Franc. *num.*2. addiderunt, quod neque sine eorum consensu Papa debet ardua diffinire. Quæ fuit sententia Card. Zabarellæ *cons.*136. *n.*6. *&* 7. & Panorm. *in sua qu.*1. *num.*12. *in fin.* Et Zabarella addit, quod Colleg. Cardin. est in hujus quasi possessione, quæ quasi possessio multum operatur, & allegat textum *cap. per venerabilem, Qui filii sint legitimi, vers. rationibus, & cap. author. inf. de privil.* Ratione etiam hoc probat Card. Zabar. Tum primò, quia facta à Cœlestino Papa sine Cardinalium consensu fuerunt revocata. Tum quia negotia Papæ, vel Regni dicuntur negotia universitatis, in quibus requiritur major pars Procerum. Et hoc confirmatur ex eo, quod refertur de Martino V. qui scilicet, professus fuit se dum viveret numquam in arduis dispensaturum sine Cardinalium consensu, Bald. *etiam in l. cum multa num.*2. *C. de bon. quæ Liberis*, dixit in infeudatione magnæ Civitatis debere intervenire communem consensum Cardinalium. 13

Verùm non legitur, quod Christus instituendo Pontificatum, 14

earum, & creando Petrum Pontificem jusserit illi, ut ardua non expediret sine consilio aliorum Apostolorum, vel alicujus alterius, *sed sicut prius* Matt. 16. dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis; sic postea* Jo. 21. absoluto soli Petro dixit: *Pasce oves meas.* Quamobrem, quod Papa non possit negotia ardua Ecclesiæ quæcumque illa sint expedire sine consilio, & assensu Cardinalium, vel asseritur necessarium ex jure divino, vel ex jure positivo. Primum non verè dicitur, quia ex Euangelio locis citatis habemus, quod solus Petrus, & ex consequenti ejus Successores sunt petra, & fundamentum Ecclesiæ, & quod Petro tributa fuit absoluta potestas regendi Ecclesiam, nulla expressa limitatione, aut dependentia ab aliquo alio. Lex verò positiva, quæ id præcipiat non adest, & si adesset nulla esset, quia non est potestas in terra, quæ limitare possit potestatem, quam Summus Pontifex habet à Christo Domino. Et ulterius omnis talis lex subesset dispositioni Summi Pontificis, cujus auctoritas est suprà totum jus Canonicum, *cap. cuncta per mundum 9. quæst.* 3.

15 De Cardinalibus verò est specialis ratio id non asserendi, quia tota eorum auctoritas, & jurisdictio est à Summo Pontifice, unde ab ea non dependet auctoritas Pontificis, quia delegantis, seu concedentis potestas, & jurisdictio in nihilo dependet à jurisdictione à se aliis concessa, & quam potest ipse limitare, diminuere, & tollere. Neque enim causæ potestas dependet ab effectu per eamdem causam constituto, & per eam mutabile, & amovibile. Tota verò potestas Cardinalium à solo Papa emanat, Archid. *in cap. ubi periculum vel. 4. supr. de elect. in hoc lib.* Barbat. *in tract. de præst. Card. quæst. 1. num.* 12. Petr. Raven. *de consuet. sect. 1. n.* 33. Rochus *in fin. tract. num* 114. R. P. D. Fagnan. *in cap. ex parte num.* 20. *de Feudis.*

16 Quamobrem dicitur primò, quod Summus Pontifex sine consensu, & consilio Cardinalium validè potest expedire qualecumque negotium Ecclesiæ quantumcumque arduum, & sive hoc sit spirituale, sive temporale, ut v. g. sive sit infeudatio civitatum, sive creatio, aut depositio Cardinalium, sive canonizatio Sanctorum, sive quodcumque aliud simile, vel majus, ita quod valor gestorum per Papam non pendet à Cardinalium consensu, vel etiam consilio habito, aut requisito. Ita docuerunt Hugo 4. *dist.* §. *leges*, quem refert, & sequitur Domin. *in cap. super eo num. 4. inf. de heret.* ubi quæ faciunt in oppositum abundè solvit, Card. Jacobat. *lib. 7. art. 5. n.* 117. *& seq.* Barbatia *cons. 1. per totum*, Malvet. *de canonizat. Sanct. in 2. dub. num.* 35. Tuscus *lit. P, concl.* 50. *num.* 12. R. P. D. Fagnan. *cap. ex parte num.* 18. *& seq. de Feud. & cap. ex gestis num.* 8. *de Cler. non resid. & cap. sicut unire, de excess. Prelat.* Barbosa *lib. 1. de jure Eccles. cap. 2. n.* 181. Fermosinus *ad rubr. de renunt. qu. 4. n.* 18. Manfred. de Card. *decis.* 3. Cardin. Paleot. *de Sacr. Concis. par. 5. quæst.* 5. Jacobus Cohellius *de not. Card. cap.* 14. & apud istos quamplures alii.

17 Quod adeo verum est, ut nulla consuetudo detur, vel dari possit, per quam præscribi possit, ut ad valorem dispositionum Papæ sit necessarius consensus Cardinalium, aut consilium. Nam contra supremam potestatem Papæ, quæ illi competit de jure divino nulla dari potest consuetudo, aut præscriptio; daretur verò hujusmodi præscriptio, si daretur valida consuetudo, ut Papa non posset ardua expedire validè sine consensu, aut consilio Cardin. ut notavit Panorm. *cap. 2. n. 4. de Cler. non resid.* & sequitur R. P. D. Fagnan. *d. cap. ex parte n.* 19. Cohell. ubi suprà, & addunt Barbosa, & Fermosinus ubi suprà, nec consuetudine, nec juramento introduci posse, quod Papa solus non possit ardua facere, & Cardinales creare.

18 Unde etiam si adesset lex, quæ id decerneret, non esset attendenda, quia par in parem non habet imperium, *cap. innotuit, de elect.* Barbar. *cons. 1. per totum*, R.P.D. Fagnan. *d. cap. ex parte num.* 23. & per tacitam contraventionem Papa videretur eam tollere.

19 Dicitur secundò, quod de jure naturali, & divino Papa tenetur accipere consilium, in omni eo casu, in quo id exigit rei qualitas, & requirit virtus prudentiæ, ad hoc ut possit justè, & sanctè judicare, & decernere de agendis. Et pariter, cùm non possit per se ipsum omnia tenetur habere ministros per quos partes audiat, & merita factorum examinet, eorumque veritatem cognoscat. Non enim est prudentia sine singularium cognitione, & deliberatione, & consilio de agendis. Sed tamen Papæ arbitrarium est decernere qui sint casus, in quibus aliorum indigeat ministerio, & consilio, & quos ipse adhibere debeat ad consilium: unde ex lege naturali, aut divina, non tenetur Papa uti consillo vel Cardinalium determinatè, vel alicujus alterius; sed hoc est illi arbitrarium, per arbitrium tamen ex legibus prudentiæ regulandum. Hoc verò certum est Papam nihil temere, & præcipitanter agere debere, quoniam hoc est imprudenter operari, & peccare. Quamvis verò ad consilium accipiendum aliquando prudentia obliget Pontificem, non obligat tamen, ad obtinendum Cardinalium vel alterius consensum, seu ad sequendum votum illorum, aut alterius, sed in ejus arbitrio est eligere, & agere quod sibi videtur esse melius.

Dicitur tertiò, quod sicut de honestate, & decentia tenetur Pontifex non expedire ardua negotia Ecclesiæ sine consilio, imò & assensu Cardinalium, quod tamen ex prudenti arbitrio Pontificis est regulandum, ita de facto id faciunt Pontifices, qui nedum regulariter bis in mense convocant Cardinales ad Concistorium, in quo majora negotia deliberantur, sed tot ac tantas Congregationes Cardinalium erexerunt, in quibus Ecclesiæ negotia matura consultatione decernuntur, ut adnotavit Card. Paleot. *de Sac. Concist. consul. par. 1. quæst.* 3. 20

Ad ea, quæ in oppositum adducta sunt respondetur, quod multi ex DD. pro opposita sententia citatis loquuntur de eo, quod est de honestate, ut Franc. & Dom. qui posteà, in citato *cap. super eo num. 4. de heret.* contra Jo. Monachum hoc idem asserunt, & defendunt. Quod etiam Bald. intelligendus sit de eo quod ex honestate convenit ex eodem Bald. *in l. humanum, C. de legibus*, probat R. P. D. Fagnan. loco citato *num.* 26. 21

Ad primum autem ex motivis Zabarellæ, quod etiam fuit Jo. Monachi respondet Domin. *d. cap. super eo, num. 4. de heret.* & primò ex eodem Jo. Monacho, quod fortè Bonifacius revocavit collationes nondum expeditas, & quarum literæ adhuc erant in Cancellaria. Sed secundò addit in his non credendum eidem Jo. Monacho Cardinali, quia ipse in hoc conabatur tueri causam propriam. Quam rationem, & responsionem tradidit idem Cardinalis Jo. Monachus *in extravag. excommunicamus in v. Clericos.* Ibi enim, cùm ipse contenderet quod Cardinales non veniant sub nomine Clerici, ultimatè super hoc dicit sibi non esse credendum, cùm loquatur in causa propria. Sed aliter dicitur, quod aliud est, quod Bonifacius VIII. revocaverit gratias aliquas factas à Cœlestino V. & aliud, quod eas revocaverit, quia factas inconsultis Cardinalibus. Primum horum asseritur à Jordane apud Odericum anno 1294. *nu.* 23. dicente de Bonifacio: *Unde factus Pontifex prædecessorum suorum Nicolai, & Cœlestini gratias revocavit.* Sed secundum non probatur, nec est verisimile, nam & Bonifacius nedum Cœlestini, sed Nicolai gratias revocavit; De Nicolao verò non dicitur quod ardua definierit absque Cardinalibus. 22

Et nihilominus, quoniam Benedictus XI. successor Bonifacii VIII. aliqua ejus statuta rescidit, ut videre est apud Odericum anno 1304. *num.* 12. & ad hoc faciendum ait se motum fuisse, *quia etiam Prædecessor ipse de fratrum suorum consilio statuta non edidit supradicta.* Respondetur quod hæc non fuit adæquata causa id faciendi, ut colligitur ex illa dictione *etiam*, quæ ibi sumitur extensivè, & ampliativè, & facit sensum, quod Pontifex nedum motus fuit ad revocanda illa statuta ob alias rationes, sed etiam, quia facta sine consilio Cardinalium. Hoc verò dictum fuit, non quia illa sic facta essent invalida, quia imò ex quo opus fuit illa revocare valida erant. Sed quia ex quo edita fuerunt contra stylum quem Sedes Apostolica ex honestate, & prudenti regimine servat, hoc additis aliis motivis juvabat ad hoc ut revocarentur. Aliàs verò si illa statuta fuissent utilia, ea non revocasset Pontifex. 23

Secundum verò motivum malam Theologiam continet. Negotia Sedis Apostolicæ sunt negotia Ecclesiæ, & universitatis terminativè, & finaliter, quia ad bonum universalis Ecclesiæ ordinantur, sed auctoritativè, & effectivè non sunt à jurisdictione, quæ ab Ecclesia proveniat, & per eam sit data Summo Pontifici; Sed hæc jurisdictio Summo Pontifice immediatè confertur à Christo, & ideò Pontifex dirigente 24

pru-

prudentia ea potest uti vel à nullo recipiendo consilium, vel consultores, quos voluerit.

25 Ex *cap. autem per venerabilem, qui filii sint legitimi*, nihil habetur quod ad rem faciat, quia hoc solùm deducitur ex loco Deuter. ibi citato, quod in novo testamento Sedes Apostolica est illa, quæ habeat causas fidelium judicare, quod est verissimum; nihil verò ibi de Cardinalibus asseritur. Neque ex loco illo Deut. 17. hoc deducitur, quia & ibi nihil statuitur, nisi quod judex supremus esset Summus Sacerdos, ut explicat D. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 2. ad septimum, non verò decernitur, quod Summus Sacerdos alicujus consilium sumere deberet. In *cap. vero auctoritate, inf. de privil.* nihil aliud habetur, nisi quod statutum illius *cap. fuit factum de consilio Cardinalium*. Et de facto similia statuta quamplurima facta fuerunt, & fiunt quotidiè, sed ex libertate Sedis Apostolicæ, & ejus beneplacito, unde non est unde Zaberella dixerit Cardinales esse in quasi possessione, ut ardua sine eorum consilio aut assensu non decernantur, quia in facultativis nec per tempus sæculorum, ac sæculorum, nec per multitudinem actuum acquiritur possessio, ut probatum est suprà *in hoc lib. c.* 1. *de consuetud. qu.* 1. *art.* 3. *num.* 87. *&c.*

26 Quintò advertendum quod Cœlestinus V. volens resignare Pontificatum adhibitis prius doctissimorum virorum consultationibus, postea de consilio, & assensu Cardinalium statuit licere Summo Pontifici cedere Pontificatui, ut refert Odericus ad annum 1294. *num.* 19. Hanc tamen constitutionem scriptis non consignavit, ut advertunt Jo. Andr. & Anchar. *num.* 2. sed eam hic retulit Bonifacius VIII. & inter alias scriptas constitutiones reposuit. Ex quo deducitur primò, quod Summo Pontifici ejusque assertioni creditur etiam de visis ante Pontificatum, Gloss. Barbos. *num.* 6. Roman. *sing.* 128. Mascard. *de probat. conclus.* 129. *n.* 6. Farinac. *in praxi crim. part.* 2. *quæst.* 63. *à num.* 79.

27 Deducitur quoque, quod scriptura non sit de substantia legis, cùm hæc lex edita fuerit sine scriptura. Anchar. hìc *num.* 4. Dari quoque casum in quo Pontifex subdatur suæ legi, videretur deduci, quia Pontifex iste in vi hujus legis renuntiavit Papatui. Dominic. verò respondet, hoc fuisse suæ libertatis. Sed dicitur quod hæc lex dans libertatem resignandi Papatum, non est lex Pontificia, sed naturalis, & divina, quam Cœlestinus solùm declaravit; legi verò naturali, aut divinæ etiam Papa subjicitur, unde ex vi hujus libertatis potuit Cœlestinus renuntiare Papatui, sicut fecit.

28 Sextò notandum non deesse qui dixerint Cœlestinum exemplo aliorum Pontificum fultum renunciasse Papatui. Nam S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 22. *cap.* 4. §. 2. ait quod Cœlestinus hoc fecit habens exemplum Clementis Papæ, qui creatus Pontifex à B. Petro renuntiavit Papatui, ne illud in consequentiam, & exemplum duceretur, ut per voluntatem, & electionem Prædecessoris successor in dignitatibus Ecclesiasticis institueretur. Gonzalez verò *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 5. *proœm.* asserit, quod Papatui renuntiarunt D. Petrus cui successit Clemens, deinde Clemens, cui successit Linus, Cyriacus cui successit Antherus, Marcellinus, nec non Liberius, cui successit Felix, & iterùm Liberius, cui successit Leo Nonus. Flam. verò *de resig. l.* 2. *quæst.* 1. *à num.* 10. Tres tantum numerat præter Cœlestinum, qui renuntiaverint Papatui; scilicet Clementem, Cyriacum, & Marcellinum.

29 Ut verò incipiamus à Liberio Papa, fuit quidem ille à Constantio Imperatore missus in exilium in Thraciam anno 355. Et tunc fuit illi substitutus Felix, sed Liberius nunquam Pontificatui renuntiavit. Sed tunc Felix vel fuit Coepiscopus, seu coadjutor, sicut affirmat liber Romanorum Pontificum, fuit institutus id procurante Liberio, vel pro tunc non fuit verus Pontifex, sed intrusus, sicut scribit S. Athanasius, fuit creatus & ordinatus ab Episcopis Arianis. Hoc quidem est certum, quod tunc legitimus Pontifex erat Liberius, licèt in exilium missus. Quamvis postea, quia communicavit cum Arianis, rediens Romam Catholici noluerint ei communicare, & à Pontificalium exercitio fuit remotus. Mortuo verò Felice Liberius, qui communionem cum Arianis penitus reliquerat, & Catholicam Fidem fortiter tuebatur, ab omnibus tanquam legitimus Pontifex fuit habitus. Iterùm postea ejectus, relicto Vicario Damaso Presbytero vixit absconditus in Cœmeteriis Novellæ, & Ostriani, donec mortuo Constantio Imperatore pax Ecclesiæ reddita fuit, & Episcopi ejecti suis sedibus restituti, unde & ipse Romam rediit, & in Pontificatu vixit usque ad annum 367. in quo obiit die 9. Septembris. De his videantur Baron. ad annum 355. *nu.* 54. 55. 56. & ad annum 357. *num.* 56. *&* 57. Bzovius, & Spondanus ad eosdem annos. Unde benè apparet Liberium nunquam resignasse Pontificatum. Quod verò Gonzalez ait quod eo secunda vice renuntiante, successit ei Leo Nonus, est intollerabilis error. Nam Liberius obiit anno 367. At verò Leo Nonus ferè post 700. annos creatus fuit Pontifex anno 1049. Liberio verò successit S. Damasus anno 367. Sed & risu dignum esse aliquorum modernorum historicorum commentum, qui dixerunt Felici successisse Leonem quendam, in S. Hilarium parum æquum, Spondanus Mauleonen. ad annum 357. *n.* 21.

Quod de S. Marcellino dicitur, scilicet quod thus incenderit Idolis, & ob id congregatum fuerit Concilium Sinuessanum trecentorum Episcoporum in cripta Cleopatrensi, in quo ipse peccatum suum publicè confessus fuit, & indutus sacco, & aspersus cinere humi prostratus pœnitentiam agens, dixerit: Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, atque ita suo se judicio condemnaverit, & Pontificatui cesserit incertum est; ejusque nullam mentionem faciunt Euseb. *l.* 7. *cap.* 26. & Theod. *lib.* 1. *cap.* 3. ubi ejus fortitudinem laudant, & martyrium extollunt. Et quod judicio meo validissimum argumentum præbet, cùm Petilianus Donatista hoc crimen thurificationis idolorum objecisset Marcellino, S. Aug. *tom.* 7. *lib. de unico Baptismo cap.* 16. *& lib.* 2. *contra lit. Petiliani cap.* 92. id expressè negat, & falsam imposturam esse pronuntiat. Inverisimile enim prorsus est, quod hanc rem latuisset solum Augustinum, si vera esset, & quod August. scribens contra hæreticum tam apertè illam falsam pronuntiasset. Videantur Baron. & Spondanus ad annum Domini 302. Sed si Marcellinus cessit Pontificatui, quis illi successit? Nam Marcellus ejus successor electus fuit post ejusdem martyrium, & mortem anno 304. 30

Quod verò de Cyriaco dicitur, merum commentum est 31
ex commentitiis actis SS. Ursulæ, & Sociarum desumptum. Nam Pontiano Pontifici anno 237. vacante Sede per solos dies 13. successit Antherus, qui martyrio coronatus fuit, cùm vix mensem in Pontificatu egisset; eique successit Fabianus; hujus verò Cyriaci successoris Pontiani nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum, vel à Latinis, vel à Græcis collecta.

De Clemente verò aliàs Deo dante uberior erit sermo. 32
Pro nunc adverso prorsus inverisimili esse quod Petrus Apostolus fecisset id, quod postea Clemens vitandi mali exempli causa erat relicturus. Cùm enim verius sit quod Pontifex non potest sibi successorem nominare, ut latè probavi in quæstione particulari de hoc scripta, licèt nondum typis data, quod & firmiter docent Turrecrem. *de auctor. Papæ, & Concilii tr.* 1. *c.* 13. *& tract.* 2. *cap.* 21. Cajet. *Opusc. tom.* 1. *Opusc.* 1. *cap.* 13. *& p.* 2. *Apolog. cap.* 22. Baron. *tom.* 11. ad annum Christi 1073. & quamplures alii quos ibi retuli. Cùmque verè hic modus providendi Ecclesiæ contineat periculum plusquam evidens gravissimorum damnorum, inverisimile est, & incredibile, quod Petrus sibi successorem eligere voluisset, & exemplo suo introducere in Ecclesia id, quod de se fuisset infinitorum malorum occasio, & causa. Nec ergo Clemens fuit à Petro electus Summus Pontifex, quamvis forsan fuit factus sibi coadjutor, sicut & à Petro facti fuerunt Linus, & Cletus. Solùm verò post Cletum fuit Clemens Pontifex electus. Quæ abundè probo in d. quæstione. Juvat verò etiam addere hoc dilemma: Mortuo Petro vel Clemens accepit possessionem Pontificatus, ad quem fuerat electus, vel non accepit. Non potest dici quod acceperit, quia jam fuisset Pontifex ante Linum, quod est contra id quod sentit Ecclesia, quæ ponit, quod Linus immediatè successerit Petro, & Clemens successerit Cleto, ut patet in Martyrologio Romano sub die 23. Septembris, & sub die 23. Novembris. Et præterea ubi unquam legitur, quod Clemens post adeptum Pontificatum mortuo Petro illi cesserit, postquam pro aliquo tempore illum administrasset? Addo, quod tunc si semel possessionem Pontificatus accepisset, jam facto comprobasset Priorem Pontificem posse sibi validè eligere successorem, sed si nunquam possessionem Pontificatus accepit, jam ergo nec illum resignavit, sed ad summum dici posset, quod illum non acceptavit. Quod tamen & inverisimile est.

Quod verò Petrus Apostolus renuntiaverit Pontificatui 33

ad

ad favorem Clementis, si propriè intelligatur, est plusquam falsum, & sine umbra alicujus fundamenti assertum, & gravi censura dignum, cùm Ecclesia Catholica Petrum pro Pontifice suo habuerit, & coluerit, & reverita fuit toto tempore vitæ illius; qui & Pontifex fuit, dum fuit Crucifixus, & dum ille vixit nullum alium sponsum Ecclesia habuit. Si verò sensus sit, quod Petrus instituit Clementem in suum successorem, & ut post ejus obitum esset Summus Pontifex; hoc à multis asseritur, sed hoc non est renuntiare Pontificatui, sed est sibi successorem eligere in Pontificatu. Et nihilominus id etiam est incredibile, quia inverisimile.

34 Sic ergo unicus, de quo constet resignasse Pontificatum, est Cœlestinus V. seu S. Petrus Moronus Cœlestinorum Monachorum Pater, & Patronus.

35 Septimò considerandum est, & videndum coram quo Summus Pontifex debeat resignare Pontificatum, si id facere velit. Certum enim est, quod non potest resignare coram superiore, quia superiorem non habet. Dicunt verò aliqui, quod tenetur resignare coram Cardinalibus. Ratio est, quia dum Pontifex eligitur, & acceptat Pontificatum contrahit cum Ecclesia. Et sic non potest resilere à contractu, & ab hoc matrimonii spiritualis vinculo, nisi Ecclesia consentiente, quem consensum præbere spectat ad Cardinales, qui in iis, quæ ad electionem Summi Pontificis spectant, totam repræsentant Ecclesiam. Et ita sentit D. Anton. 3. *p. t.22. cap.4. §.2.*

36 Communis tamen sententia est, quod Pontifex volens renuntiare coram nullo id facere tenetur, idest nullius consensu indiget, sed sufficiat, quod ipse ab administratione cesset, & quod hoc Ecclesiæ sufficienter, vel verbo, vel scripto innotescere faciat: sic enim in hac decretali decernitur, quod Pontifex liberè possit resignare, & dictio *liberè* importat, quod id possit facere sua voluntate independenter ab alterius licentia, vel consensu. Nec in textu est illa clausula *maximè accedente consensu Ecclesiæ*, quàm adesse ex amico refert Fermosinus *cap. lecta, quæst.4. num.11. de renunt.* Sed absolutè decretum fuit Papam posse liberè resignare. Et ita hoc tenent Archid. *num.1.* Anchar. *num.5.* Butr. *num.5.* Domin. *num.*10. Franc. *num.*3. Barbos. *n.*3. Panorm. *quæst.1. col.4.* Jacobat. *de Concil. l.3. art.5. num.*179. Fermosinus *d. quæst.4. num.*12.

37 Ad objectionem verò in contrarium respondent Barbosa *l.1. de jure Eccles. cap.2. num.*114. & Fermosinus ubi suprà *num.*13. quod contractus initus à Pontifice cum Ecclesia non impedit, quin Pontifex ex justa causa possit renuntiare. Cùm verò Pontifex non habeat superiorem in terris, qui possit cognoscere an justa causa detur, ejus arbitrio relinquitur id judicare, & sic ejus arbitrio remittitur renuntiare. Hæc tamen responsio non satisfacit difficultati, quia non salvat, quod renuntiatio facta manifestè ex causa non justa, seu sine causa sit valida, & neque salvat, quod Papa simpliciter possit liberè renuntiare, quia ubi adest contractus intrat lex naturalis obligans ex justitia, ut in omni casu, in quo contractus obligat, non possit dissolvi invita parte, vel sine ejus licentia.

38 Respondetur igitur nec adesse similem contractum, nec adesse posse sine simonia. Barb. & Ferm. hunc contractum dicunt consistere in hoc, quod Ecclesia tenetur alere, & Pontifex Ecclesiam tenetur gubernare. At verò si sic est simoniacè contrahunt Ecclesia & Pontifex, quia dare ex pacto alimentum corporale, pro spirituali gubernatione, est manifestissima simonia. Sed & amplius, quia spirituale petit dari gratis, adhuc simonia esset, si ex pacto Ecclesia commutaret spirituale, cùm spirituali, juxta ea, quæ probavi *in tract. de elect. cap.7. quæst.7. num.*142. Considerandum igitur est, quod accipiens custodiam gregis, non paciscitur cum grege, sed si paciscitur, id facit cum principali Domino gregis. Et si sit aliàs inferior, & subditus ejusdem Domini, qui sit superior, & cui non conveniat agere ex æqualitate cum subdito, nec paciscitur cum illo domino propriè loquendo, quia pactum, & justitia est inter æquales. D. Thom. 2.2. *quæst.57. art.1. & 7.* Sed ad imperium superioris ministerium, & onus custodiendi gregem suscipit, & ex hoc ad custodiam manet obligatus. Sic D. Petrus quando Christus imposuit illi officium pascendi gregem Ecclesiæ, non contraxit cum Ecclesia, sed contraxisset cum Christo, si hic contractus habere posset locum. Quem habere non decet, quia non decet Christum agere cum hominibus ex æqualitate justitiæ, sed Christus tamquam Summus Pontifex, & supremus Sacerdos, & Pastor contulit Petro Vicariatum suum, & Petrus illum acceptando ex hoc mansit obligatus Ecclesiæ ex altiori justitia, quàm sit justitia commutativa, nimirum ex virtute religionis, quæ est justitia hominis ad Deum. Hæc ergo obligatio in Petro non fuit ex aliquo pacto inito cum Ecclesia, sed ex impositione officii sibi à Christo collati. Et sic Petrus immediatè Christo debebat Ecclesiæ custodiam. Ecclesia verò jam non ex pacto, sed antecedenter ad omne possibile pactum tenebatur Petro conferre alimenta nedum, sed obedientiam, reverentiam, & honorem.

Sic & Summus Pontifex Petri successor, & Christi Vicarius, habet immediatè à Christo Pontificale officium, & summam jurisdictionem in Ecclesiam, ex quo sequitur independenter à quocumque pacto, quod Ecclesia tenetur Papæ, & alimenta, & obedientiam. Ex quo Ecclesia eligendo Papam designat personam, cui Christus conferat Papatum, non per hoc paciscitur cum Papa, qui statim immediatè à Christo Papatum habet, ex quo & ille Ecclesiam tenetur dirigere, & habet jus ut Ecclesia illi præbeat alimenta, & obedientiam. Et sic Ecclesia quidquid ultra dat, dat ex debito, unde justè non potest dare illud sub novo pacto, & obligatione. Imò si novam obligationem ex pacto inducere vellet, nedum injustè ageret exigendo novam obligationem intuitu illius, quod ipsa dat ex debito, sed simoniam committeret, imponendo ex pacto in materia spirituali novam obligationem justitiæ. 39

Ex quo etiam colligitur latum esse discrimen inter matrimonium carnale, & spirituale Pontificis cum Ecclesia, quod solùm metaphoricè, & similitudinariè in aliquibus dicitur matrimonium. Nam in hoc non est similitudo, qui matrimonium est indissolubile, quoniam est contractus ob bonum prolis, ideòque de sua natura perpetuus, sed Pontificatus est officium, quod à Christo datur sic relicta libertate illud resignandi, sicut relinquit libertatem illud acceptandi, ut benè advertit D. Anton. 3. *part. tit. 22. cap. 4. §. 2.* 40

Et in hoc etiam est discrimen inter Papatum, & Prælaturas inferiores, istæ enim majorem similitudinem habent cum matrimonio carnali; adest enim nonnulla similitudo contractus cum Ecclesia, & Summo Pontifice, unde sine ejus consensu non valet renuntiatio, sed Papa recipiens à Christo Papatum immediatè salva recipientis libertate, non habet unde alicujus consensum expectet. Videri possunt, quæ in simili dixi *tom.1. de stat. quæst.184. art.5. num.24. & seqq. & quæst.185. art.4. à n.80. & art.7. n.57. 58. 59.* 41

Quod etiam colligitur ex forma renuntiationis, qua usus fuit Cœlestinus V. & quam referunt Odericus ad annum 294. *num.*20. & ex Carill. in adnot. Cronol. *l.4.* anno 1294. Barbos. *lib.1. de jure Eccles. cap.2. num.*113. sub his verbis: *Ego Cœlestinus Papa Quintus motus ex legitimis causis, idest, causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate populi, & infirmitate personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte, ac liberè cedo Papatui, & expressè renuntio loco, & dignitati, oneri, & honori; dans plenam, & liberam facultatem ex nunc sacro cætui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat canonicè universali Ecclesiæ de Pastore.* 42

Licèt verò ad valorem renuntiationis Papatus non sit necessarius consensus Ecclesiæ, seu Cardinalium, est tamen necessarium, quod renuntiatio sufficienter sit denuntiata Ecclesiæ. Et hoc nedum ex urbanitate, sed simpliciter ex lege divina. Tum quia aliter Ecclesia esset sine Pastore ipsa suam viduitatem ignorante; quod cederet in maximum ejus nocumentum. Tum quia sicut Papatus est dignitas pertinens ad Ecclesiam, ut visibilem, Papa enim est visibile caput Ecclesiæ, ita ejus electio, & renuntiatio visibiliter fieri debet, ut visibile, non nisi visibiliter incipiat, & desinat. Unde dicendum est Christum renuntiationem non acceptare, nisi visibiliter fiat, ut Ecclesia sibi de capite providere possit. Quamvis verò non sit necesse ut fiat scripto, tamen hoc tutius semper erit, ut advertit Butr. *num.4.* Et in omni casu Cardinales deberent curare, ut per Notarium publicum præsentibus testibus renuntiatio in scriptis redigeretur. 43

Quærunt etiam interpretes quid agendum esset, si esset dubia Papæ renuntiatio, vel ipse negaret se renuntiasse, sed 44

omissis,

omissis, quæ dicuntur ab aliquibus, breviter respondeo cum Jo. Andr. quod casus iste non est moraliter possibilis, & sperandum esse, quod Deus numquam ipsum permittat. Unde juxta regulam istius decretalis in istis, quæ non expediunt, non est immorandum.

45 Sed quid dicendum esset, si Papa jurasset ante electionem suam se resignaturum Papatum ad libitum Cardinalium? Ex Bald. *in cap. venerabilem*, *sup. de elect.* respondet Franc. *num.*3. *vers. quid autem*, quod juramentum hoc non obligaret, quia esset contra libertatem Papæ; sed tamen, quod valeret ad sedandum schisma. Sed considerandum est, quod vinculum Papatus de se est perpetuum, & indissolubile nisi ex justa causa. Ideò renuntiare Papatui sic absolutè, nec est res bona, nec est licita, nisi sub conditione justæ causæ, unde non est materia juramenti. Solùm ergo posset eligendus in Pontificem jurare se renuntiaturum ex hac, vel illa justa causa, & ad Ecclesiæ utilitatem spectante, & quæ esset talis, & ex qua ille posset justè resignare. Sed an causa esset talis, judicandum esset à Papa, nisi aliter sub juramento contineretur. Nam hoc judicium remitti posset, vel ad Concilium generale, vel etiam ad Collegium Cardinalium. Semper verò considerari debet, quod Episcopus non potest renuntiare, ubi Ecclesiæ potest prodesse. Videri possunt, quæ de perpetuitate vinculi Episcopatus dixi *tom.*1. *de stat. quæst.*184. *art.*5. *à nu.*24. & de justis causis renuntiandi *ibid. quæst.*185. *art.*4. *per totum*.

Octavò notandum, quod cursu temporis insurgit oblivio, unde est, quod antiquorum factorum de facili obliviscimur, & eorum potest dari facillimè probandis ignorantia, seu dubitatio, Domin. *num.*5. Franc. *num.*3. Quamobrem, quæ in præsenti certissima sunt, possunt de facili cursu temporis in dubium revocari, & ideò quæ fiunt, quamvis certissima sint, ne cursu temporis oblivioni subjiciantur in scriptis redigenda sunt. Jo. Mon. *num.*5. Probus *num.*9. Anchar. *num.*5. Butr. *num.*2. Franc. *num.*4. Et ob hanc causam leges conscribi debent. Anchar. *num.*5. Franc. *num.*4. Et propterea creditor justè petere potest obligationem, qua debitor sibi est devinctus conscribi, ut dicti DD. advertunt, Et meritò ob hanc causam Bonifac. VIII. statutum Cœlestini Quinti inter alias scriptas constitutiones reposuit. 46

Ultimò notatur, quod sicuti ex eo, quod aliqua constitutio sit posita inter alias constitutiones statim facit jus, ita ex quo aliqui sit descriptus, v. g. in matricula scholarium, vel in Catalogo Notariorum habendus est pro scholari, vel Notario, Dom. *num.*7. 47

DE RENUNTIATIONE.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

SI te præbendam vel dignitatem in aliqua Ecclesia proximo vacaturam, auctoritate Apostolica expectante, aliquis præbendam seu dignitatem tenuem obtinens in eadem, fraudulenter ei renuntiet, ut illa primò sic vacante, præcludatur tibi via per consequens ad obtinendum præbendam vel dignitatem aliam pinguiorem, quæ per mortem alicujus, vel aliàs in ipsa Ecclesia creditur verisimiliter in proximo vacatura: per renuntiationem hujusmodi (dummodò de præmissa fraude appareat, saltem per aliquas probabiles conjecturas: ut quia dictæ renuntiationis tempore, is qui præbendam vel dignitatem pinguiorem habebat, infirmitate gravi detinebatur: vel aliquid aliud imminebat, propter quod illius præbenda, seu dignitas vacare in proximo probabiliter credebatur) nullum tibi volumus obstaculum interponi, quò minùs (præbenda vel dignitate prædicta sic fraudulenter renuntiata, omissa) possis dictam pinguiorem, cùm eam, vel aliam si prius ipsam vacare contigerit, auctoritate præfata liberè petere, veluti tibi debitam, & habere. Cæterùm si prædicto renuntianti hujusmodi præbenda, vel dignitas pinguior forsitan conferatur: eo ipso dicta fraus intelligatur esse probata: & idem renuntians habita omnino careat, & ambita.

SVMMARIVM.

1 *Regula textus.*
2 *Expectativæ abolitæ.*
3 *Fraus præsumitur ex actuum proximitate, & frequentia.*
4 *Fraus probatur per conjecturas.*
5 *Debent probari concludenter.*
6 *Conjecturæ probantes fraudem debent esse dilucidè, & probabiles.*
7 *Tales tamen, quæ faciant moralem certitudinem.*
Arbitrarium judicare, quæ sint probabiles conjecturæ.
8 *Tres conjecturæ, ex quibus præsumitur fraus.* 9. 10.
Ex infirmitate gravi præsumitur mors.
Sub infirmitatis nomine venit infirmitas gravis.
10 *Ex sperato obtento desumitur fraudis conjectura.*
11 *Fraus in dubio non præsumitur, sed ab allegante est probanda.*
12 *Potius præsumitur culpa, vel error, quàm dolus.*
13 *Impedito per fraudem jus succurrit.*
De impediente vi, vel fraude ab assecutione beneficii remissivè.
14 *An renuntians possit pœnitere: remissivè.*

1 HUjus decretalis regula est, quod dignitatem, aut præbendam primò vacaturam, si quis ex gratia Sedis Apostolicæ expectat, in aliqua Ecclesia, sed aliquis interim, ne expectans consequatur pinguiorem verisimiliter in proximò vacaturam in fraudem renuntiat suæ præbendæ tenui hoc non obstante expectans relicta tenui renuntiata potest expectare pinguiorem in proximò vacaturam. Item si qui fraudulenter renuntiavit tenui consequitur pinguiorem, carebit utraque, quia intelligitur fraus eo ipso probata.

Verùm quia hujusmodi gratiæ expectativæ, sive ad beneficia vacatura, omninò sublatæ fuerunt per Concil. Trident. *sess.*14. *cap.*19. pauca remanent adnotanda circa hunc textum. 2

Colligitur quidem primò, quod fraus, aut dolus ex proximitate temporis præsumitur, Franc. *num.*2. Barbos. *nu.*3. Mascard. *de probat. conclus.*530. *nu.*125. *& concl.*815. *nu.*15. *& conclus.*1057. *num.*4. Farin. *in praxi crim. part.*3. *quæst.*89. *ubi num.*115. *& seqq.* quod præsumptio doli, & fraudis nascitur ex brevitate temporis, sicut ex temporis intervallo tollitur. Et dolum, vel fraudem præsumi, quando unico temporis momento omnia facienda quis curaverit. Et ex vicinitate actuum, & ex eo, quod in continenti, aut statim fit. Hæc tamen fraus, aut dolus præsumitur contra agentem ad favorem tertii, vel fisci, prout loquitur textus *in l. si ventri*, §. *Si*, *ff. de privil. cred.* secus ad favorem ejus, cujus actum gessit. Quod etiam dolus, aut fraus præsumatur ex frequentia, aut celeritate actuum, Mascard. *de probat. l.*2. *concl.*815. *num.*5. *&* 6. declarat non procedere in materia pœnali. 3

Notatur secundò fraudem, seu dolum probari per præsumptiones, & probabiles conjecturas, Butr. *num.*2. Franc. *num.*2. Barbos. *num.*4. Cùm enim fraus, & dolus principaliter consistant in animo, & sint propterea difficillimæ probationis, ideò omni meliori modo, quo potest, probantur conjecturis, & præsumptionibus, *l. dolum*, *C. de dolo*, & ibi 4

ibi DD. Mascard. *lib.1. conclus.530. num.1.* Menoch. *de præsumpt.l.1. quæst.58. num.10. & de arbitr. l.2. casu 116. n.21. & in 3. remed. retinen. poss. num.617.* Farin. *dict. quæst.89. num.17.*

5 Cùm verò Domin. hic *num.4.* dixerit fraudem non esse plenè probandam; sed per conjecturas è contra, quod requiratur concludens probatio deduci videtur, *ex l. sed & si maritus*, §. *Et si constanter*, *ff. qui, & à quibus*, & ita senserunt Anchar. *cons.251. num.4. & cons.385. post num.5.* Dec. *tr. crim. part.1. l.1. cap.3. num.7.* Nam cùm fraus seu dolus sit crimen, debet probari per probationes manifestissimas, & non ex contingenti, sed ex necessitate concludendas.

6 Ideò conjecturas, ex quibus probatur fraus, aut dolus debere esse dilucidas, & perspicuas, *ex l. dolum, C. de dolo*, colligit Farin. *d. quæst.89. num.19. ubi num.27. & seq.* quod aliqui indicia perspicua explicant non levia, non frivola, non injusta. Alii manifestæ probationis. Alii quæ possunt trahi in malam partem. Alii manifestissima, & clarissima. Alii perspicacia, seu plenè efficacia. Alii urgentia, & concludentia. Alii valdè evidentia. Alii indubitata. Sed optimè in hoc nostro textu dicitur per probabiles conjecturas. Hic enim duo distingui debent, scilicet existentia conjecturæ, aut indicii, nequit enim probare conjectura, si non constet illam esse. Sed secundò attendi debet efficacia conjecturæ existentis ad inferendam fraudem, seu dolum. Quantum ad primum conjecturæ debent esse perspicuæ, idest manifestæ, & indubitatæ; & ideò debent esse concludenter probatæ; ex incerto enim non potest deduci certa conclusio.

7 Sed non est necesse, quod ex conjecturis inferatur fraus per consequentiam logicè, seu metaphysicè necessariam; sed sufficit si consequentia sit probabilis, dum tamen sit talis, quæ inferat certitudinem moralem. Erit autem talis, si nulla sit in contrarium conjectura, vel præsumptio. Nam præsumptio præsumptione, vel vincitur, vel inturbidatur, & inefficax redditur, Farin. *d. quæst.89. num.39. qui num.36.* dixerat hujusmodi probationes per conjecturas, & indicia perspicua, & manifesta requiri ad probandum dolum verum cùm ad probandum dolum præsumptum non sint necessaria indicia ista perspicua, & perfecta. Quamobrem tandem concluditur in arbitrio judicis positum esse decernere quando conjecturæ sint tales, ex quibus concludenter probetur dolus, Mascard. *de probat. lib.1. conclus.530. num.10.* Farin. *d. quæst.89. num.25.*

8 Tres verò conjecturas ex hoc textu colligunt, Dom. *n.5.* Franc. *num.2.* ex quibus probatur fraus. Prima est, si erat aliquis infirmus, ex quo præsumebatur vacatio. Sic enim graviter infirmum mori probabiliter præsumitur secundùm Franc. *num.2. & 3.* & Dom. *num.5. & 6.* Et sic beneficium probabiliter præsumitur de proximo vacaturum, si beneficiatus gravi detinetur infirmitate. Est tamen advertendum, quod in textu est sermo de infirmitate gravi. Nam & in jure nomine infirmitatis simpliciter intelligitur gravis, Franc. *num.3.* Felin. *in cap. ult. de except.* Flamin. *de resignat. l.12. quæst.6. num.10.* Menoch. *de arbitr. casu 429. nu.9.* Gratian. *disceptat.18. num.14.* Quamobrem ubi probanda esset infirmitas, deberet articulari de infirmitate gravi, aliter articulus non procederet, ut ex Imola notat Domin. Quando verò infirmitas gravis dicenda sit, arbitrio Medicorum judicatur, Mascard. *concl.896. num.12.* Gratian. *discep.19. n.19.* Ubi ergo beneficiatus aliquis habens pinguem præbendam sit graviter infirmus, si possidens tenue beneficium illi renuntiat, habetur conjectura ad præsumendum quod id fecerit in fraudem, & ut cogeret expectantem ex gratia Apostolica ad recipiendum tenue beneficium, ut interim ipse posset pingue obtinere.

Secunda conjectura est, si tempore renuntiationis beneficii tenuis, ex aliqua alia causa sperabatur fore, ut in proximo pingue beneficium vacaret. Hic enim intrat præsumptio ex proximitate temporis, & qua præsumitur quod renuntians id faciat in fraudem, ut sic expectans impediatur à consecutione beneficii pinguis proximè vacaturi, & necessitetur ad recipiendum tenue beneficium renuntiatum. 9

Tertia conjectura est, si beneficium pinguius posteà vacans tribuitur renuntianti minus pingue. Et hanc præsumptionem lex habet adeò pro constanti, ut velit hunc carere, & beneficio prius renuntiato in fraudem expectantis, & beneficio illo pinguiori consecuto. Sic igitur habetur hic, quod ex sperato obtento habetur conjectura præsumendi dolum, ut ait Anchar. *num.6.* 10

Nihilominus tamen considerandum est, quod in dubio fraus, aut dolus non præsumitur, *l. dolum, C. de dolo*, Felin. *in cap. si autem post n.1. de rescript.* Mascard. *de probat. lib.1. concl.531. n.1.* Menoch. *de præsumpt. lib.5. præs.3. n.14.* Farin. *quæst.89. num.2.* Ideò fraus aut dolus probanda est, & quidem ab illo, qui eam, vel eum allegat, *l. quoties la 2. §. qui dolo, ff. de probat.* Gloss. hic *in v. conjecturis*, Mascard. *dict. concl.531. n.9.* Farin. *ubi sup. num.3.* 11

Probari verò debet fraus in specie. Nam aliàs potius præsumitur error, quàm dolus, *l. quod adhibitus, C. de his, qui sibi ascrib. in testam.* Et ad effectum excludendi fraudem, aut dolum, omnis alia præsumptio accipi debet, & omnis interpretatio accipienda, etiam si opus sit impropriando verba. Ubi verò malum præsumi debeat, potius præsumi debet culpa, etiam lata, quàm dolus. Quamvis nec culpa præsumi debeat, sed & ipsa ab allegante sit probanda. De quibus vide Mascard. *dict. concl.531. & concl.814.* Menoch. *de præsumpt. l.5.* Farinac. *dict. quæst.89. num.4. & seqq.* & alios ab istis citatos. 12

Advertit etiam Anchar. in princ. quod aliud est fraudibus impedire alium ab assecutione beneficii, aliud est sibi sine fraude beneficium procurare. Primum est illicitum, & jus impedito succurrit, ut hic, *& l. jure civili, & l. quibus diebus, ff. de condit. & demonstrat.* Sed contra secundum non datur actio. De impediente aliquem fraude vel vi ab assecutione beneficii, & qualiter teneantur ad restitutionem videri possunt, quæ dixi *tract. de elect. cap.30. q.19. pag.646. num.215.* 13

Hic etiam Archid. Domin. Franc. & alii tractant an qui renuntiavit possit pœnitere. Sed hanc quæstionem examinavi *tom.1. de stat. quæst.185. art.4. à n.2. pag.144.* 14

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Innocentius Quartus.

CAPUT I.

ROmana Ecclesia: & infrà. Edictum verò per Rhemensem Provinciam publicatum, ut à subditis Episcoporum ipsius Provinciæ, pro audiendis & terminandis eorum causis liberè ad Rhemensem Curiam accedatur, penitus revocamus: Quia etiamsi tenerentur iidem Episcopi pro suis culpis vinculo excommunicationis astricti: non tamen ex culpis ipsis (cùm id non inveniatur à jure concessum) ad Rhemensem Archiepiscopum jurisdictio devolveretur eorum: Sed alia fortè pro illis pœna ipsis Canonica posset infligi.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*

2 *Ex culpis suffraganeorum non devolvitur eorum jurisdictio ad Archiepiscopum.*

3 *Ex culpa inferioris non devolvitur jurisdictio ad superiorem.*

4 *Archiepiscopus in iis, in quibus habet jurisdictionem, potest condere edictum pro tota Provincia.*

5 *Edictum derogans juri alterius est invalidum.*

6 *Ar-*

6 *Archiep. est judex Ordinarius Suffraganeorum, non verò subditorum illorum.*
7 *Archiepis. in prima instantia non cognoscit causas subditorum Suffraganeorum.*
8 *Nisi in casibus exceptis.*
9 *Prælati Regulares sunt Ordinarii suorum subditorum.*
10 *In secunda instantia Archiepiscopus cognoscit de causis suorum Suffraganeorum.*
11 *Ad quem appellandum à subdito Episcopi.*
12 *Quid faciendum si causæ spectant ad Episcopum excommunicatum.*
13 *Archiepiscopus non cognoscit causas vertentes inter subditum, & Suffraganeum.*
14 *Nec vertentes inter Suffraganeos.*
15 *Is cui commissa est audientia causæ non potest illam terminare, nisi sit expressum.*
16 *Dictio* liberè *importat independentiam ab alio.*
17 *Dictio* penitus *idem, quod ex toto.*
18 *Meritò revocatum edictum Archiep. Rhemen.*
19 *Ad cujus instantiam id factum.*
20 *Præceptum notoriè, nullum revocatur sine citatione.*
21 *Cur Pontifex revocaverit edictum, & non potius declaravit illum nullum.*
Vbi agitur de valore rei in notorio non requiritur citatio.
22 *Quod non est prohibitum censetur permissum.*
23 *Quod non est concessum censetur negatum.*
24 *Dictio* fortè *aliquando non sumitur dubitativè.*
25 *Pœna arbitraria etiam dicitur Canonica.*

1 CUm Archiepis. Rhemen. suam Provinciam visitaret, quia non fuit à Suffraganeis debito modo, receptus nedum eos excommunicavit, sed promulgavit edictum, ut à subditis Episcoporum suæ Provinciæ pro audiendis, & terminandis causis eorum, liberè ad Rhemensem curiam accederetur, prætendens ipse, quod ex excommunicatione Episcoporum Suffraganeorum eorum jurisdictio ad ipsum fuisset devoluta; Hoc ergo edictum Innocentius Quartus revocavit, eo quia non est de jure, quod ex culpis Suffraganeorum eorum jurisdictio devolvatur ad Archiepiscopum; quamvis fortè pro illis culpis alia pœna Canonica posset infligi.

2 Ex hac igitur decretali hæc regula colligitur, quod scilicet ex culpa aut excommunicatione Suffraganei jurisdictio ejus non devolvitur ad Archiepiscopum, Jo. Monach. Archid. Jo. Andr. Anchar. Butr. Dom. Franc. Vivian. *in rationali lib.1. p.270.* Alagona *in comp. pag.94.* Ximen. *in concordant. part.2.* Barbosa hìc.

3 Alia quoque magis generalis assertio per consequentiam deducitur nimirum quod ex culpa aut excommunicatione inferioris, jurisdictio illius non devolvitur ad superiorem, Gloss. hìc *notab.2.* Archid. *in princip.* Sic enim per excommunicationem tollitur ab excommunicato jurisdictio, quod non per hoc devolvitur ad superiorem, qui ex culpa inferioris, non acquirit jurisdictionem qua est privatus inferior, nec potest exercere jurisdictionem in subditos inferioris, nisi in casibus in jure expressis.

4 Non reprehenditur verò Archiepiscopus Rhemensis quia publicaverit edictum pro tota Provincia; unde benè deducitur Archiepiscopum in iis, ad quæ se extendit sua jurisdictio posse condere edicta totam Provinciam obligantia, de quo in *cap.1. infrà de pœnis*, ut notant Dom. *num.1.* Franc. *num.1.* Barbosa *n.2.* Quaranta *v. Archiepiscopi auctoritas, vers.27.* iterùm Barbosa *de off. Episc. par.1. tit.4. num.38.*

5 Fuit verò edictum præfati Archiepis. cassatum, quia jurisdictionem sibi usurpabat, quam non habebat. Quo concluditur, quod edictum, statutum, aut constitutio, per quam derogatur juri alterius est invalida. Nisi jurisdictio unius habeat dependentiam ab alio qui illam possit limitare; aut abrogare, ut notatur *in l. Omnes populi, ff. de inst. & jure*, & hìc consideravit Butrius *num.2.*

6 Notandum igitur est primò, ex regula hujus textus haberi Archiepiscopum non esse Judicem Ordinarium totius Provinciæ; quia licèt Suffraganeorum suorum sit Ordinarius, *cap. Pastoralis, sup. de off. Ordin.* non tamen est Ordinarius subditorum ipsorum Suffraganeorum, nec in eorum Diœcesi potest ullam jurisdictionem exercere, nisi in casibus in jure expressis, *cap.1. & 2. & cap. Archiepis.9. q.3. cap. duo simul, sup. de off. Ordin. cap. sicut unire, sup. de excessibus Prælatorum*, Gloss. hìc, Jo. Mon. Jo. Andr. Anchar. *num.1.* Butr. *num.5.* Dom. *n.5.* Franc. *num.2.* Barb. *n.3. & 4. & ad dictum cap. sicut unire*, Gloss. ult. Butr. *n.5.* Card. *n.2. in 3. notab. & n.3. in 4. oppos.* Panorm. *n.4.* R. P. D. Fagnan. *num.8.* Silvest. *v. Archiepisc. num.3.*

Ideò in prima instantia non potest Archiepis. cognoscere causas spectantes ad subditos suffraganeorum suorum, etiam in casu, quod illi non possint uti sua jurisdictione, ut per Jo. Andr. *sup. in cap. Pastoralis, de off. Ord. n.21.* ubi Anan. *num.3.* Butr. *num.16.* Panorm. *num.10.* Felin. *num.5.* Dec. *in cap. solitudinem n.5. de appellat.* Hostien. *in sum. tit. de Off. Ordin. §. quid pertinent, nu.7.* Silvest. *v. Archiepiscopus n.3.* & hìc Gloss. Covar. *practic. cap.9. num.2.* Sanchez *l.3. de matrim. disp.28. num.3.* 7

In aliquibus tamen casibus in jure exceptis, Archiepiscopus habet jurisdictionem in hujusmodi subditos; hoc autem casus enumerat Gloss. *in d. cap. Pastoralis*, & hìc Jo. Monachus, Jo. Andr. & alii referentes aliquos versus in quibus isti casus continentur. 8

Est verò discrimen inter Prælatos Regulares superiores, ut puta inter Generales, & Provinciales, & Archiepiscopos. Quod Prælati Regulares sunt Ordinarii etiam subditorum inferiorum Prælatorum, ut Generalis est Ordinarius omnium Religiosorum sui Ordinis, & Provincialis suæ Provinciæ. Ideò isti etiam in prima instantia, si volunt, cognoscunt causas subditorum quorumcumque qui sunt vel de suo Ordine, vel respectivè de sua Provincia, & ideò in Regularibus non habet locum decretum Concil. Trident. *sess.24. cap.20. de reformat.* ut tanquam decisum à S. Cong. dixerunt Barbosa *ad d. cap.20. n.9. & de off. Episc. alleg.81. num.13.* & apud eum Aldret, Novar. Navar. Ricc. Ceval. & Sanchez. 9

In secunda tamen instantia, & via appellationis Archiepisc. cognoscit causas subditorum omnium suæ Provinciæ. Et tunc hujusmodi causam appellationis potest delegare subdito illius Suffraganei cui litigantes sunt subditi, & sic potest causam huiusmodi cognoscere etiam in Diœcesi à qua est appellatum, *cap. Pastoralis, sup. de off. Ord. cap. ut litigantes, infr. eod. tit.* Butr. hìc *num.5.* Non potest tamen hanc causam cognoscere, seu committere, nisi vel in propria sua Diœcesi, vel in ea à qua est appellatum, vel causa ipsa consistit, nisi aliud sibi competat de consuetudine, *d. cap. ut litigantes, inf. de off. Ordin.* Silvest. *v. Archiepisc. num.1. in fin.* Imò ante appellationes non potest in Diœcesibus suorum Suffraganeorum constituere officiales pro appellationibus ad eum interponendis, *cap.1. inf. de off. Ordin.* R. P. D. Fagnan. *cap. A nobis el 1. num.27. de sent. excommun.* 10

Notant autem Domin. *num.5.* & Franc. *num.3.* Quod si Episcopus sit excommunicatus, & appellandum sit à judice subdito ejusdem Episcopi, non potest appellari immediatè ad Archiepiscopum, quia mediat Episcopus, cujus jurisdictio ob excommunicationem non est devoluta ad Archiepiscopum, & non datur jurisdictionis dependentia. 11

Sed si ob excommunicationem Episcopi non devolvitur jurisdictio ad Archiepiscopum, quid tunc fiet, de causis spectantibus ad Episcopum. Si in brevi Episcopus sit consecuturus absolutionem bonum erit eam expectare. Aliter ad Papam recurrendum est, vel ad Legatum si est in Provincia, Jo. Mon. Jo. Andr. Anchar. Butrius *num.4.* Franc. *num.3.* 12

Notandum secundò, secundùm Gloss. textum loqui de causis, quas subditi Suffraganeorum habent inter se, non verò de illis, quas habent cum aliquo ex Suffraganeis; Nam quantum ad istas edictum esset validum, & possunt subditi suum Episcopum coram Archiepiscopo citare etiam in prima instantia, *cap. pervenit, cap. si quis cum Clerico, cap. si Clericus 11. quæst.1.* 13

Sed neque causas vertentes inter ipsos Suffraganeos potest Archiepiscopus cognoscere, ut tanquam declaratum à S. Congreg. Episcoporum in una Regien. 31. Maji 1588. docet Barbos. *ad sess.13. cap.8. n.2.* Concil. Trid. 14

Notandum tertiò, quod in textu duo simul junguntur, scilicet audientia causæ, & ejus terminatio. Duo enim ista distinguuntur, & ex quo alicui detur facultas audiendi causam aliquam, non per hoc datur illam definiendi, & terminandi nisi fuerit expressum, Franc. hìc *num.1.* 15

Nota 4. Archiep. Rhemen. voluisse, quod subditi Suffraganeorum possent pro eorum causis accedere ad Curiam Rhemensem liberè, idest nõ obstante contradictione Suffraganeorum, vel alicujus alterius, ut notant Jo. Mon. Archid. *num.1.* 16

*num.*1. Dom. *num.*5. & hoc etiam per simplicem querelam. Ex quo habetur, quod dictio *libere* importat libertatem, & independentiam à cujuscumque alterius voluntate.

17 Nota 5. quod Innocent. IV. præfatum edictum revocavit penitus, idest ex toto, Jo. Andr. & Dom. *num.*5.

18 Notandum 6. quod meritò Pontifex revocavit illud edictum Archiepisc. Rhemen. Tum primò, quia erat præjudiciale etiam innocentibus, nimirum Prælatis inferioribus Episcopis habentibus tamen subditos, ut notant Jo. Monac. & Archid. Tum quia Archiepiscopis non competit jurisdictio aliqua nisi concessa à Sede Apostolica, ac propterea nisi concessa, aut lege scripta, aut consuetudine legitimè præscripta; quorum neutrum in præsenti aderat, ut advertit Archidiac. quo ostenditur irrationabilitas eorum, quæ Hostiens. qui erat Archiepisc. dixit contra hujus textus resolutionem, & referunt hìc Monachus, Jo. Andreas, & alii.

19 Sed cùm Suffraganei illi essent excommunicati, quomodo Pontifex ad eorum instantiam revocavit edictum Archiepiscopi. Respondetur, quod Pontifex non ipsis excommunicatis, sed Ordinariæ Episcoporum dignitati voluit principaliter providere, Dom. *n.*5. Butr. *num.*3.

20 Docemur verò ex hoc facto, ut deducunt Domin. *num.*2. & Franc. *num.*2. quod id, quod est notoriè nullum, ut erat, hoc edictum, potest revocari, quando de facto processit. Si ergo præceptum factum à judice continet notoriam injustitiam, potest revocari per superiorem absque alia citatione judicis, qui præceptum fecit. An etiam sententia interlocutoria ipsius judicis continens notoriam injustitiam possit revocari non citata parte videtur, quod textus hic faveat parti affirmanti, sed videnti DD. *in cap. cum cessante, supra de appellat.* & Innoc. *in cap. Sacro, supr. de sent. excommun.*

21 Sed considerandum, quod quidquid sit, an in judicio, quando agitur de punienda persona, etiam in casu notorii, præmitti debeat citatio, tamen ubi agitur de valore, aut nullitate rei alicujus si nullitas est notoria, non est necessariè citatio, quia non intentatur judicium contra personam. Sic sæpissimè, & ordinariè in Sacris Cong. S. Officii, & Indicis non citatis auctoribus eorum libri continentes falsa dogmata damnantur.

22 Sed si edictum illud continebat notoriam injustitiam, videtur, quod Pontifex debuisset illud declarare nullum, non verò illud revocare: revocantur enim ea, quæ alias valida sunt, ut in abrogatione legum constat. Sed dicitur, quod aliquando contingit, ut quæ nulla sunt revocentur, ut tollatur omnis ambiguitas, & occasio disputandi, an revocatum sit, vel non sit ipso jure nullum, quoniam revocatio abrogat revocatum etiam si ipso jure fuisset validum. Satis tamen Pontifex declaravit nullitatem ex ratione à se assumpta, quia scilicet, non reperitur concessum, quod ex culpis eorum, jurisdictio Suffraganeorum devolvatur ad Archiepiscopum.

23 Notandum 7. quod duæ sunt regulæ juris, quæ videntur contrariæ. Una est, quod id censeatur permissum, quod non est prohibitum. Alia est, quod id intelligatur negatum, & prohibitum, quod non apparet concessum. Sed quando sumus in casu illius, quod ex communi jure est permissum, & non est illicitum, nisi quia specialiter sit prohibitum, tunc locum habet prior regula. Sed è contra, quando aliquid ex communi jure non competit, sed in tantum potest competere, in quantum id specialiter conceditur, locum habet secunda. Ita verò sic est, quod jurisdictio, & jurisdictionis devolutio competit Archiepiscopis ex concessione Sedis Apostolicæ, ita quod tantam jurisdictionem habeant quanta ipsis conceditur, unde quod non legitur eis concessum est illis prohibitum, & quia in jure non legitur concessum, quod jurisdictio Suffraganeorum ex eorum culpis devolvatur ad Archiepiscopum, ideò hoc censendum est illis esse prohibitum, ut notant Gloss. & Archid.

24 Nota octavò, quod dictionem *fortè* non semper accipi debere dubitativè, ex hoc textu colligunt Monac. *num.*9. Probus *num.*8. Archid. Domin. *num.*5. Barbos. *num.*7. *prout in cap. Tua de Procurat.* juncta Gloss. *in v. forsitan, & in cap. super literis, de rescript.* juncta Gloss. *in v. forsitan, & in cap. Tua ad nos, de sponsal.* juncta Gloss. *in v. forte.* Unde Probus *dict. num.*8. multis allegatis vult, quod consilium Doctoris præstitum per adverbium *forte*, non est ambiguum, & incertum, & non minus videtur veritatem decidere. Sed non video unde hic sensus assertivos deducatur ex hoc textu, quia licèt sit notum Suffraganeos pro eorum culpis esse puniendos, hic tamen erat sermo de Suffraganeis jam pro culpis excommunicatis, & incertum erat, an pro illis alia etiam pœna Canonica puniri deberent, & ideò Pontifex utitur adverbio *forte*. Quo si utitur Doctor in consulendo semper significat se non omnino fortiter adhærere sententiæ, quam profert, sed cum aliqua formidine.

Nonò considerandum, quod ubi pœna non est à jure statuta, remanet arbitraria judici, qui illam imponere debet secundùm præscriptum legum, & Sacrorum Canonum, & juxta qualitatem culpæ, ut hìc resolvunt Gloss. per textum *in cap. sane el 2. de off. deleg.* cui est similis *in cap. de causis, §. ult. eod. tit.* & ita hanc Glossam sequuntur hic Arch. Anchar. *n.*2. Dom. *in fin.* Mon. *num.*10. Jo. And. Franc. *num.*4. Barbos. *num.*6. Pœna verò licèt arbitraria, dicitur Canonica, dum de mente Canonum est imposita. 25

SUMMARIUM.

26 *Jurisdictionem devolvi ex negligentia plures dixerunt.*
27 *Oppositum probatur.*
Textus allegati loquuntur in casibus particularibus.
28 *Servanda dispositio Concil. Trid.*
29 *In casibus expressis servandi illorum termini.*
30 *Archiepisc. in prima instantia non potest causas coram Suffraganeis agitatas avocare.*
31 *Nec etiam sine præjudicio cursus causarum coram Episcopo.*

Quæst. unic.

ARTICULUS UNIC.

Utrùm ex negligentia Suffraganeorum, devolvitur jurisdictio ad Archiepiscopum.

OCcasione illorum verborum hujus textus scilicet: *Non tamen ex culpis ipsis ad Rhemensem Archiepiscopum jurisdictio devolveretur eorum.* Multi distinxerunt inter Suffraganeorum Episcoporum culpas, & negligentiam eorumdem, & ex hoc moti sunt, ut dicerent, quod licèt ex culpis Suffraganeorum non devolvatur jurisdictio ad Metropolitanum, devolvitur tamen ex negligentia. Hujus rationem assignant, quia negligens subditorum cognoscere causas, illisque justitiam ministrare peccat in jurisdictionem ipsam, ideòque meritò jurisdictio ad superiorem devolvitur, *cap. cum simus 9. quæst.3. cap. ex frequentibus, supr. de instit. cap. Romana, §. Quod si de aliquibus, infr. de cens. cap. venerabilis, §. sane, de sent. excommun.* & possunt allegari etiam eadem ratione, *cap. significavit, & cap. quanto, de off. ordin. cap. ex transmissa, cap. ex tenore, cap. licet 10. de for. compet. Clem. 1. vers. non igitur de celebrat.* Hujus ergo sententiæ sunt Gloss. *in v. exceptus, in cap. postulastis, sup. de off. ordin. & in v. Capitulum, in cap. irrefragabili eod. tit.* Et hic Jo. Monac. *num.*1. & 2. Anchar. *num.*1. Domin. *n.*5. Franc. *num.*3. Azor. *part.2. l.3. cap.34. quæst.10. vers. quæres.* Dicunt verò Hostien. Domin. Jo. Andr. & Franc. Quod si Episcopus tertiò requisitus, ut dicitur *in cap.1.* super eo non procedit, vel prima vice expressè negat audientiam poterit cognoscere Metropolitanus, *ut in cap. duo simul, supr. de off. Ordin.* Consulunt tamen, quod Archiepiscopus remittat subditum ad Suffraganeum præfigens illi terminum competentem, in quo subdito justitiam faciat, quo elapso si non fecerit, poterit ipse facere. Et ut Episcopus monitionem negare non possit, fiat de præsentatione literarum coram testibus publicum instrumentum, ut monuit Jo. Andr. 26

Verùm in contrarium urget efficacissimè textus noster, in illis verbis, *cum id non inveniatur jure concessum;* ex quibus habetur hæc regula generalissima, quod Archiepiscopo non convenit nisi ea sola jurisdictio, quæ illi invenitur in jure concessa. At verò nullibi in jure reperitur hæc regula generalis, quod ob negligentiam jurisdictio Episcopi devolvatur ad Archiepiscopos. Textus enim citati omnes loquuntur in casibus particularibus, & in illis, & illorum terminis præcisè devolvitur jurisdictio unius judicis ad alium. At verò neque ex natura rei necesse est, quod judex 27

peccans in usu jurisdictionis illam amittat, & jurisdictio ad alium devolvatur. Non ergo ex negligentia Suffraganei devolvitur jurisdictio ad Archiepiscopum, ut probat hìc Archid. & tenuerunt Panorm. *in cap. si quis contra num.4. de for. compet. & in cap. pastoralis num.10. de off. ordin.* Felin. *in cap. quoniam in fin. eod. tit.* Barbos. hìc *num.9.*

28 Itaque in his servanda est dispositio Concil. Trid. *sess.24. de reform. cap.20.* In quo decernitur, ut causæ omnes in prima instantia cognoscantur ab Ordinariis, assignato illis biennii termino ad illas expediendas, quo elapso partes alium judicem competentem possunt adire.

29 In aliis quoque casibus in jure expressis, in quibus ex negligentia unius judicis, conceditur alteri, ut causas cognoscat, servandi sunt termini legum, quæ hoc disponunt.

Ideò, ut dicebatur, Archiepiscopus non potest se ingerere in prima instantia causarum, quæ agitantur coram ejus Suffraganeo, nec potest illi inhibere, & si id faciat, Suffraganeus non tenetur deferre appellationi, nisi in casibus Bullæ Greg. XIII. quæ est 24. in Bullar. prout tamquam decisum tenent Barbosa *sess.13.* Concil. Trid. *cap.1. n.28.* post Zerolam, & Hier. Rodriq. 30

Sic etiam Metropolitanus non potest cognoscere hujusmodi causas, etiam citra præjudicium cursus causæ coram Episcopo, neque ad eum effectum, etiam absque ulla inhibitione potest simpliciter mandare, ut sibi transmittatur copia processus expensis appellantis extra casus appellandi à Concilio concessos, prout etiam tamquam decisum docet idem Barbosa *d. sess.13. cap.1. num.29.* post Quarantam, & Hieron. Rodriq. 31

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Idem Innocentius IV. Baronibus, & Comitibus Regni Portugalliæ.

CAPUT II.

GRandi non immeritò: & infrà. Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum comitem Bolon. præfati Regis Portugalliæ fratrem, de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, qui eidem Regi (si absque legitimo decederet filio) jure Regni succederet: quique examinatæ dilectionis affectu, quo vos, & prædictum Regnum prosequitur (magnanimitate, ac potentia sibi plurimum suffragantibus) Regnum ipsum maturius reformaturus firma credulitate speratur: præsertim cùm ad curam, & administrationem generalem, & liberam Regni ejusdem, tam pro sæpè dicti Regis, quàm ipsius Regni utilitate, (si providè attendatur) ac ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum Regni præfati, & personarum Ecclesiasticarum, tam Religiosarum, quàm sæcularium, necnon viduarum, orphanorum, & cæterorùm ibidem degentium, ac deperditorum inibi recuperationem salubriter, ut in Domino confidimus, sit assumptus: cùm ad vos accesserit (fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus fortè præfato Regi, vel cuicumque alii personæ tenemini, aut etiam ipsius Regis prohitione: dummodò personam ejus & vitam, ac legitimi sui filii, si aliquem ipsum habere contigerit, fideliter conservetis, debitum eis exhibentes honorem, nequaquam obstantibus) in Civitatibus, castris, villis, & munitionibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere, ac ejus dispositioni, ordinationi, & mandatis universaliter singuli, & singulariter universi, per omnia, & in omnibus intendere absque difficultate qualibet procuretis: impendentes sibi contra quoslibet repugnantes, ac etiam violentos, consilium, auxilium, & favorem: de redditibus, proventibus omnibusque præfati Regni juribus, sine diminutione aliqua, plenariè respondendo: ut de illis dicto Regi, secundùm quod suam decet excellentiam, sibi ac suis, & præfati Regni necessitatibus pro tempore, ac negotiorum emergentium qualitate, valeat providere. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bracharensi Archiepiscopo, & Episcopo Columbriensi, damus nostris litteris in præceptis, ut vos ad id monitione præmissâ, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio (si quem habuerit) prædictum Regnum adimere: sed potius sibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis in vita ipsius Regis, per solicitudinem, & providentiam comitis consulere supradicti.

SUMMARIUM.

1 *VBi qui regit sit negligens, potest illi dari coadjutor, sicut fecit Innocent. IV. qui sine præjudicio ejus, & Filiorum dedit administratorem Sanctio II. Regi Portugalliæ.*

2 *Conditiones administratoris.*

3 *Officium coadjutoris expirat per mortem illius, cui est datus.*

4 *Filii Regis succedunt in Regno.*

5 *In dando administratore consideranda utilitas communitatis.*

1 EX hoc capite regulam hanc communiter deducunt DD. quod ubi qui regit sit in gubernio negligens, & remissus potest superior ei dare idoneum coadjutorem, & administratorem, sicut Innocentius IV. fecit Sanctio Secundo Regi Portugalliæ, sine ipsius, seu filiorum præjudicio.

Conditiones verò administratoris colligit Glossa ex hoc textu, nimirum, quod sit devotus erga Deum, circumspectus, plenus oculis, & bonus mundanus. 2

Officium verò coadjutoris expirare per mortem illius, cui datur administrator, seu coadjutor ipsumque coadjutorem non succedere in officio, dignitate Prælatura ejus, cui datus fuit coadjutor deducunt benè ex hoc textu Gloss. & alii. 3

Colligitur secundò, quod in successione regni Filius Regis præfertur ejusdem Regis fratri, Butr. *num.1.* Alfonsus enim datus administrator erat frater Regis Sancii, & tamen successio in Regno, pertinebat ad Sancii filios; quibus Pontifex noluit præjudicare. Nihilominus deficientibus filiis succedit frater jure Regio, Franc. *num.2.* 4

Colligitur tertiò, quod in dando administratore magis consideranda est Regni, seu universitatis utilitas, quàm illius personæ, cui datur, *l. fin. §. defensionem, C. de adminis. tut.* Butr. *num.2.* 5

DE

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Bonifacius Octavus.

C A P U T III.

SI Episcopus à Paganis, aut Schismaticis capiatur: non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus, & temporalibus ministrare debebit: donec eum libertati restitui, vel per Sedem Apostolicam (cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum quamcitò commodè poterit consulendam, aliud contigerit ordinari.

SUMMARIUM.

1 *REgula textus.*
2 *Ex absentia necessaria Prælatus non perdit dignitatem.*
3 *Idem si Episcopus sit captus ab hæreticis.*
4 *An Episcopus captus in bello fiat servus.*
5 *Est sermo de captura, quæ fiat de facto.*
6 *An sit idem si Episcopus capiatur à fidelibus.*
An Episcopus captus, possit instituere Vicarium.
7 *Textus loquitur de captis ab Infidelibus, aut Schismaticis, non verò à Fidelibus.*
Omnis Hæreticus est Schismaticus.
8 *Sub nomine Paganorum veniunt Saraceni, Athei, & Iudæi.*
9 *Non procedit textus in Episcopo capto à Fidelibus.*
10 *Non est eadem ratio de capto ab Infidelibus, & Fidelibus.*
11 *Extensio legis ad casum non expressum infert defectum in legislatore.*
12 *Episcopus captus à Paganis non instituit Vicarium: secus si captus à Fidelibus.*
13 *Textus non loquitur de Episcopo expulso.*
14 *Capto Episcopo à Paganis non Archiepisc. Sed Capitulum Cathedralis administrat jure ordinario.*
15 *Captus Episcopus à Paganis est civiliter mortuus.*
Mors simpliciter stat pro morte naturali.
Mors civilis æquiparatur naturali in casibus expressis.
16 *Eadem ratio si Episcopatus aliter vacet.*
17 *Capitulum Sede vacante succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi.*
18 *Ea quæ sunt Ordinis potest per Vicarios Episcopos.*
19 *Qualiter possit dimittere ad Ordines.*
20 *Et ad Tonsuram.*
21 *Quid respectu regularium.*
22 *Capitulum non succedit in jurisdictione speciali, aut delegata.*

1 DEcernitur in hoc textu, quod si Episcopus fiat captivus à Paganis, vel Schismaticis non Archiepiscopus, sed Capitulum gubernabit Episcopatum tamquam in Sede vacante, donec Summus Pontifex, quam primùm consultus provideat.

2 Si contingat Episcopum capi à Paganis, vel Schismaticis non vacat Ecclesia, nec novus Episcopus eligitur, quia ubi Episcopus, vel quicumque Prælatus absit ex causa necessaria, ut si etiam esset à laicis expulsus, vel bannitus, non perdit dignitatem, *cap. Olim, de injur. cap. 2. de arbitr. Clem. quamvis de for. compet.* Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 2.

3 Idem si ab Hæreticis; Nam & Hæretici Schismatici sunt, quatenus Pontificem, & veram Ecclesiam non recognoscunt, eique non obediunt, Gloss. 3. & ex ea Dom. *num.* 5. Imò idem si sit captus ab hostibus Fidelibus, vel à pyratis, seu Fidelibus, Franc. *num.* 2. Sed hoc habet difficultatem paulò infra ponendam, & explicandam.

4 Ex hoc verbo Capiatur junctis illis, *donec eum libertati restitui*, colligi videtur, quod Episcopus captus à Paganis, vel Schismaticis fiat servus capientis. Ita colligit Barb. *n.* 2. qui allegat Dom. *n.* 7. & Franc. *num.* 3. qui quidem id sentire videntur, quatenus volunt, quod sit eadem ratio de Episcopo capto à Paganis, & in bello justo à Fidelibus. Si enim Episcopus captus non fieret servus de jure, sed solùm de facto, non erat distinguendum inter bellum justum, vel injustum, quia captus in quocumque bello fit de facto servus capientis. Citat etiam inter multos alios Monachum *nu.* 1. & Probum, qui hoc non dicunt.

5 Hìc tamen textus non se fundat, aut in servitute ex justo titulo, aut in captura in justo bello: sed imò cùm loquatur de captura facta per Paganos, aut Schismaticos Fidei, aut Ecclesiæ injustissimos hostes loquitur de captura, quæ fiat de facto etiam sine jure, & prorsus nulliter, & injustè.

Sed intrat modò difficultas an sit eadem ratio de Episcopo 6
capto à Paganis, vel Schismaticis, aut Hæreticis, vel quibuscumque aliis Fidei hostibus, & de capto ab hostibus Fidelibus, aut à Fidelibus pyratis, aut latronibus. Videtur enim, quod ita dicendum sit, qui Episcopus captus ab hostibus licèt Fidelibus non potest adesse suæ Ecclesiæ, sicut si esset captus ab Infidelibus. Ideò alia oritur difficultas, an scilicet Episcopus captus possit instituere Vicarium, qui nomine suo gubernet. Vel si Vicarium habebat; dum fuit captus, Vicarius perseveret, vel potius ex vi capturæ ejus mandatum expiret? Ex Jo. à S. Georgio respondet Dom. *n.* 7. quod Episcopus captus à Paganis, & Schismaticis non potest instituere Vicarium, secus tamen si esset captus à Fidelibus, quia tunc valeret institutio Vicarii, & ratio potest sumi *ex l. Hostes, ff. de cap. & postlim. rever.* Addit verò ex Jo. de Imola, quod idem dicendum sit, si Episcopus capiatur à Fidelibus, quibus Papa indixit bellum; & sic dictum Jo. à S. Georgio debet restringi, quando bellum non esset justumve, quando esset captus absque alio bello. Idem sentit Franc. *n.* 3. *in fin.* In his verò casibus, in quibus Episcopus captus non potest instituere Vicarium, si illum jam habet institutum, cessat ejus mandatum. Sic Dom. *n.* 8. quia per mortem Episcopi cessat mandatum Vicarii, ut not. Gloss. *fin. in Clem. fin. de procur.* In hoc autem textu captura æquiparatur morti.

Ego transeo cum sententia Jo. de S. Georgio, ut textus in- 7
telligi debeat propriè de Paganis, & Schismaticis, seu Fidei hostibus quibuscumque, nullo modo verò de hostibus, vel pyratis, vel latronibus Fidelibus. Primum horum probatur, expressè enim nominantur Pagani, & Schismatici, sed sub his nominibus comprehenduntur omnes Infideles, & puri Schismatici, & Hæretici qui sunt mixti, & sunt ex parte Pagani, & simul Schismatici. Et quidem quod omnis Hæreticus, sit propriè Schismaticus docuerunt D. Th. 2. 2. *q.* 39. *a.* 1. *ad tertium*, & ibi expositores Sanch. *l.* 2. *in Decal. c.* 36. *n.* 8. Sanctarell. *de hær. cap.* 47. *n.* 7. Carena *tit.* 3. §. 10. *n.* 31. Sallelles *tom.* 1. *reg.* 110. *n.* 126. Sic igitur DD. communiter cum D. Th. 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. dividant Infideles in Paganos, Judæos, & Hæreticos, ex his Hæretici in hoc textu cõprehenduntur sub Schismaticis, cũ vera tales sint, quia sunt ab Ecclesia separati.

Ad Paganos verò reducuntur sine dubio Athei, & Sarace- 8
ni. Illi quidem, quia Deum etiam negantes, pessimè Infideles sunt; isti verò, quia Christum Redemptorem negant, illi verò dicuntur Pagani, qui mysteria Fidei non admittunt, & præcipuè Trinitatem, & Adventum Christi Redemptoris. Nam Ecclesia orans contra Infideles bello Ecclesiam vexantes, sub nomine Paganorum Saracenos, & alios Infideles cõprehendit, dicens: *Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manus sunt omnes potestates, & omnia jura regnorum, respice in auxilium Christianorum, ut gentes Paganorum, &c.* Et sic etiam in die Veneris sancti orans pro statibus hominum, sub nomine Paganorum comprehẽdit omnes Infideles præter Judæos, & Hæreticos. Solùm ergo posset esse difficultas, an sub regula hujus textus comprehendãtur Episcopus captus à Judæis, qui propriè nõ dicuntur Pagani, neque Hæretici, sed cũ non receperint Baptismũ ad Paganos reducũtur, & veniunt etiam sub nomine Schismaticorũ, quia ab Ecclesia separati sunt. Nam hìc præcipuè attenditur separatio ab Ecclesia, & odiũ Fidei, & Religionis Christianæ. Et attenditur captura; ut facta ab hostibus Fidei, aut Ecclesiæ, ideò cõprehenditur Episcopus, si fuerit captus à Judæis. Quos non nominavit textus expressè. Quia cũ illi ubique sint servi, & vilissima mancipia, Pontifex nõ judicavit de facili moraliter possibilẽ casũ, ut Episcopus sit à Ju-

à Judæis captus taliter, ut possit dici civiliter mortuus, & ut talis judicari debeat.

9 Exclusis verò infidelibus, & Schismaticis, quod decisio textus non se extendat ad Episcopum captum à Fidelibus non Schismaticis, ex eo probatur, quod non est dicendum Bonifacium Octavum, vel diminutum fuisse, vel imprudentem. Si enim intendisset dispositionem suam extendi ad captum à Fidelibus non Schismaticis, diminutus fuisset id non exprimendo, sed expressè nominando solos Paganos, vel Schismaticos, vel imprudens, & indoctus si judicasset; hostes Fideles non Schismaticos venire sub nomine Paganorum, aut Schismaticorum.

10 Et si dicatur hæc non sequi, sed legem ex paritate rationis extendi. Respondetur primò, rationem esse plusquam dissimilem. Captus enim ab infidelibus, & Schismaticis, & sic ab Ecclesiæ hostibus meritò præsumitur, vel de facili moriturus naturaliter, vel jam mortuus civiliter per inductionem perpetuæ servitutis, & omnino impeditus, nec etiam per alium possit suum gregem pascere, hujusmodi enim facultas à Fidei hostibus regulariter expectari non potest, & eo magis, quod illis omnis communicatio cum Fidelibus sit suspecta, & odiosa, & superstitiosam, & vanam ipsi judicent spiritualem jurisdictionem, & curam. Non ita hæc mors civilis, & totale impedimentum administrationis Episcopatus, vel perpetuo, vel ad longum tempus potest præsumi, ex eo, quod Episcopus capiatur à Fidelibus non Schismaticis. Quia hæc captura erit ex causa temporali, & non ex odio Ecclesiæ, & nec erit ab hujusmodi odio roborata, etiam quod non esset ab illo, & de hoste Fideli potest expectari pœnitentia erroris excitata per Fide, vel misericordia, & clementia erga Fideles Diœcesis, & cum Fideles sint subjecti Summo Pontifici facilius contingere potest, ut ejus opera captus Episcopus à Fidelibus suæ Ecclesiæ restituatur, ad quod faciendum ipse potest detentores injustos armis spiritualibus compellere, & per auxilium Brachii sæcularis coercere. Non igitur est eadem ratio de Episcopo capto ab infidelibus, & de capto à fidelibus.

11 Respondetur secundò, quod imò extensio legis ad casum non expressum nequit fieri nisi admittendo in Principe, vel malitiam, si scienter, quod intendit noluit exprimere, vel ignorantiam si nescivit verba sua non exprimere casum, ad quod lex extenditur, vel saltem negligentiam, aut non considerationem, si non consideravit, quod plus intendebat statuere, quàm per verba exprimeret. Quamobrem cùm Pontifex expressè loquatur de Episcopo capto à Paganis, & Schismaticis, ad hos solùm suæ voluntatis intentio se extendit.

12 Et in hoc solo casu nec captus Episcopus potest eligere Vicarium, qui in sua absentia administret, nec Vicarius prius electus duret, sed ejus mandatum expirat. Ubi verò Episcopus sit captus expulsus, vel bannitus à Fidelibus non intrat dispositio hujus textus, sed poterit Episcopus per Vicarium administrare, nisi aliud impediat, sed semper statim erit consulenda Sedes Apostolica, ut provideat. Et interim deficiente præsentia Episcopi, & ejus Vicarii, administratio spectabit ad Capitulum.

13 Non intrat etiam hujus textus dispositio si Episcopus à Paganis, vel Schismaticis sit expulsus, seu bannitus à Diœcesi, sed solùm si sit captus, quia hoc solùm exprimit textus.

14 Regula autem textus est, quod in præfato casu, si Episcopus sit captus à Paganis, & Schismaticis non Archiepiscopus, sed Capitulum administret Episcopatum. Est verò proculdubio sermo de Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, quod cùm Episcopo unum corpus facit, & ita hoc Capitulum jure ordinario administrat, Dom. *num.5.*

15 Et hoc verificatur, *Ac si Sedes per mortem vacaret illius.* Sic enim in hoc casu, & Episcopus censetur civiliter mortuus, & mors ista civilis æquiparatur naturali ut Ecclesia censeatur sic pastore destituta, ac si pastor mortuus esset, Gloss. Jo.Mon. Jo.And. Arch.*n.1.* Anch.*n.1.*Butr.*n.1.*Dom. *n.1.* Cæterùm nomen mortis simpliciter prolatum de morte naturali intelligi debet, ut advertit Jo. Mon. Nec mors civilis æquiparatur naturali, nisi in casibus à jure expressis, inter quos computatur hic casus, in quo Episcopus, sit captus à Paganis, vel Schismaticis.

16 Eadem verò est ratio, ut Episcopus censeatur civiliter mortuus, & administratio Episcopatus spectet ad Capitulum, si vacet Episcopatus per renuntiationem, translationem, aut depositionem; ut notat Dom. *num.5.*

Sic igitur Capitulo tribuitur in casu vacantiæ Episcopatus plena Episcopatus administratio, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. Supponitur enim hoc esse de jure, quando Ecclesia vacat per mortem Episcopi, & ideò decernitur, quod in præsenti casu mortus civilis ejusdem Episcopi, & Ecclesia censeatur vacare, & Capitulo competat administratio. Etenim Sede vacante Capitulum Cathedralis subintrat in jus universale Episcopale, & potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, nisi aliqua expressè sint illi prohibita; & sic universaliter succedit in jurisdictione Prælati sui, & in administratione spiritualium, & temporalium, ut omnia, quæ ad jurisdictionem pertinent, & sibi non sunt expressè prohibita possit expedire, ut decernitur in hoc textu, & docent DD. *in cap. his, quæ, & in cap. cum olim, de major. & obed. & in cap. illa, ne Sede vacante,* Gloss. *in cap. ad abolendam in v. Sede vacante de hæret.* Gloss. *in Clem. 1. §. 1. tit. 1. in eod. verb.* Gloss. *in v. observari, in cap. quia sæpè, supr. de elect. in hoc lib.* Panorm. *in dict. cap. cum olim circa fin.* & ibi Butr. *num.15.* Feder. de Sen. *cons. 30. col.1.* Navar. *cons.44. n.1. de tempor. ordin.* Pavin. *de potest. Capit. part.1. quæst.1. à n.3. & qu.5. num.2.* Paris. *de resig. benef. l.7. quæst.23. à nu.16.* Azor. *par.2. l.3. cap.27. quæst.6.* Sbroz. *de off. Vicarii lib.1. quæst.15. & 16.* Quaranta *v. Capitulum Sede vacante à princip.* Suarez *tom.5. de cens. disp.50. sect.5. num.6.* Garz. *de benef. par.5. cap.7. à n.4.* Rota *decis.1. num.3. part.1. diversorum, & in recent. decis.340. num.2. part.1. & decis.652. num.4. part.2.* & in Pampilonen. juris visitandi 15. Decembris 1623. coram Merlino, Barbosa plurimos referens, *de off. Episc. alleg.36. num.9. & de Canon. cap.42. num.61.* 17

Quantum tamen ad ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ea per se ipsum non potest Capitulum exercere, Gloss. Butr. *num.3.* Dom. *num.5.* Sed benè ea potest per Vicarios Episcopos, quibus mediantibus potest Ordines conferre, Chrisma conficere, Ecclesias consecrare, Pontificalia exercere, & hujusmodi alia facere, Gloss. hìc, *& in c. his, quæ, de major. & obed.* 18

Unde etiam est, quod dimissorias dare potest suis subditis, ut ab aliis Episcopis Ordinari possent, *cap. Cum nullus, infr. de temp. Ordin.* Quamvis hoc sit limitatum à Concil. Trident. *sess.7. cap.10. & sess.23. cap.10. de reform.* ut Sede vacante Capitulum non valeat infrà annum à morte Episcopi, seu alterius vacationis dare licentiam ordinandi proprios Clericos extra Diœcesim dimissorias concedendo, nisi beneficii suscepti, vel suscipiendi occasione arctati fuerint. Quod ita intelligitur, ut licèt Capitulum Sede vacante possit extero Episcopo concedere usum Pontificalium, & ut in Diœcesi Sedis vacantis ordinet proprios subditos ejusdem Episcopi, non tamen ut ordinet subditos Sedis vacantis, Barbosa *d. cap.10. sess.7. num.5.* 19

Et sic infrà annum nec potest dare dimissorias ad primam Tonsuram, Barbos. *de Canon. c.42.* Garz. *de benef. p.5. cap.7. n.95.* Et ita ut si has dimissorias dederit incidat in pœnas latas à Conc. Trid. *d. sess.7. c.10. & sess.23. cap.10.* etiam si is, cui literas dedit, eis usus non fuerit, quia actus quoad Vicarium Capituli, fuit perfectus ex quo literas concessit, ut ex sententia S. Cong. resolvit Garz. *in addit. ad part.5. cap.7. n.92.* nisi is, qui prima Tonsura initiari desiderat sit in proximo beneficiandus, & possit suspicari eum ex defectu Tonsuræ, beneficium amissurum, Barbosa *d. cap.42. num.117.* Unde sacra Congreg. rescripsit Episc. Squillacen. die 13. Januarii 1594. *Vicarium Sede vacante posse literas dimissorias ad primam Tonsuram concedere etiam infrà annum Laicis, qui expectant præsentari per patronos ad aliqua beneficia.* 20

Deducit verò idem Barbos. *num.121.* non posse idem Capitulum dicto durante anno dare licentiam Episcopo commoranti in Civitate, ut ordinet Regulares, etiam prævio examine per ipsum Vicarium facto. Ad quod allegat, Raguc. *de voce Canon. quæst.39. num.4.* Sed hoc nullum habet veritatis fundamentum. Nam regulares, nec sunt subditi Sedi vacanti, vel ejus Vicario, nec indigent dimissoriis, aut Capituli, aut Episcopi, & alias ex privilegiis suis possunt ordinari à quocumque Episcopo, dum Episcopus Diœcesis non habet ordinationes, & ut ordinentur sufficit quod sint ad Ordines approbati ab Ordinario, & quod Episcopus ordinans possit Pontificalia exercere. Vide quæ de his scripsi *tom.3. de stat. tract. de profess. inspect.10. num.849. pag.847.* 21

In iis etiam quæ non sunt Ordinis, sed jurisdictionis, 22
Capi-

Capitulum succedit solùm in jurisdictione Ordinaria, noo verò in jurisdictione, quæ competit Prælato de jure speciali, ut adnotavit post Panorm. *ibid. num.*2. Tuscum *l.C*, *concl.* 56. *n.*5. Prob. hìc *n.*1. R. P. D. Fagnan. *cap. Cùm olim*, *n.*43. *&* 46. *de major. & obed.* Ideò Capitulum noo succedit in jurisdictione Episcopo delegata, *cap. Pastoralis*, §. *Præterea, de off. Ordin.* Barbos. *de Canon. c.*42. plurimos referens, R. P. D. Fagnan. *d. cap. Cùm olim*, *ubi n.*54. quod nec succedit in jurisdictione delegata, etiam ex generali delegatione Sedis Apostolicæ, *& n.*55. quod in Capitulum Sede vacante non transeunt, quæ competunt Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ex vi Conc. Trid. Vide, quæ de his scripsi, *tom.*2. *de stat. quæst.*187. *art.*1. *à n.*301. *pag.*69. ubi plura de hac materia quæ propterea possit, vel non possit Capitulum Sede vacante referunt R. P. D. Fagnan. & DD. *ad cap. Cùm olim*, *& ad cap. His quæ*, *de major. & obed.* Paccin. *de potest. Capit. lib.*1. Barbos. *sess.*4. *cap.*10. *& sess.*23. *cap.*10. Coocil. Trid. *& de Canon. cap.*42. *à num.*61.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T IV.

Ecclesiæ Cathedrali vacanti, visitator ab alio, quàm à Romano Pontifice deputari non potest. Nisi fortè Capitulum in spiritualibus, & temporalibus negligenter, aut perperàm administret: Tunc enim Archiepiscopus ob negligentiam, vel malitiam Capituli (eo vocato, causæque super hoc cognitione præmissa) visitatorem, seu administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit deputare.

Hujusmodi quoque visitator, quamquam spiritualium, & temporalium administrationem legitimam censeatur habere: beneficia tamen, quæ ad collationem pertinent Episcopi, conferre non potest, si ab alio, quàm à Romano Pontifice fuerit deputatus.

SUMMARIUM.

1 *Duæ regulæ textus.*
2 *Antiquorum lites definitæ per hunc textum*, 3.
4 *Definitio textus habet locum etiam in Collegiatis.*
5 *Etiam in quasi vacantia Collegiatæ.*
6 *Visitator non facit fructus suos, & tamen de eis vivere debet.*
7 *Negligentia opponitur solicitudini, & spectat ad imprudentiam.*
Quid sit pigritia, torpor, & oblivio.
8 *Negligentia est per se peccatum, & qualiter distinguatur à pigritia, &c.*
9 *Negligentia impropriè est omissio.*
10 *Negligentia simpliciter dicta pro qua stet.*
11 *In hoc textu est sermo de negligentia extrinseca, quæ est omissio.*
12 *Negligentia in duplici casu est peccatum mortale.*
13 *Quæ sit negligentia formalis.*
14 *Solum ex gravi negligentia Capituli potest mitti visitator.*
15 *Negligentia, & delictum aliquando equiparantur.*
16 *Solum ob negligentiam in spiritualibus, & temporalibus mitti potest Visitator.*
17 *Etiam à Legato mitti potest.*
18 *Capitulum debet vocari.*
Qualitas probari debet sub cujus conditione datur jurisdictio.
19 *Cognitio causæ claudit citationem.*
Nullum est quod fit sine conditione, sub qua est data jurisdictio.
20 *Visitator ex vi institutionis habet universalem administrationem.*
21 *Quando Procuratori datur libera administratio licèt non exprimatur.*
22 *Visitator datus ab Archiepiscopo, non confert beneficia, quorum collatio est Episcopi.*
23 *Id potest Visitator datus à Pontifice.*
24 *An possit permutationes vel resignationes admittere.*
25 *Prælato senio impedito dandus coadjutor.*

1 Duas regulas continet hæc Decretalis. Prima est, ut vacante Ecclesia Cathedrali solus Pontifex possit mittere Visitatorem. Nisi ob Capituli negligentiam, aut malitiam Archiepiscopus vocato prius Capitulo, & causa cognita Visitatorem deputet. Secunda regula est, quod Visitator hujusmodi licèt habeat temporalium, & spiritualium legitimam administrationem, nihilominus beneficia, quæ ad solius Episcopi collationem spectant, non potest conferre si ab alio, quàm à Romano Pontifice deputatur.

2 Per hujusmodi verò duas regulas Pontifex solvit duas quæstiones, finemque imposuit duabus controversiis, quæ inter antiquos Canonistas inveniebantur. Nam quantum ad primam oppositum sensere Bartol. Brixien. & Hug. qui *in cap. quoniam Festus dist.*61. ut refert Gloss. *in v. Non potest*, dixerunt Archiepiscopum Sede vacante posse Visitatorem, seu administratorem vacantis Ecclesiæ instituere; sicut Præses dat Curatorem, *Instit. de curat.* §. *ult.* Et quia oppositum oon legitur prohibitum. Idemque sensit Laudun. cùm modificatione, nimirum, quia requirendus erat consensus Clericorum. Sed Jo. *in præd. cap. quoniam Festus* dicebat Archiepiscopum hujusmodi Visitatorem dare non posse. Sed Innoc. & Host. *sup. cap. unico*, ut Ecclesiast. beneficia, distinguebant juxta hunc textum, asserentes solùm Summum Pontificem posse dare Visitatorem Ecclesiæ vacanti, nisi ex causa, & vocato Capitulo, & cum causæ cognitiooe, in quo casu poterat illum dare Archiepis. quod & docent hìc interpretes omnes, & alii Canonistæ.

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

3 Pariter oppositum secundæ regulæ tenuerant *ad cap. quoniam festus*, Jo. & Hug. Sed Laurent. contrarium voluit. Et ejus opinio vera est de Visitatoribus datis ab aliis, quàm à Summo Pontifice, prior verò est vera de datis à Papa, ut modò etiam omnes Canonistæ sentiont.

4 Ampliatur verò prima regula, & quod hìc dicitur de Cathedrali Ecclesia verificatur etiam de inferioribus Ecclesiis, quæ tamen sint Collegiatæ. Quia cùm earum administratio pertineat ad earumdem Capitulum nullus alius à Summo Pontifice, nec etiam Episcopus Diœcesis posset illis Ecclesiis vacantibus Visitatorem, seu administratorem dare, Jo. And. Anch. *n.*1. Butr. *n.*1. post Lap. Dom. *n.*4. Franc. *n.*2. quod tamen intelligitur nisi Capitulum Collegiatæ, negligenter, & perperam administret, quia tunc Episcopus servatis iis, quę hìc dicuntur de Archiepiscopo, scilicet vocato Capitulo, & pręmissa causę cognitione Visitatorem posset dare.

5 Ampliatur secundò; nam regula intelligitur sive Cathedralis propriè vacet, quia caret Prælato, aut per mortem, aut per depositionem, aut per translationem, vel renuntiationem, sive vacet fictione juris, seu prout dicit Gloss. quasi vacet, sicut in casu *cap. proximè super.* si Episcopus sit captus à Paganis, vel Schismaticis. In eo enim casu sicut vel Archiepiscopus, nec alius inferior Pontifice non potest Ordinaria auctoritate illam Ecclesiam administrare, ita noc potest in ea Visitatorem instituere.

6 Idem verò est hìc Visitator, quod universalis Ecclesiæ vacantis administrator in spiritualibus, & temporalibus, Gloss. & Dom. *n.*2. Butr. *n.*5. Franc. *nu.*2. De hoc verò Visitatore Probus ad Monachum ait, quod non habet aliquid in Ecclesia, nec fructus, nisi ad colligendum, gubernādum, & erogandum pro utilitate Ecclesiæ, & custodiendum Clericos. Sed quamvis verum sit, quod non facit suos fructus Episcopatus vacantis, Alex. *cons.*110. *à n.*8. & Tusc. *l.*1. *conc.*56. *n.*6. tamen de illis vivere debet, *c. Charitatem* 12. *q.*2. ubi Turrecremata advertit arbitrio boni viri judicandum esse, quantū debeatur

Visitatori isto pro procuratione. Hic verò Visitator si detur Ecclesiæ non vacanti dicitur Coadjutor, ut notat Arch. *num.1.*

7 A regula tamen excipitur casus negligentiæ, aut malitiæ, Capituli. In quo conceditur Archiepiscopo Visitatorem mittere, si propriè loquamur negligentia secundùm Silvestrum *v. neglig.* est defectus circa interiorem actum voluntatis, qui est electio, non quidem actus, sed circumstantiæ, unde secundùm Isidorum *in lib. Etymol.* negligens dicitur, quasi non eligens. Verùm secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst.54. art.1. & 2.* est peccatum quòd est in ratione, & pertinet ad imprudentiam; opponitur enim solicitudini, & est defectus solicitudinis in imperando. Solicitudo enim pertinet ad rationem, & rectitudo rationis ad prudentiam, unde non esse solicitum in imperando id, quod ratio posset & deberet præcipere, est esse negligentem, & imprudentem. Pigritia verò est defectus circa executionem operis. Desidia autem est defectus circa continuationem boni operis a desidendo dicta. Torpor verò est defectus circa fervorem executionis boni operis, dum tepidè fit bonum, sed inconstantia est defectus circa stabilitatem voluntatis.

8 Ideò negligentia est de se peccatum, quia de se importat defectum solicitudinis. Et non respicit solùm circumstantias actus, ut voluit Silvest. sed actum ipsum. Et est negligens nedum qui non est solicitus, ut imperet executionem electionis circumstantiarum, sed etiam actuum, ut ex D. Thom. *ibid. num.1. ad tertium.* Et sic conveniunt negligentia, & inconstantia, quod utraque importat defectum interni actus. Quamvis distinguuntur, quod ut ait D.Thom. *d. art.2.* ad tertium, inconstans deficit in præcipiendo quasi ab alio impeditus: sed negligens propter defectum propriæ voluntatis. Pigritia autem, desidia, torpor, & omissio dicunt defectum executionis, ex quibus Pigritia, & torpor sunt ex accidia, & omissio ex negligentia, ut dicit D. Thom. *ibid.* ad primum, & ad secundum.

9 Sed negligentia largè sumpta idem est, quod libera, & culpabilis omissio ejus quod potest, & debet fieri, unde negligentia sine mora esse non potest, *cap. ult. de elect. & cap. quia diversitatem, de praben. & notat. cap. si compromissarius sup. de elect. in hoc lib.*

10 Nomine autem negligentiæ simpliciter venit levis, & levissima culpa secundùm Silvest. ubi suprà, quod probat, *ex cap. citatis, & ex cap. de Syracusana 28. dist. & cap. Cùm ex eo, cap. Commissa, §. porro, sup. de elect. in hoc lib.* Quod tamen intelligit, quando quis tenetur de levi, vel levissima culpa; aliàs non. Nomine verò negligentiæ dissolutæ venit lata culpa: unde *l. si fidejussor. ff. mand.* dicitur. Dissoluta negligentia propè dolus est, idest lata culpa.

11 Cùm autem Barbosa suprà *ad tit. de supplend. neglig. Prælat.* quem sequitur ibid. Fermosinus dividat negligentiam primò in materialem, & formalem, illamque dicat esse cum quis omittit jus suum, quod quidem sine peccato fieri potest; hanc verò iterùm dividat in propriam, & impropriam, eam verò dicat esse formalem negligentiam propriam, quæ importat defectum rationis in præcipiendo, impropriam verò esse omissionem actus debiti, concludit in hoc titulo sermonem esse de negligentia formali, & propria. Sed nec subsistit explicatio ista negligentiæ formalis, ut infrà dicam, nec ipsa assertio congrua est. Cùm enim negligentia formalis, & propriè sumpta sit peccatum consistens interius in ratione, & quæ rationis sunt, sicut in se non possunt ab Ecclesia videri, ita nec sub ejus judicio cadunt, nisi in quantum in opus externum erumpunt, & ex eo cognoscuntur, potius dicendum est hic sermonem esse de negligentia externa, quæ est omissio ejus, quod homo exterius potest, & debet agere, & quæ propriè est effectus interioris negligentiæ, ut habet D. Thom. loco citato *art.2.* ad secundum. Nec obstat, quod hæc non dicatur propriè negligentia, quia quidquid sit de significatione hujus nominis negligentia, ut consideratur theologicè, & in Ordine ad forum animæ, negligentia visibilis, & quæ spectat ad externum forum propriissimè non est nisi omissio actus, externi, vel circumstantiæ illi debitæ, ut proveniens ex defectu debitæ solicitudinis in agendo.

12 Quando verò negligentia sit peccatum mortale ostendit idem D. Thom. *d. quæst.54. art.3.* In duplici enim casu est peccatum tale, vel scilicet ex parte ejus, quod prætermittitur, si illud sit tale, quod ex aliquo alio præcepto est de necessitate salutis. Vel ex causa prætermittendi, si scilicet id fiat ex contemptu divini amoris. Ita *in v. negligentia*, Cajet. Silvest. & Tabien.

13 Et hinc modo apparet, distinctionem illam negligentiæ in materialem, & formalem deficere. Quia illa, quæ dicitur materialis, cùm non sit culpa, non est negligentia, quia negligentia peccatum est ex sui ratione, cùm dicat defectum debitæ solicitudinis, ut habet D. Thom. *d. quæst.54. art.1.* Et quamvis daretur, quod omissio juris sui diceretur negligentia materialis, adhuc malè dicitur, quòd omnis negligentia, quæ est peccatum sit negligentia formalis. Nam imò illa sola est formalis negligentia, quæ est ex contemptu solicitudinis, sicut illa sola est inobedientia formalis, quæ est ex contemptu præcepti. Unde cùm negligens solùm omittit esse solicitum prout deberet, negligentia est materialis, sicut & est materialis inobedientia non facere quod præcipitur. Videantur, quæ de his dixi *tom.1. de Statibus quæst. 186. art. 3. à num. 35. pag. 462. & art. 9. num. 10. pag. 724.*

14 In hoc autem loco sermo est de negligentia, quæ exterius sit peccatum mortale, quia & quilibet administrator erit venialiter negligens in administrando: quis enim qui etiam venialem negligentiam vincat? Et pro veniali culpa Capitulum non debet privari jure suo, sed & quia hujus juris privatio est gravis pœna valdè; ideò loquendo de culpa extrinseca, distinguenda erit negligentia in levissimam, levem, & gravem, seu latam, & dicendum quod non possit Archiepiscopus mittere Visitatorem Sede vacante ex negligentia Capituli, nisi negligentia sit gravis, & ex lata culpa. Quod ex dicendis fiet magis manifestum.

15 Hic verè negligentia, & delictum, seu malitia æquiparantur, ut notat Gloss. Quamvis enim multum distinguantur in se, & longè dissimilia sint, *ut cap. si compromissarius, sup. de elect. in hoc lib.* tamen in aliquo casu per legem æquiparantur, quæ vult punire peccatum nedum si sit ex dolo manifesto, & malitia, sed etiam si sit ex negligentia, Dom. *num.11.*

16 Neque tamen sufficit quælibet negligentia Capituli, sed ponderanda est copulativa illa. *In spiritualibus, & temporalibus.* Ex qua deducitur, quod ad hoc, ut Archiepiscopus possit Sede vacante dare Visitatorem, non sufficit, quod Capitulum sit negligens in spiritualibus tantum, vel tantum in corporalibus, sed necesse est, ut sit negligens, vel dolosus in utroque, Gloss. Jo. Andr. *num.2.* Anchar. *n.2.* Butr. *num.4.* Domin. *num.7.* Franc. *num.1.* Pontifex enim posuit universalem regulam negativam, hoc unico casu excepto, & ideò in aliis casibus regula servari debet, Jo. Andr. *num.2.* Butr. *num.4.* Domin. *num. 7.* Et licèt Imola apud Domin. dixerit, quod ubi adsit Capituli negligentia, vel malitia solùm, vel in spiritualibus, vel in temporalibus, tunc possit dari Visitator cum limitata facultate, vel in spiritualibus tantum, vel tantum in temporalibus respectivè, meritò tamen hoc Domin. non admittit. Cùm enim Archiepiscopo non competat facultas mittendi Visitatorem in Sede vacante, ex universali regula negativa posita in textu, in quo unus solus casus excipitur negligentiæ, aut malitiæ in spiritualibus, simul & temporalibus, in hoc solo casu licet Visitatorem mittere.

17 Quod potest facere Archiepiscopus, numquid verò hoc potest facere etiam Legatus intra suam Provinciam? Respondetur, quod potest, quia in sua Provincia majorem etiam habet auctoritatem, quàm Archiepiscopus, *cap. si Abbatem, supr. de elect. in hoc lib.* & ita tenent Archid. *n.3.* Jo. Andr. *num.3.* Butr. *num.6.* Domin. *num.11.* Franc. *num.3. & 6.*

18 Potest autem Archiepisc. mittere in præfato casu Visitatorem, sed cùm in hoc agatur de interesse Capituli, debet Capitulum vocari, ut notat Gloss. Et amplius notat Domin. *num.2.* hinc approbari regulam illam, ut quando alicui conceditur jurisdictio ex alicujus qualitatis suppositione, prius audita parte, debet illa qualitas probari. Et sic prius Archiepiscopus vocato Capitulo tenetur probare Capituli negligentiam, aut malitiam, sub quarum conditione datur sibi potestas mittendi Visitatorem.

19 Et fieri hoc debet cum causæ cognitione. Id verò est facere cum causæ cognitione, quod facere judicialiter citata parte, ut notat Gloss. Quæ addit, quod non servata hac forma deputatio Visitatoris est nulla. Cujus rationem reddit Domin. *num.11.* quia quando alicui datur jurisdictio

sub

sub aliqua conditione, vel forma, conditione non posita, seu non servata forma, nullum est, quod fit.

20 Circa secundam regulam verò advertendum est Visitatorem in Sede vacante ex vi officii sui habere administrationem Ecclesiæ legitimam, & plenam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, etiam si id non exprimatur in literis suæ institutionis, ut concorditer tradunt hìc post Jo. & Lap. Archid. *num.*3. Anchar. *num.*2. Butr. *num.*5. Dom. *num.*10. Franc. *num.*2. *&* 4.

21 Nec obstat, quod Procuratori non competit universalis administratio, nisi id exprimatur in mandato, *l. mandatum, ff. de procurat. & cap. generaliter, eod. tit. in hoc lib.* Visitator verò videtur assumptus in Procuratorem Episcopatus, *cap. Cum nobis de elect.* ibi *Procuratorem concedimus*. Nam doctrina data verificatur de Procuratore privatæ personæ, seu de procuratore præcisè, non verò de procuratore tali, cujus officium non est nisi esse generalem administratorem alicujus Diœcesis, vel Civitatis, aut Regni. Sic verò est, quod Visitatoris Ecclesiæ Sede vacante officium non est nisi esse universalem administratorem ejusdem Ecclesiæ. Ideò, quod administratores universitatum, censeatur habere administrationem cum libera, ex Dec. *cons.*204. *num.*5. & Tuscus *concl.*45. *num.*12. tradit Barbosa hìc *num.*6. Consultius tamen fiet, si dum Visitator datur, exprimatur, quod ei datur libera administratio, & universalis in temporalibus, & spiritualibus, sicut factum fuit *in d. cap. Cùm nobis de elect.*

22 Visitator nihilominus datus ab Archiepiscopo Sede vacante, licèt habeat universalem, & liberam Ecclesiæ administrationem, non potest beneficia vacantia conferre, si illorum collatio ad solùm Episcopum pertinet, *cap. ne Sede vacan. cap. quanto, & cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prel.* Paris. *de resig. lib.*7. *quæst.*13. *num.*19. Gonzalez *ad reg.*8. *Cancell.* §. 4. *proœm. num.*35. Garz. *part.*5. *cap.*7. *num.*51. Barbosa plures referens *de Canon. cap.*42. *num.*109. Quamobrem non valet consequentia ab universali administratione, ad collationem beneficiorum, Gloss. *in v. Episcopi*, Monach. *num.*1. Domin. *num.*3. Franc. *num.* 2. Barbosa *num.*7. Cardos. *in praxi jud. & advoc. in v. Visitatio, n.*14. Et hoc rationabiliter fuit statutum. Nam administrator non habet majorem facultatem, quàm habeat ille, à quo instituitur *ex reg. textus in cap. Daubertum* 1. *quæst.*7. *& l. nemo plus juris, ff. de reg. juris.* Tuscus *l.*1. *conc.*45. *num.*32. At verò Archiepiscopus utens sua sola potestate juris devoluti ex negligentia, aut malitia Capituli non habet facultatem conferendi beneficia ad solam collationem Episcopi spectantia, juxta *textum cap.* 2. *Ne Sede vacante, & cap. ult. de Regular. in hoc lib. & in eod. cap.*1. *de instit.* & post Pavin. *de potest. capit. part.*2. *princ. quæst.*1. Rebuff. *in praxi benef. part.*1. *tit. de devol. à num.*70. Molina *tract.*5. *disp.*11. *num.*11. advertit Barbosa hìc *num.*7. & est de mente Monachi *num.*1.

23 Hujusmodi tamen beneficia conferre potest Visitator datus à Summo Pontifice, ut hìc DD. observant.

24 An verò Visitator datus ab Archiepiscopo possit transferre beneficiatum de uno ad aliud beneficium, seu hanc translationem, aut permutationem concedere, negant Jo. And. *num.*3. Anchar. *num.*2. Butr. *num.*5. Domin. *num.*11. Franc. *num.*2. quæ fuit sententia Jo. & Laurent. *cap. fraternitatem, dist.*71. qui idem dixerunt de Capitulo, quia hæc est quædam alienatio. Et cùm Hug. voluerit hoc posse fieri de consensu Clericorum, & licentia Metropolitani, hoc non placeat Archid. quia id non apparet in jure permissum. De hoc notatur etiam *in cap. Presbyteri* 24. *dist.* Hæc autem non intelliguntur de beneficiis, quorum collatio spectat ad Episcopum, & Capitulum, quia horum beneficiorum permutationibus poterit auctoritatem suam præstare, Barb. *de Canon. cap.*42. *num.*97. Garz. *de benef. part.*11. *cap.*4. *num.*75. Bonac. *de simon. quæst.*4. §.12. *n.*7. Quaranta *v. Capitulum Sede vacant. quæst.*9. Azor. *p.*2. *l.*7. *cap.*29. *qu.*4. Sed procedit doctrina data in beneficiis, quæ ad solum spectant Episcopi collationem, horum enim permutationes non potest hic Visitator admittere, Put. *decis.*320. *lib.*2. Barbos. *d. n.*97. Resignationem autem beneficiorum, quorumcumque poterit hujusmodi Visitator admittere, sed resignata beneficia, si eorum collatio spectat ad Episcopum non poterit conferre, Paris. *de resignat. lib.*7. *quæst.*23. *à num.*20. Quaranta *d. quæst.*9. Garz. *part.*11. *cap.*5. *num.*256.

25 Occasione autem resolutionis hujus textus quæsivit Archidiac. quid faciendum, si Ecclesia non vacet nec realiter, nec fictè, quia Prælatus est præsens, sed tamen senio, vel infirmitate, aut alio simili naturali detinetur impedimento, ne prout opus est possit Ecclesiam regere. Puncto autem ad utramque partem disputato. Respondet hujusmodi Prælatum non esse deponendum, sed dandum illi esse Coadjutorem, etiam si sit Prælatus Regularis, idemque cum eo sentiunt, & latè probant Jo. Andr. *n.*2. Anchar. *n.*1. Butr. *n.*2. *&* 5. Dom. *n.*5. Franc. *n.*2. & alii plures, quos retuli, & secutus sum *tom.*1. *de stat. quæst.*185. *art.*4. *à num.*48.

SUMMARIUM.

26 *Ratio difficultatis.*

27 *Capitulum potest instituere Visitatorem, seu Vicarium.*

28 *Textus iste, & cap. Is cui, sup. de elect. loquuntur de aliis à Capitulo.*

29 *Facultas Capituli subordinata Pontifici.*

Quæst. unic.

ARTICULUS UNIC.

Vtrùm Capitulum possit Sede vacante instituere Visitatorem, seu universalem administratorem.

Videtur enim quod non possit, primò ex hoc textu, in 26 quo decernitur solius Summi Pontificis esse hunc Visitatorem dare. Quod Archiepiscopo conceditur in solo casu negligentiæ, aut malitiæ Capituli in administrando in spiritualibus, & temporalibus. Secundò idem probatur *ex cap. Is cui* 42. *de elect. in hoc lib. & cap. obitum, & cap. ult. dist.*61. *& cap. Charitatem* 12. *qu.*2. Ex quibus testibus hoc asseruerunt Monach. hìc *num.*5. *&* 6. Imol. *in cap.*1. *num.*15. *ne Sede vacan.* Fuscus *de Visit. l.*1. *cap.*2. *n.*20. Boer. *decis.*2. *num.*29.

Nihilominus dicendum est Capitulum Sede vacante per 27 se, vel alium posse Diœcesim Sede vacante visitare, ideòque posse Visitatorem, seu universalem administratorem in spiritualibus, & temporalibus instituere, nec hujusmodi deputationem soli Pontifici competere. Hoc enim etiam totius Ecclesiæ praxis confirmat. Nam Capitula Sede vacante Vicarium generalem instituunt habentem universalem administrationem in spiritualibus, & temporalibus. Quia imò Concil. Trident. *sess.*24. *cap.*16. præcipit, ut Capitulum infrà octo dies officialem, seu Vicarium instituat, aliter ejus institutio ad Metropolitanum devolvitur. Et ratio hujus est, quia cùm Capitulum Sede vacante habeat jurisdictionem ordinariam, potest eam delegare, Jo. Andr. *num.*3. Butr. *num.*6. Domin. *num.*11. Franc. *in fine*, & ideò potest Vicarium generalem, & universalem administratorem instituere. Et ita sententiam hanc tenuerunt Domin. hìc *num.*11. *in fin.* Barbos. *num.*4. Panorm. *cap. Cùm olim n.*2. *de major. & obed.* Silvest. *in v. Capitulum n.*3. Marian. Socin. *de visit. quæst.*10. *&* 11. Tusc. *l. C, concl.*56. *num.*12. & plures alii apud Barbosam.

Nec obstat hìc textus, imò favet, quia dum concedit 28 Archiepiscopo, ut possit Visitatorem instituere, si Capitulum ex negligentia, aut malitia, malè administret, supponit esse in Capitulo facultatem administrandi, & quidem non delegatam, sed ordinariam, quam ex consequenti Capitulum possit delegare. Textus igitur iste loquitur de his, qui sunt extra Ecclesiam, cujus Sedes vacat nimirum de Archiepiscopo, vel alio, qui sit extra Capitulum, cujus facultatem Pontifex illæsam in hoc textu conservat, & sic sensus est, quod nullus alius à Capitulo potest Visitatorem mittere in Sede vacante, nisi Summus Pontifex. Quem sensum habet etiam *cap. Is cui* 42. *de elect. in hoc lib.*

Ex aliis autem capitibus hoc deducitur, quod facultas 29 quam habet Capitulum Sede vacante visitandi per se, vel Vicarium à se institutum est subordinata Papæ, & conditionata conditione hac nisi aliter Pontifex disposuerit, & ipse Visitatorem dederit; cùm ad illum pertineat providere Ecclesiis, ut dicitur *cap. prox. super.* Et ideò quando sibi benè visum fuerit providet de Visitatore, illumque mittit, & delegat, ut fecisse legitur in Civitatis juribus, & in præsenti Decretali asseritur, in qua imò statuitur, quod solius Pontificis sit hunc Visitatorem mittere.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, & qualitate ordinandorum.

Clemens Quartus.

CAPUT I.

SÆpè contingit, quòd nonnulli Clerici vinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his habetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciunt ad hujusmodi ordines promoveri. Nos igitur volentes animarum ipsorum periculis obviare: statuimus, ut nullus Episcoporum Italiæ, de cætero aliquem Ultramontanum Clericum ordinare præsumat, nisi à nobis specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo, de cujus diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœcesi beneficiatus existit: per ejus patentes literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare. Eos verò, quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absque spe dispensationis, super hoc à Sede Apostolica obtinendæ, suspensos; ac ordinantes pœnitentia condigna puniri. Omnibus nostris pœnitentiariis inhibentes districtè, ne absque licentia nostra speciali, cum taliter ordinatis dispensent, vel suas eis tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari.

SUMMARIUM.

1 *Divisio, & summa textus.*
2 *Constitutio Urbani VIII.*
3 *Regula statuta in textu.*
4 *Dictio sæpè quot actus denotet.*
5 *Necessitas condenda hujus legis ex frequentia inconvenientium.*
6 *Constitutio ista localis, & pœnalis.*
7 *Excommunicatus fit irregularis, si recipiat ordines.*
In hac irregularitate non dispensat Episcopus, nisi in terminis Conc. Trid.
8 *Excommunicatio lata ab Episcopo ante ordinationem non est lata sententia.*
9 *Excommunicatus minori excommunicatione non potest ordinari, non fit tamen irregularis si celebret.*
10 *Apostata non possunt ordinari, licet de jure communi non sint excommunicati.*
11 *Irregularis non potest ordinari: non tamen si ordinetur incurrit novam irregularitatem.*
12 *Nec minores ordines ab Ultramontanis suscipi poterunt in Italia non servata saltem forma Constit. Urban. VIII.*
13 *Ordinandi examinandi de patria.*
14 *An præsumatur notitia qualitatum personarum ejusdem patriæ.*
15 *An sub hac lege comprehendantur Abbates, 16.*
Abbates secundum aliquos possunt ordinare non subditos.
Abbates non possunt ordinare non subditos sine consensu Episcopi loci.
17 *Abbates non possunt ordinare non subditos, & seculares, 18.*
19 *Ultramontanus Episcopus in Italia comprehenditur sub hac Constit. non vero Italus, vel alius Episcopus extra Italiam.*
20 *Lex pœnalis non extenditur ad casus diversos ex similitudine rationis.*
21 *Lex localis pœnalis, secundum aliquos non comprehendit eos, qui sunt in confinio.*
22 *Verba legis considerari debent an comprehendant etiam, qui sunt in confinio.*
Constitut. Urbani VIII. comprehendit omnes, qui sunt oriundi extra Italiam.
23 *Italiæ nomen se extendit ad Siciliam, & Sardiniam.*
In dubio an locus sit intra, vel extra intelligi debet in hac decretali, ut sit intra.
24 *Constitut. Urban. se extendit ad Orientales, & omnes extra Italiam.*
Ultramontanus domicilio Italus non comprehenditur sub hac lege.
25 *Nec Italus prohibetur ordinari extra Italiam.*
26 *Externus nec ad primam tonsuram potest promoveri forma Constit. Urbani VIII. non servata.*
Quid intri hujus textus.
Leges debere in dubio limitari, ne extendantur, non est verum in odiosis.
Lex pœnalis si in exordio loquitur strictius non debet interpretari in latiori sensu.
27 *Sufficit ordinandum habere literas ab Ordinario domicilii.*
28 *Literæ, quas deferre debent Ultramontani quales esse debeant ex vi textus.*
29 *Literis Episcopi etiam delatis ab eo, ad cujus favorem datæ sunt creditur.*
Ferentem literas esse illum, de quo literæ cantant præsumitur.
30 *Quales debeant esse hæ literæ ex Constit. Urban. VIII.*
31 *Suspensio ista indispensabilis.*
32 *Et suspensus celebrans fit irregularis.*
33 *Et eam incurrunt etiam, qui aliàs sunt idonei.*
34 *Et etiam majoribus pœnis puniri debent.*
35 *Episcopi autem delinquentes, quâ pœna puniantur.*
36 *Pœnitentiarii Papæ ex vi hujus textus non dispensant in hac suspensione.*

PRæsens Decretalis in quatuor partes dividitur. Primò 1 enim Pontifex in proœmio præmittit causam legis edendæ. Secundò legem statuit. Tertiò pœnam infert inobedientibus. Quartò reservat sibi dispensationem pœnæ. Præmittit igitur sæpè contingere, quod excommunicati, apostatæ, irregulares & indigni sacros Ordines suscipiant, ex eo, quod ipsi à patria fugientes ad partes remotas, ubi eorum non habetur notitia, faciunt se ad Ordines promoveri. Propterea statuit ut nullus Italiæ Episcopus ordinet aliquem Ultramontanum non habentem literas Ordinarii originis vel beneficii, in quibus etiam contineatur causa rationabilis propter quam ille nolit, vel nequeat illum ordinare. Tertiò decernit ut Ordinati contra hoc statutum maneant sine spe dispensationis in perpetuum suspensi, & ordinantes pœna condigna puniantur. Et tandem quartò prohibet ne Pœnitentiarii sine Papæ licentia cum aliquo ex sic Ordinatis dispensent, vel tradant literas per quas possit ab aliis dispensari.

Hanc verò constitutionem confirmavit, & extendit Urbanus VIII. in Constit. quæ incipit *secretis*, & est 33. inter hujus Pont. Constit. quæ fuit data 11. Decemb. anno 1624. in qua inter alia hæc habentur: 2

CUm autem non sine gravi animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos suæ salutis immemores Deique timore postposito, ad Ordines prædictos dimissorialibus literis, seu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoveri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minus Canonica Clericorum ordinatione hujusmodi proveniunt, malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innovantes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, alios-

que

que quoscumque Ultramontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundis, non solùm ad sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promovere audeant, seu præsumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas à nostris, & hujus Sanctæ Sedis Nuntiis, seu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorumdemve Nuntiorum, seu Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint, aliàs promoventes, ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti verò, perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solùm prædictis, verùm etiam majoribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italos verò, si quis imposterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo, cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concil. Trident. Decretum cap. 16. sess. 23. requisitis præditi sint, nihilominus sequuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minimè gaudere, sed sæculari jurisdictioni, ut anteà, plenè in omnibus subjacere, & subjectos esse respectivè volumus.

3 Hæc igitur est hujus textus regula, ut nullus Episcopus Italiæ ordinet aliquem Ultramontanum, vel sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, vel sine literis Episcopi suæ originis, vel Diœcesis, in qua habeat beneficium, & contrario modo ordinatus sit in perpetuum sine spe dispensationis suspensus, & ordinans pœna condigna puniatur. Et ita præter interpretes hujus decretalis docuerunt etiam Silvest. *v. irregularitas q. 9. num.* 11. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 11. §. 3. *lit. S*, Camp. *in divers. juris jur. Canon. rubr.* 9. *cap.* 1. *à num.* 8. Barbos. *de off. Episcopi alleg.* 8. *à num.* 5. *& lib.* 1. *de jure Eccl. cap.* 33. *num.* 55.

4 Dictio autem *sæpè* ponitur pro duabus, vel tribus vicibus, ut post Gloss. *in authent. de testam. §. qui verò in princ.* quam commendat Georg. Nat. *in Clem. sæpè, de verb. signif.* & Archid. & Præpos. *in cap. longinquitatem* 12. *quæst.* 2. tradit Probus *num.* 1. Duobus verò actibus aliquando contentam esse, sed regulariter esse necessarios tres actus, dixit Barbosa *dict.* 362. *num.* 2. Majorem tamen frequentiam hic indicat hujusmodi dictio, quæ secundùm subjectam materiam intelligi debet, & judici arbitrium esse, quot actus denotet dictio *sæpè*, ex Rebuff. & Mart. notavit Barbos. *d. dict.* 362. *n.* 4. unde hic importat frequentiam successivam, & id, quod non rarò, & in aliquo tantum anno, sed frequenter successivè accidit de facto, & timendum est, ne simili modo accidat, nisi remedium adhibeatur.

5 Et propterea, ut advertit Gloss. opus fuit, ut Pontifex constitutione hac edita provideret. Et quia inconvenientia, quæ enumerantur præcipuè eveniebant ex eo, quod Ultramontani incogniti se faciebant ordinari in Italia, propterea providendum fuit, & fuit provisum ne Episcopi in Italia ordinarent Ultramontanos, nisi deferrent literas suorum Episcoporum, ut in textu. Jo. Monac. *num.* 1. Jo. And. Butr. *n.* 4.

6 Hanc verò constitutionem esse localem, & pœnalem est manifestissimum, ut ex Lap. Jo. Andr. & Dom. adnotavit Franc. *n.* 4. unde postea sequitur illam esse strictè, & in proprietate sermonis intelligendam *juxta reg. Odia, & reg. in pœnis inf. de regul. juris*.

7 Habetur igitur primò ex hoc textu, quod irretiti vinculo majoris excommunicationis non possunt ordinari, & si Ordines suscipiant fiunt irregulares, ac si ministrassent in susceptis, *cap.* 1. ubi Panorm. *in* 4. *notab. & cap. fin.* & ibi Panor. *n.* 4. *de his, qui furtiv. ord. & cap. cum illorum de sent. excom.* Et extenditur ut sit verum etiam de suspensis, & interdictis secundùm Angel. *v. irregul. n.* 22. Silvest. ibid. q. 2. Bonac. *de sacram. disp.* 8. *q. un. punct.* 5. *n.* 56. Suarez *de cens. disput.* 31. *sect.* 1. *n.* 5. Pax Jordan. *lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 382. Et quamvis excommunicatus posset absolvi ab Episcopo, ab excommunicatione, solum tamen à Pontifice potest cum illo dispensari in irregularitate, quam incurrit suscipiendo ordines in excommunicatione nisi in terminis dicti *cap. cum illorum*, vel nisi modo in terminis Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. si irregularitas sit occulta, vel nisi in terminis privilegiorum Regularium, si irregularis iste fiat Religiosus. De his verò videri possunt, quæ dixi *tract. de elect. cap.* 26. *&* 27. ubi latè de facultate absolvendi, & dispensandi ex vi d. decreti Concil. Trident. & privilegiorum.

Nunc verò si quis irregularis, aut inhabilis contra excommunicationem, quæ de mandato Episcopi promulgatur ante ordinationes, ordines suscipiat, non fit ex eo irregularis, quia illa excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ, ut ex Pontificali Romano constat, ut advertit Pax Jord. ubi sup. *n.* 386. 8

Etiam excommunicati minori excommunicatione non possunt ordinari, cùm ex hoc sint privati passiva participatione Sacramentorum. Archid. *n.* 1. Dom. *n.* 8. Franc. *n.* 4. Si tamen ordinentur non fiunt irregulares, *cap. si celebret, de Cler. excommun.* ubi Gloss. Panorm. & alii DD. Et hujus differentiæ rationem ponit ibi Panorm. *n.* 2. quia excommunicatio major includit ordinum suspensionem, unde excommunicatus faciens se promovere attentat officium sibi interdictum, & violat censuram, & propterea fit irregularis, quod non habet locum in excommunicatione minori, quæ non includit suspensionem Ordinum. Germana tamen hujus ratio est, quia irregularitas non incurritur nisi exprimatur in jure, ut hic notat Arch. *n.* 2. In jure verò non est expressum, quod excommunicatio minor inducat irregularitatem. Imò *d. cap. si celebret*, decernitur excommunicatum minori non fieri irregularem, si celebret in excommunicatione. 9

Excommunicatis autem contra distinguuntur apostatæ, quia de jure communi Apostata, ut Apostata non est excommunicatus, ut hic advertunt Gloss. Dom. *n.* 2. Franc. *n.* 1. Barb. *n.* 6. & tradiderunt Aragon. 2. 2. q. 12. *art.* 1. & ibi Bann. *post* 2. *concl. dub.* 1. Suarez *de cens. tom.* 5. *disput.* 31. *sect.* 6. *n.* 1. Sanchez *in decal. t.* 2. *l.* 6. *c.* 8. *n.* 20. Et ideò non impediuntur suscipere Ordines ex vi excommunicationis, sed ex jure proprio prohibente ordinari Apostata. Quid verò, & quotuplex sit apostasia, & qua pœna Apostatæ puniuntur, & præcipuè qualiter non possint ordinari, & si ordinentur, sint suspensi, ostendi diffusè *tom.* 3. *de stat. q.* 189. *art.* 8. *tit. de Apostatis à n.* 244. *& pag.* 410. 10

Irregulares etiam cum irregularitas sit impedimentum canonicum impediens ab Ordinum exercitio, & susceptione, certum est non posse Ordines suscipere. Et tamen est considerandum, quod irregularitas non est propriè suspensio, nec est propriè censura. Et ideò si alius irregularis non sit aliqua censura ligatus, sed sit merè, & purè irregularis faciendo se ordinari, peccat quidem graviter, sed non incurrit novam irregularitatem, Navar. *cap.* 27. *n.* 193. Suarez *de cens. disp.* 40. *sect.* 2. *n.* 3. *& disp.* 42. *sect.* 3. *n.* 2. *& sect.* 2. *n.* 6. *&* 7. Henriq. Valentia, Ugolin. Filliuc. quos sequitur Bonac. *de irregular. disp.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 4. & ex Specul. Archid. Dom. Azor. & Toleto, tradit Pax Jordan. *l.* 3. *tit.* 6. *n.* 390. Unde sufficit, quod petat dispensationem super irregularitate, nec est necesse, quod exprimat se suscepisse Ordines in irregularitate. Et hoc est verum sive irregularitas sit ex delicto, sive sit ex defectu. Quidquid in contrarium dixerint aliqui confundentes irregularitatem cum suspensione, & credentes irregulares ex defectu esse suspensos, quod est impropriè dictum, ut advertit idem Pax Jordan. *n.* 393. 11

Cùm autem hic in proœmio textus expressè loquatur de Ordinibus sacris, sed posteà in dispositione absolutè prohibeat Ultramontanos non servata forma præscripta ordinari. Ideò apud antiquos Canonistas quæstio fuit, an sub hac lege comprehendantur etiam Ordines minores, & affirmat Glos. *in v. Clericum* addens hic accipi Ordines sacros largè, prout etiam minores Ordines sacri dici possunt. Idem voluit Silvest. *v. irregularitas* hanc opinionem vocans communem *n.* 11. Sed negarunt Jo. Mon. *n.* 1. Archid. *n.* 2. & Anchar. Nam ex proœmio intellectum accipit legis dispositio, & ideò ubi Pontifex in proœmio loquitur expressè de ordinibus sacris, & vox sacrorum in hac lege pœnali debet accipi propriè, dicendum videbatur, quod etiam in dispositione de solis ordinibus sacris esset sermo. Sed nunc litem dirimit constit. Urbani Octavi, in qua fit expressa mentio etiam de minoribus ordinibus; unde indubitatum est Ultramontanos non posse ordinari etiam ad minores, nisi servata forma *d. constit. Urbani VIII.* 12

Ex illo autem verbo *patriam* colligit Gloss. ordinandos examinari debere de patria: Hoc enim attentis constit. istis Clem. IV. & Urb. VIII. est necessarium, ne admittatur Ultramontanus non servata forma præscripta. 13

Certum enim est, quod plenior, & facilior notitia habetur 14
eorum,

eorum, qui sunt de Provincia, aut in Patria, quam exterorum. Propterea quod præsumatur scientia qualitatis personarum in provincia, unde quis est, dixit Dom. *n.* 3. allegans *cap. si postquam sup. de elect. in hoc lib.* & pariter Franc. *n.* 1. docuit, quod in propria patria præsumitur notitia qualitatis personæ ejus, qoi est de eadem patria, *& alleg. Clem. 5. de concess. prabend. ad fin.* & quod notat *in d. cap. si postquam*. Verùm certum quidem est, quod facilius habetur notitia qualitatis personarum, quæ sunt ejusdem provinciæ, vel patriæ, quàm exterorum. Sed ubi patriæ sunt latæ, & magnæ civitates, quam plurimi sunt, qui quam plurimorum qualitates ignorant, & nec in facie eos cognoscunt. Quamvis superiores de facili qualitates suorum subditorum cognoscere possint, noo subditorum difficilius, unde necesse est, quod illi testimoniales literas à suis superioribus differant.

15 Sed nomqoid sub hujus textus regula comprehenduntur Abbates, vel alii habentes facoltatem ordinandi? Jo. Aodr. *n.* 2. tangit quæstionem, sed lectorem remittit ad dictas à se *in cap. cum contingat, de atat. & qualit.* & idem facit Bott. *n.* 4. Gloss. ait bujusmodi oon posse ab Abbatibus ordinari. Sed non cessat difficultas, quia Abbates de jure communi, non solùm possunt ordinare suos subditos ad ordines minores, *cap. Abbates infr. de privil. cap. quoniam, dist. 69. cap. cùm contingat, de atat. & qual. Clem. attendentes, de stat. Regul.* Sed etiam possunt ordinare quoscumque de licentia, & cum dimissoriis suorum superiorum, & accedente speciali consensu Ordinarii. Et imò hoc non fuisse revocatum per Conc. Trid. *sess. 23. c. 10*, plures contendunt, & declaravit S. Cong. Concil. in *una Bonon.* quam referunt Quar. *v. ordo*, Tamb. *tom. 2. disp. 2. q. 7. n. 3.* Gavan. *in man. v. Abbas n. 35.* R.P. D. Fagn. *in cap. aqua n. 8. de consecrat. Eccl.* ubi *n.* 10. ait quod eam declarationem corruptè retulerint Quarant. & Azor. & cui declarationi standum esse affirmat ibidem, & diffusè probat usque ad *n.* 19. Juxta ergo hanc sententiam Abbates, Sacerdotes, & Benedicti, vel habentes privilegium ordinandi possunt promovere exteros venientes cum suorum superiorum dimissoriis, & de coosensu Episcopi loci; manet igitur quæstio integra, an teneantur ad formam, hic à Clemente IV. statutam, seu etiam ab Urbano VIII. in recensita constit. sancitam.

16 Sed respondetur primò, dubium non habere locum de Abbatibus, nec eos comprehendi sub hujusmodi constitutionibus, etiam data illa sententia, quia cùm non possint promovere non subditos, nisi de consensu speciali Episcopi loci, intra cujus Diœcesis fines Abbatia continetur, Episcopi erit non præbere consensum, ut ordinentur Ultramontani, nisi servatis statutis à Clem. IV. & Urb. VIII. Et ita non fuit opus comprehendere Abbates, sed sufficiens fuit comprehendere Episcopos.

17 Sed respondetur secundò, quod joxta dec. Rotæ apud Seraph. *decis. 985. de mandato Clem. VIII. & juxta recentiores declarationes S. Cong. Concil.* Abbates etiam accedente consensu Episcopi loci, & dato, quod ordinandi habeant dimissorias à suis soperioribus, adhuc noo possunt ordinare sæculares, aut non sobditos. Duas autem declarationes S.Cong. Concilii refert idem R.P D. Fagnan. *d. c. aqua n. 19. & quarum una fuit data die* 23. *Novemb.* 1645. & auditis ex una parte Episcopo Cathanien. & ex altera Monachis Congr. Cassinen. informantibus ore, & scriptis, S.Cong. inhærendo decis. Rotæ Romanæ *sub die 27. April.* 1592. coram bon. mem. Card. Seraph. de ordine fel. record. Clem. VIII. factæ nec non declaratiooibus ejusdem S.Congr. dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares Benedictos ejusdem Coogreg. Cassinen. seu alterius Coogregationis, vel Ordinis, aut instituti habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque mitræ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonsuram, & minores ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios Ordines minores, nisi suis sobditis Regularibus conferre, noo autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, etiam si habeant literas dimissorias suorum superiorum, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesim fines ipsi Regulares ordinandi existant, & multò minus personis sæcularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus, ut in futurum concedere non audeant supradictas literas dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quàm ordinantes à collatione ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio Sac. Congregationis reservatas.

18 Et iterùm propositis dubiis, an Abbates Regulares Benedicti habentes jura quasi Episcopalia primam tonsuram, aut minores ordines possint conferre sæcularibus Clericis, Episcopi jurisdictionis subjectis, si modo consensus Episcopi accedat itidem an prædicti Abbates possint Regularibus alterius ordinis, qui literas dimissoriales suorum superiorum Regularium, & consensum Episcopi loci habuerint, possint prædictam tonsuram, & minores ordines conferre. *Die decima Maji* 1658. S.Cong. Concil. ad utrumque dubium respondit, non posse. Et ita etiam senserunt Pax Jordan. *lib. 5. tit. 4. n. 60.* & apud eum Mirand. *p. p. q. 38. art. 9. concl. 2.* Palaus *tom. 4. tr. 27. p. 14.*

19 Limitatur quoque regula textus, sicut ex Constit. Urbani VIII. ad Episcopos Italiæ. In quo non personarum patria attendi debet, sed locus Episcopatus. Ideò si Hispanus, Gallus, vel Germanus sit Episcopus in Italia, comprehenditur, nec potest Ultramontanos ordinare, nisi servata forma præscripta in his constitut. Dom. *n.* 8. è contrario si Italus sit Episcopus extra Italiam, sive quicumque alius Episcopus, qui sit extra Italiam non comprehenditur, nec harum constit. pœnæ subditur, si vel Italum, vel alium exterum promoveat. Gloss. Mooac. *n.* 1.

20 Allegatur autem communiter Gloss. in *v. Italia*, eo quod dixerit constitutionem etiam pœnalem ex identitate, & omnimoda similitudine rationis extendi ad alium casum: imò hanc non esse extensionem, sed comprehensionem, quia casus sub ratione, & fine legis comprehenditur. Sed hoc merito rejecerunt Jo. Andr. *ad reg. Odia*, & Butr. *cap. fin. de consuet.* quos seqountur hic Dom. *num. 9.* & Franc. *num. 5.* sed & Barbosa *num. 8.* sequutus Gloss. ait, quod si in lege correctiva ratio sit expressa, admittitur extensio ad omnes casus, ad quos ratio illa adaptari potest, quasi tunc propriè non dicatur extensio, sed comprehensio propter identitatem rationis, ut plures DD. allegat. Sed hæc est una de illis assertionibus, quam si affirmarent centum Glossæ, & centum mille DD. & amplius, non esset admittenda. Est enim contra omne jus, quod vult pœnales leges strictè esse interpretandas, *cap. Odia, cap. in pœnis, inf. de reg. jur.* & contra praxim Summorum Pontificum, qui extendendo leges de caso ad casum, ex similitudine rationis non declarant eos comprehendi sub priori lege, vel fuisse comprehensus, sed statuendo ad illos priores leges extendunt, sic Clem. *dudum* lata contra Prædicatores, & Minores, ut haberet locum etiam contra August. & Carmelitas ad eos per constitutiones speciales exteosa fuit, ut ex Mari Magno Carmel. apud Lezanam §. 22. Unde quod illa Clem. *dudum* noo ligaret, nisi qoatuor Ordinis Mendicantium docuerunt plurimi, quos retuli *tom. 2. de stat. q. 187. art. 4. num. 646. pag.* 565. & Bonif. VIII. *cap. Constitutionem infra de regul.* ex similitudine rationis ad omnes Ordines Mendicantium extendit legem illam, quæ tamen prius minimè extendebatur, & præterea est contra evidentissimam rationem, quia consequentias non necessarias per se, sed contingentes deducere ex motivis honestis, ita ot consequentiæ obligent, solius est legislatoris, non verò DD. privatorum, & ideò omnes iste extensiones quas faciunt Glossæ, vel DD. sunt extensiones factæ à non habente aoctoritatem, ut adnotavit etiam Dom. *n.* 9. & ideò non obligant, & nihil valent nisi ad imponendum injustum onus super simplices ignorantes.

21 Cùm verò regula limitetur ad Ultramontanos dubitarunt hic antiqui, quid dicendum de illis, qoi sunt in confinio Italiæ, qui nimirum habitant in summitatibus alpium dividentium Italiam à Gallia, & Germania, & concorditer dixerunt tales non comprehendi, quia tales cùm non sint ultra mootes, aut circa montes, propriè nec Ultramontani, nec Citramontani sunt, sed medii. Jo. Mon. *num. 2.* Prob. *num. 3.* Jo. Andr. Anchar. Butr. *num. 1.* Dom. *num. 6.* Franc. *num. 4.* quod ounc quoque verificari vult Barbos. *num. 4. & de off. Episc. alleg. 8. num. 6.* allegans Camp. *in divers. rubr. 9. cap. 1. num. 9.* Ex qoo generalem regulam deduxerunt Domin. *num. 7.* & Franc. *num. 4.* quia nimirum coostitutio pœnalis localis loquens de certo genere personarum habitantium in certis locis non comprehendit habitantes in eorum locorum confinibus, *& alleg.* Bald. *in l. Jurisperitos, §. cùm oriundus, ff. de excet. tut.* Quid notandum putat Dom. quia facit quod in materia stricta emanante super provincia Tusciæ, Lombardiæ, Romandiolæ, & Marchiæ Tre-

Trevisanæ, non includeretur Bononia, quæ est sita in confinio istarum quatuor provinciarum, ut patet in privilegia studii.

22 Verum admisso, quod ubi lex utatur nominibus, quæ in propria significatione non comprehendunt illos, qui sunt in confinio, tunc lex pœnalis ad illos non extendatur, quia verba legis pœnalis in stricta & propria significatione accipi debent, quamobrem benè dictum fuit, quod hæc Decretalis non se extendit ad habitantes in montibus, dividentibus Italiam, eo quia isti non sint propriè Ultramontani. Tamen si verba legis pœnalis propriè comprehendant habitantes in confinio, ad illos lex se extendet, & sic regula data non est formalis, & propria, & per se vera. Sic quia Constitut. Urbani Octavi recensita expressè nominat Gallos, & Germanos, & quoscumque ex quibuscumque locis extra Italiam oriundis, comprehendit etiam eos, qui non sunt omninò ultra montes, si certum sit eos esse intra confines Galliæ, aut Germaniæ, aut extra confines Italiæ. Verba ergo legis considerari debent, & propria illarum significatio attendi, quod si hæc se extendit ad habitantes in confinio, illos quoque pœnalis lex comprehendit; Secus si verba legis pœnalis propriè sumpta confinantes non comprehenduntur.

23 Sed quid si verborum legis significatio, & amplitudo sit dubia & incerta? v. g. hic sub nomine Italiæ, nedum terram, quæ est citra alpes, sed etiam insulas, & quidem etiam insulas Siciliæ, & Sardiniæ comprehendi volunt Jo. Mon. *num.* 1. Prob. *num.* 1. Jo. Andr. *in princ.* Archid. *num.* 3. Butr. *num.* 1. Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 1. Nam & *in l. Insula Italiæ ff. de jud.* habetur quod insulæ Italiæ pars Italiæ sunt. Verum alia ex parte dicet aliquis, quod ubi Pontifices volunt comprehendere Insulas id exprimunt, ut patet in decreto de celebratione Missarum §. 10. sub Urban. VIII. & in Constitut. instaurandæ Innoc. X. suppressionis parvorum Conventuum. Ex hoc enim videtur colligi, quod sub nomene Italiæ non veniant Insulæ adjacentes, nisi id exprimatur. Verùm quia hic ampliatio nominis Italiæ est favorabilis, & non servit ad ampliandam, sed ad restringendam legem hanc pœnalem, si ut non comprehendat siculos, & Sardos, rationabiliter admittitur, ut juxta intellectum præfatorum DD. nomen Italiæ comprehendat etiam Siciliam, & Sardiniam, quod est fundatum in *d. l. Insula*. Sic in dubio lex pœnalis non debet extendi, sed restringi. Ideò si sit dubium an aliquis locus sit in Italia, vel potius in Gallia, aut Germania, aut extra Italiam, non comprehendatur sub hac constit. quia de illo loco non poterit propriè & strictè dici, quod sit extra Italiam, & in dubio benignior interpretatio sumi debet. Ubi tamen aliquis locus habeatur communiter, etiam in odiosis pro loco extra vel intra Italiam, pro tali simpliciter habendus erit.

24 Apparet autem discrimen inter hanc Decretalem, & Constit. Urban. VIII. quod hæc decretalis non se extendit ad Orientales, qui propriè non sunt Ultramontani, sed ultra Marini. Cujus etiam potest reddi ratio, quod ex illis regionibus à Turcis, & Saracenis possessæ rarius contingat, ut aliquis veniat in Italiam, & in ea Ordines suscipiat. Sed constitutio Urbani VIII. comprehendit omnes omninò nationes extra Italiam, ut nullus extra Italiam oriundus possit ab Episcopo Italiæ promoveri non servata forma ab eo præscripta.

25 Si tamen contingat quod aliquis Ultramontanus domicilium acquirat in Italia, & fiat habitatione, & domicilio Italus, poterit præfata forma non servata, aliis tamen servatis servandis Ordinari, quia hujusmodi Italus est censendus. Barbos. *num.* 3. sicut etiam Italus eidem formæ non subditur, sed & in Italia, & extra Italiam ea non servata potest promoveri, quia tam hæc, quàm Constitut. Urbani VIII. prohibet solum non Italos ordinari ab Episcopis Italiæ ea forma non servata. Anchar. Barbos. *n.* 7. Silvest. *v. irregularitas p. num.* 11. Navar. *cons.* 33. *num.* 1. *sub hoc tit.*

26 Quoniam etiam textus loquitur de Ultramontano clerico difficultas est, an Episcopi Italiæ possint Ultramontanum laicum promovere ad primam tonsuram, forma textus non servata. Gloss. existimat non posse, & ut solvat difficultatem ait, quod textus debet punctari post nomen Ultramontanum, & sic nomen clericum jungi debere cum verbo ordinare, ut sit sensus, quod Episcopi Italiæ Ultramontanum non possint ordinare in clericum. Ex quo Domin. *num.* 10. deduxit regulam, quod ubi constitutio sit dubia ex diversa punctatione debet ita punctari, ut latius extendatur quando materia est ita prohibitoria in larga extensione, sicut in stricta, & quando ratio est eadem in extensione, ac in restrictione. Et quia hujusmodi intelligentiæ obstat, quod in proœmio constitutio loquatur solum de Ordinibus sacris, & sic videatur, quod in dispositione non loquatur nec de minoribus, nec de prima tonsura, aliam regulam tradit Dom. *num.* 11. quia scilicet constitutio etiam pœnalis licèt in exordio loquatur strictius, quàm in disposito, tamen comprehenditur sub verbis dispositivis. Sed è contra Probus ad Monach. *num.* 7. probat latè Episcopos Italiæ posse non servata forma hujus textus Ultramontanum Laicum ad primam tonsuram admittere. Et hujus occasione ostendit, qualiter prima tonsura possit probari nedum per scripturam, sed pro testes, & subdito quod sola quasi possessione non plenè probetur. Sed item hanc abstulit Urbanus Octavus in sua Constitut. in qua expressè prohibet Oriundos extra Italiam ab Episcopis Italiæ promoveri etiam ad primam tonsuram. Cæterùm regulis à Dom. positis obstant regulæ juris manifestæ, quæ jubent ut in pœnalibus, & odiosis non extensior, sed strictior interpretatio fiat.

27 Disputat etiam Gloss. an sufficiat quod ordinandus habeat literas testimoniales, & dimissorias ab Episcopo domicilii, quoniam in textu fit mentio solum de Episcopo originis, vel beneficii. Respondet verò sufficere, per *text. in cap. sequent.* ex quo hic debet interpretari. Et ita tenent. Jo. Monac. *num.* 3. Archid. *num.* 3. Anchar. Domin. *num.* 13. Franc. *num.* 11. Barbos. *num.* 3. Campan. *in divers. rub.* 9. *cap.* 1. *n.* 10.

28 Forma verò sine qua ex vi hujus textus Ultramontani non possunt ordinari ab Episcopis Italiæ est, ut Ordinandi deferant literas dimissorias ab eorum ordinario, sive sit Ordinarius Originis, sive beneficii, sive domicilii, in quibus exprimatur causa ob quam ille Ordinarius non voluit, vel non potuit illum ordinare. Unde hic nedum sunt necessariæ literæ dimissoriæ. Sed de forma est, quod istæ literæ contineant causam, ob quam Ordinarius dimittens vel noluit, vel non potuit dimissum ordinare; aliter Episcopus Italiæ promovens Ultramontanum non habentem tales literas incideret in hujus canonis pœnam. Gloss. Dom. *num.* 4. Franc. *n.* 2. Barbos. *n.* 5.

29 Ex his verò deduxit Franc. *d. num.* 2. Quod literis Episcopi creditur. Ad quod facit *cap. ut circa sup. de elect. in hoc lib. & cap. Post cessionem sup. de probat.* Et quod hoc procedit etiam si literæ deferantur per illum ad cujus favorem scribantur. Ad quod facit *l. cum qui* §. *si Epistolam, ff. de furtis*. Ubi de mandato judicis potest quis esse nuntius etiam in causa sua. Et si quis veniens de longinquo cum literis negetur esse illum, de quo in literis fit mentio, assertioni ejus creditur, & præsumitur esse ille, de quo instrumentum causat, ut dixit singulariter Cyr. & Bald. *in l. si qua per calumniam, C. de Episc. & Cler.* Quod singulariter menti est tenendum, & videri debent, quæ notantur infra in *c.* 1. *de verb. signif. & in Clem.* 1. *de Procur.*

30 In Constitut. verò Urbani VIII. alia forma statuitur, & prohibetur hujusmodi exteros ordinari, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas à Nuntiis Apostolicis, seu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorumdemve Nuntiorum, seu Collectorum subscriptiones ab Eminentissimo Urbis Vicario examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint. Qua forma non servata tam Ordinantes, quàm ordinati incidunt in pœnam dictæ constitut. quæ est suspensio ipso facto incurrenda.

31 In utraque constit. Clement. & Urban. apponitur clausula absque spe, ex quo intelligitur suspensionem, quam ordinati incurrunt non servatis illis constitutionibus nedum esse Papæ reservatam, sed esse difficillimæ, & non sperandæ dispensationis.

32 Quod si hujusmodi suspensus ministret in ordine malè recepto fit irregularis. Gloss. & Barbosa *num.* 10. *& de off. Episc. alleg.* 8. *num.* 6. Silvest. *v. irregularitas num.* 11. Navar. *cons.* 33. *n.* 1. *de Tempor. Ordin.* Campan. *in divers. rubr.* 9. *cap.* 1. *n.* 8.

33 Hanc suspensionem esse ab ordinibus intelligit Franc. *num.* 3. qui etiam regulam addit, ut in dubio suspensionis nomine intelligatur de suspensione ordinum *per not.* à

Gloss.

Gloss. *in v. suspensi in Clem. cupientes de pœnis*, sed ex subjecta materia id colligendum existimo. Hujusmodi verò suspensionem incurrunt, qui se non servata forma præscripta ordinari faciunt, etiam si aliàs sint idonei, & digni, ut advertunt Mon. *n.* 1. Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 4.

34 Ex vi verò Constit. Urbani VIII. hujusmodi malè promoti, ac etiam illi, qui cum falsis vel fictis, vel fiduciariis patrimonii titulis scientes se ad præfatos ordines promoveri fecerint, etiam majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis puniendi erunt.

35 Contra Episcopos autem malè ordinantes non determinatur pœna, sed solum dicitur eos pœna condigna puniri debere. Communiter autem dicitur Episcopos hujusmodi puniendos pœna *in cap.* sequenti statuta, quæ est suspensio à collatione ordinum per annum, ut per Archid. Dom. & Franc. *num.* 3. Quamvis Jo. Monac. existimet, quod quia hic major pœna imponitur malè promoto, quàm cap. sequent. ideò etiam condigna pœna malè promoventis debeat esse major, sed Jo. Andr. dicit, quod si ab ordinando nulla habita fuit licentia, tunc locus est pœnæ illius Capit. Sed si habita fuit licentia, sed insufficiens, non sit locus ille pœnæ, sed arbitrariæ. Butrius *num.* 3. hæc refert, & nihil addit. Sed dicendum est absolutè pœnam hanc esse arbitrariam, cùm lex eam non determinet, solum verò ex arbitrio boni viri pœna lata pro uno casu applicanda est alteri. Sed per constit. Urbani VIII. Episcopi ordinantes oriundos extra Italiam præfata forma non servata sunt ipso facto per annum suspensi ab exercitio Pontificalium.

Ex vi quoque præsentis decretalis Pœnitentiarii Papæ non 36
possunt dispensare cum malè promotis Ultramontanis in præfata suspensione. An tamen possint modo de facto, consulendæ sunt eorum facultates. Urbanus VIII. nihil de hoc decernit, nisi quod præsentem constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis approbat, & confirmat.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi.

CAPUT II.

EOs, qui clericos parochiæ alienæ absque superioris ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare: per annum à collatione ordinum decernimus esse suspensos. His, quæ jura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia interim recipiendi ordines ab aliis vicinis Episcopis, aliàs tamen canonicè liberam concedimus facultatem.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Ejusdem regula.*
3 *Decretum Concil. Trid.*
4 *Nullus potest alienum subditum sine licentia ordinare.*
5 *Nec illi tonsuram conferre.*
6 *Diœcesis dicitur parochia Episcopi.*
7 *Illa aliena parochia, qua non est sua.*
8 *Superioris ordinandorum etiam Regularis, licentia necessaria.*
9 *De hac licentia constare debet per scripturam.*
10 *A censura hujus textus excusat ignorantia crassa.*
11 *Scientia in superiore præsumitur.*
Ubi ad pœnam incurrendam est necessaria scientia non sufficit pura scientia præsumpta.
12 *Ignorantia probatur juramento.*
Ubi ad pœnam requiritur scientia, ignorantia probatur, si non probatur scientia.
Scientia conjecturis probatur.
13 *An contra juramentum admittatur probatio.*
14 *Affectata ignorantia an æquivaleat scientiæ.*
15 *Affectata ignorantia, quæ sit.*
16 *Figmentum quid sit.*
17 *A suspensione lata per Concil. Trident. non excusat ignorantia crassa.*
18 *Ex vi textus non est prohibitum conferri primam tonsuram.*
19 *Annus accipi debet ut continuus.*
20 *Annus incipit à die commissi delicti.*
21 *An Episcopus delinquens sit suspensus à collatione omnium ordinum.*
22 *Intell. cap. vel si compos, de temp. ordin.*
23 *Intellectus leg. si qui indignus, ff. de sent.*
24 *An contra ordinantem alienum subditum antiquitus fuerit imposita pœna.*
25 *Cap. nullum 9. quæst. 2. desumptum ex Conciliabulo Arianorum.*
26 *An lex imponens novam pœnam abroget priorem.*
27 *Ordinati ab alieno Episcopo sunt ipso jure suspensi.*
28 *Dictio* taliter *limitat.*
29 *Difficile, quod hæc suspensio Episcopi sit manifesta.*
30 *Licentia non est necessaria ad id quod est à jure concessum.*
Libertatem habet, qui non indiget licentiam.
31 *Subditi suspensi Episcopi hoc casu à vicinis etiam Archiepiscopo ordinari possunt.*
32 *Regula correlativorum, ut concessum uni sit concessum alteri.*
34 *Vicini Episcopi quando non possint ordinare subditos Episcopi suspensi.*
35 *Pœna imposita uni correlativo non est imposita alteri.*
36 *Licentia agendi intelliguntur servatis aliàs secundis.*
37 *Cum hujusmodi ordinatis suspensis dispensat proprius Episcopus.*

IN tres partes dividitur hæc decretalis. Primò enim punit 1
ordinantes Clericos alienæ parochiæ, secundò ratificat pœnam contra sic ordinatos, *ibi his quæ*. Tertiò sub dictis superiorum suspensorum dat licentiam, ut à vicinis Episcopis ordinari possint.

Eos qui absque licentia superioris ordinandorum, scien- 2
ter Clericum alienæ parochiæ præsumpserit ordinare, est suspensus per annum à collatione ordinum statutis contra hoc modo ordinatos in suo robore duraturis, & Clericis parochiæ taliter suspensorum eorum suspensione existente manifesta, concessa facultate interim recipiendi ordines ab Episcopis vicinis. Hæc est hujus textus resolutio juxta communem interpretum intelligentiam, & Silvest. *v. irregularitas num.* 11. Navar. *cons.* 2. *num.* 1. *& cons.* 5. *n.* 6. *& cons.* 39. *de temp. ordin.* R.P.D. Fagnan. *in c. nullus n.* 8. *de parochis* Sayrus *de cens. l.* 4. *c.* 12. *n.* 13. Suarez *de cens. tom.* 5. *disp.* 31. *sess.* 5. Campan. Rodriq. *tom.* 1. *q.* 18. *art.* 4. Quaranta *v. ordo*, Miranda *tom.* 1. *q.* 58. *art.* 1. *divers. juris rub.* 9. *cap.* 1. *num.* 16. Bonac. *de cens. in par. c. d.* 3. *q.* 2. *p.* 7. *num.* 4. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 8. *num.* 17. *& de sacram. d.* 8. *p.* 4. Pax Jordan. *Elucubrat. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 34. Fermosin. ad textum. Quod translationem hoc eodem tit. per multas quæst. Sanchez *l.* 3. *de matrim. disput.* 13. Less. *lib.* 2. *c.* 44. *d.* 19. *n.* 92. Diana 3. *p. tr.* 4. *res.* 194. Leander *de sacram. ord. disp.* 8. *q.* 1. *& seqq.* Bassæus *v. ordo* 3. *n.* 2.

Hoc idem disposuit Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. di- 3
cens: *Unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. Quod si ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio dentur. Si secus fiat, ordinans à col-*

à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, & sess. 7. cap. 11. de reformat. habet *facultates de promovendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possunt, in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia, exercente diligenti prævio examini.*

4 Gregor. autem decimus in sua regula non nominat expressè Episcopos, sed generaliter eos, qui, ut comprehendat nedum Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, sed etiam Abbates, & quoscumque, qui vel de jure, vel ex privilegio habeat facultatem ordinandi. Nullus enim horum potest non suum subditum ordinare. Gloss. Monach. *num.* 4. Archid. *num.* 1. Dom. *num.* 1. & §. *Clerici num.* 1. & DD. omnes supra citati.

5 De Clericis autem ordinandis loquitur. Nam de laicis disponitur infr. cap. 4. unde nullus alienum subditum potest, vel ad ordines, vel ad primam tonsuram promovere. Archid. in princip.

6 Tota autem Diœcesis est parochia Episcopi. Gloss. Archid. *num.* 1. Domin. *num.* 1. Probus *num.* 8. & *probatur ex cap. bona*, ubi Præpos. & Dom. *n.* 12. *quæst.* 2. & *cap.* 1. *sup. de raptor.* & ibi Ananias *num.* 3. & *ex cap. in parochia* 16. *q.* 1. *cap. excommunicamus* §. *adjicimus, sup. de hæret.* & *cap.* 2. *sup. de Magis.* & *cap. sequenti*, ubi id iterùm notant. Gloss. & Dom. *num.* 1. Et quidem etymologia vocabuli id suadet. Nam paros Græcè idem est, quod partitio latini, unde tota Diœcesis deputata uni Episcopo cùm sit divisa, & partita à Diœcesi deputata alteri, dicitur parochia. Sic enim, & Ecclesiæ inferiores parochiæ dicuntur, quia partitæ sunt, & divisæ una ab alia.

7 Quæ verò censenda sit parochia aliena explicatur uberius *cap. sequenti*. Hic in communi aliena parochia dicitur respectu ordinantis, quæ non est sua, ut notant Gloss. & Archid. *num.* 1.

8 Est verò advertendum non dici in textu absque *Episcopi* licentia, sed absque *superioris* ordinandorum, ut omnes comprehendat superiores: Unde inter istos computari etiam debebunt Prælati Regulares respectu suorum subditorum: Nam Regulares sine licentia suorum Prælatorum non possunt ordinari, *cap. si quis, cap. Monachi, cap. cum pro utilitate* 16. *quæst.* 1. *cap. quam sit necessarium* 18. *quæst.* 2. *cap. ad aures, sup. eod. tit.* De quo vide *tom.* 3. *de stat. quæst.* 189. *art.* 10. *de profess. inspect.* 10. *à num.* 850. *pag.* 487. Nomine superioris igitur hic intelligitur omnis ille, sine cujus licentia, qui petit, non potest de jure ordinari. Antiquitus verò *ex cap. Episcopus d.* 24. & *cap.* 1. *d.* 67. erat necessarius Clericorum, idest Canonicorum Cathedralis consensus, ut explicat Gloss. Sed modò tam ex hoc cap. quàm ex Concil. Trident. locis citatis non requiritur, nisi consensus superioris ipsius ordinandi; quamvis, ut advertit Sanchez *l.* 7. *opusc.* 1. *d.* 20. *num.* 2. secundùm Hostien. quem sequitur Silvester *v. ordo* 3. *quæst.* 2. decretum d. canonum intelligendum sit, ut Canonici censeantur consentire, si non contradicunt.

9 De hac verò licentia debet constare, & de ea constat vel per scripturam, vel per testes, vel per authenticum instrumentum secundùm Jo. Andr. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 1. Domin. *num.* 3. Franc. *num.* 1. Sed sicut isti DD. adverterunt hæc non sufficere in casu Capit. proximè super. quia requiritur in eo casu scriptum, ita nunc absoluta dicendum est hanc requiri, nec sufficere testes, aut aliud instrumentum, quia Concilium loco citato, requirit literas dimissorias, & testimoniales superioris ordinandi, ut post Suarez *de cens. disp.* 31. *sect.* 5. Sayrum *l.* 4. *cap.* 12. *num.* 13. Bonac. *de cens. in partic. d.* 3. *quæst.* 2. *p.* 7. docet Barbosa *ad d. cap.* 8. *sess.* 23. Concil. Trid. *num.* 31. Qui tamen DD. multos casus excipiunt, in quibus Episcopus ab hac censura excusatur. Et cùm in aliquibus Provinciis sit consuetudine receptum, ut in hujusmodi literis nulla causa assignetur testibus, Rebuff. *in praxi tit. de lit. dimissor. num.* 28. Salzedo ad Bernard. Diaz. *cap.* 26. Gratian. *decis.* March. *decis.* 98. *num.* 21. Nihilominus Barbos. *de off. Episc. allegat.* 7. *num.* 2. hoc referens non approbat, & ait hac consuetudine non obstante, servari debere dispositionem *cap.* 1. *sup. in hoc tit.* & *Concil. Trident. loco citato scilicet cap.* 11. *sess.* 7. Quidquid aliter videatur intelligere Velasc. *t.* 1. *allegat.* 5. *nu.* 53. Quoniam tamen magna est vis consuetudinis, quæ & potuit prævalere contra dispositionem Concilii, considerandum erit, an consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta. Hæc enim legi derogat, ut probatum est suprà *cap.* 1. *de consuetud.* & *maximè q.* 1. *art.* 11. Sanchez quoque *l.* 7. *opusc. cap.* 20. *num.* 4. arbitratur, quod adhuc in vim Concil. Trident. sufficit, quod de consensu Episcopi constet testes, vel per instrumentum publicum, quia Concilium *sess.* 14. *cap.* 2. *de reformat.* dicitur sub disjunctione quod Episcopus alienum subditum non ordinet sine proprii Episcopi consensu, vel dimissoriis. Debet tamen etiam constare de causa, ut in decreto *sess.* 20. *c.* 11.

Ordinantem autem Clericum alienæ parochiæ nedum ignorantia probabilis, & justa excusat Episcopum ab hujus textus censura, quod & adnotarunt Archid. *num.* 2. Jo. And. *num.* 1. Prob. *num.* 2. Butr. *num.* 4. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 3. sed etiam ignorantia crassa, quæ non æquivaleat affectatæ, quia hic textus ad hoc; ut incurratur suspensio requirit scientiam, & præsumptionem. Videantur, quæ dicta sunt suprà in hoc lib. *cap. ut animarum de constit. q.* 1. *art.* 21. *n.* 398. & *seq. pag.* 114. 10

In ordinante tamen hæc scientia præsumitur, quia licet tractetur de facto alieno, tamen quia ordinans ex officio debet inquirere, & scire an ordinandus, vel non sit de sua Diœcesi, præsumitur scire, quod scire potest, & debet, Gloss. Jo. Mon. *num.* 1. Archid. *num.* 2. Anchar. *nu.* 2. Dom. *num.* 4. Franc. *num.* 2. Barbos. *num.* 4. & apud eum Sayr. *l.* 4. *decis.* 42. *sub hoc tit.* & Navar. *cons.* 40. Verùm non puto, quod hæc doctrina aliàs vera nostro casui applicetur; quia ubi lex ad incursum censuræ, vel pœnæ requirit scientiam, non sufficit hæc nuda scientiæ præsumptio, nisi sit aliis conjecturis, aut præsumptionibus adjuta. Et hoc enim, quod quis scire potest, & debet, non præsumitur scientia nisi sub disjunctione, quia scilicet, vel qui agit, scit quod egit, vel quod id culpabiliter ignorat. Alterum igitur istorum cùm possit esse verum, & aliàs ignorantia etiam culpabilis à pœna excuset in hoc casu, ideò ad damnandum Episcopum non sufficit illa nuda præsumptio scientiæ, quæ oritur ex eo, quod Episcopus potuit, & debuit scire, nisi aliundè de scientia constet. 11

Hic tamen Gloss. admittit, quod ignorantia possit probari juramento. Quod tamen nisi cum distinctione admittunt Anch. *num.* 2. Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 3. Nam si contra ignorantiam præsumptam jus aliquid ultra determinat, non sufficit juramentum ad ignorantiam probandam, quod sufficit quando jus nihil ultra determinat, nisi agatur de præjudicio tertii, quia tunc nec solo juramento probatur ignorantia. Sed dicitur, quod ubi lex requirit scientiam ad incurrendam pœnam, non est necesse, quod delinquens etiam juramento probet ignorantiam, sed tunc sufficit id quod ex Hug. advertit Anchar. *num.* 2. quia scilicet ignorantia probatur, si non probatur scientia. Unde multò magis sufficit, si delinquens juramento probet ignorantiam. Scientiam verò probari conjecturis, advertit Gloss. Videantur dicta suprà *cap. ut animarum q.* 1. *art.* 25. *de constit.* 12

Disputant etiam hic an contra juramentum Episcopi possit admitti probatio. Hoc enim negavit Mon. sed affirmavit Gloss. & Jo. And. *n.* 1. sed & hoc videri possunt dicta *d. cap. ut animarum q. p. art.* 25. *n.* 496. *pag.* 126. 13

At verò æquiparari scientiæ ignorantiam affectatam ex hoc textu colligunt Gloss. Mon. *num.* 1. Archid. *num.* 3. Prob. *num.* 1. Anch. *num.* 2. Dom. *num.* 2. Barbos. *num.* 4. & 7. & apud eum Tiraquell. *de retractu lig.* §. 35. Gloss. 4. *num.* 28. & 29. & Mascard. *de probat. concl.* 879. *num.* 31. *cum sequent.* Sed ubi lex ad incurrendam pœnam requirit scientiam, potius oppositum colligitur ex hoc textu, quia si ignorantia affectata polleret scientiæ, non fuisset necesse, quod hoc exprimeretur in textu. Unde ex hoc potius colligitur, quod ignorantia affectata non æquipollet scientiæ, nisi id exprimatur, seu nisi in casibus à lege expressis. Nam ignorantia licèt affectata non nihil diminuit. Verùm videantur dicta præfato *cap. ut animarum q.* 1. *art.* 6. *conf.* 21. *n.* 409. & *art.* 22. *à n.* 424. *pag.* 117. 14

Cùm etiam Gloss. Prob. *num.* 1. Archid. *num.* 3. Barbos. *num.* 8. & apud eum Sayr. *in Clau. Reg. l.* 2. *cap.* 2. *num.* 18. & *cap.* 9. *num.* 5. & Cardos. *in praxi judicum v. Ignorantia num.* 8. dixerint illam esse affectatam ignorantiam, quando quis scire potuit, & noluit, imò dissimulavit, diminuta est hæc descriptio, quia & convenit 15

omni

omni ignorantiæ culpabili, & voluntariæ. Sed ad affectatam ignorantiam necesse est quod illa sit volita directè, & in se ipsa, & non solùm in sua causa. Videatur suprà *d. cap. ut animarum locis citatis*.

16 Vult etiam Pontifex quòd ad incurrendam pœnam sufficiat scientia ejus quod ordinandus non est Diœcesis Ordinantis, & quod non excuset illum adumbrata, & ficta ignorantia. Plura verò exempla hujus fictionis tradit Gloss. ut quia fortè ordinans dicit quod ordinandus tanquam scholaris potest ordinari, cùm hoc aliàs sit falsum, vel fingit licentiam datam fuisse, vel ordinat sub ratihabitione, vel scire dissimulavit, literas dimissorias subreptitias esse, vel in fraudem constitutionis hujus assumpsit aliquem in suum familiarem, aut contulit ei beneficium. Sed hæc & similia exempla omnia non applicantur. Quia non fingit, qui ex ignorantia agit putans se benè & verè agere, iste enim nec mentitur, nec aliud opere ostendit, quàm in mente habeat. Ideò non fingit Episcopus si putans se posse ordinare scholarem illum ordinat, sive si ex negligentia non videns ordinandi literas esse falsas, illum admitti. Sed benè fraudulenter fictus est, si fictè facit familiarem, ut possit eum ordinare, quem scit esse alienæ Diœcesis, aut si fictè confert ei beneficium: sic ergo figmentum, de quo textus loquitur, supponit scientiam facti mali, & importat malitiam & fraudulentiam cooperiendi factum malum, ut non appareat malum.

17 Considerandum verò est, quod Concil. Trident. absolutè decernit, ut si non fiat id, quod ipse statuit, tam ordinans, quàm ordinatus pœnam impositam incurrat. Ideò si suspensione lata per Concilium non excusat ignorantia crassa, ut explicatum est *sup. d. cap. ut animarum quæst. 1. art. 21. de ignorantia juris, & art. 25. de ignorantia facti*. Unde in terminis Concilii præsumetur in ordinata scientia, seu (quod in idem reddit) ignorantia crassa, si Ordinans ordinat alienum subditum, ejusque erit probare ignorantiam probabilem, si illam alliget. An verò & quomodo probari possit juramento dictum est, citato *cap. ut animarum q. 1. art. 25.*

18 Arbitratur autem Gloss. quam sequitur Barbos. *num.* 10. quod hic prohibeatur etiam conferri primam tonsuram. Sed licèt verè & hoc prohibeatur infra *cap. ult. Textus tamen iste*, qui solum prohibet Ordinari Clericos alienæ parochiæ, non comprehendit Laicos, si illis confertur prima tonsura, & ideò hæc actio non est subjecta pœnæ hic impositæ; secundùm Domin. *num.* 5. & Franc. *num.* 4. sic etiam cum *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 8. eamdem pœnam tulerit contra Episcopos ordinantes alienum subditum sine testimonialibus sui Ordinarii sub eo decreto non comprehenditur tonsura, ut declaravit Sac. Congreg. Concilii. Nam, ut refert R.P.D. Fagnan. *in cap. cùm contingat de ætat. & qualit. num.* 38. Cùm Episc. Hieracen. dubitasset, an incidisset in pœnam suspensionis, quia cuidam extraneo subdito alterius Episcopi primam tonsuram contulerat: Sacra Congreg. censuit non incidisse, nec *cap.* 8. *sess.* 23. loquens de ordinationibus habere locum in conferentibus primam tonsuram, quæ à Concilio non habetur pro Ordine, ut patet *c.* 4. *sess.* 23. *juncto cap.* 5. *& 6. ejusdem sess.* sic ergo sub nomine Ordinis non venit tonsura etiam de mente Sac. Congregationis.

19 Per annum autem absque dubio continuum, durat suspensio Episcopi tempus enim intelligitur de continuo quando lex imponit pœnam per annum vel aliud tempus. Gloss. & Franc. *n.* 5. quod facit ad not. in *Clem.* 1. *de restit. in integr. & in cap. provida sup. de elect.* In dubio enim omne tempus debet intelligi, ut sit continuum, ut dixit Gloss. *sing. in rub. ff. de divers. & temp. præscript.*

20 Quod si contingat Episcopum jam suspensum ex eo quod ordinaverit alienum subditum infra annum iterùm hoc idem malum committere, annus hujus novæ suspensionis non incipiet post prioris annum completum, sed à die commissi delicti, ut notatur *in cap. cùm in cunctis sup. de elect. in fin. & in Clem. cùm sit de magis*, & tenent Domin. *num.* 4. & Franc. *n.* 5.

21 Quærit Gloss. an hæc Episcopi suspensio se extendat ad omnes ordines, & ob nominis Ordinum indifferentiam affirmantem partem sustinet, & sequitur Zenzel. hic, & Jo. de Fan. & insuper Sayrus *de cen.* 5. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 30. Campanil. *d. rubr.* 9. *cap.* 1. *num.* 10. Barbosa *de off. Episcop. alleg.* 8. *num.* 2. Fermosinus *ad cap.* 11. *quod translationem*, *in hoc tit. quæst.* 11. *num.* 6. & pro ista opinione allegantur *l. qui indignus ff. de sentent. & cap. ex pœnitentibus d.* 50. *cap. ubi ista.* 70. *dist. & cap. vel non est compos, sup. in hoc tit.* Verùm quod Episcopus in hoc casu sit solum suspensus à collatione Ordinum, quos subditis alienæ parochiæ contulit, tenens Jo. Monach. Archid. *num.* 3. Anchar. *num.* 2. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 4. & hoc idem dixerunt Navar. *cons.* 31. *&* 39. *hoc tit.* Sayr. *sub eod. tit. decis.* 23. *&* 32. Molfes. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. Ratio est, quia dignum est, & satis videtur si ordinans malè alienum subditum sit punitus in eo in quo peccat, & sic sufficit, quod sit suspensus à collatione Ordinis malè collati *arg. infr. cap. fin.* ne in plus extendatur pœna, quàm delictum. Tum quia jura, quæ imponunt pœnam per verba indefinita debent restringi, & non intelligi indistinctè, sed referri ad id tantum cui illata est injuria ex delicto, ut est textus notab. *sup. cap. si compromissarius de elect. in hoc lib.* & per hoc respondetur ad jura allata. Nam cùm loquantur indefinitè de Ordinum collatione & potest esse, quod Ordinans modò unum, modò alium conferat, ideò opus fuit ut etiam pœna per verbum indefinitum imponeretur, ita tamen ut juxta *reg. Odia, infr. de reg. jur.* interpretatio stricta accipiatur, ut ordinans respectivè sit suspensus à collatione eorum Ordinum quos illicitè contulerit.

Ad *cap. autem vel non est compos*, respondetur, quod suspensio, de qua ibi non fuit latæ sententiæ, sed ferendæ, ut notat Panorm. ibid. *num.* 2. Convenienter autem Pontifex jussit, ut Episcopus ille suspenderetur à collatione Ordinum, quia cùm ille ordinaverit puerum ad Diaconatum, plures Ordines illi contulerat, vel Diaconatum non habenti ordines inferiores tradiderat, non enim est verisimile, quod ille puer fuisset ordinatus ad Minores Ordines, & ad Subdiaconatum. Et sic casus ille fuit specialis, & talis in quo ex circumstantiis ille Episcopus dignus fuit, ut ab omnium ordinum collatione suspenderetur. 22

Et longè diversus casus est ordinare puerum ad Diaconatum, & ordinare subditum alienum aliàs ad exercitium ordinis idoneum. Lex verò citata qui indignus, est omninò extra rem. Ibi enim decernitur, quòd qui indignus est inferiore Ordine, indignior est superiore, & hoc ad summum valere posset ad probandum quòd Episcopus suspensus à collatione inferioris ordinis non potest superiorem conferre. Sed ex hoc inferre quod suspensus à collatione Ordinum indefinitè est suspensus à collatione omnium, est consequentia in erudita, quia hic casus est omninò diversus. Et quia non probat, quod suspensus à collatione Sacerdotii non possit inferiores conferre, ut consideravit Panorm. *d. cap. vel non est compos, num.* 5. Sed solum probat, quod suspensus ab infimo ordine nullum potest conferre. 23

Gloss. *in v. per annum* ex Guliel. arbitratur, quod per hunc textum Pontifex moderatus fuerit pœnam antiquitus latam contra ordinantes Clericos alterius Parochiæ: quia tunc per annum erat suspensus à celebratione Missæ, & deponi debebat, ut habetur *cap. Nullum 9. quæst. 2. & cap. Episcopus in Diœcesi, 7. quæst. 1.* Ex illis tamen textibus nihil tale deducitur. Loquuntur enim in casu longe diverso, nimirum Episcopi nedum ordinantis subditos alia non suos, sed intra confines alterius Diœcesis Ordinationes habentis; quod est longè diversum. *In cap. enim Episcopus*, quod dicitur desumptum ab Anacleto Papa licèt non citetur locus dicitur. *Episcopus in Diœcesim alienam ad alienos Clericos ordinandos, vel consecranda altaria irruere non debet*. Hic ergo sermo est de irruptiones in alienam Diœcesim ad Pontificalia ibi exercenda, & huic delicto imponitur suspensio per annum à celebratione Missæ, quæ etiam non est latæ sententiæ. 24

Cap. cùm verò nullum 9. quæst. 2. non debuit allegari. Prætermisso enim, quod fuit desumptum ex concilio Provinciali, cujus canones totam Ecclesiam non ligant, sed quod pejus est illud Concil. Antiochen. ex cujus cap. 13. fuit illud caput desumptum fuit Conciliabulum Arianorum, in quo iniquissimè fuit damnatus S. Athanasius anno 341. sub Julio Papa primo, ut videre est in serie Concil. apud Binnium *tom.* 1. *p.* 1. 25

An verò ubi lex nova imponit pro delicto aliam pœnam ab ea, quæ per legem antiquam fuit lata, intelligi debeat antiquam pœnam abrogari, vel corrigi. Imola apud Dom. *num.* 11. antiquo negat *per l. quoties ff. de verb. oblig. & l. qui sepul-* 26

sepulchro, *C. de sepul. viol.* & per id, quod notat sup. *cap. cupientes* §. *quod si per viginti*, *& cap. felicis inf. de pœnis*. Quod Dom. putat esse verius de rigore juris. Sed oppositum tenet Gloss. & Domin. ait posse juribus citatis responderi, quod procedunt, quando ex tenore secundæ legis non apparet, quod voluerit tollere primam, quod hic apparet. Quia, cùm hic antiquam pœnam reservet pro ordinatis, & aliam imponat pro ordinantibus, signum est, quod pro illis noluit antiquam pœnam habere locum. Sed melius dixissent nullam pœnam fuisse impositam, antea contra Episcopos præcisè subditos alienæ Parochiæ ordinantes. Cæterùm per se ex impositione novæ pœnæ non tollitur, antiqua, nisi id exprimat legislator saltem implicitè, vel nisi pœna antiqua, & nova simul terminos æquitatis excedat, & major sit, quàm demeritum culpæ. In nostro caso autem nulla alia pœna lata est contra Episcopum alienum subditum ordinantem, quàm pœna suspensionis per annum à collatione ordinum.

27 Cessat modò quæstio an ordinati ab alieno Episcopo sint suspensi ipso jure, & ita ut si ministrent in ordine suscepto sint irregulares. Hoc enim negarunt Gloss. Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 5. Silvest. *v. irregularitas*, & alii apud istos. Sed jam constat ex Concil. Trid. hujusmodi sic ordinatos esse ipso jure suspensos quamdiu proprio ordinatio videbitur. Et ideò indubitatum est, quod si interim ministrat in ordinibus sic malè susceptis fiunt irregulares.

28 Subditis etiam Episcopi taliter, ut suprà suspensi conceditur posse ordinari ab alio Episcopo. Sed benè notatur, quod dictio *taliter* habet vim restringendi dispositionem, & limitandi illum ad casum, de qua loquitur. Sic in præsenti dicitur, quod esto Episcopus ob alias causas sit notoriè suspensus, non per hoc ejus subditi possunt ex vi hujus textus accedere ad vicinos Episcopos; ut ab eis ordines suscipiant, ut benè advertunt Gloss. Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 6. Silvest. *v. irregularitas q.* 3. Angel. ibi *num.* 32. Armilla *v. ordo num.* 16. Rosella *v. ordinator num.* 6. Sanchez *l. 7. opus. cap. 1. d. 20. num.* 19. & apud eum Rebuff. & Salzedo, Pax Jordan. *l. 3. tit. 6. num.* 154.

29 Requiritur etiam, quod suspensio Episcopi sit manifesta. Vel per evidentiam facti, vel per notorium juris. Gloss. Monac. *num.* 9. Arch. *num.* 3. Silvest. Ang. Armill. Rosell. Sanchez locis citatis. Sed Jo. And. *num.* 1. & ex eo Dom. *num.* 6. & Anchar. *num.* 2. advertunt, quod cùm Episcopum non habuisse licentiam à proprio ordinante superiore sit, quid negativum, difficilè est, quod suspensio Episcopi possit esse notoria per evidentiam facti. In dubio autem subditi à suo Prælato recedere non debent, ut considerant. Gloss. & Mon. *n.* 10.

30 Ubi verò suspensio Episcopi sit manifesta, possunt ab alio ordinari sine proprii Episcopi *licentia*. Nam ad id, quod de jure est concessum, alicujus licentia non est necessaria. Gloss. & Butr. *num.* 4. Et liberam facultatem agendi habent, qui alterius licentia non indigent. Dom. *in* §. *Clericis num.* 2. Franc. *n.* 2.

31 Conceditur verò subditis Episcoporum taliter suspensorum, ut possint ab alienis Episcopis ordinari, non tamen ab omnibus, sed à vicinis, quia per vicinos, facilius, & melius mores, & qualitates ordinandorum cognosci possunt. Quamvis verò non sit necesse, quod isti ordinandi accedant per ordinibus suscipiendis ad Archiepiscopum, quia hoc non est jure expressum. Jo. Andr. *num.* 1. Anch. *n.* 3. Butr. *n.* 3. Dom. §. *Cler. n.* 4. Franc. *n.* 6. tamen si ille sit vicinus possunt ab illo ordinari, at Dom. & Franc. advertunt, & sequitur Sanch. *d. n.* 19.

32 Isti quoque vicini Episcopi subditos præfatos possunt ordinare ex regula correlativorum, quæ in hoc casu valet, quia aliter nulla esset concessio facta subditis, ut possint ordinati à vicinis Episcopis, si Episcopi vicini illos non possent ordinare. Butr. *num.* 4. Domin. *num.* 4. Et tamen vicini Episcopi hoc præstare non possunt, nisi intra eorum Diœcesim, ut advertunt Gloss. & Domin. *num.* 6. & Sanchez *d. num.* 19. Et alterius nisi suspensio Episcopi illorum subditorum sit vicinis Episcopis manifesta, aliter, quam ex eorumdem subditorum ordinandorum relatione. Jo. And. *num.* 1. Anchar. *num.* 3. Butr. *num.* 4. Domin. *num.* 4. Dicunt verò Rebuff. & Salzedo apud Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 19. quod ordinandi tenebuntur probare proprii Episcopi suspensionem per declarationem Metropolitani. Sed hoc non benè asseritur. Tum quia ut dictum est, sufficit notorium facti. Tum quia sufficit, si à quocumque judice competente suspensio sit declarata, quia hoc modo aderit de ea notorium juris.

33 Colligitur etiam, quod regula correlativorum in pœnis non valet, nec pœna uni data extenditur ad alium. Nam in hoc textu nulla malè ordinatis imponitur pœna, sed solum antiqua confirmant, ordinantes verò per annum suspenduntur ab ordinum collatione Dom. *n.* 3.

34 A vicino verò Episcopo Clerici alienæ Parochiæ, in hoc casu ordinari debent canonicè, nimirum prævio examine, tempore debito, & in debita ætate, & servatis aliàs de jure servandis. Quo erudimur, quod licèt detur libertas actus, tamen semper intelligitur, ut ille habeatur canonicè, & servatis aliàs servandis. Franc. *n.* 2.

35 Tamdem advertitur, quod cessat quæstio, quis hujusmodi ab alieno Episcopo ordinatos absolvere possit à suspensione, & cum illis dispensare. Nam ex Concil. Trident. Proprius Episcopus hoc potest facere, & sic cessant, quæ hic habeat. Archid. *num.* 3. Jo. And. *num.* 1. Butr. *num.* 8. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 5.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

CUm nullus clericum parochiæ alienæ, præter superioris ipsius licentiam debeat ordinare: superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat oriundus: seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum: seu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.

Inferiores quoque prælati, religiosi, vel alii, nisi eis quod suos clericos, aut subditos, possint à quo voluerint Episcopo facere ordinari, à Sede Apostolica specialiter sit indultum, vel officiales Episcopi (cùm ad hoc se ipsius officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri.

Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus vicarius generalis, vel sede vacante, capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.

Religiosi verò à suis superioribus in non exemptis Prioratibus deputati Priores, & eorum socii, possunt à locorum diœcesanis, quamdiu morantur in ipsis Prioratibus, ordinari licitè, licèt non sint de eorum diœcesibus oriundi.

S V M M A R I V M.

1 *Dividitur textus in 4. partes.*
2 *Superior sine cujus licentia non possunt ordines conferri est Episcopus originis vel beneficii, vel domicilii.*
3 *Nulli licet alienum subditum ordinare.*
4 *Dictio præter post negationem sumitur inclusivè.*
5 *Tres modi subjectionis.*
6 *De licentia Papæ unusquisque potest ordinari.*

Qua-

1 QUatuor partes habet hæc decretalis divisa in quatuor §. & juxta Gloss. Jo. And. determinat notata per Hostien. *in sum. hoc tit. §. a quo in princip.* & per Innocent. *in cap. 1. seu in rub. de Cler. pereg.* Fuit verò data ad declarationem præcedent. cap. desumpti ex Gregor. X. in Concil. Lugdunen. ut advertunt Jo. Monach. & Archid. & in parte ad supplementum ejus, quod in primo hujus titul. cap. fuit decretum. Ibi enim solum duo modi superioritatis, scilicet ratione originis, & beneficii recensiti sunt, & hic additur tertius modus ratione domicilii.

2 *Cùm nullus*. In hac prima parte decernitur, quod superiores, ad quos spectat ordines conferre, vel dimissorias concedere, sine quibus non licet ordinanti non subditū ordinare sine licentia Episcopi originis vel beneficii, vel domicilii. Et sic tres sunt modi, quibus aliquis in ordine ad ordines suscipiendos subjicitur ordinanti, scilicet ratione originis, vel beneficii, vel domicilii in Diœcesi, ut hic explicant Jo. Mon. Archid. Jo. Andr. Anchar. Butr. Domin. Franc. & Barbosa, & ex hoc textu collegerunt Silvest. *in v. ordo* 3. *num.* 3. Sanchez *in opus. l. 7. cap. 1. dub.* 22. Et quotquot de ministro sacramenti ordinis tractant. Et ideò qui in uno loco est natus, & posteà ad aliam Diœcesim transtulit domicilium, & in alia habet beneficium, à quolibet Episcopo harum trium Diœcesum potest ordinari, vel dimissorias ad ordines recipere. Sanchez *l. 3. de matrim. disp.* 13. *num.* 1. Bonac. *de sacram. disp.* 8. *p.* 4. *num.* 8. Diana *p. 8. tr. 2. resol.* 8. Leander *tom. 2. disp.* 8. *q.* 7.

3 Generalissimè intelligitur textus, ita quod nulli omninò habent potestatem ordinandi licèt alienum subditum ordinare nisi de licentia sui superioris.

4 Obiter nota, quod dictio præter dictio, quando ponitur post negativam sumitur inclusivè. Dom. *n.* 2.

5 Cùm autem pluribus aliis modis, vel ratione delicti commissi, vel ratione existentiæ rei, de qua habetur lis, vel ratione contractus, vel aliis modis, de quibus *in cap. ult. de foro competen. & l. hares absens §. 1. de jud.* Nihilominus ad effectum ut quis possit ordinari necesse est; ut altero ex his tribus modis sit subjectus, scilicet ratione, vel originis, vel beneficii, vel domicilii. Gloss. Dom. *n.* 10. R. P. D. Fagnan. *cap. quod à prædecessore n.* 88. *de schism.* quibus tamen, ut dicetur additur quartus, scilicet ratione familiaritatis.

6 Cùm verò Summus Pontifex sit totius Ecclesiæ Episcopus & caput, & singulorum Ordinarius *cap. cuncta per mundum 9. quæst.* 3. de ejus licentia potest quicumque, à quocumque Episcopo ordinari, & Romæ, quæ communis est patria, *l. Roma, ff. ad munic.* & ibi potest quisque conveniri, *cap. ult. de for. compet.* potest quilibet ex commissione Pontificis ad ordines promoveri, ut hic advertit Gloss. *in v. in eadem*.

SUMMARIUM.

7 *Quis subditus ratione originis.*
Subjectus est Episcopo, qui natus in Diœcesi.
8 *Non sufficit nativitas casualis.*
9 *Natus in mari non est originarius ubi nascitur.*
10 *Nec ubi baptizatur fortuito.*
11 *Nec qui in uno loco est natus, & alibi baptizatus est originarius utriusque loci.*
12 *Infidelis originarius in loco baptismi.*
13 *Domicilium originis immobile.*
14 *Num sufficiat origo paterna variè opinatum, 15.*
16 *Quæstio in duplici casu certam habet solutionem, 17.*
18 *Filius non est originarius loci originis Patris.*
Idem non potest esse originarius duorum locorum.
19 *Filius quantum ad civiles honores dicitur natus ubi natus fuit pater, si ibi domicilium habeat.*
20 *Origo avi non attendenda.*
21 *Subreptitia litera, si quis exposuit se esse de patria patris, si alibi natus, alibi habet domicilium.*
22 *Quæ sit patria libertinorum, &c. secundum aliquos.*
23 *Libertini sunt loci ubi tempore nativitatis Domini habent domicilium.*
24 *Illegitimi ex materno domicilio originem sumunt.*
25 *Expositi, si ignorantur parentes, sunt Diœcesis, in qua sunt expositi.*

Quæstio prima

De subjectione ad ordinantem necessaria in eo, qui petit promoveri.

ARTICULUS I.

Utrùm solus, qui natus est, & omnis, qui natus est in Diœcesi, dici possit subjectus Episcopo ratione originis.

7 PRimus modus subjectionis, qui in hac decretali ponitur, & fuit etiam numeratus suprà in p. cap. hujus tituli, & ratione originis, ut subjectus Episcopo dicatur, qui natus est in Diœcesi.

8 Sed quid dicendum si hæc nativitas sit casualis, seu fortuita, quia accidit ex eo, quod mater casu, ut quia erat ibi per transitum, aut ad speciale negotium, vel speciali causa, non habente ipsa ibi, nec patre ipsius nati proprium domicilium? sufficere nativitatem fortuitam ad hoc, ut quis subjiciatur Episcopo Diœcesis, & possit ab eo ordinari, tenuerunt Narbona *lib. 4. recopil. tit. 1. l. 20. num.* 141. & Gaspar Hurtado *de sacram. ord. disputat.* 17. quod probabile putavit Leander *tom. 2. de sacram. ord. disp. 8. quæst.* 8. Nam proprius Episcopus ratione originis est, in cujus Diœcesi natus est, qui ordinari debet, juxta Gloss. *in cap. 1. in verb. alienigenas, infr. de usur. l. qui ex viro, ff. ad municip.* Originarius enim dicitur à sua propria origine, per textum *in l. 4. C. de incolis, & l. 1. ff. ad municip.*

9 Nihilominus dicitur non sufficere hanc fortuitam nativitatem, sed requiri ut quis natus sit in loco, in quo pater habet domicilium. Nativitas enim fortuita non tribuit civilitatem originis, sed sola, quæ contingit in loco, ubi parentes habent domicilium, per textum *in l. 1. Cod. de captiv. & postlim. rever.* ubi Bartol. *num.* 4. Nam nec ea, quæ sunt casualia, & per accidens, sed quæ sunt per se attendi debent. De quo videri possunt Panorm. *cap. Rodulphus num.* 9. & Felin. *num. 13. de rescrips.* Cevall. *communium contra commun. quæst.* 458. *num.* 17. Gratian. *discept.* 75. Et propterea filius dicitur originarius non loci ubi casualiter natus fuit, sed ubi parentes habent domicilium. Nam ibi fictione juris censetur natus, ubi per se nasciturus erat, nisi ex causa accidentali alibi natus fuisset, & ideò Episcopo illius Diœcesis est ratione originis subjectus, & ab eo promovendus, ut tradunt Sanchez *de matrim. l. 3. disp.* 23. *num.* 4. Barbosa *de off. Episc. alleg. 4. num.* 4. Bonac. *de sacram. disp. 8. quæst. un. p. 4. num.* 13. Pax Jordan. *Elucubrat. l. 3. tit. 6. num.* 38. Palaus *tom. 4. tract. 27. disp. un. puncto 15. n.* 2. Diana *p. 8. tract. 2. res.* 11. Fermosinus *in cap. quod translationem, sub hoc tit. q. 2. n.* 11. & apud istos plures.

10 Hinc est, quod natus in mari, non est originarius ex illa Diœcesi, ad quam spectat illud mare, neque ab illius Diœcesis Episcopo potest ordinari. Navar. *cons.* 31. *hoc tit.* Thomas Valascus *tom. 1. alleg. 5. n.* 19. Barbos. *d. alleg. 4. num.* 19. Fermosinus *d. q. 2. n.* 14.

11 Idem verò dicitur de baptizato casualiter in aliqua Diœcesi. Quamvis enim origo accipiatur etiam à loco baptismi, per quem fideles renascuntur Christo, & hæc origo per librum baptismi probari possit, ad tradita per Gonzal. *ad reg. 8. Cancell.* Gloss. 9. §. 1. *num.* 105. Gratian. *discep.* 75. *à num.* 16. Narbon. loco citato *num.* 148. Lucas de Penna, Rebuff. Piasec. apud Barbos. & Pax Jordan. Palaus ubi suprà *num.* 2. tamen hoc debet intelligi ubi quis sit baptizatus in loco domicilii parentum, & non per accidens ex fortuito casu, ut benè advertunt Pax Jordan. *num.* 40. Fermosinus *num.* 13. Diana *d. resolut.* 11. Piasec. *in praxi p. 1. cap. 1. art. 2. num.* 1. Quod ut advertit idem Pax Jordan. fortius procedit, quando in fraudem ad istum effectum acquirendæ filiationis, & originis, quis ad aliam Diœcesim exportaretur, ut ibi baptizandus non esset, baptismum susciperet.

12 An verò si quis in uno loco sit natus, & in alio baptizatus, quia parentes ejus ante baptismum illius alibi transtulerunt domicilium, possit iste in utraque Diœcesi nativitatis, & baptismi Ordines suscipere; affirmat Leander *d. disp. 8. quæst.* 7. Quod tamen admittendum non esse ex hoc probatur, quod accidentalium sit, & casuale, quod filius viri catholici non baptizetur ubi nascitur, & ubi attendi debet nati-

nativitas carnalis non possit in numerum nativitas mystica ex baptismo, quia de naturali nativitate jura loquuntur, & præsumunt id quod ferè semper evenit, scilicet filios Catholicorum ibi baptizari ubi nascuntur, & qui nascitur ex baptizatis ratione parentum subditur Ecclesiæ in sui naturali nativitate.

13 Si tamen aliquis de novo converteretur ad fidem, quod esset originarius ejus loci, in quo baptizaretur, ex Rebuff. *tract. de pacif. possess. numer.* 217. Azeved. *in l.* 19. *num.* 11. *tit.* 3. *l.* 1. *recopilat.* tradit Gonzal. *d. Gloss.* 9. §. 1. *num.* 108. Pax Jordan. *num.* 41. Et sic Judæus baptizatus in Regno Franciæ efficitur regnicola ibi. Et hoc rationabiliter dicitur, quia hujusmodi ratione nativitatis naturalis non est Ecclesiæ subjectus, cùm sit natus ex infidelibus, unde nec ratione sui, nec ratione parentum fuit subjectus Ecclesiæ, ex vi nativitatis, sed tunc primò nascitur Ecclesiæ, cùm baptizatur, & propterea nativitas baptismi attenditur.

14 Domicilium verò originis est immutabile ex textu *in l. assumpti, ff. ad municipal.* Navar. *cons.* 2. *de regul. n.* 34. Sanchez *l.* 3. *de matrim. disp.* 23. *n.* 4. Palaus *d. n.* 2. Layman *l.* 5. *ordin.* 9. *cap.* 9. *n.* 10. Et cùm ad præterita non detur potentia, & non possit non fuisse natus alicubi, qui ibi natus fuit, non potest quoque fieri, quod aliquis non sit oriundus, ab eo loco, in quo natus fuit. Et in hoc sensu verum est, quod habet Barbosa *d. alleg.* 4. *n.* 20. ex Mascard. *de probat.* 534. quod scilicet originis domicilium numquam censetur mutatum, & ex Bernard. Græve *in pract. cum Imperial. l.* 2. *cap.* 36. *num.* 2. & Grat. *discept.* 75. *n.* 10. & quod illi non potest renuntiari.

15 Dubitatur secundò, an sufficiat origo paterna, aut etiam aliorum ascendentium, ad hoc, ut quis subjiciatur Episcopo, & ita, quod filius nedum in Diœcesi, in qua ipse natus fuit, sed & illa, in qua natus fuit pater ejus, possit ordinari? Hujus textus interpretes respondent cum distinctione & dicunt ante factum abstinendum esse, sed si talis ordinatus fuerit factum defendendum, & non esse subditum pœnæ; quod est dicere tutius esse, & melius, ut Episcopus originis Patris non promoveat filium, tamen absolutè hoc posse fieri impunè. Ita Jo. Andr. hìc *n.* 3. Ancharan. *n.* 1. Butr. *n.* 6. Domin. *n.* 11. Franc. *n.* 3. Sed alii simpliciter admittunt filium esse de Diœcesi Episcopi, si in ea natus fuit pater ejus, licèt ipse extra illam Diœcesim fuerit natus. Referuntur pro hac sententia Aversa, Ugolinus, Gutierez, Campanil. Vulpius, & Molfesius, Velasc. Ricc. Prosper de Augustino, Joan. Francisc. Suarez, Alzed. Mascardus eosque sequuntur Barbosa *de off. Episc. alleg.* 4. *num.* 4. & 11. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 148. & *part.* 8. *tract.* 2. *resolut.* 14. Pax Jordan. *Elucubr. l.* 3. *tit.* 6. Fermosinus *d. cap. quod translationem, de temp. ordinat. quæst.* 26. Palaus *tract.* 27. *punct.* 15. *numer.* 2. Leander *de sacram. ord. disput.* 8. *quæst.* 9. Idem voluit Navar. *cons.* 19. *hoc tit.* Et horum ratio est, quia jus civile indicat locum originis filii eum esse, in quo natus est pater, *l. assumptio*, §. 1. *ff. ad munic.* & *l. si ut proponis, Cod. de incolis.* Et oriundus dicitur à nativitate propria, vel paterna, Jason. *in l. hujusmodi*, §. *legatum num.* 18. *ff. de legat.* 1. Mandos. *ad regul. Cancell. reg.* 4. *quæst.* 40. Et filius tamquam originarius in loco ubi natus est pater ejus succedit in honoribus, & muneribus tam personalibus, quàm realibus, & tam corporalibus, quàm spiritualibus, quia originem patris sequitur Boer. *decis.* 13. *n.* 13. & 15.

16 Sed alii oppositum sentiunt, & distinguentes inter hoc, quod est esse civem, & esse oriundum dicunt nullum oriundum dici, nisi ab origine propria, & ideò filium non esse oriundum Diœcesis, in qua natus est pater ejus, nec posse ab illius Diœcesi Episcopo ordinari, nisi ipse sit natus in ea. Ita à Cuna in decret. Grat. *part.* 1. *disput.* 71. *numer.* 4. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 22. *num.* 1. Velasc. *tom.* 3. *allegat.* 5. *numer.* 14. Azeved. *in praxi part.* 2. *cap.* 5. *num.* 43. Emanuel Rodriquez *tom.* 4. *cap.* 61. *aliàs* 62. *n.* 12. Quaranta *v. Ordo vers. quoad tertium*, Tuscus *lit. O, concl.* 592. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 22. *n.* 1. *lit. B*, Graff. 1. *part. tit. de Cler. cap.* 23. *n.* 4.

17 In duplici casu quæstio hæc evidentem habet solutionem. Primus est, si nativitas filii in loco ubi natus fuit, fortuito accidit. Ut enim probatum est, in hoc casu filius non est oriundus loci, in quo natus est, sed loco, in quo nascendus fuisset, scilicet ubi pater tunc habebat domicilium. Quod si locus ille simul est locus originis patris, tunc locus originis patris, est locus originis filii.

18 Secundus casus est, si pater adhuc retinet domicilium in loco originis, & ratione domicilii pater est de Diœcesi illius Episcopi. In quo casu filius manens adhuc sub cura patris si non ratione originis, saltem ratione domicilii; ut dicetur infrà art. 3. filius ab Episcopo originis, & domicilii poterit ordinari, etiam si ipse alibi natus sit.

Verum absolutè & per se formaliter dicendum est, quod filius dicitur originarius à loco in quo natus est, non verò à loco in quo natus est pater, præcipuè quantum ad hoc, quod est subjici Episcopo Diœcesis. Origo enim & nativitas res naturalis est, nec potest haberi in pluribus locis unde nec plurium locorum potest quis esse originarius. Nec dicas inconveniens non esse, quod quis sit originarius duorum locorum, sicut potest in diversis Diœcesibus habere plura domicilia, & beneficia. Quia non est eadem ratio; domicilio enim, & beneficia multa haberi possunt; quia multiplicari possunt, sed origo de se indivisibilis est, quia nativitas una est omninò, nec multiplicari potest, quia homo semel tantum nascitur, & cùm in pluribus locis homo simul esse non possit, non potest homo nasci in pluribus locis, & sic nec possunt esse originis ejus plura loca. Et eo magis, quod filio nato v. g. Bononiæ, per accidens prorsus se habet quod pater natus fuerit Mutinæ, vel in quocumq; alio mundi loco. Adde quod etiam si daretur, quod filius posset dici naturalis illius loci, in quo natus est pater, proprio tamen non potest dici quod sit ibi natus, aut quod ibi originem habuerit, Burgos de Paz. *in l.* 1. *Tauri part.* 1. *cap.* 3. *n.* 372. Avendag. *de exequend. mandat. l.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Azeved. *in l.* 19. *tit.* 3. *l.* 1. *recopil.* 19

Nec jura allata in contrarium, seu quæ de nativitate civili dicuntur probant, quia loquuntur in ordine ad honores civiles, & supponendo domicilium filiorum in loco originis patris, quo supposito in ordine ad tales honores, sufficit naturalitas illa impropria quæ ex origine patris desumitur; numquam verò asseritur, quod filii alibi nati, si etiam à loco originis patris transtulerint simpliciter domicilium, quod pro tunc ratione originis patris ad honores Reipublicæ admittantur. Et sic civilis nativitas sumpta ex origine patris debet habere adjunctum domicilium filii in eodem loco. Imò forsan, si filius non accidentaliter natus sit alibi, sed quia ibi pater transtulit domicilium, filius sic natus, etiam si ad locum originis patris transferat domicilium, non censebitur naturalis loci originis filii etiam quantum ad honores concessos naturalibus. Et in hoc patriarum consuetudines debent attendi. Sed in puncto nostri casus requiritur propria nativitas & origo, & est sermo, de filio non habente domicilium in loco originis patris, sed in loco originis propriæ, vel in alio: quia si habet domicilium, in loco originis patris jam ratione domicilii est subjectus Episcopo loci, & ab eo potest ordinari. 20

Loquendo autem de origine Avi, eam non debere attendi, & ratione ejus, Nepotem non esse de illa Diœcesi in qua natus est avus, dixerunt etiam DD. primæ opinionis, nimirum Archid. *n.* 1. Domin. *n.* 10. Franc. *n.* 3. Barbos. *n.* 4. & *de off. Episc. alleg.* 4. *n.* 13. Pax Jordan. *d. tit.* 6. *n.* 46. Fermosinus *d. q.* 2. *n.* 7. Palaus *d. n.* 2. Quamvis sine fundamento sufficienti contra communem oppositum tamquam probabile asseruerit Leander *d. disp.* 8. *q.* 10. 21

Unde colligitur corrollaria deducta à Barbosa *d. allegat.* 4. *num.* 8. & *seq.* cui consensit Leander *d. disput.* 8. *quæst.* 11. minimè subsistere: nimirum non esse subreptitias literas Sedis Apostolicæ in quibus de impetrante dicitur quod sit oriundus ex civitate v. g. Neapolitana, cùm ipse sit natus Capuæ, & ex ea originem trahat sive si in similibus literis dicatur impetrantem esse de tali loco, vel ex tali loco, si verba verificantur de origine paterna. Nam licet quantum ad verba illa de civitate, ut verificentur, sufficiat, quod quis in ea civitate habeat vel domicilium, vel beneficium, vel originem, juxta Garziam *part.* 7. *cap.* 9. *numer.* 19. si tamen impetrans ibi nec domicilium, nec beneficium habeat utendo præfatis modis loquendi mentitur vel verum occultat, & non manifestat prout est de jure, & de stylo, quia ut habet Garz. loco citato *num.* 21. & *seq.* modi illi dicendi significant originem propriam, & dictio *oriundus* ex stylo accipitur pro orto, juxta *d. l. assumptio*, juncta Gloss. *in v. oriundus, ff. ad municip.* 22

In libertinis autem attendi originem propriam, & dominorum *ex d. leg. assumptio in fin.* & *cum l. sequent.* & *l. filii, ff. ad municip.* dixerunt multi, libertini autem dicuntur, qui numquam servierunt, sed ex servis manumissis nati sunt, 23

liberti verò, qui ex servis facti sunt liberi. In illegitimis verò dicunt, quod consideratur origo propria & materna, non paterna, *ex l.1.in fin.& l.ejus qui, ff. ad munic.* Idemque asseritur de vulgo quæsitis, *l.cum legitimi, ff.de stat.hom.* In expositis verò, quorum parentes ignorantor, dicunt attendi originem loci in quo nati sunt, & in quo sunt expositi, & ab utroque Antistite eos posse promoveri, ita Barbosa *d.alleg.4.num.13.& seqq.* Pax Jord. *d. tit.6. numer.43.& seqq.*

23 Verùm dicitur non parentum, sed propriam origioem filiorum attendi debere, eosque originarios censendos esse ejus loci in quo nati sunt per se moraliter, & non fortuitè. Ad boc verò attendi domicilium, vel domini, vel patris, vel matris. In libertinis domicilium domini inspiciendum est, ut dicuntur originarii ex patria domini, licèt casu extra nascantur.

24 Illegitimi verò regulariter dici debeant originarii patriæ, seu loci, ubi mater habet domiciliom; Io his enim non attenditur patria patris, quia certior est origo ex matre, & quia si pater sit alterius patriæ à Matre, nativitas filii respectu illius erit casualis, & per accidens, & ideò in his domicilium matris consideratur. Et in boc sensu loquuntor jura citata, & verum est, quod attenditur origo matris prout docuerunt Velasc. *d. alleg.5.num.22.* Vulpius, Plasec.& alii, quos sequitur Fermosinus *d.q.2.num.18.& 19.* Gonzal.*d.glos.9.§.1.à n.14.* Leander *d.disp.8.quæst.10.* Palaus *d.pun.15.n.2.*

25 Vagorum autem filii, qui nullius patriæ sunt, sicut nec patres eorum. De expositis verò, quod sint duplicis patriæ impossibile est, ideò si scitur mater eorum, sunt patriæ Matris, vel Patris si sint legitimi, secus censebuntur illius, in quo sunt expositi, vel potius nullius loci particularis benè tamen Diœcesis illius in qua sunt expositi, quia ut plurimum ita cootingit, quod expositi io hospitali sito in Diœcesi sint in illa oriundi. Dixit verò Palaus *dict. numer.2.* quod deficiente paterna origine accipitur materna: sed propriè nec paterna, nec materna accipitur, sed propria, desumpta ex domicilio paterno, & materno, Ubi autem filii sint legitimi idem est maternum, & paternum domicilium.

SVMMARIVM.

26 *Domicilium quid sit.*
27 *Domicilium triplex.*
Dubius de domicilio præsumitur illud habere in loco originis.
28 *Domicilium acquiritur tripliciter.*
Quindecim modis acquiritur ex juris dispositione.
29 *Vbi quis declarat se alicubi eligere domicilium ex hoc illud acquisivit.*
Domicilium acquiritur habitatione & animo.
30 *An Clericus ordinatus ad titulum patrimonii, vel beneficii requirentis residentiam possit alibi ordinari ratione beneficii. Multi negant.*
31 *Ad mutandum domicilium per se non est necessaria licentia Episcopi.*
Domicilium licèt illicitè, validè acquiri potest.
32 *Acquirens de novo beneficium non potest ordinari sine testimonialibus.*
Clericus ordinatus ad titulum beneficii, si exeat sine licentia, potest puniri.
Idem de beneficiate obligato ad residentiam.
33 *Qui declarat animum suum esse, non acquirendi non acquirit illud habitatione.*
34 *In dubio domicilii Episcopus non debet ordinare exterum, nisi declarare animum &c.*
35 *Conjectura domicilii ad quid serviant.*
36 *Potest quis habere plura beneficia.*
37 *Quando unum domicilium est principalius, & quodnam hoc sit.*
38 *Non perditur domicilium ex discessu.*
39 *Domicilium acquirit, qui assumit officium perpetuum.*
40 *Senatores sunt domiciliares.*
41 *Et Barones.*
42 *Et Religiosi.*
43 *Etiam novitii.*
44 *Non scholares etiam post decennium.*
45 *Nec Castellani.*
46 *Etiam si in loco ineant matrimonium.*
47 *Etiam si quis parum duret in loco, est domiciliarius, si ibi fuit animo semper manendi.*
48 *Ejecti non possunt ordinari.*
49 *In libertinis attenditur domicilium domini.*
50 *In expositis domicilium, in quo exponuntur.*
51 *Illegitimi regulariter domicilium matris.*
52 *Filii sequuntur domicilium parentum.*

ARTICULUS II.

Vtrum habitans in Diœcesi ex hoc sit subjectus Episcopo, & possit liberè ab eo ordinari.

26 ALter modus, qoo contrahitur subjectio ad Episcopum, est ratione domicilii habiti ioter Diœcesim. Est autem domicilium locus io quo quis intendit habitare perpetuò, liberè tamen, & nisi commodior sese offerat, Palaus *tom.4. tract.27. disp.un. pun.15. n.3.* Cùm verò materia hæc sit valdè apud DD. controversa, & tandem arbitrarium sit judicare an & quando censeri debeat aliquem acquisivisse domicilium in aliquo loco, si ipse id propria voce non declarat claritatis gratia tres casus distinguuotur cum Menoch. *de arbitr.part.2.casu* 86.

27 Præmittitur tamen domicilium triplex dari, scilicet naturali, accidentali, & commune, Farin. *in frag. crimin. v. domicilium num.194.* ex Mar. Soccin. *in cap.fin. numer.7. 8.& 10. de for. compet.* Naturale est domicilium originis propriæ, vel paternæ in eo scilicet, qui fortuito natus sit extra locum paterni domicilii. Accidentale est quod quis acquirit propria voluotate. Commune est communis patria, & est Roma, *l.Roma, ff.ad municip.* Ad rem nostram tamen solum domicilium oaturale, aut accidentale dant jus Diœcesis, & Episcopo jurisdictionem in domiciliarem. Ubi verò non appareat ubi quis habeat domicilium, præsumitur illud habere in loco originis, ad text. *in l. assumptio, juncta Gloss. in v.mutare, & cap.v.domicilium in fin.* Soccin. *in rubr. solut.matrim.n.23.* Farin. *ubi sup.n.195.*

28 Domicilium autem acquiritur natura, voluntate, & juris dispositione. Natura acquiritur ex origine, *l.penult.ff. de sen.* & ibi Gloss. *in v.oriundus.* Voluotate ex facto hominis volentis bìc vel ibi habitare. Juris dispositione acquiritur quindecim modis quos ex Soccin. *in d. cap. fin. num.27.* enumerat Farin. *num.139.* nimirum primò per legem. Secundò per privilegium principis. Tertiò per adoptionem dignitatis. Quartò per adeptionem Prælaturæ. Quintò per monachationem. Sextò per Clericatus assumptionem, de quo infrà. Septimò per assumptionem militiæ. Octavò per assumptionem Senatoriæ, seu Potestariæ. Nonò per lecturam. Decimò per matrimonium. Duodecimò per adoptionem. Decimotertiò per successionem. Decimoquartò per relegationem. Decimoquintò ratione communis patriæ. Sed nec illi modi ad rem nostram faciunt, nisi in quantum reducuotur ad domicilium naturaliter, aut voluntate acquisitum. His verò suppositis.

29 Primus casus est illius, qui ad aliquem locum se contulit, & ibi domum ad habitandum, vel emit, vel conduxit, declarando se velle ibi domicilium habere. Et hic casus habetur pro claro, & moraliter certò. Cùm enim domicilium acquiratur animo, & libertate acquirentis, statim ac in instanti io quo quis se confert ad aliquem locum animo ibi perpetuò manendi, acquirit ibi domicilium. Etiam si majorem partem suarum substantiarum non deferat, vel ibi non babeat. Ad domicilium enim acquirendum sufficit actualis habitatio, & aoimus ibi manendi, Franc. *hìc num.4.* Soccin. *in cap.ult. num.2. de for. compet.* Panormit. *cap.ult.de Paroch.in fin.* R.P.D.Fagnan. *in cap.præsentata num.8.de testibus*, Sanchez *l.3. de matrim. cap.23.num.2.* Menoch. *d.casu 86.num.2.* Mascard. *de probat.conclus.534.n.3.* Tuscus *lit. D, conclus.596. num.27.* Farin. *fragment.crim.part. 1.v.domicilium num.211.* Barbosa *d.alleg.4. num.25.* Layman *l.5.tract.9. cap.9. numer.11.* Palaus *tom.4. tract.27. disput.un. pun.15.num.3.* Leander *tom.2. disput.8.quæst.12.* Unde in hoc casu hic statim poterit ordinari ah Episcopo illius Diœcesis, vel ab eo dimissorias literas obtinere, Barbosa *d. allegat.4. n.41.* Pax Jordan. *d.tit.6.n.54.* Navar. *cons.2.de temp.ordinat.* Ugol. *de off. Episc.cap.26.§.2. in fin.* Campanil. *d.rub.9. cap.8 num.25.*

30 Cùm verò aliqui hunc casum limitent, ut non procedat, quan-

quando Clericus in Diœceſi Originis, vel alia fuit ordinatus ad titulum beneficii requirentis reſidentiam, vel ad titulum patrimonii adſcribendo enim alicui Eccleſiæ prout fieri debet. Tunc enim requiri dimiſſorias primi Ordinarii, vel illum conſulendum eſſe voluerunt Quarant. *in v. Ordo ver. circa tertium*, Piaſec. *in prax. part. 1. cap. 1. num. 10.* & Barboſa *d. alleg. 4. num. 41.* exiſtimavit, quod Epiſcopus ratione domicilii poſſit initiare aliquem ſolum prima tonſura, vel minoribus Ordinibus, non verò aliis ordinibus, ubi Epiſcopus originis eumdem ordinavit, vel ad titulum beneficii requirentis reſidentiam, aut ad titulum patrimonii pro utilitate, & neceſſitate ſuæ Eccleſiæ, quia tunc talis clericus ad priorem Eccleſiam debet remitti, ut illi inſerviat, ad quam fuit adſcriptus.

31 Nihilominus hoc primò ſtatuendum eſt, nullius licentiam per ſe eſſe neceſſariam ad mutandum domicilium, unde eſt, quod Clericus non indiget ſui Epiſcopi licentia ad hoc, & ad aliam Diœceſim ſe transferat, Barboſa *dict. num. 41.* Pax Jordan. *d. tit. 6. num. 55.* Campan. *d. rub. 9. cap. 8. num. 25.* Et ſic Clericus pro ſua libertate verè & validè acquirit domicilium in alia Diœceſi ad quam ſe transfert. Unde etiam eſt advertendum, quod aliud eſt acquirere domicilium validè, & aliud acquirere illud illicitè, qui enim tenetur alicubi habitare, ex lege alicujus virtuti, illicitè relinquit locum, & ad alium ſe transfert, ſed tamen id facit validè, manente jure agendi contra illum ei, qui ex hujuſmodi translatione læditur. Propterea hic dicitur, quod nulla eſt limitatio in præſenti per ſe & formaliter admittenda, & quod Epiſcopus ratione domicilii, poteſt Clericum quemcumque ordinare, & non prohibetur id facere ex lege prohibente ordinare alienum ſubditum, quia Clericus quicumque ratione domicilii acquiſiti in Diœceſi fit ſubditus ejus Epiſcopi.

32 Verum eſt, quod ubi domicilium de novo eſt acquiſitum, quia tunc ordinandus eſt ignotus Epiſcopo, neque intra Diœceſim poteſt accipi teſtimonium de ejus anteacta vita & moribus, & conditionibus, ad hoc, ut Epiſcopus licitè talem promoveat, requirenda erit atteſtatio eamque ordinandus deferre debebit de vita, moribus, natalibus, & ſufficientia, *cap. fraternitati*, & ibi Panormitanus *n. 2. & 3. de Cler. non reſiden.* ſi verò à teneris annis, vel à longo tempore fuerit translatum domicilium, tunc ſufficiet diligentia ſtatuta in Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 5.* quantum verò ad Clericos Eccleſiæ adſcriptos, non aufertur priori ordinatori poteſtas interdicendi ſacrorum exercitium Clericis eo inſcio recedentibus in terminis Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 16.* & quantum ad habentes beneficium requirens reſidentiam, benè poterit Epiſcopus juxta juris formam contra non recedentes procedere, ita Pax Jordan. *d. tit. 6. n. 55.*

33 Secundus caſus eſt ejus, qui licet ſe ad alium locum tranſtulerit, declaravit, tamen ſe nolle ibi perpetuò habitare, ſed ſolum ad certum tempus, vel ob certam cauſam tranſitoriam, & ſic pariter declaravit ſe nolle ibi domicilium contrahere. Et hic caſus pariter eſt indubitatus, & certum eſt, talem non acquirere ibi domicilium, etiam ſi ibi majorem partem bonorum ſuorum habeat, & etiam ſi familiam totam tranſtulerit, & ſupellectilia domus, & etiam ſi ibi per mille annos habitet. Quia non acquiritur domicilium niſi ex animo perpetuò habitandi. In his verò, quæ ex animo pendent, ſtandum eſt declarationi expreſsè operantis, potius quàm facto contrario, Bartol. *in l. non ſolum, §. morte n. 17. de nov. oper. nuntiat.* Menoch. *d. caſu 86. à n. 5.* Farin. *ubi ſup. n. 213.* & apud iſtos plures alii.

34 Tertius caſus quando non adeſt declaratio expreſſa per verba, vel de ea non conſtat, & hic caſus non eſt omninò certus, quia declaratio domicilii quæ non per verba fit, ſed perfecta eſt obſcura, Palaus *tr. 27. p. 15. nu. 3.* & tamen poteſt conjecturari per facta. De iis tamen conjecturis videndi ſunt Menoch. Farinac. locis citatis, & alii quos ipſi citant. Nam quantum ad rem præſentem hoc conſiderandum eſt, quod Epiſcopus, ad cujus Diœceſim ex alia patria aliquis acceſſit, in dubio domicilii non poteſt illi conferre ordines, quia poſſeſſio ſtat pro Epiſcopo alienæ Diœceſis; Nec rationi congenit, quod pluribus citatis habet Barboſa *n. 28.* quod ſcilicet, ſi dubitatur de animo ad conjecturas recurrendum ſit. Pariter, quod dicit Fermoſinus *quæſt. 3. num. 19.* quod poſſit ordinari, qui decem annos manſit in loco, quia præſumitur domiciliarius ejuſdem loci non ſubſiſtit. Neque enim conjecturis ſolis duci debet Epiſcopus, ut exterum ad ſuam Diœceſim translatum judicet eſſe domiciliarem, cùm de hoc ſibi conſtare poſſit ex ejuſdem translati declaratione, quam Epiſcopus inquirere tenetur, & etiam facere, quatenus opus eſſet, ut juramento firmetur, & adhuc ſervare debet alia à ſacris canonibus pro hujuſmodi tranſeuntibus de una ad aliam Diœceſim ordinandis diſpoſita. Conjecturæ verò, vel habitationis per decennium, non apparente alia cauſa ſpeciali hujus diuturnæ habitationis, vel translatio omnium bonorum ſuorum ad Diœceſim, vel familiæ totius & ſupellectilium transportatio, non facta ob timorem inimicorum, aut Principis ſibi parum benevuli, aut ex alia ſimili tranſitoria cauſa; vel aliæ ſimiles conjecturæ inſervire debebunt Epiſcopo, ut declarationem ordinandi dicentis ſe in Diœceſi elegiſſe domicilium corroborent, non verò ut in dubio ſine declaratione hujuſmodi eum, qui ad ſuam Diœceſim ex alia advenit prætextu acquiſiti domicilii ordinet.

35 Poteſt verò unus plura domicilia habere, *l. aſſumptio, §. juris prudentibus, ff. ad municip.* Gloſſ. *hic in ver. domicilium.* Bartolus, Baldus, Albericus, Rebuff. *num. 3.* Oroſius *num. 2. in l. ſenatores, ff. de ſenator.* Gloſſ. Lucas de Penna, & Piaſec. *in l. penul. Cod. de incolis.* Si ergo contingat aliquem habere duo domicilia, in diſtinctis Diœceſibus, ſi in eis

36 Æquis matheomaticis temporalibus, ſaltem propè æqualitatem habitat, poteſt ab Epiſcopis illarum Diœceſum ad ordines promoveri, quia ratione domicilii illis Epiſcopis eſt ſubjectus, *l. habeo, l. aſſumptio, l. ejus, §. celſus, ff. de munic.* Soccin. *cap. fin. num. 21. de for. compet.* Gloſſ. hic *in v. domicilium*, Domin. *num. 11.* Sanchez *de matrim. diſput. 24. num. 2.* Præpoſitus, Averſa, Torreblanca, quos ſequitur Fermoſinus *d. quæſt. 2. num. 1.* Narbona ubi ſuprà *num. 58.* Lotter. *l. 1. quæſt. 20. à num. 48.* Rota *deciſ. 188. num. 4. parc. 2. recent.* Barboſa *d. alleg. 4. num. 38.* Fermoſinus *d. cap. quod translationem q. 3. num. 4.* Palaus *tract. 27. p. 15. num. 3.* Leander *tom. 2. diſp. 8. qu. 12.* Ex hoc verum eſt, ut etiam de tempore, in quo domiciliarius habitat in una Diœceſi poſſit ordinari ab Epiſcopo alterius Diœceſis, ut in ſimili probavit Sanchez *l. 3. de matrim. diſp. 24. n. 4.*

37 Quando verò hujuſmodi domicilia non ſunt æquè principaliter acquiſita, inſpiciendum eſſe principalius voluit Gloſſ. citata, Barboſa *n. 39.* Menoch. *conſ. 398. num. 23.* Sed quodnam ſit principalius non eodem modo explicatur. Illud prævalere debere, in quo quis habitat frequentius dixit Soccin. Jun. *conſ. 7. num. 9. lib. 2.* & Alciatus *conſ. 55. n. 6.* apud Farinac. ubi ſuprà *n. 222.* ſed illud principalius dici ubi quis habet majorem partem bonorum apud eumdem Farin. ibid. voluerunt Bald. *de præſcript. in 1. parte 4. partis principalis quæſt. 2. n. 4. fol. 186.* Afflict. *deciſ. 184. n. 5.* Rodriq. *deciſ. 11. n. 13. & deciſ. 13. n. 1.* & Gloſſ. hic *in v. domicilium.* Sed in puncto noſtro illud cenſeri debet principalius, in quo pro majori parte temporis qui habitat. Domicilium enim ab habitatione dicitur, & manendi perpetuitate, aut duratione, non à bonorum poſſeſſione. Niſi dicamus, quod in hoc caſu ab eo Epiſcopo ſubditus ordinandus ſit, in cujus Diœceſi habitat tempore ordinationis.

38 Nec domicilio hujuſmodi quis privatur, ex eo, quod ex cauſa juſta (inquit Barboſa.) Sed verè ex quacumque ſive juſta cauſa, ſive injuſta alio migraverit animi redeundi: non enim amittitur domicilium ex receſſu animo redeundi.

39 Domicilium quoque acquirunt qui officium perpetuum in aliquo loco extra patriam illorum exercendum aſſumunt, quia ex quo quis officium perpetuum acceptat, animum habet ibi perpetuò manendi, juxta officii exigentiam, & ideò ibi contrahit domicilium, *l. ſenatores, ff. de ſenator.* Velaſcus *tom. 1. alleg. 5. à n. 37.* & DD. infrà citandi.

40 Ex hoc enim colligitur primò Senatores, & alii officiales perpetuò exiſtentes in Curiis Principum habere in eis domicilium, ideòque licèt ſint alterius loci ordinarii ipſos, vel eorum filios retentos in poteſtate eorum ratione domicilii poſſe ordinari ab Epiſcopo illius civitatis, vel loci, in qua permanenter manet curia, ut reſolvunt Navarr. *conſ. 13. de temp. ordin.* Dian. *part. 8. tract. 2 reſol. 13.* A Cuna in decretum Prat. *part. 1. diſt. 81. num. 13.* Machadus, Trullenc. & Campanil. quos ſequitur Fermoſinus *d. qu. 3. num. 7.* Barboſa *d. alleg. 4. num. 3.* Pax Jordan. *d. tit. 6. num. 68.* Palaus *d. part. 15. num. 4.*

41 Idem dicitur de Barone, seu Feudatario, & ejus filiis in ejus potestate manentibus. Hic enim, vel respectivè ejus filii licèt habitent alibi, nihilominus habere censentur domicilium io feodo, cujus sunt domini, Campanil. *d. rubr. 9. cap. 8. n. 20.* Diana *part. 8. tr. 2. resol. 16.* Barbosa *d. alleg. 4. n. 32. & 33.* Fermosinus *d. q. 3. n. 14.* Pax Jord. *d. tit. 6. num. 66.* & apud istos Trullench. Vulp. & Averf.

42 Idem dicitur de relegatis in perpetuom in aliquo loco, qui propterea ad illum locum se conferunt animo ibi relegationem perpetuam observandi *l. filis, §. relegatus, ff. ad munic.* Unde ejus filii sub ejus potestate manentes, ab Episcopo loci possunt ordinari, tamquam habentes domicilium in loco, in quo illud pater habet, Bonacina *d. alleg. 4. n. 35.* Pax Jordan. *d. tit. 6. num. 67.* Fermosinus *d. quest. 3. numer. 30.* Quod tamen de relegato ad tempus oon verificatur, sed solum de relegato in perpetuum qui simul habet domicilium in loco, ex quo arcetur juxta *l. ejus, qui manumissum, §. fin. ff. de munic.*

43 Idem dicitur de Religiosis nedum professis, sed Novitiis; cùm enim suscipiant habitum animo profitendi, & sic animo perpetuò manendi in Religiooe, contrahunt ibi domicilium obi habeat novitiatum, ut probavi *tom. 3. de statibus q. 189.* Et ideò ratione hujus domicilii ordinari possunt ab Episcopo loci, ut etiam probavi ibid.

44 Longè verò est diversa ratio de scholaribus, qui in loco studii generalis sunt causa studii, & non animo domicilium contrahendi, & ideò non possunt ab Episcopo illius loci ordinari, Gloss. *cap. super in v. figmento*, ubi Innoc. *n. 4.* Archid. *num. 1.* Jo. Andr. *num. 1.* Butr. *num. 7.* Domin. *numer. 4.* Franc. *num. 4.* Gratian. *discept. 138. numer. 4. & 5.* Farin. *fragm. crim. part. 1 lit. D, num. 215. & 222.* Diana *d. tract. 2. resol. 17.* Barbosa *d. alleg. 4. num. 29.* Fermos. *d. quest. 3. num. 13.* & Grat. *d. discept.* dicat, quod si scholaris amplius, quàm per decennium habitet in loco universitatis, tunc præsumatur habere animum domicilium contrahendi, & sic eum posse promoveri ad ordines ab Episcopo illius territorii; tamen oppositum est dicendum; nedum si ex aliis circumstantiis colligatur eum alia ex causa manere ibi, vel ut liberius vivat, vel ut novas artes adiscat, vel quia infirmitate detineatur: sed quia præsumptio domicilii ante factum, non vincit quasi possessionem, & certum jus, quod Episcopus prioris loci, habet ex eo, quod est certum scholarem ibi habuisse domicilium, & non constat, quod illud transtulerit. Unde ut dicebatur non sufficiunt hujusmodi conjecturales præsumptiones, ubi constare potest, & debet de veritate ex declaratiooe ejus, qui petit ordinari.

45 Pariter nec Castellani, aut alii officiales, qui ad tempus assumontur, & extra proprium domicilium mittuntur, vel quicumque alii extra propriam patriam ad alium locum se traosferunt ex causa mutabili, ad certa negotia, vel mercaturæ, vel litis, vel visitaodi pareotes, vel infirmitates curandæ, vel bellum gerendi, vel inserviendi alicui, vel aliud simile peragendi. Io his enim cùm non sit animus domicilium transferendi, non fiunt cives, & domiciliares illorum bonorum: & ideò nec ipsi, nec eorum filii possunt suscipere Ordines ab Episcopo illius loci, Grat. *discept. 181. n. 4. & 5.* Farinac. *frag. crim. part. 1. v. lit. D, num. 215. & 222.* Barbosa *d. alleg. 4. numer. 19.* & apud eum Piasec. Narbona, & Ignat. de Villao, Fermosinus *d. quest. 3. numer. 23. & 24.*

46 Quod est verum etiam si hujusmodi scholares, Castellani, Milites, Mercatores, famuli in loco, ad quem accesserunt contrahant matrimonium, & ibi habitantes suscipiant filios. Ut enim dicebatur habitatio etiam longissima, est per annos mille, & sæcula sæculorum noo sufficiunt ad contrahendum domicilium, si sit de facto, & accidentalis, & oon ex animo ibi perpetuò manendi, & domicilium acquirendi. Ita DD. citati.

47 Cootra verò etiam si aliquis non multum perseveret in loco, sed de facto post breve, ac brevissimum tempus ab eo recedat, numquam amplius reversurus, si tamen accessit ad locum animo ibi permanendi, & domicilium acquirendi, dum manet est ibi domiciliarius, & potest ab Episcopo loci promoveri, Navarrus *cons. 2. de tempor. ordinat.* Bonacina *de sacram. 1. disp. 8. quest. un. part. 4. num. 4. & 9.* Ricc. Ugol. Campanil. Majol. Graff. & alii plures, quos sequitur Barbosa *d. alleg. 4. num. 26.* de Fagundez *in precep. Eccles. lib. 1. cap. 8. n. 12.*

48 De ejectis verò à Religione quæstio hæc modò est superflua, cùm ex decreto fel. record. Urbani VIII. de Apostol. & eject. Ejecti ooo possiot ad aliquem ordinem promoveri. Videri possunt, quæ dicta sunt à me *tom. 3. de stat. q. 189.*

Libertini sequantur patroni domicilium, ut suprà dictum 49
fuit, & quateous ordinari possint, ab Episcopo domicilii ipsius Domini ordinari possunt, Barbos. *d. alleg. 4. n. 36.* Campanil. *d. cap. 8. n. 24.* Pax Jordao. *d. tit. 6. n. 69.*

Expositi etiam dicuntur habere domicilium, obi expo- 50
nuntur, si parentes eorum ignorantur, ut dicunt Grat. *discep. 75. n. 11.* Barbosa *alleg. 4. n. 37.* & apud eum Bartol. Mandos. & Hippol. Pax Jordan. *d. tit. 6. n. 70.* Sed si parentes eorum ooti sunt domicilium parentum sequaotur.

Illegitimi verò regulariter domicilium matris habent, 51
l. 1. in fin. & l. ejus qui, ff. de municip. Ubi tamen pater illos cognoscat, & habeat ut filios, & penes se habet, & sub illius cura domicilium patris sequuntur, vel cùm fuerit puberes proprium domicilium. Qui verò vagi sunt, & ex incertis omninò pareotibus, domicilium habent, quod sibi elegerunt aliàs vagi habendi eruot.

Nam & hæc datur generalis regula, quòd filii impuberes, 52
& etiam puberes, qui tamen vivuot sub cura parentum, sequuntur eorum domicilium. Quamvis puberes proprium domicilium habere possiot *l. placet, ff. de munic.* Layman *l. 5. tr. 9. c. 9. in fin.* Palaus *tr. 27. p. 15. n. 4. in fin.*

SUMMARIUM.

53 *Qui habet beneficium in Diœcesi est de Diœcesi.*
54 *Habens beneficium saltem exigens residentiam in Diœcesi est domiciliaris.*
55 *Etiam si beneficium sit tenuissimum.*
56 *In jure, quæ dicuntur de beneficiis verificantur etiam de tenuissimo.*
57 *Etiam in beneficio simplici.*
58 *Etiam si præstimonium.*
59 *Idem in Capellania, commenda perpetua, perceptoria.*
60 *Idem si quis habeat plura beneficia in pluribus Diœcesibus.*
61 *Etiam si provisio beneficii ad alium spectet Episcopum.*
62 *Etiam si beneficium certum ordinem requirat.*
63 *Non sufficit beneficium temporale.*
64 *Beneficium est perpetuum.*
Beneficium manuale nec facit domiciliarem, nec subjectum nisi ad tempus.
65 *Non sufficit præbenda ratione lecturæ.*
66 *Nec Capellania collativa.*
67 *Nec de Vicariis amovibilibus, & similibus.*
68 *Nec pensionarius.*
69 *Nec beneficiatus in fraudem.*
70 *Non est fraus, si Episcopus det beneficium, ut ordinet beneficiatum.*
71 *Non sufficit possessio sine justo titulo.*
72 *Nec collatio sine pacifica possessione.*

ARTICULUS III.

Utrum quodlibet beneficium habitum in Diœcesi subjiciat beneficiatum Episcopo illius Diœcesis quoad Ordines suscipiendos.

TErtius modus subjectionis ad Episcopum assignatus in 53
textu est ratione beneficii, unde regola est, quod Episcopus Diœcesis potest ordinare sioe alterius licentia, vel dimissorias concedere habenti in sua Diœcesi beneficium, Gloss. Mon. Joan. Andr. *in princ.* Archid. *num. 1.* Ancharanus *num. 1.* Butr. *num. 1.* Domin. *numer. 5. & seqq.* Franc. *numer. 3.* Garz. *de benef. part. 2. cap. 4. numer. 1.* Burg. de Paz. *l. 3. Tauri numer. 398.* Campanil. *in divers. jur. rub. 9. cap. 8. numer. 11.* Ugolin. *de potest. Episc. cap. 26. §. 3.* Bonacina *de Sacram. dist. 8. quest. un. part. 4. numer. 14.* Sanchez *opusc. l. 7. cap. 23. num. 15.* Narbona *num. 204.* Piasec. Mar. Antonin. Armendar. Ricc. Homobon. de Bonis, Molses. Squill. Scip. de Rubeis, quos sequitur Barbosa *de off. Episc. alleg. 4. num. 42.* Thomas Velasc. *tom. 1. alleg. 5. à num. 26.* Quaranta *in v. ordo*, Pax Jordan. *elucubrat. lib. 3. tit. 6. num. 73.* Fermosinus *cap. quod translationem de temp. ordin. qu. 6. n. 1.* Trullenc. *de Sacram. l. 6. cap. un. dub. 7. n. 15.* Et hoc declaravit etiam S. Congr. Concil. apud Garziam loco citato.

Et

54 Et meritò hæc Decretalis hoc ſtatuit, quia habens in Diœceſi beneficium ſaltem requiritur reſidentia. Quamdiu illud poſſidet, & Diœceſanus eſt, & civis, & habens in Diœceſi domicilium ex Bartol. *doct. l. heres abſens*, §. *proinde num.5.ff.de judiciis*, *& l.1.num.13.ff.de nunc.* Boerius *deciſ.* 260.*num.*20.Cardoſ.*in praxi judicum*, *v. domicilium numer.6.* Velaſ.*d.alleg.5. num.*29. quas referunt & ſequuntur locis citatis Barboſa *num.*43.Pax Jordan. *num.*74. Fermoſinus *num.* 2.& concordant Panormit.& DD. *in cap. fin. de foro compet.* Silv.*v.civitas quæſt.*4.Jo.Andr.*cap.ſtatutum*, §.*cum autem*,*ſup. de reſcript. in hoc lib.* Turrecr. *cap. extra provincias 3.quæſt.6. num.*2.Sanchez *l.7.Opuſc.cap.1. dub.23.num.3.* Et hoc eſt verum etiam ſi beneficiatus actu abſit à loco beneficii, quia reſidendi neceſſitas juris facit ſortiri domicilium, Panormit. & Butr. *cap.poſtulaſti num.4.de for.compet.* Bernar. Diaz. *in prax.cap.*20.Sanchez *d.dub.23. num.*4. domicilium tamen acquiſitum ratione beneficii finitur dimiſſo beneficio, Sanchez *d.dub.23. numer.15. qui num.16.* ſubdit ex Felin.*cap.dilectus 2. de reſcript.* & Rota *deciſ.*70. *eodem tit.* in antiquis, quod ſi quis impetrans narret ſe clericum eſſe Diœceſis, in qua habet domicilium, ſat eſt, etiam ſi de alia Diœceſi ſit oriundus.

55 Hoc verò ampliatur primò, ut ſit verum etiam ſi beneficium ſit tenue, imò tenuiſſimum. Quidquid enim in contrarium dixerint Quaranta *in v. Ordo*, & ibi Proſper. de Auguſt.Piaſec.*part.1.cap.2. art.2. num.1.* Maranta, Ricc. Squillante,Molfeſ. apud Fermoſinus. Et quidquid Barboſa *d.alleg.4. num.*45. huic opinioni conſenſerit, ſi beneficium ſit tenuiſſimum, quali putat eſſe, quod reddit ducata quatuor in anno, vel ad ſummum ſeptem ex Soto *lib.11. de juſt.quæſt.5.* Nam quamvis verum ſit, quod ad titulum beneficii tenuis, non poſſit quis ordinari ex decreto Concil. Trident.*ſeſſ.21.cap. de reform.* non tamen ex hoc habetur, quod habens beneficium tenuiſſimum in Diœceſi non habeat ex hoc ut non ſit Diœceſanus, & ſubjectus Epiſcopo Diœceſis, & ſic quod non poſſit ab eo ordinari ad titulum patrimonii, & beneficii ſimul. Nam textus noſter non diſtinguit, ſed abſolutè decernit Ordinarium ratione beneficii exiſtentis in Diœceſi poſſe beneficiatum ordinari, vel illi dimiſſorias concedere, nulla facta beneficii tenuis, aut pinguis diſtinctione.

56 Et in jure quæ de beneficio diſponunt locum habent in quocumque beneficio etiam tenuiſſimo, nam quod decernitur in Concil.Trident.*ſeſſ.23.cap.6.de reform.* nimirum Clericum poſſidentem beneficium gaudere privilegio fori tam in civilibus, quàm in criminalibus, verificatur in quocumque beneficiato, ut per Navar. *in tract. de horis canon. cap.21.n.11.*Azor.*part.1.l.10. cap.3.* Garz.*part.1.cap.6.n.37. & part.7.cap.2.n.3.*cum teſte Barboſa *lib.1.de jur. Eccleſ.cap. 39.n.17.*Sacra Congreg. in una Januen. 18.Martii 1628. declaraverit gaudere beneficio fori promotum ad ordines cum collatione beneficii redditus duorum ſcutorum annuorum, qui incedens in habitu laicali, dum caperetur à Birruariis, unum ex illis occidit, & ad carceres laicales adductus fuit. Propterea ampliationem hanc, & ſententiam docent R.P.D.Fagnan. *cap.omnes num.98. de pœnit.& remiſſ.* Diana *part.4.tract.4.reſol.ſi & part.8 tr.2.reſol.20.& part.10. tr.11.reſolut.48.& locis citatis*,Garz.*n.8.*Pax Jordan.*num.74.* Fermoſinus *n. 12.& ſeqq.* Palaus *tr. 27.p.15.num.5.* Leand. *tom.2.de Sacram.Ordin. diſput.8. quæſt.14.*Sanchez *d.dub.23. num.7.*

57 Ampliatur ſecundò, ut regula procedat etiam in beneficio ſimplici nullum requirente reſidentiam vel reſpectu loci, in quo eſt, vel reſpectu Diœceſis. Nam noſtra decretalis non limitat ſuam regulam ad beneficium requirens reſidentiam, ſed indiſtinctè loquitur, & eam ſic indiſtinctè intelligunt Jo.Andr.*n.1.*Archid.*n.1.* Butr. *n.1.* Domin. *num.6.* Quamvis ex Innoc.dicant Epiſcopum curialius agere, ſi hujuſmodi beneficiatum non ordinet ſine prioris Epiſcopi licentia. Sed hanc licentiam non requiri abſolutè docent, locis citatis,Garz.*n.9.*Barboſ.*n.47.*Pax Jordan.*n.75.*Fermoſin. *n.8.*& apud eum Mar.Antonin. Averſa, Macchadus, Ricc. Piaſ.*part.1. art.3.num.3.* Velaſc.*tom.1.alleg.4.num.30.* Palaus *num.5.*Leand.*d.diſp.8.quæſt.13.*Sanchez *d.dub.23. n.7.* Quidquid in contrarium dixerit Genuen. *in praxi cap.48. num.3.* & malè limitaverit Bonac. *n.14.*ad beneficium, quod ſufficiat ad ſuſtentationem beneficium. Et quamvis habens beneficium non requirens reſidentiam non dicatur ex hoc habere domicilium propriè in loco beneficii, nam DD. dicunt Clericum habere domicilium ubi habet beneficium exigens reſidentiam,ut per Innoc. Archid. Jo. Andr. Marian. Soccin. Ferm. Rebuff. Maſcard.& Tuſcum, quos refert, & ſequitur Farin.*ubi ſup.n.126.* Et ratio eſt, quia habitatio,vel habitandi neceſſitas à jure inducta inducit domicilium, & hic, nec habitat,nec jure conſtringitur habitare, Angel. *v.civis in princ.* Silveſt.*v.Civitas q.4.* Felin. *cap.dilectus 2. de reſcript.n.1.* ubi Butr.Imola & alii,Innoc.& Panorm.*cap.ex eo,de privil.*quos ſequitur Sanchez *l.7.opuſ. cap.1. diſt.23. n.2.* Tamen habens beneficium merè ſimplex, ſi non ratione domicilii, ratione tamen beneficii, quod poſſidet in Diœceſis, eſt Diœceſano ſubditus,& ab eo poteſt ordinari.

Ampliatur tertiò, in præſtimoniis, quæ tamen non in ſola temporalitate conſiſtunt, ſed aliquod onus Eccleſiaſticum, ſaltem recitandi officium divinum annexum habent, & dantur in titulum perpetuum. In his enim terminis præſtimonia ſunt beneficia Eccleſiaſtica, *cap. fin. infrà de conceſſ. prabend.* & ideò ſub hujus textus diſpoſitionem comprehenduntur, Garz. *part.1.cap.2.n.117.* Barboſa *d. alleg.4. n.48.*Pax Jordan.*d.tit.6.n.76.* Campan.*d.rub.9.cap.8.num.19.* Ricc.*in praxi reſol.257. in fin.* 58

Ampliatur quartò, in Capellania perpetua, quæ cùm ſubditur in titulum, & ſit verè beneficium Eccleſiaſticum, facit capellanum ſubjectum Epiſcopo quoad ordines, Barboſa *d.allegat.4. num.*48. ex Ricc.*part.2.deciſ.190.* Et idem dicitur de commendatario perpetuo quem vim tituli beneficialis habet, Garz. *part.2. cap.4. num.10. & part.4. cap.4.* Gonz.*ad reg.8.Cancell.Gloſ.5.§.8.* Barboſa *d. cap.4. num.50.* Pax Jordan.*d.tit.6.num.81.* Idem quoque aſſeritur in præceptoriis militiarum S.Jo.& aliorum ordinum, quæ ſunt propriæ beneficia Eccleſiaſtica, Pariſ. *lib.2.de reſign. quæſt.14.n. 10.& lib.12.quæſt.3.num.8.& 9.*Mohed.*deciſ.10.de cauſa poſſeſſ.aliàs 169.*Garz. *d.cap.4.num.1.* Pax Jordan.*d.tit.6.n.86.* Et idem tandem dicendum de omnibus beneficiis perpetuiſſet propriè dictis. 59

Ampliatur quintò, ut ſi quis in pluribus Diœceſibus habeat plura beneficia, in ſingulorum Diœceſibus poſſit ab earum ordinariis promoveri, quia ratione beneficiis illis ſingulis eſt ſubjectus, Anchar.*hic num.1.* Sanchez *d.l.7.cap.1. dub.23.num.17.*Garz.*d.cap.4.num.2.* Campanil. *d.cap.8.num. 14.*Barboſ.*d.alleg.4.num.51.*Pax Jordan. *d.tit.6.num.85.*Diana *part.8. tract.2. reſolut.23.* Fermoſinus *d.quæſt.6. num....* & apud eum à Cana Trullench.& Ricc.Leand. *d.diſp.8. quæſt. 15.* Et advertendum, quod licet multi velint quod plura beneficia reſidentiam poſtulantia non cenſeatur in omnibus habere domicilium niſi in omnibus actu reſideant æquè, vel quaſi æquè, per Sanchez *d.dub.23.num.17.*& DD. ab eo citatos, & Panormit. *cap. poſtulaſti numer.4. de for. compet.* ubi amplius vult quod beneficiatus qui per decennium non reſedit in loco beneficii non cenſeatur illius loci Domiciliarius; tamen (quidquid ſit de hoc) ad effectum, ut beneficiatus habens plura beneficia poſſit ordinari à pluribus Epiſcopis ſufficit poſſeſſio pacifica beneficiorum ratione quorum eſt ſubditus Epiſcopi cujuslibet in cujus Diœceſi eſt beneficium. Et ſic quando agitur de materia concernente beneficium Diœceſanus eſt judex competens, licèt beneficiatus alibi habeat domicilium, Felin. *cap. dilectus 2. n.9.de for.compet.* Sanchez *n.19.* 60

Ampliatur ſextò, ut regula procedat etiam ſi proviſio beneficii non ſpectet ad Diœceſanum, ſed proviſio ſpectet ad alterius Diœceſis Epiſcopum, dum tamen quod jura Epiſcopalia beneficium ſpectet ad Diœceſis ordinarium. Et ſic beneficium in Diœceſ. Bonon. licèt illius collatio ſpectet ad Epiſcopum Mutinen. beneficiatus Archiepiſcopus Bonon. erit ſubjectus, & ab eo poterit promoveri, Joan. Andr. *hic in princ.* Butr. *num.1.* Domin. *numer.5.*Sanchez *d.dub.23. num.12.*Garz.*d.cap.4.numer.15.*Campanil.*d.cap.8.numer.15.* Barboſa *d.alleg.4.num.52.* Pax Jordan. *d.cap.6.num.82.* ſecus tamen dicendum eſſet ſi beneficium quod eſt intra confines Diœceſis quoad jura Epiſcopalia eſſet ſubjectus alteri Epiſcopo, ut citati DD. docent. 61

Ampliatur ſeptimò, ut licet beneficium requirat certum Ordinem, ut puta Subdiaconatum, Ordinarius Diœceſis, in qua eſt beneficium, poſſit ad quoſcumque ordines promovere beneficiatum. Nam ratione beneficii illi beneficiatus ſit ſubjectus, unde poteſt eumdem tamquam ſubditum ordinare. Ita contra Paulum Gloſſ. *hic in v. Eccleſiaſticum*,& Domin.*n.10.*Franc.*n.3.*Garz.*d.cap.4.n.1.*Pax Jord. *d.tit.6.n.85.* 62

63 Limitatur verò & explicatur regula, ut non procedat nisi in beneficio perpetuo, quod propriè est beneficium, ut habet Archidiac. *numer.*1. & ideò non procedit in beneficio manuali, seu temporali, quod non datur in titulum perpetuum, ut tradunt hic Imola, & Ancharanus *num.*1. Barbosa *d. alleg.*4. *num.*59. Gonzal. *ad reg.*8. *Cancell. gloss.* 5. §.1. *num.*6. Sanchez *d. dub.*23. *num.*8. Fermosinus *d. quæst.* 6. *num.*6. & apud eum Ricc. & licet ex Lap. Domin. *num.*8. Franc. *num.*3. Garz. *part.*2. *cap.*4. *num.*10. Barbosa *d. alleg.* 4. *num.*50. dixerit sufficere etiam beneficium temporale & manuale habitum in Diœcesi ad effectum ut beneficiatus possit ordinari ab Episcopo Diœcesis. Et ad eum effectum sufficere commendam temporalem ad utilitatem commendatarii datam asseruerint Barbosa *d. num.*50. & Pax Jordan. *num.*81. quod tamen negarunt Domin. & Franc. locis citatis.

64 Nihilominus oppositum asserendum est; Nam cùm de ratione beneficii sit perpetuitas, *cap. Præcepta dist.*55. *cap. sanctorum dist.*70. *cap. veniens de filiis Presbyt. cap. penult. de Cleric. ægrot.* & notatur *in cap. si gratiose, supra de rescript. in hoc lib.* Lap. *alleg.*9. Anchar. *in cap.*1. *infr. de reg. jur.* Silvest. *v. beneficium*, R.P.D. Fagnan. *cap. ad audientiam num.*98. *de rescript.* Et propterea beneficia temporalia, & manualia non sunt propriè beneficia, Staphil. *de lit. gratia, nova forma expectativ. num.*29. Gamb. *de off. legat. l.*4. *rubr.*1. *num.*1. Gomez *de expectat. num.*94. Rever. P. D. Fagnan. *ubi supra num.*118. Hujusmodi ergo beneficia temporalia nec præstant titulum ad quem quis ordinetur, & nedum non sufficiunt ad acquirendum domicilium, quod requirit animum perpetuo manendi, qui animus non est conjunctus acceptioni beneficii manualis; sed nec ad præstandam perpetuam subjectionem, quia hujusmodi beneficium cùm etiam non sit propriè beneficium, non facit beneficiatum subjectum Episcopo nisi secundùm quid, & pro interim, & eo modo quo advenæ Episcopo loci sunt subjecti.

65 Ideò secundò, nec si quis habeat præbendam ratione lecturæ amovibilis, potest ea hoc titulo ordinari ab Episcopo loci, nisi alias lector in loco acquirat domicilium, ut hic dixerunt Archid. *num.*1. Joan. Andr. *num.*1. Anchar. *n.*1. Butr. *num.*4. Domin. *num.*1. Pax Jordan. *num.*89. Et sic non sufficit, quod aliquis habeat præbendam temporalem. Cujus ratio non est illa, quam affert Barbosa *num.*59. quia nimirum talis præbenda nihil spiritualitatis habeat; hoc enim est prorsus falsum, & implicat in terminis. Quia quod datur ex fundamento beneficii alicujus, aut officii, aut tituli spiritualis, necessario est spirituale, licèt sit jus fruendi re corporali. Sed ratio est, quia præbenda temporalis non est perpetua, si temporale sumitur, ut distinguitur contra perpetuum. Si verò temporale sumitur ut distinguitur contra spirituale, talis præbenda vel nullo modo est beneficium Ecclesiasticum, ut advertit Gloss. vel talis præbenda temporalis non datur, neque est dabilis.

66 Pariter neque ad hunc effectum sufficiant Capellaniæ non collativæ etiam perpetuæ, quæ non sunt fundatæ, auctoritate Episcopi, nec ab ipso erectæ in titulum beneficii, & providentur ab hæredibus fundatoris etiam Laicis. Istæ enim non sunt propriè beneficia, juxta Navar. *cons.*3. & 7. *de præbend.* Garz. *de benef. part.*1. *cap.*2. *num.*102. Palaus *tom.* 2. *tract.*13. *part.*1. Et ideò ex vi similis capellaniæ non fit Cappellanus subditus Episcopo loci quoad ordines ab eo suscipiendos, Pax Jordan. *d. tit.*6. *n.*90.

67 Et idem dicitur de Vicariis amovibilibus, quæ non sunt beneficia, ut probat Garz. *part.*1. *cap.*2. §.1. *num.*35. adducens plures Sac. Congreg. declarat. Et pariter idem asseritur de Legatis piis pro celebrandis Missis, aut aliis piis operibus, quæ conferuntur ab hæredibus, nec sunt beneficia. De quibus videri potest Garz. *loco citato num.*106. Et hoc intelligi debet etiam si qui confert hujusmodi legata pia sit Episcopus, qui ea det, vel ut hæres, vel ut executor. Idem quoque dici debet de hospitalibus, quæ non sunt beneficia Ecclesiastica, etiam si capellas, aut Ecclesias habeant annexas, decimasque & alia jura Episcopalia persolvant, *Clem. per litteras* 2. *de probat.* Selva *de benef. part.*1. *q.*3. *n.*9. Garz. *part.*1. *cap.*2. *num.*1. Flamin. *l.*2. *quæst.*14. *numer.*6. & apud istos plures alii. Quod tamen fallit ubi ex fundatione, vel alia causa hujusmodi hospitalia debeant dari in titulum personis Ecclesiasticis, & sic cadant sub nomine beneficii, & consequenter sub hujus textus dispositione, Garz. *d. c.*3. *num.*3. Gonzal. *in reg. de triennali qu.*7. per totam, Mandos. *in reg. de annali q.*10. *num.*1. Pax Jordan. *d. tit.*6. *n.*98. sic nec Collegiales ad tempus possunt ordinari in Diœcesi, in qua est Collegium, si ipsi sunt de alia Diœcesi, Sanchez *d. dub.*23. *num.*9.

Tertiò nec pensionarius ex hoc solo capite potest ordinari ab Episcopo loci in quo vel est beneficium super quo est imposita pensio, vel est ipse pensionarius, ut per DD. quos referunt & sequuntur Garz. *part.*2. *cap.*4. *num.*7. Barbosa *d. alleg.*4. *n.*56. 68

Quartò beneficium collatum in fraudem non dat subjectionem talem ex qua Episcopo competat posse beneficiatum alias non subditum ordinare. Quod est verum si daretur beneficium fictè, vel sub conditione, & ordinatus statim post ordinationem cederet beneficio. Sed an sit fraus, si Episcopus alicui conferat beneficium; ut illum ordinet, affirmatur *in cap. super.* Gloss. *in v. figmento*, & ibi Domin. *numer.*5. & Franc. *numer.*4. & *in hoc cap. num.*5. *in fin.* idemque voluit Quaranta *in v. Ordo*, Barbosa *d. num.*58. Pax Jordan. *d. tit.*6. *num.*93. Quia hoc est factum in fraudem legis. Et quia si hoc posset fieri, frustra Concil. Trident. definisset Episcopum tunc posse aliquem alterius Diœcesis ad ordines promovere, cùm per triennium fuerit cum eo commoratus dummodo statim illi beneficium conferat. Et ita sententiam hanc veriorem putant Trullench. apud Fermosinus, & Diana *part.*8. *tract.*2. *resol.*22. 69

Sed de familiari quid sentiendum dicetur art. seq. & casus allatus ex Concil. loquitur de promotione ad ordines ante collatum benefic. Cæterum ubi non est injustitia, vel injuria, ibi non est fraus. Non fit verò injuria legi, si quis conditionem à lege positam, & admissam ponat & intuitu, ut concessione legis utatur; unde nulla est fraus contra legem, si Episcopus conferat beneficium alicui, ut eum sibi faciat subditum, & illum ordinet, cùm lex absolutè concedat Episcopo ordinare beneficiarum in sua Diœcesi. Et eo magis, quod nullus Episcopus per se loquendo habet jus, ut sui subditi non fiant subditi alterius Episcopi, & quod v. g. etiam discedant ab ejus Diœcesi hoc intuitu, ut non sint subditi ejus, & sic nulla fit ei injuria, si subditus Episcopi etiam intuitu fugiendi subjectionem illius, seu acquirendi libertatem ab eo, quærat in aliena Diœcesi beneficium, & sibi ad hoc conferatur. Quamobrem quod Episcopus possit conferre alicui beneficium, & etiam ad hunc finem, ut possit ordinare illum, & in hoc non sit fraus, tenent Diana *part.*10. *tract.*11. *resol.*48. & apud eum Martinus à S. Joseph. *tom.*1. *l.*1. *tract.*4. *num.*10. Leander *tom.* 2. *dist.*8. *quæst.*19. Fermosinus *d. quæst.*6. *num.*23. Ugol. *de off. Episcopi cap.*26. §.3. si verò beneficium esset tenuissimum, non posset Episcopus talem ordinare ad titulum talis beneficii insufficientis, & si id faceret transgrederetur legem prohibentem ordinare non habentem titulum sufficientem, non tamen peccaret contra legem prohibentem ordinare alienum subditum. Posset tamen contingere quod ex circumstantiis malè ageret Episcopus conferendo subdito alienæ Diœcesis beneficium non tamen hoc malum esset ex vi legis prohibentis ordinare subditum alienæ Diœcesis, quia talis stante valida collatione beneficii esset jam illi subditus. Reverendiss. P. D. Fagnan. tamen *cap. omnis de Pœnit. & remiss. numer.*98. vult quod fraudulentus sit Clericus, si sibi conferri faciat beneficium, ut eludat examen, & judicium sui Ordinarii, & quod si promoveatur sit malè promotus, & remanet suspensus ex *cap.*8. *sess.*23. *Concil. Trident.* Et dicit sic declarasse S. Congregationem. Verùm si finis Clerici ex parte operis sit fugere judicium proprii Ordinarii, ex sic facit sibi conferre beneficium ex hoc fine irreligiosus, & irregularis est. Peccat enim contra virtutem Religionis, ex alio fine quam divini cultus procurans beneficium, & illud admittens. Sed si alias habito ex parte operis fine religioso, & recto ex fine operantis, quærat aliud bonum, & in specie quærat subdi ordinario, & etiam fugere judicium proprii Ordinarii non potest hoc esse malum nisi ex mala circumstantia, & alias potest esse & honestum, & necessarium, ut si proprius Episcopus sit simoniacus, nec velit ordines conferre nisi pro pretio, si sit vindicativus, & injustè rejiciat subditum suum; si sit nimis durus, aut crudelis, & exigat quæ de jure non sunt necessaria, ut majorem scientiam quàm sit illa, quam requirunt Canones. In his enim & similibus casibus laudabile erit, si absque alia mala circumstantia, & ea recto fine quærat à tali Episcopo libertatem, & ejus fugiat examen, & judicium per medium à jure 70

per-

permissum, sed quid si iste sit illiteratus & indignus, & sit certus, quod à proprio Episcopo, qui ejus indignitatem cognoscit, rejicietur, nec promovebitur? Respondetur quod potest esse fraus in hoc casu, si indignitas occultetur, & hoc fine procuratur beneficium in aliena Diœcesi, ut in fraudem legis indignitas occulta eum non rejiciat, prout rejici meretur. Et hoc modo iste in fraudem, & ideò nulliter beneficium obtinet, quantum ad effectum ut à tali Episcopo ordinari possit: quæ tamen fraus tolleretur, si talem se Episcopo à quo recipit beneficium se ostenderet, qualis est.

71 Quintò limitatur, ut non sufficiat beneficium esse collatum, sed necessaria sit possessio ejus, ad hoc ut aliena Diœcesi possit quis Ordines suscipere, Garz. *de benef. part.2.cap.4. numer.16.* & Barbosa *alleg.4. num.55.* limitationem admittunt, & è contra volunt sufficere possessionem sine legitima collatione, & titulo. Sed horum secundum rejicitur quia beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione obtineri non potest, Diana *part.8. tract.2. resolut.* 24. Pax Jordan. *d.tit.6.num.*101. Fermosinus *d. qu.6.n.25.* & apud eum Trullench. & à Cuna. Quamvis bona fides, & ignorantia probabilis possit in hoc excusare Episcopum scientem possessionem, & præsumentem canonicam institutionem, ut advertit Pax Jordan.

72 Quantum verò ad primam partem cum Garz. & Barbosa conveniunt etiam Pax Jordan. & Fermosinus. Et certè in Concil. Trident. *sess.21.cap.2.* ad hoc ut quis possit ordinari ad titulum beneficii requiritur, quod pacificè beneficium possideat. Nam & ubi beneficiatus sit dubius, dubia est subjectio ejus ad Episcopum ratione beneficii, & sic non poterit ratione beneficii ordinari. Ubi etiam ad titulum beneficii quis ordinatus meritò requiritur beneficii possessio, quia actu requiritur, ut ordinandus habeat, & possideat unde vivat, & sic non sufficit collatio, quia non sufficit spes possidendi, sed actualis possessio meritò requiritur. Sed ubi collatio sit prorsus indubitata, nec possessio potest contradici, cur hoc sufficere non possit, ad hoc ut talis beneficiatus sit verè subjectus Episcopo? Sed dicitur non sufficere, quia non est in possessione subjectionis, & Episcopus non est in possessione superioritatis, si beneficiatus non est in possessione beneficii pacifica, & nec controversa, nec dubia.

SVMMARIVM.

73 *Decretum Concil. Trident.*
74 *Episcopus titularis non ordinat familiarem.*
75 *Cardinalis potest conferre minores ordines.*
76 *Vicarius Papæ eosdem poterit ordinare.*
77 *Familiaris est, qui servit & est commensalis.*
78 *Triennium debet esse continuum, & completum.*
79 *Sufficit incertum ante Episcopatum.*
80 *Non sufficit si familiaris sit absens.*
Censetur absens, qui est extra locum Episcopi.
81 *Qui sint familiares monasteriorum.*
82 *Magister actorum an sit familiaris Episcopi.*
83 *Famulus famuli censetur familiaris.*
84 *Familiaritas non præsumitur, & qualiter probetur.*
85 *Statim Episcopus debet familiari conferre beneficium.*
86 *Quomodo intelligatur dictio* statim *variè opinatum.*
87 *Episcopus vel triennalem non debet ordinare, vel statim sine mora beneficium conferre.*
Dictio statim *quid importet.*
88 *Qualiter beneficium collatum familiari sufficiens esse debeat.*
89 *Difficultas ex prædictis.*
90 *Episcopus familiarem intra triennium potest ordinare, si illi prius conferat beneficium.*
91 *An Episcopus familiarem ratione beneficii aliunde possessi possit ordinare, fuit variè dictum.*
92 *Episcopus familiarem triennalem potest ordinare titulo patrimonii, & pensionis.*
93 *An possit cum illo dispensare in interstitiis diversimodè opinatum.*
94 *Non potest cum illo dispensare in aliquo impedimento canonica.*
95 *Nisi prius collato beneficio, & servatis servandis.*
96 *Quid in aliquorum sententia.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.
97 *Nec potest concedere dimissorias.*
98 *Familiaris bona fide sine collatione beneficii ordinatus non est suspensus.*

ARTICULUS IV.

An Episcopi familiares suos alterius Diœcesis existentes, possint ordinare.

De hoc adest decretum Concil. Trident. *sess.23. cap.9.* in quo decernitur, quod *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine qualibet, etiam immemorabili in contrarium non obstante.* 73

Hoc tamen, quod Episcopo hic conceditur, non competit Episcopo titulari ex decreto Concil. Trident. *sess.14. cap.2. de reformat.* ut sustinent etiam DD. quod ibid. *num.4.* cumulat Barbosa, Fermosinus *ad d. cap. quod translationem quæst.5. num.23.* Bonac. *de sacram. disp.8. part.4. num.19.* Palaus *tr.27. p.15. num.6.* Leander *tom.2. tract.6. de sacram. disp. 8. qu.28.* 74

Cardinales verò presbyteros tonsuram, & minores ordines posse conferre suis familiaribus, ex Martin. Leander. *tract. de Cardin. quæst.10.* & Jacob *de Concil. lib.1. artic.12.* tradit Barbos. ubi suprà *num.3.* ubi ex Sell. *in select. Canon. cap.19. num.3.* ait fuisse decisum sub die 22. Januarii 1602. Cardinales suis familiaribus triennalibus posse concedere dimissorias ad ordines suscipiendos, etiam si illis nec ante, nec post conferat beneficium. 75

Vicarius etiam Sanctissimi familiares, seu Officiales Papæ, ac familiares Cardinalium, etiam Romæ habitantium, ac etiam Episcoporum in curia residentium, qui saltem per triennium habitaverint Romæ, potest de licentia ipsorum promovere, dum tamen supradicti omnes habeant sufficientem titulum, & alia à jure requisita. Quod ex Armend. fuisse decisum refert Barbosa *d. cap.2. n.4. & de off. Episc. alleg. 5. num. ult.* Fermosinus *d.q.5. n.21.* 76

Familiaris verò Episcopi illi est, qui ab Episcopo est destinatus ad certum servitium, & est Episcopi commensalis, unde dicitur, quod ad familiaritatem requiritur mens, & dens, Rota *decis.184. part.1. recent.* ubi *num.2. & 3.* censet familiaritatem cessare quandocumque famulus fuerit licentiatus, & dimissus, & *numer.9.* quod quis potest esse familiaris, licèt non comedat in tinello, ut puta, quia portionem recipit in pecunia. Et sic ad hunc effectum familiaris est, qui cum Episcopo fuerit commoratus, & præsens inservierit, non verò qui inservierit absens, etiam si sumptibus Episcopi vixerit, Rota coram Greg. XV. *decis.106.* & ibi Beltr. Sanchez *l.7. opus cap.1. dist. 20. num.21.* Et quamplures alii apud Barbos. *d. cap.2. num.6.* Bonac. ubi suprà *num.18.* Palaus *d. part.15. num.6.* Leand. *d. disp.8. qu.25.* 77

Necessarium quoque est ad hunc effectum, ut familiaris inservierit per triennium, absque dubio continuum, & de momento ad momentum completum, ita quod non sufficiat ultimam diem fuisse incœptam, quia hoc indultum est contrarium jurisdictioni Episcopi originarii, seu domiciliarii, ideò triennium strictè est accipiendum, ut nonnisi transacto triennio Episcopus familiarem ordinare possit, Diana *part.8. tract.2. resol.29.* Barbosa *l.1. de jure Eccles. cap.* 33. Fermosinus *cap. quod translationem, de temp. ordin. quæst.4. num.4.* Præpositus *in 3. part. de sacram. ordin. dub.14. n.142.* Unde tamen mihi videtur durum, quod minimum tempus hic debeat judicari magnum, & attendi, & non potiùs sit pro nihilo reputandum. 78

Sufficit tamen, quod hoc triennium incœperit antequam Episcopus esset Episcopus, Garz. *de benef. part.1. cap. 1. num.83.* ubi refert S. Congreg. ita declarasse, Diana *part. 8. tract.2. resol.30.* Fermosinus *d. quæst.4. num.5.* & quamplures alii, quos refert, & sequitur Barbosa *d. cap.2. num.9. & d. alleg.5. num.8.* Bonac. *d. part.4. num.16.* Palaus *d. part.15. n.6.* Leander *d. disp.8. q.24.* 79

Cùm verò dictum sit familiarem debere esse præsentem, non verò sufficere si absens inserviat, quia Episcopus mores absentis non potest cognoscere: hoc debet intelligi de præsentia, vel absentia non à domo Episcopi, sed à civitate, seu loco, in quo manet Episcopus. Neque enim est ne- 80

cesse ad familiaritatem, ut famulus in domo Episcopi comedet, & dormiat; nam hujusmodi inserviens sua præsentia Episcopo quando opus est, familiaris præsens dicitur, & ejus domesticus, & talis, cujus mores per decursum triennii benè cognosci possunt, Sanchez opus *l.6. cap.1. d. num.23.* Diana *d.tr.2.resol.32.* Fermosinus *d.q.4.num.10.* & Pax Jord. *d.tit.6.num.160.* habet pro præsente eum, qui manet intra Diœcesim, quia Episcopo perspecti sunt mores existentium in Diœcesi. Et imò *num.161.* hoc extendit etiam ad eos, qui sint extra Diœcesim ad parvam distantiam, & si locus famuli non multum distet ab habitatione Episcopi. Hoc tamen alii DD. non exprimunt, quia non absens à loco, in quo est Episcopus propriè dicitur familiaris, cùm non conversetur cum Episcopo, nec plenè potest Episcopus ejus mores cognoscere per experientiam propriam, sed solum ex aliorum relatione, quod non sufficit, aliter etiam existens extra Diœcesim, & absens omninò posset dici familiaris, quia ejus vita ex auditu potest esse manifesta. Quamobrem nedum dicendum est, quod familiaris ad præsentem effectum non debet abesse in partibus remotis, sed illum in remotis partibus abesse dicendum esse, qui habitat extra locum, in quo est Episcopus, vel saltem ita, quod non possit dici commorari cum Episcopo, nec ejus obsequiis assistere, prout explicat Diana *d. tract.2. resolut.32.* & Fermosinus *d.quæst.4.num.15.* Imò Reverendiss. P.D.Fagnan. *cap.ex parte num.46.de privil.* existimat, quod ad familiaritatem sit necessarium, quod famulus insistat servitio personali Domini. Quod puto intelligendum, ut inservire personaliter censeatur, qui in domo Domini servit circa ea, quibus utitur dominus, vel ad ejus decorem, & status conditionem pertineat.

81 Hinc obiter advertendum, quod cùm Regulares suis familiaribus possint ministrare sacramenta, & præbere sepulturam juxta privilegia latè adducta à me *tom.2.de stat. quæst.187.art.1.num.338.pag.80.& art.4.numer.218.pag.456.* sicut dicuntur familiares Episcopi, qui personali servitio ei inserviunt intra ejusdem domum, & sunt illius commensales, licèt extra domum dormiant; ita non est necessaria stricta existentia intra monasterium ad regularium familiares, dummodo sint commensales modo explicato, & servitio personali inserviant Religiosis intra monasterium. Sicut enim sic inservientes dicuntur familiares Episcopi, ita dici debent familiares monasteriorum.

82 Extendunt verò multi hoc, ut Episcopi familiaris dicatur etiam magister actorum, ita Ricc. Gratian. Mart. Antonin. & Campanil. quos refert, nec reprobat Barbosa *de off. Episc.alleg.5.n.18.*

83 Pro familiari autem Episcopi habetur etiam famulus sui familiaris triennalis, ita quod, & iste post triennium servitutis possit ab Episcopo ordinari, si vivit expensis Episcopi, sicut fit, quando Episcopus suo familiari portionem constituit tam pro se, quàm pro ejus famulis. Ita enim docuerunt Sanchez *d.l.7.cap.20.num.24.* Diana *part.4.tr.4. resolut.145.& part.8.tract.2.resolut.34.* Aversa *de sacram.ord. quæst.3.sect.6.* Anton.Escobar *tract.7. exam.8. cap.4.num.73.* Fermosinus *d. quæst.4. numer.18.* Barbosa *de off.Episc.alleg.5. num.7.* Leander *d.disp.8.quæst.23.* Nam & isti inserviunt Episcopo, & sunt ejus commensales. Sic enim & Mandos. *in reg.3. Cancell. quæst.6.* ut refert Fermosinus dixit familiares familiarium Cardinalium frui privilegio familiarium Cardinalis.

84 Familiaritas tamen non præsumitur, & imò non esse credendum Episcopo dicenti aliquem esse suum familiarem affirmant, Barbosa *d.alleg.5.num.10.* Pax Jord. *d.tit.6.num. 167.* Bonac. *d.part.4.num.8.* Fermos. *d.qu.4.num.22.* Familiaritas tamen probatur per libros Tinelli, vel per fidem Magistri domus, vel calculatoris, aut similis; seu per testes, si deponant solutas ei pecunia annuatim pro victu & vestitu, item per fidem, quod sit præscriptus in rotulo familiarium. De his vide Rotam *div.part.3.decis.54.lib.1.part.3.& d.d.45. l.2.part.3.& decis.516.& 619.part.3.l.3.* & coram Puteo *decis. 411.lib.1.& decis.145. lib.3.*

85 Non solùm verò necesse est, ut familiaris inservierit per triennium, ad hoc ut Episcopus illum ordinet, sed statim debet illi conferre beneficium. Est autem hic non levis difficultas de intelligentia illius dictionis *statim*. Quidam enim existimant, ut dictio illa non debeat accipi in stricta significatione, prout significat tempus decem dierum ad summum, sed quod idem sit statim, quod illicò, ac beneficium vacaverit, Vasquez *3.part.tom.3.disp.243. num.49.* Gaspar. Hurtad. *de sacram.ord.disp.17.* Tamburin. *tom.4.d.7.qu.3.disc. 2.num.38.* Fermosinus *cap.quod translationem qu.5. num.5.* Et ratio est, quia cùm vacantia beneficii sit incerta, & sic à futuro incerto dependeat, mens Concilii esse non potuit, ut Episcopus illicò intra paucos certos dies familiari à se ordinato provideat, sed ut non ordinet illum nisi ex animo providendi illi, & sic de facto adveniente vacantia illi provideat. Nam si Concilium voluisset, ut statim illicò post breves dies absolutè familiaris ordinatus esset provisus de beneficio jussisset, ut Episcopus illum non promoveret nisi existente vacantia beneficii, & imò nisi prius illi beneficium contulisset.

Nihilominus alii ad strictiorem intelligentiam dictæ dictionis *statim* sumendam existimant. Et fundantur maximè in aliquibus declarationibus S.Congreg. Concilii. Quia 22. Maji 1586. declaratum fuit contra Trid. mentem fuisse factam ab Episcopos collationem beneficii in undecimo mense à die ordinationis. Et aliam factam post sex menses pariter fuisse factam contra Concilii mentem, & hujusmodi Episcopum incidisse in pœnam ordinantis non suos. Et ideò, quod ad verbum *statim* debeat accipi, ut non cedat 10. dies dixerunt Diana *d.tr.2. resol.33.* Barbos. *d.alleg.5.n.11.* Leander *tom.2.tr.6.d.9.q.22.* & alii quamplures apud istos. 86

Existimo eum sensum habuisse Concil. Trident. quem habuit conditor *Canon. in cap.2. de præbend.* ut scilicet Episcopus familiarem suum etiam si illi inservierit per triennium, vel non ordinet, vel illi provideat de beneficio: quod si mandatur beneficium, vel vacans, vel statim vacaturum, abstineat ab ordinatione, non enim Concilium voluit dispensare Episcopum *in lege d.cap.2.* ut sibi liceret ordinare, & non providere ordinato unde vivat, nam non debet intelligi dispositio Concilii, ut sit illius capituli derogatio, quia legum correctio est vitanda. Quia tamen dictio *statim* non habet certam significationem. Sic verò excludit moram, intervallum secundùm Rotam *decis.496.num.2.* coram Penna, quod juxta subjectam materiam, intelligi debet, ut dixit eadem Rota *decis.1087.num.5.6.& 10.* in præsenti dictio ista accipi debet, ut sonat, vel cum modico temperamento, & parva morali dilatione. Ideò nisi tempore ordinationis vacet beneficium, debet Episcopus abstinere à familiaris ordinatione, nec se periculo exponere, Pax Jordan. *d. tit.6.num.171.* 87

Et tunc non sufficit, quod Episcopus suo familiari conferat qualecumque beneficium, sed hoc debet esse sufficiens, ex quo ordinatus vivat, hoc enim est de mente *d. cap.2. sub de præben.* & ex fine Concilii concluditur, quia vult ut ordinatus non cogetur posteà mendicare, Fermosinus *d. q.5. num.10.* Posset tamen si haberet patrimonium illum ordinare collato etiam tenui beneficii, quia hoc modo ordinatus haberet unde viveret. 88

Sed alia insurgit difficultas. Quia ex una parte videtur, quod Episcopus si familiari suo vult conferre beneficium, quod possit illum ordinare non expectato triennio; quoniam, ut ex textu isto habetur, Clericus ratione beneficii existentis in Diœcesi statim fit subditus Episcopo Diœcesis, ut ab illo ordinari possit. E contra verò vim facit decretum Concilii, volentis, quod Episcopus familiarem ordinare non possit, nisi expleto triennio. Et quia si Episcopus infra triennium potest familiarem ordinare, nihil illi prodierit familiaritas triennalis. 89

Nihilominus dicitur Episcopum si suo familiari conferat beneficium posse illum ordinare infra triennium, quia sic disponitur in hac decretali. Et quia aliter longè pejoris conditionis esset familiaris Episcopi, eique summè noceret servitus & familiaritas, si infra triennium non posset ordinari etiam si haberet beneficium, cùm hoc cuicumque alio non subdito conveniat, ut est probatum, Barbosa in Concil. Trident. *sess.23.cap.9. num.10. & d.alleg. 5.num.11.* Paris. *de resign.l.4. quæst.2. numer.92.* Garz. *de benef. part.2.cap.5.num.85.* Sanchez *in opus l.7. cap.1. dub.20.numer. 25.* Diana *part.3.tr.4.resolut.145.& 8.tr.2.resol.37.* Ugolin. *de off. Episc.cap.16. §.4.* Rota *part.1. divers. decis.731.& part.4. dist.222.* Fermosinus *d.q.5.num.7.* & apud eum Trullench. & Aversa, Pax Jordan. *d.tit.6.num.178.* Leand. *d.disp.8.quæst.27.* Nec huic sensui obstat Concilium, quod solum voluit, quod titulo familiaritatis absolutè Episcopus suum servum 90

non

non possit ordinare, nisi familiaritas sit triennalis, & quod hæc sola nec sufficiat, nisi Episcopus statim conferat ei beneficium. In hoc tamen familiaritas juvat, quod familiaris ante actu collatum beneficium potest promoveri, quod non posset, nisi esset familiaris.

91 Sed numquid Episcopus familiarem suum triennalem potest ordinare non collato ei aliquo beneficio ex eo, quod habeat in aliena Diœcesi sufficiens beneficium? si finis Concilii in statuendo, quod Episcopus conferat suo familiari beneficium est, ut habeat unde vivat, videtur, quod ubi familiaris habet aliunde sufficiens beneficium, posset illum ordinare nullo alio ei beneficio collato. Quod sensisse Rebuff. *in tit. de Cler. qui & à quo creent. num.* 21. refert Fermosinus *d. q.* 5. *num.* 10. At nihilominus Barbosa *d. cap.* 9. *n.* 12. ex Sell. *in select. Canon. cap.* 19. *num.* 17. refert S. Congreg. 22. *April.* 1617. declarasse Episcopum non potuisse suum familiarem ordinare, cui non contulit beneficium, quia beneficium possidebat in aliena Diœcesi. Cujus rationem reddit Fermosinus, quia concilium duo copulativè requirit, scilicet triennalem familiaritatem, & collationem beneficii, & ad hoc ut familiaris non subditus fiat subditus. Et maximè, quod ordinare ratione beneficii jam obtenti non potest fieri, nisi cum dimissoriis Episcopi, in cujus Diœcesi est beneficium.

92 Verum in oppositum facit, quod Episcopus familiarem suum triennalem, nullo ei collato beneficio potest ordinare ad titulum patrimonii, vel pensionis, sicut pluries declaravit S. Congregatio Concilii, quas declarationes refert Garz. *p.* 2. *de benef. cap.* 5. *num.* 81. *&* 82. *Pro necessitate*, inquit S. Congr. *& commoditate Ecclesiarum ad titulum patrimonii possunt etiam ordinari familiares triennales Episcoporum, juxta formam cap.* 9. *sess.* 23. *Sed tamen debeat ascribi Ecclesiis, pro quarum necessitate sunt ordinati juxta formam cap.* 16. *sess.* 23. Et iterùm: *Episcopus ordinat familiarem suum ad titulum pensionis, si pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum judicat ordinandum.* Et iterùm *sup. dict. cap.* 9. *Familiaris Episcopi, de quo hoc decretum loquitur, potest etiam ordinari ad titulum patrimonii, si illud sufficiens habuerit, si Episcopus ita judicaverit pro necessitate, aut commoditate suæ Ecclesiæ, & certa Ecclesiæ ascribatur, ubi suo munere fungi debeat, juxta cap.* 16. *infra hac sess.* Et iterùm idem declaravit *ad d. cap.* 16. Et proptereà hoc tenuerunt Flam. *lib.* 4. *q.* 2. *num.* 91. Genuen. *in praxi cap.* 81. *num.* 3. Garz. loco citato, Barb. *d. alleg.* 5. *num.* 12. *&* 13. Et apud eum Armendar. Bonac. & Alzedo, Pax Jordan. *d. tit.* 6. *num.* 173. *&* 174. Palaus *tom.* 4. *tr.* 27. *p.* 15. *num.* 6. Ex his verò habetur decretum Concil. *in d. cap.* 9. non requirere familiaritatem triennalem, & collationem beneficii ita copulativè, ut si familiaris habeat patrimonium, aut pensionem, unde vivere possit, non possit omitti collatio beneficii: cur igitur etiam non poterit ordinari ad titulum beneficii, si illud aliunde habeat?

93 An verò Episcopus cum familiari triennali possit dispensare in interstitiis, diversimodè est opinatum. Quidam negant, ex eo quod ordinare familiarem triennalem sit privilegium concessum Episcopo, quod cùm contineat præjudicium Episcopi originarii, vel domiciliarii, & sit contra jus commune debet intelligi strictè, & præcisè quantum ad expressa, Navar. *cons.* 12. *de temp. ordin. & cons.* 13. ubi quod Episcopus non potest cum suo familiari dispensare in irregularitate. Secundò quia ita declaravit S. Congr. Concilii, & ita hanc partem tamquam decisam tenent Garz. *de benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 89. Sayrus *decis.* 27. 28. *&* 29. *de temp. ordin.* Sanchez *opus l.* 7. *cap.* 1. *d.* 7. *num.* 3. Bonac. *de suspens. in particulari disp.* 3. *q.* 1. *part.* 11. *num.* 13. Barbosa *d. cap.* 9. *sess. Trident.* 23. & alii apud illos Palaus *d. num.* 6.

Sed è contra alii asserunt, quod cùm concedens aliquid intelligatur concedere ea, quæ sunt necessaria ad illud obtinendum, ex quo concilium concedit, ut Episcopus possit ordinare familiarem suum triennalem, simul concedit, ut possit cum illo dispensare in interstitiis. Sic sentit Jo. de Cruce *in direct. part.* 2. *dub.* 46. *concl.* 1. & probabile putavit Ledesma *tom.* 1. *cap.* 8. *concl.* 5. quem sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *res.* 190. Et hoc non improbabile putat Fermosinus *d. q.* 5. *num.* 27. & inclinat Pax Jordan. *d. tit.* 6. *n.* 176.

Sed obstat, quod non est semper verum, quod concedens aliquid concedit necessaria ad illud, & præcipuè hoc non verificatur, quando id quod est necessarium contingit ex causa contingenti, & accidentaliter annexa rei concessæ, & est tale, quod ad illud tollendum necessaria est specialis facultas; modò, quod ordinandus, impediatur ex necessitate servandi interstitia est quid accidentale, & lege speciali prohibitum, & quod non competit, nisi speciali concessione. Quod est verum de irregularitatibus, & censuris, & aliis impedimentis. Ideò ex quo Episcopo concessum est ordinare familiarem triennalem non est illi concessum cum eo dispensare in aliquo impedimento, sed concessio intelligitur sub hac conditione, si aliud non obstat, vel dum id aliàs canonicè fiat. 94

Benè verum est, quod si Episcopus suo familiari prius conferat beneficium, & sic sibi faciat subditum eumdem, jam poterit cum illo tamquam cum subdito dispensare in interstitiis, & in aliis, in quibus Episcopus cum similiter sibi subdito potest dispensare, quod tamquam decisum ex Armendar, tenent Pialec. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 15. Fermosinus *d. q.* 5. *num.* 25. & apud eum Campan. *d. rub.* 9. *c.* 9. *n.* 3. *&* 4. 95

In sententia etiam Sanchez *l.* 8. *de Matrim. disp.* 1. *n.* 25. volentis, quod ad hoc ut Episcopus possit dispensare cum aliquo sufficiat habitatio in Diœcesi pro majori parte anni, quàm sufficere probat *lib.* 3. *disp.* 23. pro qua sententia refertur etiam Sà *v. Episcopus n.* 36. multò magis sufficeret habitatio triennalis ad hoc, ut Episcopus posset cum suo familiari dispensare in interstitiis; sed hoc est alterius inspectionis. 96

Est etiam difficultas an Episcopus possit suo familiari concedere dimissorias, ut ab alio Episcopo ordinetur. Quod enim Episcopus in illis casibus, in quibus potest suum familiarem ordinare, possit etiam dimissorias concedere, dixit Campan. *d. rub.* 9. *cap.* 9. *n.* 6. quem refert, nec omninò rejicit Fermosinus *d. quæst.* 5. *num.* 28. Nihilominus idem Fermosinus oppositum sentit, quia gratia concessa à Concil. Trid. ad hoc non extenditur, nec ratione triennalis familiaritatis familiaris fit plenè subditus Episcopo, sicut alii ordinandi subditi sunt ratione originis, vel beneficii, vel domicilii, unde non potest illum, nisi per seipsum ordinare, quia solum hoc conceditur, & sicut nec cum illo potest in interstitiis dispensare, sic nec ei dimissorias concedere. 97

Tandem advertendum est, quod familiaris triennalis bona fide ordinatus sub spe beneficii, si postea Episcopus non conferat illi beneficium, vel moriatur beneficio non collato, non remanet suspensus, Bonac. *dict. part.* 11. *num.* 12. Barb. *dict. allegat.* 5. *num.* 16. Fermos. *d. q.* 5. *num.* 29 98



DE

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Cap. Cùm nullus III. §. Inferiores.

S V M M A R I V M.

99 *Summa textus.*
100 *Inferiores Episcopo non dant dimissorias, nisi id concessum ex indulto.*
101 *Episcoporum est ordinare, & dare dimissorias.*
102 *Non valet consequentia negativa à facultate ordinandi ad dimissorias.*
103 *Sub nomine Prælati veniunt Prælati regulares.*
104 *Textus loquitur de sæcularibus.*
105 *Amplior concessio est, quæ est pro subditis, quàm pro clericis.*
106 *Ordinari non possunt, nisi à Catholico Antistite.*
107 *Ex consuetudine haberi potest facultas dandi dimissorias.*
108 *Facultas Vicarii non se extendit ad dimissorias.*
109 *Nisi ex speciali mandato.*

99 CUm in priori §. ostensum sit Episcopum esse illum superiorem, cui competit dare dimissorias ad ordines, si ordinandus sit illi subjectus ratione originis, vel beneficii, vel domicilii in hoc §. ostenditur, qualiter hoc conveniet, vel non conveniat inferioribus Prælatis.

100 In hac ergo parte textus traditur hæc regula, quod Prælatis Episcopo inferioribus, vel Vicariis generalibus non convenit dare dimissorias, seu licentiam suis subditis ad suscipiendos ordines, nisi Prælatis præfatis à Sede Apostolica specialiter indultum sit, quod suos clericos, aut subditos possint à quocumque voluerint Episcopo facere ordinari.

101 Isti secundùm Gloss. sunt Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, de quibus supra *cap. significasti, de off. Archid.* itaque igitur Abbates, & alii inferiores Prælati, ex vi officii, & per se non habeat, vel ut possint suis subditis ordines conferre, vel commendatitias, seu dimissorias literas concedere eisdem, ut ab Episcopo aliquo ordinentur, sed eis ordines conferre, aut dimissorias dare spectat ad Episcopum, in cujus Diœcesi sita est Abbatia, vel Ecclesia ad similes Prælatos spectans, ut hic adnotarunt Dom. §. *inferiores num.* 1. Franc. *num.* 1. Ordinare enim cùm sit deputare, & consecrare fideles ad specialia officia exercenda, quod est proprium muneris principis, ad eos spectat, qui in Ecclesia sunt tamquam Principes, & hi sunt Episcopi, ut docet D. Thom. 3. *p. q.* 65. *art.* 3. *ad secundum, &* 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 1. Unde est, quod Episcoporum est ordines conferre, *cap. perfectis, v. ad Episc. dist.* 25. *cap. quamvis* 68. *dist. cap.* 1. *de ordin. ab Episc. &c. Et in Concil. Floren. in Decreto Eug. IV. & in Constant. sess.* 4. *& in Trident. sess.* 23. *Canone* 7. D. Bonav. 4. *d.* 25. *art.* 1. *q.* 1. ubi Richard. *art.* 1. *q.* 1. Palud. *q.* 1. *art.* 2. Victor. *de sacram. ord. n.* 2. 3. *&* 4. Et plures alii, quos refert Tambur. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *n.* 2. Barbosa *de off. Episc. all.* 3. *n.* 1. Unde est, quod Episcoporum etiam est dimissorias dare ad suscipiendos ordines ab alio Episcopo. Et hoc Prælatis inferioribus non licet, nisi ex speciali indulto Sedis Apostolicæ.

102 Verum tamen est, quod cùm ordinare, & dimissorias concedere distinguantur, & cùm contingere possit, ut per speciale indultum alicui inferiori Prælato à Sede Apostolica concessum sit, ut possit suos subditos clericos, vel laicos mittere ordinandos ad quemcumque Episcopum, ideò ut notat Anch. *n.* 2. non valet consequentia ista, Prælatus inferior non potest ordinare, ergo nec potest dare dimissorias; quia potest esse, ut alicui inferiori sit concessum secundum negato primo.

Advertit etiam Dom. *num.* 1. quod sub nomine inferioris Prælati veniunt etiam Regulares superiores administrationem utriusque fori habentes; quoniam hic sub nomine Prælatorum inferiorum veniunt principaliter Abbates, qui etiam sunt Prælati regolares. 103

De subditis laicis hunc textum intelligit Gloss. Nam loquendo de subditis regularibus, antiquissimum est, & de jure communi statutum à Sancto Gregor. in suo constituto, seu in Concil. Roman. & habetur *cap. quam sit necessarium* 18. *q.* 2. (quod non ex Epistolis S. Greg. desumptum fuit, ut falsò putavit Barbosa *allegat.* 105. Sed ex citato Concil. Rom. seu Lateranen. celebrato anno 601. quod refert Binnius inter alia Concilia, & cujus decretum per extensum retuli *tom.* 3. *de stat. q.* 189. *art.* 10. *de profess. num.* 974. *pag.* 797. De clericis ergo sæcularibus, & subditis laicis est sermo in hoc cap. Prælatis verò regularibus competit, ut sine illorum dimissoriis nullus suorum subditorum ordinari possit, ut dictum est *cap. super. num.* 8. 104

Ex hoc verò, quod additur, aut subditos colligunt Jo. Andr. *num.* 1. Butr. *num.* 2. Dom. hic *num.* 1. quod amplior facultas sit si alicui Prælato inferiori concedatur respectu subditorum, seu in subditos, quam in clericos, quia concessa in subditos comprehendit subditos, tam clericos, quàm laicos. 105

Quod verò licentia alicui detur, ut possit ordinari à quocumque Episcopo subintelligendum est Catholico, & aliàs legitimè non prohibito ordines conferre, & communionem Sedis Apostolicæ habente, & qui ordines gratis, & sine aliqua pravitate voluerit exhibere, *cap. veniens §. chrisma vero, de præscript. & cap.* 1. *de simon.* Gloss. & Arch. *num.* 2. 106

Consuetudine tamen posse obtineri ab inferioribus Prælatis, ut suis subditis dent commendatitias, vel dimissorias ad ordines voluit Gloss. & Archid. *num.* 2. etiam Jo. *cap. Episcopum* 92. & facit, quod not. Bernar. *sup. cap. significasti, de off. Ordinarii*, Panorm. *in cap. accedentibus num.* 1. *de excess. Prælat.* Barbos. *d. alleg.* 7. *num.* 6. post Capell. Tolos. *decis.* 451. Campan. *rubr.* 9. *cap.* 8. *num.* 2. Hæc verò consuetudo si adesset, non esset revocata per hanc decretalem, quia consuetudo specialis non facta ejus mentione non revocatur per novam constitutionem, *c.* 1. *supr. in hoc lib.* 107

Tandem advertendum, quod officium Vicarii Generalis, seu officialis generalis Episcopi non se extendit ad hoc ut concedat dimissorias ad ordines. Potest tamen ex speciali mandato, id competere, Gloss. Dom. *num.* 1. Franc. *num.* 1. Barbos. *d. alleg.* 7. *num...* & plures apud eum, Sanchez *Opusc. l.* 7. *cap.* 20. *n.* 40. sic Sbroz *l.* 2. *q.* 41. Velasc. *t.* 1. *alleg.* 5. *n.* 7. 108

Pariter quoque Vicarius Episcopi ex speciali mandato Episcopi potest dare licentiam ad ordines, ut notant Gloss. hic, & alii DD. & iterùm Glossa *in cap. significasti, de off. Ordinarii*, ubi Host. *n.* 3. Quamvis verò sub generali mandato Vicarii non veniat facultas dandi dimissorias. Si tamen aliquis teneret vices Episcopi generaliter, & in generali commissione hic casus, vel esset expressus, vel aliqui similes cum clausula super præmissis, & omnibus aliis ad nos spectantibus, existimat R.P.D. Fagn. *c. significasti n.* 6. *de off. Archid.* quod utique Vicarius posset dimissorias concedere. 109

DE

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Cap. Cùm nullus III. §. Episcopo.

SUMMARIUM.

110 *Summa textus.*
111 *Vicarius Episcopi dat dimissorias Episcopo existente in remotis.*
Item Capitulum Sede vacante.
112 *Absentia auget mandatum.*
113 *Quid sit degere in remotis.*
114 *Solus Vicarius generalis dat dimissorias.*
115 *Capitulum Sede vacante dat dimissorias.*
116 *Etiam Visitator.*
117 *Capitulum Sede vacante succedit in ordinaria jurisdictione etiam requirente speciale mandatum.*
118 *Capitulum solum in duobus casibus Sede vacante concedit dimissorias.*
119 *Qua pœna puniantur tam Capitulum, vel ejus Vicarius, quam qui literas obtinent contra decretum Conc. Trid.*

100 DEcernitur hic, quod possit Vicarius Episcopo absente, & Capitulum Sede vacante circa dimissorias concedendas.

Itaque conclusio §. hujus est, quod officialis, seu Vi-
111 carius Episcopi, eo absente in remotis, & Capitulum, seu qui Sede vacante administrat, potest dare licentiam ad ordines suscipiendos.

112 Absentia igitur Episcopi auget Vicarii jurisdictionem, unde potest dare licentiam pro suscipiendis ordinibus subditis, quod ex vi hujus textus sibi negatum erat Episcopo præsente. Propterea ex hoc benè colligit Domin. hìc *num.* 1. quod absentia Domini auget mandatum.

Dubium verò cùm sit, quid significet esse in remotis, qui-
113 dam dixerunt locum remotum esse illum, qui est ultra montes respectu eorum, qui sunt citra montes, *juxta cap. nihil, sup. de elect.* Sed hoc reprobat Gloss. quia aliud est esse remotum, & aliud est esse valdè remotum, locus verò, qui est extra montes Cismontaneos est valdè remotus. Propterea glos. ait, quod locus remotus dici potest, qui est extra Provinciam, *c. coram sup. de elect. l. ult. C. de præscript.* 10. *vel* 20. *ann.* seu qui est ultra duas dietas, *cap. nonnulli, de rescript.* vel ultra unam dietam, *cap. statutum de rescript. in hoc lib.* sed addit hoc esse arbitrarium judici, ut decernatur, quis locus sit remotus. Quod & voluit Menoch. *de arbitr. cas.* 222. *n.* 16. Sanch. *l.* 7. Opus *c.* 1. *d.* 26. *n.* 42. & Barb. hìc *n.* 22. Qui *n.* 17. retulerat Riccium *in praxi res.* 18. tradere quando Episcopus dicatur in remotis agere, ut Vicarius possit impartiri literas dimissorias ordinandis, Palaus verò *tom.* 4. *tr.* 27. *n.* 15. absolutè affirmat, quod Episcopo existente extra Diœcesim Vicarius possit concedere dimissorias, sed juxta communem sensum esse in remotis importat, quid magis, quàm esse extra Diœcesim, nam & potest esse, quod accessus ad Episcopum existentem extra Diœcesim sit commodus, imò ob vicinitatem alterius Diœcesis magis commodus, quàm si Episcopus moraretur in solito suo domicilio intra Diœcesim.

Non tamen quilibet Vicarius potest dimissorias concede-
114 re, quia non Vicarius certi loci, aut districtus, seu Vicarius in temporalibus tantùm vel ad certum negotium tantùm, sed solus Vicarius generalis in absentia Episcopi potest dare licentiam pro ordinibus suscipiendis, Dom. *n.* 1. Qui tamen hoc præstare non potest, nisi Episcopo in remotis agente, Barb. hìc *n.* 16. & apud eum Ugolin. Piasec. Narbona, Campanil. Molfet. Homob. & idem Barb. *de off. Episc. all.* 7. *n.* 9. Sbroz. *de off. Vic. l.* 2. *q.* 41. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 45. *q.* 7. Et sic in duplici solo casu dimissorias concedit, scilicet, vel si habeat speciale mandatum, vel si Episcopus degat in remotis.

Jam Capitulum ex vi hujus textus poterat Sede vacante
dare dimissorias ad ordines ab alio Episcopo suscipiendos, 115
ut per Arch. *n.* 1. Jo. And. *n.* 1. Dom. *n.* 2. & Franc. *n.* 1. Barb. *n.* 18. Navar. *cons.* 31. *hoc tit.* Sayr. *d.* 33. *eod. tit.* Quaran. *v. ordo*, quod tamen fuisse de novo inductum per hunc textum dixerunt Archid. Jo. Andr. & Dom.

Cum verò Sede vacante mitti posse Visitatorem, seu ad-
ministratorem Diœcesis à Pontifice, vel in aliquo casu ab 116
Archiepisc. dictum sit supra *cap. ult. tit. prax.* Hic ergo Visitator ex vi hujus textus posset Sede vacante dare dimissorias ad ordines.

Colligitur verò ex hoc textu, quod Capitulum Sede va-
cante succedit in ordinaria jurisdictione Episcopi etiam 117
quoad ea, quæ requirunt speciale mandatum, Dom. *num.* 2. Franc. *n.* 1.

Hoc tamen fuit limitatum à Concil. Trid. *sess.* 7. *cap.* 10.
ut in duobus solis casibus Capitulum Sede vacante possit 118
concedere dimissorias. Primus est, si beneficii Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasio arctet, secundus est finito anno vacantiæ Sedis. Potest verò Capitulum dare licentiam alieno Episcopo, ut etiam infra annum ordines conferat aliarum Diœcesum subditis, servatis tamen servandis, non tamen ut infra annum à die vacantiæ ordinet subditum Sedis vacantis, nisi beneficii occasio arctet. Et sic potest ei, qui præsentatur ad beneficium concedere licentiam ordinum, Barbosa *in v. dimissoria n.* 2.

Pœna verò lata à Concil. Trid. si ejus decretum non ser-
vetur est interdicti ipso facto, respectu Capituli; respectu 119
verò ordinati ad minores, est ut nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeat. Respectu verò ordinatorum ad majores ordines est suspensio ab executione ordinum ad arbitrium Episcopi futuri. Hanc verò pœnam Concil. *sess.* 23. *cap.* 10. extendit ad omnes, qui hujusmodi literas, non solum à Capitulo, sed à quibuscumque aliis in jurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus obtinuerint. Cùm verò Concil. *sess.* 7. *c.* 10. imposuerit pœnam, tam Capitulo, quàm ordinatis in vi dimissoriarum concessarum à Capitulo *in sess.* 23. *c.* 10. extendit pœnam solum contra ordinatos. Et sic solum Capitulum Cathedralis Ecclesiæ subditur interdicto, si contra decretum Concilii concedat dimissorias. R.P.D. Fagnan. *d. cap. significasti n.* 10. *de off. Archid.* sed tamen Concil. *d. sess.* 23. *c.* 10. vult, quod concedentes dimissorias contra formam decreti illius *cap. ab officio*, & beneficio sint ipso jure suspensi. Et Barbos. ibid. *n.* 19. ex Garz. *in add. par.* 5. *cap.* 7. *n.* 92. tamquam decisum affirmat Vicarium Capituli hanc suspensionem incurrere etiam, si qui literas obtinuit non fuit ordinatus, quia delictum ex parte Vicarii fuit completum.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Cap. Cùm nullus III. §. Religiosi.

SUMMARIUM.

120 *Summa textus.*
121 *Religiosi existentes in Prioratibus possunt ordinari.*
122 *Quid senserint multi de exemptis?*
123 *Regulares exempti non possunt se subjicere Episcopis extra casus expressos in jure.*
124 *Cur textus loquatur de non exemptis.*
125 *Beneficium temporale non dat facultatem ad suscipiendos ordines à Diœcesano.*
126 *Religiosi sunt domiciliares loci, in quo sunt assignati.*

127 *Re-*

127 *Religiosi conventuales cui dicti socii.*
128 *Ad omnes ordines possunt promoveri.*
129 *Dare dimissorias regularibus exemptis spectat ad eorum superiores.*

120 IN hoc §. explicatur regula tradita in principio textus. Cùm enim ibi dictum fuerit, quod superior potens dare licentiam ad ordines, seu ordinare est etiam ille, qui est superior ratione beneficii obtenti in Diœcesi, hoc explicat in hoc §. ut in Religiosis verum sit, etiam si beneficium sit temporale, & manuale, & hoc etiam respectu sociorum ipsius beneficiati, etiam si non sint de Diœcesi illa oriundi.

121 Hæc est ergo regula hic tradita, ut scilicet, Religiosi deputati per superiores in Prioratibus non exemptis, & eorum socii, quandiu morantur in ipsis possunt ab Episcopo loci ordinari, licèt non sint de illa Diœcesi oriundi.

122 Occasione autem istorum verborum in non exemptis disputant hic Canonistæ, quid dicendum de Prioratibus exemptis, & ita quod Lap. Abb. hic, apud Dom. existimaverit, quod solus Papa possit exemptis dare licentiam ad ordines, quod probatur secundùm Archid. *ex fin. hujus cap. & cap. Nullus de Paroch. & cap. Nullus 9. q. 2.* Sed cum hoc impugnasset Jo. *cap. Abbatibus 17. q. 2.* Alii distinxerunt inter contentiosa jurisdictionalia, & pœnalia, & inter ea, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, & dixerunt Episcopos non posse in exemptos exercere contentiosam jurisdictionem, & pœnalem etiam exemptis consentientibus, benè tamen voluntariam, si exempti ad eos accedant, & sic eorum prorogent jurisdictionem. Et pro hac sententia à Dom. refertur Lap. *in Clem. 1. de stat. regul.* Sed hoc multis impugnat Dom. qui distinguit inter ea, in quibus exempti subjiciuntur Episcopis juxta *cap. 1. infra de privil.* & circa ista inquit, quod Episcopus potest cum exemptis exercere jurisdictionem voluntariam, secus circa illa, in quibus exempti Episcopo non sunt subjecti. Nam circa ista, nec ea potest Episcopus exercere, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, etiam ipsis exemptis consentientibus. Quia dispensatio, vel absolutio, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, requirunt jurisdictionem, quàm non habet Episcopus in exemptos, quia Papa est Episcopus exemptorum, per notata *in cap. Nulla dist. 93.* Item regula prohibitoria universalis, & negativa est, quod Episcopi nullam habent jurisdictionem in exemptos, *c. veniens inf. de privil. & Clem. 2. eod. tit.* nisi in casibus in jure expressis; extra hos casus ergo, nihil potest Episcopus in exemptos, sive actus sint jurisdictionis contentiosæ, sive voluntariæ.

123 De hac materia latè tractavi *tom. 3. de stat. q. 189. art. 10. de profess. tota inspectione 10. num. 626. & pag. 781.* & veritas est, quod exceptis casibus in jure expressis Episcopus non potest aliquam jurisdictionem exercere in regulares exemptos, & quod ipsi regulares non possunt ex sua voluntate in aliquo prorogare jurisdictionem Episcopi, & illi se subjicere, ut probatum est ibi à *num. 753. pag.* 818. & in specie, quod regulares non possint accedere ad Episcopos, ut ab eis absolvantur probaveram *in tract. de elect. cap. 26. q. 15. n. 135. pag. 535.* Et qualiter cum regularibus nunc ex eorum privilegiis non habeat locum, *cap. veniens inf. de privil. ostensum est d. to. 3. de stat. loc. cit. à n. 630. pag. 782.* Et nihilominus quomodo regulares subjiciantur Episcopis in iis, quæ sunt potestatis ordinis Episcopalis declaratum fuit ibid. *à n. 799. pag.* 831. & trahit hic Anchar. *n. 2.* Dom. *n. 2.* Franc. *num. 2.*

124 Quantum verò spectat ad intelligentiam hujus textus considerandum est, quod verba ista in non exemptis, ut hic tamquam verius respondit Gloss. posita sunt ad excludendam objectionem tacitam, quę oriri poterat ex quo isti non exempti non erant beneficiati perpetui, sed temporales. Hęc enim difficultas locum non habebat in exemptos, quia indubitatum erat, quod istos sine dimissoriis suorum Superiorum non poterat eos Episcopus ordinare, quod facere poterat illis dimissoriis concessis. Sed difficultas erat de non exemptis, quia cùm non essent oriundi de Diœcesi, ut supponitur (de his enim sermo est in textu, ut patet ibi licèt non sint de eorum Diœcesibus oriundi,) & aliàs cùm in hujusmodi Prioratibus Priores isti, & socii non manerent immobiliter, sed ad tempus, & sic nec viderentur esse domiciliares in Dięcesi, vel habere in ea beneficium perpetuum, videbatur, quod neque ex dimissoriis suorum superiorum possent ab Episcopo ordinari, quia viderentur non pertinere ad illam Diœcesim ratione originis, aut ratione beneficii perpetui, aut ratione domicilii. Ut igitur hanc tolleret dubitationem Bonifacius VIII. decernit quod non obstante, quod isti Priores sint missi à superioribus, & amovibiles, & quod Prioratus isti non sint exempti, & Priores eorumque socii non sunt in Diœcesi oriundi, nihilominus possunt ordinari ab Episcopo.

125 Ex quo colligitur primò contra additionem Glossę volentis hic, *& Clem. 1. §. præmissa de suppl. neg. Prælat.* reprobari opinionem dicentium, quod in beneficiis Ecclesiasticis non perpetuis Episcopus talis beneficii non dat commendatitias; quia tantum abest, quod hæc opinio reprobatur, quod ex hoc textu confirmatur. Nam si beneficium temporale dat Episcopo jurisdictionem, ut possit promovere beneficiatum, non erat necesse, quod Pontifex hoc in specie concederet Religiosis Prioribus, sicut fecit, quia hoc jam Episcopus potuisse facere ex communi jure. Et sic valet hic regula. Id prohibitum, quod non est concessum, & quia solis Religiosis est concessum, quod Priores manuales possint ab Episcopo loci ordinari, remanet id prohibitum non Religiosis.

126 Colligitur secundò, merito hoc fuisse dispositum de Religiosis, quia ipsi cùm non habeant velle, vel nolle, ibi censentur esse perpetuò, & tanquam domiciliares, ubi positi sunt à superiore, quia in perpetuum non possunt sua voluntate ab eo loco discedere, ut notant hic Domin. *n. 2.* Franc. *n. 2.* Anchar. *n. 2.* Et ideò hoc quod est posse ordinari, nedum conceditur Prioribus illis, sed eorum sociis, ut magis appareat, quod concessio innititur rationi domicilii, quàm Religiosi censentur habere ubi ponuntur à suis superioribus, & quod licet de novo advenerint intra Diœcesim, possunt nihilominus ordinari ab Episcopo, si habeant dimissorias sui superioris, dum id non sit factum in fraudem, prout explicatum est loco supra citato.

127 Considerat autem Dom. *num. 1.* quod conventuales dicuntur socii suorum superiorum, & ideò quod superiores Regulares non sunt Domini subditorum suorum.

128 Proculdubio autem tam Priores isti, quàm eorum socii ab Episcopo loci possunt ordinari ad omnes ordines, quia textus absolutè loquitur.

129 Arbitratur autem hic Gloss. quod si isti Priores & socii essent oriundi in Diœcesi Episcopus nedum eos ordinare, sed & posset commendatitias dare. Sed hoc non sequitur, neque est verum, si Priores isti sint exempti ab Episcopo, licèt non sint exempti Prioratus. Nam dare dimissorias regularibus exemptis spectat ad superiores regularium, ut declaravit Sac. Congreg. de ordine, & probatum est loco citato.

SUMMARIUM.

130 *Episcopus non ordinat non suos sine consensu proprii Episcopi.*
Quæ sint literæ dimissoriales.
131 *Dimissoriarum aliæ generales, aliæ speciales. Quæ sola dantur in Regno Neap.*
132 *Forma illarum debet servari.*
133 *Quando sint nullæ, non servatur in eis forma juris.*
134 *Distinctio licentiæ à dimissoriis.*
In dimissoriis est necessaria scriptura.
135 *Distinctio dimissoriarum à testimonialibus.*
136 *Dimissorias non dat Episcopus excommunicatus non tolleratus.*
In eo casu, à quo Episcopo subditi ordinari poterunt.
137 *Possunt dari ab Episcopo absente.*
138 *Dimissorias nec etiam absentibus potest Episcopus negare, nisi ex justa causa.*
139 *Gratis dare debent.*
140 *Quatuor requiruntur ad dimissorias.*
141 *Habente facultatem à Papa ut ordinet à quocumque Episcopo necessaria sunt testimoniales proprii Episcopi.*
142 *Datæ semel durant.*
143 *Hoc fallit, si earum forma non potest servari.*
144 *Episcopus in visitatione potest cogere clericos ad ostendendas dimissorias.*

Quæst.

Quæst. II.

De necessitate dimissoriarum.

ARTICULUS I.

Quibus & quando Episcopus concedere debeat literas dimissorias.

130 Per se ipsum quidem debet Episcopus suis subditis ordines conferre, ut admonet *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1.* sed quia contingere potest, ut vel ipse Episcopus sit impeditus, vel subditus absit à Diœcesi, ideò tunc potest alienus Episcopus non subditis suis de consensu proprii Episcopi ordines conferre, *cap. Episcopum 9. q. 1. & in hoc tit. cap. 1. & in præsenti cap. 3.* Quod etiam in præcedenti decernitur, debet verò hic consensus per literas præstari, ut adnotavit Felin. *in cap. super his num. 13. de Accus. & decernitur a Concil. Trid. sess. 7. cap. 11. & sess. 23. cap. 8.* Et literæ, continentes hujusmodi proprii Episcopi consensum, seu licentiam, dicuntur dimissoriæ à Concil. Trid. *sess. 7. cap. 11. & sess. 23. cap. 8. de reformat.* quia per eas Episcopus suos dimittit ordinandos ab alieno Episcopo. Has easdem literas Concil. Trid. *sess. 7. cap. 10.* vocat Reverendas, quo nomine utuntur Hispani teste Barbosa *alleg. 5. num. 2.* & de his agitur *dist. 71. 72. 73.* per totas. Ubi etiam commendatitiæ vocantur, quæ dantur Clericis peregrinantibus, & sine quibus in aliena Diœcesi non sunt admittendi ad peragenda sacra, *cap. extraneo, cap. hortamur, dist. 71. & in tit. de Cler. pereg.* Et cum Sil. Tinto existimaverit commendatitias dari tantum pro suscipiendis ordinibus, dimissorias verò etiam pro dimissione à jurisdictione, Pax Jordan. Elucubr. *l. 3. tit. 6. num. 140.* ex Azor. *par. 2. l. 3. cap. 49. q. 2.* ait nunc, quidquid sit de vocabulorum proprietate, ex usu eas accipi, ut synonymas. Verùm neque hoc semper verificatur, quia commendatitiæ aliquando sumuntur pro testimonialibus, ut notat R.P.D. Fagnan. *cap. significasti n. 2. de off. Archid.*

131 Dimissoriarum verò aliæ sunt generales, vel respectu ordinum, quia dantur pro omnibus ordinibus suscipiendis, vel respectu Episcoporum, quia conceduntur pro recipiendis ordinibus à quocumque Episcopo; aliæ verò sunt speciales & datæ, vel pro certo ordine, vel pro determinato Episcopo. In Regno Neapolit. non possunt dari dimissoriæ, nisi ad unum tantum certum Episcopum, ex decreto Sacr. Congregationis Cardinalium negotiis jurisdictionalibus regni Neapol. præposita, cujus decreti tenorem refert Nicolius *lib. 1. tit. 11. num. 35.* in quo inter alia sic habetur: *Dictæ autem literæ dimissoriæ uni tantum, & certo Ordinario ad electionem concedentis in posterum dirigantur, & pluribus directæ sint nullæ.* Introductam tamen fuisse consuetudinem, ut nomen Episcopi in albo relinquatur, testatur idem Nicolius in Flosculis, *v. dimissoriæ n. 2.*

132 Qualescumque verò sint earum forma adamussim servari debet sicuti forma mandati, *cap. cum dilecta, de rescript. l. diligenter, ff. mandati.* Olim verò erat certa hujusmodi literarum forma à canonibus introducta *73. dist.* per totam, quæ ab Episcopis servanda erat, quæ tamen hodie non eadem præcisè servatur. Sed in diversis casibus diversæ etiam sunt formæ horum dimissoriarum, ut in cap. 1. tituli, pro ordinandis Ultramontanis, *& in constit. secretis, Urban. VIII.* pro ordinandis oriundis extra Italiam. Sic ergò alienus Episcopus attendere debet an dimissoriæ sint legitimæ, & tenetur earum formam servare, ne tam ipse, quàm ordinatus incidat in pœnas à sacris Canonibus statutas, Cherubin. *ad const. 40. Clem. VIII. schol. 1. & 2.* Barbosa *alleg. 7. n. 2.* Pax Jordan. *d. tit. 6. num. 141.* Hinc si in literis continentur, ut quis possit ordinari à quocumque Catholico Antistite, in propria Diœcesi per se ipsum ordines conferente non verò adsit clausula, *vel ab alio pro eo tibi Pontificalia exercente*; Barbosa *alleg. 6. num. 11.* ex Gutier. *Canon. l. 1. cap. 26. num. 25.* putat quod in vi talium literarum; non possit qui eas defert promoveri à non Diœcesano, etiam si de licentia Diœcesani Pontificalia exerceat, & ordines conferat, & pro hac sententia citat Sanchez *l. 7. opus. cap. 1. d. 20. num. 8.* ubi hoc pluribus rationibus probat. Nam literæ præfatæ restrictæ sunt ad Diœcesanum in propria Diœcesi ordinationes habente. Et qui in aliena Diœcesi de licentia Diœcesani ordinationes habet, aliarum Diœcesum subditos non potest promovere, nisi habeant dimissorias à suis Episcopis, quas pro se ipso non habet, qui illas habet pro Episcopo in propria Diœcesi habente ordinationes. Pariter, quia in literis generalibus datur facultas, ut quis possit promoveri à quocumque Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, non evitat pœnas, qui se facit promoveri ab Episcopo hæretico, vel schismatico, vel excommunicato, aut suspenso, seu interdicto: quia nullus hujusmodi Episcopus habet communionem cum Sede Apostolica, Sanchez *l. 7. opus. cap. 1. d. 20. num. 6.* Item si quis habeat dimissorias pro Ordinibus minoribus non potest ordinari ad majores. Et sic servari debet, quod in literis continetur, ut literarum termini non excedantur.

Et licet non omnia, quæ de jure exprimenda sunt in literis dimissoriis censenda sint de forma, ita ut ordinans, & ordinatus subjiciantur pœnis, si in literis aliquid deficiat, quod ex lege debet contineri, tamen si dicatur, quod literæ aliter non suffragentur, ut dicitur à Concil. Trid. *sess. 7. cap. 11. de reform.* de dimissoriis non continentibus causam ob quam alienus non possit à suo Episcopo ordinari, tunc literæ non suffragantur, & in vi illarum si quis ordinetur tam ordinans, quàm ordinatus subjicitur pœnis latis contra ordinantes, & ordinatos sine legitimis dimissoriis. Idem dicitur de literis testimonialibus ad mentem ejusdem Concilii *sess. 23. cap. 8.* Et idem si in lege præcipiente servari aliquid in hujusmodi literis, ponatur clausula, *quod literæ aliter concessæ sint nullæ*, vel alia similis irritans aliter factum. 133

Conqueritur verò Pax Jordan. *d. tit. 6. num. 143.* quod Barbos. *all. 7. num. 2.* confuderit dimissorias cum licentia; ipse verò inter hæc duo distinguit, quod licentia datur immediatè ordinatori Episcopo, & dimissoriæ conceduntur ordinandis. Rursus licentia non datur necessariò in scriptis, sed oretenus potest concedi, & probari per testes, aliosque probandi modos, prout sibi multoties Romæ ab Eminentiss. Urbis Vicario concessa oretenus fuit. Sed dimissoriæ quæ dantur ordinandis necessario requirunt scripturam, *dist. 71.* per totam, Felin. *cap. super his num. 13. de Accusat.* Rebuff. *in prax. de form. lit. dimiss. num. 34.* Sed puto præcipuam differentiam esse, quod licentia in plus se habeat, quàm dimissoriæ, quia licentia datur absentibus, & præsentibus, & sic ad licentiam non est necessaria scriptura, si datur præsentibus. Quomodo nihil interest, an licentia dirigatur Episcopo ordinatori, aut ipso subdito ordinando, dum detur in præsentia Episcopi ordinatoris. Sic enim si in præsentia Ordinatoris Episcopi proprius Episcopus dimitteret subditum, puta Petrum, ut posset à præfato Episcopo ordinari, non esset necessaria scriptura, quia viva voce constaret Episcopo illo alieno, de dimissione facta Petro, ut posset ab eo alieno Episcopo ordinari. Sic igitur requiruntur literæ dimissoriæ, & non sufficit licentia oretenus data, quando dimissio fit ad absentem Episcopum. Et tunc scriptura est necessaria ex Conc. Trid. *sess. 7. cap. 11. & sess. 23. cap. 8.* sed vide dicta supra *cap. eos qui n. 9.* 134

Distingui etiam debent dimissoriæ, à testimonialibus, quia in illis datur licentia alieno Episcopo ordinandi, & sic datur illi jurisdictio. Sed testimoniales solum fidem faciunt de moribus, seu idoneitate ejus, ad cujus favorem dantur, non verò dant licentiam, vel jurisdictionem, quia imò potest esse, quod dans testimoniales jurisdictionem dare non possit, ut cùm Prælatus inferior, qui ordinare non potest, nec dimissorias dare, tamen dat testimoniales fidem faciens de sui subditi qualitatibus. 135

Indubitatum verò est, quod dimissorias hujusmodi dare potest Episcopus ei, qui sibi ratione, vel originis, vel beneficii, vel domicilii est subjectus, ut decernitur in prima parte hujus decretalis. Quod tamen limitatur nisi Episcopus fuerit excommunicatus non tolleratus, seu suspensus, declaratur Barbos. *alleg. 7. num. 3.* Fermos. *cap. quod translationem q. 9. num. 17.* vel hæreticus notorius. R.P.D. Fagn. *cap. his, quæ num. 60. de major. & obed. cap. ad abolendam n. 22. & cap. absolutos num. 26. de hæret.* In casu verò isto, quod excommunicato Episcopo possint Clerici ordinari à viciniori Episcopo, tradit Barbosa *alleg. 7. num. 6.* Verùm cùm supra *cap. eos*, qui subditis suspensi Episcopi conceditur, ut possint pro suscipiendis ordinibus adire vicinos Episcopos 136

solum

solum in casu illius textus, ut communiter etiam docent Canonistæ, & dictum est ibi *num.*28. Non est in jure fundatum asserere, quod subditi ratione censuræ Episcopi proprii possint adire viciniorem Episcopum. Ideò juxta sententiam Jo. Andr. Anch. Butr. Dom. & Franc. *cap. final.* in hoc titulo, ut ibi explicatur, dicitur, quod suspensio à collatione ordinum non se extendit ad dimissorias, & sic, quod Episcopus suspensus à collatione ordinum, potest suis concedere dimissorias, ut ab aliis ordinentur. Quando autem Episcopus esset hæreticus notorius R. P. D. Fagnan. *in cap. ad abolendam, & cap. absolutos, de haret.* putat spectare ad capitulum dare dimissorias. Sed hoc discutere pertinet ad titulum de hæreticis. Quamvis verò Episcopus non consecratus non possit ordinare, quia hoc est potestatis ordinis, potest tamen dimissorias concedere, quia hoc est jurisdictionis, si tamen Episcopus sit à Papa confirmatus, Salzedo ad Diaz. *cap.* 26. §. *sine licentia*, Rebuff. *tit. de lit. dimiss. num.* 6. quos sequitur Sanchez *d. dub.* 20. *num.* 31.

137 Possunt verò dari ab Episcopo absente à Diœcesi, & pro Clerico absente, & etiam in remotis existente, ut tunc vel absentem ad se vocare potest, ut illum examinet, si commodum erit, vel committet examen Ordinario loci, in quo subditus ordinandus degit, ut declaravit S. Congreg. Concilii, & tamquam sic decisum tenent R. P. D. Fagnan. *cap. cum secundum num.* 40. *de prabend.* Barbos. *in sum. v. dimissoria num.* 4. Sed & apud eum Nicolium, *v. dimiss. num.* 6. quod examen præscriptum à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 3. committi possit Episcopo ordinanti, vel alteri, cui in confidentiam transmittuntur dimissoriæ, declaravit Sac. Congreg. Episc. & Reg. in una Cajet. 20. Decembris 1588. & in Cæsenet. 3. April. 1590. & in Patav. 7. Jun. 1594.

138 Ex quo deducitur, quod Episcopus hujusmodi dimissorias non potest negare absenti, & præcipuè manenti in Curia, sub prætextu, quod ipse Episcopus ignoret qualitates, & idoneitatem petentis ordinari, prout teste eodem Nic. *d. num.* 6. declaravit eadem S. Congreg. Vercellen. 3. Octob. 1653. Idem verò Nicol. *lib.* 6. *tit.* 22. *de Cler. pereg. num.* 3. adnotandum censet, sæpiùs resolutum fuisse à Sac. Congr. tam Episc. quàm Concilii, Clericis, qui non habent aliquod officium, vel beneficium personale requirens residentiam, non posse ab Episcopo negari dimissorias, seu licentiam manendi extra Diœcesim, quæ debent esse liberæ non coarctatæ ad tempus: nisi indigeret eis in propria Diœcesi, & vellet eis commodè providere. Quo casu non solùm posset eis negare dimissorias, sed etiam eos cogere ad redeundum per sequestrationem patrimonii. Ex causa tamen justa etiam occulta potest Episcopus negare proprio subdito hujusmodi dimissorias juxta decretum Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. *de reformat.* Unde non omninò subsistunt, quæ habet Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *dub.* 29. Sed de hoc decreto Concilii nonnulla dixi *tom.* 3. *de stat. q.* 189. *art.* 10. *à num.* 857. *pag.* 849. Et dimissorias datas potest Episcopus ex causa revocare, Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *d.* 20. *num.* 18. & nihilominus si Episcopus habentem necessarias qualitates nolit ordinare, Legatus, vel Nuntius in gradu appellationis potest id committere viciniori Episcopo, Sanchez *d. dub.* 20. *n.*27.

139 Gratis autem esse tradendas hujusmodi dimissorias respondit S. Congr. Concil. apud Garz. *de benef. par.* 8. *cap.* 1. *num.*77. & propterea hoc tenent Barbos. *in sum. v. dimissoria num.* 1. *& alleg.* 7. *num.* 26. Pax Jordan. *d. tit.* 6. *num.* 142. Pax Jordan. tamen advertit permitti, ut notarius recipiat competentem mercedem pro scriptura. Sed cum pro singulis dimissoriis, seu testimonialibus decimam partem aurei recipere posse tantùm, nisi salarium sit ei constitutum, vel consuetudo adsit nihil recipiendi, ex Suarez *lib.* 4. *de simon. cap.* 35. *num.* 6. Navar. *in Manual. cap.* 23. *numer.* 202. Sbroz. *de off. Vicarii l.* 2. *q.* 42. & pluribus aliis tradit Barbosa *allegat.* 7. *num.* 26. Et de hoc adest decretum Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. Videantur dicta suprà *cap. statutum de rescript. quæst. quinta art.* 1.

140 Quatuor verò requiruntur ad hoc, ut Episcopus legitimas dimissorias concedat. Primò enim requiritur examen, & approbatio ejus, cui dantur, juxta decretum Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. *& sess.* 23. *cap.* 3. Secundò requiritur justa causa illas concedendi, quæ non est sola infirmitas Episcopi, sed omne justum impedimentum, ob quod impetrans dimissorias non potest ordinari à proprio Episcopo; & hæc causa debet in dimissoriis explicari juxta decretum Concil. Trid. *sess.* 7. *cap.* 11. Tertiò exprimendi sunt ordines, pro quibus suscipiendis dantur dimissoriæ. Et quartò exprimi debet an literæ dentur pro certo Episcopo, vel indefinitè.

Quando verò aliquis à Papa habeat facultatem, ut possit 141
ordinari à quocumque Episcopo, tunc non sunt dandæ illi dimissoriæ à proprio Ordinario. Nihilominus necessariæ sunt ejusdem Ordinarii testimoniales in terminis Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 8. aliter tam ordinans, quàm ordinatus incurrunt suspensionem. Ille ab ordinum collatione per annum; iste ab executione susceptorum quandiu proprio Ordinario visum fuerit, Quaranta *v. ordo*, Barb. *d. all.* 7. *n.* 15. Pax Jordan. *d. tit.* 6. *n.* 150.

Datæ verò semel hæ dimissoriæ non expirant, vel morte, 142
vel amotione concedentis, Sacr. Congr. Episc. in Orien. 12. Novembr. 1600. & referunt Lezana *p.* 3. *v. dimissoria num.* 9. Barbos. *eodem verb. num.* 7. & Nicol. *n.* 1. Pax Jordan. *d. tit.* 6. *num.* 146. Et ita, quod concessæ à Capitulo Sede vacante durant licet cesset jurisdictio Capituli, ut tamquam decisum à S. Congr. Concil. tradit Barb. ubi sup. *num.* 6. & dixerunt Card. *in Clem. fin. de elect. q.* 5. & Navar. *cap. placuit de pœnit. disp.* 6. *num.* 34. Poterunt tamen ex causa justa revocari à Prælato novo, Barb. *alleg.* 7. *n.* 23. Pax Jordan. *n.* 147. Ubi *num.* 149. quod non est necesse sequi Concilium, Gutierez *Canon. l.* 2. *c.* 17. *n.* 12. volentis ordinatores non debere admittere has dimissorias, nisi à novo Prælato confirmatas.

Hoc tamen deficit, si post mortem concedentis dimisso- 143
riarum forma servari non possit. Barbosa in examine suo pro Episcopatu interrogatus fuit de sequenti dubio, ut ipse fatetur *alleg.* 7. *num.* 34. Quidam Episcopus licentiam concessit titulari Episcopo suo Suffraganeo ordinandi certos examinatos, approbatos, & in matricula descriptos. Sed eo mortuo ante diem ordinationis quæsitum fuit, an licentia data duraret, & valeret, & Cardinali de Lugo affirmante, ipse Barbosa respondit licentiam non valere, quæ ex parte ordinandorum non erat perfecta, & res erat mutata, nam jam licentia percutiebat locum, & personam prohibitam aliunde, quia Sede vacante infra annum nullus potest ordinari; nisi beneficii occasione urgente, ex Conc. Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. Et delegatio Suffraganei Sede vacante cessat, ut declaravit S. Congr. Concil. in Vilnen. 22. Februar. 1631. Sed è contra dici potuisset decretum Conc. *sess.* 7. non comprehendere subditos jam à præcedente Episcopo examinatos, approbatos, & in matricula descriptos, & ideò, quod ex parte non impediebatur licentia data, ad cujus valorem sufficiens fuisset, quod Capitulum concederet titulari facultatem ordinandi. Sed responderet Barbosa jam illos non ordinari virtute licentiæ Episcopi mortui, sed Capituli viventis. Ego puto, quod in simili casu Capitulum posset sic approbatis dare dimissorias, vel concedere licentiam Episcopo alius non impedito eos ordinandi in Diœcesi vacante, ut probat Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *d.* 26. Sed tamen vera est regula data, quod licentia data ab antecessore non durat, si ejus forma servari non potest, vel ex morte consurgit canonicum aliquod impedimentum, ex quo licentia servari non potest.

Episcopus verò in Visitatione potest cogere ordina- 144
tos ad ostendendas dimissorias, quarum virtute ordines susceperunt, ut probat R. P. D. Fagnan. *cap. licèt Heli, num.* 34. *de simon.*

SUMMARIUM.

145 *Abbates exempti antiquitus dabant suis subditis ordines minores, & dimissorias ad illas.*
146 *Et etiam dabant dimissorias ad majores.*
147 *Decretum Concil. Trid.*
148 *Abbates dant dimissorias suis subditis monachis.*
149 *Inferiores Prælati nunc non dant dimissorias sæcularibus.*
150 *Aliqui hoc negant de Prælatibus habentibus territorium.*
151 *Absolutè nullus inferior dat dimissorias ad Ordines.*
152 *Nisi ex privilegio.*
153 *An concedant testimoniales.* 154.

155 *Ab-*

155 *Abbates eas concedunt Novitiis.*
156 *Vicarii generales, vel Capitulum in duplici casu concedunt dimissorias.*
157 *Quis dicatur arctatus ratione beneficii.*
158 *Eas dat Vicarius Apostolicus.*
159 *Non tamen Archiepisc. vel visitator ab eo missus Sede vacante.*

ARTICULUS II.

Utrùm inferiores Episcopo possint in aliquo casu sui subditis dimissorias concedere.

145 DE jure communi antiquo, & præcipuè ea vi præsentis Decretalis, Abbates, & alii Prælati inferiores poterant dimissorias concedere si exempti erant, & habebant proprium territorium, & in suos subditos jurisdictionem quasi Episcopalem, ut hìc advertetunt Jo. Andr. *num.* 2. Anchat. *num.* 3. Franc. *num.* 5. Hoc autem verum erat respectu primæ tonsuræ, & Ordinum Minorum, quos suis subditis conferre poterant, *cap. Abbates, infr. de privil.* & *cap.* 1. ubi Gloss. *verb. a non Episcopis, de ordin. ab Episc.* & *cap.* 1. ubi Gloss. *in v. alia, de supplend. negl. Prælat.* Bellam. Card. Butr. & Panorm. *in cap. cum contingat*; Navar. *cons.* 13. *de privil.* Turrecrem. *in cap. quoniam num.* 6. post Hug. & Archid. *dist.* 69. Innoc. *in rubr. de Cler. pereg. n.* 3. R.P.D. Fagnan. *in cap. significasti num.* 13. *de off. Archid.* Tambur. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *n.* 4. unde eadem ratione poterant illis dare dimissorias, ut eosdem ordines possent suscipere ab aliis, quia in hoc valet consequentia à facultate ordinandi ad facultatem dandi dimissorias, *c.* 1. *dist.* 72. Rot. *dec.* 985. *n.* 3. coram Seraphino.

146 Sed præterea ad hoc, ut aliquis posset dimissorias dare, non erat necesse, quod ordines possent conferre, sed sufficiebat, quod essent exempti & à Sede Apostolica haberent facultatem dandi suis subditis licentiam, ut à quocumque Episcopo possent ordines suscipere, ut ex hac Decretali constat, §. *inferiores*. Nam & de facto modo multi Regulares, qui non possunt suos ordinare, dant illis dimissorias, sine quibus ab Episcopis ordinari non possunt. Ideò Rota citata, & multi alii non benè probant, quod Abbates non possint dare dimissorias suis subditis sæcularibus, quia illos non possunt ordinare. Neque enim hæc negativa consequentia valet, sed ex vi hujus Decretalis quicumque exempti habebant à Sede Apostolica facultatem dandi suis licentiam ad ordines, sine qua non possent ordinari, poterant dare dimissorias, ut hìc tradunt Canonistæ, etiam si ordinare non possent.

147 Sed modò servandum est decretum Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 10. *de reform.* ibi: *Nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiã Ecclesiarum Cathedralium, literas dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

148 Itaque ergo hìc non prohibentur Abbates dare dimissorias suis subditis Monachis, sed tam ipsi, quam alii Regulares exempti dant suis subditis dimissorias. De quibus videri possunt, quæ de his scripsi *tom.* 3. *de statib. q.* 189 *art.* 10. *de profess. d. inspect.* 10. *à n.* 849. *pag.* 847.

149 Nunc tamen nec Abbates, nec Collegia, nec Cathedralium capitula clericis sæcularibus suis subditis ad tonsuram, vel ordines suscipiendos possunt dimissorias concedere, quod docuerunt Mirand. *tom.* 1. *q.* 39. *art.* 3. Henriq. *in sum. l.* 10. *cap.* 22. *num.* 3. Barbosa *de off. Episc. all.* 7. *num.* 7. & *in d. cap.* 10. *sess.* 23. Trid. *num.* 10. Tambur. *de jur. Abbat. t.* 2. *d.* 2. *q.* 27. Rota *in d. decis.* 985. *num.* 2. coram Seraphino, & in una Urbinaten. Parochialis 14. Decemb. 1592. coram Blancheto, R.P.D. Fagnan. *in cap. significasti num.* 20. *de off. Archid.* Ubi *num.* 27. & *seqq.* refert plures declarationes S. Congreg. Concil. hoc decernentes, ut quod Cardinalis Farnesius Abbas S. Zeni & Farfę non posset dimissorias concedere, & quod id non competat Abbatibus habentibus usum mitræ, & baculi, & nec cuicumque Abbati? quod neque id poterat Præpositus Praten. licèt sit exemptus, & habeat in suos jurisdictionem ordinariam. *Quod cap.* 10. *sess.* 23. Trid. intelligitur tam de sæcularibus, quàm de regularibus respectu Clericorum sæcularium: quod neque hoc poterat Præpositus Piscien. licèt habeat in suos subditos quasi jurisdictionem Episcopalem, & populum, territorium, & privilegium sibi à Leone X. concessum: quod nec Episcopus, cui commendatum est monasterium exemptos potest sibi subditos ratione dicti monasterii ordinare, quia ordinare illos ut Abbas, non ut Episcopus: quod cùm terra Patiniani nullius Diœcesis, & pertinens ad Hospitale S. Joan. Jeros. petiisset, à quo homines dicti loci deberent ordinari, S. Congreg. respondit facultatem hanc relinquendam viciniori Episcopi, si nescitur intra cujus Diœcesi fines illa terra consistat, & vicinitatem Ecclesiæ attendi, non territorii. Et inter alia eadem S. Cong. censuit, Diœcesis Abbatem regularem nullius Diœcesis intra alicujus fines non consistentem, territorium separatum, & utramque jurisdictionem habentem in Parochos, & Parochianos, habentem etiam spontaneam renuntiationem Episcoporum à Sede Apostolica confirmatam, non posse minores ordines clericis sæcularibus conferre, nec dimissorias concedere, sed harum concessionem spectare ad Episcopum viciniorem, non autem ad Episcopos, qui concesserant.

150 Nihilominus quod excipi debeat superior Episcopo inferior, qui habet territorium separatum, & in eo liberè utrumque jurisdictionem exercet, visitat, punit, solemniter populo benedicit, habet usum mitræ, & baculi, & Synodum convocat, dixerunt Ciarlin. *tom.* 1. *cap.* 46. *num.* 19. post Grilez. *cons.* 182. *nu.* 28. & 30. Hinc Grat. *t.* 2. *discept.* 212. *nu.* 18. referens Rotam in Salmant. jurisdict. 9. Maji 1594. quam tamen cùm dicat revocatam fuisse, & S. Cong. aliud declarasse se remittit ad dicenda alibi. Refertur etiam pro eadem sententia Campan. *rub.* 9. *cap.* 8. *num.* 4. Et eam veram putat Barbosa *de off. Episcopi allegat.* 7. *num.* 8. & *in sum. v. dimissoria num.* 12. quem sequitur Tambur. *tom.* 2. *d.* 2. *q.* 26. *num.* 3. si huic Prælato concessum sit territorium separatum cum plena jurisdictione super homines tam clericos, quàm laicos, & ita ut Episcopus, annuente Sede Apostolica omne jus, & jurisdictionem, quæ sibi competebat à se abdicaverit, nullumque jus in eis retinuerit etiam quoad consecrationes, ordinationes, cæterasque Episcopalis officii indigentias, sed illas à quocumque voluerit Episcopo recipiendi, illi tribuerit facultatem. In hoc enim casu talem Prælatum posse concedere dimissorias ait tenuisse Rotam in nullius, seu Squillacen. jurisdictionis 4. Maji 1616. Et hoc confirmat, quia cùm S. Congr. Episc. & Regular. præcepisset Priori S. Stephani de Busco ordin. Carthusien. ne auderet concedere dimissorias ad ordines sæcularibus eidem monasterio subjectis; cùmque pro parte d. monasterii facta fuisset instantia pro revocatione dicti præcepti attento, quod decisionibus, & sententiis Rotalibus jam fuerat resolutum dictum monastarium habere proprium territorium, & in suos subditos exercere omnimodam jurisdictionem: *Eadem S. Congr. Eminentiss. Gypsio referente censuit revocandam, & tollendam esse, prout præsentis decreti virtute revocat, & tullit suspensionem, per quam prædicto Priori Carthusien. Monasterii Sancti Stephani de Busco ab eadem Sacr. Congr. prohibitum fuit 21. Februarii ..... concedere dimissorias ad ordines subditis sæcularibus. Romæ* 18. *Junii* 1631.

151 Verùm urget contra hujusmodi sententiam gravis difficultas. Nam in idem coincidunt Abbatiam aliquam esse nullius Diœcesis, & eam habere jurisdictionem ordinariam cum plena, & plenissima jurisdictionem in subditos, tam Clericos, quàm laicos etiam privativè quoad Episcopos. Idem enim omninò importat esse nullius Diœcesis, & habere proprium territorium separatum à Diœcesi Episcopi secundùm Gloss. *in Clem.* 1. §. *volumus, in v. Diœcesanis, de foro competent.* & Card. *ibi in* 4. *quæs. num.* 2. Imol. *num.* 38. Vital. *num.* 4. & Panorm. *num.* 15. Territorium verò sine omnimoda jurisdictione privativè quoad Episcopos ab inferioribus Prælatis acquiri non potest, ut advertit Gemin. post Jo. à S. Georg. *cap.* 2. *col.* 4. *in vers. quæro an inferiores Prælati habeant territorium, supra de Const. in hoc lib.* ubi idem docet Anchar. *num.* 10. Cùm ergo S. Congreg. tantis vicibus declaraverit, quod nec Prælati nullius Diœcesis possint sæcularibus concedere dimissorias ad ordines, idem fuit ac si declarasset, eosdem non posse easdem concedere dimissorias, etiam si habeant proprium territorium, cum omnimoda jurisdictione privativè quod Episcopum. Quod confirmatur, quia cùm de illa decisione Rotæ in Salmantina Jurisdictionis 9. Maji 1594. coram Seraphin. actum

fuisset

fuisset in Sacra Congr. Concilii, & compertum fuisset eam non esse conformem decretis Concil. Trid. & declarationibus hac de re editis Sacra Congregatio, (ut refert R. P. D. Fagnan. *d. cap. significasti num.* 20.) facta relatione Sanctissimo jussit eam non imprimi. Sicut de facto inter alias decisiones Card. Seraph. non est impressa. Quamobrem idem R.P.D.Fagnan. aliis objectionibus solutis concludit ibidem *nu.* 24. quod circumscriptis privilegiis post Concilium concessis, nullus Prælatus inferior hodie reperitur cui liceat, vel ordines conferre, vel ad ordines dimissorias sæcularibus subditis concedere, sive illorum territorium sit intra, sive extra fines alicujus Diœcesis. Unde S. Congreg. olim declaravit, nec Abbati Cassinen. nec Caven. nec Farsensi, nec Subjacensi, nec Castri Durantis (hodie Urbanea) nec Nonantulani, nec S. Laurentii in Campo hanc facultatem competere. Ita R.P.D. Fagnan. loco citato. Hinc Barbosa *d. resol. 7. num.* 11. ex Quaranta *v. Capitulum Sede vacante*, advertit, quod Capitulum non potest dimissorias concedere etiam si habeat territorium distinctum, & exemptum ob immemorabilem possessionem, & nec etiam ad primam tonsuram, ex Majol. Ricc. Rodriq. Monet. & Garz. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 95.

152 Si tamen aliquis Abbas post concilium Trident. obtinuit privilegium dandi hujusmodi dimissorias, sicut illud obtinuisse ex sententia S. Congr. Abbatem Cassinen. à Sixto V. & Caven. à Paulo V. refert idem R.P.D. Fagnan. *num.* 25. possunt eas concedere. Idemque privilegium concessum fuisse ab Urbano VIII. Abbati, seu Commendatario Beatæ Mariæ Farsensis, & S. Salvatoris Majoris pro dictarum Abbatiarum subditis in constit. Romanus Pontifex 18. Novembr. 1628. testatur Barbosa *in sum. v. dimissoria num.* 13. Nam alias Concilium citato derogavit omnibus privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus.

153 An verò superiores hujusmodi possint saltem suis subditis concedere testimoniales, seu commendatitias, Barbos. *in v. dimissoria num.* 10. primò asserit subditos Prælatorum inferiorum debere obtinere à suis Prælatis testimoniales de vita, & moribus prout declaravit S. Congr. Episc. & Regul. 5. Maji 1587. Verum de jure Eccles. *lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 61. *& d. alleg.* 7. *num.* 8. aliam refert declarationem Sacr. Congr. Concilii, per quam censuit licere Episcopis viciniorìbus ordines conferre subditis sæcularibus, Abbatum, & aliorum inferiorum etiam nullius Diœcesis, sine consensu, seu literis testimonialibus eorumdem Abbatum, & aliorum inferiorum. Romæ 22. Februarii 1631. Et cùm ista videantur contraria, idem Barbosa explicat, ut primum verum sit de congruentia, & sic absolutè hujusmodi testimoniales non sunt necessariæ. Prælatos nihilominus hujusmodi inferiores Episcopo habentes territorium, & ordinariam jurisdictionem dare hujusmodi testimoniales docet R. P. D. Fagnan. *d. cap. significasti notab.* 1. *& n.* 26.

154 Cæterum si illa declaratio, quæ dicitur data 22. Februarii 1631. verè data fuit in illis terminis, & non potius in originali ejus loco dictionis *testimonialibus* non est, dictio *dimissoriis*, prout verisimilius est, quia dimissoriæ sunt, quæ continent consensum, & videtur, quod sensus illius declarationis sit, quod Episcopus vicinior non indiget consensu, & licentia Prælati inferioris, & sic dictio, *seu* accipiatur non disjunctivè, sed declarativè, & sit Episcopum viciniorem posse ordinare subditos Prælati inferioris sine ejus consensu, sive sine licentia ejus, & dimissoriis; si inquam illa declaratio non in his, sed in terminis à Barbosa recensitis fuisset data, considerandum est, quod non loquitur de omnibus Episcopis, sed de solo viciniori. Et adhuc, quod intelligenda esset omninò sine præjudicio eorum, quæ statuit idem Concilium *sess.* 23. *cap.* 5. ubi cùm in promovendis ad minores ordines requirat bonum testimonium à Magistro scholæ, & à Parocho, & in ordinandis ad majores exigat literas testimoniales post sumptas publicas informationes datas à Parochis, multò magis requirit testimoniales Prælati, qui est Parochus omnium suorum subditorum. Sic quoque *sess.* 23. *cap.* 8. præcipitur, ut nullus ordinet alienum subditum, nisi habentem sui Ordinarii testimoniales literas, quas dare non potest Episcopus vicinior de subditis Prelati inferioris privativè quoad Episcopum, nisi medio Prælato ipso inferiori, unde ejusdem testimoniales necessariæ sunt.

Cùm tamen dictum sit Prælatos Regulares posse suis subditis regularibus dare dimissorias dubium est, an possit eas dare Noviriis. Affirmativè respondi *tom.* 3. *de stat. q.* 189. *art.* 10. *de profess. num.* 851. *pag.* 847. Et idem nunc confirmo, neque advertens, quæ habet Fermos. *cap. cum contingat, de ætat. & qualit. q.* 3. *num.* 18. *& seqq.* deficere, quia novitius licèt ratione professionis nondum sit Prælato regulari plenè subjectus, tamen est illi subjectus ratione domicilii, ut probavi pluries *in d. tractatu*. Prælatus autem subdito ratione domicilii, potest dare dimissorias. 155

Supra etiam in exposit. textus explicatum est, quomodo Vicarius Episcopi possit dare dimissorias in duobus casibus, scilicet præsente Episcopo, si habeat ad id speciale mandatum, & Episcopo absente, & degente in remotis. Sic etiam de Capitulo, seu Vicario ejus Sede vacante, dictum est, quod has dimissorias in solo duplici casu potest concedere, vel scilicet infra annum à vacantia sedis, si ad id arctet beneficii acquisiti, vel acquirendi occasio, vel post annum à die præfatæ vacantiæ. 156

Dicuntur verò arctati ratione beneficii, quia obtinens beneficium requirens servitium personale ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto, aut fundatione tenetur se promoveri facere intra annum, Barbosa *alleg.* 7. *num.* 11. Garz. *p.* 5. *cap.* 7. *n.* 98. Idem arctatus dicitur, qui tempore provisionis beneficii debet habere ordinem, & hoc etiam si impetrans fuisset dispensatus, ut hoc non obstante posset consequi beneficium, Barbos. *d. num.* 11. Et sic universaliter arctatus dicitur, qui non habet certum ordinem, quem petit beneficium, ad quod quis habet jus, vel est vocatus, aut præsentatus, Garz. *d. cap.* 7. *num.* 99. Barbosa *d. num.* 11. Ubi ait electum in concursu ad curatum, cujus collatio spectat ad Papam, non posse interim dici arctatum; nec non minimè arctatum dici illum occasione beneficii recipiendi, cui aliquis vult resignare aliquod beneficium requirens actu ordinem, quo ille caret. Hoc etiam pro nunc notatur, quod Concilium non loquitur de collegio Cardinalium Sede vacante, nec eorum limitat facultatem, unde dare potest dimissorias ad ordines, ut ex Salzedo, & Majolo tradit Sanchez *l.* 7. *opus. cap.* 1. *d.* 20. *num.* 39. 157

Sed quia vacante Sede Episcopali potest Papa mittere Visitatorem, qui Episcopatum administret, hic à Concilio *sess.* 7. *c.* 10. *vel sess.* 23. *c.* 10. non est prohibitus dare dimissorias, & sic isti Vicarii Apostolici illas concedere possunt, Barbosa *d. all.* 7. *n.* 13. post Majol. Campan. Salzed. Mandos. Graff. & Vulpium. 158

Archiepisc. verò etsi superior non potest hujusmodi dimissorias concedere, vel vivente, vel mortuo Suffraganeo, & Sede vacante. Quia cùm est Diœcesanus, & proprius Episcopus Diœcesarum Suffraganeorum. Unde Archiepiscopus non potest solemniter exercere actus pertinentes ad ordinem Episcopalem intra alienam Diœcesim, juxta Gloss. magnam in *Clem. fin. de privil. v. etiam celebrare*, Covar. *pract. cap.* 9. *num.* 2. Sanchez *l.* 7. *opusc. c.* 1. *d.* 20. *num.* 30. Et ideò, quod Archiepiscopus subditus Suffraganeorum non possit ordinare, neque eis dimissorias concedere ex hoc cap. 3. docuerunt Franc. *num.* 3. Dom. Covar. *d. cap.* 9. *n.* 2. Gloss. *in cap.* 1. *v. agant, infr. de off. ordin.* Felin. *cap. pastoralis, de off. ord.* Rebuff. *in praxi benef. tit. de lit. dimissoriis num.* 7. Salzed. ad Diaz. *cap.* 26. §. *non tamen*, Sanchez *d. num.* 30. & nec per mortem Suffraganei ad eum devolvitur jurisdictio Episcopi, *ut ex cap.* 1. 3. *&* 4. *tit. super constat.* Quamvis verò in casu negligentiæ Capituli possit mittere Visitatorem *cap. fin. tit. super.* tamen hic Visitator ex Conc. Trident. decreto *sess.* 23. *cap.* 10. has dimissorias non potest concedere. 159

S V M M A R I V M.

160 *Prælatus inferior concedens dimissorias est suspensus per annum ab officio & beneficio.*

Etiam si impetrans illas non fuerit æsus.

161 *Etiam ordinatus minoribus sine dimissoriis est suspensus.*

162.

Hæc suspensio non afficit promotos ad tonsuram.

163 *An si ordinans id faciat sub spe ratihabitionis locum habeant pœnæ.*

164 *Ratihabitio de futuro non excusat à culpa & pœna.*

165 *Ra-*

165 *Ratihabitio quæ est præsumpta licentia, antiquitùs excusabat ab hac suspensione.*

Ex vi canonum antiquorum ordinati sine licentia non erant ipso facto suspensi, 166.

166 *Collatio beneficiorum sic ordinatis tunc non erat invalida.*

167 *Tunc hujusmodi ordinatio rata haberi poterat.*

168 *Nunc non licet sub spe ratihabitionis sine literis alienum subditum ordinare.*

ARTICULUS III.

Qua pœna puniantur, tam Prælatus inferior dans dimissorias, quàm ordinatus in vim illarum.

160 HUjusmodi verò inferioribus Prælatis dimissorias illegitimè concedentibus non est in hac decretali aliqua expressa imposita pœna; Sed in Concil. Tridenr. *sess.* 23. *cap.* 10. omnibus istis imponitur pœna suspensionis ab officio, & beneficio per annum, ibi: Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio, & beneficio per annum sint ipso jure suspensi. Sayrus *l.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. Tolet. *l.* 1. *c.* 49. *n.* 5. Barbosa *ad d. cap.* 10. *num. fin.* Et apud eum Navar. Et ad hanc censuram incurrendam non est necesse, quod impetrans usus fuerit dimissoriis obtentis, sed sufficit, quod concessæ fuerint, & quod quantum sit ex parte concedentis non steterit, quin impetrans per illas ordinatus fuerit. Sic enim loquens de Vicario Capitulari, quod incurrat hanc censuram etiam si impetrans dimissorias eis non fuerit usus, tamquam decisum docuerunt Garz. *in add. ad cap.* 7. *num.* 92. & Barbosa *ad d. cap.* 10. *num.* 19. *& d. alleg.* 7. *num.* 12.

161 Ordinatis verò in vi hujusmodi dimissoriarum in hac decretali nulla imponitur pœna, à Concil. Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. pro illis, qui illicitè à Capitulo Cathedralis obtinuerunt Sede vacante has dimissorias statutum fuit, ut si ad minores ordines earum vi ordinati fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant, sed ordinati ad majores, sint suspensi ad beneplacitum Prælati futuri. Arbitratur tamen Navar. *cons.* 78. *hoc tit.* quod pœna lata contra sic ordinatum ad minores non sint latæ sententiæ, quia verbum *gaudeat* est futuri temporis, per cujus verba non infligitur pœna ipso jure, juxta Gloss. solemnem, *infr. in reg. in pœnis, de reg. jur.* At in *sess.* 23. *c.* 10. Hæc pœna extensa fuit, ad omnes, qui Sede vacante, à quocumque qui successerit in jurisdictione capituli dictas literas illegitimè obtinuerint. Unde hæc pœna non se extendit ad eos, qui has literas habuerint ab Abbatibus, vel etiam à Vicariis Episcoporum viventibus Episcopis. Sed tamen contra ordinatos à non proprio Episcopo sine licentia adest suspensio antiquorum canonum *cap. si quis distin.* 71. *& cap.* 1. 9. *q.* 2. de qua infra erit sermo. Et contra ordinatos ad majores ordines suspensio lata à Pio II. in Const. *sacrorum* 7. quam confirmavit Sixtus V. in Const. *Sanctum* 91. & Clem. VIII. in Const. *Romanum Pontificem* 40. & ulterius suspensio à susceptis ordinibus, quàm tulit Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 8. contra ordinatos omnes etiam ad minores sine testimonialibus sui ordinarii. De quibus suspensionibus latè tractavi *tom.* 3. *de stat. quæst.* 189. *art.* 10. *de profess. inspect.* 10. *à num.* 881. De pœnis verò latis contra Ultramontanos, vel extra Italiam oriundos ordinatos ab Episcopis Italiæ dictum est supra cap. 1. in hoc tit. De illis verò qui ordinantur cum dimissoriis falsis, dixi loco citato *tom.* 3. *de stat. num.* 885, & de literis subreptitiis *num.* 886.

162 Non potest verò omitti, quod Navar. *cons.* 29. *hoc tit.* vult, quod ordinati ad minores sine dimissoriis sui ordinarii non sint suspensi. Sed ipse consideravit solam suspensionem latam à Pio II. quæ non ligat, nisi ordinatos ad majores. Sed consideranda fuit suspensio lata à Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. contra ordinatos etiam ad minores sine testimonialibus sui ordinarii. Hæc tamen suspensio, quia fertur contra promotos ad ordines, non comprehendit promotos ad primam tonsuram, quæ non venit sub nomine ordinum pœnalium.

163 An verò ad hujusmodi pœnam vitandam si Episcopus sub ratihabitione alienum subditum ordinet, affirmarunt plures, & pro hac sententia Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *d.* 20. *num.* 12. refert Gloss. *in cap. Lugdunensis* 9. *quæst.* 2. D. Raymund. *in sum. tit. de forma consecrat.* D. Thom. 4. *d.* 25. *in expos. literæ.* Majolus *de irregular. l.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. Imò quod plures DD. dicant, quod proprius Episcopus potest postea ratam habere talem ordinationem *per c. Salonitana d.* 63. Sic enim tenent Gloss. *cap. illud dist.* 71. *fin.* & ibi Turrecrem. & Hugo. Gloss. *cap.* 1. 9. *q.* 2. Turrecrem. *cap. Lugdunensis* 9. *quæst.* 2. & apud eum Laurent. Archidiac. & Jo. Andr. Sed ipse Sanchez *num.* 13. *sequent.* tenet non sufficere ratihabitionem, imò, quòd ordinatio hujusmodi sine licentia proprii Episcopi est irrita, quoad executionem, & quod sic initiatus tonsura non gaudet privilegio clericali, nec potest Ecclesiastica beneficia obtinere quia paria sunt nullam obtinere tonsuram, & obtinere inutilem, unde si talis impetret à Papa beneficium non exprimens se ordinatum ab alieno Episcopo, impetratio est subreptitia. Et tandem addit, quod Episcopus proprius non potest ratam habere ordinationem sic factam, quia nequit ratum habere, quod ejus nomine non est gestum. Et solum Pontifex per literas perinde valere posset hujusmodi ordinationem approbare.

Sed hìc primò distingui debet ratihabitio in eam, quæ est 164
de futuro, & per quam speratur futura licentia, vel approbatio, & in eam, quæ est præsumpta approbatio de præsenti, quia probabiliter creditur, quod proprius Episcopus sit contentus suum subditum promoveri. Prima enim ratihabitionis spes non excusat nec à legis inobedientia, nec à pœna, quia qui sub tali spe agit, de facto nullam licentiam sic agendi habet, & sic si ordinat alienum id facit sine licentia proprii Episcopi actu habita, & ideò legem transgreditur petentem licentiam, ut actu habitam, & pœnam legis incurrit.

Sed si loquamur de præsumpta licentia, quam habet, qui 165
rationabiliter præsumit nunc adesse consensum proprii Episcopi, distinguenda sunt tempora ante, vel post Concilium Tridentinum. Nam antea contra promotos ad ordines sine ejus licentia proprii Episcopi ex vi canonum antiquorum non erat lata suspensio ipso jure incurrenda, sed sic ordinati se habere debebant, ut suspensi, donec proprius Episcopus ratam haberet eorum ordinationem. Sic enim suspensionem hanc intellexerunt Gloss. hìc *in v. statuunt*, Navar. *cons.* 29. *&* 30. *de temp. ordin.* Sanchez ipse *d. cap.* 1. *d.* 28. *num.* 5; Suarez *disp.* 31. *de cens. sect.* 1. *num.* 14. Et propterea ante constit. Pii II. optimè senserunt D. Thom. Turrecrem. & alii, qui censuerunt Episcopum sub ratihabitione posse ordinare Clericum alterius Diœcesis, quod evidenter probatur *ex cap. Lugdunensis* 9. *q.* 2. Et ex facto S. Epiphanii, qui Ordines contulit nonnullis Clericis Diœcesis S. Jo. Chrysostomi.

Et inde est etiam, quod tunc collatio beneficiorum facta 166
sic ordinatis ab alieno Episcopo valida erat. Quia sic ordinati tunc non erant propriè suspensi, licèt suspendi deberent, ut etiam expresse constat *cap. quod translationem, supr. hoc tit.* unde nec exercendo tales ordines fiebant irregulares. Nec S. Epiphanius clericos alterius Parochiæ ordinasset, si hæc ordinatio irrita esset. Et dum in contrarium allegantur *cap.* 1. *&* 3. *dist.* 71. ex qua etiam alii canones allegari possent, *& cap.* 1. 9. *quæst.* 2. In quibus videtur affirmari; quod hujusmodi ordinatio esset irrita, quod non potest intelligi nisi quantum ad executionem; communiter DD. antiqui hoc intellexerunt de suspensione, quam dixerunt coram se, ex eo quod esset illicitam sic ordinato exercere ordines donec proprius Episcopus ratam habuisset ordinationem. Quamvis etiam dici possent ex vi Canonum eam ordinationem non fuisse ratam, quia tales ordinati, ut explicat Panorm. *d. cap. quod translationem* erant suspendendi, & impediendi ne ministrarent, ac si non essent ordinati. Et certè ex *cap. quod translationem* satis manifestè colligitur, quod Canones non illi ex praxi Ecclesiæ, quæ est optima legis interpres, non continebant suspensionem ipso jure, sed ferendam. Et ulterius addendum est in nullo ex Canonibus citatis esse sermonem de laicis ad primam tonsuram promovendis, sed de Clericis jam in alia Diœcesi ad Clericatum promotis non ordinandis. Unde multò magis apparet, quod promoti ab alieno Episcopo non erant ad beneficia inhabiles taliter quod collatio beneficiorum illis facta esset invalida, ut benè docuit Navar. *cons.* 18. 23. *&* 32. *hoc tit.* Guido Papa *decis.* 449. Sanchez ipse *d. cap.* 1. *dub.* 28. *num.* 7. qui ex Navar. *d. cons.* 18. monet sic ordinatum etiam bona fide debuisse quærere approbationem sui proprii Episcopi, ex eo quod non erat hujusmodi ordinationis irritatio illata per modum pœnæ, sed per modum cujusdam indecentiæ, sicut

qui & bona fide ordinatus est ante ætatem, tenetur illius tempus expectare.

167 Ex quibus certum quoque erat, quod Episcopi ratam habere poterant hujusmodi ordinationem. Nec obstat illud axioma juris, non haberi ratum, quod non est gestum nomine suo. Quia hujusmodi axioma non habet locum in pura legis prohibitione prohibente ne aliquid fiat sine licentia alicujus, maximè quando prohibitio non est munita decreto irritanti, & ita ut quod fit, validè secundùm substantiam fit, etiam invito illo, sine cujus licentia id prohibetur fieri. Quia in hoc casu sufficit quod ille sine cujus licentia fieri non poterat, ratum habeat factum, & sic quod post factum det licentiam, ut ordinatus possit exercere, ordinem, quem validè suscepit. Et ita, quod tunc Episcopus proprius potuisset ratam habere ordinationem sui Clerici factam ab alieno Episcopo, patet ex *cap. Lugdunensis 9. quæst. 2.* & ibi Gloss. & Turrecrem. & apud eum Laurent. Archid. & Jo. Andr. Gloss. *in cap. illud dist. 71.* & ibi Gloss. Hugo, & Turrecrem. Navar. *cons. 23. 24. 29. 32. & 42. hoc tit.* Sotus *in 4. d. 25. quæst. 1. art. 3.* Sanchez *ipse d. dub. 28.* & apud eum Medina, Gabriel, Cuchus, & Rodriquez. Hac verò ratihabitione accedente Clericus manebat habilis ad alios ordines, & beneficia.

Sed in terminis Constit. Pii Secundi, per quam ordinatus ad sacros ordines sine licentia sui Ordinarii est ipso facto suspensus. Et multò magis in terminis Concil. Trident. *sess. 23. cap. 8.* ex quo ordinatus absolutè sive ad majores ordines, sive ad minores sine testimonialibus sui ordinarii est ipso jure suspensus; sic ordinatus est ad beneficia inhabilis. Est tamen discrimen, quod cùm Pius Secundus non requirat determinatè literas, sed sub disjunctionem, vel dimissorias, vel licentiam ordinarii, & licentia præsumpta quædam licentia est, ideò potest sustineri, quod ordinatus bona fide ex ratihabitionis spe quæ præsumptæ licentiæ æquivaleant, non sit ex vi illius constitut. suspensus. Sed Concilium literas requirit, & sic non sufficit licentia præsumpta, sed vel expressus consensus requiritur datus à proprio superiore alieno Episcopo ordinatori, ut de Episcopo titulari expressè dixit Concil. Trident. *sess. 14. cap. 2.* vel necessariæ sunt literæ testimoniales, ideò non licet alieno Episcopo sub spe ratihabitionis ordinare Clericum alienæ Parochiæ, & si hoc fiat incurritur pœna lata à Concilio. Et sic vera est opinio Diaz. *in prax. cap. 26. in Scholiis*, & Salzedo ibid. Mandos. & Rebuf. apud Quarant. *in v. ordo.* Bonac. *de cauf. in particul. disp. 3. q. 1. p. 11. num. 14.* 168

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, &c.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

NUllus Episcopus, vel quivis alius infanti (nisi fortè religionem intraret) seu illiterato: sed nec absque sui superioris licentia homini diœcesis alienæ clericalem præsumat conferre tonsuram: nec etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros ordines promoveri: prout est sacris canonibus diffinitum. Qui verò contrà fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum à collatione clericalis tonsuræ dumtaxat noverit se suspensum.

SUMMARIUM.

1 *RAtio edita decretalis.*
2 *Nullus potest primam tonsuram conferre infantibus, vel illiteratis, vel alienis subditis, vel conjugatis.*
3 *Antiquitus infantes offerebantur Religioni, & poterant tonsurari.*
4 *Nomen* homo *quando stet pro laico.*
Domiciliaris potest promoveri ad tonsuram.
5 *Laicum alienæ Diœcesis quomodo possit Episcopus promovere ad tonsuram si sit præsentatus ad beneficium.*
6 *Diœcesis aliena non est, qui simul est etiam Diœcesis propriæ.*
7 *Episcopus dans præfatis tonsuram est per annum suspensus à sola collatione tonsuræ.*
Pœna sit proportionata delicto.
Meritò punitur delinquens in eo, in quo deliquit.
8 *Subditi Episcopi suspensi à collatione tonsuræ recipient ab eo dimissorias ad alium Episcopum.*

1 QUoniam, ut advertit Gloss. *in cap. Eos, qui 2.* in hoc tit. prohibitum fuerat ne aliquis Episcopus Clericum alterius Parochiæ ordinaret, de laico verò nihil ibi fuerat expressum statutum, ideò in hoc cap. decernitur, quod neque alienus Laicus possit à non suo Episcopo, vel alio, ad primam tonsuram promoveri.

2 Hanc ergo regulam continet hæc decretalis, quod scilicet nullus Episcopus vel alius potest primam tonsuram cōferre, vel infanti (nisi fortè ad religionem intraret) vel illiterato, vel subdito alienæ Diœcesis absque sui superioris licentia, vel etiam conjugato, nisi volenti intrare Religionem; & qui contra fecerit per annum à collatione tonsuræ dumtaxat suspenditur.

3 Admittitur primam tonsuram posse conferre infanti, si religionem intrat, ut hìc advertunt Archid. Monac. *num. 3.* Anchar. Dom. *num. 1.* De ingressu autem puerorum in religionem tractat D. Thom. *2. 2. quæst. 189. art. 5.* ubi latè de materia hac, & de votis impuberum, & eorum irritatione, & facultate parentum ad offerendos religioni etiam infantes filios egi *tom. 3. de statibus d. art. 5. à num. 1. & à num. 84.* An hodie hoc jus antiquum concedens offerri Religioni infantes, sit revocatum per decretum Concil. Trid. *sess. 25. cap. 17. de regular. & à num. 89.* ostendi quod hodie non expedit in monasteriis virorum recipere impuberes etiam educationis gratia. Hodie propterea non est in usu, ut infantes recipiuntur in Religionibus ad habitum Religiosum, & in multis earum est etiam specialiter prohibitum. Quamobrem hodie casus hujus textus non est moraliter practicabilis.

Ex quo verò textus ad significandum Laicum utitur nomine *hominis*, ut exponit Gloss. deducit Dom. *nu. 7.* quod nomen *homo* in dubio non significat Clericum, sed Laicum. Quod approbat etiam Franc. *num. 3.* addens tamen significationem hujus nominis accipiendam juxta subjectam materiam. Et certè cùm hìc sit sermo de collatione tonsuræ, quæ non supponit Clericatum, sed illum affert, nomine *hominis* non potest intelligi nisi Laicus, qui est, qui insigniri potest tonsura, cùm illa Clericus sit jam insignitus. Intelligitur verò textus de Laico, qui non transtulerit domicilium intra Diœcesim, quia si esset domiciliaris promoveri posset. Gloss. Jo. Andr. *num. 1.* Butr. *num. 2.* Domin. *num. 6.* Franc. *num. 3.* 4

Addunt verò Dom. & Franc. quod etiam postulatus ad beneficium posset ordinari ad titulum illius beneficii ad quod postulatur, & subdunt, quod si postulantes posteà non elegerint, teneatur illi ad sufficiens beneficium *cap. Pastoralis, de jure patronatus.* Et si dixerit, quod hoc non benè dicitur; quia ut probatum est *cap. super. num. 72.* ad hoc ut quis ordinetur ratione beneficii non sufficit præsentatio, sed requiritur, quod beneficium actu sit collatum, imò quod habeatur illius pacifica possessio, non ergo potest ordinari extra Diœcesim suam, qui in aliena solum est postulatus ad beneficium. Respondetur, quod in tonsura hoc non potest verificari, cùm non possit conferri beneficium nisi Clerico, & ex consequenti nisi jam tonsurato; unde ratione beneficii hoc poterit Laicus tonsurari, 5

quan-

quando à Patrono præsentatur pro beneficio intra Diœcesim existente. Nihilominus dicitur, quod in hoc casu Episcopus Laicum alienæ Diœcesis, vel non poterit ordinare sine sui Episcopi licentia, cùm ratione præsentationis ad beneficium Laicus non fiat subditus Episcopi in cujus Diœcesi beneficium existit, vel saltem Episcopus id facere non poterit, nisi dum actu confert illi beneficium, ut non sit dabilis casus in quo tonsura insignitus actu non obtineat beneficium ratione cujus promovetur ad Clericatum.

6 Memoriæ autem habenda est explicatio Gloss. & Domin. *num.* 8. ut Diœcesis aliena dicatur non tantum, quia sit alterius Episcopi, quantum quod non sit suæ. Nam cùm Laicus ratione domicilii, vel domicilii, & originis possit habere plures Diœceses, ad hoc ut possit ordinari ab aliquo Episcopo, sufficit, quod licèt sit de aliena Diœcesi, sit etiam de Diœcesi illius Episcopi.

7 Contra Episcopum quoque, si aliquem ex prohibitis in textu promoveat ad Clericatum lata est sententia suspensionis, quæ est latæ sententiæ, sed est suspensio à sola collatione tonsuræ; & non simpliciter, sed per annum proculdubio continuum, & integrum, quæ pœna data est tamquam proportionata delicto, ut in eo Episcopus puniatur, in quo peccaverit. Gloss. & Domin. *num.* 8. *qui num.* 4. advertebat ex hoc textu pœnam semper debere proportionari delicto, & ut notavit Butr. *num.* 1. justum, in eo in quo quis peccat, puniatur.

8 Sed subditi Episcopi sic suspensi, interim si opus sit, à quo tonsuram accipient? Episcopus dabit commendatitias ad alium Episcopum, à quo tonsuram poterunt recipere. Ita Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *n.* 3. Butr. *n.* 2. Dom. *n.* 8. Franc. *n.* 2. Et potest hoc probari, quia cùm talis Episcopus non sit simpliciter suspensus, sed solum suspensus à collatione tonsuræ, aliud verò sit tonsuram conferre, & dare dimissorias ad eam ab alio recipiendam, Episcopus non est censendus suspensus à concessione dimissoriarum. Nam & Episcopus non consecratus, qui non potest tonsuram dare, potest tamen dimissorias concedere. Vide sup. usque eos qui *num.* 28. *& cap. cùm nullus num.* 136.

SVMMARIVM.

9 *Opiniones circa quæstionem*, 10.
11 *Infans validè ordinatur.*
12 *Neque ad hoc est necessarius parentum consensus.*
13 *Episcopatus usum rationis præsupponit.*
14 *Episcopus in consecratione vovet.*
15 *Amens non perpetuus non ordinatur validè.*
16 *De præcepto est infantem non promoveri.*
17 *Ante septennium completum non potest aliquis tonsurari.*
18 *Ætas, quæ necessaria admissores ordines.*
19 *Rarius ante novem, vel decem annos dari possunt missores.*
20 *Gens necessaria ad Ordines majores.*

Quæst. unic.

De illis, quibus textus prohibet promoveri ad tonsuram.

ARTICULUS I.

Vtrùm infantes validè promoveri possint ad tonsuram.

9 DUrand. *in* 4. *d.* 25. *quæst.* 2. *num.* 8. arbitratus fuit usum rationis esse de substantia ordinationis, & sic quod à pueris ante usum rationis, non possit validè suscipi tonsura, vel alii ordines, quia ad ordinationem, est necessaria acceptatio ordinati, ut liberè velit subire onus, & munus ad quod eligitur, & ordinatur. Unde ordines conferuntur sub hac forma, *Accipe potestatem &c.* infantes verò moraliter, & humano modo, & per electionem, & consensum proprium non possunt potestatem hanc, officium, ac onus acceptare. Neque verò præsumitur parentes consentire nomine filiorum, cùm tonsura, & ordines non sint necessarii ad salutem, sicuti est baptismus. Sed & Majolus *lib.* 2. *de irregular. cap.* 12. idem sentit, teste Suarez *de censur. disp.* 51. *sec.* 1. *num.* 2. & pro eadem sententia refert D. Thom. *in* 4. *d.* 25. & Tabien. *v. ordo* 4. Cùm uterque ut ibid. Suarez advertit, & est per se notum contrarium doceat.

Paludanus autem 4. *d.* 25. *quæst.* 3. *concl. num.* 8. voluit, ut 10
ad hoc quod tonsura, vel ordo validè posset conferri infanti ante usum rationis, necessario adhiberi debent parentum consensus, vel illius cui cura infantis demandata fuit, ut hoc modo si non per se ipsum per parentis saltem consensum infans ordinem acceptet.

Communis tamen sententia est, quod tonsura, & alii 11
ordines usque ad sacerdotium validè conferantur, si conferuntur infanti usum rationis nondum acquisito. Ita D. Th. 4. *d.* 25. *quæst.* 2. *art.* 1. & ibi D. Bonav. *art.* 2. *quæst.* 2. Scotus *quæst.* 2. Richard. *art.* 4. *quæst.* 2. Sotus *quæst.* 1. *art.* 2. D. Ant. *art.* 1. *tit.* 14. *cap.* 16. §. 1. Silvest. *v. ordo* 4. *quæst.* 1. Tabien. ibid. *num.* 1. Turrecrem. *cap. Subdiaconus dist.* 77. & ibid. Hug. & Archid. Ledes. *de ord. dub.* 14. Victoria *in sum. n.* 237. Navar. *l.* 1. *Concil. cons.* 7. *de temp. ordin.* Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *dub.* 32. & quamplures alii apud eum. Vasq. *disp.* 146. *cap.* 1. *num.* 6. & apud eum plures. Valentia *t.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 4. *p.* 1. Coninch. *disp.* 20. *dub.* 10. *concl.* 3. Layman *l.* 5. *tr.* 9. *cap.* 6. *assert.* 2. Bonac. *de sacram. disp.* 8. *quæst. un. p.* 5. *num.* 1. Palaus *tract.* 27. *p.* 7. *num.* 2. Sanchez *l.* 7. *opusc. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 15. Et hoc idem hujus textus interpretes docuerunt. Nimirum Monac. *num.* 3. Jo. Andr. Archid. Anchar. Dom. *num.* 1. Cardin. *Clem. fin. de ætat. & qual.* Hostien. *in sum. tit. de temp. ordin.* §. *sed & præter*, & ratio est, quia cùm actus potestatis sit potestior potestate, sola potestatis receptio ad sui valorem non requirit actum liberum eam recipientis, sed satis est, si recipiens non contradicat. Et ideò hoc confirmatur ex *cap. unico, de Cler. per saltum promoto*; ubi cùm aliquis ante usum rationis fuisset ordinatus ad Minores Ordines & Subdiaconatum, eo postea per saltum ordinato ad Sacerdotium Pontifex non jussit eum ordinari nisi ad Diaconatum, quem omiserat; habuit ergo pro valida ordinatione ad ordines inferiores, aliàs jussisset, ut eos iterùm validè susceperat. Unde hoc idem tenet Gloss. *in v. desertionis.*

Neque ad hoc est necessarius parentum consensus, cùm 12
nec sit necessarius consensus ordinati, & sufficiat consensus Ecclesiæ, & institutio Christi.

Cùm verò D. Thom. loco citato exceperit ordinem 13
Episcopatus asserens eum validè non posse conferri infanti ante usum rationis, hoc non placuit Sot. 4. *d.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 2. Filliuc. *tractat.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 1. *num.* 76. Vasquez *disp.* 246. *cap.* 1. *num.* 11. Bonac. *disput.* 8. *p.* 5. *num.* 4. Quos sequitur Palaus *tract.* 27. *p.* 7. *num.* 5. quia est eadem ratio sicut enim potestas consecrandi in sacerdotio potest validè recipi sine necessitate consensus recipientis, sic & potestas ordinandi, & confirmandi. Potestas verò jurisdictionis non dependet à consecratione, & nec est necesse, quod ordinatus in Episcopum alicui certæ Ecclesiæ desponsetur. Sed cùm certum esse debeat Episcopatum esse spirituale quoddam conjugium initum inter Episcopum, & Ecclesiam, & ejus nomine Summum Pontificem, *cap. inter corporalia de translat. Episc.* Nam verè Episcopus in Principem quemdam Ecclesiæ ordinatur, cui tamquam Principi committatur cura animarum, quam curam debet ille promittere, & de facto promittit; manifestum est, quod Episcopatus consensum ordinati requirit.

Et inde est, quod Episcopus in sui ordinatione secundùm 14
doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 4. *& quæst.* 189. *art.* 7. *& op.* 18. verè vovet, & ex voto Deo, & Ecclesiæ se obligat. De quo videri possunt, quæ scripsi *tom.* 1. *de statib. qu.* 185. *art.* 4. *num.* 18. Ideò omnino dicendum est, quod Episcopatus non potest conferri non habenti usum rationis D. Thom. & D. Bonav. ubi suprà, Turrecrem. *d. cap. Subdiaconus*, Silvest. *v. ordo* 4. *num.* 1. & ibi Tabien. Menoch. *de arbitr. casu* 427. *n.* 10.

Non est verò eadem ratio de amente, qui aliquando usum 15
rationis habuit. Iste enim si tempore discretionis ordinem non petiit, censetur illum etiam repellere, si illi in amentia conferatur. Vasq. *d. d.* 246. *c.* 1. *n.* 8. Coninch. *disput.* 20. *dub.* 10. *n.* 10. Bonac. *d. disp.* 8. *p.* 5. *n.* 3. Palaus *tr.* 27. *disp. un. p.* 7. *n.* 4. Ille tamen, qui est perpetuo amens validè suscipit ordinem, si ordinatur. Sotus 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Suarez *disp.* 51. *de cens. sect.* 1. *n.* 2.

Nihilominus dicitur illicitum esse, & ex præcepto prohi- 16
bitum conferre infanti ante usum rationis tonsuram, vel alios ordines. Tempore autem D. Th. nondum emanaverat

hæc decretalis Bonif. VIII. Et ideò loco citato sensit ille, quod non de necessitate præcepti, sed de honestate esset conferre tonsuram, vel etiam minores ordines post infantiam, ut referunt Silvest. *v. ordo* 4. & ibi Tabien. Barbosa *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 38. *n.* 43. Sed modò servanda est hæc decretalis, nec potest infans tonsura initiari. Gloss. Monach. Archidiac. & alii.

17 Et quia regulariter infantia desinit in septennio, in quo acquiritur usus rationis, Mandos. *de ætate minori, cap.* 4. *num.* 2. ideò tonsura ante septennium completum nulli potest licitè conferri. Ita ex hoc textu colligunt Gloss. Monac. *num.* 2. Archid. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 2. Dom. *num.* 1. Silvest. & Tabien. *v. ordo* 4. Viguer. *instit. cap.* 16. §. 6. *vers.* 7. Ledesma *de sacram. ordin. d.* 14. Sotus 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *conc.* 4. Sanchez *l.* 7. *opus. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 15. Barbosa *lib.* 1. *juris Eccl. cap.* 38. Palaus *tract.* 27. §. 7. *n.* 6. Leander *tract.* 6. *disput.* 6. *qu.* 1. & apud istos quamplures alii.

18 Cùm verò fuerit antiquitus magna concertatio inter DD. de ætate necessaria ad ordines, & in diversis temporibus diversa fuerint statuta per Pontifices, & Concilia, quantum ad minores dicendum est eos posse conferri post septennarium. Nam temporum interstitia, quæ requirit *cap. in singulis d.* 77. non sunt jam in usu, ut docet Gregor. Lopez *l.* 27. *tit.* 6. *par.* 1. neque ætas illic præscripta, ut docet Guillelmus, quem refert, & sequitur D. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. §. 15. & sic tenent Sotus 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Gloss. *Clem. fin. de ætat. & qual. in fin. & cap. de iis v. lectorum d.* 28. Bartholomæus à Ledesma *de ord. dub.* 14. Mandos. *de ætat. min. cap.* 4. *num.* 12. Sanchez *l.* 7. *opus. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 17. Suarez *de cens. disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 22. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *Miscell. resol.* 29. & alii, quos refert, & sequitur Leander *tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 2.

19 Existimant tamen aliqui raro ante novem, vel decem annos contingere, ut nullus præsumatur pollere ea scientia, & discretione, quæ ad ordines est necessaria. Palaus *tr.* 27. *p.* 7. *num.* 6. post Coninch. *disp.* 20. *dub.* 10. *num.* 102. & Vasquez *disp.* 246. *cap.* 4. *num.* 41. Et quidem indubitatum esse debet non sufficere ætatem solam ad ordines dignè suscipiendos, sed requiri scientiam, & alias qualitates à jure requisitas, quibus non habitis illicitum est promovere ætatem habentem.

20 Quo verò ad ordines majores servandum est decretum Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 12. *de reformat.* ut ad subdiaconatum requiratur ætatis annor. 22. ad Diaconatum 23. ad Sacerdotium 25. sufficit verò, quod anni isti sint inchoati. Vide, quæ de hac quæstione dixi *tom.* 3. *de stat. quæst.* 189. *art.* 10. *de profess. inspect.* 10. *à num.* 841. Ubi etiam probatum est Regulares non posse ante ætatem ordinari, & ostensum est qualiter sint suspensi, si faciant se ante ætatem ad sacros ordines promoveri, & qualiter defectus ætatis reddat irregularem.

SUMMARIUM.

21 *Illiterati validè ordinantur.*
22 *Illiterati penitus non possunt tonsura initiari.*
Illiterati penitus an sint irregulares.
23 *Episcopus non dispensat cum penitus illiterato.*
24 *Penitus illiteratus est, qui nescit legere, & scribere in vernacula lingua.*
25 *Illiteratura comparativè est accipienda. Et illiteratus dicitur, qui caret scientia ad officium necessaria.*

ARTICULUS II.

Utrùm Illiterati possint ordinari.

21 Cum sit probatum infantem nondum usu rationis pollentem validè ordinari; manifestum est etiam illiterati ordinationem validam esse, cùm infans carens usu rationis, careat quoque omni scientia, cùm scientia usum rationis supponat. Et ita hoc advertunt hic Jo. And. *num.* 1. Butr. *num.* 1. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 2. Gloss. *cap. illiteratos dist.* 36. & ibi Turrecrem. *num.* 5. Innoc. *cap. cùm in cunctis, de elect.* & ibid. Jo. And.

22 Illiteratos tamen non posse initiari tonsura decernitur in hac decretali. Hoc verò de penitus illiterato intelligunt Archid. *num.* 1. Jo. Andr. Anchar. *num.* 2. Dom. *nu.* 5. Franc. *num.* 2. Penitus enim illiteratum esse irregularem colligitur ex *cap. præcipimus dist.* 54. *cap. illiteratos dist.* 36. *& cap.* 1. *dist.* 55. *& cap. pænitenter dist. eadem*, & docent Salzedo ad Diaz. *cap.* 21. §. *ordinari*. Pelag. *de planctu Ecclesiæ l.* 1. *art.* 48. Navar. *cap. si quando, de rescrip. excep.* 12. *in princ. & in sum. cap.* 27. *n.* 205. Ledesma 2. 4. *q.* 26. *art.* 2. Rebuff. & Majolus, quos refert & sequitur Sanchez *l.* 7. *opus. cap.* 1. *dub.* 43. *n.* 1. Sed hoc tamen negant Garz. *de benef. p.* 7. *n.* 19. Sayr. *l.* 6. *de cens. cap.* 13. *n.* 8. & Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. §. 11. *in com. lit. R*, unde non est certum.

Cùm penitus autem illiterato, nec Episcopum dispensare posse, ut tonsuram recipiat, dixerunt Archid. hic *nu.* 23
2. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 2. Butrius *num.* 1. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 2. Turrecrem. *cap. si in laicis distin.* 38. Diaz. *in praxi cap.* 21. Rebuff. quem sequitur Sanchez *d. dub.* 45. *num.* 2.

Illiteratus tamen non est, qui pro ætate didicit, & spes 24
est, quod pro tempore proficiet. Turrecrem. *cap. illiteratos* 36. *dist.* & ibi Domin. Innoc. *cap. cùm in cunctis de elect.* illum illiteratum esse dicunt, qui nescit literas, Archid. *num.* 1. Jo. Andr. & Dom. *n.* 5. sed penitus illiteratus est, qui nescit legere, & scribere. Et ita ad hoc ut aliquis initietur prima tonsura sufficit, quod sit edoctus rudimenta fidei, & sciat legere, & scribere, ut decrevit Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. sufficit verò, quod characteres formare sciat, quamvis perfectè scribere nesciat, *ut declarante S. Cong. Episc. & Regul. die* 13. *Octob.* 1593. ex Sell. refert Barbosa *ad d. cap.* 4. *num.* 4. sicut sufficit, quod sciat legere, & scribere in lingua propria, & nativa. Nam in decreto Concil. Trident. nihil aliud requiritur, nisi quod sciat legere, vel scribere, at legere, & scribere scit, qui in lingua patria legit, & scribit. Sanchez *l.* 7. *opus. c.* 1. *dub.* 45. *num.* 11. Diana *part.* 5. *tractat.* 14. *res.* 27. Barbos. *ad d. cap.* 4. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 6. *q.* 1. Palaus *tr.* 27. *p.* 8. *n.* 9.

At considerandum, quod major scientia requiritur ad 25
ordines, quàm ad tonsuram, unde Concilium Trident. *sess.* 23. *cap.* 11. in suscipientibus minores ordines, requirit, quod intelligant linguam latinam. Pro subdiaconis verò & Diaconis exigit cap. 13. quod literis, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent sint instructi. Et pro Sacerdotibus cap. 14. requirit, quod ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta sint idonei: Ideò illiteratura comparativè dicitur. Et licèt simpliciter penitus illiteratus sit, qui nec in lingua vernacula scit legere, & scribere, & ad tonsuram sufficiat, quod initiandus non sit penitus illiteratus, tamen illiteratus etiam simpliciter dici potest respectu aliorum ordinum, aut officiorum, qui caret scientia simpliciter necessaria ad hoc ut ordinem suum, vel officium possit, si velit dignè exercere. Vide, quæ de illiteratis dixi *in tract. de elect. cap.* 25. *q.* 3. *& 4. & tom.* 3. *de statibus q.* 189. *art.* 10. *de profess. inspect.* 10. *à n.* 820. ubi etiam ostenditur qualiter ad ordines non sit necessaria tanta scientia in Regularibus, quanta in Sæcularibus.

SUMMARIUM.

26 *In quibus casibus alieni subditi ad tonsuram promoveri possint.*
27 *Promotionem alieni ad tonsuram sine licentia invalidam aliqui dicunt.*
28 *Potestas ordinis in sui valore non pendet à jurisdictione.*
Episcopus, qui renuntiavit, vel est titularis, aut hæreticus, aut excommunicatus, validè ordinat.
29 *Episcopus validè tonsuram alienæ confert.*
Etiam Abbas aliquos subditos Religiosos habens.
30 *Cùm promoti ab alieno Episcopo ad ordines sint suspensi, sequitur, quod sunt validè promoti.*
31 *Non licet Episcopo alienos tonsurare.*
Canones plures, qui imponunt pœnam ordinatis ab alieno Episcopo non afficiunt promotus ad tonsuram.
32 *Textus cap.* 10. *sess.* 7. *Concil. Trid. non comprehendit dimissorias ad tonsuram.*
Concil. Trid. non habuit tonsuram pro ordine.
Vicarius Capituli Sede vacante dat dimissorias ad tonsuram.
33 *Sub nomine ordinationis non venit promotio ad tonsuram.*

34 In-

34 *Intellectus cap. illud, & cap. si quis ausus d. 71.*
35 *Intell. const. 33. Urbani VIII.*
36 *Episcopus ordinationem sui subditi ab alieno Episcopo factam potest ratam non habere.*
Non potest privare Clericum privilegio fori.
37 *Qualiter defectus jurisdictionis in promovente inferat defectum executionis in promoto.*
An & qualiter Episcopus promotus ab alieno Episcopo etiam auctoritate sua ordinaria possit suspendere.
38 *Promoventes alienos ad primam tonsuram, qualiter sint suspensi.*

ARTICULUS III.

Utrùm possit tonsura recipi ab alieno Episcopo.

26 ID fieri posse, si proprii Episcopi adsit licentia, est indubitatum. Pariter verò certum est, qood ad hoc ut Episcopus possit aliquem facere Clericum sufficit, quod initiandus sit ejus subditus, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii, vel etiam ratione triennalis familiaritatis, juxta dicta *in cap. super*.

27 Existimant verò aliqui, quod si Episcopus sine licentia debita conferat tonsuram alieno subdito, quod collatio sit nulla, quia hæc collatio sit actus jurisdictionis, quam Episcopus non habet in subditum alienum. Ideò dicunt, quod hujusmodi alienus promotus non gaudet privilegio clericali, & qood beneficium, vel pensionem non potest obtinere sine dispensatione, perindè enim est, ac si tonsuram non haberet, cùm irrita sit tonsura, collatio autem beneficii facta non habenti primam tonsuram invalida est. Ita post Rebuff. Alterium, Azor. & Fornar. tenet Bonac. *de censur. in partic. disp.* 3. *q.* 1. *p.* 11. *n.* 20. & 21.

28 Hæc tamen sententia sacris Canonibus adversatur. Nam potestas ordinis Episcopalis in sui exercitii valore non dependet à jurisdictione. Potestas quidem ordinis est necessaria ad substantiam, & valorem ordinationis *cap. presbyteris dist.* 68. D. Thom. 4. *d.* 25. Jurisdictio verò pertinet ad ordinationem ritè celebrandam, ut collig. *ex cap. super*. Verùm, quod à jurisdictione non pendeat valor collationis ordinis, inde est manifestum, quod Episcopus, qui renuntiavit Episcopatui, & jam nullam habet jurisdictionem, validè ordinat. *cap.* 1. *de ordin.* Silvest. *v. irregularitas num.* 8. Eodem modo Episcopi titulares carentes Clero & populo, nihilominus licèt peccent, validè tamen ordines conferunt, *cap.* 2. *sess.* 14. *Conc. Trid.* Item Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus validè ordinare potest, *cap. ordinat.* 9. *q.* 1. *cap. quod quidem* 1. *q.* 1. Silvest. *v. degradatio n.* 9. & *v. ordo* 3. *nu.* 6. Richard. *n.* 4. *d.* 19.

29 Cùm ergo tonsuram conferre spectet ad potestatem ordinis, ideò Episcopus alieno validè tonsuram confert, R. P. D. Fagnan. *cap. statuimus num.* 25. & *seqq.* Ubi imò extendit hoc etiam ad Abbates habentes aliquos subditos religiosos. Distinguens enim inter Abbates nullos subditos religiosos, & subditos religiosos habentes, & asserens prioribus ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 10. ex toto esse ablatam potestatem ordinandi, non verò posterioribus, propterea existimat, quod Abbates habentes subditos religiosos, quos possunt promovere, adhuc retineant potestatem ordinis, ad ordines minores conferendos, & tonsuram, & ideò eos validè conferre ordines, & tonsuram etiam si conferant aliis personis non subditis. Quod fuisse declaratum à S. Cong. Concilii pluries refert ibidem *num.* 12. & *num.* 39. Multò magis igitur Episcopus, qui non ex privilegio, sed ex consecratione, & ordinatione sua habet potestatem ordinandi, validè ordinat, aut primum tonsuram confert etiam non subditos.

30 Quod & probatur ex allatis ab eodem Bonac. ibidem qui asserit, quod ad boc ut promotus ab alieno Episcopo sit privatus privilegio fori, requiritur judicis Ecclesiastici sententia, ut patet ex Bulla *secretus* 33. Urbani VIII. Si enim collatio tonsuræ esset irrita, & nulla, nullo gauderet promotus privilegio fori ex natura rei, & independenter à quacumque sententia, quia non esset Clericus, sed laicus. Et præterea cùm ordinati ab alieno Episcop. ad sacros ordines sine licentia, vel dimissoriis sui Ordinarii sint suspensi ex Constit. 7. Pii II. sicut suspensi sunt etiam ordinati ad minores, sive sui Ordinarii testimonialibus, ex decreto Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 8. constat, quod valida est ordinatio, per quàm quis ab alieno Episcopo ordinatur, seu ex consequenti prima tonsura initiatur; suspensio enim ab exercitio ordinum supponit ordines validè susceptos: aliter non sufficeret suspensum absolvi, ut in ordinibus ministraret, sed iterùm ordinari deberet.

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

Quamvis tamen, quis validè possit suscipere tonsuram ab alieno Episcopo. Hoc tamen fit illicitè contra præceptum præsentis decretalis. Ideò inquirendum remanet, quæ pœna, vel censura lata sit contra promotos, & promoventes alienos subditos laicos ad tonsuram. Considerandum verò est, quod neque *ex cap. eos qui*, & *cap. cùm nullus* 2. & 3. *hujus tit. neque ex cap.* 8. *sess.* 23. Concil. Trid. aut *ex cap.* 10. & 11. *sess.* 7. aut *ex cap.* 3. *sess.* 14. Episcopi prohibiti fuere conferre tonsuram alienis subditis, quia in d. capitibus sermo est solum de collatione ordinum, ideò nec Episcopi promoventes ad tonsuram alienos, nec promoti subduntur alicui pœnæ ex vi dictorum canonum. Cùm etiam *in cap. primatus ex Concil. Carthaginen.* prohibiti fuerunt Episcopi alienum laicum promovere, & subditum sibi facere, nolla ibi imponitur pœna. *In c. vero secundo sess.* 14. *Concil. Trid.* præceptum fuit titularibus Episcopis ne aliquis sine expresso consensu, aut literis dimissoriis proprii Prælati promoveant ad tonsuram, vel ad ordines, & imponitur pœna Episcopo suspensionis ab exercitio Pontificalium per annum, & promotis ab executione ordinum sic susceptorum ad beneplacitum sui Prælati. Sed hæc pœna non afficit promotum ad putam tonsuram, sed promotum ad ordines. Pariter in *cap.* 10. *sess.* 23. *Concil. Trid.* prohibiti sunt Abbates, vel alii inferiores Episcopis promovere aliquem sæcularem ad tonsuram, vel ad ordines. Sed promotis non fuit imposita pœna. Solum extensa fuit pœna lata *in cap.* 10. *sess.* 7. contra promotos in vi dimissoriarum datarum à Capit. Sede vacante, ad promotos à vi dimissoriarum datarum à quocumque, qui Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi loco Capituli. Sed illa pœna fuit lata solum contra promotos ad ordines minores, vel majores, & pœna fuit, ut ordinati ad minores, non gaudeant privilegio clericali, & ordinati ad majores sint suspensi ad beneplacitum futuri Prælati. Unde ex vi dicti capitis, Capitulum non prohibetur dare dimissorias ad primam tonsuram. 38

32 Oppositum tamen hujus senserunt Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 7. *num.* 95. Navar. *consil.* 27. *de tempor. ordin.* Rodriq. *in summ. t.* 2. *cap.* 14. *num.* 6. Gemin. *in prax. cap.* 85. *num.* 5. Majol. *de irregul. lib.* 4. *c.* 2. *num.* 2. Barbos. *ad dictum cap.* 10. *sess.* 7. *Concil. Trid. num.* 21. & apud eum Monet. Ricc. & Molfes. Qui moventur ex eo, quod Concilium absolutè præcipit, ne Capitulum Sede vacante det ordinandi licentiam, & dimissorias exceptis casibus ibi expressis, sub facultatem autem ordinandi venit facultas suscipiendi tonsuram. Et addit Garz. ita communiter practicari. Sed his non obstantibus assertio posita est vera, & sustinenda, quia Concilium Tridentinum, ut declaravit S. Cong. Concilii apud R. P. D. Fagnanus *cap. cùm contingat num.* 38. *de ætat. & qual.* non habet tonsoram pro ordine, sicut etiam adnotatum est supra *cap. eos, qui num.* 18. Et præterea teste eod. R. P. D. Fagnan. ibid. eùm fuisset quæsitum, *an cap.* 10. *sess.* 7. *de reform.* procedat insignito solum charactere primæ tonsuræ: Sacra Congregatio censuit non procedere. Rursus dubitatum fuit, an Vicarius Capituli Sede vacante possit concedere literas dimissorias ad primam tonsuram præsentato ad Capellam simplicem: Sacra Congregatio censuit posse, quia non prohibetur dare dimissorias ad primam tonsuram, & quia præsentatus est arctatus. Ex his ergo est manifestum, quod sub nomine ordinationis non venit promotio ad tonsoram. Quod etiam magis est manifestum ex declarat. S. Congreg. quas loco citato *num.* 93. refert Garz. Nec sufficit cum illo *num.* 96. dicere sensum S. Congr. esse, ut promotio ad primam tonsuram non subdatur pœnæ latæ in eo capite, quia S. Cong. expressè censuit Vicarium Capituli Sede vacante, posse dare dimissorias ad primam tonsuram.

33 Sicut ex his declarationibus constat non esse veram regulam illam, quod in jure sub nomine ordinationis, seu ordinis generaliter venit etiam collatio primæ tonsuræ. Quam regulam cum aliis ab eo citatis sequutus fuit Fermosinus, *cap. quod translat. de temp. ordin. quæst.* 9. *num.* 3. & *quæst. undecima num.* 82. Sed imò ex usu, & praxi Conc. Trid. & ex proprietate nominis fundata est, & vera regula opposita, quod saltem in prohibitionibus pœnalibus, & odiosis,

sub nomine ordinationis, non venit collatio tonsuræ, & nec tonsura sub nomine ordinis.

34 Sed remanent considerandi textus, quos allegavit Bonac. loco supra citato, nimirum *cap. illud quoque*, quod est Concil. Sardic. *& cap. si quis ausus*, quod est Concil. Nicæni, *dist.* 71. Sed legenti est manifestum, quod ibi non est sermo de collatione tonsuræ, sed de collatione ordinum, quia *in cap. illud.* præcipitur, ut nullus Episcopus Ecclesiasticum hominem alterius Diœcesis solicitet, & in sua Diœcesi ordinet. Et sic etiam statuit, ut si quis ministrum alienæ parochiæ sine consensu sui Episcopi voluerit ordinare, non sit rata ordinatio ipsius. Et sic non includitur collatio tonsuræ, nedum quia in rigore non est ordinatio, sed quia non est ordinatio alieni Clerici, vel ministri, sed est promotio laici ad clericatum. Pariter hic idem est sensus *cap. si quis ausus*, ut patet ex illis verbis: *tum non habeat consensum illius Episcopi, à quo recessit Clericus*. Sic enim patet, quod ibi non est sermo de laico recedente, & ad clericatum promoto. Sed de jam Clerico alterius Diœcesis ad ordines promoto sine sui Episcopi licentia. Sed quatenus ibi esset sermo de collatione tonsuræ, jam ex dictis *cap. sup. num.* 165. *&* 166. patet nullitatem illam non esse, nisi quantum ad executionem, & ibi nullam etiam fuisse impositam censuram propriè dictam. Unde ex illis canonibus solum deduci posset, quod Clericus posset impediri ab executione eorum, quæ sunt Clericatus à proprio Episcopo volente habere ratam promotionem illius.

35 Remanet consideranda Constitutio Urbani Octavi 33. quæ incipit: *Secretis*, quæ tamen non est universalis, quia respicit determinatè, vel oriundos, seu natos extra Italiam, si promoti fuerint ab Episcopis Italiæ etiam ad primam tonsuram, & qui ipso facto fiunt simpliciter in perpetuum suspensi, vel Italos, qui cum falsis dimissoriis se fecerint promovere ab alieno Episcopo ad tonsuram, vel ordines minores; quos privat privilegio fori præmissa tamen sententia judicis Ecclesiastici. Præter hoc casus igitur contra promotos ad primam tonsuram ab alieno Episcopo non est in jure lata certa pœna.

36 Quia tamen se faciendo promovere delinquant, & faciunt contra jus puniri possunt à proprio Episcopo, qui nolit habere ratam eorum promotionem, *juxta cap. Lugdunensis* 9. *quæst.* 2. Neque tamen poterit Episcopus eos privare privilegio fori, quia hoc est universale privilegium clericatus. Poterit tamen in illis, quæ suæ libertatis sunt eos nullius Ecclesiæ servitio deputare, vel eis non concedere beneficium, & sic in terminis Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. Fori privilegio non gaudebunt, si hoc, aut aliud ex requisitis ibidem defecerit illis.

37 Quod verò R. P. D. Fagnan. loco supra citato, pluries & præcipuè *num.* 24. dixerit defectum jurisdictionis in promovente ad ordines efficere in ordinato defectum executionis, verum est, primo ratione suspensionis ab exercitio ordinum receptorum in illis casibus, in quibus est expressa in jure, tum ex *cap.* 3. *sess.* 14. *Concil. Trident.* ex quo Episcopus proprius potest non habere ratam promotionem factam ab alieno Episcopo. Et sic si ordinati non fuerint, idonei suspendere illos ab exercitio ordinum susceptorum. Et notandum, quod Concilium non dat Episcopis absolutam potestatem suspendendi omnes promotos ab alieno Episcopo ab exercitio ordinum, sed solùm si illi non reperiantur idonei, & hoc non simpliciter, sed ad tempus sibi benè visum. Quamvis jam non sit opus, ut ab Episcopo isti promoti ad ordines suspendantur, quia sunt ipso jure suspensi ex decreto *cap.* 8. *sess.* 23. *Concil. Trid.* Ex his tamen colligitur, quod si Concilium tales, vel non suspendisset, vel non dedisset Episcopo facultatem illos ab exercitio ordinum susceptorum suspendendi non potuisset Episcopus illos auctoritate sua ordinaria suspendere. Unde nec potest suspendere promotum ad primam tonsuram, quando non est suspensus à jure, licèt possit nolle de facto eum admittere in sua Diœcesi ad officia Clerici gratuita, salvis semper privilegiis Clericatus, quæ non potest à Clerico auferre. Et imò si Clerici sint idonei, tenetur Episcopus præmissa pro errore aliqua pœnitentia eorum promotionem ratam habere, *arg. cap. Lugdunensis* 9. *quæst.* 2. *& cap.* 3. *sess.* 14. *Concil. Trid.*

38 Promoventibus verò est imposita pœna suspensionis per annum à collatione tonsuræ dumtaxat. Si tamen sit Episcopus titularis, qui promovet, est suspensus per annum ab exercitio Pontificalium. Quia Concil. *d. cap.* 2. *sess.* 14. expressè prohibet titularibus Episcopis conferre primam tonsuram sine expresso consensu, vel dimissoriis proprii Prælati. Pariter Prælati inferiores Episcopo, si sæcularibus suis subditis conferant tonsuram, non incurrunt pœnam ex vi *cap.* 10. *sess.* 23. quia pœna illa, quæ ponitur in fine dicti Cap. ligat eos, qui concedunt dimissorias, non verò est ibi sermo de ordinantibus. Et sic, ut refert R. P. D. Fagnan. *cap. aqua num.* 18. *de consecr. Eccl.* cùm quæsitum fuerit an Abbas S. Mariæ de Succursu Ordin. Montis Oliveti potuerit conferre minores ordines tribus religiosis Ord. S. Augustini habentibus sui superioris dimissorias. Sac. Congreg. respondens non potuisse, nihilominus censuit talem Abbatem non incurrisse, nisi pœnam *cap. final. sess.* 6. In specie verò dixit non incurrisse pœnam *cap.* 10. *sess.* 23. *in fine*, quià loquitur tantùm de concedentibus dimissorias. Si verò Prælatus inferior ordinet alienum subditum incidit quidem in pœnam *cap. eos, qui* 2. *in hoc tit.* ut patet ex notatis ibi *num.* 4. sed quia ibi non est sermo de conferentibus tonsuram, ut probatum est ibi *num.* 18. ideò illius cap. suspensioni non subjicitur. Sicut nec suspensioni latæ à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. quia ut ex declarat. S. Cong. constat, ibi non est sermo de collatione primæ tonsuræ, sed de promotione ad ordines. Benè in terminis constit. *Secretis* 33. Urbani VIII. Episcopi Itali, ut explicatum est suprà *cap.* 1. *num.* 15. sunt per annum suspensi ab exercitio Pontificalium, si aliquem oriundum ex quocunque loco extra Italiam promoveant etiam ad primam tonsuram non servata forma ibi præscripta. Pariter, & titulares Episcopi, si aliquem sine expresso consensu, aut dimissoriis sui Prælati promoveant etiam ad primam tonsuram sunt per annum suspensi ab exercitio Pontificalium.

SUMMARIUM.

39 *Posse conjugatum ex justa causa tonsurari quidam dixerunt.*
40 *Non licet conjugato concedere tonsuram nisi in casibus expressis.*
41 *Extenditur etiam si matrimonium non sit consummatum.*
42 *Et ita ut præmittere debeat votum continentiæ.*
43 *Qualiter votum non impediat ingressum religionis.*
44 *Promovens conjugatum ad tonsuram est suspensus per annum à collatione tonsuræ.*
45 *Pœna hujus textus non se extendit ad promoventes ad ordines.*
46 *Conjugati pœna si promoveatur ad sacros ordines.*

ARTICULUS IV.

Quis promovere possit conjugatum ad primam tonsuram.

QUod dispensante Episcopo possit conjugatus ad minores ordines promoveri sine uxoris licentia ex justa causa voluerunt Innocent. *cap. conjugatus*, *de convers. conjugat.* & ibi Hostien. *num.* 1. Henriq. *num.* 6. & ratio est, quia *cap.* 2. *de Cler. conjugat.* solum interdicitur ne conjugatus promoveatur ad sacros Ordines. Et idem statuitur, *cap. conjugatus*, *de convers. conjugat. & extravag. antiquæ* Jo. XXII. Decretalem autem hanc intelligunt, ut procedat, quando non adest justa causa. Et ita hanc sententiam probabilem putat Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 38. *n.* 5. 39

Sed dicitur, quod non licet Episcopo conjugatum promovere ad primam tonsuram nisi conjugato volente ingredi Religionem, aut ad sacros Ordines promoveri, & tunc habita licentia uxoris, si ante professionem in Religione legitimè emissam clericus velit tonsurari, & servatis aliis, quæ ex vi *cap. conjugatus*, *de convers. conjugat.* & aliis sacris Canonibus servari debeat etiam ex parte uxoris. Etenim argumentum à contrario sensu, quod prima sententia desumit ex citatis juribus nullius est momenti, cùm nullius sit efficaciæ, quando adest lex disponens expressè contrarium, & quæ corrigenda esset, si argumentum concluderet, ut notat Everard. in Taphicis, in loco à contrario sensu. Quamobrem relicta responsione, qua utitur Panorm. *d. cap. conjugatus num.* 3. volente quod textus ille accipiat 40

Ordi-

Ordines sacros amplè, ut sub eis continentur Ordines Minores, quia hujusmodi ampliationes trahentes ad improprias significationes sine necessitate admitti non debeat; & propterea concesso, quod in illis juribus sit sermo solùm de ordinibus sacris, dicitur quod in hoc textu expressè interdicuntur Episcopi ne primam tonsuram conferant conjugatis, nisi in casibus expressis, & ideò aliud fieri non potest, ut etiam docuerunt hìc Gloss. *in v. definitum*. Jo. Andr. *num*. 1. Anchar. *num*. 3. Dom. *num*. 6. *item in d. cap. conjugatus v. ad sacros*. Gloss. & ibi Jo. Andr. *num*. 3. Butr. *num*. 3. Panorm. *num*. 7. Card. *quæst*. 1. Anchar. *num*. 3. item Jo. Andr. *in cap*. 2. *num*. 1. *de Cler. conjug*. & ibi Butr. *nu*. 5. Panorm. *num*. 3. Anchar. *n*. 3. Card. *quæst*. 1. Imola *num*. 1. Brunel. Cuccus, Azor. Majolus, Lancellotus, quos refert & sequitur Sanchez *d. disp*. 38. *n*. 6.

41 Hoc verò extendi ut sit verum, etiam si nondum consummatum sit matrimonium, quia quantum ad ordines non refert an matrimonium sit, vel non sit consummatum, adverterunt hìc Jo. Andr. *num*. 1. Anchar. *num*. 3. Dom. *n*. 6. & *d. cap. conjugatus*, Jo. Andr. *n*. 1. Card. *quæst*. 3. Henric. *num*. 6. Sanchez *d. disp*. 38. *n*. 7.

42 Et amplius extenditur, ut præter ea, quæ ex parte uxoris necessariò sunt adhibenda à conjugato ipso petenti tonsuram, exigendum sit, & obtinendum votum continentiæ, & quia ex hoc textu non possit promoveri, nisi velit ad sacros Ordines ascendere. Et ideò ne contingat cùm ante susceptos sacros ordines redire ad uxorem, alligandus est voto continentiæ. Gloss. *in cap. Episcopus, dist*. 77. & *in d. cap. conjugatus*. Jo. Andr. *n*. 4. Butr. *n*. 3. Panorm. *n*. 3. Card. *q*. 2. Anchar. *n*. 2.

43 Qualiter verò matrimonium etiam ratum non impediat ingressum in religionem, & professio dissolvat matrimonium ratum, & quando & quomodo etiam post matrimonium consummatum possit conjugatus profiteri, dixi *tom*. 3. *de statibus in tract. quæst*. 189. *art*. 6. *num*. 107.

44 Episcopus autem seu quicumque conjugatum promoverit ad primam tonsuram præter casus in textu exceptos, est suspensus per annum à collatione tonsuræ dumtaxat.

An verò hæc suspensio cum proportione extendatur ad conferentem Ordines Minores conjugato, vel patienti aliquem ex aliis defectibus hìc recensitis, scilicet vel infanti, vel illiterato, vel subdito alienæ Diœcesis, affirmant D. Ant. 3. *p. tit*. 28. *cap*. 4. Silvest. & alii summistæ apud Suarez *de cens. disp*. 31. *sect*. 5. *num*. 3. ubi ait hoc etiam insinuare Sotum 4. *d*. 25. *quæst*. 1. *art*. 2. circa finem, sed Silvest. *v. ordo* 3. hoc non dicit, & D. Anton. loco citato agit de irregularitate ex defectu natalium, nec citatur locus determinatus illius *tit*. & *cap. verè tamen* hujusmodi legum extensiones admitti non debent, ut sæpè probatum fuit. Etenim Pontifex ex eo tulit hanc legem contra conferentes tonsuram infantibus, illiteratis, alienis subditis, & conjugatis, nedum quia tonsura sit janua ad ordines, & transferat promotum ad statum Clericorum, sed quia cùm hoc habeat, non comprehendatur sub legibus aliis contra malè ordinantes latis, voluit etiam non carere pœna, qui tonsuram conferret. Et ita conferentes ordines relinquuntur suis legibus, & qualiter diversis pœnis afficiantur conferentes ordines etiam minores alienis subditis jam est explicatum. Contra verò ordinantes ad minores infantes, vel illiteratos, vel conjugatos se non incurrere suspensionem ipso jure latam, fatetur Suarez *de cens. disp*. 31. *sect*. 5. *n*. 6. 45

Contra conjugatum verò promotum ad sacros Ordines etiam matrimonio tantùm rato, & non consummato adest extravag. de voto, seu quæ incipit: *Antiqua*, Jo. XXII. per quam is remanet suspensus ab executione Ordinis suscepti, & impeditus ne ad majores Ordines possit ascendere, & ne ad aliquod beneficium, aut officium Ecclesiasticum possit promoveri, nisi idem Religionem aliquam ingressus fuerit, ac professus, in quo casu Episcopus in præfatis pœnis cum illo dispensare poterit, nisi aliud obstet. Quamvis modò conjugatus iste factus Religiosus non indigeat dispensari ab Episcopo, sed à suis superioribus dispensari possit, & Suarez advertit. 46

DE ÆTATE ET QUALITATE, & ordine præficiendorum.

Bonifacius Octavus.

CAPUT UNICUM.

PErmittimus, ut Episcopi cum his, qui vigesimum annum compleverint, quòd dignitates, vel personatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere: possint (si aliud non obstat canonicum) liberè dispensare.

SUMMARIUM.

1 *Decretalis ista abrogata.*
2 *Argumentum à contrario sensu quando validum.*
3 *Dispensatio est libertatis.*
4 *Prælati inferiores an possint dispensare in casibus, in quibus dispensant Episcopi.*
5 *Prælati habentes territorium dispensant cum suis. Prælatus inferior non dispensat quantum ad obedientiam in lege superioris.*
6 *Dispensatio non se extendit de uno ad alium defectum.*
7 *Episcopus scienter promovens habentem defectum, super quo potest; censetur dispensare.*

1 PErmittebatur in hoc capite, ut qui annum vigesimum ætatis compleverant, possent dispensante Episcopo assumi ad dignitates curam animarum annexam non habentes, & hoc est, quod per Bonifacium Octavum in hoc *cap. decernitur*. Sed hujus capiti derogatum jam est per Concil. Tridentinum, qui ad dignitates obtinendas etiam non habentes annexam curam animarum requiri, quod promovendi non sint minores ætate 22. annorum. Et quia Episcopi in decretis per Concilium Tridentinum non possunt dispensare, ideò non possunt dispensare super hoc ætatis requisita. Sed quoniam de ætate necessaria in promovendis ad dignitates, & beneficia latè scripsi in tractatu de electione Canonica *cap*. 25. *quæst*. 33. *à num*. 43. & ideò non est necesse ea hìc repetere, vel alia addere.

Hoc est adnotandum cum Gloss. *in v. permittimus*, quod argumentum à contrario sensu, quod aliàs in jure habetur fortissimum, ut in *cap. cum Apostolica, de his, quæ fiunt à Prælatis*; nihilominus nullum locum habet, quando in jure contrarium habetur expressum, & addit Franc. *num*. 3. quod nec locum habet, quando resultaret absonus intellectus, ut in *l*. 2. *C. de condit. inser*. Et nec in materia pœnali; quando si sumeretur, statuentes inciderent in pœnam, ut si diceretur, quod nullus in usuris posset accipere ultra duos solidos, non posset dici, quod ergo liceret accipere unum solidum. Sed circa hoc argumentum considerandum quod est fortissimum, & continet necessariam consequentiam negativam, ut scilicet, si lex disponat de uno oppositorum prohibendo, vel præcipiendo illud, valet consequentia, & est fortissima, ergo ex vi talis legis aliud oppositum non est prohibitum, vel non est præceptum. Sed si deducatur consequentia affirmativa in lege prohibente, & dicatur ergo oppositum est concessum, consequentia nullius 2

nullius est roboris, sed solum deduci potest, quod oppositum dispositioni priorum legum est relictum, & circa illud non est innovatum aliquid per legem prohibentem aliud oppositum. Similiter si in lege præcipiente, vel concedente unum oppositorum deduceretur consequentia, ergo aliud oppositorum est prohibitum, consequentia esset ridicula, solum enim deduci potest, quod oppositum ex nova lege non est præceptum, aut non est concessum, sed dispositioni priorum legum est relictum, unde oppositum sic remanet sub dispositione legis, sicut erat antea.

3 Ex verbo autem permittimus, quo utitur textus adnotatur, quod dispensatio in ordine ad superiorem dicitur esse voluntatis, & non necessitatis, Franc. *num.* 1. ex Gloss. *in cap. miror.* 50. *dist.*

4 Putat Gloss. quod hoc, quod hic est concessum Episcopis non intelligatur concessum Prælatis inferioribus, sumens argum. *ex cap.* 3. *titul. proximo, & ex cap. ex eo sup. de elect.* Addit verò Franc. dictum Innoc. *in cap. fin. sup. de eo, qui fuit ord.* nimirum, quod inferiores Prælati ab Episcopis numquam possunt dispensare, etiam in casibus, in quibus in jure concessa est dispensatio, nisi de illis fiat specialis mentio. Ipsis verò Episcopis semper intelligitur facta dispensandi permissio, si Papa sibi dispensationem specialiter non reservaverit, prout dixit idem Innoc. *in cap. dilectus sup. de tempor. ord.*

5 Verùm hoc primò, non verificatur in Prælatis inferioribus Episcopis, qui habent proprium territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem, & veniunt etiam in favorabilibus, & concernentibus gubernium sub nomine ordinariorum, & Episcoporum. Isti enim regulariter in illis casibus cum suis dispensare possunt cum suis subditis, in quibus possunt Episcopi dispensare. Et secundò non est verum, quod Episcopi possint dispensare in legibus superiorum, ut possit fieri, quod à superiore prohibetur, vel non fieri, quod præcipitur, an verò possint dispensare in pœna legis, ex quo non sit reservata, videantur, quæ scripsi *tractat. de elect. cap.* 28. *tota quæst.* 2. *à num.* 15. *pag.* 565. Et in specie, quod Episcop. non possint dispensare super ætate necessaria ex Concil. Trid. ad beneficia curata probatum fuit ibid. *cap.* 25. *q.* 33. *à n.* 431. *& pag.* 444.

Deducitur etiam ex hac parte textus regula, quod dispensatio est strictæ interpretationis, & quod concessio facultatis dispensandi super uno defectu non se extendit ad alium, etiam quod concessa fuerit libera dispensandi facultas, *ut ex cap.* 1. *&* 2. *tit. proximè sequent.* advertit Franc. *num.* 2. 6

Glossa movet quæst. an superior promovens habentem defectum, super quo potest dispensare, censeatur dispensare. Ad quam quæst. dicitur, quod si Episcopus promovet scienter, censetur dispensare, quia non præsumitur, nec præsumi debet, quod velit actum nullum facere, ideò in foro externo, ad hoc ut dispensatio habeatur valida, debet constare de scientia defectus; nam si de hac non constet non constabit de dispensatione. Cùm verò promovens non potest validè dispensare sine justa causa, tunc dispensatio non erit valida, si causa justa desit. Videantur, quæ habet Jo. And. *in cap. fraternitatis, de schism.* & hic Dom. & Franc. & quæ dixi *tract. de elect. c.* 25. *q.* 24. *à n.* 285. *& pag.* 417. 7

DE FILIIS PRESBYTERORUM, & aliis illegitimè natis.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

IS, qui defectum patitur natalium ex dispensatione Episcopi licitè potest (si ei aliud canonicum non obsistat) ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodò sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari. Ad ordines quoque majores, vel beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveri non potest. Ille verò, cum quo per sedem dispensatur eamdem, ut præmisso non obstante defectu, valeat ad beneficium, etiam si curam animarum habeat, promoveri: nequit prætextu dispensationis hujusmodi (quám exorbitantem à jure oportet veluti odiosam restringi) nisi unicum beneficium obtinere.

SVMMARIVM.

1 *Summa textu.*
2 *Regula textus.*
3 *Defectus natalium non imprimit notam delicti.*
4 *Dispensatio non se extendit de uno ad alium defectum.*
5 *Habilis ad non curatum non est ex eo habilis ad curatum.*
6 *Episcopus non potest dispensare in omnibus beneficiis simplicibus.*
7 *Religiosi illegitimi possunt ordinari.*
8 *Secunda regula textus.*
9 *Dispensatio est stricti juris.*
10 *Dispensatio unico actu extinguitur.*

1 DUas partes continet hæc decretalis, quia primò ostendit qualiter ex dispensatione possint illegitimi promoveri, & secundò ostendit qualiter dispensatio hujusmodi sit strictè intelligenda tamquam odiosa, ex quo exorbitat à jure.

2 Duas verò regulas continet hoc cap. Prima est, quod cùm illegitimè natis Episcopi dispensant ad minores ordines, & beneficia non habentia curam animarum, dum sint talia, in quibus aliàs possint dispensare: in aliis verò requiritur dispensatio Papæ. Quia verò de illegitimis in ordine ad beneficia latè scripsi *in tractat. de elect.* & præcipuè de facultate Episcoporum dispensandum cum illis *cap.* 25. *q.* 19. *à num.* 183. *& pag.* 395. non est opus hic plura addere.

Notandum verò primò ex verbo *defectum*, quod nota, quod ex illegitimitate non imprimitur nota delicti, sed defectus, & sic illegitimus tantum alieno vitio, & delicto, laborat, *l. legem C. de natu libe.* Dom. *num.* 1. Franc. *num.* 1. 3

Verùm hic adnotandum secundò, quod dispensatio super uno defectu, non se extendit ad alium, unde ablato impedimento defectus natalium, non per hoc ablata sunt alia impedimenta canonica, si adsint. Dom. *num.* 2. Franc. *num.* 1. 4

Notandum tertiò, quod maximè distinguuntur beneficia non curata, & curata, unde ex habilitate ad beneficium non curatum, non sequitur, quod quis sit habilis ad curatum. Nam ad non curatum habilem reddere potest Episcopus illegitimum, quem non potest habilitare ad curatum. Dom. *num.* 1. 5

Nam nec in omnibus beneficiis non curatis potest Episcopus dispensare. Neque enim dispensare potest, ut filius obtineat beneficia, quæ pater habuit. Gloss. Domin. *num.* 8. Franc. *num.* 7. Barbos. *num.* 10. Vide, quæ scripsi *tractat. de elect. cap.* 25. *quæst.* 23. *à num.* 274. *pag.* 413. Ubi etiam dicitur decre- 6

decretum Concil. Trid. *sess.25. cap.15. de reform.* non comprehendere regulares. Circa quod decretum plura considerata sunt, *& quæst.22. à pag.407.* explicatum qualiter filii illegitimi sint inhabiles ad beneficia recipienda in ea Ecclesia, in qua Patres beneficia obtinuerunt.

7 Notandum 4. quod benè Gloss. advertit, regulam intelligi de Clericis sæcularibus, nam in regularibus illegitimi ex vi professionis, Religiosi etiam ad majores ordines promoveri possunt. De quo vide, quæ scripsi *d.cap.25. qu.16. an.145. & pag.385. & tom.3. de stat. quæst.189. §. Ille vero, art.1. à num.57. pag.194.*

8 In hoc §. ponitur secunda regula, scilicet, quod dispensatus à Papa super defectu natalium ad hoc ut possit ad beneficium curatum promoveri, non per hoc censeri debet dispensatus ad pluralitatem beneficiorum.

Notandum primò, quod dispensatio super defectu natalium dicitur exorbitans à jure, & odiosa, igitur dispensatio super defectu personæ, pariter odiosa censeri debet, & strictè interpretari, Dom. *§. Ille verò, n.1.* Franc. *n.3.* Sed universaliter dispensatio omnis est odiosa, & strictè interpretanda, quia omnis dispensatio relaxat jus, Dom. *§. Ille verò n.2.* Barbos. *num.13.* Surd. *decis.268. nu.21.* Cardos. *in praxi jud. v. dispensatio, num.9. & 19.* Monet. *de distrib. p.2. qu.14. n.5.* Sanchez *l.8. de matrim. disput.1.* Barbosa *de off. Episc. alleg.33. num.7.* & apud istos alii plures. 9

Addit verò Dom. *§. Ille verò, num.2.* ex hoc sequi, quod dispensatio exorbitans, & odiosa consumatur, & extinguitur per primum actum, unde habens salvum conductum, ut possit venire ad Civitatem non obstante banno, semel tantum venire potest. 10

DE FILIIS PRESBYTERORUM, &c.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

SI is, cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes ordines promoveri valeat, & obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum, dispensationem aliam (tacito de prædicto defectu) postmodum obtineat à Sede præfata, ut duo, aut plura beneficia similem curam habentia possit recipere, si ei aliàs Canonicè conferantur, & ea simul licitè retinere, talis dispensatio (cùm non sit verisimile Sedem ipsam, cum illo prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare) veluti per subreptionem obtenta, nullius penitus est momenti.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Regula textus comprehendit casus similes.*
4 *Quinque causa, ob quas illegitimus arcetur ab ordinibus.*
5 *Illegitimitas est defectus non culpa.*
6 *Illegitimus de jure Canonico, non potest promoveri.*
7 *Dispensatus ad ordines intelligitur dispensatus ad minores.*
8 *Dispensatus ad ordines non est dispensatus ad beneficia.*
9 *Taciturnitas quando subreptionem inducat.*
10 *Opinio quorumdam.*
11 *Ex vi hujus textus non est necesse exponere priorem dispensationem, sed defectum natalium.*
12 *Neque ex vi cap. penul. de præscript.*
13 *Resolutio textus extenditur ad casus similes.*
14 *Et in legitimato.*
15 *Nec respectu consecutionis beneficii.*
16 *Dispensatus ad beneficium non est dispensatus ad plura beneficia.*
17 *Dictio* plura, *quæ comprehendat.*
18 *Episcopus non dispensat ad dignitates nec ad plura simplicia.*
19 *Dispensatus secundum formam hujus textus ad curatum non est dispensatus ad dignitates.*
20 *Opinio quorumdam.*
21 *Taciturnitas quando reddat gratiam subreptitiam si præsumatur superiorem non concessurum gratiam si scivisset.*
22 *Opinio aliquorum.*
Subreptio cur in rescriptis gratiæ irritet ipso facto, non vero in rescriptis justitiæ.
23 *Non semper subreptio irritat gratiam ipso facto.*
24 *Quando hoc eveniat.*

1 AGitur in hoc capitulo de dispensatione addita super priori obtenta dispensatione, & de subreptione ex hac causa irritante rescriptum.

2 Regula autem textus est, quod si is, cum quo dispensatum est super defectu natalium ad omnes ordines, & ad beneficium etiam curato, posteà obtineat super pluralitate beneficiorum aliam dispensationem non facta mentione illegitimitatis, dispensatio ista est subreptitia, & nulla.

Sed quid si Episcopus ipse dispensaverit cum illegitimo ad minores ordines, & simplex beneficium, & posteà tacitò eo defectu impetraverit dispensationem super pluralitate similium beneficiorum? irrita erit dispensatio, ut Gloss. advertit, quæ tamen hoc asserit ex identitate rationis, quia non est verisimile &c. Sed hanc esse efficacem rationem credo, quia scilicet Pontifex in hoc textu in exemplum similium assumpsit casum de dispensatione illegitimi obtenta à Sede Apostolica, & ideò decretum hoc casus similes comprehendit, quia est decretum generale. 3

Notandum primò, quod triplicem causam reddit Glossa, & quartam addunt alii, propter quam defectus natalium impedit promotionem ad ordines, & beneficia. Prima est ob ordinis prærogativam, *cap. penult. & ult. dist.26. cap. inter dilectos, de excess. Prælat. in antiq. l. neque famosis, C. de dignit.* Secunda causa est ob detestationem paterni criminis, quod punitur in filio, ut per id puniatur pater, *cap. cum ergo, §. sed qui 24. quæst.3. l. isti quidem, §. ult. ff. de eo, quod met. causa.* Tertia propter incontinentiam paternam, quæ timetur in filio, juxta illud, sæpè solet filius &c. *cap. sunt plurimi, §. verum 6. qu.1.* Quarta causa est scandalum, quod de facili consurgit in illis, inter quos illegitimus promovetur, Jo. Andr. Butr. *num.6.* Dom. *num.8.* 4

Dicitur verò, quod illegitimitas sit defectus, quia licèt fuerit culpa in patre, tamen non est culpa in filio, sed defectus ejus decoris, & honoris, quem fert esse filium legitimum, *cap. nasci dist.50. cap. accedens de purgat. Canon.* Glos. *in v. defectu.* 5

Quamvis verò illegitimè natus ex legitimo matrimonio, nimirum filius Clerici antea uxorati, posteà ad ordines sacros promoti, vel Religionem professi, & à Patre post promotionem, aut professionem genitus, sit naturali jure legitimus, quia natus ex legitimo matrimonio, ut probavi *tract. de elect. cap.25. quæst.15. n.109. pag.378.* tamen de jure Canonico est illegitimus, nec potest sine dispensatione ad ordines, & beneficia promoveri, *cap. literas, de fil. presbyt. in antiq.* Domin. *n.8.* post Innoc. & Hostien. *in cap. dudum, de convers. conjug.* 6

Notandum secundò ex illo verbo *omnes* meritò in textu adjuncta est dictio *omnes*, ut intelligatur dispensatum fuisse etiam ad sacros ordines. Nam aliàs dispensatus ad ordines simpliciter intelligitur dispensatus solùm ad minores, Dom. *num.1.* Franc. *n.8.* Barbos. *num.8.* 7

Notandum tertiò, ex illo verbo *beneficium*, quod ideò expressè de dispensato ad ordines, subditur, & ad beneficium, 8

quia

quia dispensatio ad ordines non se extendit ad beneficium, nisi id exprimatur, *ut ex cap. super*. Dom. *n.*1. Franc. *num.*1.

9 Notandum quartò, quod de taciturnitate quando inducat subreptionem egi pluribus in locis, nimirum *de elect. cap.*25. *qu.*24. *à n.*290. *pag.*418. *& tom.*1. *de stat. qu.*185. *ar.*7. *num.*499. *&* 610. *pag.*328. *& quæst.*186. *par.*7. *n.*137. *pag.*527. Ubi quod ad vitandam subreptionem taceri non debent, quæ ex jure, & stylo manifestanda sunt, & quod regulam, quam Domin. *n.*3. & multi tradunt, ut subreptitiæ adsit, si taceatur id, quo manifestato superior gratiam verò similiter non concessisset se sola, & ubi non sit à jure probata non est regula vera, etiamsi quod non manifestatur sit de intrinsecis rei, sed quod sufficit dari dispensandi causam justam, etiam supposito defectu non manifestato, si totum id manifestatur, quod de jure, aut stylo debet exponi. Quod infrà in hoc capit. explicatur.

10 Hìc verò est difficultas, an ad fugiendam subreptionem in secunda impetrata dispensatione sit necesse mentionem facere de priori dispensatione obtenta, ut v. g. illegitimus dispensatus ad beneficium curatum, si vult obtinere dispensationem ad plura beneficia debeat narrare se fuisse dispensatum ad unum. Affirmant Barbos. hìc *n.*2. & quamplures, quos refert Sanchez *l.*8. *de matrim. disp.*22. *num.*2. qui ibid. *num.*6. limitans regulam, ait tunc necessariò fieri debere mentionem prioris dispensationis, dum alia posterior impetratur, quando prior, & posterior dispensatio sunt circa eandem rem, & inter utramque est dissonantia, & partialis quædam contrarietas, & prior cum moderatione quædam concessa sit, posterior autem absolutè, & sine moderatione. Et hanc ait esse veram hujus textus intelligentiam. Ideò enim posterior dispensatio in hoc casu judicata est subreptitia, quia secunda est amplior, & prioris moderamen excedit.

11 Verùm dicitur, quod ex vi hujus textus non est necesse manifestare priorem dispensationem, sed benè est necesse manifestare defectum, super quo fuit prius dispensatum. Textus enim habet, *(Tacito de prædicto defectu)* & in hoc subreptionem fundat, quod impetrans secundam dispensationem super pluralitate beneficiorum, non manifestavit defectum natalium. Et propterea in hoc sensu textum hunc intelligunt Dom. *num.*7. & Franc. *n.*5. Et hoc magis appareat ex illis aliis verbis textus: *Cùm non sit verisimile sedem ipsam, cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare?* Non enim reddit pro ratione non præsumptæ voluntatis dispensandi, quia prius fuerat dispensatum, & quidem cum moderatione ad unum beneficium, sed quia non præsumitur Pontificem voluisse super pluralitate beneficiorum dispensare cum illegitimo. Et rationabiliter hoc fuit statutum, quia dispensatio causam requiritur. Et certè major est necessaria ad dispensandum super pluralitate beneficiorum cum illegitimo, quàm cum legitimo, ubi verò rationi hujus qualitatis major ratio, & causa dispensandi requiritur, qualitas exprimenda est, ut dispensator videat, an adsit dispensandi causa justa, qua non existente sæpius dispensatio est invalida, & ubi etiam esset valida, si sit data dispensante ignorante, præsumi potest involuntaria, & talis sine dubio censenda est, si causa justa non adsit, seu si jure, vel praxi justè, & meritò decernitur, ut tali qualitate tacita dispensatio sit subreptitia.

12 Sed neque *ex cap. penult. de præscript.* probatur eadem sententia. Ibi enim non judicatur subreptitium privilegium recipiendi sacramenta à quolibet Antistite concessum Abbati S. Martini de Pannonia, nec dicitur illud privilegium non valuisse, quia subreptitium, sed quia privilegium Clementis non derogabat privilegiis Paschalis, & Alexandri cùm eorum non faceret mentionem, & sicuti est necessarium ad hoc, ut privilegium privilegio deroget.

13 Resolutio igitur hujus textus non potest, nec debet extendi ad rescripta justitiæ, vel ad alia gratuita, ad quæ concedenda non requiritur specialis causa, sed limitatè de dispensationibus loquitur, & quidem ad pluralitatem beneficiorum respectu ejus, qui ex defectu natalium est etiam impeditus ad beneficium unicum. An verò extendatur ad omnes dispensationes super irregularitate ex homicidio, vel aliis irregularitatibus, aut defectibus promovendi ad Ordines, & beneficia, affirmant hìc Jo. Andr. Domin. *num.* 6. Butr. *num.*2. Franc. *num.*5. Et sic credo dicendum, quia Pontifex exemplariter videtur loqui in hoc textu, & quia natura rei postulat, ut dispensatio majorem causam requirat quando dispensandum est super lege comprehendente etiam non habentes defectum, quia tunc requiritur duplex causa, prima ut dispensetur super lege, secunda ut dispensetur cum patiente defectum, sicut in præsenti est dispensatio super pluralitate beneficiorum. Et universaliter requiritur causa specialis ad hoc ut dispensetur cum persona habente defectum, & maximè defectum talem qualis est defectus natalium, aut irregularitatis ex homicidio, aut ex bigamia. Existimo tamen casus non esse similes, nisi ubi est necessaria duplex dispensatio, nimirum primò respectu gratiæ quæ absolutè est contra legem, nec potest obtineri sine dispensatione etiam à non habentibus defectum irregularitatis, & posteà sit etiam alterius dispensandum super irregularitate. Neque enim Pontifex à casu proposuit exemplum de patiente defectum natalium, & impetrante subreptitiè tacito defectu pluralitatem in beneficiis. Et ulterius ex dicendis infrà, quod simus in casu in quo gratiâ si sit concessa sive justa causa sit ipso jure nulla.

14 Benè tamen advertunt Gloss. Jo. Andr. Butr. *nu.*2. Dom. *num.*4. Franc. *num.*5. hujus textus regulam non procedere in legitimato; si enim contingat alicui ex eo concessum promoveri ad ordines, quia fuerit legitimatus, non est necesse ad hoc ut impetret facultatem ad plura beneficia, ut defectum natalium explicet, quia ille defectus per legitimationem ex toto ablatus fuit, ac si numquam adfuisset: unde cùm defectus jam non sit, non est necesse ut exprimatur.

15 Pariter textus regula non procedit in consecutione plurium beneficiorum, si prius detecto defectu, quis fuit dispensatus ad plura beneficia; quia actualis consecutio beneficiorum non est nova gratia, sed prioris gratiæ executio, quando dispensatus ut possit habere plura beneficia posteà actu illa obtinet, unde non est necesse, ut ea consequatur, quod iterùm natalium defectum manifestet, super quo cùm fuerit dispensatus ad effectum plura beneficia consequendi non indiget amplius dispensari, Jo. Andr. Butr. *num.*5. Domin. *num.*7. Franc. *num.*5.

16 Notandum quartò, quod dispensatus ut duo beneficia habere possit, non est dispensatus ad hoc ut consequatur tria, quia dispensatio stricti juris, & interpretationis est; imò dispensatus ad beneficia habenda ex hoc non est dispensatus, ut duo, vel plura simul habere possit, quia hoc est speciale, quod non intelligitur per dispensationem concessum, nisi fuerit expressum, Dom. *num.*3. Franc. *num.*3.

17 Sed dispensatus ut possit obtinere duo, vel plura beneficia, ex hoc non potest obtinere tria. Quia licèt dictio *plura* simpliciter prolata verificatur in duobus, quando tamen duo exprimuntur, & posteà additur vel plura, ad minus dictio *plura* comprehendit tria, *arg. l.*1. *ff. de op. leg. & l.*1. *§. hoc est scriptum, ff. ad Sylla. & cap. cum plures, infr. de off. deleg. & sup. cap. quia in tantum de præben.* si autem dictum fuisset plurima, tunc majorem numerum comprehenderet ex sui natura quàm duo, & patet *c. Christiano, dist.* 34. *& cap. quomodo* 31. *qu.*1. Dom. *num.*5. Franc. *n.*2.

18 Notandum quintò, quod non potest Episcopus dispensare cum illegitimo ad beneficia curata, sed neque ad dignitates, & personatus quod modò est verius, ex quo in Cathedralibus etiam Canonicatus habent annexos sacros Ordines. Pariter Episcopus, nec potest dispensare cum illegitimo super pluralitate beneficiorum simplicium. Vide quæ scripsi *de elect. cap.*25. *quæst.*19. *n.*194. *&* 195. *pag.*397.

19 Sed difficultas est, an dispensatus juxta formam hujus cap. ad omnes Ordines, & ad beneficium etiam curatum, ex vi hujus dispensationis possit promoveri ad personatus, & ad dignitates. Non posse asserunt hìc Archid. Jo. And. Butr. *num.*3. Domin. *num.*4. quia primò hæc litera tantum curata comprehendit, tum 2. *per cap. fin. suprà eod. tit.* ubi hæc tria in hac prohibitione ponuntur ut diversa, unde uno concesso non veniunt reliqua, *arg. cap. Nos consuetudinem* 12. *dist.* Nec in dispensationibus licet arguere de majori ad minus, ut advertit Jo. Andr. *in cap. postulasti, de rescript.* ergo multò minus de simili ad simile diversorum generum, Butrius tamen *n.*4. putat talem posse obtinere Canonicatum, cùm Canonicatus sit beneficium simplex, ad quod fuit dispensatus ex forma dispensationis hujus textus. Et nec obstat ordo sacer annexus Canonicatui, quia & ad omnes ordines iste est dispensatus. Subdit verò, quod hæc videtur fuisse intentio *specul. in tit. delegato, in tract. dispens. §. postremò*, & quod ita consuluit Oldradus *cons.*49.

Notan-

20 Notandum sextò, quod ex illa clausula *cùm non sit verisimile* multi deduxerunt, quod taciturnitas qualitatis, quæ si fuisset expressa, verisimile est, quod superior non dispensasset, vel gratiam non concessisset, reddit gratiam subreptitiam. Et sic Sanchez *l.8. de matrim. disp.21. n.17.* Existimat quod etiam quando sumus in casu in quo qualitas aliqua nec de jure, nec ex stylo est exprimenda, adhuc taciturnitas qualitatis inducit subreptionem, si ea qualitate non tacita superior, vel non concessisset, vel non concessisset absolutè, sed cum moderatione, & sub aliqua conditione; & sic quod taciturnitas causæ finalis vitiat gratiam, quæ doctrina si esset vera innumeri obtinerent beneficia inaniter, & invalidè, quia habent qualitates, quas si promotor scivisset, beneficia non contulisset.

21 Sed dicitur quod non est particularium Doctorum aut personarum præsumere, juridicè an superior fuisset, vel non fuisset concessurus, & quod solùm in casibus in jure expressis nec præsumptio inducit subreptionem, ipso facto irritantem gratiam. Sed quod dixi *tom.1. de stat. quæst.186. art.7. num.137. pag.527.* ad rem præsentem facit. Nam vel expressa qualitate aliqua, aut defectu, vel impedimento datur justa causa dispensandi, vel concedendi licentiam aut gratiam. Vel non datur, si non datur, tunc instat argumentum ex hoc textu, quia in illis, ad quæ concedenda requiritur justa causa, si defectu, vel qualitate expressa justa causa desit primò præsumendum est, quod superior verisimiliter non esset dispensaturus, vel licentiam, aut gratiam concessurus, quia præsumendum est eum noluisse, & nolle peccare concedendo sine justa causa, quod ipse, sine peccato non potest facere. Et tunc etiam concessio eadem ratione censenda est in voluntaria, & subreptitia, quia censendum est & noluisse, & nolle concedere, quod & concessisset, & concederet, peccasset, & peccaret. Et talis est casus hujus textus, quia pluralitas beneficiorum sufficientium, nec à Papa justè potest concedi sine justa causa. Sed si adest justa causa dispensandi, aut concedendi etiam supposito defectu, vel qualitate, vel impedimento, nec de facili potest præsumi, quod superior non esset gratiam concessurus, quia imò de superioris liberalitate præsumendum est, quod etiam qualitate detecta esset concessurus gratiam, quam sine peccato potuit concedere, nec ad vitandam subreptionem necesse est defectum, vel qualitatem manifestare, nisi alias de jure, aut stylo fit ut manifestetur, juxta dicta ibid. & probata *tract. de elect. cap. 25. qu.24. à num.290. pag.418.* Nec oppositum ex hoc textu colligitur, quia hic est casus specialis, in quo Pontifex voluit de jure præsumi, quod Sedes Apostolica, si non fuisset manifestatus defectus natalium, non concessisset pluralitatem beneficiorum, & statuit, quod hujusmodi concessio sit subreptitia, & nulla. Unde hujus textus dispositio non est trahenda ad casus dissimiles, seu ad gratias dissimiles à pluralitate beneficiorum.

22 Notandum septimò, quod ex clausula *nullius prorsus est momenti* literas hujusmodi subreptitiè impetratas esse ipso jure nullas, colligunt Gloss. Butr. *num.6.* Dom. *n.4.* Franc. *n.3.* Barbos. *n.5.* Quæritur verò cur in literis gratiæ quales sunt ad beneficia subreptio irritet ipso facto, at verò in literis justitiæ hoc non fiat, nisi ope exceptionis? Ad quod ex Jo.Mon. respondetur, quod literæ ad beneficia se habent ad instar contractuum bonæ fidei, in quibus debet adesse exuberantia bonæ fidei, *l. bonam fidem, C. de act. & oblig.* Et ideò in literis gratiæ debet adesse omnis puritas. Ita etiam Jo. Andr. hæc habet latius, & ad objecta multa respondet, quem sequuntur Butr. *n.7.* Dom. *n.8.* Franc. *in fin.* Barbosa *n.5.* Sanchez *l.8. de matrim. disp.21. num.3.* Panorm. *cap. ad audientiam el 2. de rescrip. num.14.* & ibi Felin. *n.17.* Milis *v. gratia num.3.* Navar. *cap. si quando prælud.1. n.1. de rescript.* Menoch. *de arbitr. casu 201. num.2.*

Itaque ex hoc textu præfati DD. & alii deducunt hanc universalem, scilicet, quod subreptio in rescriptis gratiæ irritet gratiam ipso jure, & facto. Verùm, quod hoc habeat in hoc jure fundamentum non video: nam dato, quod clausula nullius penitus sit momenti importet nullitatem ipso facto, non potest ex hujus textus casu deduci universalis propositio, ergo universalissimè omnis gratia subreptitiè obtenta est ipso jure, & facto nulla. Quia hic sumus in casu odiosissimo, nedum quia rescripta ad beneficia tanquam redolentia ambitionem sunt odiosa, & strictè accipienda, ut dictum est suprà *cap. susceptum, num.6. de rescript. & ibid. quæst.1. art.2.* Sed quia sumus in casu dispensationis, quæ odiosissima est, cum legis communis relaxatio. Sed & ulterius aliud est considerandum, quod dispensatio semper, ut sit valida, & semper ut ex parte concedentis sit recta, & justè facta requirit justam causam. Sed & hoc amplius attendi debet, quod tacitum in præsenti casu fuit quid valdè substantiale erat, nimirum defectus natalium, super quo dispensandum erat, ut gratia obtineretur. Et id quod petebatur erat pluralitas beneficiorum, quæ est in jure odiosissima, & difficillimæ concessionis, & quæ si fiat sine justa causa ipso divino jure est nulla, juxta dicta suprà *cap. de consuetudine, num.352.* 23

Quamobrem hic distingui debet. Nam admisso ex probatis *num.21.* quod ubi ad gratiam concedendam sit necessaria justa causa, si verè hæc causa deest, & tacitus fuit defectus, vel qualitas ratione cujus gratia non potest concedi sine justa causa, quod tunc gratia sit subreptitia; aliud considerandum est, nimirum si gratia sic sine justa causa concessa, sit invalida ipso jure, & facto, vel non. Si est invalida, subreptio sine dubio inducit nullitatem ipso jure; quia subreptio inducens involuntarium in superiore relinquit rem naturæ suæ, & sic si de facto concessio est facta sine justa causa, & talis de se est nulla non potest ex subreptitia concessione, & involuntaria reddi valida, etiam si alias nullitas concessionis ipso facto esset ex jure positivo. In casu verò nostri textus concessio plurium beneficiorum facta sine justa causa est ipso facto nulla ex jure naturali, & divino, ut probatum est suprà *cap.1. de consuetudine qu.2. art.1. n.352.* Si verò concessio etiam supposito defectu, vel qualitate non est ipso facto nulla, si fiat sine justa causa, tunc subreptio inducit nullitatem ipso facto in casibus in jure expressis, sed quod universaliter id faciat. Non colligitur ex hoc textu, cujus casus est specialissimus, odiosissimus, & in quo dispensatio si fiat sine justa causa, est jure naturali, ac divino nulla. Et quia res maximi momenti est, & aliàs odiosissima, & bonum regimen Ecclesiæ petit, ut an sit, vel non sit justa causa dispensandi cum illegitimo in pluralitate beneficiorum à solo Romano Pontifice examinetur, ideò meritò Pontifex in hoc casu voluit, quod dispensatio hæc subreptitia sit ipso jure nulla. 24

DE BIGAMIS.

Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi.

CAPUT UNICUM.

Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes bigamos omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos: Et coërtioni fori sæcularis addictos: consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram, vel habitum Clericalem.

SUMMARIUM.

1 *Ratio condendi decretalem.*
2 *Summa textus.*
3 *Textus comprehendit etiam bigamos interpretativè.*
4 *Bigamus ordinatus minoribus est omni privilegio Clericali privatus.*
5 *Clausula sub interminatione anathematis est sententia ferenda.*
6 *De dispensatione super bigamia remissivè.*

Cùm

1 CUm antiquitus, ut hic notat Gloss. *in v. Altercationis* inter Hugonem, & alios ex una parte, & Jo. & suos sequaces ex altera disputaretur an Clericus effectus bigamus verè, vel interpretativè esset privatus omni privilegio Clericali negante hoc Hug. & affirmante Jo. hanc controversiam definivit Greg. X. in Concil. Lugdunen. ex quo præsens decretalis est desumpta.

2 Decernitur propterea, quod bigamus nudatus est omni privilegio Clericali, & astrictus sæculari foro consuetudine in contrarium non obstante, & prohibitus est sub anathemate Tonsuram, & habitum Clericalem deferre.

3 Bigamos autem, tam verè, quàm interpretativè dictos comprehendi sub hoc textu, dicunt Gloss. & alii.

4 Hos verò carere, tam Canonis, quàm fori statuitur. Quod tamen intelligitur de ordinatis ad minores ordines, ut explicat Gloss. *v. Bigamos*. Nam si bigamus promoveretur ad sacrum ordinem, valeret ordinatio, & non esset privatus, quia nec privari posset privilegio Clericali ex capite bigamiæ. Nam ordinatus in sacris non potest redire ad sæculum, *ut ex cap. Tua de apostatis*, habet Dom. *num.6.*

Excommunicatio autem lata in textu est ferendæ sententiæ, ut notat Glos. Ex qua deducitur quod verba sub interminatione anathematis contineat sententiā ferendam, Barb. *n.* 5. 5

Quoniam verò de hac irregularitate ex bigamia, & quomodo nunc super illa non possit dispensare Episcopus, imò nec Prælati regulares latè ostendi *tract. de elect. cap.* 55. *qu.4. à num.62. ubi num.66.* hunc textum explicavi; ideò hic alia non est opus addere. 6



DE OFFICIO VICARII.

Innocentius Quartus.

CAPUT I.

ROmana Ecclesia: & infrà. Cùm Rhemensis Archiepiscopus in officialem alicujus suffraganei sui excommunicationis sententiam ex aliqua rationabili causa profert: illos, qui vices ipsius gerunt, propter hoc excommunicationis vinculo non astringit: Cùm non communicent ob id officiali eidem in crimine, qui Ecclesiasticæ censuræ districtione, pro eo, quòd suum exercent officium, non arctantur. Ea tamen, quæ ipsi gerendo hujusmodi vices agunt, eo taliter excommunicato manente (si jurisdictionem tantùm recipiunt ab eodem) non possunt obtinere vigorem.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Regula posita in textu.*
3 *Archiepiscopus ex rationabili causa potest excommunicare officialem Suffraganei.*
Episcopi, & Vicarii idem consistorium.
4 *Excommunicatio non potest ferri sine rationabili causa.*
Quæ sint causæ, ob quas Officialis Suffraganei, potest excommunicari.
5 *Quis dicatur vices gerere Vicarii.*
6 *Vicarius qualiter possit delegare suam jurisdictionem.*
7 *An omnis judex possit constituere Vicarium.*
8 *Vicesgerens judicis excommunicati non est excommunicatus.*
9 *Quia ex hoc non communicat in crimine.*
10 *Excommunicatio suspendit jurisdictionem judicis, & ejus Vicarii.*
11 *Excommunicato Episcopo suspenditur Vicarii jurisdictio.*
12 *Vicesgerentis Vicarii excommunicati jurisdictio habita ab Episcopo non suspenditur.*
13 *Nec quæ habetur a lege.*
14 *Nec si res cum est integra.*
15 *Vicarius excommunicatus nec per se, nec per alium uti potest jurisdictione.*
16 *Excommunicatio Vicarii non transit in successorem.*
17 *Clericus conjugatus non potest esse Vicarius.*
18 *Ad constituendum Vicarium non est necessarius Capituli consensus.*

1 IN tres partes dividitur hæc decretalis secundùm Jo. Monachum. Primò enim decernit qualiter Vicesgerens Vicarii excommunicati, non adstringatur vinculo excommunicationis, secundò reddit rationem suæ determinationis, tertiò objectionem solvit.

2 Ponitur igitur hæc regula in textu, nimirum, quod si Archiepiscopus ex rationabili causa excommunicet officialem alicujus sui Suffraganei, qui ejusdem officialis Vicesgerentes non ligantur excommunicationis vinculo, quia ex hoc non communicant cum illo in crimine, pro quo lata fuit excommunicatio. Et nihilominus, si ab eodem excommunicato habent jurisdictionem, quæ agunt, non possunt obtinere vigorem, secus verò si ab eo jurisdictionem non habent.

3 Quia Episcopi, & ejus officialis idem est consistorium, seu tribonal, *cap. Romana, el 1. infrà de appell.* ideò sicut Episcopus, ita & officialis ejus in exercitio jurisdictionis Episcopalis subditus est Archiepiscopi, unde ab Episcopo datur appellatio ad Archiepiscopum. Et propterea Archiepiscopus ex rationabili causa potest officialem Episcopi excommunicare, Gloss. Jo. Monach. *num.1.* Archid. *n.1.* Jo. And. *n.1.* Anchar. *n.1.* Butr. *n.1.* Dom. *n.1.* Franc. *n.1.* Barb. *n.2.* Sbroz. *de off. Vic. l.2. q.59. n.6.* Quaranta *in v. Archiepiscopi auctoritas n.11* Lotterius *de re benef. l.1. qu.22. n.100.* Barb. *de off. Episc. part.1. tit.4. n.17. & p.3. alleg.54. num.*181. Si tamen Vicarius non delinquat in exercitio jurisdictionis Episcopalis, sed committat aliquod malum tanquam privata persona, non magis subditur Archiepiscopo, quàm alii privati subditi Episcopi Suffraganei, *cap. Romana, §. nec etiam, & §. fin. infr. de for. comp.* & DD. citati.

Neque verò Archiepiscopus sine justa causa potest excommunicationem ferre, *cap. cùm medicinalis, infr. de sentent. excom.* Gloss. Mon. *n.2.* Archid. *n.1.* Jo. And. *n.1.* Anch. *n.1.* Dom. *n.6.* Barbos. *n.7. & de off. Episc. p.1. tit.4. n.18.* Nam imò, ut advertit Domin. Excommunicatio sine rationabili causa lata est nulla. Hujusmodi verò causæ plures recenseri possunt. Ut Vicarius Episcopi si non servat privilegia Sedis Apostolicæ, *cap. quanto de privil.* Vel si sententiam proferat per pecuniam, aut gratiam, aut per Sordes. *cap. cùm æterni, §. si quis, infr. de sent. & re judic.* Vel si aliquem excommunicet sine scriptis, *cap. cùm medicinalis, infr. de sent. excom.* Vel si impediat causam appellationis delatum ad Archiepiscopum, *cap. Romana. vers. quia in causis, inf. de offic. ordin.* Vel in pluribus aliis casibus, *cap. Romana, §. pen. & ult. inf. de sent. excom. & cap. Romana de pœn.* Quomodocumque ne enim delinquat in officio suo Archiepiscopus est superior, qui corrigere potest, & si opus est, potest officialem Suffraganei excommunicare. 4

Boatinus autem intellexit hoc Capitulum de officialibus datis Vicariis Episcoporum, quales sunt Notarii, Nuntii, vel executores, quos deputant. Sed hujusmodi lectura non placuit Jo. And. & Dom. *n.5.* Sed Gloss. & Mon. *n.3.* extendunt hoc ad ministros etiam deputatos ab Episcopo, qui videns suum officialem excommunicatum, alium deputat, qui vices ejus teneat judicando, citando, vel jurisdictionem Vicarii exercendo. Propriè tamen, & principaliter textus loquitur de illis, qui Vicarii ipsius vicesgerunt, & ideò de illis, qui ab ipso constituti sunt, & mandatum ab eo acceperunt, & commissionem agendi. 5

Potest enim officialis Episcopi delegare suam jurisdictionem, ad unam, vel plures causas, ut hic advertunt Gloss. & Anchar. *n.2.* Barbos. *n.9.* Tabien. *v. Vicarius, qu.5.* Lopez *p.1. instruct. cap.284.* Saochez *l.3. de matr. disp.7. num.21.* & apud eum Foller. & Navar. An verò possit alium Vicarium Generalem instituere, retenta nihilominus apud se jurisdictione 6

ctione sua; absolutè dicendum est non posse *ex cap. Clericos sup. de off. Vicarii*, Gloss. hic, Anch. *num.*2. Vant. *de null. ex defect. jurisd. delegatæ n.*25. Azor. *p.*2. *l.*3. *c.*43. *qu.*3. Garz. *de benef. p.*5. *cap.*9. *n.*148. *cum seq.* Narb. *de appellat. à Vic. ad Episc. p.*1. *n.*219. Sanchez *l.*3. *de matr. disp.*7. *n.*21. Nihilominus quod possit hoc facere de consensu Episcopi, & ad tempus, & in hoc casu limitetur dispositio *d. cap. Clericos*, dicunt Dom. *n.*6. Jo. Andr. *n.*2. Butr. *n.*7. Franc. *n.*4. Barb. *n.*8. Sbroz. *de off. Vic. qu.*66. *n.*11. & 17.

7 An verò omnis judex possit instituere Vicarium, respondent Anch. *n.*1. Butr. *n.*2. quod si est impeditus ad breve tempus, ex causa justa id potest facere, secus si vel non adest justa causa, seu justum impedimentum, vel si impedimentum est duraturum per longum tempus, quia in hoc casu, dandus est alius judex. Sed hujus quæstionis resolutio pendet ex illa, quis scilicet possit delegare, aut subdelegare suam jurisdictionem.

8 De Vicesgerente Vicarii itaque decernitur, quod excommunicato Vicario, *excommunicationis vinculo non astringitur*, nimirum, non eo est ligatus excommunicatione, quod quis gerit Vices Vicarii excommunicati. Ex quo habetur regula, quod gerens vices judicis excommunicati ex hoc non est excommunicatus, scilicet majori excommunicatione, imò nec minori, nisi aliter cum illo excommunicato communicet: Quod faceret si officium gerendi ejus vices ab excommunicato reciperet, Jo. Mon. *n.*6. Jo. Andr. *num.*1. Butr. *num.*2. Dom. *num.*6.

9 Ratio autem assertionis est, quia ex hoc iste non communicat cum excommunicato in crimine ob quod fuit excommunicatus. Ex eo enim communicans cum excommunicato est excommunicatus majori excommunicatione, si communicet cum illo in crimine ob quod ille fuit excommunicatus, *cap. Nuper*, & *cap. si concubina de sent. excom.* & *cap. quoniam multos* 1. *quæst.*3. Ac verò ex eo quod aliquis gerat vices Vicarii excommunicati, non sequitur quod communicet cum Vicario in crimine ob quod ille est excommunicatus, & propterea nec ipse ex eo quod facit officium Vicesgerentis est excommunicationis vinculo ligatus. Posset tamen esse, quod communicaret in crimine; si v. g. Episcopo excommunicato existente Vicarius vellet Vicarii jurisdictionem exercere, & ideò ex hoc Vicarius esset excommunicatus ab Archiepiscopo, quod nolet abstinere ab exercitio jurisdictionis, sicut debet abstinere suo Episcopo existente excommunicato. In hoc enim casu, si quis ab hoc Vicario ea de causa excommunicato acciperet officium gerendi ejus vices, communicaret cum Vicario in crimine, ob quod est excommunicatus, & ideò & ipse Vicesgerens excommunicatus esset, Monac. *num.*6.

10 Licèt verò Vicesgerens Vicarii excommunicati non sit ex hoc excommunicatus, ejus nihilominus gesta, non sunt valida, sed irrita, & nulla, si gesta sunt per jurisdictionem ab excommunicato receptam. Ex quo habetur regula generalis, quod excommunicatio nedum suspendit jurisdictionem excommunicati, sed etiam ejus Vicarii, seu Vicesgerentis, aut cujuscumque ab eo jurisdictionem accipientis, ut hic advertunt Gloss. *in v. ipsius*, Jo. Mon. *n.*6. Anch. *n.*1. Dom. *n.*6. Franc. *n.*4. Barb. *n.*4. Gloss. *in v. contestata*, *n. fin. de Procurat.* Paris. *cons.*89. *n.*6. *l.*4. Rota *decis.*4. *n.*2. *de off. Vicarii in novis*, Selva *de benef. p.*2. *qu.*14. *n.*6. Sbroz. *de off. Vicarii l.*3. *qu.*17. *num.*1.

11 Et inde sequitur, quod excommunicato Episcopo in totum suspensa manet jurisdictio ejus Officialis, seu Vicarii. Idem enim est consistorium Episcopi, & Vicarii, sed tamen pinguius jus in jurisdictione habet Episcopus, qui est caput, & fons jurisdictionis, Officialis verò est rivulus, qui à fonte procedit, unde magis debet attendi fons, quàm rivulus, *cap. Jejunium dist.*76. & ideò Episcopus officialem mutare potest non è contra; quamobrem principali deficiente deficit accessorium non è contra, *l. cum principale*, *ff. de reg. jur. cap. qualiter*, *sup. de elect.* & *cap. prudentiam*, §. *pen.* & *ult. de off. deleg.* Et inde est quod excommunicato Vicario, non est suspensa jurisdictio Episcopi, sed excommunicato Episcopo, & obturato fonte exiccatur rivulus, & Vicarii jurisdictio manet suspensa, ut ex ea nihil validum gerere possit, Gloss. *in verb. ipsius*, Jo. Mon. *n.*6. Anchar. *n.*2. Franc. *n.*3. Dom. *n.*7. Barb. *num.*10. Socin. *in cap. sacris n.*241. *de sent. excom.* Paris. *cons.*89. *n.*6. *l.*4. Rota *decis.*4. *de off. Vic. in novis*, Selva *de benef. p.*2. *quæst.*14. *n.*6. Sbroz. *de off. Vic. l.*3. *qu.*17. *n.*1. Suarez *de cens. disp.*14. *sess.*1. *n.*1. Sanchez *l.*3. *de matr. disp.*30. *n.*8. Gonzalez *ad reg.*8. *Cancell.* Gloss. 5. §. 9. *num.*125. Surd. Ugolin. Narbona, Ricciul. & alii plures quos refert, & sequitur Barb. hic, & *de off. Episc. alleg.*54. *num.*146. In iis tamen, quæ non pendent à jurisdictione Episcopi, Vicarius habens aliunde facultatem validè ea utitur, quia sola jurisdictio quæ ab Episcopo manet, remanet in Vicario suspensa ex Episcopi excommunicatione, ut monet Domin. *d. num.*7.

Ideò loquentes in casu hujus textus de Vicesgerente Vicarii excommunicati quatuor casus distingui debent. Primus est, si ipse Vicesgerens facultatem habuit ab Episcopo. In hoc enim casu, ut advertit Jo. Mon. *num.*3. certum est, quod Vicesgerentis jurisdictio non violatur ob excommunicationem Vicarii, cùm à Vicario non sit derivata, Anch. *n.*1. Dom. *n.*4. Franc. *n.*4. Barbos. *num.*5. 12

Secundus casus est, quando licèt Vicesgerens habuerit officium à Vicario nondum excommunicato, tamen jurisdictionem habet à jure, ut v. g. Oeconomus, habet jurisdictionem à lege. Ideò si ab Episcopo, vel Vicario fuerit institutus ante excommunicationem, ea superveniente, non cessat facultas Oeconomi, quia ipse facultatem habet à lege, *cap. voluntas*, & *cap. quia* 89. *dist.* & ita etiam docent citati DD. 13

Tertius casus est, si Vicesgerens habuit jurisdictionem à Vicario antequam esset excommunicatus. Et in hoc casu dicitur quod re integra Vicesgerentis jurisdictio ob excommunicationem Vicarii remanet suspensa, nec gesta per eum possunt habere vigorem, quia hæc jurisdictio à Vicario qui est excommunicatus fuit recepta, & ex ejus jurisdictione dependet. Sed si res non est integra, quia Vicesgerens ante Vicarii excommunicationem cœperat cognoscere de causa, ut quia jam lis fuerat contestata, vel Vicesgerens citaverat, tunc jurisdictio illi est perpetuata, & superveniente Vicarii excommunicatione, non suspenditur Vicesgerentis jurisdictio, sed potest in causa procedere, Jo. Mon. *num.*3. Anch. *n.*2. Butr. *num.*7. 14

Quartus casus est, si Vicesgerenti data fuit jurisdictio, & facta delegatio à Vicario jam excommunicato, & in hoc casu manifestissima est hujus decretalis constitutio, ut gesta hujus Vicesgerentis nullum vigorem habere possint, quia excommunicatus non potest jurisdictionem alicui validè delegare, nec in actu, nec in habitu, quia in Vicario excommunicato jurisdictio mortua est, nec eam in alium transfundere nequit, Gloss. *in v. vigorem*, Jo. Mon. *num.*7. Franc. *n.*7. Barbos. *n.*6. ab interpretes communiter, Socin. *cap. sacris*, *num.*280. *de sent. excom.* Sbroz. *de off. Vic. l.*3. *quæst.*18. *num.*8. Vicarius enim excommunicatus, nec per se, nec per alium potest exercere jurisdictionem, nec potest excommunicare, nec procurator institui, vel constituere, nec aliquem actum legitimum exercere, *cap. audivimus* 24. *qu.*1. *cap. ad probandum*, *de re jud. cap. consultis de procur. cap. post cessionem*, *de probat. cap. ab Episcopo*, *sup. de ordin. ab Episc.* Jo. Mon. *n.*7. Jo. And. *n.*3. Butr. *n.*8. Dom. *num.*6. 15

Ex prædictis propterea colligitur, quod licèt ea, quæ sunt dignitatis transeant ad successorem in dignitate, tamen hoc non potest verificari in excommunicatione, quæ non incurritur ratione dignitatis, sed proprii delicti causa. Ideò excommunicatio Vicarii non transit ad Vicarium successorem, Gloss. Jo. And. *num.*1. Anch. *num.*2. Butr. *n.*5. Dom. *num.*4. Franc. *num.*2. 16

Quod etiam Clericus conjugatus non possit esse officialis Episcopi dixerunt Anch. *num.*3. Butr. *num.*9. Dom. *num.*8. & 9. Franc. *num.*6. 17

Et quod ad instituendum Vicarium nunc non sit necessarius Capituli consensus advertunt Anch. *n.*4. Dom. *n.*10. 18

DE

DE OFFICIO VICARII.

Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

LIcèt in officialem Episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos à suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem: Nisi sibi specialiter hæc committantur.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Officialis, & Vicarius Episcopi idem sunt.*
4 *Vicarius ille est generalis, qui est in spiritualibus, & temporalibus.*
5 *An Vicarius habeat jurisdictionem ordinariam.*
6 *Habet quid medium inter ordinariam jurisdictionem, & delegata.*
7 *Licet sit illicitum, non est injustum, si Episcopus sine causa amoveat Vicarium.*
8 *Idem de Vicariis Abbatum.*
9 *Quodnam sit mandatum generale.*
10 *Non est mandatum generale, quod alia ex eo quod excipiatur unum solum de exprimendis.*
Exceptio non ampliat.
11 *Est mandatum generale si uno ex exceptuatis expresso adsit clausula*, & omnia alia, &c.
Et tamen hoc mandatum non se extendit ad majora.
12 *Nomine causarum veniunt civiles.*
13 *Vicarius ex vi mandati Generalis non potest cognoscere ad causas criminales*, 14.
15 *Nec in Diœcesim visitare.*
16 *Nec damnatos solvere.*
17 *Potest inquirere ad effectum referendi.*
18 *Dictio*, seu *diversam habet significationem.*
19 *Vicarius potest civiliter declarare beneficium alicui non competere.*
20 *In dubio minima jurisdictio censetur tributa.*
21 *Episcopus causas criminales potest committere.*
22 *Vicarius in commissis specialiter an sit delegatus.*

1 IN hac decretali ponitur primò regula, ex qua habetur quid non possit Vicarius ex generali mandato sibi concesso; deinde secundò ponitur una regulæ exceptio.

2 Regula est, quòd officialis, seu Vicarius Episcopi ex generali sibi facta commissione non habet facultatem inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos à suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi. Exceptio verò est, quòd officialis Episcopi hæc potest si sibi specialiter hæc fuerint commissa. Quam regulam, & exceptionem ex hoc textu collegerunt nedum Canonistæ hìc. Sed Lancell. *tit. de off. Vic.* §. *per Vicarium*, Clarus §. *fin. qu.* 40. *n.* 3. Ugol. *de off. & potest. Episc. cap.* 4. §. 7. *n.* 2. Barbos. *de off. Episc. alleg.* 54. *n.* 117. *& lib.* 1. *de jure Eccl. cap.* 15. *n.* 22. Sanchez *l.* 3. *de matrim. disp.* 29. *q.* 2. *n.* 16. Sbroz. *l.* 2. *qu.* 143. *n.* 1. Rebuf. *de forma Vicar. n.* 173. Coch. *eod. tit.* 8. *n.* 17. Narbona *de appellat. à Vic. ad Episc. part.* 1. *num.* 91. Pax Jordan. *Elucubrat. lib.* 12. *tit.* 1. *n.* 222. Fermosinus *in cap. Clericos de off. Vicar. quæst.* 5. *num.* 13. & apud istos plures alii.

3 Officialis Episcopi dicitur etiam Vicarius Episcopi, & ita quòd sola nominis differentia inter eos reperiatur, Covar. *lib.* 3. *variarum, cap.* 20. *num.* 46. Mandos. *in commiss. per breve* 28. *v. Vicario, & in reg.* 14. *Cancell. q.* 6. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 5. §. 3. *n.* 8. cùm verò contingere possit, quòd Episcopi plures Vicarios instituant etiam aliquo modo generales, scilicet unum pro causis civilibus totius Diœcesis, alium verò pro causis criminalibus, isti Vicarii, aut officiales generales, propriè, & simpliciter non sunt, sed potius auditores nuncupantur, in præsenti textu sermo est de officiali generali, seu Vicario universaliter ad causas totius Diœcesis constitutæ, cui omnia, quæ sunt voluntariæ, aut contentiosæ jurisdictionis committuntur.

Quamvis verò ad Vicarium Generalem multi dicunt sufficere, si sit constitutus Vicarius Generalis in spiritualibus. 4
Sic enim aliquando in literis Apostolicis Vicarius in spiritualibus generalis dicitur, ut fit etiam in Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. *de reform.* Et ita post Marchesi. Sbroz. & Sanchez, tradit Barbos. *de off. Episc. alleg.* 54. *n.* 57. Garz. *de benef. p.* 5. *n.* 122. *&* 23. Tamen quia Ecclesia solet habere spiritualia, & temporalia, *cap. si quis* 1. *qu.* 3. in mandato, in quo instituitur quis in Vicarium generalem, solet apponi clausula, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. Nam & absolutè, & plenè simpliciter, & non tantùm in aliquo genere non potest dici Vicarius generalis, qui non est creatus Vicarius in spiritualibus, & temporalibus, Azor. *part.* 2. *cap.* 46. *qu.* 1. Rota *decis.* 5. Rebuff. *tit. de forma Vicar. nu.* 15. *&* 16. Pavin. Moscon. Mill. Soccin. & Cuch. apud Garz. *d. cap.* 8. *num.* 120. *&* 121. & quòd in jure aliquando Vicarius in spiritualibus vocetur generalis, hoc est, quia ad intentionem juris in eo casu, de quo loquitur sufficit, quòd sit Vicarius generalis in eo genere.

De hoc ergo officiali, seu Vicario Gloss. inquit, quòd 5
habet in Diœcesi jurisdictionem ordinariam, quod quamplures DD. verùm judicant, quos dant Barbosa hìc *num.* 6. *& de potest. Episc. alleg.* 54. *n.* 26. *& l.* 1. *de jure Eccles. cap.* 15. *n.* 17. Fermosinus *in cap. Clericos, de off. Vicar. quæst.* 5. *n.* 41. Pax Jordan. *disceptat. lib.* 12. *tit.* 1. *n.* 58. Et moventur, quia idem tribunal & consistorium est Episcopi & Vicarii, *ut in cap. prox. suprà*. Tum quia Vicarius vices gerit Episcopi in eodem loco, & in Episcopi præsentia, à quo jurisdictionem ordinariam tanquam subrogatam accipit. Tum quia à delegato ad delegantem datur appellatio; at verò à Vicario non datur appellatio ad Episcopum, *cap.* 2. *de consuet. suprà in hoc lib.* Tum quia Vicarius judicem dare potest *ex cap. prox. suprà*. Ejus verò est dare jurisdictionem, qui illam habet ordinariam, non qui delegatam. Tum quia jurisdictionem habet ratione tituli, & officii, quod continet à lege ipsa. Nihilominus non defuerunt, qui arbitrati sint Vicarium non ordinariam, sed delegatam habere jurisdictionem. Pro qua sententia stant Alex. *in rubr. de off. Vicar. n.* 17. Goffredus *in summa de off. Vicar. num.* 2. Alciatus *in rubr. de officio ordin. num.* 24. Sotus *in* 4. *d.* 18. *qu.* 4. *art.* 3. Gonzalez *variarum quæst.* 27. Gloss. *in ver. absque rationabili, in cap. ut debitus honor.* 59. *de appellat. & in cap.* 2. secundùm unum intellectum, *ne Prælati vices suas, & in cap. perlectis, v. jurgia, dist.* 25. & alii quos refert Barbos. Narbona *de appellat. à Vic. ad Episc. part.* 1. *n.* 62. Quia Vicarius vices gerit Episcopi, & ab eo jurisdictionem accipit ad ejus libitum duraturam. Nec obstat dum dicitur, quòd Vicarius habet titulum, & in officium, cui à jure competit jurisdictio; quia Vicariatus eum in suo fieri, & esse dependent à libera voluntate Episcopi non est nisi officium manuale, quomodo etiam delegatus habet titulum, & officium. Et quod dicitur Vicarium habere jurisdictionem à lege est verum eo modo, quo etiam delegatus eam habet, nimirum supposita delegatione. Sic enim, & Vicarius jurisdictionem habet supposita institutione. Nam hoc est de jure naturali, ut tam delegatus institutus, quàm Vicarius habeant eam jurisdictionem, quam fert officium à lege approbatum. Quæ tamen jurisdictio non est, nisi delegata, quia est jurisdictio Vicegerentis alterius, ab alterius voluntate dependens, tam in extensione sua, quàm in duratione.

Hoc mihi certum est quod Vicarius Episcopi exercet jurisdictionem ac si esset Ordinarius, & tanquam loco Ordinarii subrogatus; sed quod ab eo ad Episcopum non detur 6
appel-

appellatio, non est, quia Vicarii jurisdictio sit ordinaria, sed quia est, idem consistorium Episcopi, & Vicarii illique est institutus ad universitatem causarum, *cap.2. suprà de consuet. in hoc 6.* Quamobrem cùm Episcopi Vicarius habeat partim de ordinario judice, partim de delegato, quamvis essentialiter potius delegatus dicendus videatur, pariter dici poterit eum esse quid medium inter ordinarium judicem, & delegatum. Sed magis propriè dicitur quod est constitutus ad universitatem causarum in eodem loco, & etiam in præsentia Episcopi, ut cognoscat de illis, quæ ad ordinariam Episcopi jurisdictionem spectant ac si esset ordinarius, & Episcopus. Et sic in eo Ordinaria jurisdictio Episcopi est veluti depositata. Etenim & in præsentia Episcopi potest Vicarius sua uti jurisdictione, ut hìc advertunt Domin. *n.12.* Franc. *n.6.* & tantum potest, quantum sibi conceditur ab Episcopo, qui etiam quantum ad casus in jure exceptos potest illi suam facultatem concedere: sed etiam ad libitum revocare. Imò novo Vicario instituto prior censetur revocatus, per ea, quæ habet Dominicus *n.14.* Quod est verum, si non fuit apposita clausula citra tamen revocationem aliorum Vicariorum, Azor. *part.2. l.3. cap.46. quæst.1.* Sbroz. *l.3. quæst.33.* Barbosa *d. alleg.54. num.58.*

7 Si autem quæratur an Episcopus possit Vicarium removere sine causa? Dico breviter, quod semper est illicitum agere sine causa rationabili, quia non sufficit facere bonum, nisi bonum benè fiat, & actus sit ornatus omnibus circumstantiis, inter quas est circumstantia recti finis, unde secundùm doctrinam D. Thom. *p.2. quæst.18. art.9.* non datur actus indifferens qui in individuo non sit nec bonus, nec malus. Sed tamen non est injustum, si Vicarius removeatur ab Episcopo sine causa, quia Vicariatus est liberrimæ institutionis, nec Vicario competit jus, ut ad nutum Episcopi non possit amoveri. Imò nec est injustum, si Vicarius amoveatur ex odio, vel ex alio fine malo; quia odium non est injustitia, sed est peccatum contra Charitatem, neque ex odio intrat obligatio restituendi, ut probavi *tr. de elect, cap.30. qu.19. n.217.* Et ideò ab amotione Vicarii non datur appellatio. Et quamvis possit implorari judicium Superioris Ecclesiastici, qui habeat judicare de omnibus virtutibus, & dirigere subditos ex fide Christi in vitam æternam. (Judex enim, cui solùm est concessum, ut justitiam faciat, non potest nisi de justitia cognoscere.) Tamen superior cujus judicium fuisset imploratum, non posset facere ut Vicarius non amoveretur, nisi ipse posset Vicarium instituere, aut continuare, sed facere posset ut Episcopus odium deponeret, & non nisi benè Vicarium amoveret.

8 Hujus textus regula procedit etiam in Vicariis Abbatum, vel inferiorum Prælatorum. Sed advertendum hoc verificari non per extensionem legis de persona ad personam ex identitate rationis, sed per comprehensionem sub legis verbis. Quia sub nomine Episcopi veniunt Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, in iis quæ ad gubernium, & jurisdictionis exercitium spectant, cùm est eadem ratio, & dispositio sit intuitu boni communis, & favore Ecclesiastici regiminis.

9 Generalis commissio est, per quam alicui committuntur causæ in genere, non facta earum mentione in specie. Ideò apud aliquos commissio generalis est, si fiat sub hac forma. Dantes tibi facultatem cognoscendi causas, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, & ea omnia faciendi, quæ nos facere possemus, etiam si requirerent speciale mandatum. Cùm enim hìc nullius causæ in specie fiat mentio, commissio generalis est, Gloss. hìc, *in v. committatur*, Barb. *d. alleg.54. n.59.* Verùm è contra, quod ad hoc ut Vicarius in terminis *cap. seq.* possit conferre beneficia, sufficiat habere mandatum cum libera dixerunt Cinus *in reper. l.1. ff. de off. Procurat.* Cæsar *n.10.* Palaus *in l. procurator in fin. ff. de procur.* Ferretus *cons.382. n.2. & 3.* Quos refert, sed non sequitur Garz. *de benef. p.5. c.8. n.115.* Et quidem in terminis, *cap. seq.* generale mandatum cum libera non sufficit ad hoc ut Vicarius possit conferre beneficia, quia textus ipse hoc excludit, quia utitur hac ratione, quod administrator regulariter non potest donare, etiam si habeat mandatum cum libera, & ideò decernit, quod ex vi mandati generalis, nec Vicarius potest conferre beneficia. Cæterùm non potest negari, quod clausula cum libera non æquivalent mandato speciali, ut constat per DD. quos cumulat Barbosa *clausf.35. n.10.* & docet idem Garz. *d. cap.8. n.74.* An verò in terminis hujus cap. mandatum speciale censendum essent, si datum fuisset *cum libera &c. etiam si exigerent mandatum speciale*, considerandum diligentius esset, an hoc ex alia aliqua lege excluderetur; nam ex hujus solius textus virtute id non habetur, quia solùm asseritur, quod ex vi mandati generalis sine mandato speciali Vicarius non potest causas criminales cognoscere. Qui autem habet mandatum cum libera, habet mandatum speciale. Generalis tamen censenda est, si Episcopus dicat: Committo tibi curam, & regimen Episcopatus, Anch. *in princ.* Butr. *n.4.* Franc. *n.7.* quod probavit Batt. *in l.1. §. Cùm urbem, ff. de off. præf. urb. per l. quam Tuberonis, §. alia, ff. de Pecul. & l.2. ff. de off. Proconf.* Ubi legatus Proconsulis similem habens commissionem in Provincia Proconsuli legata, ex vi talis commissionis non cognoscit de causis oneri Imperii sine speciali mandato, *ut l. solet eod. tit. de off. Proconf.*

10 Sed quid si dicatur committo omnium causarum cognitionem, & omnia facere, quæ ego possem excepta beneficiorum collatione? Videtur enim quod hæc non sit commissio generalis, quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, *cap. Clericis 32. qu.5.* ubi Gloss. & notat Jo. Andr. post Dom. *infr. in reg. ratum, de reg. juris.* Cùm ergo sit excepta sola beneficiorum collatio, videtur quod firmetur regula, ut valeat in omnibus aliis casibus de jure exceptis, & non expressis. Sed dicitur quod similis commissio est generalis, nec se extendit ad casus in jure expressos. Quia licèt exceptio firmet regulam, eam tamen non ampliat, seu extendit ad casus sub regula non contentos, quia imò exceptio venit ad diminutionem regulæ, *arg. ex l. legata nulliter, ff. de leg.1. & cap. Majores de Baptismo.* Ita post Lap. & Domin. teneat Anch. *num.2.* Franc. *n.8.* Bartol. *in l. generali, §. uxori, ff. de usufruct.* ubi ait, quod exceptio firmat regulam in non exceptuatis, non tamen eam dilatat, ut faciat comprehendi ea, quæ alias de sui natura non comprehenderentur.

11 Si autem expressè Vicario concedatur facultas circa aliqua specialia, ut si concedatur posse eum conferre beneficia, vel cognoscere causas criminales, aut aliud simile ex illis, quæ Vicarius non potest ex generali mandato facere, & addatur clausula, *& omnia alia facere*, quæ nos possemus etiam si exigerent mandatum speciale, tunc Vicario etiam specialia commissa intelliguntur *in v. committantur*, ut advertunt hìc Gloss. & post Host. Arch. Dom. *n.6.* Franc. *n.6.* Sbroz. *de off. Vic. lib.1. qu.65. n.5. & q.67. n.3.* Lancell. *tit. de off. Vic. §. per Vicarium,* Covar. *l.1. variarum c.6. num.3.* Sanchez *l.3. de matrim. disp.29. n.8.* & tamen hoc limitatur, ut adhuc non fiat extensio in hoc casu nisi ad similia, & minora, non verò ad imparia, & majora, Franc. *num.2. & 6.* Barbos. *n.8. Clem.2. de procurat. quæst.11.* sic ergo patet quod non tantum valet genus, quantum valet expressa species, ut notat Gloss. *in v. generaliter.*

12 Habetur verò ex hoc textu, quod nomine causarum veniunt causæ civiles, non verò causæ criminales, nisi exprimantur, Dom. *n.2.* Franc. *n.2.* Vult enim hic textus, quod etiam si Episcopus instituendo aliquem in Vicarium det illi facultatem causas cognoscendi, non per hoc Vicarius possit causas criminales cognoscere, nisi habeat mandatum speciale.

13 Colligitur 2. quod Vicarius ex vi mandati generalis sine speciali non potest causas criminales cognoscere directè, & principaliter, Barb. *de off. Episc. alleg.54. n.117.* Pax Jordan. *Elucubrat. l.12. tit.1. n.222.* Rebuff. *tit. de forma Vic. n.173.* Sbroz. *l.2. qu.143. n.9.* & quamplures alii apud istos. Unde si Vicarius has causas cognoscere velit processu, & sententia nulla est ex defectu jurisdictionis, Federic. de Sen. *cons.220. n.2.* Sbroz. *eadem quæst. n.2.* Et ita quod similis processus, vel sententia nec possit ratihabitione Episcopi convalidari, cùm sit nulla in sui initio, & substantia. Nam Vicarius non potest facere nomine Episcopi nisi id, ad quod se extendit ejus mandatum, quod non se extendit ad causas criminales, & ideò processus illi, seu sententia nec potest dici facta nomine Episcopi, nec ab eo ratificari. Præterquam quod regula generalis est, quod in illis in quibus consideratur initium, ut in electione, & sententia non habet locum ratificatio, ut notat Jo. Andr. *in d. reg. ratum, infr. de reg. jur.* sic ergo sententia lata à Vicario in criminalibus non potest ex ratificatione Episcopi convalidari, Anch. *n.3.* Dom. *n.15.* Franc. *n.6.*

14 Nihilominus Jo. Mon. hìc *n.2. & 3.* arbitratur, quod Vicarius ex generali mandato possit cognoscere de crimine usurarum, & de aliis criminibus similibus, solumque prohiberi ne possit inquirere ad effectum privandi aliquem beneficio,

ficio, existimat enim, quod dictio *seu* hìc sumatur ampliativè, & copulativè, & sic quod hìc omnia ista simul accipienda sint, & quod Vicario simul hæc sint prohibita, non divisivè, & sic quod solùm non possit per processum suum agere ad privationem beneficiorum: cæterùm quod de usuris, & aliis delictis possit ex officio inquirere, & de omnibus cognoscere, de quibus posset Episcopus ad partis instantiam, sed meritò à Jo. And. *n.*2. rejicitur hæc textus interpretatio, nam dictiones *aut*, & *seu* ex eorum usitata significatione disjungunt, & ita hìc sumi debent, unde ex hoc textu prohibitus est Vicarius vel inquirere, vel corrigere, vel punire, vel à beneficiis, aut officiis aliquem amovere, seu ex quacumque causa contra aliquem criminaliter procedere, ut explicant Butr. *n.*7. & alii DD. supracitati.

15 Ideò Vicarius sine speciali mandato non potest Diœcesim visitare, *arg. cap. Episcopum* 10. *qu.*1. *& cap. inter cætera, de off. ordin.* & post Jo. Andr. *in Clem.*1. *de hæret.* & Lap. hìc tradunt Butr. *n.*12. Anch. *n.*4. Rebuff. *tit. de forma Vicarii, num.*101. Azor. *lib.*3. *cap.*45. *qu.*4. Sbroz. *l.*2. *qu.*120. *num.*1. Barbos. *alleg.*54. *n.*102. Pax Jordan. *d. tit.*1. *n.*206. nec bona Clericorum confiscare Bald. *in l. Imperatoris, ff. de off. Presbyt. vig.* Alex. *in l.*1. *n.*75. *ff. de off. ejusd.* quas sequitur Pax Jordan. *l.*12. *c.*1. *n.*227. Sbroz. *lib.*2. *quæst.*558. Barb. *de off. Episc. alleg.*54. *n.*119. Nec pœnas corporales in pecuniarias commutare Barbos. *alleg.*54. *num.*120. Pax Jordan. *d. tit.*1. *num.*228. post Azor. *l.*3. *cap.*45. *qu.*6.

16 Sicut verò Vicarius non potest punire, sic nec potest damnatos à pœna absolvere, juxta regulam, quod qui non potest condemnare solvere non valet, *l. nemo, qui condemnare, ff. de reg. jur.* quam regulam ampliat, & limitat Menoch. *de arbitr. l.*1. *quæst.*43. & sic nec Vicarius potest reum diffinitivè condemnatum absolvere Barbos. hìc *n.*4. Pax Jordan. *d. tit.*1. *n.*226. Menoch. *d. quæst.*43. *num.*27.

17 Posse nihilominus Vicarium in causa criminali inquirere contra reum ad effectum referendi Episcopo, non verò ad effectum puniendi per se ipsum, voluerunt Dom. *n.*4. & Lap. hìc, Anch. *n.*3. *in princ.* Barbos. *n.*3. Soccin. *in cap. qualiter, & quando annot.*14. *num.*171. *de accusat. mil. in v. Vicarius vers.*6. Sbroz. *lib.*2. *qu.*166. Menoch. *de arbit. l.*1. *quæst.*43. *num.*28. Pax Jordan. *d. tit.*1. *n.*224. Unde etiam colligunt Menoch. Barbos. Pax Jordan. & alii, quod Vicarius potest reum prætensum absolvere ab inquisitione, & inquisitum dimittere, sicut enim potest inquirere ad effectum remittendi culpabilem puniendum ab Episcopo, ita potest inquisitum inventum innocentem ab inquisitione dimittere.

18 Notandum autem primò, quod dictio, *seu*, qua textus utitur potest habere diversam significationem. Quandoque enim ponitur inter diversa voce tantùm, non verò significatione, & tunc ut advertunt Dom. *n.*4. & Franc. *num.*3. Stat expositivè Gloss. *in cap. bonæ, de postul. Prælat.* Gloss. *in v. insulam, Clem.*2. *de vit. & honestat. Cler.* & ibi Paul. Quandoque verò ponitur inter diversa voce, & effectu, & tunc aut utraque qualitas inter quas ponitur hæc dictio, requiritur ad verificandam dispositionem, & sumitur copulativè Hostien. *in cap. ex parte M. de restit. spol.* & ibi Jo. Andr. *in v. sive*, aut ad verificandam dispositionem non requiritur utraque qualitas, & tunc in materia larga, ut sunt donationes, & testamenta, ut *in cap. cùm dilectus, de donat.* stat ampliativè, & ita procedit Gloss. *in c. Ego Ludovicus, dist.*63. aut sumus in materia odiosa, & pœnali, ut est *text. in cap. fin. d.*75. *& in Clem. non potest, de procurat.* & tunc sumitur disjunctivè Jo. Andr. Dom. *n.*5. Franc. *n.*3. Itaque consideranda est materia de qua disponitur, & motivum, & ratio disponendi, ut juxta subjectam materiam significatio hujus dictionis *seu* accipiatur. De cujus significatione videri potest Rota *decis.*185. *n.*3. *part.*2. *divers. & decis.*232. *l.*2. *par.*3. *& decis.*255. *n.*4. *part.*5. *recent. & decis.*287. *n.*9. *par.*7. *& decis.*232. *n.*5. *part.*8. *& decis.*164. *n.*12. *part.*9. *& decis.*393. *nu.*9. *part.*9. *decis.*79. *n.*6. coram Coccino, *& decis.*346. *num.* 6. *&* 7. coram Penna.

19 Notandum 2. quod in specie statuitur, ut Vicarius non possit aliquem beneficiis, aut officiis, aut administrationibus privare. Hoc tamen limitatur, ut non procedat si agatur civiliter ad privationem beneficii ex defectu justi tituli Butr. *n.*3. Ideò si contingat quod Patronus agat, ut institutus in Ecclesia per Episcopum removeatur per Vicarium, & admittat alium ab eo præsentatum, quia institutus non fuit per eum præsentatus, sed per carentem potestate ad præsentandum, quod Vicarius possit de hac causa cognoscere voluit Jo. And. sed contrarium voluit Lap. & meritò, non quia causa beneficialis non possit civiliter à Vicario cognosci, sed quia inferior non cognoscit de causa superioris, *cap. inferior d.*21. Procedit ergo dictum Jo. Andr. quando institutio non fuisset facta per Episcopum, sed per inferiorem, puta Plebanum, vel Abbatem, Butr. *n.*8. Anch. *n.*3. Franc. *n.*6.

Advertendum 3. quod si sumus in dubio, quæ & qualis jurisdictio sit translata, semper est facienda interpretatio in minimo, quod tamen vim officio dato compatiatur. De quo videantur DD. quos hìc citat Barbos. *num.*5. 20

Notandum 4. quod fuit dubitatum, an Episcopus causas criminales possit delegare Vicario, eò quia *ex l. nec quicquam* §. *ubi decretum, ff. de off. Proconf. causæ meri*, vel mixti imperii, ut est criminum inquisitio per libellum, idest judicem delegatum non expediuntur. Sed quidquid sit de jure Civili, de jure Canonico causæ criminum specialiter committi possunt, *cap. in Archiepiscopatu, de Rapt. cap. licèt, de Simon. cap. Deus Omnipotens* 3. *p.*1. Quod in hoc textu est expressum, & ex eo docent Arch. Anch. *n.*8. Butr. *n.*5. Et sic Episcopi causas criminales suorum Clericorum audiunt per se, vel per suos Vicarios, ut post Innoc. *in cap. transmissam de elect.* & Speculat. *in tit. de inquis. post princ.* notat Franc. *n.*4. qui tamen ex Hostien. *in cap. ex frequentibus, de instit.* & Archid. *in cap. pervenit* 81. *distinct.* addit, quod de jure Vicarius etiam ex speciali commissione, non potest criminaliter cognoscere de accusatione Clerici, & causam diffinire, cùm etiam hoc non possit Episcopus confirmatus, & non consecratus, secundùm Hostien. *in d. cap. ex frequent.* Et tamen hoc limitat, ut procedat, quando ageretur de deponendo Clerico ab Ordine, non tamen si ageretur de deponendo Clerico à beneficio, quia hanc causam ex speciali commissione posset Vicarius definire. Hæc Franc. in hoc tamen textu sine distinctione, & limitatione dicitur, quod de speciali mandato Vicarius potest inquirere, corrigere, & punire. Unde cogitandum esset, an deberet admitti supradicta limitatio. 21

Notandum 5. quod oritur hìc difficultas, an quando Vicario specialiter committitur aliqua ex causis requirentibus speciale mandatum, tunc Vicarius sit Ordinarius, vel delegatus. Speculator enim *tit. de off. Vic.* voluit, quod si commissio specialium causarum fiat simul cum commissione generali, tunc facultas concessa sit ordinaria; secus verò si commissio specialium causarum fiat separatim. Lapus autem hìc voluit, ut sive commissio fiat simul, sive separatim, si in commissione addatur clausula generalis, tunc tota jurisdictio erit ordinaria, cùm ille sit ordinarius cui committitur universitas causarum, *l. cùm prætor, ff. de jud.* secus si non apponitur causa generalis, quia tunc in expressis requirentibus speciale mandatum, jurisdictio erit delegata. Et ita sentiunt etiam Anch. *n.*3. Butr. *n.*7. Dom. *n.*9. sed Franc. ex Rota arbitratur, quod Vicarius sit delegatus in omni casu, in quo sibi committitur aliquid requirens speciale mandatum, sed quod mihi considerandum videtur, est quod advertit Rota *decis.*7. *de off. Vicar. n.*2. *in nov.* nimirum quod in his, quæ non cadunt sub generali commissione Vicarii, sed requirunt speciale mandatum, non potest dici, quod sit idem consistorium, & idem tribunal Vicarii, & Episcopi, cùm Vicarius ex ordinaria jurisdictione sui officii hujusmodi causas cognoscere non possit, sed solùm ex speciali delegatione. Ideò in istis à sententia Vicarii potest appellari ad Episcopum, ut ibidem Rota docet, & probatum est suprà *cap.*2. *de consuet. n.*35. Quod tamen est intelligendum juxta limitationes ibi positas, & conformiter ad relata hìc ex Specular. & Lapo, ut hoc non procedat de commissionibus ad speciales causas, datis in institutione officii, seu si in commissione separata ponatur clausula, *ampliantes, &c.* vel alia similis per quam appareat Episcopum velle extendere ordinariam facultatem Vicarii. Et hoc evenire dicendum est quando Episcopus Vicario non committit causam aliquam specialem in individuo, sed in specie communiter, ut si concedet illi ut possit inquirere, & punire v. g. usurarios, aut adulteros, aut delictum aliud in genere, absque limitatione temporis semper verò Vicarius est delegatus in illis quæ ab Episcopo sibi committuntur, sed non spectant ad ordinariam jurisdictionem Episcopi, sed ad delegatum, vel sibi ex privilegio competentem, aut alio speciali jure. 22

DE

DE OFFICIO VICARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

CUm in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: officialis, aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: Nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Sub concessione generali non veniunt ea, quæ concedens non esset verisimiliter concessurus.*
Non semper nomen generis comprehendit speciem. 3.
4 *In generalibus, & obscuris verisimile attenditur.*
5 *Administrator regulariter non potest donare.*
Potest donare causa remunerationis. 5.
6 *Conferre beneficia est necessitatis, & libertatis.*
7 *Officialis & Vicarius Generalis Episcopi idem sunt.*
8 *In quibus casibus possit institui Vicarius.*
9 *Regula textus an locum habeat etiam in Vicariis datis à Papa.*
Quid si Vicarius sit Cardinalis. 10.

1 PRæmittitur duplex ratio pro regula statuenda, deinde 2. statuitur regula, & posteà eadem limitatur una exceptione.

2 Regula juris in hoc textu statuta est, quod Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi ex vi commissionis generalis non possunt beneficia conferre, nisi beneficiorum collatio illi specialiter sit commissa. Quam præter interpretes hujus decretalis, ex ipsa collegerunt Socin. *cons.* 260. *num.* 17. Felin. *in cap. licet* 12. *num.* 1. *de off. Vicarii*, Cost. *in memorab. in v. Vicarius*, Rebuff. *in tract. nomin. quæst.* 14. *num.* 27. Franc. Marc. *decis.* 86. *num.* 15. Pettrus Georg. *in cap. conquerente* 11. *num.* 2. *de off. Ordinarii*, Roland. à Valle *cons.* 47. *num.* 19. *&* 21. Sbroz. *de Vic. l.* 1. *q.* 7. *num.* 11. *& l.* 2. *quæst.* 71. *num.* 1. Marant. *cons.* 48. *num.* 6. Sahag. *in rubr. de off. deleg. num.* 8. Azor. *inst. mor. par.* 1. *l.* 3. *cap.* 44. *q.* 1. Garz. *de benef. par.* 5. *cap.* 8. *num.* 80. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 3. *num.* 25. Gratian. *discept.* 303. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 48. Ugol. *de offic. Episc. cap.* 4. §. 7. *num.* 2. Barbos. *de off. Episc. p.* 3. *all.* 54. *n.* 60. Pax Jordan. *Elucubr. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 156. & apud istos quamplures alii.

3 Prima ratio, quam præmisit Pontifex est, quia concessio in generali non comprehendit ea, quæ concedens non esset verisimiliter in specie concessurus. Hæc verò conclusio habetur etiam infrà *cap. si Episcopus, de pœnit. & remiss. & reg. in generali, de regul. juris.* Et idem docent etiam DD. citati, & ex eo colligit Domin. *num.* 2. quod genus non comprehendit quamlibet speciem, quando est dare aliquam rationem, ob quam species aliqua non comprehendatur, quod & notavit Gloss. *in cap. Pia, infr. de except.* Pariter quoque Ancharan. *num.* 1. & Butr. *num.* 1. deduxerunt, quod non tantum operatur genus quoad omnia, quantum species quoad speciem. In concedente enim aliquid generaliter, & universaliter præsumitur defectus voluntatis respectu illius gratiæ in specie, aut in individuo, quam concedens non concessisset, si expresse illa petita fuisset, aut idem concedens explicitè de ea cogitasset.

4 In generalibus enim, & obscuris attendi debere quod est verisimile, habetur etiam *reg. Inspicimus, infr. de reg. juris*; & advertunt Gloss. & Dom. *num.* 2. sed punctum est, quis decernere possit, an concedens in generali non esset in specie concessurus. Ubi enim lex hoc etiam decernit, ut facit in præsenti casu, res certa est, sed ubi lex non loquitur, non sufficiet cuicumque gratiam generalem, & præcipuè in lege expressam, seu à superiore concessam limitare ex prætextu, quod concedens non esset verisimiliter concessurus aliquod speciale sub generalitate aliàs comprehensum, nisi habeatur ratio, quæ verisimilitudinem concludat. Ad hoc verò non sufficiet sola gratiæ specialitas, quia nisi aliud obstet, genus species comprehendit, sed alia considerari debebunt, ut an gratia specialis præjudicet juri tertii, seu si illa gratia in specie consuevit non concedi, vel si adsit aliundè conjectura, unde concedentis mens colligi possit non concessurus.

Alia ratio assumpta ad inferendam constitutionem in textu sancitam est, quia scilicet regulariter administrator bonorum alterius etiam si habeat mandatum cum libera facultate administrandi, non potest donare, *l. contra juris*, §. *si filius*, *ff. de pactis*, *l. filiusfamilias*, *ff. de donat.* Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 1. Garz. *part.* 5. *de benef. cap.* 8. *num.* 81. monens videndos esse Pineol. *in l.* 1. *C. de bonis maternis par.* 3. *à num.* 56. Martinez *in l.* 3. *tit.* 3. *l.* 5. *recapit. gl.* 2. Jo. Gutier. *de juram. confirm. par.* 1. *cap.* 50. *à num.* 11. Dictum verò fuit regulariter, quia ut advertit Gloss. potest dari casus in quo administratori competat posse donari, ut si justa ratione motus donaverit, ut puta magistro, vel si donare ei permissum sit, vel ratione personæ illius cui concessa est administratio, ut si sit filius senioris, *ff. de administ. tut. cum plures*, §. *cum tutor. ff. de tut. & ea dist. l.* 1. §. 1. *& ff. de donat. l. filiusfamilias.* Inde est, quod administratorem posse donare causa remunerationis ex Tiraquell. *in l. si unquam, v. donatione num.* 26. *C. de revoc. donat.* tradit hìc Barbosa *num.* 6. ubi *num.* 7. quod tutores, & curatores, & cæteri administratores donare possunt minorum bona causa remunerationis, per Donat. à Fina. *tom.* 1. *commun. opin. l.* 5. *tit.* 23. *n.* 11. 5

Notandum primò, ex illo verbo *libera*, quod notatur hìc quod collatio beneficiorum partim est necessitatis, & partim libertatis, seu liberalitatis. Est quidem necessitatis, quia superior nec potest sibi beneficia retinere, vel vacanti Ecclesiæ non providere, vel beneficia non distribuere, *cap. relatum, & cap. in cætera, sup. de præbend.* sed dicitur liberalitatis in cui dando, quia libertatis est superioris, ut beneficium vacans det potius uni, quàm alteri, Gloss. Jo. Mon. *num.* 2. Archid. Dom. *num.* 4. Barb. *n.* 8. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 4. *num.* 46. Pax Jordan. *l.* 12. *tit.* 1. *num.* 156. Advertendum tamen, quod in dispensando beneficia non habet locum liberalitas propriè, tum quia beneficia sunt simpliciter bona spiritualia, tum quia non debent dari, nisi ex causa religiosa, & si sint curata non possunt conferri nisi meliori, quod & suo modo servari debet in beneficiis simplicibus, ut ostendit *in tr. de elect. cap... q...* 6

Notandum 2. quod videtur quod textus iste loquatur de officiali, & Vicario generali, ut de diversis, quia disjunctivè eos numerat, & quidem in plurali numero, dicendo quod non possunt, sed nihilominus hæc duo nomina in re, & in effectu idem significare, esseque synonyma, tradunt Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 2. Barbos. *de off. Episc. all.* 54. *n.* 53. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 10. *num.* 46. Mandos. *in commiss. per Breve* 28. *& in reg.* 14. *Cancell. q.* 6. *num.* 16. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell.* Gloss. 5. §. 3. *n.* 8. Nec obstat, quod textus loquatur de illis in plurali, quia dicta duo nomina etiam ex stylo curiæ diversa sunt consuetudine patriarum, unde in expeditionibus seu delegationibus, quæ fiunt ad Italiam, Hungariam, Dalmatiam, Epyrum, Cretam, Siciliam, Corsicam, & partes Orientales Cancellaria Apostolica utitur nomine Vicarii, scribendo verò ultra montes, ut in Hispaniam, Galliam &c. vel ultra mare in Africam, utitur nomine officialis, ut considerarunt Mandos. ubi supra, Hier. Palaus *in pract. Canc.* Sbroz. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 10. Barb. *d. n.* 53. Tum secundò, quia ubi 7

ubi duo nomina substantiva præmittuntur, illa pluraliter copulantur, *ut ex l. placet, ff. de acquir. hæred. & l. cum filio, ff. de legat. l. 1.* advertunt Butrius *num.* 1. Anchar. *num.* 1. Dom. *n.* 4.

8 In quibus autem casibus possit dari Vicarius, & quæ sit Vicariorum diversitas ostendit Butrius *num.* 9. & 10.

9 Notandum tertiò, quod posset dubitari an dispositio hujus textus locum habeat in Vicariis Papæ, utputa in Vicario, quem Papa instituit in Urbe, non habere enim locum dixit Cortasius 2. *part. cap.* 1. *num.* 17. & fundatur *in cap. penult. de offic. Vicarii*, vel saltem non habere locum, si Vicarius institutus sit Cardinalis, voluit Barbat. *in tract. de præst. Cardin. in prælud. numer.* 4. *& in Rubrica de offic. Legati*, & apud Garz. *de benefic. par.* 5. *cap.* 8. *num.* 183. idem sensisse videtur Cucchus *l.* 2. *tit.* 5. *num.* 8. *& tit.* 8. *numer.* 77. sed dicunt alii, quod licèt Vicarius Papæ de facto habeat plurimam authoritatem ex Bulla literis Apostolicis, per quas instituitur, si tamen constitueretur per solum mandatum generale, ex vi talis mandati non posset beneficia conferre, & subderetur *leg. hujus textus*. Ita Panormit. *in cap. penult. numer.* 5. *de offic. ordin.* Archid. hîc, Joan. Andr. *numer.* 2. Domin. *numer.* 8. Franc. *numer.* 3. & 4. Pax Jordan. *dict. tit.* 1. *num.* 157. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *numer.* 182. & apud eum Rebuff. & Gambara. Et hoc etiam si Vicaris sit Cardinalis, Bald. *in l. aliquando, quæst.* 14. *ff. de offic. Proconsf.* Æneas Falcon. *de reservat.* 2. *part. prima, num.* 2. Pax Jordan. *loco citato*, & ex Rebuff. *in titul. de forma Vicarii num.* 64. *&* 70. Pavin. *quæst.* 39. Sbroz. *quæst.* 71. *num.* 7. & 8.

S V M M A R I V M.

10 *Sub nomine Episcopi venit Vicarius.*
11 *Vicario ex vi commissionis generalis non competunt, quæ sunt Episcopi ex jure speciali.*
12 *Vicarius ex vi commissionis generalis multa non potest.*
Non potest conferre beneficia. 12.
13 *Nec Vicarium perpetuum dare.*
Nec coadjutorem. 13.
Nec Oeconomum. 13.
14 *Nec resignationes admittere.*
15 *Nec unire beneficia, aut dismembrare, aut opprimere.*
16 *Nec nova erigere.*
17 *Nec pensiones ponere.*
18 *Nec Ecclesias transferre, aut eorum statum mutare.*
19 *Nec collationi beneficiorum consentire.*
20 *Nec numerum canonicorum augere, aut dignitatem erigere.*
21 *Nec licentiam concedere pro constitutione monasterii.*
22 *Nec altaria dedicare.*
23 *Nec conferre beneficia devoluta.*
24 *Etiam si habeat facultatem præsentandi.*
25 *Nec præsentare.*
26 *Vicarius non potest, quæ sunt libertatis.*
27 *Potest quæ sunt necessitatis.*
Potest electos confirmare, & præsentatos instituere. 27.
28 *Etiam uni æquè digno gratificando.*
29 *Et conferre Parochialem electo ex concursu.*
30 *Nisi habeat mandatum limitatum.*
31 *Plura recensentur, quæ Vicarius non potest.*
32 *Vicarius potest monitoriales pro revelandis dare.*

Quæst. un.

De vi generalis, aut specialis commissionis factæ Vicario Episcopi.

ARTICULUS I.

Ad quæ se extendat, vel non extendat commissio generalis facta Officiali, aut Vicario generali Episcopi.

In jure sub nomine Episcopi venire Vicarium ejus generalem, & Capitulum sede vacante in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem, nec competunt Episcopo de jure speciali, dixerunt Cardinales Pallavicinus, Senonensis, & Carafa apud Fagnanum *cap. Quoniam num.* 41. *de off. deleg.* unde videri posset, quod Vicarius ea possit, quæ ex jure potest Episcopus. Nihilominus multa sunt, quæ potest Episcopus facere, quæ ex vi commissionis generalis sibi factæ Vicarius non potest, nam primò universaliter Vicarius ex præcisa vi commissionis generalis nihil potest eorum, quæ Episcopo concessa sunt ex jure speciali, aut delegato, aut ex privilegio, sed ejus facultas se extendit solum ad ea, quæ competunt Episcopo de jure communi, *l.* 1. *ff. de off. ejus cui mand. est restit. & c.* 2. *& præf. hujus tit.* Innoc. *cap. cum in cunctis, de elect.* Fagnan. *cap. Non amplius num.* 73. *&* 75. *de instit.* Barbos. *d. alleg.* 54. *num.* 62. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *num.* 180. unde est, quod Vicarius non potest ea beneficia conferre, quorum collatio jure speciali spectat ad Episcopum. 10 11

Sed præterea nec omnia, quæ Episcopo competunt jure communi conceduntur Vicario ex vi generalis commissionis, sed quam plura in jure excepta sunt, & soli Episcopo reservata, nisi specialiter Vicario fuerint commissa. Nam cap. sup. statutum est, ut ex vi commissionis generalis Vicarius non possit causas criminales cognoscere, & non valeat aliquem beneficio, vel officio, aut administratione privare. Et in hoc *cap. decernitur*, quod non possit beneficia conferre. 12

Vicarius non potest vicariam perpetuam alicui concedere, quia est beneficium, Barbos. *d. all.* 54. *num.* 61. Gonz. *ad reg.* 8. *Canc.* Gloss. 5. §. 3. *n.* 25. Put. *dec.* 139. *l.* 2. *per text. in cap. Ad hæc de off. Vic.* & Host. & Dom. ibid. Grat. *discept.* 703. *num.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 44. *q.* 3. Palaus *t.* 2. *tr.* 13. *p.* 18. *n.* 3. Pax Jord. *lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 163. Imò nec Vicarios seu coadjutores imperitis Rectoribus Ecclesiarum juxta formam Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 6. *de reformat.* Barbos. *d. all.* 54. *num.* 73. Put. *d. dec.* 139. *num.* 2. quem sequitur Sbroz. *l.* 2. *q.* 112. *à num.* 2. Pax Jordan. *d. l.* 12. *tit.* 11. *n.* 164. Imò nec Oeconomum constituere, qui vicem Episcopi gerat, in colligendis Ecclesiæ redditibus, & distribuendis Clericis, aut pauperibus. Nam alios, qui dantur pro custodiendis fructibus Ecclesiæ patronatæ vacantis ob discordiam patronorum constituuntur, potest Vicarius præsentare, Barb. *d. all.* 54. *n.* 78. 13

Sequitur 2. ut nec resignationes beneficiorum possit admittere, quia hoc est quoddam disponere de beneficiis, ut per text. *in cap. quæsitum, de rerum permut.* resolvunt Garz. *de benef. par.* 11. *cap.* 4. *num.* 74. Mant. *decis.* 260. *num.* 7. Sbroz. *l.* 2. *q.* 130. Flamin. *l.* 7. *q.* 24. *n.* 3. Barbosa *d. all.* 54. *num.* 66. & apud eum Rebuff. Ugol. & Ricc. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *n.* 167. 14

Sequitur 3. quod multò minus potest beneficia unire, aut uniones revocare, aut unita dismembrare, aut supprimere, Fagnan. *cap. Non amplius n.* 74. *de instit.* Put. *decis.* 53. *lib.* 3. Sbroz. *l.* 2. *q.* 115. *& q.* 117. Barb. *d. all.* 54. *n.* 71. & 72. Pax Jord. *d. l.* 12. *t.* 1. *n.* 160. Fagnan. *cap. Non amplius n.* 85. *de institut.* 15

Sequitur 4. quod nec nova beneficia potest erigere, aut Parochias creare, Jo. And. *in princ.* Dom. Anchar. *num.* 2. Franc. *n.* 5. Ferret. *cons.* 327. *n.* 4. Fagnan. *cap. Non amplius num.* 82. *de instit.* Rota in Segobicen. Capellaniæ 28. April. 1625. coram Ubaldo, Garz. *p.* 5. *cap.* 9. *n.* 75. Sbroz. *l.* 2. *q.* 31. *n.* 4. & *q.* 117. *n.* 2. Barbosa *d. alleg.* 54. *n.* 76. Pax Jord. *ubi sup. n.* 170. 16

Sequitur 5. ut neque super beneficiis possit pensionem constituere etiam si in aliquibus casibus aliàs posset Episcopus, Barb. *n.* 77. Pax Jord. *n.* 169. Sbroz. *l.* 2. *q.* 71. *n.* 4. Monet. *de commut. vol. c.* 5. *n.* 496. 17

Se-

18 Sequitur 6. quod neque Eccleſias, licèt vetuſtata collapſas, quæ ob eorum, aut Parochianorum inopiam non poſſunt inſtaurari, poteſt in Eccleſias matrices transferre, aut ſtatum Eccleſiarum mutare, Franc. *n.* 5. Innoc. & Panorm. *in c. Ad hæc, de off. Ordin.* Fagnan. *cap. non amplius num.* 85. *de inſtit.* Barboſ. *n.* 81. poſt Sbroz. *l.* 2. *q.* 117. *n.* 3. & Monet. *de commut. c.* 11. *n.* 358.

19 Sequitur 7. ut nec collationi beneficiorum poſſit conſentire, qui enim donare non poteſt, nec donanti poteſt conſentire, Probus hìc *num.* 3. Selva *de benef. p.* 2. *q.* 14. *n.* 10. Feder. *conſ.* 259. Pax *num.* 166. Ideò ſi capitulum conferre habeat de conſenſu Epiſcopi, non poteſt Vicarius ſine Epiſcopi juſſu conſenſum præſtare *cap. un. Ne ſede vacan. infr. in hoc 6. cap. ſi prote, de reſcrip.* ubi Gloſſ. *in v. aſſenſus*, Sbroz. *l.* 2. *quæſt.* 71. *num.* 21. Pax *num.* 167. quod extenditur, ut ſit verum etiam abſente Epiſcopo, ex *d. cap. un. §. fin. infr. ne ſede vacante.* Selva ubi ſuprà *num.* 10. Sbroz. *l.* 2. *q.* 71. *num.* 22. quos ſequitur Pax Jordan. *d. l.* 12. *tit.* 1. *num.* 168. quamvis nonnulli oppoſitum ſenſerint, quos rejicit Sbroz. *loc. cit.*

20 Sequitur 8. quod nec poſſit numerum Canonicorum augere, aut beneficiatorum etiam ſi redditus Eccleſiæ creverint, ſic enim nec novum beneficium poteſt creare, quia non poteſt legem, aut authoritatem interponere in his, quæ ad ſuam juriſdictionem non pertinent, ſicut eſt collatio præbendarum, aut beneficiorum, Jo. Andr. Anchar. *nu.* 7. Butr. *n.* 2. Dom. *n.* 6. Franc. *num.* 5. Pax Jordan. *d. l.* 12. *tit.* 1. *num.* 170. unde non poteſt novam dignitatem erigere, ut poſt Feder. de Senis, & Dom. tradunt *in c. Cùm acceſſiſſent, de conſt.* Felin. ibi. *n.* 17. Dec. *n.* 41. quos ſequitur Fagnan. *c. non amplius, n.* 79. *de inſtit.*

21 Sequitur 9. quod nec poteſt licentiam concedere pro novi monaſterii erectione, quod multis probat Fagnan. *cap. non amplius, à n.* 73. *de inſtit.*

22 Sequitur 10. quod Vicarius non poteſt altaria, aut Eccleſias dedicare, *cap. Quicumque* 16. *q.* 1. *& cap. nemo il* 1. *de conſec. diſt.* 1. Selva *de benef. p.* 2. *q.* 5. *n.* 173. Fagnan. *d. cap. non amplius, n.* 78. *de inſtit.*

23 Sequitur undecimò, quod non poſſit beneficia conferre etiam ſi beneficia ſint devoluta Epiſcopo ob negligentiam inferiorem, vel eorum defectum, ut poſt Millin. *in repet. v. Vicarius*, & Petrum Moret. *in hoc cap.* & Sbroz. *lib.* 2. *quæſt.* 53. *num.* 15. advertit Pax Jordan. *d. l.* 12. *tit.* 1. *n.* 162.

24 Sequitur 12. ut licèt Vicarius aliundè habeat facultatem eligendi ad beneficia, aut præſentandi, non tamen per hoc poteſt conferre beneficia, ut tradit idem Pax Jord. *num.* 165.

25 Sequitur 13. quod licèt ad Epiſcopum pertineat præſentare ad aliquod beneficium, Vicarius ex ſola vi mandati generalis non poteſt aliquem præſentare, Garz. *p.* 5. *cap.* 8. *num.* 82. Lambert. *par.* 3. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 5. *à n.* 2. Sbroz. *lib.* 2. *q.* 110.

26 Nihilominus tamen diſtingui debent beneficiorum collationes, quia aliæ ſunt liberæ voluntatis, aliæ verò ſunt neceſſitatis, ſicuti ſunt inſtitutiones, & electionum confirmationes. Vicarius Epiſcopi ex generali commiſſione non poteſt facere collationes voluntarias, quæ dici poſſunt do-
27 nationes, quas prohibuit Bonif. VIII. in hac decretali. Sed benè poteſt facere neceſſarias, ſic nominatis à Magiſtratibus poteſt beneficia conferre, electos confirmare, & præſentatos à patronis inſtituere, Anchar. *num.* 1. Prob. *num.* 3. Fagnan. *cap. ex frequentibus, num.* 5. & ibi Panorm. *n.* 7. & quamplures alii, quos refert, & ſequitur Barboſa *d. all.* 54. *num.* 70. Garz. *p.* 5. *de benef. cap.* 8. *num.* 83. *& ſeqq.* latè hoc probant ex declarat. S. Congreg. Concil. in una Abulen. data anno 1593. quam dicit habuiſſe Authenticam, ſcilicet manu Card. Matthæi ſignatam, & ejuſdem ſigillo munitam, & quæ eſt ſequentis tenoris: *Ad primam Congregationem Concilii cenſuit, quod ſi non habeat Vicarius mandatum limitatum, ſed generale, utique inſtituere præſentatos poteſt.* Pro eadem quoque ſententia citat Romanum, Selvam, Lambert. Corraſ. Duaren. Pavin. Quintanadven. Azor. & alios, & præcipuè Rot. in Oſtien. Capellan. de anno 1600. & Bracharen. Parochialis 24. Januar. 1605. coram Ortemberg. & in Firman. Juris patronat. 16. Jun. 1608. coram Cavallerio. Idemque ſenſerunt Prob. hìc *n.* 4. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 7.

28 Hoc verò extendit Garz. etiam ad gratificationem inter plures præſentatos æquè idoneos. Nam adhuc poteſt Vicarius uni ex præſentatis æquè dignis beneficium conferre illumque inſtituere. Nam & hæc inſtitutio eſt neceſſitatis, & gratificatio non eſt mera gratia, ex quo uni ex præſentatis tenetur ordinarius gratificare, ut dixit Rota in Calag. benef. de Hero. 17. Octob. 1580. coram fel. rec. Clem. VIII.

Et propterea Fagnan. loco citato *num.* 7. vult, quod cùm 29
hodie neceſſitatis ſit conferre Parochialem ei, qui electus fuit tanquam magis idoneus inter probatos ab examinatoribus ſynodalibus ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. Ideò Vicarius ſic electo Parochialem poteſt conferre. Et quia licèt Vicarius non poſſit conferre beneficia, poteſt tamen impedito Epiſcopo inſtituere concurſum ad beneficia, ut ex *d. c.* 18. *ſeſſ.* 24. Conc. Trid. advertit Fagnan. *cap. illa, n.* 35. *ne ſede vac.* & ut idem babet ibi eligere digniorem ex probatis ab examinatoribus eſt actus juriſdictionis neceſſariæ unde competit Vicario Capituli ſede vacante ex ſententia Sac. Congr. relata ibi *n.* 17. Ideò Vic. Epiſcopi, & hunc digniorem impedito Epiſcopo poteſt eligere, & ei beneficium conferre.

Quoniam tamen Epiſcopus poteſt Vicario limitatum 30
mandatum dare, & aliqua ſibi reſervare, quæ alias venirent ſub mandato generali, *ut ex d. declar.* S. Congreg. advertit Garz. *n.* 89. & tradiderunt Rota *dec.* 297. *n.* 2. *&* 3. *p.* 2. *diverſ.* Sbroz. *lib.* 2. *q.* 112. *n.* 6. *& q.* 131. *n.* 3. ideò in omnibus forma mandati inſpici debet, & ſervari, nec poteſt Vicarius mandati fines excedere.

Præter collationem beneficiorum plura alia ſunt, quæ 31
Epiſcopus ex vi mandati generalis præſtare non poteſt. Nequit enim ea exercere, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ut Eccleſias, Capellas, vel Cœmeteria reconciliare, Ordines conferre, Chriſma conficere, Oleum infirmorum ſacrare, Sacramentum Confirmationis miniſtrare, & alia ſimilia facere; nec de hæreſi cognoſcere, nec publicas pœnitentias imponere; nec matrimoniales cauſas cognoſcere, nec relaxare interdicta; nec commendatitias, ſeu dimiſſorias ad Ordines concedere; nec licentias ad confeſſiones audiendas; nec indulgentias; nec Diœceſim viſitare; nec Diœceſanam ſynodum congregare; nec pias defunctorum voluntates exequi; nec alienationibus, aut tranſactionibus rerum Eccleſiaſticarum decretum interponere; nec diſpenſare in irregularitatibus, aut ſuſpenſionibus ex delicto occulto; nec diſceptare de cauſa reſtitutionis in integrum; nec indicere purgationis canonicæ juramentum; nec conſentire, ut Metropolitanus cognoſcat in principali negotio omiſſo appellationis articulo; nec cognoſcere de cauſis feudalibus; nec facere ut exemplum ex originali ſumptum, eamdem vim & authoritatem cum originali habeat; nec repræſalias concedere; nec ad finem revelationis pro rebus dependitis, literas monitoriales decernere; nec abſolvere à caſibus reſervatis Epiſcopo; nec diſpenſare in generali vicariatus mandato; nec imponere, & exigere charitativum ſubſidium; nec quartam mortuorum, Decimarum, aut ſynodaticum; nec explorare voluntatem puellarum habitum, & profeſſionem regularem petentium; nec ſpecialiter commiſſa, & delegata ſuo Epiſcopo exequi. Hæc in ſumma refert Fermoſino *in cap. ſua nobis q.* 5. *num.* 15. *de off. Vic.* quæ tamen occurrente caſu eſſent diligentius examinanda.

Nam v. gr. Fermoſino inter alia dixit Vicarium non poſſe 32
decernere monitoriales pro revelandis ſublatis, cujus oppoſitum fuiſſe deciſum à Summo Pontifice die 27. Februarii 1583. refert, & ſuſtinet Fagnan. *cap. Quoniam n.* 41. *de off. Deleg.* Quod etiam multis citatis docet Garz. *lib.* 5. *c.* 8. *n.* 94. de prædictis verò videantur Molina *de juſt. tract.* 5. *diſp.* 10. Barboſ. *de off. Epiſc. allegat.* 54. *à num.* 59. *ad* 123. Narbona *tract. de appell. Vicarii p.* 1. *à n.* 18. Pax Jordan. *Elucubr. lib.* 12. *tit.* 1. *à n.* 142.

SUMMARIUM.

33 *Epiſcopus poteſt generaliter concedere collationem beneficiorum.*
34 *Solum tamen Vicario Generali.*
35 *Sufficit ſit Vicarius generalis in ſpiritualibus.*
36 *Ex vi mandati concedentis beneficia Vic. poteſt conferre dignitates.*
37 *Et beneficia, quæ antea vacaverunt.*

ARTICULUS II.

Quæ competunt Vicario Episcopi ex vi concessionis generalis conferendi beneficia.

33 Episcopum posse suo Vicario generali concedere, ut possit conferre beneficia, habetur expresse ex præsenti Decretali. Hoc tamen primò intelligi debet de concessione conferendi beneficia generaliter, non verò de aliquo beneficio vacaturo in singulari, seu respectu certæ personæ. Non enim potest Episcopus committere alio Vicario, aut cuicumque alteri, v. gr. det Titio primum beneficium vacaturum, Gloss. *in v. commissa*, Pax Jordan. *Elucubr. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 178. Azor. *part.* 2. *cap.* 44. *q.* 1. Garz. *par.* 5. *cap.* 8. *num.* 113. Rota *decis.* 5. *de off. Vicar. in nov.* Sbroz. *l.* 1. *quæst.* 53. & alii apud Garz. loco citato, ubi *n.* 114. quod concessio generalis esset, si data ad conferenda beneficia certi loci, dummodò ibi sint plura, aut ad conferenda beneficia in certis mensibus vacantia, aut curata tantùm, aut tanti valoris, aut vacantia per mortem, aut resignationem.

34 Quod etiam Episcopus collationem beneficiorum non possit concedere nisi illi, quem Episcopus facit suum Vicarium voluit Gloss. citata, Dom. *num.* 9. Franc. *n.* 5. Gloss. *in cap. deliberationi infr. de off. legat.* Oldrad. *cons.* 77. *num.* 1. Archid. *in cap. statutum in v. generaliter, infr. de prabend.* Rota *decis.* 287. *in antiq. seu decis.* 5. *de off. Vic. in nov.* Fagnan. *cap. præsentata num.* 14. *de testibus*, Barbosa *de offic. Episcopi alleg.* 54. *n.* 60. Garz. *p.* 5. *de benef. c.* 8. *n.* 119. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *ante n.* 7. Sbroz. *l.* 1. *q.* 52. Et nihilominus, quod hæc facultas posset committi in perpetuum dignitati alicui vel in genere, ut suprà *de instit. c. venissent*, vel in specie, ut suprà *cap. Pastoralis, de donat. & c. visis* 16. *q.* addidit Gloss. *in v. commissa*. De quo Dom. *n.* 9. monet videndum, quod notatur sup. *cap. venerabili, de cens. sub. super fin.* 2. Gloss. *vers. Tamen hoc puto.*

35 An verò requiratur, quod Vicarius ille, cui committi potest collatio beneficiorum sit generalis in temporalibus, aut ex spiritualibus, affirmarunt Rota *dec.* 5. *de off. Vic. n.* 2. Mill. *in repet. in v. Vic.* Nam ut dictum est supra *cap. licèt num.* 4. Vicarius generalis non est, qui ad spiritualia tantum, vel tantum ad temporalia habet mandatum. Nihilominus sufficere, si Vicarius sit generalis in spiritualibus, docet Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *n.* 122. Et quia ad plures effectus juris sufficit aliquem esse Vicarium generalem in spiritualibus, videtur quod in hac parte non sit necesse, quod Vicarius sit omninò in omnibus generalis, sed sufficiat si sit generalis in spiritualibus. Nam & ad conferenda unius loci beneficia sufficit, quod Vicarius sit generalis in illo loco, ut ex Rebuff. *tit. de Vicariis n.* 23. *&* 24. & Sbroz. *lib.* 1. *q.* 53. *n.* 5. tradit idem Garz. *n.* 125.

36 Cùm autem concessio hæc conferendi beneficia nulli ferat præjudicium, & sit gratia, & favor latè interpretari debet, unde est primò, quod nomine beneficiorum veniunt etiam beneficia curata, & dignitates. Et sic Vicarius ex vi concessionis conferendi beneficia potest conferre beneficia etiam curata, & dignitates, Dom. *num.* 11. Franc. *num.* 5. Rebuff. *de forma Vicar. num.* 118. Azor. *d. cap.* 44. *q.* 7. *&* 8. Barbosa *d. alleg.* 54. *num.* 63. Pax Jordan. *d. l.* 12. *tit.* 1. *num.* 171. Cùm enim conferre aliis beneficia non sit materia ambitiosa, & odiosa, etiam dignitates comprehenduntur sub nomine beneficii *cap. Tua, de verb. signif. c. dudum de præbend.* Mandos. in Apost. ad Lapum *all.* 84. Sbroz. *l.* 2. *q.* 81. *&* 82.

Hinc est 2. quod facultas ista se extendit etiam ad beneficia, quæ ante concessionem ipsius jam vacaverant, ut ex Caputaq. *decis.* 368. *lib.* 1. & Sbroz. *l.* 2. *q.* 84. deducit Pax Jordan. *d. l.* 12. *t.* 1. *n.* 174. ubi enim sumus in materia favorabili extensio fit præsertim contra ipsum concedentem, licèt secus respectu tertii. 37

Inde 3. deducitur, quod facultas ista se extendit etiam ad beneficia ad Episcopum devoluta ex inferiorum negligentia, aut defectu, ut advertunt Rebuff. ubi sup. *n.* 88. Barb. *d. all.* 54. *n.* 62. Azor. *d. c.* 44. *q.* 2. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *num.* 179. Quod tamen limitatur, nisi devolutio facta fuisset ad Episcopum, ut ad Sedis Apostolicæ delegatum, ut ex negligentia Regularium, juxta Clem. 1. *de supplen. negl. Prel.* Tunc enim certi juris est Vicarium non posse se intromittere, Azor. Barb. & Pax cit. 38

Quartò sequitur, quod ex vi facultatis conferendi beneficia Vicarius possit etiam commendare in omnibus illis casibus, in quibus hoc competit Episcopo, secundùm Rebuff. ubi sup. *num.* 119. Barbos. *d. alleg.* 54. *num.* 64. Azor. *d. cap.* 44. *q.* 10. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *n.* 172. Sbroz. *l.* 2. *q.* 83. Cucch. *inst. l.* 2. *tit.* 8. *n.* 92. 39

Quintò sequitur, ut data & acceptata resignatione in manu superioris possit Vicarius resignata beneficia conferre, quia illa beneficia sunt jam vacantia, non interest autem quomodo vacaverit, an per mortem vel per resignationem. 40

Sextò sequitur, quod Vicarius vacantia beneficia poterit conferre in mensibus alternativæ, licèt de hoc non fuerit facta mentio in concessione facultatis, Pax Jord. *d. tit.* 1. *num.* 177. post Put. *decis.* 488. *l.* 1. Sbroz. *d. l.* 2. *q.* 80. 41

Septimò sequitur, quod Vicarius hac facultate conferendi beneficia sibi concessa potest uti etiam extra Diœcesim, sicut potest Episcopus. Cùm enim collatio beneficiorum sit actus jurisdictionis voluntariæ potest extra Diœcesim fieri, Dom. *num.* 10. Franc. *num.* 3. Fagnan. *cap. præsentata num.* 12. *de test.* Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *p.* 30. *num.* 16. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell.* Gloss. 62. *num.* 3. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *num.* 126. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 20. *n.* 8. Menoch. *l.* 1. *de arbit. q.* 43. *num.* 19. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. d.* 34. *num.* 2. Barbosa *d. alleg.* 54. *num.* 64. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *nu.* 173. Sbroz. *lib.* 2. *q.* 92. Advertendum tamen quod ubi intervenire debet forma judicialis contentiosa; sicuti potest de facili evenire in confirmatione electionis, tunc non posset Vicarius extra Diœcesim hujusmodi negotium expedire, ut notant Dom. *n.* 8. & Franc. *n.* 4. sed ubi extrajudicialiter proceditur etiam ad confirmationem, & institutionem potest fieri extra Diœcesim, Garz. *d. p.* 5. *c.* 8. *n.* 142. vide quæ dixi *tr. de elect. c.* 33. *q.* 16. *n.* 170. 42

Et nihilominus asserta principalis conclusio limitanda est primò, ut non se extendat ad beneficia quorum collatio spectat ad Episcopum ex jure speciali, ut ex delegatione, seu privilegio, nisi aliundè potiùs hujusmodi specialem facultatem delegare, eam expressè Vicario concesserit. Privilegia enim personalia sunt, nec transferuntur ad aliud, nisi habeat super hoc facultate, expressè ea transferre concessum sit. Nam in generali concessione conferendi beneficia data Vicario ab Episcopo non veniunt nisi beneficia, quæ Episcopus potest conferre jure ordinario, Barb. *d. alleg.* 54. *n.* 62. Azor. *q.* 2. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *n.* 180. Fagnan. *cap. non amplius, n.* 73. *de instit.* 43

Prætereà ex vi dictæ facultatis non potest Vicarius conferre ea beneficia, quæ nec posset Episcopus, v. g. quæ vacant in Curia, vel aliàs sunt affecta Summo Pontifici, eorumque collatio ad illam spectat. Item nec beneficia de novo erecta post concessionem facultatis, nisi aliud fuerit expressum, *Clem. fin.* juxta Gloss. *in v. tibi de rescript.* Rebuff. ubi sup. *n.* 124. Pax Jordan. *n.* 185. 44 45

Item

46 Item ex ejuſdem facultatis virtute non poteſt reſignationes acceptare, quoniam hoc non eſt conferre beneficia, ſed beneficiatos abſolvere, ut per textum *in cap. quæſitum*, *de permut.* reſolvunt plures DD. quos refert, & ſequitur Barboſa *alleg.* 54. *num.* 66. ubi addit, quod collata facultate acceptandi reſignationes abſolutè oon intelligitur conceſſa facultas conferendi beneficia reſigoata: verè enim hæc valdè diverſa ſunt, ſed non placet, quod ſubjungit, ſcilicet quod conceſſa facultate approbandi reſignationes factas intuitu permutationis, non poſſit Vicarius beneficia permutata conferre. Quia cùm hoc ſit jam neceſſitatis, & non liberè collationis, jam cadunt ſub facultate ordinaria Vicarii, ut probatum eſt artic. ſuperiori. Quod verò Epiſcopus in genere, vel in ſpecie poſſit concedere ſuo Vicario generali facultatem recipiendi reſignationes, & beoeficia reſignata conferendi perſonæ idoneæ, dicitur infrà, *cap. Deliberatione 4. de off. leg.*

47 Facultas etiam conceſſa Vicario conferendi beneficia debet intelligi, ut facta cumulativè, non verò privativè, Sbroz. *l.* 2. *q.* 93. Barboſa *d. alleg.* 54. *n.* 65. Rebuff. ubi ſup. *n.* 122. Pax Jordan. *num.* 181. ubi imò quod conſtito de præventione Vicarii anteferendus erit proviſus ab Epiſcopo tanquam à majori: ſed videri debent not. infrà, Med. *cap. ſi à ſede*, *inf. de præben.*

48 Neque etiam facoltas conferendi beneficia ſe extendit, ut Vicarius poſſit beneficiatos privare beneficiis, longè enim hæc diverſa ſunt, & ſeparabilia, Panorm. *in cap. accepta de reſtit. ſpol.* Felin. *in cap. Audiis*, *de præſcript.* Azor. *d. cap.* 44. *q.* 13. Barb. *d. alleg.* 54. *num.* 65. Pax Jord. *d. tit.* 1. *n.* 182.

49 Termini etiam & forma conceſſioois ſervari debeat: unde ſi facultas ſit Vicario conceſſa pro tempore abſentiæ Epiſcopi, non poterit Vicarius eo præſente beneficia conferre, *cap. ſi delegatus*, *inf. de off. deleg. cap. antiquo*, *de privil.* Rebuff. ubi ſupra *num.* 235. Pax Jordan. *num.* 186. ubi quod Vicarii erit in dubio probare abſentiam Epiſcopi. Et quod valida erit collatio facta à Vicario neſciente redditum ejuſdem Epiſcopi, de quo videatur Garz. *d. l.* 5. *cap.* 8. *a num.* 174. ſi verò Vicarius formam conceſſionis non ſervaverit erit oulla collatio ab eo facta, per text. *in cap. inter cætera*, *de præb.* ubi DD. Sbroz. *l.* 2. *q.* 79. ex Rebuff. *n.* 41. Pax Jord. *d. tit.* 1. *n.* 187.

50 Hinc eſt quod non poteſt Vicarius ex vi facultatis conferendi beneficia interponere aothoritatem ad erectionem novi Canonicatus, ſeu beneficii, quia beneficium erigere, aliud eſt, qoàm beneficium conferre, Felin. *cap. cum acceſſiſſent num.* 15. & Dec. *num.* 9. *de conſt.* Sbroz. *l.* 2. *quæſt.* 31. *num.* 4. *&* 5. Barb. *d. alleg.* 54. *num.* 8. Pax Jordan. *d. tit.* 1. *num.* 188.

51 Sicut nec poteſt ex vi talis conceſſionis præſentare ad beneficia juris patron. quorum præſentatio ad Epiſc. ſpectat, Garz. *p.* 5. *c.* 8. *num.* 83. Lambert. *lib.* 2. *art.* 5. *q. princ.* *n.* 2. *par.* 3. Sbroz. *l.* 2. *q.* 110. Barb. *d. alleg.* 54. *num.* 82. Pax Jord. *d. tit.* 1. *n.* 189. Quidquid in contrarium dixerit Palaus *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 30. *n.* 15.

52 Quod verò in hujuſmodi beneficiorum collatione Vicarius ſe habeat, ut delegatus ex Rota *deciſ.* 7. *num.* 1. *de off. Vicarii in nov.* & Felin. *cap. licet de off. ordin.* & alus deducit idem Pax Jordan. *num.* 190. ſubdens *num.* 191. in his à Vicario appellari ad Epiſcopum, ſed ut ipſe advertit, hoc intelligi debet, obi conceſſio facultatis hujus non ſit data unico actu, aut ſub expreſſione Vicariatus, & ſic intelligi hoc debet juxta ſupra notata *c. licet n.* 22. Et cùm datur hæc facultas generaliter, & per modum permanentis cenſenda eſt ordinaria, non delegata.

53 An verò ſi vidente Epiſcopo, & tacente Vicarius conferat aliquod beneficiom, valeat collatio? valere tradit Sanch. *l.* 3. *de matrim. d.* 35. *n.* 20. ex Boerio *dec.* 347. *n.* 13. & Germon. *de indult. §. tibi quoad vixeris n.* 65. quia Epiſcopus cenſetur conſentire, ex quo videt, & tacet.

S V M M A R I V M.

54 *In illis quæ Epiſcopus poteſt facultate ordinaria Vicarius poteſt juxta regulam hujus textus.*
Dictio etiam *implicat ordinariam facultatem.* 54.
55 *Vicario non competunt ea, in quibus Epiſcopus eſt delegatus.*
56 *Niſi illi ſint commiſſa.*
57 *Vicarius non poteſt ea, quæ taxativè ſunt Epiſcopo delegata.*
58 *Caſus* 18. *contenti in Conc. Trid.*

ARTICULUS III.

Vtrum ex vi generalis, vel etiam ſpecialis commiſſionis Vicarius poſſit facere quæ à Concilio Tridentino Epiſcopis ſunt tributa.

TRiplex caſus hic diſtingui poteſt. Primus eſt eorum in quibus Concilium ordinariam juriſdictionem Epiſcoporum potius excitavit, vel etiam voluit, quod facultate delegata poſſent id, quod Epiſcopi ordinaria facultate poterunt. Nam dictio *etiam* in clauſula *etiam ut Delegatus*, *&c.* implicat Epiſcopum uti poſſe illud idem aothoritate ordinaria, *L. conventicula C. de Epiſc. & Cler. l. etiam ff. de verb. ſignif.* Clem. *Religioſus*, & ibi Card. *in p. notab. de Procur.* & ibi in boc caſu dicitur, quod conſideranda ſunt dicta in hac decretali, quia nimirum Vicarius illa non poteſt exercere ex vi generalis commiſſionis, ſi ſunt de illis, quæ in jure excepta ſunt, & Vicariis fieri prohibita ſine ſpeciali conceſſione. Poſſe verò ſi vel non ſunt de exceptis, vel ſibi ſpecialiter fuerunt commiſſa. 54

Secundus caſus eſt eorum, io quibus Epiſcopus conſtitutus eſt ſimpliciter Delegatus Sedis Apoſtolicæ; unde nec ille poteſt adimplere, niſi delegata facultate. Qualia ſunt omnia, in quibus Concilium dat Epiſcopis juriſdictionem ſuper exemptos, & præcipuè ſuper Regulares, quorum exemptio eſt extenſior, & quampluribus conſtitutionibus Pontificiis munita. De qua exemptione videri poſſunt, quæ latè probavi *tom.* 3. *de ſtatibus*, *tota q.* 189. *art.* 10. *de profeſſ. inſpect.* 10. *à num.* 626. *& pag.* 781. Et in iſto caſu dicitur primò, quod Vicarius ex vi generalis commiſſionis nihil lucrum poteſt facere. In juriſdictione enim delegata non fit extenſio de perſona ad perſonam, *cap. edoceri*, ubi Gloſſ. *ult. de reſcript.* Feder. de Senis *conſ.* 163. *num.* 2. Nec in cauſa delegata Epiſcopus procedit ot Epiſcopus, ſed ut Delegatus, Dec. poſt Guliel. de Coneo *in cap. Quoniam Abbas*, *de conſuetud.* & ante eum Alex. *in l. Et quia ff. de juriſ. omn. jud.* Et ex ſupra probatis nimium conſenſo, certum eſt, quod ex vi generalis inſtitutionis, & mandati Vicario non competunt, quæ conveniunt Epiſcopo ex delegatione. 55

Et nihilominus qoia Delegatus Principis poteſt ſubdelegare *c. quoniam*, *de off. deleg.* & ibi DD. *& in l. à Iudice C. de judic.* Ideò Epiſcopus poteſt ſuo Vicario ſubdelegare, quæ abſolutè ſibi delegata ſunt; & ſic Vicarius poteſt perficere ea, quæ à Conc. Trid. delegata ſunt Epiſcopis, ſi Epiſcopus id facere ſpecialiter illi concedat, & mandet, Fagnan. *c. quoniam n.* 10. *& ſeq. de off. Deleg.* 56

Tertios caſus eſt eorum, quæ commiſſa ſunt Epiſcopo ſoli, & per dictionem taxativam *tantum*, vel *ſolus*. Quia in illis eſt electa induſtria perſonæ. Et in boc caſu etiam perſona Vicarii eſt excluſa, nec illi poteſt Epiſcopus hujuſmodi negotia, vel cauſas committere, *cap. quoniam*, *§. Is autem*, ubi Gloſſ. *in v. Inquiſitionem*, *de off. Deleg.* quæ communiter approbatur Jaſon. *in l. à Iudice n.* 11. *C. de judic.* Fagnan. ubi ſuprà *n.* 18. 57

Qui loca Conc. Trid. ibi examinat, ſed juxta diſtinctiones hic datas in quocumque illorum veritas colligenda eſt, & amplectenda. 58

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

STatuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus, à manifestis injuriis, & violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos: Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.

SUMMARIUM.

1 *Vtilis determinatio hujus textus.*
2 *Quæstionum remissio ad cap. fin.*
3 *Regula hujus textus.*
4 *Verbum* statuimus *est novi juris inductivum.*
5 *Conservatores rerum, & privilegiorum.*
6 *Papa cujus est officium defendere oppressos meritò dat conservatores.*
7 *Conservator defendit solum à notoriis injuriis.*
8 *Injuria in plus se habet, quàm violentia.*
9 *Conservator defendit etiam ab illatis.*
10 *Non cognoscit de iis, quæ petunt judicialem indaginem.*

1 IN hoc primo capite agitur de Conservatoribus, de quibus agitur quoque *cap. sequent. & cap. fin.* Parum autem utilem esse hujus capitis determinationem ex Hostien. retulit hìc Joan. And. *num.* 2. & ex eo Dom. *num.* 2. eo quod dubia non possit diffinire. Et declaravit hoc exemplo confirmationis in forma communi, *cap. Quia diversitatem de concess. prabend. & innovationis privilegiorum, cap. ex parte, & cap. Quia intentionis, de privil.* Hoc idem aliundè posset probari, quia nimirum in casibus exceptis in Concil. Trident. *sess. 14. de reformat.* literæ conservatoriæ concedi soleant plerumque in ampliori forma, quàm sit ea, quæ traditur in hoc textu, *& in cap. fin. infr. hoc tit.* ut testantur Navar. *in Manual. cap. 27. num.* 125. Rodriq. *tom. 1. q. 65. art.* 12. & ex eis Barb. hìc *num.* 4. Nihilominus dicendum est dispositionem hanc esse valdè utilem, ejusque intelligentiam necessariam, nedum quia utilior sit conservatio, quàm confirmatio in forma communi, aut privilegiorum innovatio, ut dixerunt iidem Hostien. Jo. Andr. & Dom. & nedum quia clausulæ litterarum conservatoriarum in dubio, & quatenus fieri possit reducendæ sunt ad jus commune horum textum, & secundùm illud interpretandæ, ut idem Barbosa advertit, sed quia noviter dispositio *cap. fin. infra hoc tit.* in qua continetur etiam hujus cap. dispositio fuit confirmata per *const.* 3. Clem. VIII. *& const.* 9. Greg. XV.

2 Cùm verò *in d. cap. fin.* uberius disponatur de iis, quæ ad conservatores spectant, ibi utilius examinabuntur quæstiones, quæ de officio, facultate, electione, materia judicii, jurisque forma servanda, aliisque ad Conservatores spectantibus tractari possunt.

3 Regula præsentis constitutionis est Conservatores eos pro quibus dantur posse defendere solum à manifestis injuriis, & violentiis, non verò posse suam jurisdictionem extendere ad ea, quæ judicialem indaginem requirunt. Quod tradunt quoque his Canonistæ omnes, & reliqui, qui de conservatoribus tractant.

4 Non dixit declaramus. Tempore enim hujus editæ constit. non habebat locum in ista materia verbum declaramus, quia per jura antiqua non erat inventus modus horum Conservatorum, ut advertunt Jo. Andr. in princip. & Dom. *num.* 2. *in fin.* Ideò quia Pontifex novum jus condit, utitur verbo statuimus. Ex quo benè colligit Barbos. *n.* 5. quod hoc verbum est novi juris inductivum, ut notarunt Rebuff. *in concord. rubric. de collat.* §. 1. *lit. A*, & Garz. *de benef. p. 3. c. 1. n. 9.*

5 Distinguunt ex Hostien. Jo. Andr. *num.* 2. Dom. *num.* 5. & Franc. *num.* 4. inter Conservatorem datum ad defensionem rerum, & eum, qui datur ad conservationem privilegiorum; quod in rebus facilius potest constare de injuria, aut violentia manifesta, & notoria, quia privilegiati & maximè quæstores frequenter delinquunt, & privilegiis abutuntur, *ut in cap. Cum ex eodem sup. de pœnit.* Ideò si conservator privilegiorum citat aliquem tanquam turbantem privilegiatum, sufficit ipsi citato mittere nuntium cum literis continentibus veram excusationem. Debet tamen de præsentatione literarum fieri instrumentum, & in tali dubio non potest se intromittere Conservator. Et si procedat ad excommunicationem, ipsa non valet. Verùm considerandum est, quod si excusatio non satisfacit, & est notoriè frivola, potest Conservator procedere ad ulteriora. Sed de his dicemus infra *cap. fin.*

6 Notandum 1. quod ad officium Papæ pertinet occurrere litigiis, & violentiis, & quemlibet in sua justa possessione tueri. Et hoc præsertim est providendum circa viduas, & orphanos, & alias miserabiles personas, quarum tuitio ad Ecclesiam spectat, *cap. 1. & 2. dist. 37. cap. Administratores 18. q. 5. & cap. ex parte, de for. compet.* Joan. Mon. *num.* 2. Hostien. Jo. Andr. *in princ.* Butr. *num.* 3. Cùm verò Papa sit judex ordinarius omnium etiam laicorum, damna in personas, & res Ecclesiasticas inferentium, *cap. cum sit, de foro competent.* meritò super talibus Conservatores concedit, cùm per se ipsum principaliter hoc posset, *ut in reg. potest quis de reg. juris.* Et quamvis ad hoc officium conservandi bona Ecclesiastica, & defendendi etiam viduas, & pupillos deputati sint Episcopi, qui propterea largo modo possunt dici Conservatores, ut hìc notant Jo. Andr. & Butr. *num. 3. & l. illicitas, ff. de offic. Præsid.* tribuitur Præsidibus potestas contra injurias, & extorsiones potentum, ne humiles opprimant, unde hæc potestas alicita coercendi spectat ad officium ordinarii; nihilominus concessio Conservatorum non est superflua. Tum quia isti Conservatores, ut notant Anch. *n.* 1. & Butr. magis timentur. Tum quia hujusmodi defensio diligentius, & efficacius fieri potest per Conservatores ad hunc effectum specialiter deputatos, qui non sunt in tot aliis occupati, sicuti sunt Ordinarii.

7 Notandum 2. quod communiter Canonistæ explicant vocem hanc *manifestis*, ut sit idem, quod *notoriis*, & sic isti Conservatores non habent potestatem, nisi ubi injuria, aut violentia sit notoria. Ita Gloss. Jo. Monac. Jo. And. Archid. Anch. Butr. Dom. Franc. Barbosa, & alii.

8 Notandum 3. quod distinguit textus inter injurias & violentias. Nam violentia est, cùm quis alteri vim infert, & sic omnis violentia est injuria. Sed injuria in plus se habet; omne enim illud est injuria, quod alteri non jure fit, & sic omne illud est injuria, quo jus alterius offenditur, Archid. *n.* 2. Dom. *n.* 1. Franc. *n.* 2.

9 Notandum 4. quod verbum defendere intelligitur cum effectu, ideò hoc verbum respicit nedum injurias inferendas, sed etiam illatas, & sic Conservatores habent facultatem nedum propulsandi injurias, & cohibendi turbatores ne injurias, aut violentias notorias inferant, sed etiam ut compellant ut pro illatis detur justa satisfactio, ut post Hostien. advertunt Butr. *n.* 15. Dom. *n.* 13. Franc. *n.* 6. Et hæc potestas respicit tam Ecclesiasticas, quàm sæculares personas, si personæ laicæ inferant damnum rebus vel personis Ecclesiasticis.

10 Notandum 5. quod in dubiis locum habet inquisitio & indago, & ideò judicialis indago, est inquisitio, & examinatio, quæ servato juris ordine habetur in causis dubiis ad inveniendam veritatem, & justum judicium proferendum, ut notant Silv. *v. Conservator num.* 1. & Azor. *part. 2. l. c. 34. q. 3.* & Barbosa hìc *num.* 16. Propterea Conservator, qui non in causis dubiis, sed solùm in notoriis habet facultatem non potest cognoscere causas requirentes indaginem judicialem, Gloss. Jo. Mon. *num.* 5. Arch. *n.* 3. Dom. *n.* 14. Quamvis quia nec causæ notoriæ sepè expe-

expediri possunt sine aliqua indagine, ideò Conservator habet indaginem, quæ in notoriis est necessaria, & servat ordinem juris servandum in notoriis, ut notat Dom. *num.* 2. ex Innoc. & Jo. Andr. qui addit, quod si Conservator in judicando servaret ordinem juris, non per hoc processus esset nullus.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Alexander Quartus.

C A P U T II.

QUia Pontificali dignitate præditis ob reverentiam sacri officii, quod exercent, plurimum deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet: ut cùm à judicibus, vel conservatoribus à sede Apostolica deputatis contra eos, ad coactiones aliquas, sive pœnas fuerit procedendum, gradus & modestia in hujusmodi processu servetur. Ita quòd (eis quadam condigna reverentia supportatis) ingressus primò ipsis Ecclesiæ, vel sacerdotale interdicatur ministerium: ac deinde ab officio suspendantur, & subsequenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos. Nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, sive culpa.

SUMMARIUM.

1 *Causa edita decretalis.*
2 *Regula posita in textu.*
3 *Episcopi dicuntur Pontifices.*
4 *Sub nomine dignitatis venit Episcopatus in favorabilibus.*
5 *Quæ hic dicuntur competunt etiam Episcopo confirmato.*
Episcopus confirmatus habet ea, quæ sunt jurisdictionis. 5.
6 *Episcopatus non est ordo.*
7 *Nobiliores, & digniores mitius puniuntur.*
8 *Hoc explicatur.*
9 *Attendi debet, quod decet.*
10 *Conservatores non veniunt sub nomine Judicis.*
11 *In Judice necessaria est clementia, & modestia.*
12 *Quid sit reverentia.*
13 *A quibus abstinere debeat interdictus ab ingressu Ecclesiæ.*
14 *Suspensio ad casum non expressum non extenditur.*
15 *An suspensus à Pontificalibus sit irregularis, si celebrat.*
16 *Interdictum aliquando significatur per suspensionem.*
17 *Suspensio ab officio privat ordinis, & jurisdictionis ordinariæ exercitio.*
18 *An Delegatus ob delictum Episcopi possit interdicto subjicere Diœcesim.*
19 *Eligitur pars negativa.*
20 *Distinctio multiplex inter jurisdictionem temporalem, & spiritualem.*
21 *Ex contumacia aggravatur censura.*
22 *Si Delegatus non servet ordinem hujus textus processus non est ipso jure nullus.*

1 DEcretalis ista, ut notat Gloss. edita fuit ad declarationem *cap. sanè, & cap. Pastoralis, supra eodem tit.* In qua statuenda Alex. IV. hunc ordinem servat, quod præmittit primo rationem moventem ad condendam legem, deindè legem statuit, quam 3. limit.

2 Est ergo regula statuta, ut quia Pontificali dignitati defertur, ideò ubi contingat quod per Judices, vel Conservatores Episcopi compelli debeant per pœnas, servetur hic ordo, ut prius interdicant eis ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale officium, postea eos ab officio suspendant, & si opus est deinde aggraventur censura Ecclesiastica. Nisi fortè aliter fieri suaserit contumaciæ protervitas, sive culpa.

3 Per illos verò, quos textus dicit Pontificali dignitate præditos, intelligit Episcopos, qui in jure vocantur Pontifices, ut habetur *cap. Pontifices* 7. *q.* 1. *cap. Messana supr. de elect. cap. quod translationem, de temp. ordin. cap. quia periculosum de sent. excomm. in hoc lib.* imò Isid. *in cap. Cleros* 21. *dist.* vocat eos maximos Pontifices, hoc est maximos sacerdotes, & ibid. *in vers. Presbyter.* addit eosdem Pontificatus apicem obtinere, ut notant Franc. hic *n.* 1. Barbosa hic, *& de off. Episc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Pax Jordan. *Elucubrat. tom.* 1. *prælud.* 1. *n.* 18. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 27. *q.* 1. Durand. in rationali *lib.* 2. *cap.* 21.

Quod verò Episcopus non solùm sit nomen potestatis, & officii, sed dignitatis, unde in jure sub nomine dignitatis comprehendatur Episcopatus colligunt Dom. *n.* 1. Franc. *num.* 1. Barbos. *num.* 3. Mandos. *in reg.* 32. *Cancell. q.* 15. Gambar. *de potest. leg. l.* 2. *n.* 41. Simonet. *de reservat. q.* 11. per totam, Hojed. *de incompatib. benef. p.* 1. *cap.* 24. *num.* 64. quod tamen intelligendum est in materia favorabili, non autem in odiosa. 4

Eorum tamen, quæ competunt Episcopo alia competunt ratione ordinis Episcopalis, quæ enumerantur, *cap. Corepiscopis* 68. *dist.* & quædam ratione dignitatis, & de his videri possunt, quæ habet Jo. Andr. *cap. accedentibus, sup. de excess. Prælat.* ut monent hìc Anchar. *num.* 1. & Butr. quod verò hìc decernimur de Episcopis ratione Pontificalis dignitatis, competit Episcopis electis, & confirmatis, licèt nondum consecratis, ut consideraruntt hìc Jo. Andr. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 2. Barb. *num.* 6. Hoc enim debetur Episcopis non præcisè ratione ordinis, sed ratione dignitatis, & officii, ut patet ex illis verbis, *Pontificali dignitate præditis, ob reverentiam sacri Officii, quod exercent.* Quamobrem licet Episcopus non consecratus in iis, quæ sunt ordinis non veniat sub nomine Episcopi ex multis, de quibus Felin. *in cap. eam te, num.* 1. *de rescript.* quantum tamen ad jurisdictionem, & officium Episcopale omnia valet exercere, quæ non sunt ordine annexa, juxta text. *in cap. transmissam, & cap. nosti*, ubi Gloss. *& cap. Qualiter, de elect.* ac subinde vocatur simpliciter Episc. Clem. 1. juncta Gloss. *v. Episcopus, de foro compet.* Clem. 1. ubi Gloss. *v. Episcopi de rescript.* Felin. *d. cap. eam te, num.* 5. Fagnan. ibid. *num.* 33. 5

Ex hoc autem loco desumi posse argumentum ad probandum, quod Episcopatus propriè sit ordo, ex eo quia quod exercet Episcopus ratione Episcopalis dignitatis dicitur exercere ex officio, & non ex ordine, advertunt Dom. *num.* 1. & Franc. *num.* 2. De hac verò quæst. inter moderniores videri potest Fagnan. *tom.* 2. *cap. Requisivit, num.* 8. *& seqq. de ord. ab Episc.* Episcopatum verò non esse ordinem tradiderunt Albertus Magnus 4. *dist.* 24. *artic.* 39. D. Thom. ibidem *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. Richard. *art.* 5. *q.* 5. Palud. *q.* 7. Capreol. 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. D. Bonav. 4. *d.* 24. *art.* 2. *q.* 3. *part.* 2. Scotus ibidem *q.* 1. §. *De* 2. *art.* Sil. *v. Episcopus q.* 1. Cajet. *tom.* 2. *opusc. q.* 2. Ferrarien. 4. *c. g. c.* 76. §. *Ad hujus evidentiam*, Turrecrem. *cap. Cleros num.* 14. 21. *dist.* Sotus 4. *d.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *& l.* 10. *de just. q.* 1. *art.* 2. Covar. *lib.* 1. *variarum cap.* 10. *num.* 15. & favet Panorm. *cap. ex literis num.* 4. *de excess. Prælatorum*, & alii quamplures præsertim ex Theologis. 6

Notandum 1. quod ex eo deceat plurimum deferri Episcopis ratione dignitatis, & officii, & conveniat eos plurimum 7

honorari, colligit Pontifex quod in puniendo eos debeat haberi ratio dignitatis eorum, & præeminentiæ officii. Sed hoc videtur esse injustitia, & acceptatio personarum, quæ in judiciis & meritorum, aut pœnarum retributionibus omninò rejicienda est, *cap. novit sup. de jud.* D. Thom. 2.2. *q.* 63. *num.* 4. Nec per nobilitatem, aut altitudinem gradus debet judicialis vindicta dimitti, *cap. ea qua, de stat. Monach.* Est enim acceptio personarum, si personæ ipsæ, & eorum conditiones attenduntur in distributione premiorum, & pœnarum, D. Thom. *d. q.* 63. *art.* 1. Sed respondetur ex eodem D. Thom. ibidem ad primum *quod in distributiva justitia considerantur conditiones personarum, quæ faciunt ad dignitatis vel debiti causam. Sed in acceptione personarum, considerantur conditiones, quæ non faciunt ad causam.* In retributione ergo pœnarum dignitas Episcopalis officii facit ad causam, quia illam decet reverentia plurima, & honor, & ideò mitius cum Episcopo agendum est, & levior pœna illi debet retribui, Anchar. *num.* 1. Butr. *n.* 2. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 2. Barbos. *num.* 4. Qui ex hoc universaliter colligit, quod circa coactiones, & pœnas, & modum procedendi in judicio, dignitati personæ, & nobilitati est deferendum, ut mitius cum illis agatur, per tex. *in cap. sanè, & cap. Pastoralis sup. hoc tit. & in cap. ult. de pœnis, & in l. sacrilegii pœnam, ff. ad leg. Iuliam pecul. & ad d. cap. Pastoralis*, Felin. Tiraquell. *de nobil. cap.* 20. *à num.* 108. & de pœnis tempore, causa 31. à princ. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 3. Farin. *q.* 95. *&* 98. ideò nobiles, & in dignitate constituti puniri non solent pœna infamatoria, puta frustium, aut berlinæ, aut triremium, sed puniuntur pœna relegationis, aut exilii, nisi delictum sit tale, ut nobilitatem, aut dignitatem fœdaverit. Pariter nobiles non suspenduntur, sed decapitantur: sic enim aliis pœnis corporalibus levius puniuntur: solentque judices minuere pęnam delinquentibus propter merita, & beneficia lata in Rempublicam à Reo, vel ab ejus majoribus: & ita ut etiam insignis peritia in arte sit causa minuendi pęnam.

8 Benè tamen advertit Franc. *num.* 2. hæc locum habere in pęna arbitraria; nam ubi pęna sit taxata à lege, vel statuto, tunc non habetur differentia personarum, Bald. *in l. nemo C. de sum. Trin.* Farin. plures referens, & concordans *q.* 98. Addit etiam Gloss. *in v. Sacerdotale*, quod magis punitur qui deliquit in eo, in quo honorabatur juxta *l. Fratri, C. de Episc. & Cler.* unde plus puniri debet Sacerdos testis falsus, quia in hoc Sacerdos honoratur, ut testimonium ferendo verum dicat. Et sic datur regula ut nobiles, seu dignitate præditi gravius puniantur pro delictis, quæ ex circumstantia nobilitatis, vel dignitatis augeatur, seu in criminibus redundantibus in dedecus dignitatis, & nobilitatis quamvis de corporali pœna ageretur. Ubi etiam agitur de pœna pecuniaria, æquum est, ut magis divites, magis puniantur. Sed & Gloss. benè advertit, quod etiam ubi nobiles, vel dignitate præditi mitius videntur puniri, in rigore non mitius puniantur, quia minor pęna major est in majore, per notata *in cap.* 1. *de Cler. venat.*

9 Notandum 2. quod in materia justitiæ distributivę attendi debet, quod decet. Id enim decet, quod moraliter est honestum, & rationabile, ut habet Gloss. Jo. Andr. Ideò considerari debet honestas, & decentia, quæ sæpè in agendis consurgit ex circumstantiis, & maximè ex conditionibus personarum.

10 Notandum 3. textum loqui de judicibus quibuscumque, ut intelligunt Gloss. Archid. & Jo. Andr. quoniam verò textus loquitur disjunctivè, judicibus, vel Conservatoribus, colligit Dom. *num.* 1. quod Conservatores non veniunt sub nomine judicum.

11 Admonemur 4. quod in pęnis est cum modestia procedendum. In Judice autem præter justitiam duæ aliæ virtutes sunt necessariæ, scilicet clementia, & modestia. Illa impetum iræ cohibet, & refrænat, & facit, quod judex accensus ira contra delinquentem, moderetur impetum passionis, ne judex gravioribus pęnis puniat delinquentem; clementia enim propriè est ex recta ratione diminutiva pęnarum, ut D. Th. 2.2. *q.* 157. *art.* 2. Modestia verò non respicit internum motum, sed actiones exteriores juxta doctrinam ejusdem D. Thom. 2. 2. *q.* 143. *art.* 1. *& q.* 160. *art.* 2. *c.* Et sic judex etiam in judicando & exterius verbis, & factis exercendo judicii actus debet servare moderamen modestiæ, & decorem, unde non debet judex excandescere adversus eos, quos malos putat, nisi cum modestiæ moderamine; id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motus vultus detegit, *ut l. observandum, ff. de off. Præsid.* & hoc quoque advertunt Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 2.

12 Notandum 4. reverentiam esse honorem cum pavore ait hic Dom. *num.* 6. ex Archid. sed sciendum ex D. Thom. 2.2. *q.* 103. *art.* 1. ad primum, *quod reverentia non est idem, quod honor, sed ex una parte est primum motivum ad honorandum, in quantum, scilicet, aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, eum honorat. Ex alia verò parte est honoris finis, in quantum, scilicet, aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis*, est autem reverentia timor initialis & castus secundùm eundem D. Th. in Psal. 34. circa finem, & personæ excellentiam respicit.

13 Notandum 5. quod Episcopus ab ingressu Ecclesiæ interdictos, durante interdicto non potest in Ecclesia celebrare, nec Sacramenta ministrare, nec aliquem Sacri Ordinis actum exercere, nec audire divina officia, nec psallere, nec orare, nec si interim moritur in Ecclesia, vel Cœmeterio sepelitur; poterit tamen extra Ecclesiam celebrare Gloss. Archid. Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 4. sed de his sermo habendus erit infra *cap. Is cui, de sent. exc.* Videantur *in cap. Sacro de sent. excomm.* Felin. *num.* 8. Panorm. *num.* 10. Navar. *cap.* 27. *num.* 170. Covar. *cap. Alma mater p.* 2. §. 1. *à n.* 3. Suarez *de censur. disp.* 25. *sect.* 3. Sayr. *l.* 5. *cap.* 7. *&* 9. & alii tractatores de censuris. Si verò Episcopus interdictum non servet fit irregularis, & hic citati DD. advertunt.

14 Notandum 6. quod hæc regula in suspensionibus servanda est, ut dum suspensio est particularis non extendatur ad ea, quæ non continentur sub eo officio, aut exercitio, à quo aliquis est declaratus suspensus; unde suspensus à sacerdotali officio, non est ex hoc suspensus à beneficio, neque à jurisdictione, solùm enim privat ab illis, quæ vel sunt de substantia sacerdotalis officii, vel illo sacerdotali officio exerceri non possunt, *arg. cap. significavit*, juncta Gloss. *v. officium, de corp. vitiat.* Cùm enim interdictum, aut suspensio sint de odiosis, & pęnalibus, ultra casum expressum extendi non debeat, ut in terminis agentes de interdicto tradunt Silv. *v. interd.* 4. *q.* 4. Armill. eodem verb. *n.* 28. Navar. *cap.* 27. *num.* 170. Sayr. *l.* 4. *cap.* 3. *num.* 15. Covar. *in cap. Alma mater p.* 2. §. 1. *num.* 4. Henriq. & Avila, quos sequitur Barbosa *num.* 8. Quia tamen sacerdotale officium est fundamentum Pontificalis, ideò suspensus à sacerdotali officio est suspensus à Pontificali, ut advertunt Gloss. & Franc. *num.* 3. Anchar. *num.* 2. Butr. & Dom. *n.* 7. Barbos. *n.* 9. *in fin.*

15 An verò è contra suspensus ab officio Pontificali sit suspensus à sacerdotali, ita quod si Episcopus, solemniter celebret sit irregularis affirmat Calder. *tr. de interd. mem.* 2. *q.* 3. Navar. *c.* 27. *n.* 163. & alii quidam, qui moventur ex eo, quod Episcopatus sit specialis ordo celebrare verò solemniter in apparatu Episcopali est talis ordinis, unde est, quod suspensus à Pontificalibus sit irregularis si celebret. Sed contrarium tenuerunt Gloss. hìc, Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 4. Dom. *n.* 8. Franc. *n.* 4. Innoc. *in c.* 1. *verb. a divinis, de sent. excom.* Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. §. 1. *n.* 1. *vers. secundum*, Graff. *p.* 1. *l.* 4. *c.* 25. *n.* 3. Pontificalia enim non sunt de substantia Ordinis, celebrationis, aut officii sacerdotalis. Hoc quoque tenendum, quod Episcopus suspensus à Pontificalibus, non fit irregularis, si celebret privatim, *ut ex reg. tex. in c. significavit, de corp. vitiatis*, post Silv. Navar. Avilam, & Henriq. advertit hìc Barb. *n.* 16.

16 Septimò notari debet ordo servandus à Conservatore in puniendo Episcopo. Qui est ut primo illum interdicat ab ingressu Ecclesiæ. Hęc est enim prima pęna & censura à qua Judices debent exordiri in coactionibus, & pęnis Episcopis inferendis *c. sanè il* 2. *sup. hoc tit.* de istarum sæpè in jure mentio fit modò sub nomine interdicti, modò sub nomine suspensionis, *ut infr. c. ult. de off. Ord. & c. Episcoporum, de priv.* & suprà *c. sacro, de sent. excom. & eod. tit. infr. c.* 1. Liberum tamen est Conservatori primo, vel interdicere Episcopo ingressum Ecclesiæ, vel Episcopum suspendere à sacerdotali officio.

17 *Ac deinde ab officio suspendatur.* Majorem pęnam esse suspensionem ab officio simpliciter, quàm sit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vel suspensionem à sacerdotali offi-

officio, aut à Pontificalibus benè advertunt Domin. *num.* 14. & Franc. *numer.* 3. Nam suspensio ab officio ex generalitate nominis officii primo importat suspensionem ab omnibus, quæ sunt ordinis, ut probatur ex textu *in versiculo stiturus, infrà de re judic.* & ex inductione, quam ex eodem textu facit, Suarez *disput.* 26. *sect.* 1. *numer.* 5. Deindè privat exercitio cujuscumque administrationis, & jurisdictionis, ut text. *in cap. Quia diversitatem, suprà de concess. prabend.* ubi Gloss. *in v. à suspensis*, Innoc. *num.* 4. Panormitanus *num.* 18. & alii contra Gloss. 1. *in cap. Audivimus* 24. *quæst.* 1. Quod idem docent hic Ancharan. *not.* 5. Domin. *num.* 8. Butr. *num.* 4. Franc. *num.* 3. Barbosa *num.* 10. Silvest. *v. suspensio num.* 5. Suarez loco citato, Sayr. *l.* 4. *cap.* 5. *à num.* 2. & communiter alii DD. Et quia in hoc textu est sermo de Episcopis hoc amplius consideratur, quod suspensio ab officio sic lata simpliciter privat eos etiam ab exercitio Pontificalium, quibus in exercitio officii sui uti potest, Silvest. ubi suprà, Tabien. *v. suspensio num.* 4. Sayr. *d. cap.* 5. *num.* 4. *&* 5. Barbosa hìc *num.* 11. Advertunt verò, Arclud. Anchar. & Franc. suspensionem ab officio privare jurisdictione ordinaria, non verò à delegata.

18 Si non sufficiant duæ censuræ, prius in Episcopum latæ, scilicet interdictum ab ingressu Ecclesiæ, aut suspensio à sacerdotali officio, & posteà suspensio ab officio simpliciter, durante contumacia aggravari potest censura, & hoc dupliciter, scilicet 1. ferendo excommunicationem in Episcopum, & 2. interdicendo terram subjectam jurisdictioni Epis. juxta textum *in cap. sanè il* 2. *suprà hoc tit.* Controvertitur tamen apud DD. quid veniat sub illis verbis dicti textus, scilicet, *terra illius*. Vincentius enim intellexit terram, quæ pertineat ad mensam Episcopi, & sic juxta hunc intellectum, non potest pro delicto Episcopi interdici Diœcesis illius, in qua non habet jurisdictionem temporalem, sed solum spiritualem. Quam sententiam sequuti sunt ibi Cardin. Barbat. & Panormitanus *num.* 7. & hìc Domin. *num.* 7. sed oppositum senserunt *ad d. cap. sanè*, Hostien. Felin. *num.* 2. Dec. *num.* 26. Fagnan. *num.* 10. Covarruv. *in cap. Alma mater part.* 2. §. 1. *numer.* 4. Suarez *de censur. disput.* 36. *sect.* 3. *num.* 7. Sayr. *l.* 5. *cap.* 11. *num.* 9. Barbosa hìc *num.* 13. Probatur verò hæc sententia, tum quia Civitas pro peccatis Regum interdicitur, *cap. Non est vobis de sponsalibus*, & pro peccatis Domini aut Rectoris, *cap. si sententia, infrà de sent. excommunic.* terra feudalis propter delictum vassalli, Cald. *de interd. mem.* 2. *quæst.* 17. Non verò potest assignari sufficiens ratio diversitatis; quinimò à fortiori potest interdici locus jurisdictionis spiritualis propter delictum Episcopi, quia interdictum est pœna spiritualis, *cap. quærenti, de verb. significat.* & in habentibus symbolum facilior est transitus *l. cum Aquilana, ff. de transact.* Prætereà Episcopus dicitur officialis communis, ut per Anchar. *cons.* 340. Et sic potest dici Rector Civitatis; ideòque in eo verificatur, quod dicitur *in d. cap. si sententia*, ibi, *Domini, vel Rectoris*.

19 Verùm rationabilior est prior sententia, quæ probatur ponderando verba textus *in d. cap. sanè*. Permittitur enim Delegato ut possit ob delictum Episcopi interdicto subjicere terram ejus. Modò Diœcesis non nisi impropriè, & metaphoricè dicitur terra. Campi enim, terræ, villæ, vineæ, sylvæ, Diœcesis non sunt Episcopi, & districtus corporalis, & localis merè materialiter se habet ad Diœcesim, & non pertinet ad Episcopum nisi ratione animarum, quæ in eo districtu vivunt, unde est quod terra solum in obliquo spectat ad Diœcesim, quæ formaliter est quid spirituale. Diœcesim enim non est terra, vel domus materiales, quæ sunt in hoc, vel illo districtu, sed est populus, qui est unum corpus spirituale ex unitate unius fidei Christi, & charitatis constans, cujus caput est Episcopus, *cap. scire debes* 7. *quæst.* 1. *& cap. quoniam in plerisque de off. ordin.* Hujusmodi autem corpus impropriissimè dicitur terra, ex eo quod sit populus comprehensus in aliquo terreno districtu. Cùm verò proprietas verborum in interpretandis legibus omnino amplecti debeat, nisi sequatur absurdum, ut certum est. Nulla ratio est, ut dicatur Pontificem *in d. cap. sanè*, per terram intellexisse populum fidelem, seu Diœcesim, & Ecclesiam, quæ est illa, quæ dicitur esse Episcopi. Terra igitur in dicto capite accipitur pro materiali districtu loci, at verò ut consideravit Panormit. *in d. cap. sanè*, & habetur ex text. *in cap.* 1. *de postulat. Prælat.* Terra, seu Civitas non est Episcopi, licèt in ea habeat jurisdictionem spiritualem, sed est Regis, aut Principis temporalis. Ideò non applicantur jura allata, locus enim ex delicto Regis, vel Principis temporalis, vel etiam Rectoris ejus meritò interdici potest, quia est illius, & rationabile est, quod crescente contumacia sæculares magistratus puniantur in se ipsis non solùm, sed in locis propriis, sed loca Diœcesis non sunt Episcopi. Et sic longè diversa est jurisdictio temporalis à spirituali; quia illa primò habet adjunctum proprium dominium locorum, quod non convenit jurisdictione spirituali per se, 2. quia esto jurisdictio temporalis sit ministerialis, & instrumentalis, qui illam administrat, si delinquit, potest esse quod delinquat ex causa domini, sicut frequentissimè accidit, & potest esse quod ex multiplici causa delictum ministri redundet in dominum loci, & sic potest qui habet jurisdictionem temporalem in proprii loci interdicto puniri. Sed Dominus jurisdictionis spiritualis est Christus impeccabilis; unde non convenit ut Christi grex puniatur ob delictum Episcopi, qui gregem suum custodit, & si delinquit, id facit omninò gregis Domino, & grege ipso inculpato. Unde etiam *in d. cap. sanè*, ponderatur dictio *specialiter*, & sensus germanus textus illius est, quod possit ob delictum Episcopi interdici terra ejus, quæ, scilicet, specialiter spectet ad jurisdictionem illius, eò quia in illa habeat etiam jurisdictionem temporalem, & terra illa sit illius propria per temporale dominium.

Crescente igitur in delinquente contumacia, justum est, 20
ut aggravetur pœna, Domin. *n.* 5. Crescere verò censetur contumacia, si delinquens judicem ipsum offendat vel verbis contumeliosis, vel factis, Gloss. *in v. aliter*.

Quærit autem Gloss. an si Delegatus procedens contra 21
Episcopum non servet ordinem in præsenti textu statutum, processus ipse sit nullus; ut si statim excommunicet Episcopum, sit nulla excommunicatio. Communiter verò dicitur hujusmodi processum, aut sententiam non esse nullam ipso jure, sic enim tenuerunt hìc Gloss. Domin. *in fin. num.* 4. *in fin.* Barbosa *num.* 18. *&* 19. Et comprobari potest ex eo, quod quando ordo juris in his, quæ non sunt de ordine justitiæ, non annullat, etiam si non servetur, quia solum respicit jus litigatoris, ut est celebris doctrina Gloss. *in sum. versic. Hoc tamen scias* 2. *quæst.* 1. quam sequitur Panormit. *in cap. rohibita num.* 2. *de Iud.* & pluribus comprobat Vantius *de nullit. tit. de nullit. ex defect. processus num.* 15. *&* 48. Nec obstat, quod Conservatores sint delegati, at verò nulliter agit Delegatus, si formam sibi præscriptam non servat. Quia hoc est verum de forma sibi in litteris delegationis præscripta à delegante, non verò de ordine procedendi statuto de jure communi, ut benè advertit Domin. & ex Sayr. & Navarr. Barbosa *numer.* 19. Verumtamen ut *num.* 7. tradit Domin. potest Episcopus ob hanc causam appellare, tunc enim licèt processus non sit nullus ipso jure, est tamen nullus, quia tamquam factus non servato ordine juris est annullandus.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

SI duo ex tribus à sede Apostolica delegatis, duobus aliis non in totum subdelegaverint vices suas, ipsique subdelegati cum delegato tertio in causa processerint delegata: si appellatur ab ipsis, non ad condelegatos, sed ad primum delegantem tantummodò appellari debebit.

SUMMARIUM.

1 *Finis istius decretalis.*
A duobus subdelegatis non in totum.
2 *Si duo ex tribus Delegatis subdelegaverint causam non in totum, non ad delegantes, sed ad primum delegantem est appellandum.*
3 *Utilius causas pluribus delegare.*
4 *Solus Papæ Delegatus subdelegat.*
5 *Delegatus potest non in totum subdelegare.*
6 *In quo casu à Subdelegatis appelletur ad proximum delegantem.*

1 QUoniam de jure à Subdelegato à delegato Papæ, qui non subdelegavit in totum appellatur ad delegantem, juxta *cap. si Delegatus infrà, & cap. super quæstionem, sup. eod. tit.* Quod hoc non debeat fieri in casu istius capitis decernitur à Bonifacio VIII. Et ut advertit Gloss. decretalis hæc data est declarationem eorum, quæ notarunt Bernard. Innoc. & Hostien. *in d. cap. super quæstionem.* Et cùm Tancred. olim sensisset in casu isto appellandum esse ad subdelegantes, hanc opinionem reprobavit Pontifex in hac decret. electa opin. Bernard. Innoc. & Hostien.

2 Hæc igitur est hujus textus conclusio, quod si duo ex tribus, quibus à Sede Apostolica delegata fuit aliqua causa, eam subdelegent non in totum duobus aliis, si in hac causa contingat appellari, non ad subdelegantes, sed ad primum delegantem est appellandum.

3 Colligitur causas nedum posse delegari pluribus judicibus, sed quod etiam sit utilius, ut *in cap. prudentiam, suprà eodem tit.* ubi de eorum jurisdictione in ordine procedendi, & pronunciandi communiter vel divisim agitur, & infrà *cap. per hoc de Heret. in hoc lib.* Anchar. hic *n.1.* Butr. *num.1.*

4 Ea autem ratione hoc dictum est à Sede Apostolica, quia Delegatus ab alio non subdelegat, *cap. Pastoralis sup. eod. tit.* Delegatus verò à Papa subdelegare potest. Et ideò si plures sint delegati à Papa ad cognoscendum eamdem causam, quilibet illorum potest subdelegare, Gloss. Anchar. *num.1.* Butr. *num.1.* Domin. *num.1.* Unde contingere potest casus istius decretalis, ut existentibus tribus ad eamdem causam delegatis, duo ex illis subdelegent vices suas, tertiò per se ipsum judicante.

5 Meritò quoque expressum est, quod subdelegatio non est facta in totum. Nedum ut cognoscatur, quod delegatus potest subdelegare suas vices, & jurisdictionem dupliciter, scilicet simpliciter, & in totum, nihil sibi reservando spectans ad judicium talis causæ, & secundùm quid, seu secundùm partem aliqua parte sibi reservata, ut notant Domin. *n.2.* Franc. *n.1.* Et ita quod Delegatus Papæ potest causam subdelegare, etiam non collegæ. Sed etiam quia ubi delegatus subdelegat causam simpliciter, & in totum, non est locus quæstioni; quia tunc semper appellandum est ad principalem delegantem, ut advertit Gloss.

6 Meritò quoque fuit expressum illud *Subdelegati cum Delegato tertio.* Nam si in rescripto esset clausula *Quod si non omnes &c.* Et tunc duo subdelegarent vices suas, tertius verò simpliciter se excusaret, & causam cognoscere nollet, in hoc casu à subdelegatis appellaretur ad subdelegantes, & non ad primum delegantem. Hoc enim satis manifestè indicat textus requirens, ut subdelegati cognoscant causam simul cum delegato tertio, ad hoc ut ad primum delegantem interponi debeat appellatio, Gloss. Joan. Andr. Domin. *n.3.* Franc. Barbosa *n.10.* Quod tamen explicant Domin. & Franc. ut procedat si ille tertius se excusavit simpliciter, non verò si sibi partem judicii reservavit, quia in hoc casu ad primum delegantem esset appellandum. Dictum est etiam, si adest clausula, *Quod si non omnes.* Quia ea clausula non posita, si ex tribus illis, unus se excusaret, & nollet causam cognoscere, alii procedere non possent, juxta textus *in cap. Causam 16. & cap. Cum causa 22.* & Uno 41. *suprà hoc tit.* Barbosa hic *num.10.* Menoch. *consil.340. à num.1. lib.4.*

SUMMARIUM.

7 *In appellando jurisdictio dignior debet considerari.*
8 *Hoc declaratur.*
9 *Appellatio non datur ad eumdem, vel ad æqualem.*
10 *Ab ordinario, & delegato appellatur ad Papam.*
11 *Plures in quibus à subdelegatis non appellatur nisi ad Papam.*
12 *Quando in appellando debeat fieri appellatio ad majorem.*

Quæst. unic.

ARTICULUS UNIC.

Quæ sit propria & adæquata ratio conclusionis hujus Decretalis.

DIversæ rationes assignantur, ob quas in casu hujus decretalis non sit appellandum ad condelegatos subdelegantes, sed ad primum delegantem. Prima ratio sumitur ex parte dignitatis Papæ. Quando enim ad cognoscendam eamdem causam concurrit mixtura diversarum jurisdictionum, ut quia sicut in causis hæresis simul causam cognoscunt ordinarius, & Inquisitor delegatus Papæ, sive cùm in eodem concurrunt ordinaria jurisdictio & delegata, sive cùm ut in præsenti casu, eamdem causam cognoscunt delegatus à Papa, & alii subdelegati à delegatis à Papa jurisdictio magis digna debet considerari in interponenda appellatione ab eorum sententia, etiam si alii sint plures, ut magis consideretur dignitas, quàm numerus; jurisdictio autem Papæ est dignior. Hac ratione utuntur Anchar. Butr. *n.2.* Domin. *n.2.* Barbos. *n.2.* 7

Sed cùm vera sit conclusio ab istis assumpta pro hac parte, quod ubi ad cognitionem ejusdem causæ concurrit diversitas jurisdictionum, ad nullum ex judicibus, qui cognoverunt de illa causa sit appellandum; hujus tamen causa non est, quia in appellando attendi debeat semper jurisdictio dignior. Nam si hoc esset verum, numquam ab infimo judice appellandum esset ad medium, sed semper appellandum esset ad primum, & supremum, cujus jurisdictio est major. Item suprà dictum est, quod ubi in rescripto sit clausula, *Quod si non omnes &c.* & tertius delegatus simpliciter se excuset, & causa solum à subdelegatis cognoscatur, tunc non appellatur necessariò ad Papam, sed potest appellari ad subdelegantes, non obstante, quod dignior sit jurisdictio Papæ. 8

Vera igitur ratio est, quia in hoc casu appellatio interposita ad delegatum, & subdelegantes careret qualitate substantiali ad appellationem necessaria, quia esset, vel ad eumdem judicem, vel ad judices æquales. In hoc enim casu, in quo causa cognoscitur à subdelegatis ab aliquibus delegatis, & à tertio delegato, vel appellatio interponeretur ad tertium delegatum, & simul alios delegatos, qui subdelegarunt, & sic appellatio esset ad eumdem judicem, quia esset ad illum judicem delegatum, qui simul cum subdele- 9

delegatis in priori instantia pronuntiavit, & partem vel gravavit, vel præsumitur gravasse, & ob hanc causam ab eo est appellatum. Vel appellaretur ad subdelegantes tantùm, & primò hoc non posset fieri, si in rescripto non esset clausula, *Quod si non omnes*, quia sine illa clausola delegati subdelegantes non possuot sine illo tertio delegato causam cognoscere. Nec obstat, quod ille jam causam cognoverit pro sua parte; quia adhuc non est extincta ejus jurisdictio, imò si pronuncietur malè appellatum potest prosequi ad suæ sententiæ executionem. Secundò cùm illi delegati subdelegantes sint in jurisdictione æquales illi tertio delegato, à quo est appellatum, semper appellatio esset ad æqualem judicem, quod est contra substantiam appellationem, juxta *l.*1. *§.si quis*, *ff. de appellat.* & *cap. Anteriorum* 2. *quæst.*6. & ita hac ratione utuntur, Gloss. hic *in v. ex tribus*, & *in v. Cum delegato*, Jo. Monac. *numer.*2. & 5. Prob. *num.*2. Anchar. *not.*3. Barbos. *num.*2. Butr. *num.*2. Jo. Andr. *in addit. ad specul. part.*2. *tit. de appell. §. nunc tractemus n.*11. Scacc. *de appellat. q.*8. *n.*39.

10 Et hæc etiam est vera causa propter quam si eandem causam cognoscant Ordinarius, & delegatus, ut in causa fidei Inquisitor & Ordinarius, ad nullum illorum, sed ad Papam est appellandum, Anchar. hic *not.*3. Butr. *num.*2. Panorm. *d. cap. super quæstionem §. si verò n.*5. Barbosa hic *n.*3.

Colligitur verò ex his idem dicendum in subsequentibus
11 casibus. Primò scilicet quando ex tribus Delegatis unus tantùm non in totum subdelegavit suas vices. Secundò quando ex duobus delegatis unus subdelegavit non in totum suam jurisdictionem alicui. Tertiò quando ex tribus duo eidem subdelegarunt vices suas. Quartò quando sunt duo tantùm delegati, & ambo committunt vices suas, sed unus non in totum, sed solum pro parte, reservandi sibi aliquid jurisdictionis in illa causa. Quintò si ex tribus delegatis duo, vel unus alteri collegæ subdelegarunt: in omnibus enim & similibus casibus appellatio non potest fieri ad diversum judicem, & superiorem judice, qui pronuntiavit, nisi appelletur ad Papam primum delegantem, quia nullus delegatorum est superior alio delegato à Sede Apostolica, & delegatis hujusmodi solus Papa est superior. Videatur Gloss. *in v. ex tribus*, & *v. Cum delegato*, Anchar. Archid. & Franc. in Gloss. 2. Domin. *n.*3. Jo. Andr. & Innoc. Panorm. & Felin. *in d. cap. super quæstionem*, Scacc. *d. q.*8. Barbosa hic *n.*7. & 8.

Quod tamen dicebatur suprà de nobilitate Judicis in 12
alio casu habet locum, & est servandum; quando scilicet Judices plures, à quibus appellatur, habeat plures superiores non subordinatus, ad quos alias posset appellari à quocumque illorum judicum, sed illorum superiorum unus est alio major, nobilior, & superior. In hoc enim casu ad nobiliorem est appellandum. Sic si de eadem causa cognoscunt sæcularis, & Ecclesiasticus delegatus, appellatio de jure ad Ecclesiasticum judicem devolvitur juxta doctrinam Grat. *discept.*100. *num.*51. Bartol. & Felin. quos refert & sequitur Barbos. *num.*4. In hoc enim casu verum est illud axioma, quod id, quod est potentius trahit ad se naturam minus potentis, licèt minus potens numero excedat, *cap. quod in dubiis*, *in fin.* & ibi Gloss. *de consecrat. Eccles. cap.*1. *eod. tit. hoc lib.* Barbos. hic *n.*5.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T IV.

SI contra unum ex duobus judicibus cum illa clausula: quòd si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat: à Sede Apostolica delegatis, suspicionis causa legitima proponatur, causa ipsa suspicionis coram non recusato conjudice (ad quem ex vi prædictæ clausulæ debet ipsius causæ cognitio pertinere) probari, & ab eo expediri debebit. Ubi verò non est dicta clausula in rescripto: debet super hoc ad arbitros recursus haberi. Cùm autem ipse delegatus Episcopi recusatur: recusationis causa coram Episcopo est probanda. Idem est si officialis recusetur ejusdem: licèt ad ipsum, ab eodem officiali nequeat appellari.

S V M M A R I V M.

1 *SVmma textus.*
2 *Recusari potest Iudex. Et quid sit recusatio.*
3 *Remedium suspicionis longè diversum ab appellatione.*
4 *Arbitrorum electio in Vrbe recessit ab aula.*
5 *Regula textus.*
6 *Vnus delegatorum potest recusari non recusato alio.*
7 *Si recusatus, & non recusatus simul procedatur, nullus est processus.*
8 *Vno delegato recusato cur ejus recusationis causa ab alio cognoscatur.* 9.
9 *Papa causam pluribus committit.*
10 *Clausularum triplex genus.*
11 *Clausula praelectiva.*
12 *Clausula alternativa.*
13 *Dictio* non *posita post terminum universalem facit propositionem universalem negativam.*
14 *Non possunt ambo cognoscere si unus non vult id facere.*
15 *Non potest, qui abest.*
16 *Non potest infirmus, vel aliis occupatus.*
17 *Vt requiratur conjudex sufficit una requisitio.*
18 *Constare debet de condelegati impotentia.*
19 *Hoc limitatur secundùm Felin.*
20 *Qualiter constare debeat de impedimento conjudicis.*
21 *Alia quæstiones, remissivè.*
22 *Collega impeditus si alios velit impedire, potest coerceri.*
23 *Etiam inferiores rescribunt cum clausula* si non omnes.
24 *Causa suspicionis unica ad recusandum Iudicem, & ejus exempla.*
25 *Clausula* quod si non omnes *devolvit in non recusatam jurisdictionem, etiam ad cognoscendam causam suspensionis.*
26 *Vbi est clausula*, quod si non omnes, *causa recusationis debet proponi etiam coram non recusatis judicibus.*
27 *Causa recusationis debet probari.*
28 *Sed non coram recusato.*
Iudex non cognoscit de exceptione declinatoria concernente ejus personam. 28.
29 *Pendente causa suspicionis silet causa principalis.*
30 *Sententia transit in judicatum si non appellatur.*
31 *Causam suspicionis sui delegati cognoscit Episcopus.*
32 *Idem quando recusatur subdelegatus in totum à delegato Papa.*
Et etiam si subdelegatus in totum recusetur antequam citaverit. 32.
33 *Absente Episcopo Vicarius cognoscit causam suspicionis delegati ab Episcopo.*
34 *Causam suspicionis Episcopi cognoscunt arbitri.*
35 *Recusato inferiore non censetur recusatus superior, sed è contrà.*
36 *Si ratione dignitatis recusatur aliquis, recusatio transit ad successorem.*
37 *Episcopus est Iudex recusationis sui Vicarii.*
38 *Vbi plures Vicarii quid agendum.*

39 *Non*

39 *Non est eadem ratio de recusatione, & appellatione.*
40 *Ubi Vic. Episcopi sit suspectus, Episcopi alteri causam committunt.*
41 *Recusato officiali superior cognoscit de suspicione.*

1 CUm secundùm jura quando aliquis judex recusatur tamquam suspectus, an recusatio sit legitima videri debeat per Arbitros, Pontifex in hac decretali excipit tres casus, in quibus causa recusationis per alios examinatur.

2 Potest igitur Judex suspectus recusari tam in Civilibus, quàm in Criminalibus, & sive procedat per accusationem, sive per inquisitionem, juxta textus *in l. apertissimi, C. de judiciis, cap. quod suspecti 3. quæst. 5. & cap. cum speciali, & cap. fin. de appellat.* unde Hostien. *in tit. de recusat. jud. delegati num. 1.* dicit, quod recusatio est ob justam causam suspicionis contra Judicem proposita audientiæ ejus judicis declinatio canonicè allegata. Quam tamen definitionem soli justæ recusationi competere adnotavit Jo. Andr. *ad speculat. in tit. de recusat. lit. D*, Nam recusationes absolutæ aliæ dantur descriptiones, quas recenset Farinac. *in fragm. crimin. part. 2. lit. I, n. 685.*

3 Remedium verò recusationis judicis longè diversum est, à remedio appellationis: nam appellatio supponit gravamen jam illatum in judicio, sed revocatio innititur suspicioni gravaminis inferendi: ideò duo ista remedia confundi non debeat, sed observandum, quod titulo solius suspicionis non potest appellari. Quamvis si judex recusatus ad ulteriora in causa procedere velit, tunc recusans ab illato gravamine appellare possit, ut probant Innoc. *in cap. cum speciali, de appellat.* & ibi Hostien. Boich. *n. 9.* Anchar. *n. 1. & 2.* Bellam. *n. 1. 3. & 5.* Imol. *n. 16.* Butr. *n. 8.* Panorm. *n. 6.* Anan. *n. 3.* Franc. *n. 6.* Præp. *n. 11.* Advertit verò Farin. *in frag. crim. part. 2. lib. I. n. 973.* quod nec valet appellatio ratione suspicionis conditionatè interposita, nimirum quatenus recusatio rejiciatur.

4 Advertit quoque Farin. ubi suprà *n. 929.* quod Judice recusato suspecto arbitrorum electio recessit ab aula in Urbe, & in statu Ecclesiastico. Nam in urbe in curia capitolii servatur particulare statutum, de quo *in l. 1. cap. 12.* in aliis verò Tribunalibus causa suspicionis Judicis, sive Ordinarii, sive delegati cognoscitur coram Pontifice in signatura justitiæ, quæ providet vel de alio judice, vel de adjuncto ad ejus arbitrium. Imò in Urbe, ubi Superior Tribunalis non sit suspectus, causa recusationis solet quandoque cognosci à superiore illius Tribunalis, ut ab Eminentissimo Urbis Vicario, Gubernatore, vel Auditore Cameræ, & quatenus ab istis non provideatur, recurritur ad signaturam. Extra Urbem verò, hæc causa cognoscitur à Præsidentibus Provinciarum, si adsunt, sin minus coram S. Consulta.

5 Hæc verè est prima regula statuta in hac decretali; quia nimirum si contingat, ut datis duobus judicibus delegatis à Sede Apostolica, cum clausula, quod *si ambo non possunt*, alter eorum procedat unus illorum allegetur suspectus ex causa legitima, tunc suspicionis causa cognoscatur ab altero conjudice non recusato. Sed ubi in rescripto non est dicta clausula, debet ad arbitros recursus haberi. Nam si causa pluribus committitur simpliciter sine clausula, tunc unus sine alio non potest causam cognoscere. Non interest quod ex eis aliquis sit impeditus, quia exercitium jurisdictio non est in singulis in solidum, sed in omnibus simul; unde si omnes non conveniant, non habent jurisdictionem. Quamobrem uno suspecto, totum Tribunal est suspectum, ac si singuli suspecti essent, *cap. uno delegatorum, de off. deleg.* Gloss. & DD. *in cap. prudentiam eodem tit.* Nevo *in cap. Cum inter n. 5. de except.* ubi Panormit. *n. 3.* Anchar. *in cap. insinuant n. 2. de off. deleg.* ubi Zabar. *n. 1.* Jo. Andr. *in cap. causam quæ n. 2. de off. delegat.* Lancell. *de attent. cap. 6. n. 21.* Farin. *in fragm. Crim. lit. I, n. 773.* Et ideò intrat dispositio hujus textus, ut uno Judicum recusato eligantur Arbitri, qui de causa recusationis cognoscat, quia idem est ac si essent suspecti omnes. Et hinc oritur regula generalis servanda etiam in recusatione ordinariorum judicum, quando Universitas, Concilium, Collegium, Senatus, &c. recusentur; quia si totum corpus recusetur eligendi sunt Arbitri, idemque faciendum, si tot ex universitatis corpore recusati fuerint, ut non remaneant ex non recusatis tot, qui constituant corpus in quo maneat jurisdictio. In hoc enim casu in idem coincidit, ac si totum corpus fuisset recusatum: imò verè totum est recusatum ex recusatione partium in eo numero, quo ablato corpus non remanet.

Supponit textus, quod ex pluribus judicibus à Sede Apostolica deputatis unus illorum possit recusari non recusatis aliis, prout admissum fuit, *cap. Causam quæ, de off. delegati.* 6

Et pariter supponit, quod si revocato uno ex pluribus conjudicibus datis à Sede Apostolica, nihilominus judices non recusati simul cum recusato procedant in causa processus non valeat, ob admixtionem conjudices inhabilis, *c. cum super, de off. deleg.* Felin. *in d. c. causam quæ, n. 1* Franc. *in cap. postremo nu. 20. de appellat. & cap. cum speciali n. 28. de appellat.* ubi Alex. de Nevo *n. 6.* Farin. *in fragm. Crim. lit. I, num. 771.* & ad hanc decretalem DD. omnes. 7

His suppositis igitur necessariò prius examinanda est causa suspicionis, ut videatur an conjudex recusatus possit, vel non possit judicare, cùm id facere velit, non potest alius conjudex sine eo causam expedire, quia clausula continet, quod solum unus ex illis de causa cognoscat, si alius id facere non possit. Et ita ad hoc ut ex duobus judicibus datis unus solus procedat, necesse est, ut de impotentia alterius constet, debet ergo constare de justa recusatione conjudicis ad hoc ut alter solus possit in causa procedere. Hæc verò causa decernitur cognoscenda ab alio conjudice non recusato, si causa commissa est cum clausula, *Quod si ambo &c.* prout decernitur in hac decretali, & tradunt Gloss. & alii DD. hîc *ad cap. cum speciali, de appellat.* Franc. & Præp. Mediol. *n. 8.* Nevo *n. 6.* & alii plures, quos refert Farinac. ubi suprà *n. 772.* Si tamen ille recusatus se excusaret, & nollet causam delegatam cognoscere, non esset necesse illius suspicionis causam examinare. Et ita tenent hîc communiter Canonistæ, & Franc. *in cap. cum speciali n. 1. de appellat.* ubi Præpos. Mediol. *n. 8.* Nevo *n. 6. & in cap. cum inter n. 6. & 7. de except.* Imol. *in cap. suspicionis n. 1. de off. deleg.* & ibi Anan. *n. 4.* Jo. Andr. *in cap. causam quæ nu. 2. de off. deleg.* & ibi Butr. *n. 8.* Laur. *de jud. susp. cap. 4. n. 13. & 14.* Farin. ubi suprà *n. 772.* Ex quo ad omnes Judices regula generalis deducitur, ut cùm Universitas, Concilium, Senatus, Collegium, Capitulum est judex, si recusentur plures, ita quod recusatis demptis remaneat corpus substantialiter, scilicet tot quot sunt necessarii, & sufficiunt ad exercitium jurisdictionis, vel si remaneat caput, in quo radicata sit jurisdictio, ut si in synodo Diœcesana recusentur omnes præter Episcopum; tunc in his casibus cognoscere causam recusationis spectaret ad corpus, vel respectivè ad caput universitatis, in quo aliis demptis & impeditis remanet exercitium jurisdictionis, nec eligendi sunt Arbitri. 8

Notandum primò, quod Papa causas pluribus committit, & tunc impedimentum unius conjudicis præjudicat omnibus juxta decisa *in cap. Prudentiam, de off. deleg.* ut non illi in causa procedere valeant, nisi qui est impeditus subdeleget vices suas alicui, qui cum aliis non impeditis causam cognoscat, ut hîc notat Butr. *n. 1.* Sed si causa committitur cum clausula, *quod si ambo &c.* tunc non impeditus alio impedito causam cognoscit. Sed benè advertit Gloss. quod in hoc eadem est ratio, si causa commissa fuerit duobus, vel tribus, vel pluribus, cùm eadem sit ratio. Et sic si causa commissa fuerit tribus cum clausula dicta uno eorum recusato, causam recusationis cognoscent alii duo. Vel si duo recusati fuerint, eamdem recusationis causam cognoscet tertius non recusatus. 9

Notandum secundò, quod Sedes Apostolica aliquando committit pluribus judicibus causam simpliciter, aliquando cum clausula. Plures autem sunt clausulæ, vel modi rescribendi, ut advertunt Gloss. & DD. infrà *in cap. Cum omnes, hoc tit.* Triplex autem genus clausularum adhiberi solet. Primum est clausularum communium utrique judici, seu singulis judicibus delegatis. Tales clausulæ sunt istæ, scilicet, *quod si omnes &c.* vel *quod si ambo interesse non possunt duo*, vel *alter eorum in causa procedat*. De quibus clausulis mentio est *in cap. sciscitatus 13. de rescript. & in cap. Prudentiam, & in cap. quamvis, suprà de off. deleg. & in hoc cap.* Et hæ clausulæ & similes dicuntur communes singulis condelegatis judicibus, quia & quilibet eorum potest esse impeditus, & quilibet eorum, si alii vel alius sint impediti potest in causa procedere. Et nihilominus limitationem continent, & conditionem communem, ut nullus ex judici- 10

dicibus condelegatis possit sine alio, vel aliis procedere in causa, nisi alius, vel alii sint impediti *l. si duo, ff. de re jud. cap. cum causa, de off. deleg.* & deducitur *ex cap. sciscitatus, de rescript. & cap. prudentiam, de off. deleg.* Et tradunt Gloss. hic *in v. non possunt*, Aocbaran. *n.* 1. Domin. *n.* 8. & reliqui omnes. Item Vantius *de nullit. tit. de nullit. ex defect. jurisdict. ordinat. d. num.* 180. *& tit. de def. null. delegata num.* 36. Matant *part.* 4. *dist.* 6. *num.* 31. Covarr. *practic. quaest. cap.* 26. *num.* 5. Marchel. *de commiss. part.* 1. *cap.* 6. *tit. de appellat. extra Rom. Curiam nu.* 100. *in ult. impress.* Barbos. *claus.* 125. *num.* 4. Et sic ubi pluribus causa committitur cum hac clausula, *quod si non ambo &c.* vel *quod si non omnes &c.* jurisdictio quantum ad sui usum, & exercitium non tribuitur singulis in solidum, ut bene notat Panormitan. *in d. cap. Prudentiam n.* 2. Sed sic conceditur omnibus, quod quilibet illorum, non potest uti jurisdictione nisi alio impedito, & nolente vices suas alicui delegare.

11 Secundum genus clausularum, est cum clansula praelectiva, ut cùm dicitur, *quod si non ambo*, vel *non omnes possunt interesse, tu frater Episcope procede*. Et per hanc clausulam eligitur industria Episcopi, & ita quod licèt clausula conditionem importet, neque Episcopus possit in causa procedere nisi alii sint impediti, vel nulli delegaverint vices suas. Tamen est discrimen, quod stante impedimento Episcopus solus sine aliis conjudicibus, potest causam cognoscere; sed nullus alius potest hoc facere sine Episcopo, cujus industria fuit praelecta, *cap. coram, de off. deleg.* ubi Panormit. *n.* 3. Marches. ubi suprà *n.* 106. & de hac clausula loquuntur hic Gloss. *in v. probari*, Butr. *n.* 10. Domin. *n.* 8. Franc. *n.* 5. Unde in hoc casu vel recusatur ille, ad quem sermo dirigitur, & potest sine aliis procedere, & sufficit quod causa recusationis coram illo proponatur. Nec alii possunt de hac causa recusationis cognoscere, quia sine illo, ad quem dirigitur rescriptum, & qui in hoc casu recusatur nullam habent jurisdictionem. Et ideò tunc eligendi sunt Arbitri, vel juxta praxim recurrendum erit ad Superiorem, quia illi alii causam suspicionis cognoscere non possunt, Gloss. hic *in v. probari*, Archid. *in v. proponatur*, Butr. *n.* 10. Franc. *n.* 5. Sed si recusantur alii conjudices, causam recusationis cognoscit is cui rescriptum dirigitur, vel solus, vel cum alio, aut aliis non recusatis; quia ipse vel solus, vel cum aliis habet jurisdictionem in causa principali, & ex consequenti, in causa suspicionis, quae est accessoria, Pasqual. *decis.* 355. *n.* 5.

12 Tertium genus est clausularum alternativarum; ut cùm dicitur, ut *omnes, aut duo*, vel *unum Judicum mandatum exequatur*. Vel dicitur: *Horum uni, aut cuilibet &c.* Et de hujusmodi genere est sermo *infra cap. cum plures, in hoc tit.* Et per hanc clausulam cuilibet Judicum datur in solidum nedum jurisdictio, sed ejus usus, & exercitium, & judicum delegatorum quilibet etiam aliis non impeditis, & minimè requisitis potest in causa procedere, ut colligitur *ex d. cap. cum plures*, & tradunt Felin. *in cap. sciscitatus n.* 26. *de rescript.* Mart. *de ordin. jud. part.* 4. *dist.* 16. *n.* 6. Marches. ubi suprà *n.* 101. Unde horum judicum si unus praeveniat, & incipiat cognoscere causam, alii non possunt se intromittere, & si id faciant processus est nullus. Per illam enim clausulam jurisdictio alternativè tribuitur, unde sufficit unius judicis electio, juxta regulam, *In alternativis, de reg. jur. in hoc lib.* Est verò difficultas, si horum judicum aliquis recusetur, apud quem sit probanda, & cognoscenda recusationis causa. Quoniam enim in hoc textu dicitur tunc collegam cognoscere de recusatione alterius, quando adest clausula, *quod si non ambo &c.* igitur ubi est alia clausula diversa, unus collegarum causa recusationis alterius cognoscere non poterit. Et ideò tunc eligendos esse arbitros ex Covarr. *pract. quaest. cap.* 26. *n.* 5. tradunt Farinac. *in fragm. crim. lit. I, n.* 775. Laur. *de Jud. suspecto cap.* 6. *n.* 7. Fermos. *cap. si quis contra 4. de for. compet. q.* 3. *n.* 3. Peyr. *in subd. q.* 1. *cap.* 19. §. 2. At è contra Sanchez *lib.* 6. *consil. cap.* 8. *d.* 3. *n.* 25. existimat, quod in hoc casu judicium de revocatione unius spectet ad alium ex nominatis, & delegatis. Et ratio est, quia ex vi *cap. cum plures, infr. in hoc tit.* Quando causa est commissa pluribus cum clausula alternativa, unus eorum, si inchoato judicio impediatur alter ex delegatis subintrat in cognitione causae, qui verò est recusatus, censetur impeditus, igitur alterius est cognoscere an hoc impedimentum sit legitimum, ut possit ipse, si opus sit subintrare. Et ita dicendum est, si delegatus recusatur re non integra, sed si res sit integra. Quia v. g. delegatus nondum inchoavit negotium, non est opus arbitris, vel alio, qui de causa recusationis judicet, quia quilibet ex non recusatis potest cognoscere causam principalem, & sic nihil interest, an eorum aliquis sit, vel non sit recusatus. Nec obstat ratio prioris opinionis, quia cùm deputantur Judices cum clausula alternativa, implicitè in rescripto continetur clausula, *Quod si non ambo &c.* dum res non sit integra, quia tunc alter non revocatus, seu non impeditus, potest causam cognoscere, ac si commissa fuisset cum clausula praefata, *Quod si non ambo &c.*

13 Notandum tertiò circa illam clausulam *Ambo interesse non possunt*. Quod malè dictio *non* posponatur ad dictionem *ambo*, dixerunt Jo. Monac. *n.* 1. & Butr. *n.* 5. Eo quia oegatio posposita termino universali collectivo facit sensum universalem, & aequipollet universali propositioni negativae; idem enim est dicere *omnes non possunt*, & dicere *nullus potest*, quia si aliquis potest; falsum est, quod omnes non possint, quia omnes non posse, & quosdam posse sunt contradictoria. Et ita idem est dicere ambo non possunt, & dicere neuter potest. Quod si ex duobus conjudicibus neuter potest, non potest habere locum casus textus, ut ex duobus alter procedat, sed neuter procedet, cùm neuter possit procedere. Sed contrarium sentiunt Archid. Jo. Andr. Domin. *n.* 4. Franc. *n.* 1. allegantes *cap. praesentiam, §. adiicimus, sup. hoc tit. & cap. coram de empt. & vendit.* Unde Dom. ait, quod licèt regula data à Jo. Monacho sit vera secundùm Logicos, non est tamen vera secundùm Juristas. Sed dicendum est, quod tam apud Logicos, quàm apud Juristas in proprietate sermonis, propositio in qua termino universali collectivo posponitur negatio, aequipollet universali negativae, quia tunc ex usu & proprietate loquutionis dictio *non*, non negat immediatè universalitatem subjecti, ut sic faciat quod subjectum propositionis sit particulare, non verò universale; sed immediatè, & per se de subjecto universali negat praedicatum, quod est proprium universalis negativae. Cùm enim dico omnis homo non currit, dictio *non* afficit praedicatum, scilicet cursum, & sic de subjecto universali, scilicet de omni homine cursum negat, quod non est verum nisi quilibet non curtat. Ita dum dicitur ambo non possunt in proprietate sermonis quod negatur est posse, & hoc negatur ambobus, & sic negatur utrique, & sensus est, quod uterqueooo potest. Nihilominus minus propriè loquendo, & minus usitatè potest dictio *non* postposita termino universali accipi, ut neget immediatè universalitatem subjecti, & idem significet, ac si proponeretur, ut idem sit *non omnis*, & *omnis non*, sive *non ambo*, & *ambo non*, & tunc non fiat propositio aequivalenter particularis, Idem enim est non omnis homo potest, & quidam non potest. Et idem est, non ambo possunt, & unus amborum oon potest. Et in hoc sensu accipitur hic propositio, *quod si ambo interesse non possunt*, quamvis verè hic sensus sit improprius.

14 Notandum quartò circa illa verba *Non possunt*, quod plura circa illa consideranda sunt. Et primò quaero, qui sint illi, qui dicendi sunt non posse? Et dicitur primò illum censeri debere impotentem ad effectum hujus textus, qui non vult. Nam hic principaliter consideratur impotentia, per quam unus judicum fit impotens, ut habeat conjudicem, & cum illo causam cognoscat, haec verò impotentia consurgit, si alius conjudex non vult causam cognoscere, ideò idem est, si *non ambo possunt*, & si *non ambo volunt*, quia unus omninò renuit causam commissam cognoscere. Ita ex *cap. sciscitatus, de rescriptis*, & ex *cap. prudentiam, §. adjicimus, sup. hoc tit.* tradunt hic Jo. Monac. Archid. Butr. *n.* 6. Anchar. Domin. Franc. *n.* 4. Quod idem voluit Panormitan. *d. §. adjicimus n.* 2. Felin. *n.* 13. Baldus *n.* 5. Verum est, quod ut advertunt DD. isti, qui se excusaret à cognitione causae ex eo quia nollet puniendus esset, tamquam litterarum Apostolicarum contemptor.

15 Secundò dicitur non posse, qui longè abest, ut commodè non possit requiri. Ita tenent Jo. Andr. Ancharan. *num.* 4. Franc. *n.* 4. Domin. *n.* 8. Butr. *num.* 8. Quod probant primò *ex cap. praesentata, sup. de test.* ubi longa absentia aequiparatur morti; sic igitur sicut non debet requiri mortuus, sic nec debet requiri longè absens. Secundò id probant *ex cap.* 2. *infrà de procurat.* ibi aut in longum peregrinari. Et certè si conjudex voluntariè se absentet, seu maneat longè à loco, in quo habendum est judicium, ille dicitur non posse, quia absens

absens non potest adesse judicio, quod in alio loco haberi debet. Et sic ad hunc effectum sufficit, quod conjudex sit extra locum, in quo causa cognosci debet. Sed ad effectum ut non requiratur ad hoc, ut si velit possit venire ad locum judicii, & adesse, magna distantia requiritur, & tanta, ut nonnisi cum magna incommoditate possit vocari, *argum. ex cap. Quia propter, de elect. in antiq.*

16 Tertiò dicitur non posse, qui sine gravi damno rerum suarum causam commissam non potest cognoscere. Non sufficit verò leve periculum damni, ut quis dicatur impotens, & possit se excusare ab executione mandati Papæ, sed ubi immineat grave periculum rei familiaris, non est verisimile (nisi id expresserit) quod Papa velit cum tanto periculo obligare delegatum ad exequendum mandatum, *arg. ex cap. super eo, sup. eod. tit. & cap. Apostolica, de donat.* Et id consideravit Panorm. *d. §. adjicimus n.3.* Multò magis posteà dicitur non posse, qui est infirmus, vel in carceribus detentus, vel aliis necessariis negotiis occupatus, quæ negligere non potest.

17 Interrogo secundò, an & quoties conjudex impeditus requiri debeat? Est verò indubitatum, quod collegam est necesse requirere notificato ei mandato Apostolico. Quod tamen limitatur juxta dicta *n.15.* nisi adeò longè absit, ut non nisi cum notabili incommodo requiri possit. Sed dubium est an sit necessaria trina requisitio, vel sufficiat una. Sed quidquid in contrarium dixerit Hostien. *in cap. cum causam, de off. deleg.* dicitur unam requisitionem sufficere, prout hic docuerunt Archid. Anchar. Butr. *n.7.* Domin. *n.6.* Franc. *n.4.* Trina enim requiritur ubi lex exprimit, & trinam requirit, sed ubi hoc lex non exprimit una sufficit. Quod præcipuè verum est, ubi non agitur ad convincendam alicujus contumaciam, sed ad sciendum præcisè an velit, & possit aliquid agere, nimirum ad notificandum illi mandatum Papæ, ut sciatur si possit, ac velit illud exequi, & commissam sibi causam cognoscere, ad effectum ut pars non gravetur, sed alius collega possit ipse causam cognoscere sibi commissam, & expedire.

18 Interrogo 3. an debeat constare de impotentia alterius Collegæ ad hoc, ut unus solus procedere possit in causa commissa cum dicta clausula, *Quod si non ambo &c.* Et respondetur constare debere, & ita quod delegatus non impeditus non habet liberum exercitium jurisdictionis sibi delegatæ, nisi de alterius condelegati impotentia constet, & ita quod si sic procedat, nec citatus teneatur comparere, nec processus sit validus. Exercitium enim jurisdictionis est apud omnes, non apud singulos, nisi de aliorum impedimento constet, Gloss. Jo. Monac. Archid. Anchar. Butr. *n.2.* Et habetur expresè *sup. cap. prudentiam, eod. tit.* ubi Panorm. *n.2.* Baldus *n.1.* & cæteri Canonistæ, Marches. *part. 1. cap. 6. n. 100.*

19 Nihilominus Felin. *in cap. sciscitatus n.12. de rescript.* existimat quod in caso illius textus regulariter non sit necesse, quod impedimentum unius collegæ sit notum alii, sed sufficiat impedimentum adesse, allegans Domin. *infr. in cap. cum plures hoc tit.* & Archid. ibid. Hic enim non fit prorogatio jurisdictionis, sed sola remissio probationis. Sic enim Rota *decis. 1. de probat. in antiquis*, dixit valere processum duorum, si probabitur tertium fuisse impeditum, etiam si ipsi in processu nescriverint impedimentum tertii. Hoc tamen limitat primò ut non procedat, quando verificatio conditionis inducit incrementum, vel consolidationem jurisdictionis; ideò delegatus ante litterarum præsentationem nullum habet exercitium jurisdictionis, etiam si sciat literas datas fuisse suæ delegationis, ut probat Rota *decis. 6. de off. deleg. in novis*; quia licèt fieri possit sola Principis voluntate, ut habitus jurisdictionis transfundatur in aliquem etiam invitum; executio tamen jurisdictionis non habetur nisi media præsentatione litterarum. Limitat secundò ut sua assertio non procedat nisi in impedimento perpetuo, vel temporali inevitabili, quia illud non est necesse limitare. Secus de impedimento temporali evitabili, in quo est necessaria protestatio, aut exceptio. Quale est impedimentum recusationis, aut incommoditatis, aut voluntatis.

20 Interrogo quartò, qualiter constare debeat de impotentia condelegati, ut alter possit sine illo causam delegatam cognoscere? Respondetur quod Gloss. *in cap. prudentiam, sup. tit.* existimat, quod hoc constare debeat per nuntium, qui sit probatæ fidei, & qui sit destinatus cum litteris, Innoc. requirit quod hic nuntius sit bonæ fidei, & opinionis, & famæ, sed Hostien. quod nuntius iste potest esse infamis, dummodò sit canonicè destinatus, Goffred. ait, quod Nuntio creditur sine litteris; nam si deberet portare litteras, non esset necesse, quod Nuntius esset. Et Vincentius asserit, quod huic Nuntio creditur sine juramento, Panormit. *n.21.* existimat, quod Nuntius iste debeat esse indubitatus, ut puta juratus, aut ita notus, & fidelis, ut de eo non sit dubitandum, Barbosa ibid. *n.10.* distinguit, quia si nuntius sit publicus, illi credendum est etiam si non deferat litem, sed si sit privatus non creditur sine litteris. Hoc unum est certum, quod nuntius talis esse debet, ut ejus dictum sit indubitatum. Addit verò Panormit. ex Gloss. quod fides impedimenti debet fieri coram aliis conjudicibus, quia est quo jurisdictio est recasura in personas judicum, ipsi sunt judices super impedimento & *n.22.* subdit, quod si isti conjudices malè pronuncient super impedimento, valet sententia, quia hoc faciunt auctoritate legis.

21 Posset etiam quæri an citatus à duobus conjudicibus teneatur comparere? & an tertius Judex non requisitus possit ratum habere processum factum ab aliis duobus. Sed de his agitur ex professo *in d. cap. prudentiam*, videantur DD. ibi, sicut & *in cap. cum Bertoldus, de re judic.* ut notat hic Francus *n.4.* tractatur quæstio, an si collega voluerit probare se non potuisse venire, quia fuit impeditus justa causa, an cassabitur quod est factum.

22 Pro nunc hic consideretur, quod si collega requisitus, voluerit impedire alium, vel alios conjudices, ne procedant in causa, poterit per illos coerceri, & excommunicari, quia ipsi habent jurisdictionem contra impedientes, Ancharan. & Butr. *n.7.* quod tamen est verum si constet de impedimento conjudicis, aut ejus voluntate, scilicet quod sit impeditus ne possit causam cognoscere, vel quod id nolit facere, Franc. *num.4.* Si enim de ejus impedimento non constet, vel de illius voluntate, non potest conjudex contra alium procedere impedientem, quia non est solus judex, ut patet *ex cap. prudentiam, & cap. cum causam sup. eod. tit.*

23 Notandum quintò, quod idem dicendum est de delegatis à quocumque inferiori, ut à Legato, vel Ordinario. Nam secundùm doctrinam Goffred. etiam Legatus, & Ordinarius in suis commissionibus possunt apponere hujusmodi clausulam, *Quod si non omnes &c.* vel *quod si non ambo, &c.* Et ubi illam ponant verificantur de eorum delegatis, quæ hic traduntur de delegatis Sedis Apostolicæ, Gloss. & Domin. *n.8.*

24 Notandum 6. quod unica est causa legitima recusandi judicem, ut notat Gloss. scilicet rationabilis suspicio, & timor injusti gravaminis futuri, si judex in causa procedat, sed hæc rationabilis suspicio ex pluribus causis oriri potest; quarum habemus exempla *sup. in cap. causam quæ, cap. cum R. & cap. Insinuante, eod. tit. & cap. causam, quæ de jud. & cap. accedens 1. & 2. ut lite non contest. & cap. ad hæc, & cap. fin. de appellat.* Consimilem causam legitimam adesse, si aliquis procurasset sibi causam committi, vel si quis per actorem consultus respondisset eum jus habere, per *l. Prætor, ff. de jur. omn. jud.* tradunt Gloss. Archid. Butr. *n.9.* Domin. *n.8.* Franc. *n.4.* Quam plures verò aliæ causæ dantur, ob quas recusari potest judex, de quibus tractant DD. *in d. cap. causam quæ, & cap. cum R. eod. tit. & cap. accedens 1. ut lite non contest.* postremò *de appellat.* Panormitanus *in cap. cum super num. 3. & 4. sup. hoc tit.* Marant. *part. 6. tit. de appellat. à n. 27.* Menoch. *de arbitr. casu 152. & seq.* & latissimè Farinac. *in fragm. crim. part. 2. lit. I, à num. 777.* sed de his sermo habebitur *cap. sequenti art. 5.*

25 Notandum 7. quod clausula *quod si non omnes &c.* vel *Quod si non ambo &c.* devolvit in collegam, vel collegas non impeditos nedum causam principalem, sed etiam articulum suspicionis alterius collegæ, ut advertit Butr. *n.2.* Et sic datur casus, in quo Judex æqualis cognoscit de facto alterius judicis, ut notat Domin. *num. 3.* Ratio autem hujus est; quia judex allegatus suspectus verè est impeditus ne possit judicare, ex *text. in cap. 2. requiris, §. 1. in fin. de appellat.* & ita clausula, *Quod si non omnes &c.* verificatur in judice suspecto, *cap. cum super*, juncta Gloss. & Panormitanus *n. 1. & 6. sup. hoc tit.* Ut ergo condelegatus, vel condelegati non recusati possint cognoscere an jurisdictio sit sua, & locum habeat clausula, *Quod si non omnes &c.* ex regula text. *in l. 2.*

ff. si

ff. si quis in jus vocatus , *& cap. super litteris in fin. de rescript.* meritò asseritur, quod cognitio recusationis conjudicis ad judices non recusatos spectat. Quæ est ratio hujus textus in illis verbis, *ad quem ex vi prædictæ clausulæ* , *debet ipsius causæ*, scilicet suspicionis *cognitio pertinere*.

26 Notandum 8. quòd distingui hic debet propositio suspicionis & causæ illius, ab ejusdem probatione. Suspicio enim debet proponi nedum judici recusato, ut abstineat à judicio, sed omnibus aliis conjudicibus, ut sciant qualiter in judicando se gerere debeant, & an soli sine recusato in causa procedere possint, Gloss. Domin. *n.*8. Franc. *n.*2. Et sic licet absolutè sufficiat proponere recusationem coram recusato, & coram Arbitris probare, *l. apertissimi*, *& l. fin. de judic. & cap. 2 requiris, §. ult. de appellat.* & ibi Panormitan. *n.*16. Tamen ubi in rescripto est clausula, *Quod si non omnes &c.* vel *quod si ambo non &c.* necesse est causam recusationis proponere etiam coram judicibus non recusatis, quorum est procedere in causa sine judice recusato, Barbosa hìc *n.*15. & cognoscere an alterius recusatio sit legitima.

27 Verum considerandum est, quod non sufficit causam suspicionis proponi, sed probari debet. Imò advertit Franc. *num.*3. *not.*3. quod recusatus potest statuere terminum arbitris ad finiendam causam suspicionis, quo elapso liberè poterit in causa procedere. De quo infrà *cap. legitima, de appellat.*

28 Sed causa recusationis minimè probanda est coram Judice recusato, qui in hoc judicio est pars, ut benè notant Anchar. & Domin. *n.*2. Et ex hoc habetur regula, quod licèt Judex possit cognoscere an jurisdictio sit sua; hoc tamen verum est, quando exceptio declinatoria fori concernit jurisdictionem, non verò quando concernit personam Judicis. Unde de exceptione excommunicationis, vel infamiæ &c. opposita contra Judicem non cognoscit ipse, ut notat Bart. *in l. quidam consulebat* , *ff. de re jud.* In proposito tamen est ratio specialis, quia Judex qua ratione est suspectus in causa principali eadem est suspectus in accessoria tangente personam suam, imò majori, quia Judex allegatus suspectus in causa principali, jam provocatus posset obesse. Ideò in causa recusationis Judex recusatus non potest de ea cognoscere, *cap. legitima infrà de appellat.* Scialoya *de jure compet. cap.*9. *n.*200. ubi *n.*201. quod nec potest intervenire cum aliis collegis, & quod si nollet discedere posset à collegis expelli. Et imò quod si Judex recusatus permittatur interesse huic judicio, etiam si nihil dixerit, acta sint nulla. Potest tamen Judex recusatus cognoscere causam suspicionis alterius collegæ simul recusati in eadem causa, ut tamquam decisum refert idem Scialoya *numer.* 204. ex Sesse *decis.*200. Navarr. *coll.*214. *num.*2. Ricc. *coll.* 1526.

29 Pendente ergo causa suspicionis, silet omninò causa principalis, quia omnium Delegatorum jurisdictio est aliquo modo dubia. Ipse enim Judex allegatus suspectus est dubius Judex, donec probetur eum illegitimè recusari. Et alii condelegati dubii Judices sunt, quia dubium est an illi soli sine allegato suspecto possint procedere in causa, donec constet eum recusari ex legitima causa, Gloss. *in v. probari*, Domin. *n.*8. Anchar. circa finem.

30 Ubi verò Judices non recusari pronunciaverit in causa recusationis, sententia transit in judicatum, si gravatus ab ea non appellet, ut post Innoc. & Jo. Andr. tradunt hìc Gloss. Butr. *n.*10. Domin. *n.*8. Franc. *n.*5.

31 Secunda regula posita in hac decretali, seu secundus casus, in quo cognitio recusationis Judicis delegati non spectat ad arbitros, est cùm recusatur delegatus Episcopi; nam tunc Episcopi est cognoscere an delegatus recusetur ex legitima causa. Et hoc idem post Gloss. & alios Canonistas hìc tradiderunt Gloss. & DD. *in cap. 2. infrà de appellat.* Gloss. *in cap. super quæstionum, in v. coram, sup. hoc tit.* Gloss. *in cap. 2. sup. de consuet. in hoc lib.* Panormit. *in repet. cap. Si quis contra*, *num.* 22. *de foro compet.* Nam Episcopus à delegato suo, aut Vicario potest causam reassumere, & commissionem revocare, *ex reg. leg. Iudicium solvitur, ff. de judic.* & docent Gloss. *in cap. Romana in princ. infrà de appell.* Covarr. *Practic. cap.*9. *n.*1. Gratian. *discept.* 92. *num.*9. ac propterea semper manet illorum superior, ut de causa suspicionis illorum cognoscat. Et adest insuper ratio deducta ex regula *in cap. super quæstionum §. ult. sup. hoc tit.*

32 Idem verò dicendum est, si subdelegatus non in totum à delegato Papæ recusetur tamquam suspectus; causam enim suspicionis cognoscet delegatus ipse, juxta sancita *in d. cap. super quæstionum §. ultimo.* Quod & docent hic Gloss. & Butr. *n.*9. *&* 11. Domin. *n.*9. Franc. *n.*5. Jo. Andr. *in fin.* Barbosa *num.*17. *&* 18. *Et ad d. cap. super quæstionum, §. Quem verò, & §. fin.* docuerunt Panormit. *in d. §. Quem verò num.*2. Sicul. *num.*3. Quia delegatus, qui in totum non subdelegavit causam, remanet superior in causa; unde potest causam suspicionis cognoscere, & prætereà subdelegato hujusmodi judicato suspecto causa reversa est ad delegantem, unde rationabile est, ut coram eo cognoscatur de defectu suspicionis, qui defectu hoc stante reassumere debet jurisdictionem. Imò hoc extendunt Gloss. hìc, Butrius, Domin. & Franc. post Innoc. & Jo. Andr. ut hoc sit verum etiam si delegatus in totum subdelegaverit jurisdictionem suam, si tamen subdelegatus allegetur suspectus antequam citaverit, ad quod facit *cap. Quamvis infr. in hoc tit.*

Sed quid dicendum, si Episcopus sit absens? Supersedendum esse voluerunt, Innoc. & Hostien. *in cap. cum speciali de appellat.* Sed dicendum est, quod ubi Episc. nec sit intra Diœcesim, nec in loco vicino, sed in remoto, de suspicione delegati ab Episcopo cognoscet ejus Vicarius Generalis. Quia absurdum videtur, quod actor in prosecutione sui juris tam diu impediatur. Quod post Joan. Andr. tradiderunt hìc, Anchar. Domin. *n.*7. Butr. *n.*7. Franc. *n.*3. Barbosa *n.*8. & Panormit. *in repetit. cap. si quis contra num.*21. *ad fin. de foro compet.* Jo. Jacob. Laur. *de jud. suspecto cap.*4. *num.*18. Nam & Episcopi, & Vicarii ejus unum est tribunal, & consistorium, *cap. de consuet. sup. hoc lib.* Et ad hoc facit etiam decisio textus *in cap. cum nullus, in vers. Episcopo autem*, *cum ibi notatis sup. de temp. ordin. in hoc lib.* 33

Ubi verò sit suspectus Episcopus ipse, ad arbitros spectat hujus suspicionis cognitio, ut in hoc textu decernitur. Et hoc idem dicendum est, si causa ob quam recusatur delegatus Episcopi ipsum Episcopum concernat, ut benè docent Domin. *n.*9. & Franc. *n.*6. Barbosa *n.*10. ex Oldrad. *cons* 268. modò *cons.*70. Laur. *c.*4. *n.*19. & maximè ex not. *infr. cap. si subdelegatus, & cap. is cui hoc tit.* 34

Ex quibus colligitur regula universalis, quod per se loquendo ex eo, quod inferior puta delegatus Episcopi, aut Vicarius ejus sit suspectus, non per hoc est suspectus superior puta Episcopus, nisi eadem causa, qua redditur suspectus inferior specialiter concernat etiam superiorem, ut notant locis citatis, Domin. & Franc. & Scacc. *qu.*8. *de appellat. num.*57. Sbroz. *de Vic. Episc. l.*3. *qu.*15. Farin. *in fragmen. crim. lit. I. num.*755. E contra verò si sit suspectus Episcopus, potest censeri suspectus etiam ejus Vicarius; quidquid in contrarium dicat Francus *n.*6. ob maximam conjunctionem, & dependentiam, quæ est Vicarii ad Episcopum, & tradiderunt *cap. insinuante, sup. hoc tit.* Panormitan. *num.*2. Imol. *n.*10. Felin. *n.*1. Scacc. *de appellat. qu.*8. *à num.*68. Barbosa hìc *n.*11. *& de off. & potest. Episc. allegat.*34. *n.*149. Marant. *part.*6. *tit. de appellat. num.*28. Franc. *in cap. dilecti el* 3. *num.*54. *& in cap. Postremò num.*20. *de appellat.* Caputaquen. *decis.*37. *num.*9. Rota *decis.*2. *num.*21 *part.*2. *divers.* Marchesi. *part.*1. *cap.*6. *num. mihi* 123. Farin. ubi suprà *n.*750. Tuscus *lit. S*, *conclus.*908. *num.*3. Et quamplures alii apud istos. Sed de his iterum dicetur *cap. seq.* 35

Si etiam recusetur Episcopus, vel alius superior ratione dignitatis, quod recusatio afficiat etiam successorem in illa dignitate, docet Franc. *d. numer.*6. ex Joan. Andr. *in cap. prox. sequent.* 36

Tertia regula, seu casus exceptus est, quod idem sit dicendum, si recusetur Vicarius Generalis Episcopi. Quia nimirum tunc Episcopi est cognoscere de causa suspicionis sui Vicarii. Quod est verum, ex dictis, nisi causa suspicionis concernat Episcopum. In casu etiam magnæ distantiæ Episcopi à Diœcesi recurrendum erit ad Arbitros, nisi casu, quem advertit Lap. scilicet, si sint plures Officiales ejusdem Episcopi; nam tunc officialis non suspectus, cognoscet de causa suspicionis officiales suspecti. 37

Alii tamen dicunt, quod ubi ejusdem Episcopi sint plures Vicarii generales, uno recusato tamquam suspecto, alius cognoscit de causa principali, nisi Episcopus alteri causam deleget; vel nisi Vicarius recusatus causam ante recusationem, vel in terminis *cap. sequentis* causam de consensu recusatoris, etiam post propositionem recusationis delegasset; quod fieri potuisset, nisi alter Vicarius non recusatus prævenisset, ita Jo. Jacob. Laur. *de judice suspecto cap.*4. *n.*15. Ego tamen in hoc puto distinguendum; quia si recu- 38

recusatio Vicarii contingat post inchoatum ab eo judicium, in dedecus ejus potest cadere, quod fuerit recusatus, ideò tunc non potest alter Vicarius in illa causa se intromittere, sed causa suspicionis per Episcopum est cognoscenda, vel sine ejus dispositione ab alio causa cognosci non potest. Quod est verum in omni eo casu, in quo privativè ad alium ad Vicarium recusatum causam cognoscere spectet. Non enim jure suo privari debet ex causa allegatæ suspicionis, nisi suspicione probata.

39 Poterat autem objici resolutioni textus ex eo quia à sententia Vicarii non potest appellari ad Episcopum, juxta sancita *supr. cap. 2. de consuet. in hoc lib.* igitur videtur quod neque ad Episcopum possit pertinere cognitio suspicionis sui Vicarii: quia cùm utriusque sit unum tribunal, uno recusato videtur recusatus alius. Et eo magis, quod paria sunt recusare judicem, & ab eo appellare, *cap. super eo, de appellat.* Respondetur enim non esse eamdem rationem de recusatione, & appellatione; quia appellatio respicit jurisdictionem tribunalis, quæ eadem censetur in Episcopo, & Vicario, unde, & utriusque censetur idem tribunal. Unde non potest habere locum appellatio, de cujus natura est, ut sit ad diversum judicem, & quidem ad majorem, & superiorem illi, à quo appellatur, sed recusatio respicit conditiones personales Judicis; Vicarii verò persona est diversa à persona Episcopi: & ulterius non est necesse, quod judex suspicionis sit major, & superior judice recusato; nam suspicionis judices sunt etiam Arbitri: ideò Episcopus multò magis potest esse judex recusationis sui Vicarii, Gloss. Anchar. *not. 5.* Butr. *n. 3. & 8.* Domin. *num. 4.* Franc. *n. 6.*

In hoc tamen casu, in quo recusetur Vicarius Episcopi, 40 seu ejus delegatus, Episcopus potest causam principalem alteri committere, Marches. *ubi sup. n. 114.* Advertit etiam Domin. *n. 8. in princ.* ex Jo: And. quod communiter Episcopi non insistunt in hoc, quod est hujusmodi causas suspicionis cognoscere, sed committunt causam alicui confidenti, vel quandoque cognoscunt per se.

Ex hac quoque tertia regula textus hoc universaliter colligitur, quod recusato officiali alicujus, cognoscere de causa suspicionis illius spectat ad superiorem cujus est officialis. Et sic si recusetur officialis alicujus Baronis causam recusationis potest Baro cognoscere, Scialoya *de for. compet. cap. 9. numer. 210.* Et universaliter suspicio officialis cognosci potest à superiore suo. Sic etiam principalis cognoscit de suspicione sui Vicarii, ut Prætor de suspitione sui Locumtenentis. Pariter judex cognoscere potest causam suspicionis sui Assessoris, vel Consiliarii. Et sic si recusentur DD. unius Civitatis, ut sint consiliarii, judex ordinarius Civitatis causam hujus recusationis cognoscit. Si tamen DD. essent delegati, & isti recusarentur ut essent judices, ad delegantem spectaret cognoscere, an recusatio esset legitima; vel etiam juxta primam regulam hujus textus hoc cognoscere possent DD. non recusati. 41

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T V.

JUdex ab Apostolica sede datus, quamvis legitimè recusari valeat ut suspectus, potest licitè vices suas committere, antequam recusatio contra ipsum proponatur: Et si in totum commiserit, recusari ulterius, aut facta per eum commissio impugnari nequibit, quòd posset, si sibi de jurisdictione aliquid reservasset. Post recusationem quoque propositam, committere (nisi de recusatoris procedat assensu) non potest: sed eo volente hoc potest, etiam si jam recusatio eadem sit probata: dummodò pronuntiatum non fuerit super ea. Ex tunc enim (cùm omninò judex esse desierit) nulla etiam cum illius assensu potest fieri commissio per eumdem.

SUMMARIUM.

1 *SUmma textus, ejusque divisio.*
2 *Delegatus à Pontifice potest recusare.*
3 *Quæ causa legitima recusandi.*
4 *Recusatio quando transeat in successorem.*
5 *Si recusatio fit ante signatam commissionem, delegantis est cognoscere an recusatio sit legitima.*
6 *Sub delegatio facta vi delegato ante recusationem est valida.*
7 *Auctoris vitium non nocet successore.*
8 *Commissio intelligi debet cum effectu.*
9 *Quod si post subdelegationem delegans sit mortuus, remissivè.*
10 *Ante recusationem est in suspecto efficax jurisdictio.*
11 *Subdelegatio facta à suspecto non recusato non potest impugnari.*
12 *Etiam subdelegatus ante subdelegantis recusationem non dum citavit.*
13 *Hoc non est verum, si subdelegatio non fuit facta in totum.*
14 *Coram quo proponenda recusatio subdelegati.*
15 *Delegatus recusatus ante sententiam recusationis subdelegat de consensu recusantis.*
16 *Etiam si suspicio sit probata.*
17 *Sola pronuntiatio super recusatione tollit funditus jurisdictionem.*
18 *Sententia hæc est interlocutoria.*
19 *Arbitri non cognoscunt causam principalem.*
20 *Post sententiam recusationis delegatus non potest subdelegare.*
21 *Ordinarius recusatus potest subdelegare. 22. 23.*
24 *Episcopus sine consensu partium, non potest delegare extra Diœcesim.*

HÆc decretalis distinguendo tria tempora, tres casus 1 simul ponit, cum tribus regulis observandis ad videndum an subdelegatio facta à judice delegato recusato valeat. Vel enim delegati recusatio non est proposita, vel est proposita, imò & probata, sed super ea nondum est pronuntiatum; vel tertio per sententiam judicatum est delegatum legitimè esse recusatum. Juxta ergo horum temporum distinctionem triplex assignatur regula.

Unum hic præsupponitur, nimirum, quod judex ab 2 Apostolica sede datus potest ex legitima causa recusari ut suspectus. Habetur verò expressè hoc definitum à Lucio Papa Tertio, suprà *cap. Postremo, de appellat.* & à Nicolao I. *in cap. Quod suspecti. 3. qu. 5.* & ab Imperatore *in l. apertissimè, C. de Judic.* Ad quos textus idem affirmant, & explicant utriusque juris interpretes. Quod adeò verum est, ut judex possit ratione suspicionis recusari etiam ab actore, & imò etiam à tertio comparente pro suo interesse, & hoc etiam si judex sit talis, ut ejus arbitrio, aut conscientiæ remissum sit judicium, ut post Domin. hic, notat Franc. *num. 3.*

De jure Canonico autem solum ex causa legitima potest 3 Judex recusari, quæ debet esse probata, *cap. Cum speciali, de appellat.* & ibi Interpretes. Illa verò est justa recusandi causa, quæ est in jure expressa, vel illi est similis, Probus *n. 3.* & hanc assimilationem debet facere Judex cui creditur, Bald. *d. Cap. Cum speciali, n. 7.* Seu illa est justa causa, quæ est probabilis, Ancharanus *n. 1.* In casibus verò non expressis in

in jure arbitrarium esse judici decernere, quæ sit justa causa, dixit Rota *decis.2.n.10.part.2.diver.* ubi *n.13.* quod sufficit etiam levis causa, & hujusmodi causa non est necesse, quod sit probata ad hoc ut valeat recusatio, & judex teneatur interim abstinere, sed sufficit, quod sit probabilis, Gloss. *in l. Apertissimi v. recusare, C. de Iud.* Paris. *cons.31.num.94.l.1.* Peregrin. *de privil. jur. privil.7.num.7.* & alii quos sequitur Rota *decis.2.n.15.part.2.divers.& decis.165.num.4.part.6.recent.* sed de his infrà *artic.5.*

4 Quid dicendum si commissa causa Abbati ratione dignitatis, eoque recusato, ipse mortuus fuerit. Numquid successor causam poterit cognoscere non obstante mortui recusatione? Cùm distinctione respondetur. Nam si super causa recusationis cùm fuit pronuntiatum, successor cognoscet, si tamen recusatio fuit facta ratione personæ, non verò ratione dignitatis; quia recusatio ratione dignitatis afficit successurem: Sed ubi recusatio intuitu personæ jam defunctæ, facta fuit, cessat causa recusandi successorem, ad quem tamen devolvitur causæ cognitio tamquam commissa dignitati. Sed si in causa recusationis fuit pronuntiatum, jam cessavit tota vis delegationis, & sic causa non transit ad successorem. Ita ex Brixien. & Tancred. Anchatanus *numer.6.* Butr. *numer.7.* Domin. *num.9.* Franc. *numer.9.* Sed ex Lapo, Domin. & Franc. limitatur hoc ultimo dictum, si enim à pronuntiatione fuit appellatum, quia tunc causa recusationis manet suspensa, si interim judex hujusmodi recusatus moriatur, jurisdictio transit in successorem.

5 Notandum hic est secundò, quod si persona recusetur ante signatam commissionem, sicut potest recusari, tunc cognitio recusationis pertinet non ad arbitros, sed ad delegante. Quod etiam est verum si delegatus recusetur antequam litteræ commissionis sint illi præsentatæ. Ita Domin. *n.14.* referens Feder. *cons.24.* & Franc. *n.1.* referens Lapum *in cap. legitima, infrà de appellat.*

6 Hæc verò est prima regula textus, quia nimirum delegatus si antequam ejus recusatio præponatur commiserit in totum causam alicui, non potest ejus commissio impugnari, & subdelegatus recusari; quod tamen fieri potest, si delegatus non in totum causam subdelegaverit, ita Glossa hìc, & reliqui interpretes, Panormitanus *in cap. l. quis contra numer.14. de foro competent. & in cap. cum special. §. fin. de appellat.* Hostien. *col.1.* Bellam. *num.20.* Imol. *num.10.* Franc. *num.13. & num.27.* Præpos. Mediol. *num.17.* Navarr. *num.35.* Paulus de Castro *in l. apertissimi num.4. C. de judic.* Specul. *in tit. de recus. §. effectus autem num.1.* Marant. *part.4.dist.5.num.41.* Lancell. *de attent. cap.6.num.42.* Farinac. ubi supra *num.921.* Molin. *de just. tract.5. disp.23. num.14.* Barbosa hìc *n.4.*

7 Ex eo autem, quod subdelegatus in totum non potest recusari, si commissio sit facta antequam delegatus subdelegans esset recusatus, colligunt Archid. *n.1.* & Domin. *n.2.* quod vitium auctoris non nocet successori. Nam ut habet Gloss. in verbo proponantur, vitium & exceptionis personales personas non egrediuntur *l. exceptiones, ff. de except.* Unde mutatione personæ vitium aboletur, *cap. Cito 1.qu.1. cap. ex transmissa, de fil. presbyt. in antiq. l. si duo, §. non video, ff. uti possid.*

8 Intelligi verò debet hæc commissio cum effectu, ita ut commissio fuerit acceptata per subdelegatum, tunc enim causa subdelegata est, cùm subdelegatio est acceptata, nec subdelegatus est judex antequam acceptet, *cap. sæpè 23.q.ult.* Archid. *in c.* Jo. Andr. Anchar. *n.2.* Butr. *n.10.* Dom. & Franc. *n.7. in fin.* Ideò si delegatus fuerit recusatus antequam subdelegatio fuerit acceptata à subdelegato, commissio poterit impugnari, & subdelegatus recusari.

9 Sed quid dicendum, si post acceptatam subdelegationem primus delegans mortuus fuerit; numquid tunc subdelegati expirabit jurisdictio? Proponit hoc dubium, Domin. *n.11. in fin.* Sed tamen se remittit ad dicenda infrà *cap. Si à subdelegato in hoc tit.*

10 Quamvis verò inefficax aliquando sit jurisdictio in delegatu, qui in rei veritate sit suspectus, quia elidi potest; Nam nec refert an aliquid ipso jure sit inefficax aut per exceptionem infirmetur, *l. Nihil interest, ff. de reg. jur. & l. Falcidius, §. Si in diem, ff. Qui ex causa in possess.* Nihilominus jurisdictio delegati coram Deo suspecti in rei veritate non est tam inefficax, ut non valeat ejus commissio si fiat antequam recusatio proponatur, quia licèt possit elidi non est tamen elisa, & quod est nullum ope exceptionis ante exceptionem subsistit.

Quod verò dicitur in textu, scilicet quod commissio facta à delegato nondum recusato non possit impugnari intelligendum est, ut verum sit ex causa suspicionis, quia cùm ante commissio vera non fuerit proposita recusatio, jam commissio à delegato non recusato data fuit, & sic non valet post factum proposita exceptio recusationis. Sed ex aliis causis, si adsint, poterit hujusmodi commissio impugnari: ut si delegatus aliunde fuisset incapax jurisdictionis, poterit ejus commissio impugnari tamquam data à non habente jurisdictionem, Archid. *num.1.* Ancharanus *num.6.* Butr. *num.10.* Domin. *num.8.* Franc. *numer.7.* Gloss. tamen quam sequitur Joan. Monac. *num.3.* & Hostien. *in cap. cum speciali de appellat.* manet hoc intelligendum esse, quando subdelegatus incœperit cognoscere causam subdelegatam. 11

Quasi quod re integra, subdelegatus possit recusari, non obstante, quod commissio fuerit data ante delegati subdelegantis recusationem. Sed hæc interpretatio est contra textum, in quo nil aliud requiritur ad hoc, ut commissio in hoc casu nequeat impugnari, & subdelegatus recusari, nisi quod commissio sit data ante propositam recusationem; unde etiam si subdelegatus non citaverit, nec causæ manus apposuerit, ex hoc non potest recusari, quod subdelegatio facta fuit à delegato nondum recusato, ut tradunt Archid. *n.1.* Ancharanus *n.2.* Butr. *n.1. & 10.* Domin. Fran. *n.7. in fin.* Fons enim jurisdictionis durat, cùm sit in primo delegante, exercitium verò jurisdictionis manet in subdelegato, qui non est suspectus, unde eum non afficit recusatio. Non obstat verò textus proximè sequens; quia in eo est sermo de revocatione, & benè dicitur, quod re integra, delegatus potest revocare subdelegationem, quod facilè non potest, si subdelegatus jam citavit in causa, sed nos modò loquimur de recusatione subdelegati, unde est casus longè diversus. Pariter non obstat, quod in delegato etiam ante recusationem jurisdictio sit inefficax, quia potest elidi, & quia non refert an aliquid sit inefficax ipso jure, vel per exceptionem, *l. nihil interest, ff. de reg. jur.* Quia hoc est verum post exceptionem propositam, & sententiam latam, vel est verum in potentia, quia quod est nullum ope exceptionis, ipso jure potest annullari; non tamen est verum, de nullitate in actu; Nam quod est nullum solum ope exceptionis ante exceptionem non est actu nullum, & ideò est actu efficax, & validum quod fit ante exceptionem. 12

Posset tamen commissum impugnari, & subdelegatus recusari, si delegatus subdelegando retinuisset sibi aliquid jurisdictionis, quodcumque sit illud. In hoc enim casu posset ad delegatum redire, & sic habitu sibi adest facultas nocendi, quod sufficit, ut possit recusari, ut *l. labet, ff. de stat. lib.* Jo. Monac. *n.3.* Jo. Andr. Butr. *n.3.* Anchar. *n.2.* Dom. *n.8.* Franc. *n.8.* 13

Si autem quæratur coram quo in hoc casu exceptio recusationis sit proponenda. Respondent Jo. Monac. & alii citati, quod notificabitur recusatio coram ipso subdelegato, protestando quòd recusans est paratus proponere coram delegato, ad quam proponendam, petet sibi terminum competentem assignari. 14

Secunda autem regula datur juxta secundùm tempus distinctum in textu, & dicitur, quòd postquam delegati recusatio est proposita, imò etiam probata, sed tamen super ea non est pronuntiatum, delegatus non potest subdelegare causam validè, nisi de assensu recusatoris. Sic ergo de assensu recusatoris potest à delegato recusato causa subdelegari. Quod est verum etiam si alia pars adversaria contradicat. Delegatus enim Papæ à lege habet, ut possit subdelegare. Impeditus verò ex facto recusantis; igitur si recusans non impediat, liber est delegatus non obstante contradictione alterius partis, ut subdeleget, Gloss. & Domin. *n.12.* 15

Expressum est in textu, quod etiam si suspicio sic probata, adhuc delegatus probatus suspectus potest de consensu recusatoris subdelegare, ut tolleretur illa opinio, quæ volebat, ut probata suspicione jurisdictio delegata extingueretur, ut notat Domin. *n.8.* 16

Habetur autem ex hoc primò quod sola sententia per quam decernitur, quod delegatus sit suspectus privat illum jurisdictione, quod non facit, vel propositio suspicionis, 17

vel ejusdem probatio, Joan. Monac. *num.5. & 6.* Domin. *num.3.* Et sic pariter habetur, quod non sunt paria esse aliquid probatum, & esse super eo pronuntiatum, Gloss. *in v. super ea*, Joan. Monac. *num.5.* Archidiac. *numer.2.* Ancharanus *numer.4.* Butr. *numer.2.* Quia non probatio, sed sola pronuntiatio funditus tollit jurisdictionem delegati.

18 Sententiam verò istam, per quam aliquis pronuntiatur suspectus esse interlocutoriam dixerunt Archid. *in fin.* Anchar. *n.4.* Domin. *n.8.* Franc. *n.3.* Quamvis, ut notat Anchar. *notab.6.* aliquid habeat de diffinitiva cùm per eam cessante jurisdictione delegati tollatur lis, & finiatur contentio coram delegato.

19 Cùm verò Hostiensis *in cap. Suspicionis suprà de appellat.* voluerit, quod in hoc casu cognoscere causam principalem spectet ad arbitros, qui pronuntiaverunt super causa suspicionis, meritò hoc communiter rejicitur, per *cap.2. requir. sup. de appell.* ita Archid. *hic n.2.* Ancharan. *n.5.* Butr. *n.8.* Domin. *n.11.* Franc. *n.3.*

20 Tertia regula est, quia nimirum postquam pronuntiatum est judicem esse suspectum, non potest delegatus etiam de assensu recusatoris causam subdelegare, quia cùm desierit esse judex, *cap. In litteris suprà de appellat.* extincta penitus ejus jurisdictione non potest illam transfundere in subdelegatum. Neque eam recusator potest prorogare, quia quod non est, sed omninò periit non potest prorogari, Gloss. Joan. Monac. *num.6.* Butr. *num.2.* Barbosa *num.7.* Panormitanus *in cap. si quis contra num.18.* Maranta *part.4. dist.5. num.43.* Molin. *tract.5. disput.23. n.14.*

21 Dubium verò esse potest, an quæ, in his duabus postremis regulis dicta sunt de delegato vera sint etiam de Judice ordinario. Nam postquam contra ordinarium proposita est recusatio, quod non possit ordinarius causam alicui committere, nisi de assensu recusatoris, putat Barbosa hic *num.6.* posse non improbabiliter defendi. Sed in contrarium est communis sententia, quæ vult quòd ordinarius recusatus antequam sit per sententiam pronuntiatus suspectus possit (salvo tamen jure recusandi delegatum) causam alteri delegare etiam partibus invitis. Et hoc per *cap. si quis contra suprà de for. competent.* ubi idem tradunt Panormitanus *in sect. numer.14. & in repet. numer.14.* Felin. *num.3.* Imola *num.3.* Aret. *num.6.* Soccin. *numer.8.* Franc. *num.15. in dicto tamen cap. si contra duo distinguuntur casus.* Primus est, quando ordinarius à parte declaratus suspectus delegat causam alteri. Et in hoc casu textus absolutè loquitur, & delegandi facultatem admittit. Alter casus est, quando recusatus est delegatus primò datus ab ordinario, & in hoc casu, dicitur quòd ordinarius deputet unum, qui compellat partes mutuo consensu sibi eligere judices; Unde videtur, quod in hoc casu ordinarius non possit iterùm delegare causam, nisi de partium consensu. Nihilominus Panormitanus existimat, quòd etiam in hoc casu consensus partium sit solùm de consilio adhuc, ut adimatur partibus facultas recusandi judicem, vel judices delegandos. Quod etiam voluit Fagnan. *d. cap. si quis contra num.7. & allegat.* Joan. Andr. *in fin.* & Butr. *numer.6.* Et ratio est, quia non est major ratio unde sit necessarius partium consensus in secundo casu, quàm in primo. Et quia de jure communi ordinarius recusatus potest sibi alio adjuncto causam ipsam principalem cognoscere, multò magis poterit eamdem delegare. Tum quia potest compellere partes ad eligendum sibi judicem, unde ex hoc habet exercitium jurisdictionis etiam ad agendum invitis partibus, & ex consequenti ad delegandum, cùm exercitium delegationis non sit sibi sublatum.

In casu autem, quod ordinarius per sententiam declaratus sit suspectus, quod possit hoc causam committere, etiam invitis partibus, dum tamen eam committat salvo jure recusationis, seu judici non suspecto, tenent Panormitanus loco citato, & ibi Soccin. *num.11.* Molin. *tract.5. disput.23. numer.27.* & ex Archid. idem tenet Turrecrem. *cap. Quod suspectis num.5. 3. quæst.5. & ad cap. cum speciali, suprà de appellat.* respondet ibi: *& ipsa probata legitimè de recusatoris assensu persona idonea committat negotium recusatus*, respondent, verba illa continere consilium, non præceptum, *& allegat. cap. super quæstionum, de off. deleg.* ubi dicit textus: *Ut auditor datus super mediis causis valeat recusari statuimus*, & nihilominus ex Gloss. ibid. verbum statuimus ibi non continet præceptum, sed consilium, quia materia non necessitat, multò facilius dici potest, quod *cap. Cum speciali*, loquitur consultivè, cùm ibi verba necessitatem non inducant. Tum amplius, quia verba illa, *de recusatoris assensu*, non possunt intelligi propriè, aliter sequeretur, quod in recusatoris optione esset trahere partem ad judicem remotum sine ejus culpa. Item judex deputaretur ad instantiam unius partis tantùm, contra *l. observandum, ff. de jud.* & sic judicium claudicaret, quia liceret uni, quod alteri non liceret, contra *regulam non licet, in fin. de reg. jur. & cap.1. & 2. de mut. petit. & l. si cum dies, §. si arbiter, ff. de arbitr.* Nihilominus communis sententia negat Ordinarium declaratum suspectum, per sententiam posse committere causam invitis partibus. Sic enim *ad d. cap. cum special.* tenent Innoc. Hostiens. & alii antiqui, Franc. *num.19.* Imol. *num.12.* Cardin. *num.17.* Dec. *num.8. & ad d. cap. si contra*, Felin. *num.3.* si vel *num.45.* & alii quos sequitur Barbosa hic *numer.5.* Ex Vincentio autem hoc probant, quia si expositio Panormitanus valeret, quia explicat *cap. Cum speciali*, ut intelligatur continere non præceptum, sed consilium; idem dicendum esset de hoc textu, quod est falsissimum, sed certè hæc consequentia non valet.

Nam in hoc textu decernitur, quod proposita recusatione delegatus non potest subdelegare nisi de assensu recusatoris. Verbum autem negativum *non potest*, necessitatem importat, & non continet consilium, sed impotentiam subdelegandi extra casum assensus recusationis; sed in dicto *cap. Cum speciali*, solùm ostenditur quid faciendum sit, & hoc per verba, *quorum nullam importat necessitatem præcepti*, sed exprimitur id, quod regulariter, & ut plurimum ex lege naturali prudentiæ fieri convenit, ad vitandum periculum recusationis. Et ideò meritò exponitur ille textus ut non importet præceptum, sed consilium. Et cum alioquin ordinario recusato etiam post sententiam recusationis maneat jurisdictio, & ita ut cum adjuncto possit causam principalem cognoscere, multò magis potest causam validè subdelegare; quamvis id fieri non conveniat nisi de consensu recusatoris, imò de consensu partium, ut tollatur facultas recusandi subdelegatum. 23

Advertendum tamen, quod non potest Episcopus sine consensu partium delegare causam extra Diœcesim, ut ex Gloss.2. *& penul. in cap. Ut litigantes, infrà de off. ordin.* & ibi Butr. *num.4.* Ancharanus *num.1.* advertit Fagnan. *in cap. significasti num.29. suprà de off. delegati.* Quod nunc est necessarium ex decreto Concil. Trident. *sess.24. cap.20.* Nam decretum, quod in prima instantia causæ diffiniantur coram ordinariis factum fuit à Concilio nedum in favorem Episcoporum, sed etiam partium, quæ ut à laboribus, & expensis sublevarentur, voluit Concilium, ut non possent cogi ad litigandum extra proprias Civitates, & Diœceses; *arg. d. cap. Ut litigantes.* 24

D E

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VI.

QUamvis alicui vices tuas in causa tibi à Sede Apostolica delegata, in totum commisisse noscaris: si tamen antequam ille jurisdictione usus fuerit, commissio hujusmodi per te revocetur ab ipso: vel eum rebus eximi contingat humanis: causam ipsam resumere poteris: Cùm jurisdictio (ex quo ipsa usus non extitit) non censeatur in eum efficaciter transivisse.

SUMMARIUM.

1 *Decretalis data ad declarationem cap. super quaestionum, & Venerabili de off. deleg.*
2 *Regula textus.*
In duobus casibus jurisdictio subdelegata redit ad subdelegantem.
3 *Regula habet duplicem exponentem.*
4 *Sufficit reassumptio tacita.*
5 *Subdelegatus si non attenta avocatione procedit in causa attentat.*
6 *Necesse est quod reassumptio innotescat subdelegato.*
7 *Quid in casu in quo subdelegatus verisimiliter potuit scire avocationem.*
8 *Quem effectum habeat avocatio tacita.*
9 *Ordinarius etiam re non integra causam avocat.*
10 *Et delegatus ad universitatem causarum.*
11 *Et delegatus, qui non in totum subdelegavit.*
12 *Delegatus Papae potest in totum subdelegare etiam causas meri & mixti imperii.*
13 *Delegati inferiorum superiorum non subdelegant.*
Quid de delegato Legati à latere.
14 *Delegatus inferior delegat unum articulum &c.*
15 *Ex usu perpetuatur jurisdictio.*
16 *Subdelegatio transfert jurisdictionem, sed non efficaciter se sola.*

1 BEnè advertit Glossa *in v. Quamvis*, quod Pontifex in hac decretali declarat notata per DD. suprà *cap. super quaest. 27. §. Si verò, & in cap. Venerabili 37. de off. deleg.* Nam cùm apud antiquos Canonistas aliqui voluissent, quod delegatus subdelegando causam in totum transferret jurisdictionem in subdelegatum, ita quod in eo penitus cessaret, & etiam re integra illam reassumere non possit, ut videre est apud Archid. hìc in fine, & Card. *in d. cap. Venerabili oppos. 5.* Alii verò è contra sentirent delegatum re integra posse reassumere jurisdictionem, & causam delegatam cognoscere. Quod voluerunt Gloss. *in d. cap. super quaestionum in v. Si non possunt, & in d. cap. venerabili*, Gloss. *penult. & ult.* & ibi Panormit. *num. 6.* hanc sententiam approbavit Pontifex hoc textu.

2 Haec est igitur regula statuta in hac decretali, quod delegatus Papae, qui causam in totum subdelegavit in duplici casu potest causam reassumere, & cognoscere; primò scilicet re adhuc integra, scilicet si subdelegatus non est usus jurisdictione; Secundò etiam re non integra, si subdelegatus mortuus fuerit causa adhuc pendente. Et ratio hujus regulae quantum ad primam partem est, quia jurisdictio à delegante in subdelegatum, antequam ipse illa utatur, non censetur efficaciter transivisse. Hujusmodi verò regulam nedum hic explicant Interpretes, sed eam amplectuntur, Gloss. *in cap. super quaestionum 27. in verb. si non possunt, de off. delegat.* DD. *in cap. In litteris*, ubi Imol. *numer. 4. & 5. & in cap. significasti*, ubi Bart. *à num. 19.* Paulus *in l. Judicium num. 3. ff. de Jud.* & ibi Almer. *num. 2. & 3.*

3 Habet verò haec regula quantum ad primam partem, unam exponentem affirmativam principaliter intentam, scilicet quod delegatus Papae re integra potest causam delegatam reassumere, & alteram exponentem negativam, quae consequitur & per locum à contrario sensus deducitur, & imò in textu praesupponitur, scilicet quod delegatus Papae re non integra non potest causam delegatam reassumere.

Quantum verò ad primum sensum consideratus, quod valeat reassumptio nedum si id fiat verbis expressis, sed etiam si fiat facto & tacitè; vel quia delegatus incipit per seipsum causam cognoscere, vel quia alteri causam subdelegat, Joan. Andr. *in v. revocatur*, Archid. *num. 1.* Ancharanus Butr. *num. 6.* Domin. *num. 3.* Franc. *num. 2.* Barbos. *num. 3.* 4

Quod si subdelegatus re integra non obstante avocatione velit in causa procedere, & procedat; attentat, & quidem magis, quàm attentet Judex, à quo si contempta legitima appellatione procedat in causa ad ulteriora, Lancellott. *de attent. part. 2. cap. 10. num. 1. & seq.* 5

Verum quidem est, quod est necesse, ut subdelegato innotescat avocatio causae ad subdelegantem, vel ei intimetur, aliter acta per illum non erunt attentata, & nulla, Franc. *numer. 2.* Barbosa *numer. 5. fin.* Molina *tract. 5. disput. 21. numer. 2.* Neque enim est hic sermo de avocatione causae avocatae à Summo Pontifice, de qua dicitur quod facta motu proprio & cum clausula sublata, & decreto irritanti ligat etiam ignorantes, & sic irritat etiam processum factum à delegante revocationem ignorante, Marches. *de commiss. part. 2. cap. 7. §. 1. numer. 4.* Sed hoc non procedit in delegato subdelegante, & ideò processus factus à subdelegato ante notitiam revocationis subdelegationis est validus. 6

Quod in simili, in casu mortis delegantis Lancellott. *dict. cap. 10. numer. 31.* extendit, ut procedat etiam si verisimiliter obitus committentis, seu delegantis, ut puta Episcopi, sciri potuit à delegato, vel Vicario, ut à Vicario Episcopi. In hoc tamen casu considerandа esset vis praesumptionis ortae ex ea verisimilitudine; illa enim urgente, nisi aliunde de ignorantia constaret, processus factus tempore praesumptae scientiae posset irritari. Nam & hanc consuetudinem signaturae Sanctissimi; ut expectet tempus, in quo Judex verisimiliter potuit scire causam ab eo fuisse avocatam, & posteà processum factum post illud tempus revocet, ut refert Marches. *num. 5.* 7

Haec tamen tacita avocatio operatur effectum suum quoad judicem, & partes litigantes, non verò quoad tertium, qui possit venire in causa secundùm Innocentium *in cap. cum M. de constitut.* Et effectum suum suspensivum causat solum quantum ad illam causam, quam ex pluribus commissis delegans ad se avocat, ut per not. à DD. infrà *cap. si quem, de procurat.* De quibus videantur DD. *in d. cap. cum M.* & Lancellott. *de attent. cap. 10. à n. 15.* 8

In secundò verò sensu, nimirum, quod subdelegans non potest re non integra causam subdelegatam reassumere, nisi ob mortem subdelegati, consideratur, quod hoc non procedit in Ordinario, qui cùm in totum à se non abdicet jurisdictionem, potest causam delegatam etiam re non integra ad se avocare, eamque reassumere, Barbosa hìc *nu. 7.* 9

Covarruv. *pract. cap. 9. num. 1.* Palaus *in l. judicium, ff. de jud. n. 3.*

10 Quod idem de delegato ad universitatem causarum dixit Gloss. *sup. in hoc lib. cap. statutum, §. insuper, in v. moderatas, ad fin. de rescript* & Gloss. *in cap. super quæstionum, §. si vero, in v. delegare, de off. deleg.* Barbosa hic *n. 7.* Covarr. *l. 3. var. cap. ult. n. 11.* quia delegatus ad universitatem causarum Ordinario comparatur.

11 Sed & hoc idem verificatur de delegato Papæ si non in totum subdelegavit, juxta textus in præsenti, ibi in totum, cùm enim qui non in totum subdelegavit, remaneat superior juxta regulam *in cap. si delegatus infr. in hoc tit.* ideò intrat regula *in l. judicium solvitur, ff. de jud.* quæ etiam in delegato locum habet, & tradunt hic Anchar. *in princ.* Franc. *n. 2.* Barb. *n. 6.*

12 Notandum primò, quod illis verbis *Vices suas.* Colligit Dominicus, quod delegatus habet aliquid juris in causa, quia subdelegando vices suas subdelegat. Sed expressè hic habetur, quod delegatus Papæ potest in totum causas sibi commissas subdelegare, quod pariter habetur ex *cap. Iudex proximè super.* & advertunt Butr. *num. 2.* Ancharanus *num. 1.* Domin. *num. 1.* Franc. *num. 1.* Controversiam verò esse, an delegatus Principis possit subdelegare causas criminales meri, scilicet, & mixti imperii, refert Farinac. *in fragmen. crimin. part. 1. lit. D, num. 81.* relatis pro utraque parte Doctoribus; quam controversiam disputat latè Menoch. negativam partem sustinens *part. 1. de arbitr. quæst. 54.* Sed quidquid sit de jure civili, quod de jure Canonico causæ meri, & mixti imperii delegari possint. Et sic quod Episcopi, & alii judices Ecclesiastici merum, & mixtum imperium habentes causas hujusmodi possint delegare, latè probat Covarruv. *lib. 3. var. cap. 20. per totum*, quod de consuetudine meri, & mixti imperii delegentur, affirmat Tuscus *lit. D. conclus. 146. n. 10.* ex Clar. *q. 41. num. 1.* Et hoc etiam si agatur de ultimo supplicio, sic enim & praxis habet, ut Episcopi Vicarios instituant ad civilia, & criminalia negotia. Et quia delegatus Papæ potest subdelegare; ideò quod possit subdelegare etiam causas meri, & mixti imperii habetur apud Tuscum *lit. D, conclus. 146. numer. 11. & 150. num. 1.* videantur DD. *in cap. Quod sedem, de off. ordin. & cap. Archiepiscopatus, de Raptoribus, & cap. pervenit 95. dist.*

13 Delegatus tamen ab inferiori judice subdelegare in totum non potest causam sibi commissam. Et ideò ut notat Gloss. in textu dicitur *à Sede Apostolica*, eo quia delegatis Episcoporum, & aliorum judicum inferiorum subdelegare causas in totum non sit permissum. Quamvis verò plures hoc limitent, volentes delegatum Legati à latere posse subdelegare, *cap. cum Bertoldus de re jud.* Eo quia cùm legatus Proconsulis posset subdelegare, *l. legatus, ff. de off. Proconf. l. cum prætor, §. Is quoque, ff. de jud.* Delegatus Legati à latere, qui æquiparatur legato Proconf. poterit subdelegare, Panorm. *in d. cap. cum Bertoldus, num. 22.* ubi alii DD. Felin. *in cap. super quæstionum, num. 17. de off. deleg.* & alii apud Farin. *ubi sup. num. 84.* Nihilominus, quod nec legati, de quibus *in d. cap. cum Bertoldus* fuerint Legati à latere, & quod nec delegati Legati à latere, æquiparentur legatis Proconsul. latè probare conatur Covarr. *l. 3. var. cap. 10. n. 11.* Et sic hoc manet controversum.

14 Conceditur tamen delegatis quod licet delegati inferiorum judicum non possint subdelegare causas delegatas in totum; id tamen possunt, quantum ad unum articulum non requirentem jurisdictionem, & causæ cognitionem, prout est simplex testium examinatio, seu citationis executio, Innocent. *in d. cap. cum Bertoldus*, ubi Panorm. *n. 19.* Felin. *n. 17.* & alii Covarr. *l. 3. var. cap. 10. n. 11.* Tuscus *d. conclus. 150. n. 8.*

15 Notandum 2. quod ex usu jurisdictionis perpetuari jurisdictionem in subdelegato decernitur in hac decret. & Gloss. id interpretatur de usu qualitercumque. Sed de hoc tractabitur *art. 1.*

16 Notandum 3. quod subdelegatio transfert jurisdictionem, sed non efficaciter, & irrevocabiliter, sed jurisdictionis usus ille est, qui subdelegatæ jurisdictioni dat efficaciam, & perpetuitatem, Domin. *n. 2.* Franc. *n. 3.*

SUMMARIUM.

17 *Sensus quæstionis.*
18 *Citatio etiam æquivalens perpetuat jurisdictionem.*
19 *Sufficit commissio citationis.*
20 *Non requiritur trina, & peremptoria, sed non sufficit anomala.*
21 *Non sufficit citatio illegitima, nisi æquivaleat legitimæ.*
22 *Subdelegatio non perpetuat jurisdictionem in subdelegante.*
23 *Receptio subdelegationis non perpetuat jurisdictionem in subdelegato.*
24 *Rationes ad utramque partem quæstionis.* 25.
26 *Per nullum actum ante citationem perpetuatur jurisdictio.*
27 *Citatio pro una causa distincta non perpetuat jurisdictionem in alia.*
28 *Nisi in judice dato ad universitatem causarum.*

Quæst. unic.

De efficacia subdelegationis.

ARTICULUS I.

Qualis usus jurisdictionis det jurisdictioni subdelegatæ efficaciam perpetuitatis.

Cum dicatur subdelegantem re integra non posse reassumere causam subdelegatam, & similiter re integra per obitum delegantis expirare jurisdictionem in delegato, quod pariter verificatur ob mortem subdelegantis, & adnotavit hic Domin. *n. 7.* meritò hic quæritur quando, & per quod res cesset esse, vel non esse integra. Hic verò dicitur tunc in subdelegato perpetuari jurisdictionem cùm incœpit uti jurisdictione; quæritur propterea quando, & per quem actum subdelegatus censeatur primò uti jurisdictione, & sic in se jurisdictione perpetuare. 17

Certum verò est in hac quæstione citationem esse usum jurisdictionis, & per illum subdelegatum, vel delegatum perpetuare jurisdictionem, *cap. gratum 20. de off. delegati* ibi, *cum citatione facta negotium sit quasi cœptum, & cap. fin. de off. legati*, ibi: *si citatio non præcessit*, Archid. hic, & Domin. *num. 7.* Probus ad Monac. *num. 1.* Joan. Andr. *num. 2.* Domin. *num. 6.* Butr. *num. 10.* Franc. *num. 4.* & communiter DD. *d. cap. gratum, de off. deleg. & cap. fin. de off. legati*, & alii, quos sequitur Sanchez *l. 8. de matrim. disp. 28. num. 10.* Sufficiet quoque actus citationi æquivalens, quando citra citationem fierent quicumque actus judicialis præsentibus partibus. Nam ubi pars adversa interfit, perinde est ac si citaretur. 18

Quidquid verò dixerint in contrarium Bald. *cap. licet undique 30. num. 4. de off. delegat.* & Cardin. ibid. *part. 6. & cap. fin. eod. tit. & Clem. 2. num. 11. opposit. 6. ut lite non pend.* & alii apud Sanchez *d. disp. 28. n. 11.* sufficit commissio citationis, ut in delegato, & subdelegato perpetuetur jurisdictio. In hoc enim textu ad hunc effectum sufficit, quod judex usus fuerit jurisdictione circa negotium commissum, hac verò utitur, qui citationem committit; quia citatio est actus jurisdictionis, & sententia interlocutoria. Imò cùm tria sint in citatione, scilicet commissio illius, ejusdem executio, & nuntii relatio, sola prima est actus jurisdictionis judicis. Et non obstat, quod leges intelligi debeant de re perfecta, & in effectu executa, quia per commissionem citationis actus ut est judicis, & jurisdictionis habuit effectum suum, & complementum; & aliud est judicare, & aliud exequi judicatum; per commissionem verò citationis judex sententiat, & judicat, & actum jurisdictionis exercet. Et hoc probatur ex *cap. gratum 20. de off. deleg.* ibi: *proposita citationis edicto.* Ex quo concluditur, quod sufficiat ad hunc effectum etiam citatio per edictum, & quod non sit necesse, ut citatio sit executa per præsentationem illius partis, sed sufficiat eam esse commissam per judicem, ut ibi deducunt Panormitan. *n. 3.* Felin. *n. 5.* Gloss. *in Clem. 2. v. ad partem, ut lite pendente* & ibi Panormit. *in fin.* Innoc. *num. 7.* Bonif. *num. 16.* Rota 19

decis.

*decis.*11.*de dol.& contum.in antiqu.* Sanchez *d.disp.*28.*numer.* 13.Probus hìc ad Monac. *n.*1.

20 Ex quo ſequitur, quod multò minus requiritur citatio trina, ſed ſufficit unica, quia per unicam judex utitur juriſdictione ſua, ut in hoc textu requiritur, Felinus *d.cap. gratum numer.*6.*& in cap.propoſuiſti, de for.compet.* Joan. Andr. *num.*3. Anton. *num.*11. Panormitanus *num.*9. Imola *num.*3. Felin. *in fine*. Et non eſt neceſſe, quod ſit peremptoria, ut citati DD. advertunt, & infrà *in hoc tit.cap. cum plures*, Joan. Andr. Ancharanus *n.*6. Domin. *n.*15. Franc. *in fine*. Citatio autem non facta à judice, ſed à parte, quam ſcilicet facit creditor debitori fugitivo, quæ dicitur anomala, cùm non ſit actus juriſdictionis judicis non facit rem non integram, nec ſufficit ad perpetuandam juriſdictionem judicis, nam nec eſt legitima, Felin. *d.cap.gratum n.*5.Butr.*cap.*1.*n.*22.*de jud.*& ibi Panorm.*n.*33.Sanchez *d.diſput.*28.*n.*15.

21 Pariter non ſuffragatur citatio irrita, & nulla, ut in delegato, aut ſubdelegato perpetuet juriſdictionem, quia per talem citationem judex non utitur juriſdictione, ut in hoc textu requiritur, ſed abutitur, cùm inordinatus actus non ſit uſus, ſed abuſus, *cap.ubi iſta* 73. *diſt.& cap.privilegium* 11. *quæſt.*3. Secundò quia ex iis, quæ inordinatè ſunt actu, non poteſt ordinabiliter agi, *cap. qualiter, & quando de accuſat.* & prætereà *in cap.penult. de for.compet.* pro cauſa perpetuitatis juriſdictionis ponitur legitima citatio, ibi, *legitimè citatus &c.* Quidquid igitur ſecus ſenſerit Hoſtien. *in cap.licet undique* 30. *numer.*2. *de off. delegat.* ex citatione illegitima non perpetuatur juriſdictio ſubdelegati, prout infrà *in cap.cum plures in hoc tit.* docuerunt Gloſſ. *in fin.* Joan. Andr. *in fin.* Ancharanus *num.*6. Domin. *num.*15. Franc. *in fin.& in hoc cap.* Archid. *num. un.* Probus ad Mon. *num.*1. *& in cap.penult. de foro compet.* Joan. Andr. *numer.*3. Butr. *num.*3. Panormitanus *numer.*6. Ancharanus *numer.*4. Imola *num.*3. Bellam. *num.*2. & plures alii, quos ſequitur Sanchez *d. diſp.*28.*num.*16. Felin. *d. cap.gratum num.*4. Ubi limitat niſi poſt citationem illegitimam citatus comparuerit, & in judicio perſeveraverit. An verò ſi judex pronuntiet citationem fuiſſe nullam, ex hoc jam utatur juriſdictione, & faciat rem non eſſe integram, Caccialupus apud Sanchez *n.*3. dicit eſſe conſiderandum, & Sanchez addit id eſſe probabile.

22 Certum mihi eſt 2. quod delegatus ex eo, quod cauſam ſubdelegat, non perpetuat ſibi juriſdictionem. Oppoſitum quidem voluerunt Franc. hìc *num.*4. Hoſtien. *in cap. licet undique num.*2. *de off. deleg.*& ibi Joan.Andr. *num.*6. Silveſt. *v.delegatus quæſt.*6.*numer.*8. Eo quia ſubdelegare ſit actus juriſdictionis: ſed hoc deficit, tum quia ſubdelegare cùm delegato Papæ conveniat ex lege, *cap. fin. de off. deleg.* juriſdictio verò data à lege ſit ordinaria, *l.& quia, ff. de juriſd. omnium jud.* ſequitur quod ſubdelegare eſt uſus juriſdictionis ordinariæ, non delegatæ. Et prætereà eſto eſſet uſus juriſdictionis delegatæ, non eſt uſus circa cauſam, & materiam delegatam, unde non poteſt dici, quod cauſa ſit incœpta, & res non ſit integra. Amplius ſubdelegatio non eſt actus judicii, cùm fiat non citata parte, & non ſumptis informationibus, & cauſa cognitione, & abſentibus partibus, unde non poteſt dici, quod delegatus ſubdelegando in aliquo proceſſerit, ſicut requirit textus *in cap. penult. de off. deleg. in hoc* 6. Ubi hanc partem tenent Joan. Andr. *num.*1. Domin. *num.*5. Franc. *num.*2.*& in hoc cap.* Domin. *numer.*7. Panormit. *cap. Paſtoralis in princ.& cap.licet undique num.*4. & ibi Imola *num.*2.*& cap.gratum, num.*5. *de off. deleg.* Felin. *cap. relatum num.*12. *eod. tit.* Sanchez *d. diſp.* 28. *num.*18. Et tamen res integra non erit, ſi delegatus præſentibus partibus ſubdeleget; eo quod talis actus æquivaleat citationi, ut dixerunt Domin. *n.*7. Franc. *d. cap.penult. n.*2.Sanchez *d.n.*18.

23 Tertiò mihi indubitatum eſt, quod ſubdelegatus recipiendo ſubdelegationem non utitur juriſdictione, ſed illam recipit. In unoquoque enim eſſe non eſt operari, ſed eſt principium operandi; unde habere juriſdictionem, & eſſe judicem, non eſt uti exercitio juriſdictionis, ſed eſt eſſe conſtitutum in actu, ut juriſdictione uti poſſit, unde quidquid ſecus, dixerint Hoſtien. *in ſum. tit. de off. delegat. num.*10. & alii, ſubdelegatus non per hoc facit rem non integram, & perpetuat juriſdictionem, quod recipit ſubdelegationem, & juriſdictionem, ut benè docuerunt Panorm. *in cap.cum veniſſent,n.*2. *de teſt.* & ibi Cardin.*num.un.*Felin.*d. cap.relatum n.*12.Domin.*cap.is qui,inf.de procur,n.*3.Sanchez *d.diſp.*28.*n.*19.

Dubium verò eſt, an per actus medios inter receptionem ſubdelegationis, & citationem, ut v. g. per electionem Notarii juriſdictio judicis ſubdelegati fiat que res non integra. Videtur enim primò quòd citatio ſit primus actus, per quem res non fiat integra; hoc enim probant DD. qui hanc partem ſequuntur, quorum plures refert Sanchez *l.*8. *de matrim. diſput.*28. *num.*10. quia juriſdictio non perpetuatur per actus præambulos ad judicium, ſed per aliquem actum ſubſtantialem judicii; inter hos verò primò primus eſt citatio, *cap. quoniam contra, de probat.* Et hoc confirmatur, quia cùm perpetuatio juriſdictionis ſit reſpectu partium, non poteſt fieri niſi per actum erga partes, inter hos actus verò primus eſt citatio. Sed opinio contraria, quam ſuſtinent Gloſſ. hìc *in v.uſus fuerit, & in cap. cum plures infrà in hoc tit. in v. inchoante*, Jo. Andr. hìc *in fin.* Ancharan. *not.*2. Franc. *num.*4. item *in cap. licet undique* 30. *de off. deleg.* Jo. Andr. *num.*6. Hoſtien. *numer.*2. Silveſt. *v. delegatus quæſt.*6. *num.*8. Tabien. *v. delegare quæſt.*12. *num.*13. *in fin.* & alii ex pluribus textibus vim hujus rationis evitare conatur, ex eo, quod in jure ad hoc, ut res fiat non integra ſufficit, quod judex delegatus, vel ſubdelegatus uſus fuerit juriſdictione, ut patet in hoc textu, *& cap. licet undique ſuprà hoc tit.* ibi: *Si juriſdictione à ſuo ſibi collega delegata uti non cœperit, quia mandatum hujuſmodi morte mandatoris re integra expiravit.* Et infrà *cap.penult.in hoc lib. Antequam per ipſum delegatum in aliquo proceſſum fuerit, & l. & quia, ff. de juriſdict. omn.jud. Antequam ab eo cui mandatum eſt, juriſdictio geri cœperit.* Non dicitur in his textibus antequam citaverit, vel aliquem actum ex ſubſtantialibus judicii habuerit, ſed ſimpliciter dicitur, ſi juriſdictione uſus fuerit, vel antequam juriſdictio geri cœperit. At verò delegatus, aut ſubdelegatus juriſdictione utitur, ut ait Silveſt. *v.delegatus n.*8. ſi recepto mandato vocet Notarium, & teſtes, & tamquam judex jubeat redigi literas ſuas in publicam formam, & in inſtrumento teſtes apponi. Et hic actus, qui ad judicium erga partes ordinatur ſatis reſpicit partes, & ſufficit, ut negotium dicatur incœptum. 24

Sed prior illa opinio textibus ſe muniens hujus ſecundæ reſponſionem elidere conatur, quia *cap.gratum de off. deleg.* expreſsè oſtenditur, quod ſola citatione negotium dici debeat inchoatum, & perpetuata juriſdictio, ut patet ibi: *Cùm citatione facta negotium ſit quaſi cœptum, & cap. fin. de off. legati*, ibi: *ſi citatio non præceſſit*. Quamobrem ubi in textibus *v. ſupra citatis* dicitur ſufficere, quod judex uſus fuerit juriſdictione, illud verbum generale explicandum eſt per hujuſmodi ſpeciale, in quo requiritur citatio. Sed pro ſecunda opinione dicitur, quod *in cap. gratum* 20. *de off. deleg.* unum dicitur, ſed aliud non negatur; dicitur enim quod ad hoc, ut perpetuetur citatio ſufficit, quod citaverit, ſed non dicit, quod hoc ſit neceſſarium. Sed cùm quæſtio propoſita Papæ fuerit, an ante obitum delegantis propoſito citationis edicto, lite etiam poſt mortem conteſtata debeat delegatus in cauſa procedere, & Urbanus Tertius reſpondit debere. Unde verò habetur, quod Pontifex idem non reſpondiſſet, ſi quæſitum fuiſſet, an poſt uſum alicujus juriſdictionis ante citationem perpetuetur juriſdictio? 25

Majorem vim habet, quod deſumitur ex *cap. fin. de off. legati*, quia ibi decernitur neceſſitas citationis ad perpetuitatem juriſdictionis, hæc enim ſunt verba textus: *Secus autem ſi cauſas duxerint delegandas aliquibus, cùm juriſdictio iſtorum expiret, ſi ante illorum diſceſſum, horum citatio non præceſſit.* Ubi ergo non præcedit citatio, negotium non cenſetur incœptum taliter ut debeat perpetuari juriſdictio. Per hunc ergo textum expreſſum, & ſpecificum debet intelligi, declarari, & determinari illud generale, ſcilicet, ſi uſus fuerit juriſdictione. Et quidem uſus juriſdictionis circa præambula, eſt præparatio quædam ad negotium incipiendum, non verò inchoatio negotii, niſi remota, & imperfecta, ac nec eſt uſus juriſdictionis immediatè circa negotium, unde nec negotium inchoat, ſed quod etiam negotium non dicatur incœptum, niſi deventum ſit ad aliquem actum in ſubſtantialibus collig. ex *cap.in cauſis, cum ibi not. de elect. & Clem. fin. de procurat.* Unde dicendum eſt, quod per nullum actum, qui præcedat citationem, & ille non æquivaleat ſit ut res 26

non sit integra, & perpetuetur subdelegati jurisdictio. Quod voluerunt Archid. hic *num.*1. Domin. *num.*7. Probus *num.*1. Panorm. *cap. relatum* 19. *n.*6. *sup. de off. delegati*, ubi quod citatio est principium, & fundamentum jurisdictionis contentiosè. Idem Panorm. *cap. licet undique* 30. *n.*4. *eod. tit.* & *cap. fin. de off. leg. numer.*10. Joan. Monac. *in cap. si delegatus numer.*1. *infr. hoc tit.* & alii plures, quos dat Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*28. *n.*10.

27 Sed quid dicendum, si causæ uni subdelegatæ, vel delegatæ, sunt plures numquid ad hoc, ut quoad omnes res non sit integra sufficiet, si citaverit in una? Respondetur, quod sufficiet, si causæ sint connexæ, & non separatæ, & inter diversas personas, sed ubi causæ sunt diversæ, etiam si non sint inter diversas personas, sed eamdem personam concernant, per citationem in una, non incipitur altera, & per accidens est, quod causæ illæ plures in eodem rescripto sint contentæ, alias verò persona citata, non tenetur respondere, nisi in illa causa, in qua citatur, & ideò citatio in una non perpetuat jurisdictionem quoad omnes, ut per Innoc. *in cap. licet undique* 30. *de off. deleg. num.*2. & ibi Joan. Andr. *numer.*17. Cardin. *quæst.*7. Bellam. *num.*11. Henric. *num.*3. Panormitanus *numer.*5. Imol. *cap. Pastoralis*, §. *quoniam num.*9. *de rescript.* Domin. *cap. Ne aliqui*, *infrà de hæret. num.* 5. Sanchez *disput.* 28. *numer.*25. Ex Doctoribus verò sentientibus oppositum multi loquuntur consequenter ad principia jam non probata. Nimirum quod ad hoc, ut res non sit integra sufficiat receptio mandati, vel aliquis actus jurisdictionis qualiscumque etiam præcedens citationem, & ita ut sufficiat mandasse, ut rescriptum per Notarium, & testes redigatur in publicam formam: si enim hoc sufficeret non esset necessaria citatio, sed supposito quod citatio sit necessaria, si causæ sunt diversæ, & non connexæ, citatio in unà cum nullo modo sit citatio in alia, nec est inchoatio aliqua alterius causæ, sic non reddit aliam causam non integram.

28 Quando tamen aliquis delegetur, aut subdelegetur ad universitatem, aut etiam generalitatem causarum, quia tunc causæ illæ sunt diversæ, solum partialiter, sunt verò connexæ tamquam partes in uno toto, quod primò & principaliter delegatur, & quia totum successivum est, si sit una pars illius, unde & incipit esse, si pars aliqua illius esse incipiat; ideò ex eo, quod judex citaverit in una causa, jam negotium sibi commissum est incœptum, & perpetuata remanet ejus jurisdictio quoad omnes, ut docuerunt Bald. *cap. Pastoralis*, §. *quoniam*, *paulò post princ. de rescript.* & *cap. licet undique num.*6. *de off. deleg.* ubi Butr. *num.*15. Ancharanus *quæst.*4. Imol. *num.*3. Sanchez *d. disp.* 28. *num.*27. & plures alii apud ipsum. Quod tamen ex lege speciali, *cap. fin. infr. in hoc tit. fallit*, in Conservatoribus, in quibus quoad negotia non inchoata non perpetuatur jurisdictio. Privilegium verò principale concessum Inquisitoribus *in cap. Ne aliqui*, *inf. de hæret.* consistit, ut non expiret Inquisitorum potestas morte Pontificis delegantis, re omninò integra, & nulla causa inchoata, & quoad causas, quæ nondum emerserant.

SUMMARIUM.

29 *Ratio ad quæst.*
30 *Si subdelegatio fiat dignitati mortuo subdelegato causa spectat ad successorem.*
31 *Si subdelegatus transiit ad dignitatem, causa ad quem spectet.*

ARTICULUS II.

An jurisdictio subdelegati facta sub nomine dignitatis, se extendat ad successorem mortuo subdelegato.

In secunda regula posita in textu decernitur ut per obitum subdelegati possit subdelegans reassumere causam in totum subdelegatam, quæritur autem an hoc sit verum, si subdelegatio facta sit dignitati, & ratio difficultatis est, quia in causa commissa dignitati succedit successor in dignitate, si res non sit integra, per textus *in cap. quoniam Abbas* 14. *de off. deleg.* videtur igitur dicendum, quod si subdelegatus sit aliquis expresso nomine dignitatis, causa ad successorem spectet, si ipse mortuus fuerit re non amplius integra. 29

Nihilominus Joan. Monac. *suprà cap. statutum*, *num.*13. *de rescript. in hoc lib.* sensit causam redire ad subdelegantem, & probavit, quia delegati, qui cognoscunt personas delegando censentur respicere personas, non dignitatem, & sic ubi delegatus subdelegat, nec sumus in casu, *d. cap. Quoniam*, in quo sermo est de Pontifice personas non cognoscente, & ideò dignitatem respiciente non personam; nec sumus in casu, *l. meminisse*, *ff. de off. Prætoris*, quia delegatus subdelegans personam contemplatur, non dignitatem. Et nec convenit, quod subdelegans perpetuet in successore alterius, quod non posset in successore suo. Sed contrarium voluerunt Joan. Andr. hic *num.*1. Lapus, Butr. *num.*2. Domin. *num.*5. Franc. *num.*5. Ea ratio est, quia ex quo jurisdictio est translata in subdelegatum, qui eà uti cœpit, ideò non potest subdelegans causam transferre in suum successorem, cùm sit facta subdelegati, sed tamen subdelegans, qui in subdelegatum continuat jurisdictionem, continuat illam etiam in illius successorem eo defuncto, cùm subdelegatio facta fuerit non personæ, sed dignitati, quæ non obiit, sed vivit. Quando enim causa committitur dignitati, inspicitur dignitas, ut notat Lapus. 30

Sed quid dicendum si subdelegatus re non integra non moriatur morte naturali, sed civili, quia v. g. fit Episcopus, Joan. Monac. *d. cap. statutum*, *numer.*8. existimat, quod in subdelegato perpetuetur jurisdictio, & quòd possit causam prosequi, quia verè non est mortuus, sed auctus. Limitat tamen ut non possit, si in hoc graventur partes propter distantiam, ad quam judex ille factus Episcopus, partes citare deberet, quia gravamen partis excludit honorem judicandi. Sed contrarium sentit Jo. Andr. hic, & ait, quòd si jurisdictio erat sua, absentia non impedit, aut aufert. Nec obstat, quod dicit de gravamine partis, quia illi poterit provideri per subdelegationem. Quamobrem Joan. Andr. vult, quod in hoc casu absolutè servandus sit textus *in cap. quoniam*, *de off. deleg.* sed dicendum est primò, quòd ubi subdelegatus factus Episcopus, vel alia dignitate est decoratus, ob quam debet recedere à loco judicii, & sic non potest servari lex *cap. statutum*, §. *in nullo*, idem est ac si iste subdelegatus esset mortuus, quia causam non potest audire in loco à lege statuto. Et ideò tunc servandum est, quod statuitur, & notatur in hoc cap. nam vel causa redit ad subdelegantem, si causa fuit delegata personæ, vel spectant ad subdelegati successorem, si fuit delegata dignitati, Domin. *num.*6. Franc. *numer.*5. Butr. *num.*4. sed si non obstante, quod subdelegatus fuerit ad Episcopatum promotus, causa potest audiri in loco debito juxta textum *in d.* §. *in nullo*, causa remanet apud subdelegatum etiam si fuerit subdelegata sub nomine dignitatis, si tamen dignitas nova est compossibilis cùm ea dignitate, cui fuit facta subdelegatio, secus si sit incompossibilis, nam tunc causa transit ad successorem in priori dignitate re non integra, juxta notata *sup. d. cap. statutum numer.*63. & tradunt DD. citati. 31

DE

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VII.

SI delegatus, quoties eum abesse contigerit, tibi commiserit vices suas, poteris eo rebus humanis exempto (cùm & tunc censeatur abesse) commissum tibi negotium (dum tamen illo vivente jurisdictione uti cœperis) liberè diffinire. Idem poteris quando tibi vices etiam sub ea forma commisit, donec eas duceret revocandas. Nam talis commissio, per quam censetur etiam sententiæ prolatio (nisi antea fuerit revocata) committi nequaquam morte committentis expirat: ex quo res integra non existit. Ad eum quoque, qui vices suas committit, donec revocet: vel qui executionem sententiæ tantùm, aut quidquid aliud de jurisdictione sibi reservat: non ad delegantem primum appellari debebit: Etiam si post sententiam fuerit appellandum.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Prima regula textus.*
3 *Delegatus Papæ subdelegat sub conditione.*
Vicarius præsente Episcopo non confert beneficia. 3.
4 *Subdelegatus sub conditione* quoties abesse, *semper cognoscit causam, cum delegatus est absens.*
5 *Dictio* abesse *intelligitur secundùm subjectam materiam.*
6 *Abesse dicitur mortuus, sed impropriè.*
7 *Solus usus in actibus substantialibus facit rem non integram.*
8 *Secunda regula textus.*
Re non integra ex morte subdelegantis non cessat subdelegatio etiam si conditionata. 8.
9 *Quid dicendum de subdelegatione cum clausula ad beneplacitum?*
10 *Distinctio voluntatis ut perseverantis, & ut revocantis.*
11 *Subdelegatio ad beneplacitum re non integra non expirat.*
12 *An subdelegatio facta revocetur, si fuerit protestatum in contrarium.*
13 *Per commissionem conditionatam committitur causa in totum.*
Commissa cognitione causæ est commissa sententia. 13.
14 *Delegata causa simpliciter an intelligatur delegata executio.*
15 *Tertia regula textus.*
16 *Si causa non sit in totum delegata, à subdelegato appellatur ad subdelegantem.*
17 *Si appellatur etiam ad Papam omisso medio processus est ope exceptionis irritus.*
18 *Et hoc sive rescriptum contineat clausulam appellatione remota, sive non.*
19 *Si delegatus consensit appellationi valet processus.*
20 *Quid si appelletur in Curia.*
21 *Quid ubi delegatus reservat sibi aliquem ex prioribus actibus tantùm.*
22 *Quid ubi sola executio est subdelegata?*
23 *A subdelegato inferioris delegati appellari potest immediatè ad Papam.*
24 *A subdelegato in totum appellatur ad primum delegantem.*
25 *Nisi subdelegatio fiat cum clausula*, donec &c.
26 *Quid ubi sunt plures delegati.*
27 *Potest reservari executio causæ.*
Et tunc ad subdelegantem appellatur. 27.
28 *An commissa causa usque ad sententiam intelligatur commissa executio.*

1 IN præcedenti capitulo data est regula servanda, quando delegatus simpliciter, & in totum subdelegavit causam sibi commissam: in hoc capitulo verò agitur de subdelegatione facta non in totum, & non simpliciter, sed secundùm partem, & sub conditione, & ponitur regula tres partes continens, vel potius ponuntur tres regulæ.

2 Prima regula est ista, subdelegatus cui à delegato commissa est causa sub conditione quoties illum abesse contigerit, poterit re non integra, seu si jurisdictione, uti cœpit, causam prosequi & diffinire etiam in casu, in quo delegatus, qui subdelegavit mortuus fuerit.

Habetur primò ex hoc textu, quod delegatus potest subdelegare etiam sub conditione, quia subdelegare causam cum clausula, *Quoties abesse contigerit*, est subdelegare cum conditione ista, si aliquoties abesse contigerit, Gloss. *notab.* 1. Et ideò ex vi hujus conditionis subdelegatus præsente delegato non potest se intromittere in causa. Ex quo Barbosa *n.* 3. advertit, quod Vicarius Episcopi, qui est constitutus, ut possit conferre beneficia quamdiu Episcopus absuerit, non potest Episcopo præsente illa conferre. 3

Existimat autem Barbosa *n.* 2. quod subdelegatio ista expiret statim reverso delegante, nisi reversus fuerit statim exiturus, & discessurus, quia tunc rediisse non censetur, qui statim est discessurus. Verùm licèt hoc verum esset, si subdelegatio facta fuisset sub conditione absentiæ absolutæ, ut si dictum fuisset, *quamdiu abfuero*. In casu tamen hujus textus, & clausulæ *quoties abesse contigerit*, dicendum est, quod per reditum delegati suspenditur jurisdictio subdelegati, ut tunc non possit procedere in causa, cùm delegatus est præsens, sed tamen possit toties quoties discesserit delegatus causam prosequi ex vi primæ subdelegationis, ut probant hîc Butr. *n.* 2. & Franc. *n.* 3. 4

Multas verò significationes hujus verbi *abesse* afferunt hîc Probus ad Monach. *n.* 1. & 2. Archid. *n.* 2. Domin. *n.* 10. Ex quibus DD. colligitur significationem illius accipi debere secundùm subjectam materiam. In proposito ea absentia accipi debet secundùm quam delegatus est in loco adeò remoto, ut juxta ordinata *in cap. statutum sup. de rescript. in hoc lib.* & in aliis legibus non possit in loco, in quo est, partes ad se citare, & causam audire, & definire. Abest enim, qui non est in loco, in quo causa audiri debet, & definiri. 5

Etiam mortuus verò dicitur abesse, & sic colligunt DD. quod hic accipitur etiam absentia necessaria illius, qui nec est, nec potest esse præsens, Gloss. Archid. ante *n.* 1. Jo. Andr. Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 2. Domin. *n.* 2. Franc. *n.* 1. Non potest tamen negari, quod absentia de mortuo non dicatur impropriè, quia mortuus nec jam propriè est homo, & propterea propriè dicitur non homo, non verò dicitur homo non præsens, sed absens. Ideò absentia non potest accipi, ut ad mortem se extendat, nisi in hoc casu, vel in aliis in jure expressis. In hoc verò casu lex absentiam extendit ad mortem, & mortuum, ne ex morte delegantis contingat causæ cognitionem in partium præjudicium longius deferri. 6

Ex hoc quoque textu habetur, quod usus jurisdictionis reddit rem non integram, & perpetuat jurisdictionem. Unde paria esse judicem uti jurisdictione, & rem non esse integram, dixerunt Domin. *num.* 4. Franc. *numer.* 2. Sed ut probatum est, *cap. super usus* in præambulis ad judicium, non facit rem non integram, sed solus usus in aliquo ex substantialibus hoc præstat, & ideò ad minus requiritur, quod Judex citaverit partes, Jo. Monac. *num.* 1. Archid. *n.* 3. 7

Secunda regula continet, quod si subdelegatio facta sit sub hac conditione, & clausula, *donec duxerit revocandam*, morte subdelegantis non cessat subdelegatio, re non integra, sed subdelegatus potest causam prosequi, & diffinire. Itaque morte mandantis cessat mandatum, ut notat 8

notat Gloss. *in ver. exempto*, & sic morte delegantis expirat delegatio, aut subdelegatio, si tamen res sit integra, sed re non integra ex morte delegantis non cessat delegatio, aut subdelegatio, ut pluribus probat Sanchez *l.8. de matrim. disput.*28. *num.*50. quod est verum etiam si commissio facta fuerit sub conditione absentiæ, ut explicatum est in priori regula, vel sub conditione ista *Donec revocavero*, quod ex hoc textu dixerunt etiam Menoch. *de arbitr. part.* 1. *qu.69. num.*23. Gonzalez *ad regul.8. Cancell.* Gloss. *in princip.* 12. *num.*56. *cum sequent.* Per mortem enim non dicitur revocata voluntas, Covarr. *l.*3. *var. cap.*15. *num.*3. Farin. *in praxi part.*1. *q.*29. *n.*74. & communiter juris civilis interpretes *in l. mori*, ubi Bart. *n.*7. Alex. *n.*12. Jason. *n.*15. Dec. *n.*19. *ff. de jurisd. omn. jud.*

9 Sed numquid idem erit dicendum, si commissio facta sit ad beneplacitum committentis? Si res sit integra est indubitatum subdelegationem expirare. Sed re non integra, quod non expiret, dixerunt Gloss. hic *in ver. morte in* 1. *opinione*, Archidiac. *num.*3. Domin. *numer.*10. & fuit opinio Baldi *suprà in hoc lib. in cap. si gratiosè*. Quia licèt in odiosis beneplacitum expiret morte concedentis, ut dicitur *d. cap. si gratiosè*, tamen in favorabilibus, ut est hujusmodi commissio, ut dicit Gloss. hic, clausula *ad beneplacitum* resolvitur in clausulam *donec revocavero*, ut sic conformet se cum jure communi, & ut aliquid inducat. Et facit quod jurisdictio inchoata non expirat per mortem, sed revocationem, ut *l. judicium solvitur*, *ff. de jud.* Et facit amplius quod dicunt Feder. *in consilio* 251. & Baldus *in l. meminisse*, *ff. de off. Proconf.* nimirum, quod si per Principem concedatur jurisdictio ordinaria ad beneplacitum, & moriatur concedens, non expirat ante adventum successoris. Nec obstat *d. lex* 4. *ff. loc.* quia loquitur in contractibus, hic in rescriptis justitiæ, in quibus, ut in favorabilibus fit benignior interpretatio, ut sic duret, ut in ultimis voluntatibus, ut notat Bartol. *in l. centesimus infrà*, sed Francus hic *numer.*5. oppositum sentit, & probat, quia secundùm hoc non esset discrimen inter clausulam *ad beneplacitum*, & clausulam *donec revocavero*, quod videtur esse contra textus hic, *& d. cap. si gratiosè*. Sicut ergo in contractibus beneplacitum non duret post mortem, etiam re non integra, ut *in d. l.*4. ita debet esse in judiciis, in quibus quasi contrahitur, ut *l.*3. §. *idem scribit*, *ff. de pecu.* Et ita finaliter residet, Gloss. hic; cùm ultima opinio Glossa sit sequenda, ut *l. cum qui*, §. *sabinus*, *ff. ad trebell.* Nec obstat, quod jurisdictio jam inchoata non expiret per mortem, sed per revocationem, ut *d. l. judicium solvitur*. Quia illud est verum quando jurisdictio à principio absolutè conceditur, non verò quando conceditur ad tempus, & sub conditione voluntatis, quæ non durat post mortem.

10 Distinctio enim data à Domin. hic *n.*10. & Franc. *n.*4. videtur consideranda, dupliciter enim sub conditione voluntatis aliquid potest concedi, vel ita ut conditio importet expressam, seu positivam revocationem voluntatis prioris, sicuti facit hæc clausula, *donec revocavero*, & tunc habet locum dispositio hujus textus, & sive in odiosis, sive in gratiosis numquam expirat commissio per mortem, re non integra. Vel clausula importat prioris voluntatis perseverantiam, ut facit clausula, *ad beneplacitum*, vel quamdiu volens, & tunc quia voluntas non dicitur durare post mortem, ut dicitur *d. cap. si gratiosè*, *& l.*4. *ff. locat.* ideò expirat commissio ob mortem concedentis, ut hic dixit Paul. Quod tamen fallit in ultimis voluntatibus, in quibus moriens non desinit velle, ut *in l. fideicommissa*, §. *Hoc autem*, *& l. Uxorem*, §. *penul. ff. de leg.*3. & plenius notatur *in l. ambiguitatem*, *C. de usufructu*.

11 Sed de his clausulis videnda sunt scripta suprà *cap. si gratiosè* 5. *de rescript. in hoc lib. à numer.*20. Et juxta ibi probata dicitur rationabilem esse Glossæ interpretationem, ut solum in odiosis, & in casibus in jure expressis concessum ad beneplacitum expiret morte concedentis. Nam alias clausula ad beneplacitum ambigua est, & arbitrariæ significationis, & potest habere sensum clausulæ *donec revocavero*. Et quia in præsenti conditio subdelegationis est, ut maneat re integra, & hoc inter favorabilia computatur, & cedit in favorem expeditionis causæ, & minoris expensæ, & majoris utilitatis partium, ideò dicendum est, quod nisi ex specialibus conjecturis aliud colligatur, subdelegatio ad beneplacitum re non integra non expirat morte subdelegantis. Nec oppositum asseritur in hoc textu, in quo nec verbum est de clausula *ad beneplacitum*. Nec in delegationibus, aut subdelegationibus propriè contrahitur, unde non habet locum illa lex 4. *ff. locat.* ubi est sermo de locatione. Distinctio autem data à Domin. & Franc. explicata fuit *d. cap. si gratiosè*.

Si verò subdelegans cum clausula, *donec revocavero*, adderet hæc, vel similia verba, quod, scilicet, non intendit eam revocare per processum, quem in causa faceret; numquid de facto censeretur revocare, si posteà ipse in causa procederet? Quod non revocaret existimant, Archidiac. & Butr. *numer.*4. Ex quo subdelegans, & subdelegatus præfatæ conditioni, & protestationi consenserunt, & consensus partium satis vestitus justa causa apparet. Sed de hoc videantur DD. *in cap. cum M. de constitut. & cap. Romana de elect.* 12

Notandum verò quod etiam per commissionem conditionatam ex clausula, *donec revocavero*, intelligitur commissa nedum cognitio causæ, & informatio, sed diffinitiva sententia. Et sic aliud est, quod commissio cum hac clausula, *donec &c.* sit commissio conditionata, & aliud est, quod sit commissio secundùm partem, & non in totum; primum est verum, non secundum: & per hoc reprobata fuit sententia, Innoc. *in cap. si pro debilitate* 3. *de off. deleg.* & aliorum qui voluerunt, quod in commiss. cum clausula *donec &c.* committens reservat sibi sententiam diffinitivam, quod hic reprobat Bonifacius Octavus. Ex quo deducitur, quod commissio absolutè simpliciter dat sine conditione, aut clausula limitante est commissio etiam sententiæ diffinitivæ, & in totum, Butr. *num.*8. Ancharanus *n.*2. Franc. *n.*2. Et quamvis Ancharanus *num.*2. & alii negent, nihilominus hoc verum est etiam si absolutè committatur causæ cognitio. Nam cognitionis perfectio, & complementum substantiale est judicium, & sententia; nec cognoscit rem esse, nisi qui mente judicat rem esse. In idem igitur coinciderat, quod delegatus alicui committat causam in totum, & quod committat causam cognosci absolutè, & sine limitatione; quia & hoc modo causa in totum etiam quantum ad diffinitivam committitur, Butr. *n.*9. Franc. *n.*2. 13

An verò delegata causa simpliciter intelligatur delegata executio sententiæ, decisum habetur *in cap. quærenti* 26. *suprà de off. delegati*, ubi habetur, & explicatur quomodo, & usque ad quod tempus delegatus Papæ possit exequi sententiam suam, videantur Panormitanus ibidem *numer.*6. *&* 7. & alii DD. sic ergo & de subdelegatis dicitur, quod subdelegatæ ejus causæ à delegatis Papæ intelliguntur subdelegatæ, in totum etiam punctum ad executionem sententiæ in terminis *d. cap. quærenti*, nisi commissio sit limitata, Anchar. *n.*2. 14

Hic ponitur quoque tertia regula, & dicitur: quod ubi commissio fit, vel cum clausula *donec revocavero*, vel delegatus causam subdelegat non in totum, sed reservat sibi sententiæ executionem, vel quodcumque aliud, tunc in causa appellationis etiam post sententiam appellandum sit ad subdelegantem, & non ad primum delegantem. Quam regulam ex hoc textu amplectantur nedum interpretes illius, sed Gloss. *in cap. si is cui* 10. *infr. in hoc tit.* Gloss. *in v. non rectè*, *l. Imperatores* 21. *ff. de damno infecto*, Franc. *in cap. dilecti el* 3. *n.*30. *de appellat.* Scaccia *de appell. q.*7. *n.*63. *& q.*8. *num.*34. *cum seqq.* 15

Itaque ergo in hac parte ad conciliandas leges civiles huic textui, imò inter se contrarias, ut advertit Panormitanus *cap. super quæstionum* 25. §. *porro*, & Barbosa *n.*9. servanda est distinctio ista, quia scilicet, ubi subdelegans non commisit causam in totum, sed partem sibi reservavit appellandum sit immediatè ad delegatum subdelegantem. Cùm enim delegat subdelegando aliquid causæ sibi reservat, retinens adhuc jurisdictionis aliquid in causa, remanet superior, unde ad ipsum tamquam ad superiorem provocatur, juxta *l.*1. *in princ. ff. quis, & à quo*, ideò hoc verificatur nedum de jure Canonico ex hoc textu, sed etiam de jure civili, Marant. *par.*4. *dist.*5. *num.*28. Franc. *in cap. dilecti* 60. *num.*30. *de appellat.* Scacc. *de appellat. qu.*8. *num.*32. *v. extende*, Barbosa hic *num.*11. 16

Adeò autem verum est, quod in casu præfato appellandum sit ad subdelegantem, ut nec liceat ex regula generali omisso medio appellare ad Summum Pontificem, & imò quod hujusmodi appellatio non valeat, & processus inde se- 17

sequutus non subsistat. Ita colligitur ex verbo *debebit*, quod necessitatem importat. Et quidem quod hic casus sit unus ex illis, in quibus nec ad Pontificem appellari potest omisso medio, tradunt hic Gloss. *notab.* 5. Joan. Andr. *in princip.* Archid. Butr. *num.* 2. *&* 7. Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 2. *&* 8. Sed quod si appelletur immediatè ad Papam processus sit ipso jure nullus, & non valeat etiam nulla opposita exceptione, dixit Imola *in cap. super quæstionum* 27. §. *porrò*, *num.* 19. Innoc. & Imol. *in cap. Cum te* 18. *sup. hoc tit.* Sed hoc non habet in jure fundamentum, & ideò dicendum est, hujusmodi processum solum ope exceptionis irritari, & voluerunt hic Archid. *num.* 1. Dom. *n.* 10. Franc. *num.* 8. Barbos. *num.* 12. Matant. *par.* 6. *tit. de appell. num.* 370. Scaccia *de appell. q.* 7. *n.* 63. Rota *dec.* 16. *eod. tit. in nov.*

18 Hoc autem quod non possit in hoc casu appellari immediatè ad Papam, sed appellandum sit immediatè ad delegatum est verum, sive delegato à Papa commissa fuit causa cum clausula *appellatione remota*, sive simpliciter sine illa. Nam iste textus non distinguit, sed absolutè decernit, quod quando causa non est subdelegata in totum, si sit appellandum, appelletur ad delegatum, Scaccia *de appell. q.* 7. *n.* 72. *&* 73. Barbosa hic *n.* 13.

19 Si tamen subdelegatus non in totum deferat appellationi factæ immediatè ad Papam, tunc appellatio valet, nec delegatus potest causam ad se avocare, quia cùm subdelegatus repræsentet delegatum, ideò si subdelegatus deferat appellationi, licèt hoc facere non debuerit, censetur ipse delegatus detulisse, & propterea causa est devoluta ad Papam, ut notant hic Anchar. Dom. Franc. *num.* 8. Barbosa *n.* 14. & idem Franc. *cap. dilecti el* 3. *num.* 27. *de appell.* Molced. *dec. ult. de appell.* Felin. *d. cap. super quæstionum*, §. *porro n.* 13. Scaccia *q.* 7. *de appell. n.* 66. Quod procedit etiam si delegatus delegasset cum clausula *donec revocavero*, Scaccia *q.* 8. *num.* 42.

20 Quod etiam uti à subdelegato non in totum appellatur in Curia appelletur immediatè ad Papam, quia ibi cessat ratio laboris, & expensarum cum quinque juliis nova commissio obtineatur, & quod fortè hic sit stylus Curiæ, ex Butrio *d. c. super quæstionum*, §. *porrò*, refert Scaccia *q.* 7. *de appell. n.* 70. qui tamen *n.* 71. declarat, hoc verum esse si sit stylus, secus verò non, prout post Imolam, quem citat, scribit Felin. *d.* §. *porrò n.* 13.

21 Si etiam delegatus subdelegando reservavit sibi aliquem actum ex prioribus, ut puta juris contestationem, vel testium examen, & contingat partem appellare ab aliquo posteriori actu, ut à sententia diffinitiva, appellandum erit non ad delegatum, sed ad primum delegantem. Quia ex quo delegatus reservavit sibi solàm litis contestationem, ac peracta, nulla sibi remanet jurisdictio in causa, & sic non habet unde illam amplius cognoscat: ita Jo. And. *num.* 1. Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 7. Barbosa *num.* 17. Felin. *d.* §. *porro*, *num.* 13. Scaccia *quæst.* 8. *de appellat. num.* 40. Contrarium tamen hujus sensit Jo. de Fano apud Dom. & Butr. *num.* 5. *&* 6. & Ancharan. dixit esse cogitandum; quod & mihi videtur, quia aliter regula textus non est vera absolutè, & ex terminis prout est posita, sed solum in unico casu, scilicet, si delegatus sibi reservet cognitionem ultimi actus, scilicet cognitionem, v. gr. executionis sententiæ, quia in omni alio casu poterit appellari immediatè ad Papam, si post peractum actum reservatum contingat esse appellandum. Nec etiam sine cogitatione præteriri debet, quod ex quo delegatus reservat sibi aliquem ex prioribus actibus judicialibus, hoc verum est, quod non subdelegat in totum, & quod propterea reservat sibi etiam hoc, quod est posse causam decedere, cujus cognitionem non in totum rejicit. Si tamen Delegatus subdelegato in totum judicio, & actibus ejus, sibi solum reservaret consilium, censendus esset causam subdelegasse in totum, & ubi appellandum esset, non ad eum, sed ad primum delegantem appellari deberet, Felin. *d.* §. *porro n.* 13. Scaccia *d. q.* 8. *n.* 41. Barb. *d. n.* 17.

Pariter si delegatus subdeleget simpliciter solum ultimum actum judicii, qui est sententiæ executio, si contingat appellari, quod appellandum sit ad primum delegantem, dixit Barbos. *num.* 11. ex Speculat. *p.* 2. *tit. de appell.* §. *Nunc tractemus*, & Dom. *n.* 11. Lapus tamen arguit ad utramque partem, & non solvit. Sed Anch. *n.* 4. ex Jo. And. existimat, quod infra annum indistinctè sit appellandum ad delegantem, non ut de sententia sua cognoscat, sed de viribus executionis commissæ. Hoc est certum, quod si commissa fuit executio cum clausula, *donec &c.* ad delegatum debet appellari. 22

Ubi verò non simus in casu delegati Papæ, sed à tertius Ordinarii inferioris, tunc à subdelegato, potest sine medio appellari ad Papam, ut tradunt Panorm. *in c. super quæstionum* 27. §. *porrò*, *num.* 4. *de off. deleg.* & ibi Felin. *n.* 13. *fall.* 3. Iterum Panorm. *cap. Bertoldus* 18. *num.* 40. *de sent. & re jud.* Franc. *cap. Dilecti* 66. *n.* 29. *de appell.* Scacc. *de appell. q.* 7. *n.* 69. 23

Sed si Delegatus Papæ causam in totum subdelegavit, tunc à subdelegato appellatur ad primum delegantem, quia in delegato, qui subdelegavit in totum nulla remanet jurisdictio, cùm eam totam transtulerit in subdelegatum, & ita decisum fuit *in dict. cap. super quæstionum* 27. §. *porro sup. hoc tit.* & explicant ibi Panorm. Felin. & alii. 24

Et nihilominus etiam in casu, quod causa sit in totum subdelegata, si hoc factum est cum clausula *donec duxerimus revocandum*, quia tunc commissio est conditionata, & delegans sibi reservavit jus revocandi ad se causam, ad eum est appellandum, & definitum est in hoc textu, & tradunt Interpretes, *& in d. c. super quæstionum* 27. §. *porrò*, dixit Panor. *num.* 6. Scaccia *de appell. q.* 8. *n.* 35. 25

Quando autem sunt plures delegati Papæ, & ex illis quidam subdelegant licèt non in totum, quomodo non ad subdelegantes, sed ad Papam sit appellandum explicatum est suprà *cap.* 3. *in hoc tit. & libro*. Vide Rotam *dec.* 16. *hoc tit. in novis*. 26

Notandum autem quod duo antiquitus controversa hic sunt definita. Primum est, quod delegatus potest subdelegata tota causa usque ad sententiam, reservare sibi executionem sententiæ, cujus oppositum voluit Tancredus. Secundum, quod ubi delegatus solam executionem sententiæ sibi reservavit, à subdelegato appellandum est ad delegatum, non ad delegantem primum; quod jam negaverant Bernard. & Inn. ut notant Gloss. Dom. *n.* 9. Franc. *num.* 6. 27

An verò si delegatus committat causam usque ad sententiam diffinitivam inclusivè censeatur reservasse executionem, Franc. *n.* 7. existimat, quod ex quo delegans dixit usq; ad sententiam inclusivè exclusa sit executio. Eò magis quod subdelegatio est stricti juris, verùm etiam considerari debet, quod in sententia continetur executio, & quod sententia in suo effectu completa est sententia executa. Et quod textus potiùs videtur velle, quod executio intelligatur comprehensa, nisi expressè sit excepta; verumtamen quia in præjudicium delegati cedit, si causa sit in totum commissa, potiùs dicendum est in hoc casu executionem non intelligi commissam, sed tamen si in subdelegatione nihil expressum, unde limitatio subdelegationis colligatur totum intelligitur commissum negotium, Franc. ibid. 28

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T VIII.

CUm plures sub illa forma : ut omnes, aut duo, vel unus eorum mandatum Apostolicum exequantur, aut alia consimili, judices, vel executores à sede Apostolica deputari contingit : ipsorum quilibet injunctum potest liberè adimplere mandatum. Porrò uno eorum negotium inchoante commissum, alii nequibunt se ulteriùs intromittere de eodem : nisi vel infirmitate, vel alia justa causa illum contingeret impediri : aut si nollet, vel malitiosè in eo procedere recusaret. Jurisdictione verò perpetuata mandatore vivente, per unum (eo casu quo potest) ex judicibus delegatis : perpetuata intelligitur quoad omnes.

S V M M A R I V M.

1 *SVmma textus, ejusque divisio.*
2 *Prima regula textus.*
3 *Dictio* pluses *intelligenda juxta subjectam materiam.*
4 *Forma commissionum copulativa, & disjunctiva.*
Iurisdictio non habetur per partem.
In forma disjunctiva datur exercitium jurisdictionis in solidum.
5 *Alternativa ordinis, & praestationis.*
6 *Quid ubi sit dubium, an forma sit disjunctiva.*
7 *Clausulae consimiles.*
8 *Regula vera in omnibus delegatis.*
9 *Liberè, idest aliis non requisitis.*
10 *Secunda regula textus.*
11 *Qui simul incipiunt, simul prosequi debent causam.*
12 *Causa cognitio inchoatur per citationem, aut inhibitionem.*
13 *Vnde oritur, quod unus delegatorum incipiat.*
Si pars ante inceptum judicium intimat, ut causa à pluribus cognoscatur, non potest cognosci per unum 13.
14 *Alii ex delegatis praeventi non possunt se intromittere in causa.*
Quid si citatio sit alternativa. 14.
15 *An si alter se intromittat in causa processus sit nullus.*
16 *Partes possunt in hoc casu prorogare jurisdictionem.*
17 *Dictio* nisi *exceptiva.*
Dictio nequibunt *non excludit omnem potestatem.* 17.
18 *In quatuor casibus praeventus potest assumere causam.*
19 *Quid ubi Iudex prior subdelegavit.*
20 *Vt alius assumat causam constare debet de impedimento prioris judicis.*
21 *Qui causam dimisit eam non reassumit.*
22 *Processus factus impedimento ignorato, an sit validus.*
Tertia regula textus. 22.
23 *Quando locum habeat.*
24 *Ex eo quod sit perpetuata jurisdictio delegati non perpetuatur jurisdictio adjuncti.*
25 *Vsus illegitimus non perpetuat jurisdictionem.*
26 *Qualiter citatio perpetuet cum eidem committuntur plures causa.*

1 CUm supra *cap. Prudentiam* 21. *de off. Deleg.* in antiquis per Cœlestinum Tertium datae sint regulae observandae, quando Papa committit causa cum clausula copulativa: *Quod si non omnes &c.* vel *Quod si non ambo &c.* Bonifacius Octavus hic tres addit regulas observandas, quando datur commissio cum clausula disjunctiva, *ut aut omnes, aut duo, aut unus mandatum Apostolicum exequantur*, , & sic in tres partes, aut §. dividitur haec decretalis.

2 Ponitur igitur prima regola, & dicitur, quod cùm plores delegantur sub hac forma, *ut aut omnes, aut duo, aut unus eorum mandatum Apostolicum exequantur*, vel executores à Sede Apostolica deputari contingat, quilibet illorum liberè potest injunctum mandatum implere. Explicatur verò haec regula aliqua circa textus verba adnotando.

Haec dictio *plures* includit plusquam duo, Gloss. & Dom. *num.* 3. & quamvis ad eam verificandam duo sufficiant, tamen juxta sobjectam materiam etiam ad majorem numerum se extendit, sicut in praesenti, unde sive delegati sint duo, sive tres, sive quatuor, sive in quocumque numero, & delegatio fiat cum clausula *aut omnes &c.* verificatur regula textus. 3

Distioguitur verò forma delegationis in copulativam, & disjuoctivam. Illa fit per claosulam *quod si non omnes &c.* aut *quod si non ambo, &c.* de qua *in cap. prudentiam 21. de off. delegat. & in cap. si contra unum 4. supra hoc tit. & lib.* ubi plura dicta sunt de hujusmodi claosulis. Sed disjunctiva fit per clausulam, *ut aut omnes, aut duo, aut unus*; prout in hac decretali. Quamvis enim in commissionibus, in quibus causa delegatur pluribus Judicibus etiam sine clausula disjunctiva singulis in solidum datur jurisdictio, propter jurisdictionis naturam, quae est indivisibilis, utpotè incorporalis, nec potest haberi per partem ex doctrina Gloss. 5. *in d. cap. prudentiam*, ubi Imola *n.* 10. Grat. *discept.* 396. *num.* 9. Barbosa *claus.* 225. *num.* 6. Tamen duae istae clausulae distingountur, quod per copulativam non datur siogulis delegatis exercitium jorisdictionis in sollidum, sed illis omnibus, & simul sumptis, quamvis ex illa clausula, sit virtualiter disjunctiva; unde sub conditiooe impedimenti, vel majoris partis, vel minoris, vel alicujus ex delegatis alii, vel alius procedunt in causa. Sed secundùm formam disjunctivam datur singulis jurisdictionis exercitium in solidum, & ita quilibet illorum solos, etiam aliis non requisitis procedere valeat, *l. si pluribus, deleg.* 3. Gloss. Archid. Jo. Andr. Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 1. Franc. *num.* 1. Menoch. *praes.* 18. *n.* 37. Marches. *de commiss. p.* 1. *cap.* 6. *n.* 10. Barbosa *claus.* 125. *n.* 6. 4

Cùm verò nonoulli, ot Glossa advertit voluerint, quod hic alternativa esset ordinis, quasi scilicet necesse esset, quod prius omnes Delegati procederent, si vellent, & his nolentibus, vel impeditis, alii oon impediti, & tonc solum unus procedere posset, cùm alii vel nollent, vel essent impediti; patet ex lectura textus, qood hic alternativa oon est ordinis praestationis, Marches. *p.* 1. *cap.* 6. *num.* 102. quia ex hujusmodi disjunctivè delegatis, quilibet etiam aliis non requisitis potest procedere in causa, Gloss. 2. Domin. *n.* 13. Franc. *n.* 4. 5

Quod tamen est verum si ex commissionis forma certum sit commissionem datam fuisse sob clausula disjuoctiva serente cuilibet jurisdictionis exercitium in solidum. Ubi verò non constat de hoc servandum est statutum *in d. cap. prudentiam*, ut advertit Butr. *n.* 1. *& l.* 1. *ff. de off. Proconf.* in Procuratoribus verò servati debet, quod decernitur infra *cap. si duo, de Procur.* & in Tutoribus, quod habetur *in l. si plures, ff. de admin. tut.* & io executoribus ultimarum voluntatum, quae notantur infra *c. fin. de testam.* 6

Clausulae autem coosimiles significantes commissionem disjunctivam sunt, si dicatur, quod alter ex Delegatis, alterum non expectet, vel non requirat, Gl. Bott. *n.* 12. Franc. *n.* 4. Sic enim apparet, quod in hujosmodi conmissione non est necesse, quod unus delegatorum alterum requirat. 7

Quamvis autem haec decretalis loquatur de delegatis ab Apostolica Sede, tamen extenditur, ut vera sit, de delegatis ab inferioribus, si cum hojusmodi clausola disjunctiva sunt dati. 8

Di-

9 Dictio autem *liberè* explicatur in præsenti, ut significet facultatem expeditam, & minimè ad Collegas obligatam, ut scilicet detur locus præventioni, & quilibet ex delegatis aliis minimè requisitis, & sive illi sint, sive non sint impediti, possint causam commissam solus cognoscere, Gloss. Archid. Joan. Andr. Anchar. *num.* 1. *&* 3. Butr. *num.* 2. Domin. *num.* 4. Franc. *n.* 5. Barb. *n.* 3. Marchef. *de comm. p.* 1. *c.* 8. *n.* 101.

10 Secunda regula est ista. Ubi dati sunt plures delegati cum præfata clausula disjunctiva, uno eorum præveniente, & inchoante cognoscere causam alii se intromittere non possunt, nisi ille, qui prævenit, sit ex infirmitate, vel ex causa justa impeditus, vel nolit, aut malitiosè procedere in causa recuset. Videantur Felin. *in cap. sciscitatus num.* 25. *de rescript.* Maranta *de ordin. judic. part.* 4. *dist.* 16. *num.* 6. Barbosa *clauf.* 125. *num.* 6. Marchef. *de commiss. par.* 1. *c.* 6. *num.* 103.

11 Idem verò est si duo, vel si omnes, quia nimirum si omnes simul cœperunt causam cognoscere, omnes tenentur illam prosequi, nec potest unus, vel aliqui ex illis causam prosequi, nisi omnes conveniant, si verò ex tribus duo incœperunt, tertius non potest se intromittere, nisi in casibus præfatis exceptis, & illi duo, qui simul incœperunt, simul usq; ad finem causam prosequi debeat, nec potest unus, sine alio procedere, nisi in aliquo ex casibus exceptis, Gloss. Anch. *n.* 5. Butr. *n.* 5. Dom. *n.* 13. Franc. *n.* 5.

12 Cùm verò citatio duplex sit, alia scilicet verbalis, & alia realis, quæ fit præcipuè per capturam rei; realis est potentior verbalis, quare Judex citans realiter præfertur judici citanti verbaliter, quod est indubitatum, si Judex prius realiter reum citet, quàm alius verbaliter. Sed an prius citans verbaliter præferatur ei, qui postea citat realiter, dubitant ex Juristis plures, ex quibus nonnulli volunt, quod sit præferendus, qui citavit realiter; nisi hoc factum fuerit ex fraude, & malitia. De quo videri potest Scaccia *de judic. cap.* 13. *num.* 61. qui *n.* 62. merito absolutè vult, quod semper sit præferendus, qui prius citavit, etiam si verbaliter; quia verè per citationem, Judex facit causam suam, & prævenit; unde quæcumque realis citatio superveniens invenit causam factam fuisse Judicis, qui prius verbaliter citavit; nec potest jus acquisitum ab illo judice conferre. Etiam verò ante litis contestationem est inchoatio processus, ut habet Gloss. *in v. inchoante*. Nam inchoatur processus aliquando fit per citationem partium, aliquando per inhibitionem judicis, & sic etiam ante litis contestationem per quemcunque actum judicialem substantialem tamen cognitio causæ inchoatur, & fit res non integra, ut dictum est supra *hoc tit. & lib. cap. Quamvis, & cap. si delegatus*, & habetur *ex cap. gratum, cap. licet, sup. de off. deleg. in antiq.* & infra *in hoc tit. cap. si à subdelegato*. Et in hoc aliud esse in Procuratore ait Gloss. qui dicitur occupasse causam per litis contestationem, ut infra *c. si duo de Procurat.*

13 Quod verò causa duobus, vel tribus, aut pluribus commissa ex eis unus solus, vel duo prævenerint alios causam inchoando provenire potest, quia literæ Apostolicæ præsentatæ sint uni tantùm, vel duobus. Ante præsentationem enim literarum Delegati nihil possunt, nec jurisdictionem habent Jo. Andr. Dom. *n.* 1. Franc. *n.* 1. & processus sic antea factus esset nullus, Bald. *in l. falsus, C. de furtis in* 6. *coll.* Hostien. *in cap. eam te, de rescript.* Si verò literæ fuerint pluribus præsentatæ, quod non omnes procedant potest evenire, quia aliquis, vel aliqui fuerint impediti, vel voluerint, aut malitiosè distulerint id facere. Nam alias unus non potest impedire alium, ne simul cum eo causam cognoscat, si illi præsentatæ sunt literæ, & est à parte requisitus, ut simul causam videat. Ideò si antequam unus Judex incipiat procedere, altera pars protestetur, aut insinuet, quod coram duobus, vel tribus, vel omnibus procedi debeat, non potest coram uno causa tractari, aliter processus nullus erit. Nam hoc capitulum habet locum, quando coram uno cœptum fuerit judicium, non verò quando supradicta intimatio, vel protestatio facta fuerit, Verall. *decis.* 71. *part.* 3. Joan. Paul. *decis.* 118. Marchef. *de commiss. par.* 1. *cap.* 6. *n.* 104.

14 Sic ergo ubi unus hujusmodi Delegatorum prævenit, & causam cognoscere inchoavit, si alter non potest se intromittere in causa. Unde nec ille, qui prævenit potest sibi associare alium, ut notant Lap. Dom. *n.* 16. Franc. *n.* 2. Et nec valeret citatio alternativa facta ab eo, qui inchoavit, & prævenit, per quam citaret ad comparendum coram se, vel coram Collega, quia Collega, qui non citavit in vi hujus citationis alternativæ non potest causam cognoscere. Nec citatus coram eo tenetur comparere, nec processus factus contra eum per collegam eundem, qui non citavit valet, ut probat Rota *decis.* 2. *de off. deleg.* Quod tamen citatio illa haberet vim respectu delegati, qui prævenit, & citavit, & quod citatus teneretur comparere coram illo, dicunt Dom. *n.* 13. & Franc. *num.* 2. cùm in citatione alternativa sufficiat, quod altera pars sit vera, *cap. in alternativis inf. de regul. juris*. Sed hujus ratio potest esse, quia citatio alternativa comparitionem coram aliquo absolutè præcipit. Et si igitur, quod si non sit licita comparitio coram Collega, qui non citavit, & in hoc citatio sit inutilis, resecata hac inutilitate, obligabit ad comparendum coram eo, qui citavit.

An verò processus sit nullus, si qui non prævenit se intromittat etiam associatus de consensu illius Judicis, qui prævenit, nullam ipso jure esse dicunt, Gloss. hic *in v. de eodem*, Archid. Jo. Andr. Anchar. *num.* 2. Dom. *n.* 16. Franc. *n.* 2. ex Innoc. *in cap. prudentiam* 27. *& in cap. Pastoralis in fin. de off. deleg.* Rota *decis.* Nam ille hoc modo associatus, aut adjunctus, aut se adjungens nullam habet jurisdictionem, & sic processus est nullus ex defectu jurisdictionis. Verùm hic considerandum esset, unde hic non valeat regula, *utile per inutile non vitiatur*, *infr. de reg. juris*, licèt enim adjunctus ille non habeat jurisdictionem, habet illam is, qui est delegatus, & in causa prævenit. Et ex concursu adjuncti non habentis jurisdictionem, processus non habet aliquid, quod non haberet, si ex solo delegato, qui prævenit, fieret. Videtur igitur, quod concursus alterius solum sit superfluus, & inutilis, & sic, quod processum alias utilem non irritet, & ita quod ubi jurisdictio sit data pluribus in solidum, si unus habilis admittat alium inhabilem, quod processus valeat, probat latè Vantius *de nul. ex parte jurisd. num.* 184. 15

16 Et ideò etiam dicitur, quod in hoc casu prorogari potest jurisdictio in illo se intromittere de consensu partium. Dubitat de hoc Franc. *in fin. num.* 2. ex eo quia verbum *nequibunt* positum in textu negèt omnem potestatem, secundùm Jo. Andr. & alios. Verum dicitur, quod ex textu constat omnes Judices nominatus in rescripto, si eis præsentatæ sint literæ habere jurisdictionem in habitu, quia in casibus pluribus his exceptis possunt causam delegatam cognoscere, ideò in illis solum exercitium jurisdictionis ex alterius præventione est impeditum, eorumque jurisdictio est suspensa, at verò jurisdictio suspensa de partium consensu prorogatur, Bart. *in l. Nec ille, ff. de curat. & tutor. dand.* Nec obstat litis pendentia coram Judice, qui prævenit, nam litis pendentia non reddit judicium nullum, ut per Innoc. *cap. cum M. sup. de const.* & Bart. *in l.* 2. *ff. de sepul. viol.* Et ideò, quod hujusmodi prorogatio in hoc casu fieri possit de consensu partium, tenet Anchar. *n.* 2. & Butr. *num.* 4.

17 Cùm verò dictio *nisi* sit exceptiva, ideò significat, quod exceptis casibus in textu exceptis, Judices præventi non possunt se intromittere in causa. Et ex hoc Archid. Dom. *n.* 7. & alii supra citati inferunt processum esse ipso jure nullum, si illi se intromittant. Sed hæc consequentia non apparet necessaria. Verùm quidem est, quod ex vi clausulæ exceptivæ, Judices præventi non possunt licitè se intromittere, imò nec validè, ut scilicet tribuant aliquam validitatem processui, sed non tamen sequitur, quod ex ea parte, secundùm quàm processus est à Judice, qui prævenit sit nullus, sed ex hac clausula exceptiva, aliud nota, scilicet non esse verum, quod hic asserunt Franc. *n.* 4. & alii, nimirum quod verbum *nequibunt* excludit omnem potestatem, quia nedum compatitur sibi potestatem in casibus exceptis, sed & ex regula sequenti habetur, quod manet perpetuata jurisdictio saltem secundùm habitum etiam in Judicibus illis præventis, de quibus dicitur, quod nequeunt se in causa intromittere, ideò verbum *nequeunt* verificatur etiam in illis, qui habent potestatem suspensam, vel qui quocumque modo prohibiti sunt exercere potestatem, quam alias retinent.

18 Quatuor autem casus excipiuntur, in quibus Judex præventus potest se in causa intromittere, nimirum, si Judex, qui prævenit sit infirmus; secundò si adsit alia causa justa; tertiò, si qui prævenit nolit prosequi, & terminare causam

sam; quartò, si licèt ostendat se velle, tamen malitiosè procedere in causa recuset. Est autem inter alias justa causa, ut præventus se intromittat in causa, si qui prævenit discedat à loco judicii, & ab eo longè absit, Dom. *num.* 9. Franc. *num.* 3. Archid. Malitiosè verò censebitur recusare, qui neglegit procedere in causa? Archid. Dom. *num.* 10. Franc. *num.* 3. Jo. Andr. qui dicunt præsumi malitiam, quando Judex procedere recusat, & non apparet illius justa causa. In his ergo casibus, qui fuit præventus poterit causam assumere: & qui fuit Collega solus in causa procedere, illamque expedire, *arg. leg. si cum dotem*, §. *si pater*, *ff. solut. matrim.* Ancharan. hic, & alii citati, Jo. Andr. supra *in hoc tit. & lib. cap. si contra unum*, Gloss. hic *in v. recusaret*, ubi habet, quod hoc non procedit in Procurat. *juxta cap. si duo*, *infr. de Procur.*

19 Hæc tamen limitantur, ut non verificentur in casu, quod Judex, qui prævenit in causa, eam subdelegaverit; quia tunc nec præventus poterit causam assumere ad se, nec Collega illam solus poterit prosequi, sed causa per subdelegatum præfatum erit cognoscenda, Gloss. *in v. recusaret*, Anchar. *num.* 3. Butr. *num.* 13. Dom. *num.* 13. Franc. *num.* 6. quod tamen declaratur, ut verum sit, si Judex præventus, aut Collega non prævenit subdelegatum; nam si subdelegatus prævenit, vel ex nulla parte est præventio, sed simul concurrunt Collega, & Subdelegatus; præferendus est subdelegatus ex prærogativa ipsius præoccurantis, *arg. cap. si duo*, *infra de Procur.* & sic ubi Judex, qui causam cognoscebat eam subdelegavit ex causa alicujus impedimenti, ob quod ipse causam cognoscere non potest, tunc solum, vel judex alias præventus validè causam assumit, vel Collega illius solus in causa procedit, si prævenit subdelegatum. Jo. Andr. Anchar. *n.* 3. Domin. & Franc. ubi supra, & advertit ex Anchar. Franc. quod Collega solus in hoc casu potest reassumere causam sententiæ latæ per alium Collegam impeditum, & cognoscere de exceptionibus, quæ post sententiam opponuntur.

20 Constare verò debet de impedimento Judicis domini causæ, seu qui in causa prævenit, ad hoc ut vel alius causam assumat, vel eam solus prosequatur, Archid. Butr. *num.* 9. Domin. *num.* 8. Franc. *num.* 3. Rota *decis.* 7. *de off. Deleg. in novis*. De hoc verò constare poterit, vel per literas Judicis impediti, vel per Nuntium ejusdem, vel per literas Episcopi, aut Capituli, Domin. *num.* 8. Non crederetur verò dictis Judicis procedentis, Franc. *d. num.* 3. videantur dicta *sup. in hoc tit. & lib. cap. si contra num.* 20. Advertit verò Gloss. *in v. recusaret*, quod judex, qui impeditus dimisit causam, quæ ab alio assumpta fuit, si postea cesset impedimentum non potest causam reassumere, nisi in aliquo ex casibus in textu exceptis.

21 Sed si Judex præventus assumat ad se causam ignorato impedimento prioris judicis, qui tamen verè est impeditus; numquid valet processus, vel potius est irritus? Processum valere per Innoc. *in cap. dilectus*, *de appellat.* & Jo. Andr. *in cap. Cum qui certus*, *infr. de reg. jur.* & Bald. *in l. falsus*, *C. de furtis*, tenent hic Dom. *num.* 8. & Rota *decis.* 6. *de offic. deleg. in nov.* si tamen impedimentum sit perpetuum, secus si voluntarium, Anchar. multis probare conatur oppositum, & præcipuè quia judici constare debet fundamentum suæ jurisdictionis, *l. hac autem* §. 2. *ff. ex quib. caus. in poss. & in l. multum*, & ibi per Bart. *ff. de cond. apponen.* & hoc idem probat Vantius *de null. part. jurisd. num.* 167. sed pro nunc vide dicta supra *in hoc tit. & lib. cap. si contra n.* 18. *&* 19.

Tertia regula est, quod per unum ex delegatis perpetuata eo modo, quo potest jurisdictione, est perpetuata quoad omnes, quibus commissa est causa, cum clausula, *ut omnes &c.* 22

Hoc autem advertitur primò circa hanc regulam, quod non habet locum, nisi in casibus exceptis in superiori regula, secundùm Anchar. *num.* 3. & Dom. *num.* 10. Quamvis etiam dici possit, quod habet locum absolutè, quia in omnibus simul pro eadem causa delegatis verificatur; nam in illis verè est jurisdictio in habitu perpetuata ex eo, quod est perpetuata in uno; quamvis in aliis sit suspensa, & non possit exire in actum, nisi in aliquo ex casibus expressis. 23

Non verificatur verò in delegato, vel delegatis adjunctis post primam commissionem, & inchoationem causæ factam à priori delegato: sed si contingat, quod delegans, qui adjunctum, vel adjunctos dedit prius moriatur, quàm illi incœperint causam cognoscere, cessat prorsus eorum delegatio, & jurisdictio, non obstante quod Delegatus, cui adjunguntur prius in causa processerit. Neque ex eo, quod adjunctus ille, vel adjuncti receperint literas Apostolicas, vel illis insinuatum fuerit Apostolicum mandatum perpetuatur eorum jurisdictio; quia receptio literarum non perpetuat jurisdictionem, ut probatum est *cap. quamvis* 6. *num.* 23. *supra in hoc lib. & tit.* In hoc verò capitulo solum decernitur, ut ex eo quod unus delegatus incœperit cognoscere causam amissam perpetuetur jurisdictio aliorum, qui in eodem rescripto super eadem causa simul dati sunt cum clausula *ut si omnes duo*, vel *unus &c.* ut jam docuit Hugol. Vercell. & ex Jo. de Franc. Dom. *num.* 12. quidquid in contrarium dixerint Jo. Calder. & Jo. de Lig. apud eumdem Dom. 24

Ex usu tamen illegitimò non perpetuatur jurisdictio. Sic si Delegato data sit commissio ad diem certum, vel sub conditione, ad nihil valet citatio facta ante illum diem, vel conditione nondum posita. Talis enim Judex tunc non potest exercere jurisdictionem, nec etiam de consensu partium, *cap.* 1. *sup. de off. deleg.* Pariter si citatio, vel actus sit de jure nullus & invalidus, perpetuatur jurisdictio, Gloss. Arch. Jo. Andr. Anch. *n.* 5. Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 7. *&* 8. Barbos. *n.* 4. *&* 5. non tamen requiritur, quod citatio sit peremptoria, Archid. Jo. Andr. Franc. *n.* 8. Videantur dicta *sup. in hoc lib. & tit. cap. quamvis*. 25

Explicat etiam Francus *num.* 4. casus, in quibus citatio, vel usus jurisdictionis perpetuat jurisdictionem cum eidem committuntur causæ connexæ, aut datur quis ad universitatem causarum. De quibus videri possunt notata *in d. cap. quamvis*. 26

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IX.

SI super gratia cuiquam ab Apostolica sede facta executores fuerint deputati: æquum esse censemus, ut sicut ipsa gratia (licèt nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integra perimatur executoribus data potestas: quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam, naturam sequi congruit principalis: Ne gratiam eamdem vel reddi quandoque omninò inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cùm illius dispendio, cui facta extitit) differri contingat.

SVMMARIVM.

1 *Ordo textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Intelligitur de rescriptis gratiæ, non justitiæ.* 4.
5 *Executor collati Canonicatus non expirat.*
6 *Regula extenditur ad gratias à Legatis, & inferioribus concessas.*
7 *Intelligitur de gratiis factis.*
8 *Facilius impeditur faciendum, quàm factum.*

9 Ex-

9 *Extenditur regula ad gratias factas licèt non acceptatas.*
10 *Deputatus ad videndum an gratia sit facta expirat.*
11 *Non verificatur in literis justitiæ, quia non sunt super gratia, aut justitia facta, sed facienda.*
12 *Executor justitiæ factæ non expirat.*
13 *Præceptum de exequendo non expirat.*
14 *Executor non est propriè delegatus.*
15 *Executor mixtus quando expiret, vel non expiret.* 16. 17.
16 *Clausula si ita est, quando non reddit gratiam conditionalem.*
18 *Executor si pronunciet se non esse executorem, non per hoc cessat esse.*
19 *Vis consequentia textus.*
20 *Accessorium perpetuatur, si principale est perpetuum.*
Executio accessoria gratiæ. 20.
21 *An cesset executor, si ex hoc gratia non est invalida.*
22 *An conservator expiret.*

1 IN hoc capite regulam ponit Pontifex, quam probat & ratione, & ab absurdo.

2 Regula est, quod executor super gratia facta datus à Papa, eo mortuo etiam re integra, gratiam exequitur. Quamobrem cùm, *ut ex cap. 6. 7. & 8. proximè super.* Delegatus expiret re integra ob mortem delegantis, executor super gratia facta a Papa, licèt largè loquendo sit delegatus, manet, & gratiam exequitur, ut ex hoc textu præter Gloss. & alios Interpretes senserunt Covar. *in cap. cum in officiis num. 8. de testam. & pract. cap. 11. a princip. & l. 3. var. cap. 15. à num. 2.* Mod. *in tract. Mors omnia solvit part. 2. concl. 64. à num.* 186. Rodriq. *tom. 1. q. 9. art. 1. & tom. 2. q. 46. art. 8.* Gonz. *ad reg. 8. Cancell.* Gloss. 12. *in princ. n. 33.* Rebuff. Vincent. de Franchis, Perez. Mulin. Ricc. Cened. Gutierrez quos refert Barbosa hìc *n. 2.* Rota *decis.* 203. *n. 6. p. 4. divers.*

3 Regula dicta procedit in gratiis factis à Papa. Ideò distinguuntur ab aliquibus rescripta gratiæ, à rescriptis justitiæ, quæ dantur ad lites, & executores eorum, nam tam rescripta justitiæ, quàm executores eorum morte Papæ concedentis expirant re integra. Ita ex Gloss. habet Franc. *in fin.* & ratio est, quia licèt talia rescripta pereant, manet jus impetrantis, & ita cessat ratio hujus textus. Sed non videtur quod ratio esset, quia si rescripta justitiæ cessant, & concessum est inutile, & partibus necesse est diu expectare, ut novos executores consequantur. Ideò aliter distinguitur, & dicitur, quod rescripta, vel dant jurisdictionem, vel solam tribuunt facultatem exequendi.

4 Illa expirant, non ista etiam si data in materia justitiæ, ut ex Bart. *in l. fundi venditor. ff. de acquir. possess.* tradit Domin. *num. 4.* quem sequitur idem Franc. *in fin.* sed de hoc sermo erit infra.

5 Interim advertitur, quod quia Canonicus habet jus ad præbendam, licèt possit contingere, quod per aliquod tempus aliquis sit Canonicus sine præbenda, si Papa contulit Canonicatum Titio, gratia non expirat, morte Papæ. Et si Papa contulit Canonicatum, & dedit executorem, aut mandavit Canonicis, ut dent possessionem Canonicatus, & præbendam vacantem, vel vacaturam, mortuo Papa, re adhuc integra, gratia non expirat. Quia gratia respectu Canonicatus est facta, & ideò ex regula hujus textus non expirat morte concedentis. Sed & respectu præbendæ etiam si tunc non vacantis, seu vacaturæ gratia est facta, quia per Canonicatum datum est jus ad præbendam, & sic præbenda est accessoria, & per se connexa Canonicatui, *cap. penult. infr. de concess. prabend.* Gloss. *not ab.* 2. Franc. *num. 2.*

6 Quamvis autem textus loquatur de executore gratiæ factæ ab Apostolica Sede, regulam nihilominus extendi etiam ad gratias, & executores datos à Legatis Pontificis advertunt Archid. Joan. Andr. Anchar. *num. 2.* Domin. *num. 3.* Franc. *num. 1.* Ant. Gabriel. *conclus. com. l. 6. tit. de prab. conclus. 1. num. 4.* Sanchez *l. 8. de matrim. disp. 28. num. 43.* Quod extendit Anchar. ad gratiam factam à quocumque Ordinario, & Sanchez ubi supra, ad executorem cujuscumque gratiæ ab aliis inferioribus concessæ. Cùm semper militet eadem ratio æquum enim est, ut gratiæ concessio sit perpetua, & quod non pereunte gratia, non desit executor illius.

Limitatur autem regula, ut non se extendat ad gratiam faciendam, sed solum ad jam factam. Gloss. Jo. Monach. Archid. Jo. Andr. Anchar. *n. 1.* Butr. *in princ.* Dom. *n. 4.* Lapus, Franc. *n. 1. & 4.* Gratia enim non facta, sed facienda re integra morte concedentis expirat, *cap. si eni, inf. de praben.* Ideò gratia de beneficio vacaturo expirat morte concedentis, quia non est gratia facta, sed facienda, *ut ex c. alleg.* 17. notat Franc. *n. 1.* Dom. *n. 3.* & habetur *ex c. penul. inf. de off. leg.* Sanch. *d. n. 43.* 7

Ex quo colligitur quod facilius impeditur faciendum, quam jam factum, ut citati DD. advertunt. Et quod causa rei destructiva sæpius non nocet rei, quæ dare in suo esse perfecto est producta, Dom. *n. 1.* 8

Movet dubium Lapus, an regula ista verificetur etiam si gratia sit facta, si non est acceptata. Et primò approbat partem negantem, quia gratia non acceptata non est effectualiter facta. Nihilominus contrarium verius esse affirmat, & sequuntur Domin. *num. 5.* & Franc. *num. 2.* Portius *cons.* 157. *num. 3.* Sanchez *d. num. 43.* & probatur *ex cap. si tibi absenti, inf. de prab.* Nam gratia facta est ex parte facientis cùm est concessa, nec decet eam revocari, quia æquum est gratiam esse perpetuam, ideò morte concedentis non censetur revocata. Et in aliis terminis loquuntur, *c. fin. inf. de concess. prab. & c. penul. inf. de off. leg.* 9

In dubio verò an gratia sit facta, vel non facta, si impetretur Delegatus, ut dubium solvat, morte delegantis cessat re integra potestas delegati, ut ex Paulo tradunt Domin. *num. 6.* & Franc. *num. 4. fin.* Sanchez *d. num.* 43. Quia istius delegati jurisdictio non est accessoria gratiæ, sed est principalis ratione causæ commissæ. At hujusmodi delegatio non est super executione gratiæ factæ, sed ad videndum an gratia sit facta, ex vi hujus textus verò facultas illa non expirat morte delegantis, quæ est facultas exequendi gratiam factam. 10

Et ob hanc causam rescripta justitiæ, per quæ dantur judices ad lites dirimendas, non comprehenduntur sub hac regula; quia non sunt rescripta, per quæ fiat gratia, & detur facultas exequendi gratiam factam. Est enim advertendum quod rescriptum Papæ concedentis Judicem ad cognoscendam causam, nec propriè est gratia, sed est actus justitiæ, quia Papa, qui non potest per se ipsum causas cognoscere ex quadam justitia tenetur illas videre per alios, & mittere delegatos. Sed dato quod rescriptum justitiæ esset gratia, ad hoc, ut non expiret, debet continere aliam gratiam ab ipso rescripto distinctam, quæ sit rescripti materia, nimirum ut rescriptum sit tale, per quod gratia aliqua conceditur, vel gratiæ concessæ executio mandatur. Et sic non sit gratia sola, quod Papa rescribat, sed quod rescribendo gratiam aliquam concedat. Hoc enim est rescriptum gratiæ distinctum à rescripto justitiæ. Quamobrem rescripta justitiæ non comprehenduntur sub hac regula, & non habent, quod morte concedentis non expirent, duplici de causa; & quia non continent gratiam, sed justitiam, & quia nec continent justitiam factam, sed faciendam; Delegatis enim datur facultas, & mandatur, ut justitiam faciant. Inde est, quod ubi Judex ordinarius mandet nudam executionem, licèt tunc rescriptum contineat justitiam factam, scilicet per sententiam determinatam, & stabilitam, quia tamen tale rescriptum non continet gratiæ, sed justitiæ executionem, non habet ex vi hujus regulæ, quod morte, aut cessatione officii non expiret, id tamen habet ex vi rationis, qua hæc regula stabilitur, quia scilicet æquum, ut executioni detur, quod jam concessum est, vel decretum, & quod concedentis morte non evacuetur executio ejus, quod in vita concessum fuit, & stabilitum. 11 12

Quod propterea præceptum de exequendo datum Nuntio à judice, ob judicis mortem, aut amotionem non expiret, & quod v. g. si judex commisit cuidam executionem sententiæ, v. g. ut poneret aliquem in possessione, valeat possessio etiam si capta post mortem Judicis, voluit Bart. & ex eo Anchar. *n. 1.* Butr. *n. 1.* Dom. *n. 4.* Franc. *n. 2.* Et hujus ratio est, quia valida est executio ejus, quod morte non cessat, quia executio est illi accessoria, unde militat ratio textus, ut non cesset accessorium, si perseverat principale. Et quia verè æquum est, ut tam justitia, quam gratia jam facta, & in suo consolidata executioni detur. 13

Sic

14 Sic ergo non loquitur textus de delegatis ad causas cognoscendas, & definiendas; nam nec tales dantur super gratia, aut justitia facta, sed facienda; sed loquitur de executoribus gratiæ jam factæ, qui in proprietate sermonis non sunt delegati, licèt largè sumendo vocabulum tales nuncupentur, Barbos. *n.*4.

15 Cùm verò regula indubitatè verificetur in meris executoribus gratiæ jam factæ, dubium est, an habeat locum etiam in mixtis. De hoc controversia fuit in Rota, ut habetur *in decis.* 12. *de off. Deleg. in novis*. Sed considerandum est, quod executor mixtus potest dari super gratia nondum facta, sicut erat in casu illius Rotæ, qui erat si Papa mandet alicui executori, ut vocato possessore certi beneficii, & aliis, qui fuerunt evocandi, si est ita, vel ita esse invenerit, provideat Titio de dicto beneficio, quod Titius exposuit Papæ certo modo vacari, Papa moriatur re integra ante præsentationem, & receptionem dictarum litterarum, utrùm per mortem Papæ vacet præfati executoris potestas. In hoc enim casu provisio de beneficio non erat facta, sed Papa mandavit fieri causa examinata, citatis partibus, & visis videndis. Et ideò in prædicto casu Collector illius decisionis benè respondit facultatem executoris expirasse; quod etiam dixit Domin. *num.* 7. & Franc. *n.* 4. quia commissio non erat super gratia facta, sed super facienda.

16 Alio modo videtur dari posse executor super mixtus gratia jam concessa, quando non opus est, nisi ut verificetur expositum, & Papa concessit gratiam, sed cum clausula *si ita est*. Nec obstat, si quis dicat gratiam concessam sub conditione non censeri concessam, nisi conditione adimpleta. Quia conditio de futuro est illa, quæ suspendit gratiam, ut non censeatur facta simpliciter conditione pendente. Sed clausula *si ita est*, importat conditionem de præsenti, quæ non suspendit gratiam, quæ existente de facto conditione verè est, & in se completa. Ubi enim gratia est concessa clausula *si ita est*, etiam expressa non facit rescriptum conditionale secundùm Seraph. *dec.* 775. *n.* 5.

17 Quod quidem verum esse tunc maximè potest, quando gratia non concernit interesse, & damnum tertii, de quo videri potest Marches. *de commiss. part.* 1. *in commiss. de appellat. ab execut. Breve Apost. cap.* 1. *num.* 82. In simili ergo casu, quod executoris licèt mixti facultas non cesset ex morte concedentis re integra, docet Franc. *num.* 4. Ubi quod si Papa contulisset beneficium, quod Titius exposuit certo modo vacare, & mandat executori, ut si ita est inducat in possessionem, nam ex eo quo gratia erat facta, non expiraret tunc potestas executoris. Et addit ex Jo. Andr. *in c. si cui, inf. de præb.* quod non expirat facultas executoris, etiam si in commissione sit clausula, *contradictores per censuram Ecclesiasticam compescendo*. Et verè sic dicendum est ex hoc textu, quod indistinctè facultas exequendi gratiam factam etiam in executore mixto re integra morte concedentis non expirat mihi, quem sequitur Ant. Gabriel. *d. concl.* 1. *num.* 15. Sanchez *d. num.* 43. sed advertendum est, ne accipiatur gratia ut facta, quæ non est facta, sed facienda; & ideò benè ponderandum est an clausula *si ita est* reddat rescriptum conditionale, & gratiam suspendat; & præterea attendi debet, quod facultas exequendi gratiam factam est illa, quæ non expirat, cùm non expiret gratia.

Si verò executor pronuntiet se non esse executorem illius gratiæ, adhuc non expirat ejus potestas, quia hujusmodi pronuntiatio tale jus auferre non potest; & ex hoc limitatur *cap. significantibus sup. de off. deleg.* ubi expirat jurisdictio delegati, si se pronuntiat incompetentem; quia illud procedit, quando jurisdictio datur principaliter, non verò quando datur accessoriè, *arg. ex hoc text.* Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 4. 18

Ponderanda quoque est consequentia ista à simili, quam facit textus, scilicet gratia jam concessa etiam re integra morte concedentis non perimitur; ergo nec facultas exequendi. Ex hoc enim habetur regula universalis, quod non pereunte gratia non petit facultas exequendi gratiam. 19

Consequentiam verò præfatam probat textus, ex eo quod facultas exequendi sit accessoria gratiæ jam concessæ. Itaque executio à gratia distinguitur, ut accessorium à principali, Lap. Dom. *n.* 2. Franc. *n.* 2. Nec executionis negatio infirmat, & tollit valorem gratiæ: nam licèt gratia non executa non sit gratia efficaciter, & in effectu verificata, & perfecta, est tamen valida, & in actu primò, seu in habitu completa, & perfecta. Ex quo verò executio, quia accessoria gratiæ habet perpetuitatem ex illa, colligitur quod accessorium habet ex principali perpetuitatem, vel distructionem, Anch. *n.* 2. Butr. *n.* 1. Franc. *n.* 2. Barb. *n.* 3. Qui DD. idem asserunt de connexis. 20

Francus *num.* 5. ex verbo *inutilem* colligit regulam non verificari in executoribus super gratiis, quando gratiæ non redderentur inutiles, vel ad tempus non differentur. His enim causis cessantibus cessaret executorum officium. Sed nisi gratia sit data, ut exequenda tempore futuro, semper non executio ad minus differt fruitionem gratiæ, & sic militat ratio literæ. Sed & possessio gratiæ est quid valdè æstimabile, unde ubi habere possit locum gratiæ possessio, licèt usus illius respiciat futurum, non est unde expiret facultas dandi possessionem jam concessæ gratiæ, quia aliter gratia ipsa differetur. 21

An verò Conservatorum potestas expiret morte concedentis, dicitur infra *c. fin. in hoc tit.* 22

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT X.

SI is, cui causa (licèt proprio nomine non expresso) à sede fuerat Apostolica delegata, subdelegaverit non in totum vices suas alicui: à subdelegato hujusmodi, si delegatum ipsum excommunicari, aut de medio tolli contingat, impedimento tali durante, ad sedem ipsam (ne absolutionem vel successorem expectando illius, præjudicari litigantibus, vel causa plus debito prorogari valeat) volumus appellari.

SUMMARIUM.

1 *A Subdelegato non in totum appellatur ad Delegatum.*
2 *Ubi Delegatus sit impeditus à subdelegato non in totum appellatur ad Papam.*
3 *Ubi Iudex proximus est impeditus appellatur ad superiorem sine medio.*
4 *Regula textus.*
5 *A subdelegato non in totum appellatur ad Papam, si delegatus est excommunicatus.*
6 *Majori scilicet excommunicatione. Et quid si sit toleratus.*
7 *Idem si delegatus sit suspensus, vel hæreticus.*
8 *Idem si longè absit.*
9 *A Delegato Episcopi ad Episcopum licèt recusatum appellatur.*
10 *Delegato mortuo appellatur ad Papam.*
Mortuo Episcopo appellatur ad Capitulum. 10.
11 *A subdelegato in totum appellatur ad primum delegantem.*
12 *Mortuo Delegato, si delegatio facta sit dignitati, successor*

cessat cognoscit causam.

Delegato Papæ mortuo appellatur ad Papam etiam si delegatio facta sit non expresso nomine delegati. 12.

13 *In dubio valet appellatio alternativa.*

14 *Delegatio potest fieri nomine delegati non expresso.*

Delegatus habet jus in causa. 14.

Delegatus Papæ potest in totum, & non in totum delegare. 14.

15 *Excommunicatio non tollit, sed suspendit jurisdictionem.*

Excommunicatio Delegati non suspendit jurisdictionem subdelegati. 15.

16 *Cessante appellati impedimento, ad eum appellatur.*

Impedimentum Judicis, ad quam non excusat partem. 16.

17 *Litigantium commodo jura prospiciunt.*

1 SUpponitur hic, quod sit generalis regula, ut à sententia subdelegati non in totum appellatur immediatè ad Delegatum subdelegantem, non verò ad delegantem primum, prout statutum fuit supra *cap. si delegatus 7. in hoc lib. & tit.* & dictum est ibi *num. 23. & seqq.* & docent DD. ibi citati. Cujus regulæ, ratio est, quia ubi causa subdelegatur in totum. Delegatus subdelegans totam à se abdicavit jurisdictionem, & sic jus illius non in eo remansit, sed in primo delegante, in quo est fons jurisdictionis. Sed ubi Delegatus subdelegavit non in totum, cùm jurisdictio sit individua, & indivisibilis, utens illa parte, quam non subdelegavit, totam retinuit, *ut not. in cap. Dilectus, de Capell. Monach.* & ex Bart. *in l. si prius, ff. de aqua pluv. arcend.* tradunt hic Ancharan. *num. 1.* & Butr. *num. 1.* Et sic cùm in Delegato, qui subdelegavit non in totum remaneat tota jurisdictio, ad illum à subdelegato appellari debet. Nunc hujusmodi regulæ datur limitatio in duplici casu.

2 Implicitè in hoc textu ponitur regula generalis, quod scilicet ubi Delegatus Papæ etiam non expresso nomine Delegati subdelegavit causam non in totum, si talis Delegatus sit impeditus, & sit appellandum à subdelegato, non ad delegatum impeditum appellatur, sed ad Papam primum delegantem. Hanc verò regulam expresè textus explicat in duplici casu, scilicet si Delegatus sit vel excommunicatus, vel mortuus.

3 Est ergo reguls generalis, quod ubi is, ad quem immediatè esset appellandum est impeditus, tunc omisso medio appellatur ad alium superiorem, ut tradunt Gloss. hic, Anchar. *num. 1.* Panorm. *in cap. dilecti 66. num. 15. cum 9. de appell.* Felin. *in c. super quæstionum 27. §. porro n. 14. sup. hoc tit.* Marant. *de ord. jud. par. 6. §. quandoque appellatur limit. 6. num. 175.* Gail. *lib. 1. observ. 119. num. 2.* Scaccia *de appell. q. 8. n. 37.* Barbosa hic *n. 3.* Soccin. *regul. 23. Fallent. 12. & 15.*

4 Ex qua oritur regula minus generalis intenta in hoc capite, quod a subdelegato non in totum, ubi Delegatus, qui subdelegavit est impeditus appellatur ad primum delegantem. Et ideò in eo casu à subdelegato non in totum à Delegato Papæ appellandum est ad Papam, ut tradunt Gloss. Anchar. *n. 1.* Butr. *n. 1.* Panorm. *cap. Cum sit 18. sup. hoc tit. n. 1.* Barbos. hic *n. 2.*

5 Hujus verò regulæ, primum exemplum in textu datur in excommunicato, & sic si Delegatus Papæ sit excommunicatus, à subdelegato non in totum appellatur ad Papam, prout hic DD. explicant. Et ampliatur hoc, ut universaliter quando is, ad quem de jure esset immediatè appellandum sit excommunicatus, possit appellari sine medio ad alium superiorem, ut per Gloss. hic, & per DD. *n. 4.* citatos probat Scaccia *d. q. 8. num. 38.* Archid. *in cap. anteriorum num. 17. 2. q. 6.* Suarez *de censur. disp. 14. sect. 1. n. 1.* Barbos. hic *num. 4.*

6 Hoc tamen intelligitur de excommunicatione majori. Tractant verò hic Lapus, & Domin. *num. 6.* quid dicendum esset secundùm jus illius temporis de excommunicato occulto, vel publico. Sed nunc juxta jus novum *Concil. Const. in extravag. ad evitanda*, occultus excommunicatus censendus est, qui vel non est notorius Clerici percussor, vel non est denuntiatus, sed toleratus, & dato, quod Delegatus sit præfato modo notorius, vel denuntiatus, & sic non toleratus, ad ipsum non erit appellandum. Quod tamen fieri poterit, si sit occultus, & acta ejus sustinebuntur, nisi pars opponat. Nam decretum *Concil. Constant.* non emanavit ad favorem excommunicati, sed aliorum fidelium, qui si nolunt non coguntur communicare cum excommunicato, sed eum vitare possunt, Suarez *disp. 14. sect. 1. num. 15.* & ideò pars potest opponere, & non admittere appellationem ad excommunicatum, cujus excommunicatio probari potest in judicio. Cæterùm si non opponat appellatio sustinebitur, quia acta per excommunicatum occultum, seu toleratum valida sunt, Navar. *cap. 27. num. 21.* Suarez *disp. 14. sect. 1. num. 8.* Avila, Covar. Victor. Sotus, Castro, Filliuc. Alterius, Gutierez, Luysius, Vasquez, Hurtadus, Bauny. Henriq. Ugolin. Coninch. & alii, quos referunt, & sequuntur Bonac. *disp. 2. q. 2. p. 5. n. 3.* Leander. *de cens. tr. 2. disp. 11. q. 10.* Ballæus *v. excom. 3. n. 23.*

Idem verò dicendum est, si delegatus, vel alius superior, 7
ad quem immediatè appellandum esset, pariter esset suspensus, vel hæreticus, tunc enim vel ad primum delegantem, vel ad alium superiorem appellandum esset à subdelegato non in totum, vel alio judice inferiore. Militat enim eadem, ut de suspenso notat Panorm. *in cap. dilecti 66. el 3. n. 15. de appell.* & de hæretico, aut non Catholico, Panorm. *d. n. 15.* & ibid. Franc. *n. 20.* & Dom. infra *in cap. Romana, §. 1. n. 4. de appell.* & de utriusque Scaccia *d. q. 8. num. 41. & 39.* Barbos. hic *n. 6.*

Idem quoque asseritur de Delegato, vel alio Judice, ad 8
quem aliàs sit appellandum, si sit absens notabilis, & longinqua distantia, tunc enim eo omisso, vel ad primum delegantem à subdelegato non in totum, vel ab alio judice ad alium judicem esse appellandum, *ex reg. cap. 2. ibi: in longum peregrinari, infr. de Procurat. & l. licet 15. in fin. ff. de arbit.* docent Domin. *num. 4.* Anchar. *num. 2.* Franc. *num. 2.* Barbosa *num. 7.* Et sic longa absentia sufficit ad jurisdictionem in alium transferendam, ut habetur *ex cap. cum plures 8. sup. in hoc tit. & lib. §. porro*, ibi: *vel alia justa causa*, & tradunt Feder. *cons. 230. num. 2.* Tuscus *lit. A, concl. 33. num. 10.* Dictum tamen est, si absentia sit notabilis, & longinqua; quia ut advertunt Dom. & Francus, cùm Delegatus, seu Ordinarius absens possit causam subdelegare; licèt in absentia, seu in loco, in quo est, non possit causam appellationis cognoscere, poterit tamen eam delegare; & ideò nisi distantia sit valdè magna, & valdè grave incommodum partium si ad absentem appelletur, ad eum appellari debet, ut causam subdeleget. Sic si non sit majus incommodum, vel si sit æquale si appelletur ad delegatum absentem, & ad primum delegantem, ad delegatum appellandum erit, quia tunc nec absentia reddit illum impeditum quin possit causam per alium cognoscere.

Idem pariter multi dicendum judicant de Ordinario, qui 9
ex quo fuit judicatus suspectus causam delegavit, ut scilicet ab hoc Delegato non sit appellandum ad Episcopum, seu Ordinarium delegantem, sed ad alium superiorem. Ita Innoc. & Hostien. *in cap. si quis contra supr. hoc tit.* quos sequitur ibi Anchar. *num. 5.* & Scaccia *q. 8. num. 42.* Barbos. hic *num. 8.* & apud istos plures alii. Quod apud Franc. hic *in fin.* limitant Joan. Calder. & Lap. ut tunc ad alium superiorem sit appellandum, quando Episcopus, vel alius Ordinarius, post probatam causam suspicionis delegavit, secus si ante probationem dedit Delegatum. Sed cum Franco hic in fine, & aliis citatis *sup. in hoc lib. & tit. cap. Judex n. 21. & seqq.* dicitur, quod cùm Episcopus, seu Ordinarius nedum post probatam causam suspicionis, sed post pronuntiatam suspicionis sententiam non sit factus omninò inutilis, sed possit causas delegare suspicione non obstante, ideò ab ejus delegato ad ipsum licèt recusatum immediatè appellari debet, non ut ipse causam cognoscat, sed ut eam alteri deleget.

Secundum exemplum literæ est, si delegatus sit mortuus. 10
Tunc enim à subdelegato à Delegato Papæ appellatur ad Papam, & universaliter à Judice inferiore appellatur ad alium Superiorem. Et quidem loquendo de subdelegato, à Delegato Papæ res est certa ex hoc textu, ad quem id omnes DD. docent. Verum in Ordinariis judicibus aliquale discri-

discrimen invenitur. Mortuo enim Episcopo, quod ab inferioribus, ut puta à Plebano non appelletur ad Archiepiscopum probat Anch. *n.* 1. ex eo quia Episcopo mortuo succedit Capitulum in jurisdictionibus, & appellationibus, & ideò ad Capitulum erit appellandum. Quod etiam tradit Butr *n.* 3. In causis tamen delegatis Episcopo à Papa, mortuo Episcopo appellatur non ad Capitulum, sed ad Papam, quia in his Capitulum non succedit, arg. hujus cap. & eorum, quæ notant *in cap. verum, de for. comp. & cap. ad abolendam, de heret.*

11 In regula tamen tradita duo expressa sunt ponderanda, nimirum particula *non in totum*, quæ necessario fuit expressa, quia aliter regula fuisset superflua, & minimè necessaria. Quia ubi Delegatus Papæ subdelegat causam in totum, indubitatum est, quod non ad delegatum, qui jam, ut dictum est *nu.* 1. abdicavit à se totam jurisdictionem, sed ad primum delegantem, seu ad Papam est appellandum, ut notat Gloss. *in v. totum*

12 Aliud expressum fuit per clausulam, *licèt proprio nomine non expresso*. Hæc enim clausula fuit addita, quia alter non fuisset necessarium exprimere casum mortis: quoniàm indubitatum est, quod ubi proprio nomine aliquis est delegatus, & sic delegatio facta est personæ, non dignitati, mortuo delegato ad primum delegantem sit appellaudum, sed ubi delegatio facta sit non personæ, sed dignitati, mortuo delegato, cùm non sit mortua dignitas, videri potuisset, quod à subdelegato appellandum esset ad successorem delegati. Quia ubi delegatio facta est dignitati non personæ successor in dignitate cognoscit causam. Quod verum est etiam si ei personæ, qui erat vivus, quando datæ sunt literæ illæ non fuerunt præsentatæ, sed mortuus est, priùs quàm literæ præsentarentur: nam & tunc literæ præsentantur successori, qui facultate delegata causam cognoscit, ut notant Gloss. *v. non in totum*, Domin. *num.* 4. Franc. *num.* 3. ex Joan. Andr. *in cap. quoniam Abbas, de off. deleg.* Nihilominus Papa statuit, ut in hoc casu non ad successorem in dignitate, sed ad Sedem Apostolicam appelletur.

13 In dubio autem, vel an subdelegatio facta fuerit in totum, vel potius in partem; vel an Delegatus excommunicatus fuerit absolutos ab excommunicatione, valere appellationem alternativam, voluit Gloss. *in verbo durante*. Et ita etiam sentit Scaccia *de appellat. quæst.* 9. *num.* 6. Et sic tunc sufficiet, quod intra tempus prosequendi appellationem dubium auferatur, quo ablato poterit appellans prosequi appellationem coram Delegato, si constiterit eum non in totum subdelegasse, vel si fuerat excommunicatus constiterit eum fuisse absolutum, juxta tradita per Rotam *decis.* 33. *de appellat.* & explicatam per Scacciam *dict. quæst.* 9. *num.* 2. Manente verò dubio necesse erit illam prosequi coram Pontifice.

Ex hoc verò textu sic explicato nonnulla deducuntur, ut ex illis verbis, *proprio nomine non expresso*, quod licèt delegare causas proprio nomine delegati non expresso, sed expressa dignitate ejus, Domin. *num.* 1. & ex illis verbis *vices suas*, quod Delegatus habet jus in causa sibi commissa, unde vices suas delegare possit, Domin. *num.* 1. item ex verbis *non in totum*, quod Delegatus Papæ, & in totum, & non in totum vices suas potest subdelegare. 14

Suarez *disput.* 14. *sect.* 1. *num.* 1. ex hoc textu colligit, si contingat delegatum esse excommunicatum, ipsum subdelegatum esse privatum jurisdictionis usu. Sed Barbosa hìc *num.* 9. deducit, ergo quando delegata est jurisdictio, & res non est integra, nempe quia delegatus ante excommunicationem perpetuaret suam jurisdictionem, tunc non suspendetur jurisdictio delegati, subdens ex Ricciull. hoc procedere, sive delegatio facta fuit in totum, sive in partem, sed puto esse errorem in impressione, & quod ubi dicitur jurisdictio delegati, debeat dici jurisdictio subdelegari, quia falsissimum est, & contra jura, quod per excommunicationem Delegati non suspendatur delegati jurisdictio; quia imò in tantum ad delegatum excommunicatum non potest appellari, quia ejus jurisdictio est impedita, & suspensa. Benè verum est, quod excommunicatio non perimit jurisdictionem illam tamen impedit, & suspendit, ut hìc notant Domin. *num.* 2. Butr. *num.* 2. Franc. *numer.* 2. Sed tamen excommunicatio superveniens Delegato re non integra, non suspendit jurisdictionem subdelegati, quidquid secus dixerit Suarez citatus, nec inficit subdelegati processum, ut benè adnotavit Franc. *num.* 1. ex hoc textu, in quo solum disponitur in causa appellationis; igitur processus tenet de jure: nam excommunicatio est vitium personale, Innoc. *in cap. licèt undique suprà eodem tit.* 15

Colligit etiam Gloss. quod cessante Delegati impedimento, puta eo ab excommunicatione absoluto, ad eum appellatur, non ad primum delegantem, si subdelegatio non est facta in totum. Secundò verò colligit Butr. *num.* 3. & Franc. *num.* 3. quod impedimentum judicis, ad quem non excusat partem gravatam, si in tempore non appellat; quia debet ad alium primum delegantem, vel superiorem appellare. 16

Notandum, quod jura commodum litigantium respiciunt, & ideò ad fugiendum grave illorum incommodum transfertur etiam jurisdictio. Neque enim litigantes gravari debent ex alieno facto, *ut ex cap. si quis* 23. *quæst.* 4. advertit Gloss. *not. ult.* & ex Archid. Dom. *num.* 3. 17

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XI.

Ab arbitris, qui secundùm formam juris, ut de proposita contra judicem suspicionis causa cognoscant: vel qui cùm de revocatione ambigitur literarum, judicibus nequeuntibus in unam sententiam concordare, ad concertationem hujusmodi sopiendam à partibus eliguntur: est (si gravaverint) ad sedem Apostolicam appellandum.

SUMMARIUM.

1 *Summa textus.*
2 *Quid sit Arbiter.*
3 *Arbitri juris necessarii, & voluntarii.*
4 *Arbitri censentur delegati.*
5 *Ab Arbitris juris potest appellari.*
6 *Et ab illis, qui sunt per statutum.*
7 *Non à voluntariis.*
8 *Ab Arbitris electis pro suspicione Delegati Papæ appellatur ad Papam.*
9 *Item ab illis, qui cognoscunt de revocatione literarum Apostolicarum.*
10 *An datur regula universalis decernens, ad quem sit appellandum ab Arbitris.*
11 *Non semper ab Arbitris appellatur ad Papam.* 10.

12 Ab

12 *Ab Arbitris cognoscentibus causam Episcopi cum subdito appellatur ad Papam.*
13 *Arbitri dupliciter gravare possunt.*
14 *Partium est appellare ab Arbitris, & etiam Judex aliquando id facere potest.*

1 QUando Delegatus Papæ allegatur suspectus, vel quando Judices non concordant, & controversia est de revocatione literarum Apostolicarum eligendos esse Arbitros secundùm jus, & tunc ab horum Arbitrorum sententiis esse appellandum ad Papam decernitur in hac decretali. Ex qua nedum id docuerunt ejus Interpretes, sed & *in cap. suspicionis causa* 39. *hoc tit. in Decretali*, ubi Gloss. *in v. Ad quos*, Butr. *num.* 17. Panorm. *n.* 7. Imol. *n.* 3. Zabarell. *col.* 3. *vers.* 2. Gail. *lib.* 1. *obser.* 33. *n.* 18. Pacian. *de probat. l.* 2. *c.* 45. Scacc. *de appell. q.* 7. *n.* 109. Felin. *in cap. super quæstionum* 27. *§. porrò n.* 14. *de appell.* iterùm Panorm. *in cap. Dilecti* 66. *n.* 14. Maranta *p.* 6. *de appell. n.* 376.

2 Pluribus verò modis accipi hoc nomen Arbitri hic tradunt Archid. Jo. Andr. & Dom. *num.* 3. in præsenti Arbitri dicuntur personæ assumptæ ad lites componendas, & terminandas ex juris dispositione, & sic Arbitri sunt Judices, quos eligunt partes, sive utraque pars eumdem eligat, sive quælibet eligat unum sibi proprium. Et hi Arbitri licèt à partibus eligantur, non habet tamen ab eis potestatem, sed à jure, ut habetur *cap. suspicionis*, & advertit Franc. *n.* 2. citato Bart. *in l. item si unus, §. item si plures, ff. de Arbitris*; & Imol. infra *in cap. fin. de Arbit.* Unde partes non possunt tunc in compromisso dare novam formam aliter, quàm in jure caveatur, Franc. *d. n.* 2. post Dom. infra *in d. cap. fin.* Eliguntur verò à partibus, non à judicibus, quia præjudicium litis spectat ad partes, non ad judices.

3 Considerandum est enim dari duplicis generis Arbitros, quoniam aliqui dicuntur Arbitri juris, & alii dicuntur compromissarii Arbitri juris sunt arbitri necessarii, quia ex necessitate eliguntur juxta juris formam, & in casibus à jure expressis, sive à partibus, sive ab aliis eligantur, ut contingit *in term. hujus cap. & cap. si contra, supra in hoc tit. & lib. & cap. Pastoralis, de rescript. & cap. suspicionis* 39. *in Decretal. cap. cum speciali* 11. *in princ. sup. de appell. & l. apertissimi, Cod. de jud.* de quibus Gloss. & alii Interpretes, & Corras. *l.* 4. *Miscell. cap.* 18. *num.* 1. Borell. *de compromiss. §.* 3. Gloss. 1. *num.* 43. Blanc. *de compromiss. quæst.* 6. *num.* 1. Alii verò sunt Arbitri compromissarii, qui liberè à partibus eliguntur, & ideò dicuntur voluntarii, quia nedum in libertate partium est, ut eligant hunc, & non illum; sed etiam ut eligant absolutè, & non eligant.

4 Arbitros verò juris fungi vice Delegatorum, & habere delegatam jurisdictionem, licèt eam subdelegare non possint, ex Archid. tradit Franc. *n.* 2. citans Bartol. *in l. fin. C. de jud.* & Lap. *alleg.* 102. Et certum est, eos non habere jurisdictionem ordinariam. Quatenus verò participent aliqui de ordinaria jurisdictione magis tamen delegatæ, quàm ordinariæ eorum jurisdictio assimilatur. Videantur Specul. *tit. de Arbitr. §. fin. n.* 74. Panorm. *in cap. fin. n.* 21. *de re judic.* & ibi Felin. *n.* 12. Blanc. *de compromiss. q.* 6. *n.* 4. Bald. *in l. fin. n.* 7. *C. de jud.* Borell. *de compromiss. §.* 3. Gloss. 1. *n.* 61. Marant. *de ord. jud. p.* 4. *dist.* 6. *n.* 22.

5 Ab his ergo Arbitris juris si gravent potest appellari, ut ex hoc textu habetur, & tradunt Gloss. *in v. appellandum*, Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 2. Domin. *num.* 7. Franc. *num.* 3. Turrecrem. *in cap.* 4. *à judicibus, nu.* 1. *in fin.* 2. *quæst.* 6. Idemque colligitur ex *l. arbitrio* 9. *ff. qui satisdar. cog. l. ult. ff. à quib. appell. non licet*, *l. ex consensu* 23. *ff. de appell.* & docent Maranta *p.* 6. *tit. de appell. n.* 272. Scacc. *de appellat. quæst.* 17. *lim.* 13. *n.* 5. Barbosa hic *n.* 5. Cùm enim hujusmodi Arbitri sint veri judices, & eorum sententia sit vera sententia pariens actionem judicati, & exceptionem rei judicatæ propriè ab eis potest appellari.

6 Quod extenditur etiam ad Arbitros ex vi statuti particularis eligendos, ut per Anchar. hic *in fin.* Dom. *num.* 7. & ex Paul. Bart. & Bald. Franc. *n.* 3. Barbos. *n.* 6. Blanc. *de commiss. q.* 10. *n.* 10. Scacc. *d. lim.* 13. *n.* 3. & alii apud istos, nam isti Arbitri sunt verè Arbitri juris, & est doctrina Gloss. *vers. vel etiam, in cap. à judicibus* 2. *q.* 6. & Turrecrem. ibid. Ubi quod ab Arbitris necessariis appellari potest.

7 An verò ab Arbitris voluntariis appellari possit, negativè respondet D. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. ad secundum, & decernitur *in d. cap. à judicibus* 2. *q.* 6. & latè id ibi explicat Turrecrem. & tenent hic Dom. *n.* 7. Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 2. Franc. *n.* 3. Scacc. *d. lim.* 13. *num.* 1. ubi extendit *n.* 2. ut nec liceat appellare etiam si partes convenerint, ut possit appellari ab iniqua sententia. Quod est verum de appellatione propriè; quod tamen ab Arbitris assumptis super aliquo articulo judiciali, etiam si sint electi voluntariè à partibus, possit appellari, vult Dom. *n.* 7. quod etiam contra eorum laudum possit supplicari ex Archid. dixit idem Dom. *n.* 7. qui tamen cum Jo. de Fano id intelligit de supplicatione, quæ fit implorando officium Judicis. Sed de his aliàs.

Quod verò decernitur in hac Decretali est, quod in duobus casibus expressis ab Arbitris ad Sedem Apostolicam sit appellandum. Primus casus est in Arbitris electis ad cognoscendam causam suspicionis objectæ Delegato Apostolico, juxta terminos *cap. suspicionis* 39. *sup. hoc tit.* Cùm enim hujusmodi Arbitri sint veluti delegati à Summo Pontifice, vel à Principe, juxta *l. apertissimi, C. de jud.* ibi *quasi ab imperiali culmine delegati*, & insuper loco delegatorum ipsius subrogentur, meritò ad Pontificem, vel Principem est appellandum, sicut aliàs ab eorumdem delegatis ad eos appellaretur, juxta *text. in cap. super quæstionum* 27. *§. porrò, sup. hoc tit.* Et ita hoc docent hic communiter DD. & Speculator *tit. de appell. §. nunc tractamus*, Panorm. *in cap. dilecti* 66. *n.* 14. *de appell.* Felin. *in d. cap. super quæstionum n.* 14. Scacc. *de appel. q.* 7. *n.* 109. 8

Secundus casus est in Arbitris, qui eliguntur cum ambigitur de revocatione literarum Apost. in terminis *cap. Pastoralis* 14. *sup. de rescript. in antiq.* 9

Ut verò cognoscatur, ad quem ab Arbitris juris sit appellandùm universaliter, Domin. *num.* 2. dat hanc regulam, ut quando ex dispositione juris permittitur appellari ab Arbitris, debet appellari ad eum, qui fecit illud jus, & sic facit, quod si statutum permitteret appellari ab Arbitris, esset appellandum ad eum, qui illud jus edidit, nimirum ad eum, vel ad ejus successorem. Et hujus ratio esse potest, quia tunc Arbitri censentur esse delegati ejus, qui illis contulit potestatem, & jussit eos eligi. Sed hoc non probat, quia facultas data à lege potius est ordinaria, quàm delegata; neque ex eo, quod legislator vel permisit, vel jussit eligi Arbitros, sequitur quod sibi reservaverit cognitionem causæ appellationis ab Arbitris. Unde melius dicitur, quod in hoc attendi debent verba legum, & communes juris regulæ. 10

Loquendo verò de Arbitris cognoscentibus causam recusationis, Farin. *in fragm. Crim. p.* 2. *lit. I, num.* 927. dixit, quod ex Andrea Gail. *observat.* 33. ad Papam *num.* 18. *l.* 1. declaravit, ad quem appelletur in terris Imperii, & ex Pacian. *l.* 2. *de probat. cap.* 45. *num.* 25. quod appellatur ad Principem, qui delegavit causam judici recusato. Similem verò regulam tradit Scaccia *d. quæst.* 7. Nam vel est recusatus Delegatus Papæ, vel inferioris, si delegatus Papæ, à sententia Arbitrorum electorum ad cognoscendam hanc recusationem, non appellatur nisi ad Papam, sed si est recusatus Delegatus inferioris judicis, vel est recusatus Ordinarius inferior, tunc si ab eo judice recusato non appellaretur immediatè, nisi ad Pontificem, sic neque ab Arbitris cognoscentibus ejus recusationem, appellatur nisi ad Pontificem, & sic si recusetur Episcopus, ab Arbitris electis pro cognoscenda revocatione ista non appellatur nisi ad Papam. Semper enim isti Arbitri in his casibus se habent sicut Delegati Papæ, cujus est cognoscere de recusatione judicum, à quibus tanquam sibi immediatè subjectis non potest, nisi ad ipsum appellari. Sed si judices, sive delegati, sive Ordinarii sint tales, à quibus immediatè non appellatur necessario ad Papam, sed ad alium superiorem, tunc ab Arbitris cognoscentibus de talium Judicum recusatione non appellatur necessario ad Papam, sed potest appellari ad illum superiorem, ad quem à sententia judicis recusati appellaretur. 11

In alio etiam casu appellatur ab Arbitris ad Papam. Ut cùm Episcopus coram Arbitris litigat cum subdito suo, quod enim in hoc casu eligendi sint Arbitri habetur *cap. si Clericus* 21. *quæst.* 1. Tunc ergo ab his Arbitris appellatur ad Papam, Gloss. hic *in v. appellandum*, Panorm. *in cap. dilecti* 66. *num.* 14. *de appellat.* Dom. *infra in cap. Romana* 3. *§. ab Archidiaconis num.* 4. & ibid. Franc. *n.* 4. *de appellat.* Maranta *p.* 6. *tit. de appell. n.* 376. Scacc. *q.* 7. *de appell. n.* 107. 12

13 Gravamen tamen supponit appellatio. Arbitri verò ut notat Gloss. *in v. gravaverint*, possunt gravare, vel per iniquitatem sententiæ, vel dando nimis brevem dilationem, *sup. cap.* 1. *de dilat.* Lap. & Franc. *n.* 2.

14 Regulariter verò per partes est appellandum, ut dicunt Lapus *v. unico*, Franc. *num.* 2. Sed tamen si contingat judicem gravari, sicut posset contingere præcipuè si ex causa ferente infamiam fuisset recusatus, & in hoc contra veritatem ab Arbitris gravatus fuisset, tunc & ille pro suo interesse posset ab Arbitris appellare.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XII.

IS cui ab Apostolica Sede committitur certæ personæ provisio de beneficio in certa Ecclesia, diœcesi, vel provincia facienda: potest alii committere licitè vices suas, Sed si non expressa certa persona committatur eidem, ut alicui personæ idoneæ de certa Ecclesia, vel beneficio debeat providere: (Quia circa eligendam personam ejus industria tunc videtur electa) provisionem sibi commissam alteri demandare non potest: Nisi forma commissionis habeat, ut per se, vel per alium id valeat expedire,

SUMMARIUM.

1 *EXecutor potest subdelegare,*
2 *Fallit ubi est electa industria persona.*
3 *Quando non sit electa industria persona in provisione ad beneficia.*
4 *Electa est, quando committitur provisio pro incerta persona.*
5 *Aliquando ex parte est electa, & non electa industria, 6.*
7 *Quid in dispensante eleemosynam pauperibus.*
8 *Generaliter, quando censeatur electa industria: remissivè.*
9 *In dubio non intelligitur exclusa facultas subdelegandi.*
10 *Ubi electa industria delegati acta subdelegati sunt nulla.*
11 *Delegatus inferioris potest subdelegare, si habet speciale mandatum.*
12 *Delegatus Papæ non potest subdelegare cum clausula per se, vel per alium,*

1 CUm suprà *in hoc lib. & tit. cap. quamvis 6. cap. si delegatus, 7. cap. fin.*, cui 10. contineatur Delegatum Papæ posse causas sibi commissas subdelegare, hoc idem convenire executori habetur in hoc capitulo, in quo tamen hoc limitatur, ut non valeat in omni casu, & traditur regula generalis, quia nimirum ubi in commissione data alicui electa fuit industria personæ, ille non potest subdelegare, nisi hoc illi fuerit expressè, & specialiter indultum; & sic ubi ad aliquod munus obeundum eligitur industria personæ illud non potest delegari, Buttrius *num.* 1. Barbosa hic *num.* 3. Sanchez *de matr. l.* 3. *disp.* 7. *n.* 18.

2 Executor ergo literarum Apostolicarum, si ejus industria non est electa potest alteri vices suas committere, ut hic notant DD. & ex Ricc. *in collect. decis.* 1699. advertit Barbosa *n.* 2. subdens hoc præcipuè facere posse executores literarum in forma dignum.

3 Tunc verò censetur non electa industria personæ, quando Papa committit alicui, ut certæ personæ provideat de beneficio in certa Ecclesia, Diœcesi, vel Provincia. Hæc est prima regula expressa in textu. Ex qua habetur, ut notat Gloss. *in v. Provincia*, quod ad hoc, ut censeatur non electa industria executoris commissionis Apostolicæ de providendo alicui de beneficio, non est necesse, quod beneficium sit certum, sed sufficit, si sit certa persona. Sic enim si Papa committat provideri de beneficio in Diœcesi, seu Provincia sic in communi, non censetur electa industria personæ.

4 Tunc igitur censeri debet electa personæ industria, cùm non est certa persona, cui provideri committitur de beneficio, quia nimirum ei committitur, ut tali beneficio provideat de persona idonea, & sic non expressa certa persona, sola personæ idoneitas requiritur. Cùm enim ad profectum animarum, & Sanctæ Ecclesiæ optimum regimen sit summè necessarium, ut beneficia maximè curata non dentur nisi idoneis viris, maxima ad hoc obtinendum est necessaria vigilantia, industria, & diligentia. Quam propterea censetur elegisse Papa, quando alicui committit, ut certo beneficio provideat de idonea persona.

5 Hinc ex Jo. de Deo colligit Franc. *n.* 2. quod si Papa alicui committat, ut si ita est, removeat aliquem à beneficio, & eo remoto provideat illi de idonea persona. Executor primam partem, quæ est judicialis poterit subdelegare, & beneficiatum privare beneficio, si ita sit, ut in commissione continetur; quia in hoc non est executoris electa industria, commissa sibi certæ personæ judiciali causa; sed quantum ad provisionem de idonea persona non poterit subdelegare, quia in ea parte ubi agitur de provisione beneficii facienda in incerta persona, sed idonea industria personæ censetur electa.

6 Pariter cum Jo. Andr. & Dom. colligit idem Franc. *n.* 2. & Anchar. *n.* 2. quod si Papa committit, ut quibusdam spoliatis faciat provideri Ecclesiis prout sibi melius videbitur expedire, talis executor non poterit subdelegare, nisi prius taxet provisionem, & omne id, quod cadit in arbitrio, in quo industria est electa ex forma mandati in arbitrando, postea verò executionem committere poterit.

7 Ita quoque ex hoc apparet, quod executor habens potestatem eleemosynam distribuendi pauperibus, si pauperes à committente sunt nominati, & sic sunt certi, executor potest alteri committere vices suas, secus tamen si sint incerti, ut notat Franc. *n.* 2. monens videnda, quæ notatur *in hoc lib. cap. statutum, §. assessorem, supra de rescript.*

8 Generaliter verò, quando intelligi debeat electa industria personæ traditur à DD. *in cap. fin. supra hoc tit.* Buttrius autem hic *num.* 1. & Anchar. *num.* 2. existimat, quod industria personæ sit electa quando omnia in commissione contenta sic sunt specificata, & expressa, quod non habetur respectus nisi ad factum, ultra quod factum, si qua examinatio requiritur persona electa videtur. Sed si hoc esset verum ferè semper esset electa personæ industria, cùm Delegato committitur jurisdictio etiam in rescriptis justitiæ; nam in talibus commissionibus examinatio vel juris, vel facti, vel utriusque committitur. Videantur DD. *d. cap. final. de off. deleg.* & citati per Sanchez *l.* 3. *de matr. disput.* 7. *n.* 18. *& seqq.*

9 In dubio etiam, quod censenda sit electa industria personæ, tradit idem Butr. *num.* 2. nisi ex qualitate personæ aliud appareat. Quod etiam limitat ex Innoc. ut sit verum, ubi causa commissa est magna, vel ex Hostien. cùm committuntur ea, quæ favorem publicum concernunt. Sed absolutè quod in dubio non censeatur electa personæ industria, tradit Barbosa *d. cap. fin. eod. tit.* ex Peregr. *var. lib.* 1. ad rubricam hujus tituli *n.* 8. Hoc mihi considerandum videtur, quod in hoc textu est sermo de speciali commissione ad providendum beneficiis de persona idonea; & quod aliàs cùm de jure communi Delegatus Papæ possit subdelegare ad fieri

non

non poterit in casibus expressis in jure, sicut fit *in hoc cap. & in d. cap. fin. eod. tit.* Unde in dubio non intelligitur exclusa facultas subdelegandi, ex eo quod dubitetur an sit electa personæ industria.

10 Ubi tamen constat electa personæ industriam Delegatus non potest subdelegare, & si id faciat, acta per subdelegatum sunt ipso jure nulla, ex defectu jurisdictionis, ut notant Gloss. *in v. non potest*, Franc. *n.*3.

11 Si tamen in rescripto sit clausula *per te*, vel *per alium*, Delegatus poterit subdelegare etiam in casu hic excepto. Ex quo colligitur, quod licèt delegatus non à Principe, sed ab inferiore Ordinario non possit de jure communi subdelegare, poterit tamen id facere, si expressè à delegante id sibi fuerit concessum, seu ad id habuerit speciale mandatum, ut docent Gloss. *in v. per alium*, Jo. Andr. Butr. *num.*8. Franc. *num.*3. Gloss. *in l. more, & l. seq. ff. de jurisd. omn. gentium*, ubi Bart. & Cyn. *in l. à judice, C. de jud.* Bald. *in l. non distinguemus, §. quæsitum, ff. de arbitr.* Marant. *p.*4. *d.* 5. *num.* 63. Rosella *v. delegare in initio*, ubi Silvest. *quæst.* 8. *d.* 3. Tabien. *q.*1. Armil. *n.*7. Sotus 4. *d.*18. *q.*4. *art.*3. Caputaq. *decis.*167. *nu.*2. *p.*1. Navar. *in cap. placuit de pœnit. dist.*6. *n.*70. & 71. Sanchez *l.*3. *de matrim. disp.* 31. *n.* 6. cum sequent. & alii plures, quos hîc refert, & sequitur Barbosa *num.* 4.

Delegatus autem Papæ licèt possit subdelegare, non potest tamen id facere cum clausula *per te*, vel *per alium*, dando subdelegato facultatem subdelegandi, ne detur processus in infinitum, & quia hoc non est illi à lege permissum. Jo. Andr. Butr. *num.* 9. Franc. *num.*3. Archid. *sup. cap. quamvis in hoc lib. & tit.* Quod est verum spectata potestate, quam Principis delegatus habet à jure communi. Cæterùm si Princeps daret Delegato facultatem subdelegandi cum clausula *per te*, vel *per alium*, subdelegatus à Delegato posset subdelegare juxta traditam facultatem, quia Princeps potest id concedere, & id etiam vult, ex quo id expressè in rescripto concedit. 12

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XIII.

STatuimus, ut is, per quem ab Apostolica Sede certo loco inquisitio fieri, vel quidquid aliud expediri mandatur: si propter potentiam, vel malitiam illius, contra quem inquiri debet, sive procedi, seu fautorum ejusdem, non possit hoc exequi eo loco securè, (ne ipse commodum ex dolo, vel fraude reportet) ad id exequendum locum alium eligat idoneum, & securum. Idem faciat si alia rationabilis causa subsit, propter quam in loco decreto perfici nequeat commodè, quod mandatur: ne tali prætextu impediri contingat mandatum Apostolicum, vel differri.

SUMMARIUM.

1 *Delegatus debet exequi mandatum in loco, in quo fuit deputatus.*
Inquisitio fieri debet, ubi inquisitus est notus, 1.
2 *Fallit hoc in duobus casibus expressis in duabus regulis hujus decretalis*, 3.
4 *Verbum* statuimus *novi juris inductionem importat.*
5 *Regulæ textus verificantur de quocumque Papæ delegato.*
6 *Etiam de impetrato ad instantiam partis.*
7 *Ex rationabili causa potest mutari locus, & quæ sit rationabilis.*
Etiam sine consensu partium, 7.
8 *De consensu partium sine alia justa causa mutatur locus: & an sufficiat consensus tacitus.*
9 *Etiam post tacitum consensum opponi potest exceptio loci non tuti.*
10 *Regulæ textus non extenduntur ad Delegatos inferiores.*
11 *Quid facere possint Ordinarii.*
12 *Ad locum viciniorem fieri debet mutatio.*
13 *Judicii locus, qualis esse debeat.*
14 *An locus sit tutus remissum conscientiæ judicis.*
15 *An processus factus extra locum sit nullus ipso jure.*
16 *Dolus non debet patrocinare nocenti, nec dolus unius nocere alteri.*
17 *Mandatum pluribus modis impeditur.*
Mandatum Papæ nec impediri debet, nec differri, 17.

1 CUm Inquisitor à Sede Apostolica deputatus ad inquirendum excessus sit verè delegatus, sequitur quod jurisdictione sua uti debeat in loco, in quo fuit deputatus, ut inquirat; cùm enim fines mandati exire non possit, debet mandatum Papæ exequi in loco, pro quo fuit datus *cap. statutum sup. in hoc lib. de rescript.* Gloss. *not.* 1. Anchar. *in princip.* Butr. *num.*1. Dom. *num.* 1. Convenienter verò deputatur delegatis certus locus, quia præcipuè convenit, ut inquisitio fiat in loco, in quo vel inquisitus est notus, vel causa, de qua agitur, est manifesta, *cap. postquam, cap. scriptum sup. de elect.* Dom. *n.*5.

Ab hac tamen regula generali Pontifex in hac decretali duplicem casum excipit, & ad hoc duas tradit regulas. Prima est, ut si Inquisitor à Sede Apostolica deputatus, ut in certo loco inquirat, si ille locus non sit securus ex malitia illius, contra quem inquirere debet, vel fautorum illius ad id exequendum alium locum idoneum, & securum eligat. Hujus verò regulæ assignatur ratio, ne ipse, contra quem inquiri debet ex dolo, vel fraude commodum reportet. 2

Secunda regula est, ut Inquisitor idem faciat si alia rationabilis causa subsit, propter quam in loco decreto perfici nequeat commodè, quod mandatur. Et hujus assignatur ratio, ne tali prætextu impediri contingat mandatum Apostolicum, vel differri. 3

Quod verò in his regulis contineatur non juris veteris declaratio, sed novi juris inductio, habetur ex verbo *statuimus*, quod novi juris impositionem importat, ut advertunt Gloss. Domin. *num.* 6. & Barbos. *num.*2. Seraphin. *decis.*510. *num.*4. Garz. *de benef. par.*3. *cap.*1. *n.*9. & alii citati ab eodem Barbosa *dict.* 384. 4

Regulas verò positas non limitari ad solos Inquisitores ab Apostolica Sede deputatos, sed ad quoscumque Apostolicæ Sedis delegatos, colligitur ex illa clausula, *vel quidquid aliud expediri mandatur.* Sic enim non solùm si delegatur inquisitio, sed si delegatur quodcumque aliud, ut pronuntiatio, monitio, denuntiatio, ut notat Gloss. vel qualiscumque causæ cognitio, locum habent præfatæ regulæ, quæ propterea verificantur de quocumque Papæ delegato, Archid. Jo. And. Dom. *n.*6. Franc. *n.*1. 5

Lapus tamen *allegat.* 121. limitavit has regulas, ut non procedant de Delegato impetrato à parte, & maximè quando pars fuit in culpa impetrando in tali loco, sed ut advertit Franc. Archid. & Jo. Andr. contrarium sentiunt. Et ita est asserendum, cùm regulæ sint absolutæ, nec limitationem exprimant, & rationes earum sint universales; nam numquam decet, ut malitiosè impediens executionem literarum Apostolicarum ex dolo, vel fraude consequatur commodum, & quod sine justa causa executio earumdem litera- 6

terarum impediatur, vel differatur. Instantia tamen impetrātis, & dolus, & fraus, ubi adsint illi commodum ferre non debet. Verum hic attenditur securitas, & commoditas judicis, & jurisdictionis, nam de commoditate partium loquendo servanda sunt statuta *in d. cap. statutum*, *sup. de rescriptis in hoc lib.*

7 In casu igitur istarum causarum, cùm scilicet quælibet justa causa adest, judex etiam irrequisitis partibus, & sine eorum consensu mutat locum judicii, & pro alio loco citat, quam sit ille, qui in rescripto continetur: ut verò causa sit justa non est necessè, quod proveniat ex malitia, vel dolo ejus, contra quem est judicium, ut notat Gloss. sed ut ex secunda regula habetur, sufficit quælibet rationabilis causa, ob quam Papæ mandatum in eo loco deputato commodè perfici nequeat: Attendi verò debet, quod hæc causa executionem mandati respicit, & per ordinem ad illam sumi debet. Non est verò necessaria impossibilitas perficiendi mandatum Papæ, sed sufficit incommoditas, quæ in hoc loco impossibilitati æquivalet, ut censeatur impossibile, quod nequit fieri commodè, Dom. *n.*3.

8 De consensu autem expresso partium idem facere potest, etiam sine alia justa causa, ut ex *cap. statutum*, *sup. de rescript. in hoc lib.* colligit Gloss. *notab.*2. & sequuntur Anchar. *num.*4. & Franc. *num.*1. Qui hoc extendit etiam ad consensum tacitum, sed hoc negat Anchar. Nam obstat, quod non videtur, quod consensus partium possit alterare formam delegationis, seu conferre jurisdictionem aliter, quàm fecerit delegans, sed certè in casu *d. cap. statutum*, non sufficit consensus tacitus. Videantur ibi notata *num.* 220. Dicitur tamen, & hoc consentit etiam Anchar. quod potest fieri prorogatio nedum quantum ad tempus, & res, sed etiam quantum ad tempus, & res, sed etiam quantum ad locum, & sic dare poterit casus, in quo ad hoc sufficiat consensus tacitus.

9 Verum est, quod in hoc casu non sufficit, quod pars semel comparuerit, & sic tacitè locum approbaverit. Nam quandocumque voluerit potest contra hanc mutationem loci excipere, vel exceptionem loci non tuti, aut non idonei apponere, & sic pro judicii futura prosecutione petere locum tutum, aut idoneum, aut in rescripto deputatum, ut ex *Clem. quamvis*, *de for. compet. & ex cap. ubi periculum*, §. *porrò*, *sup. de elect. in hoc lib.* docent Archid. *num.* 3. Jo. Andr. Anchar. Butr. *num.*3. Domin. *num.*5. Franc. *num.*2. quia licèt hujusmodi exceptio sit declinatoria, tamen ex quo de novo oritur poterit opponi per *not. in cap. insinuante*, *sup. eo.* cùm oriatur toties quoties pars trahitur ad locum vetitum. Et facit, quod notatur in Specul. *in tit. de cit.* §.1. *verſ. Quid*.

10 Regulæ tamen nostræ non extenduntur ad Delegatos inferiorum judicum; quia expresse loquuntur de inquisitione, vel quocumque alio negotio commisso à Sede Apostolica. Et dictio illa *Apostolicæ* non est posita frustra, & hoc eo magis est verum, quia non est eadem ratio, de Pontifice, qui causas delegat ad remotissimas partes, & de Episcopo, vel Archiepiscopo, qui non deleget causam, nisi intra Diœcesim, aut Provinciam. Sic enim ad Archiepiscopum, vel Episcopum facilis potest haberi recursus, & inquiri an locus sit mutandus, & qualis eligendus; qui recursus de facili ad Pontificem haberi non potest, Gloss. *in v. Apostolicæ*, & Archid, *num.*1. Sic enim & ob hanc rationem, ubi Delegatus Papæ recusetur, eliguntur Arbitri ad cognoscendam causam suspicionis; sed ubi recusetur delegatus Episcopi, causam recusationis cognoscit Episcopus.

11 Ordinarii tamen intra terminos suæ Diœcesis causas possunt audire uti eis benè visum fuerit: ex causa justa verò possunt locum judicii mutare, ut in loco idoneo, & viciniori possit jurisdictio ordinaria exerceri in terminis *Clement.* 1. *de foro competent.* ut advertit Franc. *num.*1.

Data verò justa causa mutandi locum judicii non est in libera facultate judicis judicium transferre ad quemcumque alium locum, sed ad viciniorem transferre debet, Jo. Andr. Dom. *n.*5. Franc. *n.*1. 12

Sic igitur judicii locus debet habere has conditiones, primò scilicet, ut sic securus, & tutus tam partibus, quàm judici, Gloss. *in v. securè*, Domin. *num.*3. Secundò ut sit idoneus juxta determinata *sup. in hoc lib. d. cap. statutum*, *de rescript.* Et præterea, ut sit idoneus habetur multiplex respectus, ut *in l. cùm post sententiam*, *C. de appellat*, Debet enim esse facilis ad adeundum, ne itineris longitudine graventur litigantes, Butr. *num.*2. Anchar. *num.*2. Et sic debet esse commodus & personis, & negotio, ut habetur ex illis verbis hujus textus, *in loco decreto perficit nequeat commodè*. Nam moraliter etiam dici impossibile, quod nequit commodè fieri dictum est, Dom. *n.*3. pariter debet esse locus honestus, quia non in taberna exercere licet judicium, Gloss. *in v. securè*, Anchar. & Butr. *n.*2. 13

Cùm verò *in d. cap. statutum*, §. *cùm verò*, injunctum sit parti, ut si non habet locum judicii tanquam tutum, timorem suum probare teneatur; hoc non asseritur in hac Decretali, in qua consideratur loci securitas ex parte judicis. Unde hoc conscientiæ judicis intelligitur esse remissum. Quod expressè factum fuit in terminis *Clem.* 1. *de for. compet.* 14

An verò processus sine justa causa factus extra locum deputatum sit nullus ipso jure, affirmant hìc Archid. Jo. And. & quidem in terminis, *d. cap. statutum*, si contra ibi statuta mutetur locus, processus est ipso jure nullus, quia *in* §. *fin.* ponitur decretum irritans attentata contra ibi sancita; in casu etiam, in quo ex consensu partium tacito, vel expresso possit jurisdictio de loco ad locum prorogari, processus nullo jure est nullus. Quatenus etiam delegato non sit data jurisdictio, nisi sub conditione loci deputati, seu in quantum Delegato non est data jurisdictio, nisi in tali loco, quia extra illum jurisdictionem non habet, processus alibi factus est ipso jure nullus ex defectu jurisdictionis: Sed ubi non desit jurisdictio, ex eo quod Delegatus agat contra prohibitionem legis processus non est ipso jure nullus, si prohibitio non est munita decreto irritanti. 15

Sic ergo explicatis regulis textus considerandæ sunt etiam rationes pro earum æquitate probanda allatæ. Prima est, quia non est æquum, ut qui dolo, vel fraude impedit executionem mandati Apostolici, ex ejus malitia, dolo, vel fraude reportet commodum. Qua ratione usus fuit etiam Clemens Quintus *in Clem.* 1. *de foro compet.* Et universaliter valet pro omni superiore, ut non permittat in quantum potest, quod fraus, & dolus subditorum justitiam suorum mandatorum impediat, & dolo, aut fraude commodum reportet. Dolus enim nulli debet patrocinari, *l. nec ex dolo*, *ff. de dolo*, *l.*3. *ff. de transact. l. si ex dolo*, *ff. de re jud.* Farin. *in praxi p.*1. *quæst.*31. *num.*155. Grat. *tom.*5. *discept.*849. *n.*11. *& discept.*906. *n.*12. Et dolus unius, non debet alteri nocere, *l. eleganter*, *ff. de dolo*, Tuscus *lit. D*, *concl.*582. 16

Altera ratio est, quia non est æquum, ut mandatum Apostolicum impediatur, aut differtatur. Potest verò mandatum Apostolicum pluribus modis impediri: ut enim advertit Anchar. *in princip.* quandoque adversarius, vel fautores ejus impediunt ne causa possit cognosci in loco delegationis. Quandoque ne ad eos possit citatio pervenire, *cap. quoniam frequenter*, §. *porrò sup. ut lite non contest.* Quandoque impediunt testium comparitionem *cap. constitutis sup. de test.* Quandoque comparitionem adversarii. Nullo verò modo ex his, vel simili impediri licet mandata Apostolica, & ut advertit Dom. *n.*4. nedum impediri, sed nec differri debent, & æquum fuit providere, ne aliquod eorum fieri valeat. 17

DE

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T XIV.

SI à ſubdelegato, cui delegatus non in totum commiſerat vices ſuas, ex eo fuerit appellandum, quia exceptionem coram ſe propoſitam, quòd antequam per eum, vel per ipſum delegatum in aliquo proceſſum fuiſſet, delegans viam fuerat univerſæ carnis ingreſſus, admittere recuſavit: non ad delegatum (cùm juriſdictionem negetur habere) ſed ad delegantem potius appellari debebit. Idem fiet in aliis caſibus, in quibus delegatus juriſdictionem habere negatur: Aliàs ſi appellari deberet ad ipſum: eſſet appellans (qui ſic fateri videretur eumdem juriſdictionem habere, quod ante negaverat) contrarius ſibi ipſi.

S. V M M A R I V M.

1 *Ratio edenda decretalis.*
2 *Duæ regulæ illius, 3.*
4 *Caſus plures, in quibus verificatur ſecunda regula.*
5 *Delegatio probatur per ſigillum delegantis.*
6 *Delegatus poteſt in totum, & non in totum ſubdelegare.*
7 *Exceptio coram ſubdelegato proponenda.*
8 *Exceptio contra delegatum obſtat ſubdelegato.*
Eliſa juriſdictione auctoris eliditur ſucceſſoris, 8.
9 *Perpetuatio facta à ſubdelegante juvat ſubdelegato, & è contra.*
10 *Subdelegatio non perpetuat juriſdictionem.*
11 *Morte delegantis ceſſat juriſdictio delegati ipſo jure, 12.*
13 *Juriſdictio Delegati conſenſu partium non prorogatur.*
14 *Appellatio fieri debet ad habentem juriſdictionem.*
15 *Reus in cauſa principali fit actor in cauſa appellationis.*
16 *Contraria allegans non eſt audiendus.*

1 QUando Papæ Delegatus non ſubdelegavit in totum, ſi appellandum ſit à ſubdelegato, non ad delegantem primum ſcilicet ad Papam, ſed ad delegatum ipſum, qui ſubdelegavit, appellari debere ſtatutum fuit *ſup. in hoc lib. & tit. cap. ſi delegatus 7.* ſucceſſivè verò *in cap. ſi is, cui 10.* præfata regula limitata fuit exceptis caſibus, in quibus delegatus, qui ſubdelegavit ſit excommunicatus, vel mortuus, in quibus ad primum delegantem interponi debèt appellatio. Nunc datur ejuſdem regulæ altera exceptio, quæ etiam ampliatur; unde hæc Decretalis duas partes, & regulas continet.

2 Prima eſt iſta. Si contra ſubdelegatum non in totum excipiatur, & opponatur, quod non habet juriſdictionem, eo quia re adhuc integra, nimirum antequam, vel per ipſum ſubdelegatum, vel per ipſum delegatum fuerit in aliquo proceſſum primus delegans obiit, & ſubdelegato nolente admittere hanc exceptionem ab eo appellatur, non ad Delegatum, ſed ad primum delegantem Papam eſt appellandum, quia per excipientem negatur delegatum juriſdictionem habere.

3 Secunda regula hujus extenſiva eſt, idem fieri debere in omnibus caſibus, in quibus negatur delegatum juriſdictionem habere, aliàs appellans ſibi contrarius eſſet; nam primò contra ſubdelegatum exciperet, eum non eſſe legitimum judicem, eo quia ſit ſubdelegatus à Delegato non habente juriſdictionem, & ſic negaret delegatum habere juriſdictionem; ſed è contra ſi appellaret ad eumdem delegatum eum habere juriſdictionem affirmaret, & ſic contrarius ſibi ipſi eſſet contra regulam *in cap. ſolicitudinem 54. de appellat. & l. 1. C. de furtis*, & ita præter hujus textus interpretes hujuſmodi regulas approbarunt, & explicarunt Panorm. *cap. cum te 18. not. 2. ſup. hoc tit.* Franc. *cap. dilecti el 3. num. 28. de appellat.* Scacc. *de appellat. quæſt. 7. num. 68.*

4 Qui verò ſint alii caſus, in quibus juxta datas regulas à ſubdelegato non in totum appellandum ſit, ad primum delegantem eorum erunt, Gloſſ. *in v. in aliis caſibus*, & Archidiac. Nimirum primò ſi contra delegatum excipiatur ejus reſcriptum fuiſſe impetratum ab excommunicato *cap. 1. de reſcript. in hoc lib.* Secundò ipſum delegatum eſſe excommunicatum, *cap. ad probandum 24. ſup. de re judic.* Tertiò non habere illum conditiones neceſſarias ad hoc, ut ſit Delegatus Papæ juxta *cap. ſtatutum, 11. de reſcript. in hoc lib.* Quartò commiſſionem ad eum factam extra locum, contra præſcriptam *in d. cap. ſtatutum*. Quintò reſcriptum ejus fuiſſe ſubreptitium, quod non valet ſervata diſtinctione *cap. ſuper literis 20. ſuprà de reſcript. in antiq.* Sextò, quod delegatus ſubdelegans eſt ſervus, vel infamis, contra *cap. ſciſcitatus 13. de reſcript.* Septimò, quod non eſt ætatis legitimæ, juxta *cap. cùm vigeſimum 41. de off. deleg.* Octavò, quod primus delegans revocaverit ipſum delegatum ſubdelegatum *l. judicium, ff. de jud.* Nonò, quod ipſe delegatus retulerat negotium ad ſuperiorem *cap. intimaſti 68. de appell.* Decimò, quod à Delegato fuerat legitimè appellatum, *cap. ut debitus 59. de appell.* Undecimò, quod fuerat legitimè recuſatus, *ſup. cap. judex 5. in hoc tit.* Hæc & ſimilia coram ſubdelegato opponuntur, per quæ negatur eum juriſdictionem habere, ex defectu juriſdictionis ſubdelegantis. Quibus Jo. Andr. addit. Duodecimò, quod ſit hæreticus *cap. cui eſt 11. quæſt. 3. & cap. audivimus 24. quæſt. 1.* An verò hæreticus ſit omnis juriſdictionis incapax tractant hìc Archid. *num. 3.* Anch. *n. 4.* Dom. *n. 5.* Franc. *n. 4.* Azor. *p. 1. l. 8. c. 13. q. 7.* Caſtro *de juſta hær. punit. lib. 2. cap. 22. & 23.*

Inquirunt Anchar. *num. 4.* & Domin. *num. 5.* quomodo delegatio alicujus probetur. Reſpondent verò ex Archid. Jo. Andr. & Innoc. quod delegationes, & ſubdelegationes probantur ſufficienter per ſola ſigilla delegantium, aut ſubdelegantium, cùm non ſint acta judicii, & fiant ſine cauſæ cognitione, & partibus abſentibus. 5

Fuit verò expreſſum, quod ſubdelegatus non fuit in totum expreſſum, quia aliter non fuiſſet difficultas, nec cauſa edendi hanc decretalem, cùm à ſubdelegato in totum numquam appelletur ad delegatum, ſed ſemper ad primum delegantem, *cap. ſi duo 3. & cap. ſi is, cui 10. ſup. in hoc tit. & lib.* Gloſſ. & Jo. Andr. ex eiſdem quoque verbis, Dom. *num. 1.* iterùm colligit Delegatum Papæ poſſe in totum, & non in totum delegare. 6

Licèt ergo exceptio ſit contra delegatum, cui opponitur, quod non habuerit juriſdictionem ad ſubdelegandum, nihilominus hæc exceptio coram ſubdelegato proponi debet, quia immediatè infringit ipſius ſubdelegati juriſdictionem: ad quod faciunt notata *ſup. cap. ab Arbitris 11. & cap. judex 5. in hoc lib. & tit.* Anchar. *num. 2.* Butr. *num. 1.* Franc. *num. 1.* 7

Ex quo etiam colligitur, quod ita connectuntur juriſdictio delegati, & ſubdelegati, quod exceptio obſtans ſubdelegati, obſtat quoque ſubdelegato in iis, quæ ejus juriſdictionem concernunt: ſi verò perſonam tangunt Anchar. & Butr. *num. 1.* dicunt diſtingui debere juxta dicta ſuprà *d. cap. judex 5.* Colligitur quoque ex hoc, quod eliſa juriſdictione auctoris, per conſequens eliditur juriſdictio ſucceſſoris, quia eliſa juriſdictione delegati, eliditur quoque juriſdictio ſubdelegati, Anch. *n. 3.* Butr. *n. 2.* 8

Perpetuatur juriſdictio ſi in aliquo proceſſum ſit, ut hìc notant Dom. *num. 2.* Barboſ. *num. 4. & 7.* nimirum per exercitium alicujus actus ex ſubſtantialibus judicii, ſaltem per citationem, aut inhibitionem, ut probatum eſt ſuprà *in hoc lib. & tit. cap. quamvis 6. & cap. cum plures 8.* ſed nunc advertendum eſt, quod etiam ex hoc textu habetur, quod 9

sufficit jurisdictionem fuisse ab aliquo ex duobus perpetuatam, quando fit subdelegatio non in totum; & sic perpetuatio facta à subdelegante juvat subdelegatum, & è contra, Anchar. *in fin.* Franc. *n.*1.

10 Cùm verò Glossa *in v. processum* sequuta Hostien. voluerit, quod subdelegare sit actus jurisdictionis, qui sufficiat ad perpetuandam jurisdictionem in subdelegante, meritò rejicitur à Domin. *num.* 5. & Franc. *num.* 2. Nam & manifestè contra hunc textum, quidquid Jo. Andr. secus esse contendat. Nam primò implicat asserere, quod per delegantem, qui supponitur subdelegasse, non fuerit in aliquo processum, si per subdelegationem taliter proceditur, qualiter sufficit ad jurisdictionem perpetuandam. Item ineptè textus requireret ad veritatem suæ regulæ, quod per subdelegatum non fuerit processum in causa, quia sufficeret, quod fuisset subdelegatus. Et si dicatur, quod subdelegatio debuisset fieri ante mortem primi delegantis, quod non fuit factum. Respondetur, & omisso, quod hoc est divinare, ut notat Francus, dicitur quod Papa ineptissimè quæstionem solvisset, & articulum definisset; nam debuisset dicere tunc appellandum esse ad primum delegantem, quando subdelegatio facta fuit ante mortem primi delegantis; non verò quando per delegatum, qui subdelegavit, non fuit in aliquo processum in causa, quia implicat Delegatum non processisse in causa si subdelegavit, & subdelegando in causa procedit. Videantur dicta *in d. cap. quamvis.*

11 Notandum primò, quod morte delegantis expirare jurisdictionem delegati re integra, & ex consequenti delegatum tunc invalidè subdelegare est indubitatum. Sed dubium est, an expiret ipso jure, vel potius solum ope exceptionis, & ita processus de consensu partium factus sit validus, non expirare enim ipso jure voluerunt Archid. hìc, post Goffred. Philippum, & Brixien. Innocent. *in c. licèt undique de off. deleg.* Hostien. *in sum. tit. de off. deleg.* §. *& qualiter n.*11. Speculator *tit. de jud. deleg.* §. *Restat videre*, Barbosa hìc *n.*3. malè pro eadem sententia referens Sanchez *l.*8. *de matr. d.*28. *n.*39. *&* 40.

12 Sed certum est jurisdictionem Delegati ipso jure expirari re integra ob mortem delegantis. Quod patet ex *cap. seq.* ibi: *Officium autem Conservatorum, ipso jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis volumus expirare*, & infrà *cap. si cui* 36. *de præb. Expirat omnino, si concedens re integra moriatur*, Præterea *cap. gratum* 20. *& cap. licèt undique* 30. *de off. deleg.* absolutè nulla facta limitatione, vel mentione exceptionis habetur jurisdictionem delegatam morte delegantis expirare. Unde hanc partem Gloss. *in cap. seq. in verbo ipso jure*, Anchar. hìc *num.*3. Butr. *num.*2. Dom. *num.*5. Franc. *num.*3. Item Gloss. *in cap. cùm venisset* 27. *de test.* & ibi Hostien. paulò post princ. Jo. And. *n.*10. Butr. *n. penul.* Card. *n.*11. Panorm. *n.*2. Imola *n.*2. Baldus *n.*1. Felin. *n.*3. Bellam. *n.*4. idem Hostien. *cap. licèt undique* 30. *de off. deleg. num.* 4. & ibi Jo. Andr. *num.*19. Card. *q.*12. Imol. *in fin.* Bellam. *n.*14. Maranta *par.*4. *dist.*5. *num.*61. Bellam. *decis.* 542. Mandosius Cancell. *reg.*10. *de Annali*, *q.*12. *num.*42. Sanchez *de matrim. l.*8. *disp.*28. *n.*40.

Quamvis enim jurisdictio à tempore receptionis rescripti imprimatur, at non est effectualiter radicata in delegato donec ea uti cœperit, *sup. cap. quamvis* 6. *in hoc lib. & tit.* Et ideò ante illius usum pendet in sui duratione à delegantis jurisdictione, quæ ejus morte extinguitur. Quamobrem nec de consensu partium potest delegatus post delegantis mortem incipere uti jurisdictione delegata, nam jurisdictio omninò extincta, nequit de consensu partium prorogari. Consensus enim nequit judicem constituere, qui judex non est, *l. privatorum C. de jurisd. omn. jud.* & ita docent hìc Anchar. Butr. Dom. Franc. *& ad d. cap. cùm venisset, de test.* Host. Jo. Andr. Bald. Card. Imola, & Bellam. Sanchez ubi suprà *n.*41. 13

Notandum secundò, quod appellatio fieri debet ad eum, qui habeat jurisdictionem in causa, quæ controvertitur, ut notant Domin. *num.*4. Franc. *num.* 1. Delegatus verò re integra si moritur delegans jurisdictionem non habet. Quamobrem hinc habetur, quod exceptio concludens subdelegatum non habere jurisdictionem, quia nec illam habet subdelegans devolvit causam appellationis ad primum delegantem, Dom. *n.*4. 14

Notandum tertiò, quod qui est reus in causa principali fit actor in causa appellationis, quod intelligit Jo. Andr. habito respectu ad judicem, ad quem appellat. Dom. *in fin.* Franc. *n.*4. 15

Notandum quartò colligi ex hoc textu *in v. contrarius*, quod allegans contraria non est audiendus, Domin. *not. ult.* Barbos. *num.*5. Covar. *l.*2. *c.*2. *num.* 2. Menoch. *l.* 2. *præsumpt.*41. *n.*2. 16

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT XV.

Hac constitutione perpetuò valitura sancimus: Ut conservatores, qui aliquibus (ut à manifestis injuriis, & violentiis tueantur eosdem) plerumque à Sede Apostolica conceduntur, de cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes: nullusque deputati sibi conservatoris esse valeat conservator.

Nec aliquis (Regibus & Reginis, qui sicut dignitatis altitudine præeminent: sic prærogativa gratiæ ipsos convenit anteferri, dumtaxat exceptis) deinceps conservatorem habeat eum, qui sub ipsius jurisdictione, dominio vel districtu Ecclesiastico, vel temporali consistat.

Conservatores autem hujusmodi extra civitates, seu diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam à fine diœcesum eorumdem trahere non præsumant.

Vices quoque suas (citationibus & sententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli committere possint: nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum: sed nec tunc, nisi intra civitates, seu diœceses, in quibus deputati fuerint, & personis tantùm, quæ superius sunt expressè.

Ut autem conservatores limites sibi traditæ potestatis (quos frequenter excedunt) metu pœnæ diligenter observent: Decernimus, ut si de aliis, quàm de manifestis injuriis & violentiis scienter se intromiserint: seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem: eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi.

Pars verò, quæ hoc fieri procurabit, sententiam excommunicationis incurrat: à qua non possit absolvi, nisi ei, quem sic fatigavit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis.

Officium autem quorumcumque conservatorum, ipso jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis volumus expirare.

Circa munera verò & expensas, assessores, ac notarios, & personas testimonii causa vocandas, illa

illa præcipimus in hujusmodi conservatoribus per omnia observari: quæ in delegatis judicibus constitutio à nobis super his edita observanda decrevit.

Quidquid autem contra præmissa, vel eorum aliquod attentari contigerit: omnino decernimus irritum & innane.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Summa textus.*
3 *Textus comprehendit Conservatores tam laicorum, quàm Ecclesiasticorum.*
4 *Plures distinctiones Conservatorum.*
5 *Conservatorum alii ad omnes injurias tuendas, & alii ad solas manifestas.*
6 *Solum Papam posse dare Conservatores plures tenent.*
7 *Oppositum probatur.*
8 *Loci servatores, & latrunculatores, qui essent.*
Conservatores non prohibiti jure civili, 8.
9 *Ecclesiastici legibus civilibus non ligantur.*
De solis Conservatoribus datis à Sede Apostolica est hic sermo, 7. & 9.
10 *Conservatorum alii dati in formâ communi, alii in forma speciali, qui non subjiciuntur legi hujus Decretalis.*
Canonici ex vi hujus Decretalis non possunt esse Conservatores, 10.
11 *In jure non semper sub nomine Episcopi veniunt Archiepiscopi.*
12 *Abbates inter inferiores Prælatos primum locum tenent.*
13 *Conservator nulliter eligitur Conservator sui conservatoris.*
14 *Non est nulla deputatio, ut quis sit judex sui judicis.*
15 *Prælatus unius Monasterii non potest esse Conservator illius monasterii, cujus Prælatus est Conservator sui monasterii.*

1 In novem partes distinguitur præsens Decretalis, in quibus decernitur de qualitatibus necessariis ad hoc, ut aliquis sit Conservator, de loco tribunalis conservatorum, de subdelegatione, pœnis debitis tam ipsis, quàm partibus procurantibus, ut Conservatores agant in sibi prohibitis, de duratione officii illorum, de salario eorum, & muneribus non recipiendis, & tandem imponitur nullitas attentatis in contrarium.

2 Primò decernit Pontifex, ut nullus possit deputari in Conservatorem, qui non sit Episcopus, vel superior, aut Abbas, aut in dignitatem, vel personatum in aliqua Cathedrali, vel collegiata Ecclesia non obtineat. Ita tamen, quòd nullus possit sui Conservatoris esse conservator.

3 Existimant Anchar. *num.* 5. & Butr. *num.* 1. quod hìc textus loquatur solùm de Conservatoribus laicorum, qui scilicet dantur ad favorem laicorum, ut eos à manifestis injuriis, & violentiis tueantur. Nam excipit Reges, & Reginas, exceptio autem declarat regulam, in qua materia loquitur. Sed hæc ratio non probat, quia stat regulam universalissimè intelligi de Ecclesiasticis, & laicis, & tamen à regula excipi Reges, & Reginas ob specialem præeminentiam dignitatis, quam habent. Et ideò regulam, ut comprehendat Conservatores universaliter, sive deputatos pro Ecclesiasticis, sive pro laicis, & sive pro personis, sive pro locis, & sive pro personis, & locis intelligunt Jo. Andr. in principio, Domin. *n.* 6. Franc. *n.* 1. Speculator *de off. deleg.* §. 8. *num.* 24. Silvest. *v. Conservator n.* 1. & ibi Tabien. *n.* 1. Armill. *n.* 1. & cæteri DD. omnes.

4 Est ergo considerandum dari plura genera Conservatorum. Glossa *sup. cap.* 1. & ibi Jo. And. Silvest. *v. Conservator*, & alii tria genera Conservatorum distinguunt, eo quia alii dentur contra latrones, & prædones, alii ut defendant privilegia, alii ut tueantur à manifestis injuriis, Dom. verò hìc *n.* 6. Franc. *num.* 1. distinguunt Conservatores in eos, qui sunt Conservatores personarum & locorum, & personarum & locorum simul. Sed & amplius distingui possent Conservatores in eos, qui dantur pro uno loco, aut persona determinata, aut pro pluribus, aut pro omnibus. Sed hujusmodi materiales distinctiones in infinitum multiplicari possent, secundùm quod res, ad quas defendendas dantur Conservatores in infinitum possunt distingui.

5 Distinctio magistralis sumi debet respectu objecti formalis ipsius judicii, & defensionis judicialis, quod objectum est justitia indigens ab injustitia defendi via juris. Hæc verò est duplex, nam alia est manifesta taliter, ut ad sui defensionem non indigeat juris indagine, & forma judicii, alia est non manifesta, & quæ aliqua tergiversatione potest ab injustitiâ palliari, & offuscari, unde ad ejus defensam juridicam necessaria est judicialis indago. Sic ergo duplex est Conservator, alter universalior datus ad defensam cujuscumque injustitiæ sive occultæ, sive manifestæ, & ideò habens indaginem etiam judicialem, & facultatem procedendi, vel servatis apicibus juris, vel saltem summariè, & de plano examinanda merita causæ. Aliàs est Conservator datus ad defensam ab injuria, & violentia manifesta, & sic non habens juris indaginem aliam, nisi quam permittit, & requirit manifesta causa. In præsenti non est sermo, nisi de Conservatoribus datis, ut defendant ab injuriis, & violentiis manifestis. Sed tamen sine limitatione, semper quidem injuria fit homini, sive homo offendatur, quia infertur ei damnum in rebus, sive quia non permittitur pacificè uti privilegiis, sive quia offenditur verbis, aut factis in honorem, fama, vel vita, vel in propria persona, vel in suis taliter, ut in ipsum injuria redundet, omnis hujusmodi injuria si sit manifesta spectat ad Conservatorem, & in hoc sensu conservator universalissimè sumitur.

Quoniam verò Conservatores distingui possunt ex parte illos concedentis, textus noster solus datos à Sede Apostolica comprehendit. Dubitant quidem DD. an solus Papa dare possit Conservatores, & id volunt Jo. Andr. hìc *num.* 2. Gemin. *in* §. *Conservatores num.* 4. & apud eum Jo. de Imol. Silvest. *v. conservator num.* 2. Confect. *in summar.* Mend. *tit.* 4. Rodriq. *p.* 1. *q.* 65. *num.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 34. *q.* 6. Mandosi. *de signatura gratiæ in v. conservatoria*. Monet. *de conservat. cap.* 4. *num.* 27. *& seqq.* Mirand. *p.* 2. *quæst.* 47. *art.* 3. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 17. *q.* 1. *num.* 7. Id verò probat Moneta, quia dare Conservatores sit prohibitum jure communi, nam id prohibitum fuit de jure civili *in Auth. ut jud. sin. quoquo sub fi. coll.* 2. §. *nulli, &* §. *interdicimus, & auth. de mand. Princ. coll.* 3. §. *eos autem*, seu *illud tamen, & in auth. ut nulli jud. hab. loc. servat. coll.* 9. *in princ. &* §. *nunc verò, &* §. *ad majorem*. Cùm igitur aliud non sit determinatum jure Canonico, huic juri civili standum *cap.* 1. *de nov. op. nunc. cap. si in adjutorium, dist.* 10. Tum secundò quia Ordinarii inferiores habent ex suo officio hujusmodi defensiones facere, quas speciali casu occurrente non possunt committere altero; unde vel turbaretur jurisdictio Ordinarii, vel jurisdictiones propter concursum confunderentur, vel certè absque necessitate alii judices darentur. 6

Sed verùm quidem est, quod nullus alius Papa inferior tales Conservatores dare potest, quales ipse potest dare. Et quod in inferioribus Episcopis, vel etiam Legatis à latere, non militant illæ rationes omnes, ob quas ad bonum Ecclesiæ regimen utile est, vel necessarium dare Conservatores; quia inferiores, quorum jurisdictio strictis limitibus est circumscripta per se ipsos, & per suos Ordinarios, Vicarios, subditos suos possunt tueri, unde non opus est, ut dent Conservatores speciales, sed quamvis hoc sit verum regulariter, maximè respectu Diœcesum parvarum, non esset tamen impossibile dari casum, in quo aliquis conservator esset necessarius, præcipuè respectu Legatorum illorum, qui dantur ad amplissimas Provincias, & Regna, vel Episcoporum, qui amplissimis Diœcesibus præsunt. Neque tunc sequeretur aliqua jurisdictionum confusio, quia isti Conservatores non essent, nisi quidam Vicarii speciales Legatorum, aut Episcoporum, qui darentur ad hoc, ut particularia loca, aut certa genera personarum defenderent, & essent similes Vicariis foraneis, quos de facto Episcopi instituunt. 7

Nec loci servatoris, de quibus fit mentio in Authenticis citatis, erant similes Conservatoribus nostris, sed longè diversi, ut enim exponit Angel. *d. auth. ut nulli judicum*. Loci servator erat Proconsulis, seu Præsidis Vicarius, ac Locumtenens, unde ibi Imperator prohibet Provinciales magistratus in Provinciis sibi creditis Vicarios instituere, nimirum Vicarios illos, quos tunc temporis usurpata consuetudine in singulis Civitatibus ob avaritiam instituere studebant. Nec enim legitimum, & antiquum adjutorem adimere voluit 8

Præsidi Provinciæ Imperator, sed corruptum morem tollere, prout scribit etiam Antonius Vacca *in expos. locorum obscuriorum tit. 16. de off. Procons. & legat.* Similiter latronum insectatores illi erant, qui dicebantur alio nomine latrunculatores, qui vel erant Judices, qui de criminibus tantùm, non verò de re pecuniaria judicabant, vel ut magis placet Alciat. erant præfecti apparitorum, & militum, qui ad latrones conquirendos, & persequendos mittebantur, & tunc ex abusu, & prava consuetudine tales erant, ut gravia damna populis afferrent. Diversi ergo erant illi locorum servatores, vel latrunculatores à nostris Conservatoribus.

9 Quamvis etiam si lex civilis prohibuisset Conservatores dari, non per hoc obligaret Legatos, vel Episcopos, Ecclesiasticos enim nec quantum ad vim directivam obligant leges civiles, nisi quæ, ut dicitur infrà *num.* 26. pro communi utilitate totius Reipublicæ, & tam laicorum, quàm Ecclesiasticorum conditæ sunt, non verò illæ, quæ editæ fuerunt ad laicorum Judicum abusus tollendos. Et maximè si sint leges adimentes Ecclesiasticam jurisdictionem, quam Imperatores nec dare possunt, nec auferre. Quia tamen licèt Conservatores non adversentur dispositis *in cap. ad hæc, de rescript.* ut dixerunt *cap. 1. sup. hoc tit.* Archid. *n. 3.* Anchar. *n. 1.* Jo. Andr. *num. 2.* Dom. *num. 1.* post Host. nihilominus nec illis sunt multum conformes, ideò usus non habet, ut Papa inferiores dent Conservatores. Quos tamen dare non sunt prohibiti, ut de Legatis à latere docent Archid. *d. cap. 1. n. 1.* dicens id se vidisse practicatum à Cardinali Latino Epis. Hostien. in Ecclesia Carpen. Mutien. Diœc. Anchar. ibid. *n. 3.* Dom. *n. 3.* De his verò Conservatoribus, vel de datis à Principe laico, non loquitur hic textus, sed solùm de datis à Sede Apostolica.

10 Verùm distinguuntur ulterius Conservatores, quia alii à Sede Apostolica dantur in forma communi, & ordinaria, alii verò dantur in forma speciali, illi qui dantur in forma communi, & ordinaria, sunt illi, qui dantur in terminis hujus constitutionis, & alterius relatæ *sup. cap. 1.* Et isti necesse est, quod sint, vel Episcopi si non consecrati saltem confirmati, nec sufficit eos esse electos, vel Archiepiscopi, aut Patriarchæ, vel Abbates, vel in aliqua Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia dignitatem, aut personatum obtinentes, & cùm de jure *cap. statutum 11. supra de rescript. in hoc lib.* Delegati Papæ possint esse etiam Canonici Cathedralium, hoc non admittitur in hoc textu, ut hìc advertunt Gloss. *in v. obtinentes*, Dom. *num. 9.* Fagnan. *cap. si Clericus, num. 95. de for. compet.* Barbos. *de off. & potest. Epis. all.* 106. *num.* 32. Quamvis modo ex jure novo *constit. 9.* Gregor. XV. de Conservatoribus, etiam Canonici Cathedralium possint esse Conservatores juxta dispositionem *d. cap. statutum*, si tamen alia requisita habeant. Et ideò videnda sunt, quæ circa hujusmodi requisita dicta sunt *d. cap. statutum*, & dicentur *infrà artic.* Sed alii sunt Conservatores dati à Sede Apostolica in forma speciali, & privilegiata, sicuti sunt Conservatores Regularium, qui ab ipsis Regularibus eliguntur in vim privilegii perpetui, & isti non obligantur angustiis qualitatum, & dispositionum hujus capituli, sed habent amplissimas facultates, per quas cognoscunt etiam de injuriis, & molestiis occultis, & extra Diœcesim, & non est necesse, quod dignitates, vel personatus obtineant, sed simplices Canonici etiam collegialium Ecclesiarum, & Episcoporum Vicarii Conservatores eorum esse possunt, ut ex eorum privilegiis constat. Et quamvis ex *const. 9.* Greg. XV. de Conservatoribus privilegium Conservatorum sit valdè restrictum, nihilominus adhuc in multis non subjiciuntur formæ, & dispositioni hujus decretalis, ut infrà *in quæstione proponenda* apparebit.

Notandum primò ex textu colligi, quod in jure non semper sub nomine Episcopi, veniunt superiores Archiepiscopi, & Patriarchæ, cùm textus inter Episcopos, & alios superiores Episcopis distinguat. Gloss. *notab. 3.* Dom. *num. 2.* & post Bald. Felin. & Lap. Fagnan. *cap. Accedentibus n. 29. de excess. Prælat.* 11

Notandum 2. inter Prælatos inferiores Episcopis primum locum tenere Abbates, ut adnotavit Dom. *n. 3.* 12

Notandum 3. ex verbo nullusque quod aliud discrimen habetur inter Delegatum, & Conservatorem, quia cùm non sit prohibitum aliquem esse Delegatum in causa illius, qui est in sui aliqua causa delegatus; minimè permittitur, ut quis sit sui Conservatoris conservator. Gloss. *in v. Conservator.* Anchar. Butr. *n. 1.* Dom. *n. 9.* Specul. *de off. deleg. §. fin. n. 24.* Moneta *de conserv. cap. 5. n. 131.* Petr. Greg. *Synt. l. 47. cap. 22. num. 8.* Barbos. *de off. Epis. alleg. 106. n. 14.* Et hoc intelligitur ita ut deputatio ipsa sit nulla, & nullius valoris, ut observat Gloss. *in v. Conservator, & in v. edita*, cum qua transeunt Menoc. Dom. *in princ. num. fin.* Barbosa *num. 7.* 13

Non tamen vera est regula generalis, quam deducit Domin. *num.* 4. quia scilicet nullus possit esse sui Judicis judex; nam licèt hæc reciproca jurisdictio sit justa causa recusationis, juxta doctrinam Speculatoris *de jud. deleg. §. superest. vers. item si unus*, & dictum est *sup. in hoc tit. cap. Index 5. art. 6. à num.* 185. tamen in aliis judicibus deputatio ista reciproca non reddit commissionem nullam, sicuti facit in Conservatoribus. 14

Ex hoc verò textu videtur dicendum, quod si aliquod monasterium unius Ordinis habeat v. g. Ordin. Prædicat. pro Conservatore Prælatum monasterii alterius Ordinis, puta Ord. Minor. Prælatus illius Monasterii Ord. Prædicatorum possit esse Conservator Monasterii illius, cujus Prælatus est Conservator præfati Monasterii Ordin. Prædicatorum, & sic Petr. Greg. *d. c. 22.* dixit, quod si Abbas S. Saturnini sit datus Conservator Abbatiæ Moyacen. Abbas Moyacen. non potest esse Conservator Abbatiæ S. Saturnini. Hoc tamen debet intelligi respectu ejusdem numero Monasterii, cujus Prælatus alterius Monasterii est Conservator. Neque enim ex vi hujus textus prohibitum est, ut si aliquis scilicet Abbas S. Saturnini sit Conservator Abbatiæ Moyacen. Abbas alterius Abbatiæ à Moyacen. non possit esse Conservator Abbatiæ S. Saturnini, quia Abbas alterius Abbatiæ ab Abbatia Moyacen. non esset Conservator sui conservatoris, cùm illius alterius Abbatiæ Conservator non esset Abbas S. Saturnini. 15

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Nec aliquis.

S V M M A R I V M.

16 *Subditus non potest esse Conservator sui Domini.*
17 *Nomine Regis non venit Regina.*
Nomen certæ qualitatis masculini generis non comprehendit fœminas, 17.
18 *Reginæ nomen est dignitatis.*
19 *Regibus semper defertur.*
Dispensatur faciliùs cum habente dignitatem, 19.
20 *Filii Regum non excepti.*
21 *Subditus potest esse judex sui domini, salvo jure recusationis.*
22 *Suffraganei, & eorum Clerici an possint esse Conservatores metropolitani.*
23 *Jurisdictio, dominium, & districtus quomodo distinguantur.*
24 *Dominium bassum, & altum, & directum, utile, & plenum.*
25 *Clerici sunt de districtu temporali Principis.*
26 *Leges civiles qualiter obligent clericos.*
27 *Statuta favorabilia communia Clericis.*
Privilegia districtus, & Patriæ communia Clericis, 27.
Monachi etiam sunt districtuales, ubi est situm monasterium, 27.

DEcernitur, ut nullus possit habere Conservatorem illum, qui continetur sub ipsius jurisdictione, dominio, 16
vel

vel districtu Ecclesiastico, vel temporali, exceptis Regibus, & Reginis.

17 Sub nomine Regis non comprehenditur Regina, nisi id exprimatur, Ex quo deducitur, quod nomen certæ qualitatis masculini generis non comprehendit fœminas ejusdem qualitatis, de quo per Gloss. *in cap. generali, sup. de elect. in hoc lib.* & hic Dom. *n.4.* Franc. *num.2.*

18 Et Reginæ nomen est dignitatis, & importat altitudinis præeminentiam, Dom. *num.5.*

19 Regibus propter eorum excellentiam semper defertur, & præservari censeantur, Barbosa *num.8.* Gonzalez *regul. 8. Cancell. Gloss.9. §.2. num.36.* Sic enim, & cum habentibus dignitatem facilius dispensatur, *cap. de multis, sup. de præb.* Dom. *num.5.*

20 Ex quo tamen non nominantur Regum filii deducit Moneta *de conserv. cap.5. num.141.* eos non esse exceptos à communi regula hujus textus. Cujus ratio est, quia filii etiam primogeniti vivente Patre non habent jurisdictionem in Patris subditos.

21 Subditus igitur non potest esse sui Superioris Conservator. Extendit hoc Dom. *num.6.* ut subditus non possit esse judex in causa sui Superioris. Sed malè loquitur non distinguens inter Judicem nullum, & irritum, & inter judicem validum, sed recusabilem. Potest recusari subditus ne sit judex in causa sui superioris. Sed tamen deputatio subditi in judicem sui superioris non est nulla. Et hæc est altera differentia inter delegatum, & conservatorem, quia validè deputatur subditus judex in causa sui superioris, salvo jure recusationis, Speculator *de off. deleg. §.7. superest, num.5.* sed nulla est deputatio subditi in conservatorem sui superioris, Gloss. *in v. edita*, Barb. *num.9.* Qui tamen malè ad hoc probandum adducit *cap. accedens, el 1. & el 2. ut lit. non contest.* quia ibi est sermo de judicis recusatione, non de nullitate commissionis ipso jure, si superioris causa subdito delegetur.

22 Supposita autem prohibitione hujus textus, quod nedum Episcopi suffraganei, sed nec Clerici eorum possint esse conservatores Metrapolitani, deducunt Jo. Andr. *n.3.* Anchar. *num.2.* Domin. *n.9.* Butr. *n.5.* Franc. *num.4.* Moneta *de conserv. cap.5. num.140.* Tum quia Archiepiscopus habet solicitudinem totius Provinciæ *cap.2. 9. quæst.3. & cap.1. dist.21.* & grex Prov. sibi commissus est, *cap. quoniam dist.75.* Tum quia, ut notat Jo. de Fano licèt subditus suffraganei non sit subditus Archiepiscopi, tamen est de illius districtu, quia de Provincia districta per illum. In certis quoque casibus Archiepiscopus habet jurisdictionem super subditos suffraganeorum. Sed in hoc mihi placet conditio posita à Moneta *d. cap.5. num.139.* scilicet, ut id sit verum saltem parte opponente. Nimirum quia suffraganei, vel eorum Clerici si dentur conservatores Metropolitani possunt recusari; sed tamen electio non erit nulla ipso jure, quia qui sunt de Diœcesi suffraganei nec sunt subditi Metropolitani, nec sunt de ejus districtu nisi secundùm quid, & largè. Nec aliud habetur ex *d. cap. accedens, ut lit. non contest. & cap. cum in juvente, de purgat. Canon.* quæ ad id probandum solent adduci.

23 *Iurisdictio autem, dominium, vel districtus,* ponuntur, ut distincta, & ea distingui vult Anchar. *num.6.* & Franc. *n.5.* ad quod probandum adducuntur notata *in cap. cum ad Sedem, de restit. spol. & in hoc lib. cap. statutum, de rescrip. cap. ubi periculum, de elect. Clem. ne Roman. de elect. instit. de action. & l. pupillus, §. Territorium, de verb. signif.* & per adducta à Tolos. *lib. 47. num. 21.* & quidem quantum ad impositionem nominum distinguuntur. Nam jurisdictio dicitur à potestate dicendi jus, & dominium à facultate dominandi, & districtus à facultate destringendi. Sed quantum ad id, ad quod significandum hæc nomina sunt imposita, significant locum ubi, seu intra cujus fines aliquis habet superioritatem, ut possit in eo jus dicere, & dominari, & pœnis vel præceptis distringere, vel adstringere, unde idem significant, quia ubi quis potest jus dicere, potest quoque dominari, & præceptis distringere, vel adstringere. Unde in hoc textu hæc tria in unum coincidunt, sed distinctè posita sunt, ad tollendam omnem ambiguitatem, & ne quis vim in verbo faceret, Moneta *de conserv. cap.5. n.138.* Vide de his Anchar. *num.6.* Franc. *n.3.* Gloss. *in Clem. ne Romani, v. Diœcesim*, Felin. *in cap. licet, de probat.* Surd. *decis.120.* Tuscum *lit. D, concl.516.*

Cùm verò dominium distinguatur in bassum, quod res corporeas respicit, & in dominium altum, quod respicit personas, eorumque gubernium, & distinguitur in directum, & utile, & plenum, quod est directum simul, & utile. De hoc alto dominio hìc est sermo, quod est illud, quod coincidit cum jurisdictione. Arbitratur verò Moneta *d. cap.5. num.137.* quod textus intelligatur etiam de quolibet dominio etiam directo, licèt non utili, quoniam de omnibus istis dominiis dici potest, quod movere possunt animum conservatoris. 24

Distinguitur autem districtus in Ecclesiasticum, & temporalem. Diœcesis est quidam districtus Ecclesiasticus; unde ut notat Dom. *num.7.* Districtus aliquandò sumitur pro Diœcesi, sed temporalis districtus est locus intra cujus fines Princeps temporalis dominatur, & jus dicere potest, & temporalibus præceptis adstringere: nedum verò laici, sed etiam Clerici habitantes, vel existentes in loco, ubi Princeps laicus dominatur sunt de ejus temporali districtu, ut hìc probant Anchar. *num.8.* Butr. *num.8.* Dom. *num.7. & 8.* Franc. *num.3. & 4.* Barbos. *n.12.* Surd. *decis.119. & cons.301.* Suarez *de legibus l.3. cap.20. num.10.* 25

Qualiter verò leges, & statuta laicorum obligent Clericos, qui sunt in districtu, si quæratur, breviter dicitur, quod leges præceptivè quantum ad vim coactivam non afficiunt Clericos, qui tamen ex vi directiva tenentur servare leges, quæ pro bono communi Civitatis, & districtus, in materia communi laicis, & Clericis editæ sunt, & sine iniquo gravamine, & inhonestate, & indecentia ab Ecclesiasticis servari possunt, ut post Silvest. *v. lex, quæst.15.* Sotum *lib.1. de just. quæst.6. art.7. in princ. & 4. d.25. quæst.3. art.2.* Med. *1, 2. quæst.96. art.5.* & plures alios docet Suarez *de leg. l.3. cap.34. num.6.* & tradunt Canonistæ *cap. Ecclesia, de constit.* ubi Panorm. *num.13.* Dec. *num.27.* Felin. *num.37. 81. & 85.* 26

Unde etiam est, quod statuta laicalia in quantum favorabilia communia sunt Ecclesiasticis in districtu habitantibus, seu existentibus, & privilegium concessum districtui competit etiam Clericis; & privilegium concessum Hispanis competit tam laicis, quàm Clericis, quia Clerici sunt districtuales, & Provinciæ incolæ, seu cives, Jo. Andr. hic, Anchar. *num.6.* Dom. *num.7. & 8.* Franc. *num.3. qui n. m.4.* ex Lap. advertit hoc etiam esse verum de Monachis, qui sunt cives illius Civitatis, in quo est situm monasterium, ut not. *cap. Rogationes de consecr. dist.3.* & per Bart. *in l.1. ff. ad munic.* de quo per Dom. hìc *num.8.* Bart. & Bald. *in l.1. Cod. de suis, & leg.* & per DD. *in cap. Ecclesia, supr. de constit. & cap. quod Clericis, sup. de for. comp. & cap. fin. de stat. Monach.* 27

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Conservatores.

SUMMARIUM.

28 *Conservatores extra Diœceses non possunt procedere. Non possunt trahere existentem ultra dietam,* 28.
29 *Nec de consensu partium.*
30 *Conservator potest citare.*

28 **D**Uo statuit Pontifex in hoc §. Primum est, quod Conservatores extra Civitates, aut Diœceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque non possint procedere, & sic non possunt in loco extra Civitatem, aut Diœcesim. Ideò secundò decernit, quod existentes extra fines Diœcesum Conservatores possint trahere ad judicium, dum tamen non distent ultra unam dietam. Ut hic notant omnes, Silv. *v. Conservat. num.4.* Voluit enim Pontifex, ut in Conservatoribus servaretur, quod ipse de judicibus delegatis decreverat, suprà *in hoc lib. cap. statutum 11. §. cum verò, de rescript.* Unde ea, quæ ibi notata sunt de computatione dietarum,

tarum, & cæteris omnibus cum proportione applicanda sunt Conservatoribus. Cùm hoc tamen discrimine, quod adnotavit Gloss. *in v. non præsumunt*, & ex ea Franc.

29 Quia nimirum, ut habetur ibid. §. *in nullo*, Delegatus de expresso consensu partium potest extra Diœcesim, in qua fuit deputatus, partes citare, & causam cognoscere; quod non potest conservator facere; quia si Pontifex hoc posse fieri voluisset, expressisset.

30 Conservator igitur intra Civitatem, aut Diœcesim, in qua est deputatus potest partes ad suum tribunal trahere, easque citare. Quod tamen videtur fieri non posse, quia Conservator non habet jurisdictionem nisi in injuriis notoriis; at verò in notoriis non habet locum citatio, sicut nec judiciaria indago *cap. 1. suprà in hoc tit.* Ideò ex hoc deducunt aliqui, quod etiam in notoriis locum habeat citatio, & aliqua judicialis indago, & est sententia Jo. Mon. *num. 2.* Domin. *num. 2. & 4.* Franc. *num. 1.* sed de hoc disputatur infrà *artic. 9.*

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Vices quoque.

SVMMARIVM.

31 *Non potest Conservator subdelegare, nisi secundùm quid.*
32 *Prohibitus subdelegare id facit, si sibi specialiter concedatur.*
33 *Sufficit, quod delegatus habeat qualitates tempore subdelegationis.*
34 *Dispensatus super aliqua qualitate, non potest subdelegare non habenti illam qualitatem.*

31 PLura hìc decernuntur de facultate subdelegandi, quæ conservatoribus negatur, nisi quantum ad aliquam partem. Primò igitur statuitur, quod conservatores non possint in totum subdelegare vices suas. Secundò quòd aliis committere possint citationes, & sententiarum denuntiationes. Tertiò limitatur hoc, ut non possit fieri nisi intra Civitates, aut Diœceses, in quibus conservatores sunt deputati. Quartò, quod hujusmodi subdelegatio non possit fieri, nisi personis habentibus qualitates, quæ sunt necessariæ ipsis Conservatoribus. Quæ docent etiam hìc Canonistæ, & Specul. *de off. deleg.* §. 8. *n.* 24. Silvest. *v. conservator, n.* 4. Tabien. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 34. *qu.* 9. Portel. *v. Conservatores, num.* 6. Ludov. Mirand. *tom.* 1. *qu.* 47. *art.* 3. *&* 8. *concl.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *qu.* 65. *art.* 10. Molin. *tract.* 5. *disp.* 29. *n.* 5. Rodriq. *qu.* 65. *art.* 10. Moneta *de conservat. cap.* 7. *n.* 65. Jo. Andr. ad Specul. ubi suprà. Et addit Specul. quod in hoc, quod est cognoscere, an Conservatoris sit jurisdictio, potest Conservator committere vices suas. Per privilegia tamen huic legi pluries fuit derogatum, prout videbitur infrà.

32 Cùm verò prohibitus fuerit Conservator subdelegare vices suas, excipiuntur citatio, & sententiæ denuntiatio. Quare ex hoc colligitur, quod qui alias de jure prohibitus est subdelegare, id facere potest, si fuerit sibi specialiter concessum; & sic, quod Delegatus ab inferiori, qui non potest subdelegare, potest id facere, si sibi commissum fuerit, ut per se, vel per alium causam cognoscat, ut notant hìc in §. *Conservatores*, Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 3. & faciunt not. suprà *in hoc tit. cap. Is cui.*

Consideratur etiam, quod subdelegatio non potest fieri nisi in loco, & iis personis, quibus fieri potuit delegatio, juxta sancita *supr. d. cap. statutum*, §. *in nullo*, & sic, qui à principio non fuisset habilis, non potest ex post subrogari, aut subdelegari. Ita Franc. *d. num.* 2. sed neque ex hoc textu, neque ex alio hoc colligitur, quod subrogandus debeat habere qualitates necessarias ad hoc, ut sit subdelegatus de eo tempore, in quo datus est delegatus, sed sufficit si illas habeat tempore subdelegationis; quia sufficit, quod Delegatus subdeleget habenti qualitates necessarias. 33

Cæterùm assertio ista principalis, ut Conservator non possit subdelegare nisi habenti qualitates requisitas ad Conservatorem ampliatur, ut etiam si Papa concederet alicui Conservatori facultatem procedendi etiam in occultis cum clausula non obstantibus; imò si Papa ex certa scientia concederet facultatem eligendi Conservatorem illum, qui non haberet qualitates ex hoc cap. necessarias, sicut concessum erat Regularibus; imò si Papa ipse ex certa scientia dispensando daret in Conservatorem illum, qui aliquam ex requisitis conditionibus non haberet, daretque illi facultatem subdelegandi, non per hoc posset subdelegare non habenti qualitates necessarias ad Conservatorem, nisi expressè, vel æquivalenter derogaretur huic constitutioni. Derogatio enim est stricti juris, nec extenditur de casu ad casum, *cap.* 1. *&* 2. *de fil. Presbyt. sup. in hoc* 6. *& inf. cap. non potest. de præben.* Mon. *de conserv. cap.* 7. *n.* 67. Quod & de simplici delegato probat multis, Felin. *in cap. si pro debilitate col.* 2. *de off. deleg.* Sic si Papa duobus committat causam cum clausula *appellatione remota*, non per hoc isti poterunt etiam adinvicem subdelegare cum eadem clausula, quia concessum deleganti dispensando in lege non judicatur concessum subdelegato, de quo Papa non cogitavit, *cap. super quæstionum*, §. *si vero, de off. deleg.* Felin. *ubi sup.* Moneta *d. cap.* 5. *num.* 69. 34

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Ut autem.

SVMMARIVM.

35 *Summa textus.*
36 *Ad incurrendam hanc suspensionem requiritur scientia.*
37 *Incurritur ex quocumque excessu.*
38 *Aliqui volunt, quod pœna sit suspensio ab officio, imò à beneficio.*
39 *Est suspensio à solo officio Conservatoris.*
40 *Eam incurrunt etiam Episcopi, Cardinales, & subconservatores.*

35 HIc Judici imponitur pœna, si contra statuta delinquat, & dicitur, quod si scienter Conservatores se intromiserint de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis, seu ad alia, quæ judicialem indaginem requirunt suam extenderint potestatem, sint ipso facto per annum suspensi ab officio.

Primò verò considerandum, quod textus ad hanc pœnam incurrendam requirit, quod Conservator *scienter* cognoscat de aliis, & non manifestis injuriis. Sed nihilominus Gloss. *in v. scienter*, Dom. *num.* 2. & Franc. *in* §. *Conservatores, n.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 65. *art.* 19. quasi dictio *scienter* ad nihilum deserviat, existimant quod idem dicendum sit etiam si Conservator id faciat ex ignorantia juris, vel crassa, & supina, aut affectata. Hoc tamen verum non est, & quamvis nec verum sit, quod dictio *scienter* excludat omnem ignorantiam, ut dicit hìc Barbosa *num.* 18. Quia non excludit affectatam, vel adeò crassam, quæ non excludat dolum, sed æquivaleat affectatæ, verum tamen est, quod dictio *scienter* in legibus pœnalibus non apponitur à casu, & ut nihil importet, sed ut excludat ignorantiam, tam juris, quàm facti etiam crassam, ad minus excludentem tamen dolum, ut probatum est suprà *in hoc lib. cap.* 2. *de constit. quæst.* 1. *art.* 21. 36

Considerandum est secundò, quod materia hujus suspensionis est unica sola actio, quæ est cognoscere de aliis, quam 37
de

de manifestis injuriis, seu de iis, quæ requirunt judicialem indaginem. Quamobrem si Conservator subdeleget, erit quidem nullius roboris subdelegatio, sed tamen ex vi hujus textus per hoc Conservator incurret suspensionem, quam tamen incurret ex vi *constitut.9.* Gregor.XV.

38 Considerandum est tertiò, quod hujusmodi suspensio, quæ est suspensio ab officio absolutè, & nulla facta limitatione non importat solam suspensionem ab officio Conservatoris, sed ut post multos à se citatos tradidit Suarez *de censuris lib.5. disp.26. sect.1. nu.3.* & considerat Barbosa hic *num.19.* importat etiam suspensionem ab officio Clericali. Et nihilominus sine sufficienti fundamento, Gloss. hìc *in v. officio*, cum qua transeunt Jo. Mon. Archid. Dom. *num.2.* Silvest. *v. conservator n.5.* Tab. *num.7.* vult ut involvat etiam suspensionem à beneficio. Cùm enim distincta sint officium, & beneficium, & in pœnalibus prohibita sit extensio ad diversa, & non expressa, non debet dici, quod in hoc casu, in quo lex suspendit ab officio involvatur suspensio à beneficio, ut probant Barbos. *d. nu.19.* Suarez *de censur. disp.26. sect.3. n.4.* Moneta *de conserv. cap.7. qu.12. n.568.* Bonac. *de suspensionibus in particulari, disput.3. quæst.5. part.2. num.5.* Nam & universaliter quod suspensio ab officio non includat suspensionem à beneficio probant Imol. post Paulum *in Clem. cupientes, de pœn.* DD. *in cap. latores, de cler. excom. & cap. Pastoralis de appell.* Summistæ ferè omnes *in v. suspensio*, Navar. *cap.27. n.160.* Tol. *lib.1. cap.45.* Sanchez *l.3. de matr. disp.51. n.12.* Sayr. *de cens. lib.4. cap.5. n.16.* Suarez *de cens. disp.26. sect.3.* Quibus suppositis videretur dicendum, quod conservator excedens limites suę jurisdictionis in præfatis licèt non sit suspensus à beneficio, sit tamen suspensus ab officio simpliciter.

39 Verùm standum est in hoc juri novo *constit.9.* Greg.XV. *de conservat.* §.11. ibi: *Quod si qui Conservatores, sive in hac parte, sive alias quomodolibet suos limites excesserint per annum ab officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint.* Sive ergo dixerimus, quod Greg.XV. interpretatus fuerit hanc Decretalem, sive quod induxerit jus novum derogando antiquo, sicuti de facto derogat huic Decretali in iis, quæ sunt contraria suæ dispositioni in eodem §.11. concludendum est, quod Conservator excedens quocumque modo limites suos est suspensus per annum ab officio Conservatoris, Bonacina *de cens. in part. disput.2. p.35. num.8. quæst.2.* unde hæc suspensio non est censura inducens irregularitatem. Hanc enim incurrit solùm, qui suspensus ab ordine se divinis immiscet, *cap.1. §. caveant, & cap. Is cui, infr. de sent. excomm. & cap. 1. infr. de re judic.* Covar. *cap. Alma mater, part. 1. §. 8. num. 5. de sentent. excommun. in 6.* Navar. *cap. 27. numer. 244.* Moneta *de conservat. cap.7. num.563.*

40 Quamvis verò Episcopi eorumque superiores nullius constitutionis, sententiæ, aut mandati occasione interdicti, aut suspensionis sententiam ullatenus incurrant ipso jure, nisi de ipsis expressa mentio habeatur, *cap. quia periculosum 4. infr. de sent. excom.* Quia nihilominus *in princ. hujus text.* expressè nominantur, & numerantur Episcopi, & eorum superioris, inter eos, qui possunt esse Conservatores, & hæc decretalis confirmatur à Gregor. XV. *in d. const.* §.11. ubi eidem const. non adversatur, dicendum est, quod etiam Episcopi, & eorum superiores hanc suspensionem incurrunt, si suos limites excedunt. Quod eadem ratione dicitur de Cardinalibus, Moneta *de conserv. cap.7. num.571. & 573.* Et idem dicitur de subconservatoribus, nam hæc suspensio lata est contra excedentes in exercitio judicis conservatoris, & appellatione delegati venit subdelegatus, *cap. licèt, & cap. ex litteris, sup. de off. deleg. & cap. si à subdelegato, sup. in hoc lib. & tit. & l. more, ff. de jurisd. omn. jud.* Et cùm certum sit subconservatorem comprehendi sub prohibitione ne excedat limites non potest esse dubium, quod non incurrat pœnam latam contra limites excedentem, Moneta *dict. cap.5. num.575.*

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Pars verò.

SUMMARIUM.

41 *Summa textus.*
42 *Quando & qui incurrant excommunicationem hìc latam, & quis ab ea absolvat.*
43 *Eam incurrunt etiam Episcopi, & Cardinales.*
44 *Ab ea non excusant privilegia abrogata.*

41 Decernitur pœna contra partem, ut si pars procuraverit, quod Conservator cognoscat de aliis, quàm de manifestis injuriis, ut suprà, sit ipso facto excommunicata, nec possit absolvi, nisi prius integraliter satisfecerit parti defatigatæ, & adversæ de expensis.

42 Hanc censuram non incurrit nisi pars, scilicet reus, vel actor, & non sufficit procuratio attentata, sed requiritur effectuata, ut scilicet, Conservator in effectu excesserit fines mandati cognoscendo de non manifestis. Ab ea verò non potest absolvi pars, nisi à Summo Pontifice antequam satisfaciat alteri parti de expensis, & ita quod nec sufficit cautio de satisfaciendo, imò nec sufficit satisfactio ex parte, sed requiritur integralis. Facta tamen integrali satisfactione ab hac excommunicatione absolvere poterit Episcopus, cùm non sit excommunicatio reservata, Jo. Monach. *num.4.* Domin. *num.4.* Franc. *num.2.* Barbosa *num.22.* Silvest. *v. Conservator num.5.* Tabien. *n.5.* Vel etiam in foro conscientiæ simplex Confessarius, Thesau. *in praxi part.2. v. Conservator.* Bonac. *de cens. in part. d. 2. quæst.2. p.35. num.5.*

43 Hanc verò excommunicationem incurrit quicumque sit pars, & ut suprà delinquat, sive hìc sit Episcopus, sive Cardinalis, *in dict. cap.* enim *quia periculosum, infr. de sentent. excommun.* non est mentio nisi de interdicto, & suspensione, atque adeò Episcopum comprehendi in generali excommunicatione à jure lata adnotavit ibi Gloss. *in v. suspensionis*, Moneta *dict. cap.7. num.584.* qui ibi *à num.593.* latè tractat qualiter si contingat aliquod collegium esse Conservatorem, illud incurrat excommunicationem.

44 Existimat verò Thesau. ubi suprà, quod hæc constitutio locum habeat solùm in Conservatoribus datis secundùm jus commune, non verò secundùm privilegia. Et ideò hos Conservatores non incurrere suspensionem, si terminos hìc limitatos excedant, nec partem incurrere excommunicationem, si hoc procuret. Sed advertì debet privilegia redacta fuisse per Gregor. XV. ad terminos *cap. Statutum 11. de rescript. in hoc lib. & præsent. capitis*, juxta tamen sancita in præfata sua const. & quod extendit pœnas istas ad quemcumque excessum, unde nisi Conservator ex novo rescripto, aut privilegio sit datus cum derogatione ad *dict. const.* tam ipse, quàm partes incurrent pœnam, si limites *in dict. constitutione* statutos excesserint, vel cognoscendo de non manifestis injuriis, vel quocumque alio modo excedendo limites suæ jurisdictionis.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Officium.

SUMMARIUM.

45 *Summa textus.*
46 *Solos conservatores datos pro manifestis injuriis, comprehendit textus.*
47 *In his conservatoribus locum non habet cap. si gratia, in hoc tit.*
48 *Conservator privilegiorum, vel aliarum causarum expirat secundum dispositionem juris communis.*
49 *Conservator durat quoad negotia cœpta.*
Et quid sit datus ad tempus certum, 49.
50 *In aliis delegatis ad universitatem causarum inceptio in una causa perpetuat jurisdictionem ad omnes.*

45 DE duratione officii conservatoris statuitur, quod morte concedentis expiret quoad non cœpta negotia, & re integra.

46 Dubitatur verò an hæc constitutio comprehendat omnes conservatores, & nedum datos ad defensam contra manifestas injurias, sed etiam ad defensam privilegiorum, vel ad quamcumque aliam causam etiam non manifestam: comprehendi enim dicunt Gloss. *in v. quorumcumque, & in v. expirare*, Jo. Andr. Dom. *num.*2. Franc. *num.*1. Sed oppositum voluit Archid. *in v. expirare*, & hoc verum puto. Nam in hoc textu Papa loquitur de conservatoribus datis ad defensam contra manifestas injurias, & violentias, ut ex antecedentibus est manifestum; nulla verò est ratio unde dicatur, quod Papa in hoc §. ampliaverit dispositionem suæ constitutionis. Neque enim dictio *quorumcumque* hoc suadet, quia ex præmissis restringitur, ut intelligatur universalissimè, sed in subjecta materia, nimirum de quibuscumque personis datis ad defensam cujuscumque personæ, vel privatæ, vel publicæ, & vel Collegii, aut Universitatis, & vel personæ, vel loci, seu Ecclesiæ, ab injuriis tamen, & manifestis injuriis. De aliis verò conservatoribus hic non disponitur, & sic eorum duratio remanet dispositioni aliorum jurium. Advertas autem, quod ubi violatio privilegiorum sit manifesta, vel quodcumque aliud damnum sit manifestum, casus comprehenditur sub jurisdictione conservatoris dati ad defensam à manifestis injuriis, sed conservator privilegiorum, vel alterius rei distinguitur contra conservatorem à manifestis injuriis, si sit datus absolutè ad defensam privilegiorum, vel rei quomodocumque inferatur damnum in illis, sive manifestè, sive occultè.

47 An verò in conservatoribus privilegiorum locum habeat, *cap. super gratia* 9. *sup. hoc tit.* Affirmat idem Archid. sed meritò id rejiciunt Jo. Andr. Domin. & Franc. aliud est enim exequi gratiam, & aliud gratiam defendere executam, *cap. illud*, loquitur de executoribus, & non de defensoribus.

Conservator igitur privilegiorum, vel alius ad alias causas datus, quam ad defensam à manifestis injuriis, quia est Delegatus expirabit juxta regulas datas communiter de Delegatis, qui re integra expirant morte delegantis, nisi sint delegati ad universitatem causarum, de quibus *supr. cap. quamvis* 6. *num.*28. in hoc titulo dictum est, rem fieri non integram, si Delegatus citaverit in una causa, & tunc delegatum non expirare. Quod & ex hoc textu probatur, in quo specialiter de conservatore per editionem novi juris statuitur, ut conservator expiret quantum ad causas non inchoatas, quod statuere non fuisset necessarium, si delegatus per modum unius ad generalitatem causarum expiraret, quoad causas non cœptas. 48

Non tamen universaliter, & simpliciter dicitur, quod officium conservatoris expiret morte concedentis, sed solùm quod expiret quoad non cœpta negotia, unde colligitur, quod non expirat quoad negotia cœpta, & sic re non integra, Jo. Andr. Anchar. Butr. *num.*8. Dom. *n.*2. Franc. *num.*1. Si tamen conservator datus esset ad limitatum tempus, eo tempore finito, etiam vivente delegato, & re non integra ejus officium expiraret per citatos Doctores, quia in processu succedit delegans. Secus enim diceretur, si post tempus non reperiretur alius successor, nisi qui daretur ab homine, quia tunc duraret jurisdictio, usque ad adventum successoris: ut *l. meminisse, ff. de off. Procons.* Quod secundùm Anchar. Butr. & Franc. dicendum est etiam favore pupillorum in connexis, ut duret jurisdictio post tempus, ut *l. tutor, ff. de administ. tutoris*. Videantur, quæ notantur *in cap. de causis, sup. de off. deleg.* 49

Cùm verò in aliis delegatis ad universitatem causarum perpetuatio jurisdictionis in una causa perpetuet quoad omnes alias non cœptas, & etiam inter alias personas, si sint dati plures delegati in solidum, juxta dicta *in cap. cùm plures, hoc tit. §. fin.* hoc non habet locum in conservatoribus, quorum jurisdictio expirat in totum, nisi quoad jam cœpta. Et ideò dictum Gloss. *in v. expirare*, debet intelligi solùm quantum ad negotia cœpta, ut scilicet perpetuatio jurisdictionis unius conservatoris, perpetuet jurisdictionem alterius quantùm ad negotia cœpta, nam quantum ad alia expirat prorsus, ut dicitur in textu, & advertit Franc. *num.*4. Silvest. *v. Conservator num.*6. 50

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Circa munera.

SUMMARIUM.

51 *Summa textus.*
52 *Conservator quando teneatur accipere Assessorem.*
53 *Non tenetur sumere notarium curiæ.*
54 *Differentia inter Delegatum, & Conservatorem.*
55 *Conservator quando possit circa futura negotia.*

51 PRæcipit Pontifex circa munera, expensas, Assessores, Notarios, & testes vocandos ea observari, quæ ipse statuit *in constit. Statutum* 11. *supr. de rescrip.* Vnde non est necesse hic aliud addere, sed quæ ibi notata sunt videri possunt.

52 Advertendum tamen est id, quod habetur in Const. Leonis X. Regimine 10. data in Concil. Lateranen. anno 1515. §. 9. ibi: *Iudices autem, & Conservatores à Sede Apostolica deputati, si in altero jurium graduatim non fuerint, Assessorem partibus non suspectum ab ipsis partibus, vel earum altera requisiti, assumere, & secundùm ejus relationem judicare teneantur.* Quod advertit Barbos. *de off. Episc. alleg.*106. *n.*15. subdens in causa una matrimoniali delegata Episc. Aspanen. Carmelit. Theologo, datum illi fuisse Assessorem Doctorem Planum de Trago. Sed Moneta *de conserv. cap.*9. *n.*69. putat Leonem X. loqui in casu judicis imperiti, *& n.*58. adverterat non teneri conservatorem sibi Assessorem assumere propter aliqualem imperitiam, nisi à partibus, vel earum altera requisitus. Hoc mihi indubitatum videtur, quod Conservator non tenetur assumere assessorem si non sit graduatus, nisi requisitus fuerit: unde nisi pars opponat processus sine assessore habitus erit validus.

Est etiam notandum quantum ad Notarium, quod Conservator non tenetur uti Notario Curiæ Episcopalis, ut ex Peyrino *in formul. l. c. cap.*20. advertit Cespedes *dub.* 318. *num.*12. sed assumere potest quemcumque Notarium Ecclesiasticum. 53

Advertendum quoque, quod Gloss. *in verbo edita*, ponit quinque differentias inter delegatum, & Conservatorem, quarum etiam meminit, Silvest. *v. Conservator num.*2. Tab. *num. fin.* 54

num. fin. D. Anton. 3. *p. tit. 9. cap. 4. §. 2. fin.* Prima, quod Canonicus Ecclesiæ Cathedralis potest esse delegatus, sed quantum sit ex vi hujus textus non potest esse conservator, potest tamen esse ex Constit. Gregor. XV. Secunda, quod Delegatus quis potest esse in causa sui Delegati, sed Conservator nullus potest esse sui conservatoris. Tertia, quod quis potest esse delegatus in causa sui superioris, sed non potest esse conservator. Quarta, quod delegatus subdelegat in totum, quod non facit conservator, sed hoc modo non est universaliter verum. Quinta, quod delegatus, si excedat metas non est suspensus ab officio, à quo est suspensus Conservator; hujusmodi enim differentiæ ex hoc textu habentur.

55 Addit verò Gloss. sextam differentiam, quod delegatus non potest dari ad futura negotia. Conservator verò dari potest, ut hic patet, *& supr. in hoc lib. & tit. cap. 1.* & per Innoc. & Jo. Andr. *in cap. audita, de restit. spoliat.* Lapus tamen intelligit, ut hoc valeat, si futuræ controversiæ oriantur super rebus possessis tempore datæ conservatoriæ, non verò super rebus ex post acquisitis, & hoc etiam si conservatoriæ datæ essent cum clausula, ut defendant à manifestis injuriis illatis, & inferendis, quia Conservatores potestas, ut odiosa debet restringi, ut *in cap. cum capella, & cap. quia circa, supr. de privil. & in Clem. fin. de rescript.* & ita etiam tenent Domin. & Franc. Verùm in privilegio conservatoriæ perpetuò, quod habent Religiosi, hæc limitatio locum non habet, cùm illud respiciat omne tempus.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Cap. Hac constitutione XV. §. Quidquid.

SUMMARIUM.

56 *Attentata contra hanc constit. nulla.*
57 *Nulla ipso jure.*
Omnino *nullum est ipso jure nullum*, 57.
58 *Alia remissivè.*

56 TAndem Pontifex decernit attentata contra prædeterminata in hoc capitulo, vel contra aliquod illorum esse omnino irrita, & inania.

57 Quamvis verò Papa non dicat attentata hujusmodi esse irrita ipso jure, & facto, id tamen colligitur ex dictione *omnino*, Gloss. *in v. omnino*, Domin. & Franc. Nam dictio *omnino*, est præcisa, & universalis, & significat indistinctè, & in omni casu, Rota *decis. 98. n. 6. p. 4. recent.* Unde omnino irritum est penitus ipso jure irritum, & nullum.

58 Hæc sunt, quæ juxta sensum hujus textus de conservatoribus dici debent. Sed quia hæc in parte, vel per privilegia, vel per alia jura sunt aut abrogata, vel iterùm innovata, & aucta, ideò videndum erit, quid de Conservatoribus dicendum sit ex jure novo Concil. Trid. & Constitutionum Apostolicarum, & præcipuæ Constitutionis 9. quæ incipit *Sanctissimus Gregor. XV.*

SUMMARIUM.

59 *Ratio difficultatis.*
60 *Privilegia Regularium.*
61 *Constitutio ad hoc Pii V. non revocata.*
Quas Constit. Pii V. revocaverit Greg. XIII. 61.
62 *Constit. Pii V. non revocata, nec continet antiqua privilegia.*
63 *Privilegia Regularium de conservatoribus, reducta ad terminos Constit. Gregor. XV.*
Regulares, in quo teneantur servare cap. statutum, de rescrip. in hoc 6. 63.
64 *Et quid de hac Decretali.*
65 *Et quid ex vi declarationis S. Cong. Concilii.*

Quæst. unic.

De facultate Conservatorum ex jure novo.

ARTICULUS I.

Utrùm privilegia Regularium de Conservatoribus abrogata sint in illis, quæ non sunt expressa in Constitutione felic. mem. Gregor. Quintodecimi publicata in Cancellaria 20. Septembris anno 1621. & in quinterno ejusdem Cancellariæ descripta, & quæ incipit. Sanctissimus in Christo Pater, &c. *& habetur in Bullario Romano Cherubini sub numero nono.*

59 NOn dubitatur enim an præfata privilegia sint abrogata quantum ad expressa in dicta Constitutione; si illi sint contraria, quia Gregor. XV. derogando amplissimè præfatis privilegiis omnes literas conservatorias reduxit ad formam dictæ constitutionis. Et ideò quod privilegia omnia Regularium sint reducta ad terminos ejusdem præfatæ constitutionis Greg. XV. declaravit S. Congr. Concilii, & declarationem approbavit Innocentius X. in sua constitutione data in causa Angelopolitana, & quæ incipit, *Cum sicut accipimus*, & data fuit 14. Maji anno 1648. & bis confirmata ab eodem Innocent. scilicet in alia constit. incip. *Cum aliàs* 19. Novembris 1652. & 27. Maji 1653. in responsione ad quintum dubium ex propositis pro parte Episcopi Civitatis Angelorum. Sed dubium est, an quantum ad non expressa in illa constitutione sint revocata. Et ratio dubitandi est, quia Gregor. XV. *in dict. constit. §. 2.* approbat constit. Bonif. IX, relatam *sup. in hoc 6. cap. statutum 11. de rescrip. & §. 11.* constitutionem ejusdem Bonif. VIII. contentam *in hoc cap.* innovavi, Igitur videtur, quod præfata privilegia sint revocata etiam in omnibus illis, quæ sunt contraria in aliquo ex expressis in constitutionibus contentis *in d. cap. statutum, & in hoc cap.* licèt illa non sint expressa in constit. Greg. XV. & hoc confirmatur, quia S. Cong. Concilii, ut habetur *in eod. Bull. Romano* Cherubini post constit. Greg. XV. declaravit Regulares etiam nunc posse eligere Conservatores, dummodò observent formam præscriptam in constitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. relatis *in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6.* tenentur igitur Regulares ad observandum contenta *in hoc cap. fin. & in cap. 1, sup. in hoc tit. & lib.* non obstantibus eorum privilegiis.

Considerandum igitur, quod Pontifices per privilegium 60
perpetuum concesserunt Regularibus facultatem eligendi Conservatores, quibus sic electis amplissimas facultates concesserunt, & hujusmodi concessiones ferè omnes habentur in Bullario Romano Cherubini. Ita enim concessit Eugen. IV. *in const. 10.* incip. *Militanti* 8. kal. Dec. 1436. & Jo. XXII. *in constit. Dilectos filios magistrum, &c.* data pro Ordine Prædicatorum, & habetur in Bullario *d. Ord. fol. 76.* & apud Donatum *part. 2. praxis tract. 17. quæst. 1.* & pro eodem Ordine Sixtus IV. in mari magno, *seu constit. ejus septima, §. 16.* in Bullar. Rom. & pro eodem Ordine Pius V. *in constit. Ad hoc nos Deus, §. 14.* quæ habetur in Bull. Rom. adjuncta *sub n. 41.* Item Sixtus IV. pro Canonicis Regularibus *in constit. 10.* incip. *Dum ad universos* 10. kal. Septemb. 1476. & idem Sixtus IV. in mari magno Carmelitarum apud Lezanam. Pariter Julius II. pro Oliver. *in constit. 5.* incip. *Militanti* 8. kal. Novemb. 1505. & pro Camald. Leo X. *const. 2.* incip. *Et si* 4. nonas Julii 1513. Et pro Minimis Clem. VII. *in const. 6.* & apud Peyr. 1. incip. *Conquestionem* 19. Martii 1524. Item Julius III. pro Clericis S. Pauli decolati, *constit. 10.* incip. *Ad hoc* 3. Idus Aug. 1550. & pro Equitibus Jerosolym. Pius IV. *const. 9.* incip. *Circumspecta*, kal. Julii 1560. & Societati Pius V. & Greg. XIII. *in constit. 3.* incip. *Aequum* 8. kal. Julii 1571. Hæc verò privilegia communia esse habentibus privilegium communicationis ex declarat. S. Cong. Concil. die 12. Septemb. 1620. adverterunt Barb. *de off. Episc. alleg. 106. n. 7.* & *Lez. p. 2. cap. 10. n. 5.* & non potest habere difficultatem, cùm hoc privilegium facillimè concessionis fuerit & sit, ut patet ex eo, quod tot Ordinibus Regularium sit concessum.

Dubitat verò Lezana *p. 2. cap. 10. n. 18. & 65.* an per Greg. 61
XIII. *in constit. 9.* quæ incipit, *In tanta* revocatum fuerit privile-

vilegium à Pio V. concessum *in præfata sua constit. Ad hoc nos Deus*. Et illud privilegium fuisse reductum ad terminos Concil. Trid. ait Moneta *de conserv. cap.7. n.550.* Sed considerandum est, quod Greg. *in d. const. In tanta*, non reduxit ad terminos juris antiquioris, & Concilii Trident. nisi tres constitutiones Pii V. quas nominat, nimirum datam 17. kal. Junii Pont. secundò. Et hæc est constitutio, quæ incipit, *Etsi mendicantium*, quæ in Bullario Romano est *sub n.41.* Secundam in qua privilegia contenta *in d. constit. Etsi mendicantium* extendit ad diversos Ordines non mendicantium, & hæc est illa, quæ incipit, *Ex superna*, data 17. kal. Septemb. 1567. & habetur in Bull. Rom. adjuncta *sub n.41.* Tertiam, in qua Pontifex Pius agens de Vicariis perpetuis Parochialibus unitis per Ordinarios instituendis, alia super constitutione fratrum ad exercitium curæ animarum in eis Parochialibus, quæ eorumdem domibus, & locis unita sunt, decrevit. Et hæc est, quæ incipit, *ad exequendum*, data kal. Novemb. 1567. *Pont.* 2. & habetur in Bull. Rom. *sub n.47.* Has tres solas constitutiones ad terminos juris antiquioris directè, & expressè reduxit Gregor. XIII. *in d. constit. In tanta*. Simul verò reduxit omnes alias, quæ ab eodem Pio V. *eisdem de rebus pro quorumcumque Regularium etiam mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, quomodolibet emanarunt.* Unde aliæ constitutiones Pii V. non sunt reductæ ad terminos juris antiquioris, nisi pro ea parte, in qua conceduntur de novo ea privilegia, quæ in illis tribus Constitutionibus expressis fuerunt de novo concessa.

62 Amplius prætcrea considerari debet, quod Gregor. XIII. *in d. const.* §.1. enumerat ea, quæ continentur in illa constitutione prima, quam reducit ad terminos juris antiquioris, scilicet *in constitutione, Etsi mendicantium*, at verò nec verbum aliquod est de Conservatorum privilegio, & licèt in fine *d. constit.* ipse Pius assignet ejusdem constitutionis judices executores, non per hoc tamen de privilegio eligendi conservatores Regularibus concesso verbum aliquod habet. Non igitur dici potest, quod constitutio præfata *Ad hoc nos Deus* sit revocata pro quanto continet privilegium conservatorum, & hoc duplici ratione. Primò quia Greg. XIII. reduxit constitutiones præfatas ad terminos juris antiquioris, in nihilo præjudicans juri antiquiori, quod haberetur sive ex jure veteri, sive ex sacris Concil. Trid. decretis, sive alias legitimè ante dictarum litterarum editionem; antiquiora igitur privilegia voluit rata esse, & firma, & sic literas ejusdem Pii in quantum continent ea, quæ erant de antiquiori jure, etiam ex privilegiis, idem Greg. confirmavit, eaque robur habere voluit; unde dato etiam, quod in præfatis literis reductis contineretur privilegium conservatorum, hoc non esset abrogatum, sed confirmatum per constitutionem illam Greg. XIII. Secundò, quia cùm constitutio illa *ad hoc nos Deus*, non fuerit expressè, & directè reducta ad terminos juris antiquioris, sed solùm consequenter, & in quantum contineret privilegia, & concessiones de novo factas ad favorem alicujus Ordinis Regularium, & contentas in dictis tribus literis directè reductis, & in illis non contineatur privilegium Conservatorum, ideò literæ illæ *ad hoc nos Deus*, in quantum continent privilegium conservatorum non sint reductæ, nisi quod conservatores instituti jam non potuerunt tueri Regulares in possessione illorum aliorum privilegiorum, nisi in terminis juris antiquioris, non verò pro ea parte, in qua erant per præfatas literas abrogata.

63 His sic stantibus respondetur ad principale quæsitum, quod privilegia Regularium de Conservatoribus sunt reducta ad terminos constitutionis Gregorianæ, & ideò sunt revocata quatenus sunt contraria expressis *in d. constit.* Et ex consequenti, quatenus sint contraria constitutionibus relatis *in cap. statutum 11. de rescript. in hoc lib.6. & cap.1. & fin. in hoc lib. & tit. in expressis in d. constit.* Greg. non verò quatenus sunt contraria non expressis in illa, & ita non expressa, & non contenta in Greg. XV. *constit.* adhuc vigent, licèt alias sint contraria constitutionibus relatis *in d. cap. statutum, & cap.1. & fin. in hoc lib. & tit.* Probatur hoc: nam quantum ad *cap. statutum 11. de rescript.* Greg. XV. solùm præcipit, quod eligendi in conservatores habeant qualitates descriptas, & ad delegatum Apostolicum requisitas, ut patet ibi: *Nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in constitutione similis recordationis Bonifacii VIII. etiam prædecessoris sui*, quæ incipit, *statutum &c.* Ex vi igitur constitutionis Gregorianæ Regularium conservatores tenentur habere qualitates descriptas in princ. illius capituli, ut scilicet obtineant dignitatem, vel personatum, aut sint Canonici alicujus Cathedralis Ecclesiæ, sed ad reliqua contenta *in seqq. §§. ejusdem constit.* non tenentur.

Major difficultas est de hac decretali, quam Greg. XV. in omnibus innovavit, ut patet §.11. ibi, &c. *Quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti constitutioni non adversantur, innovavit, & innovat.* Sed considerandum est, quod ut probatum est suprà *n.3.4. & 5.* Conservatores Regularium jure antiquiori spectato non comprehenduntur sub constitutione hujus *cap. fin.* quia in eo expressè est sermo de conservatoribus datis in forma communi, & ordinaria, non per modum privilegii perpetui, & solùm ad defensam à manifestis injuriis. Nam & hoc amplius confirmatur: quia Gloss. hic *in §. officium in v. quorumcumque*, Jo. And. *n.3.* Dom. *num.5.* Franc. *n.1.* Butr. *n.12.* distinguunt inter conservatorem privilegiorum, & conservatorem, qui defendat à manifestis injuriis. Et licèt velint, quod *in d. §. officium*, sit sermo de utroque genere conservatorum, tamen considerandum est, quod nedum hoc negat Archid. *n.3.* & meritò, ut notatum est suprà *d. §. officium n.46.* Quoniam non est hic sermo de conservatoribus datis super gratia prius facta, qui potius regulandi sunt juxta sancita suprà *cap. super gratia, in hoc lib. & tit.* ut sicut gratia est perpetua, sic perpetui sint conservatores, & gratiæ executores. Sed quia illimet DD. fatentur, quod hæc Decretalis in principio loquitur de solis conservatoribus datis, ut defendant à manifestis injuriis, & quod *in d. §. officium*, ampliatur dispositio, & sic communis intelligentia DD. est, quod hæc Decretalis directè, & principaliter comprehendit solos conservatores à manifestis injuriis, licèt aliqui minus consequenter velint, ut dispositio illius amplietur *in d. §. officium*. Non igitur sub hoc capit. comprehenduntur conservatores regularium, qui absolutè dantur ad omnes causas sive manifestas, sive occultas, etiam si requirant indaginem judiciariam, & per modum perpetui privilegii conceduntur. Ex vi igitur constit. Gregor. XV. illi in omnibus non contrariis eidem constit. servare debent contenta *in hoc cap. fin.* qui sunt conservatores dati in terminis ejusdem *cap.* scilicet, ut defendant à manifestis injuriis, non verò illi, qui ex eorum institutione sunt dati ad omnes causas: hi enim non subduntur legi hujus *cap.* nisi modo in casibus expressis *in d. const.* Greg. XV. 64

Id verò, quod sumebatur ex declaratione Sac. Congreg. Concilii, patet, quod non probat contrarium, quia illa declaratio nihil innovat, nec novam legem condit, sed solam vult servari constitutionem Greg. & formam *cap.1.* & hujus *cap. fin. in hoc lib. & tit.* secundùm quod illa forma fuit approbata, & innovata per eandem const. Greg. Per quam cùm Regularium conservatores non obligentur ad servandum omnia illa, quæ *in d. cap.* continentur, sed solùm quantum ad expressa in eadem constit. ad majus non obligantur etiam virtute dictæ declarationis S. Congr. 65

SUMMARIUM.

66 *Quid significet nomen Conservator.*
67 *Quid sit Conservator.*
68 *Prælati sunt Conservatores ordinarii.*
69 *Conservatores Regularium sunt ordinarii.*
70 *Conservatores de jure communi sunt Delegati.*

ARTICULUS II.

Utrùm Conservator sit Judex Delegatus.

Conservator dicitur, cujus officium est aliquos à molestiis, & injuriis, ac violentiis tueri, & in possessione bonorum, aut quasi bonorum, ac jurium suorum tenere, & conservare, ut habetur ex Concil. Trid. *sess.14. cap.5. & sup. cap.1. hujus tit. & lib.* tradiderunt Jo. Mon. Archid. Jo. And. & alii, unde & dici possunt tutores, sicut eos vocat Jo. And. hic, sicut & dicuntur defensores, quia jura defendunt, *d. c.1. in hoc tit. & cap.5. sess.14.* Conc. Trid. *de refor.* & tales eos vocat Petrus Greg. *in syntag. jur. univ. lib.47. cap.22. n.25.* ad similitudinem defensorum civitatum, & locorum, de quibus *in tit. de defens. civ. in C. & Auth.* Communiter verò dicuntur conservatores, Specul. *de off. deleg. §.8. n.24.* D. Anton. *p.3. tit.9. cap.4.* Silvest. *v. conservator, n.1.* Mandos. *in praxi signat. gratiæ, v. conservatoria*, Rot. *dec.5. de off. deleg. in antiq. & sup. cap.1. & 2. in hoc tit.* & hic, & Concil. Trid. *d. cap.5.* 66

Diffi-

67 Diffinitur verò communiter conservator, ut sit Judex datus ad tuendum aliquos contra manifestas molestias, injurias, & violentias, judiciali non utens indagine, ut ex hoc *cap. & sup. cap. 1.* colligunt Dom. §. *Conservatores*, *n. 5.* Jo. Andr. *n. 4. & sup. cap. 1.* Anch. *n. 1.* Butr. *n. 2.* Silvest. *v. conservator n. 1.* Tabien. *n. 1.* D. Ant. *3. p. tit. 9. cap. 4.* Monet. *de conserv. cap. 1. qu. 2. n. 7.* Barbos. *de off. Episc. alleg. 106.* Azor. *p. 2. l. 5. cap. 34. qu. 1.* Lezana *par. 2. cap. 10. n. 1.* Tamb. *tom. 3. disp. 17. quæst. 1. n. 1.* & cæteri omnes. Hæc tamen diffinitio convenit solùm conservatoribus datis in terminis hujus constitutionis. Nam alias dati fuerunt, & dantur aliquando conservatores in forma ampliori, ad hoc ut defendant etiam à non manifestis injuriis, quales ex vi privilegiorum sunt conservatores regularium. Quamvis modo eorum facultas sit restricta. Cùm verò dentur conservatores ordinarii, quales sunt superiores, quorum est subditos tueri, & violentum insultus coercere, & bona suorum conservare. Quorum supremus est Deus, de quo dicitur Ecclesiastici 33. *Timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis.* Hujus enim auxilium implorans David, dicebat: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te.* Sed & Pontifex Christi in terris Vicarius, & Episcopi, & Prælati ex officio tenentur justitiam tueri, injurias vindicare, & præcipuè Viduas, & pupillos à violentiis defendere, *cap. ex parte D. & cap. ex tenore, de for. comp. cap. significantibus, de off. deleg.* Quod, & præstare debent Imperatores, & Reges, *l. unic. C. quando Imperat. inter pupill.* Præter hos ordinarios conservatores, qui habent universale, seu ordinarium gubernium, & ordinariam, atque latiorem, & universaliorem jurisdictionem in subditos, dantur alii specialiter deputati ad hoc, ut aliquos defendant ab injuriis, & violentiis. Et de istis nos loquimur, & quærimus an sint judices delegati, vel potius ordinarii.

68 Greg. XIII. *in sua constit.* quæ incipit, *Aequum*, & data fuit 8. kal. Junii anno 1572. & habetur in Bullario Romano *sub n. 1.* & apud Jo. Petrum Monetam *de conserv. cap. 2.* concessit Societati, ut ejus Religiosi Archiepiscopos, Episcopos, &c. *in suos possent assumere conservatores, & Iudices Ordinarios.* Ex quo videtur dicendum conservatores Ordinarios esse non Delegatos. Et propterea, quod attento jure novo, & privilegio præfato conservator regularium communicantium in privilegiis uni Ordini concessis sit Judex Ordinarius, dixerunt Pasqual. *centur. 2. quæst. 179. n. 2.* & ad Laur. de Franc. *p. 1. n. 830.* Barbos. *de off. & potest. Episc. alleg. 106. n. 3.* Lezana *p. 2. c. 10. n. 2. & 25.* Peyr. *ad const. 5.* Greg. XV. *n. 2.* & quod potius dicendus sit Ordinarius, quàm delegatus voluerunt Tambur. *tom. 3. d. 17. qu. 1. n. 5.* & Bordon. *resol. 95. n. 9.* Ex hoc confirmatur ex quadam declaratione S. Congr. Concilii, quam ex *collect. ex Bibliot. Bellar. sup. cap. 5. sess. 14.* refert Pasqual. in qua decernitur, quod *Conservatores sunt Iudices Ordinarii, sed illis committuntur causæ, ut Sedis Apostolicæ delegatis.*

69 Dicendum est igitur, quod conservatores electi, & dati in vi constitutionis illius Greg. XIII. verè sunt Judices Ordinarii, seu per modum Ordinarii, & Ordinariis æquivalentes, & tales, quibus in vi dictæ constitutionis tribuitur jurisdictio, quæ non desinat morte concedentis, & se extendat etiam ad ea, quæ requirunt judicialem indaginem, & per quam subdelegare possint, & per alios causas cognoscere, ut in prædictis literis Apostolicis Greg. XIII. expressè continetur. Pius etiam V. *in const. sua Ad hoc nos Deus*, quæ in Bullario Romano habetur adjuncta *sub n. 41.* concessit Prædicatoribus, ut eorum conservatores ab eis electi essent eorum Judices unicos, qui ex consequenti eorum respectu se haberent sicut Ordinarii Judices, & Pontificis Vicelgerentes. Verùm cùm constitutio illa Greg. XIII. sit reducta ad terminos *constit. 9.* Greg. XV. ut de mente S. Cong. Concilii declaravit Innoc. X. *in constit. Cum sicut accepimus*, data 14. Maji 1648. ut patet ibi *in respon.* ad dubium quintum, cùmque *in d. constit.* Greg. XV. confirmentur statuta *in hoc cap. & cap. statutum 11. de rescrip.* non multum intererit dicere, quod sint Ordinarii, vel delegati, si nihilominus jam nil magis habere possunt, quàm in terminis dictorum capit. & constitutionis illis est concessum.

70 Dicendum igitur est 2. quod de jure communi, & regulariter, & nisi aliter contineatur in literis conservatoriarum, conservatores sunt Judices delegati. Quod ex eo est manifestum, quod de eis Pontifices tractant sub titulo *de off. & potest. jud. deleg.* *Et in hoc cap.* decernitur, quod officium conservatorum ad modum delegatorum desinat morte concedentis re integra. Et ideò hoc tenuit Gloss. *sup. cap. 1. in v. conservatores*, ubi Archid. Jo. And. *col. 2.* Anch. *n. 2.* Domin. *n. 5.* Franc. *n. 3.* Butr. *num. 4.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 4. §. 2.* Silvest. *v. conservator n. 1.* Armill. *n. 4.* Navar. *cons. 5. alias 3. de off. deleg.* Moneta *de conserv. cap. 1. num. 11. & cap. 7. nu.* ... Anchar. *cons. 132. n. 1.* Jas. *cons. 145. vol. 4.* Ruin. *cons. 3. n. 1. vol. 4.* Everard. *in loc. à rubr. n. 5.* Mandol. *in praxi Cancell. v. conservatoria*, Laurens de Franchis, & apud eum Pasqual. *part. 1. n. 827. & 828.* Barbos. *de off. & potest. Episc. alleg. 106. n. 2.* Lezana *p. 2. c. 10. n. 2.* Tamb. *t. 3. d. 17. quæst. 1.* Bordon. *res. 95. n. 85.* & apud istos plures alii.

S V M M A R I V M.

71 *Conservatores non esse delegatos ad universitatem causarum, aliqui dicunt.*
72 *Conservator est delegatus ad universitatem causarum.*
Quis sit delegatus ad universitatem causarum, 72.
73 *Iurisdictio ordinaria quale requirat territorium.*
74 *Conservatores quale territorium habeant.*
75 *Conservator datur ad universitatem causarum, & personarum.*
76 *Conservator æquiparatur Ordinario.*
77 *Conservator licet Papæ delegatus subdelegare non potest.*
Conservatores Regularium subdelegare possunt. 78.
79 *Debent subdelegare habenti qualitates.*
80 *Objectio.*
81 *Conservatores plures dati simpliciter non sunt dati in solidum.*
82 *Etiam si dati pro exemptis.*
83 *Quid ubi dentur plures conservatores successivè.*
84 *Inquisitores sunt delegati ad universitatem causarum.*
85 *Conservator qualiter notificare debeat suum mandatum.*

ARTICULUS III.

Utrùm Conservator sit Delegatus ad universitatem causarum, ideóque æquiparetur Ordinario.

71 Videtur verò negandum esse, quia aliud est esse delegatum ad universitatem causarum, & aliud ad causarum pluralitatem: ille verò est delegatus ad universitatem causarum, cui commissæ sunt causæ plures respectu ejusdem territorii, *l. fin. C. ubi, & apud quos;* sed ille est delegatus ad pluralitatem causarum, cui commissæ sunt causæ plures respectu personarum, ut si alicui commissæ sint causæ omnes, quæ vertuntur inter Sempronium, & Titium, Cochier. *tom. 1. par. 1. qu. 16. n. 9.* At verò conservatores dantur respectu certarum causarum, & personarum, non verò respectu territorii; non est ergo delegatus ad universitatem causarum, sed solùm ad pluralitatem, & ideò non æquiparatur Judici Ordinario, Anch. hic *n. 6.* Præterea quia ad delegatum ad universitatem causarum requiritur illa universalitas, de qua *in cap. 1. infr. de off. ordin.* Et tamen videmus Regulares gaudentes privilegio conservatorum, in quampluribus subjici Episcopis, ut tradit Tambur. *tom. 3. disp. 5. q. 11.* non ergo conservatores censentur ac si essent Ordinarii, ex eo quod sint delegati ad universitatem causarum. Imò ex hoc, quod conservatores non sunt destinati ad universitatem causarum, defendi potest, quod Ordinarius in controversia jurisdictionis sit major conservatore. Tertiò, quia conservatores non tenentur servare formam judicialem, sed procedere possunt veritate rei inspecta, Moneta *de conserv. qu. 7. n. 77.* non agitur ex eo quod sint delegati ad universitatem causarum censeri possunt, ac si essent Ordinarii, cùm alii in causis requirentibus indaginem teneantur formam juris servare. Quartò, nam Inquisitores hereticæ pravitatis non sunt delegati ad universitatem causarum, sicuti tenent Jo. Andr. & Dom. *in cap. ne aliqui, infr. de hæret.* Anch. *in cap. cum causam nu.* ... & ibi Franc. *n. 27. in fin. de appellat.* Multò minus igitur erunt delegati ad universitatem causarum conservatores, qui longè minus amplam jurisdictionem habent. Et propterea hanc partem sequuntur Anchar. hic *n. 6.* Menoch. *de arbitr. p. 1. q. 67. n. 63.* & apud eum Capell. Tol. *decis. 38.* Barbastren. *in pastorali p. 1. claus. 11. n. 22. & seqq.*

72 Dicendum nihilominus est conservatores Regularium, vel similes esse delegatos ad universalitatem causarum, ideóque æquiparari in quampluribus Judicibus Ordinariis. Ita

Dom.

Dom. §. *officium, num.2.* & ibi Franc. *n.2.* Aufer. *in addit. ad decis.38.* Capell. Tolos. Navar. *cons.3. nu.2. & 3. de off. deleg.* Jo. Bapt. Cast. *de re integ. dist.64. num.3.* Confet. *in summar. tit.4. cap.7. in princ.* Moneta *de conserv. cap.7. n.37.* Pasqual. *cent.2. quæst.179. num.4.* & ad Laur. de Franc. *p.1. num.829.* Probatur verò prima pars conclusionis, quia delegatus ad universalitatem causarum est, quotiescumque committitur aliquod genus causarum, licèt non generalissimum, sed subalternum, & licèt sit restrictum, vel quoad tempus, ut si committuntur causæ unius anni, vel quoad locum ut si committuntur causæ unius loci, vel quoad quantitatem, ut si committuntur causæ decem librarum, unde delegatio ad universalitatem censetur, si commissio est universalis quoad causam, & specifica, vel individualis quoad locum, ut si committuntur omnes causæ, vel causæ indefinitè talis territorii. Item si commissio sit universalis quoad personas, licèt specialis quoad causas, ut si committuntur omnes causæ mutui inter personas talis territorii: sive si delegatio sit universalis quantum ad personas, & causas licèt non fiat mentio territorii, Sanch. *l.3. de mat. disp.31. n.4.* ex Bart. *l. legatus, n.4. ff. de off. Proc.* Socin. *l. more num.38. ff. de jurisd. omn. jud.*

73 Et certè quod ad jurisdictionem ordinariam non sit necessarium territorium materiale, quatenus dicit locum, in quo coadunantur subditi, nec sit necesse, quod habens jurisdictionem ordinariam sit dominus hujusmodi territorii advertit Gloss. *in Clem. ne Romani, §. sane, v. Diœcesim, de elect.* & docuerunt Felin. *in cap. post cessionem in princ. de probat.* ex Bald. *in l.1. §. Cum urbem, ff. de off. Præt. urbis,* Dom. *inf. in cap. Ordinarii, de off. ordin.* Marant. *p.4. dist.5. num.2.* Jacobat. de Concil. *l.5. art.8. n.45.* Campeg. de Concil. *cap.23. n.4.* Monet. *de conservat. cap.7. n.40. & 41.* Rota *dec.324. n.10. part.1. recent.* Pasqual. ad Lauret. de Franc. *p.1. n.823.* Sufficit enim territorium formale, quod consistit in unione subditorum intra certos terminos jurisdictionis, ut ex Ossuard. *l.17. cap.9. lit.C.* & Alfonso de Escobar *de Pontif. & reg. juris, cap. 9. num. 6. & seq.* advertit Pasqual. citatus *num.831.*

74 Conservatores verò hoc modo territorium habent, cùm habeant jurisdictionem intra certos fines locales, ut enim *ex hoc cap.* habetur, non possunt trahere ad judicium existentes ultra dietam à fine Diœcesis, in qua sunt deputati. Et licèt ex privilegiis possent trahere ultra dietam, nihilominus fuit semper determinata distantia dietarum. Et ex formis commissionum hujusmodi conservatoriarum constat dari conservatoribus jurisdictionem intra certos terminos. Quod si nullus conservatorum jurisdictioni præfigeretur terminus, considerandum esset, quod sicut Papæ territorium est totus mundus, *cap. Cuncta per mundum 1. qu.3.* ita Conservatoris dati à Papa totus mundus haberetur pro territorio.

75 Hoc igitur non obstante, quod conservator non habeat locale territorium, si consideretur, quod commissio datur illi ad genus causarum, quia ad arcendas quascumque injurias, & violentias, & ad universalitatem personarum, quia datur ad repellendas injurias à quocumque illatas, indubitatum remanet, quod conservator datus à Papa est delegatus ad universitatem causarum. Quod verum est, ut notat Monet. *n.40.* etiam si conservator daretur ad favorem certæ, & individuæ personæ, si alias daretur super quibuscumque injuriis, à quibuscumque personis illi inferendis. Et sic longè dissimile est exemplum in primo argumento allatum de commissione data super causis vertentibus inter Sempronium, & Titium, quia hæc commissio non est universalis ex parte personarum, sed ex parte causarum est valde restricta, ut notat Sanchez *d. disp.31. n.4.* cùm respiciat solùm causas inter duas numero personas vertentes.

76 Manet ergo probata prima pars conclusionis, scilicet, quod conservator est delegatus ad universalitatem causarum. Quo supposito sequitur secunda pars; quia delegatus ad universitatem causarum, reputatur quasi Ordinarius, prout colligitur *ex l.1. §. Ab eo, ff. quis, & à quo appell.* & tradunt DD. suprà *n.65.* citati, quibus adde Fermos. *cap. significasti 18. qu.1. n.15. de for. compet.*

77 Objicies forsan, & dices, quod delegatus ad universitatem causarum etiam ab inferiori delegante, potest unam, vel alteram causam subdelegare, ut *ex d.l.1.* habetur, & tradunt Silvest. *v. Delegatus qu.8. d.3.* & quamplures Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanchez *l.3. de matrim. disp.31. n.3.* At verò conservator subdelegare non potest, nisi vel citationem, vel sententiæ denuntiationem, ut expressè decernitur in hac Decretali, §. *Vices suas 4.* & tradunt hìc Interpretes omnes. Sed respondetur, quod hìc est casus specialis, ex hac speciali lege statutus, nam nedum Delegatus ad universalitatem causarum, sed simplex delegatus Papæ, de jure communi potest etiam in totum causam sibi commissam subdelegare, *cap. si delegatus, sup. in hoc tit.* & tradunt omnes, nihilominus conservator licèt Papæ delegatus ex vi hujus Decret. subdelegare non potest.

Et nihilominus dicitur, quod Regularium conservatores ex vi privilegiorum Ordinibus suis concessorum, vel in quibus communicant, possunt subdelegare. Non igitur conservatores possunt delegare ex illa duplici causa, quam assignat Pasqual. ad Laur. de Franc. *p. p. num.828.* quia nimirum sint, & delegati Papæ, & delegati ad causarum universalitatem, quia his non obstantibus ex hac Decretali subdelegatio est illis prohibita, nisi quantum ad duo expressa. Sed hoc possunt ex vi privilegiorum, nimirum *ex constit.1.* Eugenii IV. in Bullario Romano pro Cassinen. *& constitut.* Jo.XXII. *Dilectos filios Magistrum, &c.* pro Ord. Præd. in eorum Bullario *fol.76.* & apud Donatum *p.2. tr.17. qu.1. & constit.* Pii V. *Ad hoc nos Deus, &c.* in Bullario Romano *sub num.31. & ex const.* Clem.VII. quæ incipit, *Conquestione*, data 19. Martii 1542. ad favorem Minimorum, & habetur apud Peyrinum *sub num.1.* & in mari magno Carmelitarum §.107. apud Lezanam, *& in constit.1.* Gregor.XIII. pro Societate, & in aliis etiam privilegiis. Et hoc idem supponit Gregor.XV. in citata *constitut. Sanctissimus, §.2.* ibi: *sive principales, sive subrogati,* & propterea hoc tenent Confet. *in sum. privil. Mend. tit.4. cap.7.* Moneta *de conservat. cap.7. num.48.* & de mente S. Cong. Fagnan. *c. si Clericus, num.42. de for. compet.* Peyrin. *ad const.5.* Greg.XV. *§.2. n.5.* Pasqual. *ubi supr. num.821.* Passarel. *in not. ad privil. not.32.* Bord. *res.95. num.9.* Lezana *part.2. cap.10. num.26.* Tambur. *tom.3. disp.17. qu.1. num.6.* Rodriq. *tom.1. quæst.65. art.18.* Barbos. *de off. Episc. alleg.106. num.4.* Quidquid in contrarium dixerit Donatus *part.2. tr.17. res.23.* non distinguens inter hoc, quod est non posse subdelegare nisi habenti qualitates const. Gregorianæ, quod est verum, & inter hoc, quod est non posse subrogare, vel subdelegare absolutè, quod adhuc numquam fuit Regularibus interdictum. 78

Ubi igitur contigerit, quod conservator electus, velit subdelegare, non poterit id facere, ut dictum est, nisi in personæ, quæ habeat qualitates ad conservatorem necessarias, Tambur. *t.3. d.17. q.1. n.6.* Fermos. *c. si Clericus q.12. n.460. de for. compet.* Et licèt conservator existens extra Diœcesim, in qua est deputatus poterit subdelegare alium, tenebitur tamen delegare illum, qui non nisi in ea Diœcesi causas audiat, & cognoscat, nec existentes ultra fines jurisdictionis sibi traditæ trahat, Moneta *de conserv. quæst.7. n.60.* 79

Objicies 2. quod cùm jurisdictio data pluribus Ordinariis, censeatur illis data insolidum, & sic unusquisque illorum possit prævenire, & sine altero, vel aliis procedere, ut probat textus *in l. unic. ff. de off. Consul.* sequeretur, quod datis duobus conservatoribus simpliciter unus posset sine alio in causa procedere, quod est contra ea, quæ de delegatis pluribus simpliciter datis statuitur, *cap. Cum causa, cap. causam, cap. Prudentiam, & cap. penult. de off. deleg.* 80

Respondetur non deesse, qui concedunt plures delegatos ad universalitatem causarum censeri datos in solidum, & tanquam Ordinarios, hoc enim docuit Menoch. *de arbitr. p. p. quæst.67. num.53.* post Felin. *in cap. causam num.8. de off. delegat.* & Bart. *in l. Pomponius, ff. alias si uni, de jud.* & fundantur *in l.1. §. si plures, ff. de exercit. act.* ubi plures præpositi exercentibus multa negotia censentur habere jurisdictionem insolidum. Verùm cùm delegati ad universitatem causarum sint essentialiter delegati, nec habeant jurisdictionem radicatam, & propriam, sed fungantur vice delegantis, *cap. sane il 2. de off. deleg.* dicitur, quod plures delegati ad universitatem causarum dati simpliciter, non censentur dati in solidum, & quod unus sine alio procedere non potest, prout docuerunt Panorm. *c. causam 12. n.7. cap. Prudentiam 21. in princ. n.13. de off. deleg. & cap. fin. num.18. & 19. de re jud.* Felin. *dict. cap. causam num.8.* Dec. & Molin. quos sequitur Moneta *de conserv. cap.7. n.43.* Nec urget, quod adductum fuit *ex d. §. plures,* quia nec constat illos præpositos fuisse delegatos, & non potius Ordinarios. Tum quia si essent delegati, intelligi deberet hoc esse specialiter de illis statutum ob utilitatem contrahentium; longè verò est diversa ratio, 81

& lon-

& longè universalior jurisdictio Delegatum ad universitatem causarum, & longè majus præjudicium potest parari ex sententia horum Delegatorum, quàm ex decreto unius privati Præpositi exercentibus negotia.

82 Quamobrem plures Conservatores dati simpliciter, non censentur dati insolidum, nec unus potest sine alio procedere. Nec approbo limitatiooem Monetæ *d. cap. 7. nu.* 43. circa finem excipiens Conservatores datos iis, qui sunt exempti à jurisdictione Ordinarii, quia isti dati sint tanquam Ordinarii. Semper enim & isti sunt essentialiter Delegati, & vice Delegantis aguot, unde legibus Delegatorum subduntur. Neque enim Delegati ad universitatem causarum in omnibus, & singulis æquiparantur Ordinariis, ut constat ex adduct. per Franc. *in c. cum causam de appll.* & Fel. *c. causam n.* 8. *de off. Deleg.*

83 In casu autem, in quo Papa idem duos daret Conservatores, unum post alium, considerandus esset tenor literarum Apostolicarum. In dubio autem, ubi non constet secundùm datum esse, ut adjunctum censendum esse eum datum insolidum, tenet Moneta *d. n.* 43. quia de judicibus universalibus sic tenent Menoch. *præsump.* 18. *lib.* 2. *n.* 8. & Vant. *de null. sent. ex def. jur. ord. n.* 178.

84 Ad ea, quæ *num.* 64. in contrarium allata sunt pro sententia opposita respondetur, & dicitur, quod ad primum, & secuodum patet responsio ex dictis *num.* 66. Ad tertium dicitur, quod cùm jurisdictio Conservatoris non respiciat ea, quæ requiruor altiorem indaginem, nil mirum, si non tenetur ad formam juris, sed possit procedere de plano veritate facti inspecta. Quartum verò retorquetur, quia imò certum est, quod Inquisitores sunt Delegati ad universitatem causarum, ut docent Panorm. *cap. ultim. num.* 19. *de re jud.* Dec. *sup. causam matrimonii, num.* 10. *de offic. Deleg.* Alciat. *in rubr. de off. Ordin. num.* 21. Barbat. *d. cap. Causam*, ubi & Felin. *num.* 8. Archid. *in cap. ne aliqui, inf. de hæret.* & Joan. Andr. *inf. cap. Per hoc eodem tit.* Moneta *de conservat. cap.* 7. *num.* 43. Carena in praxi *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 2.

85 Ex eo verò, quod Conservatores sint Delegati ad universitatem causarum, colligitur quod non est necesse, ut in prima citatione inserant literas conservatorias, sed sufficiet, quod ad instar aliorum Judicum Ordinariorum de eorum electione, & constitutione constet in actis Notarii Curiæ Ordinarii, secundùm Peyt. *t.* 2. *ad const.* 5. Greg. XV. *num.* 2. Lezana *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 25. Tambur. *t.* 3. *disp.* 17. *q.* 1. *num.* 5. Sed melius addit Confect. *in summ. Privil. Mend. tract.* 4. *cap.* 7. §. *Præterea*, quod Conservator non teneretur ad ostendendas literas suæ authoritatis, & commissionis in causis coram eo vertentibus, neque ad dicendum contra privilegia, jurisdictionem, & electionem ipsius Conservatoris continentia, tanquam notoria, pars adversa citari debet, nec minus etiam electio de Conservatore à Regularibus facta est de necessitate ostendenda, seu in actis registranda, cùm ex citationibus ad ipsorum Regularium instantiam decretatis, requisitio, qua quis etiam in Conservatorem eligitur, juxta privilegiorum dispositionem satisfacta censeatur. Concludit tamen, quod ad omnem dubitationem tollendam necesse sit, instrumentum, seu literas patentes de Conservatoris electione per Regulares factæ, per Notarium in libro causarum, & actorum, qui coram Conservatore fiunt, integrè registrari, ut ab omnibus, quorum interest, videri possint. Sic etiam tenet Moneta *de conservat. d. cap.* 7. *num.* 4. qui prius *à n.* 45. probaverat, quod nec in Delegato simplici sit necessaria præfata insertio. Quod tamen Conservator teneatur fidem facere Ordinario de literis mandati, & si id non faciat, non possit illum excommunicare, si nolit suam sententiam exequi, adnotavit Fermos. *in cap. si Clericus q.* 12. *num.* 25. *de for. comp.* ex Barb. *d. alleg.* 106. *num.* 73. Quomodo etiam electio Conservatoris notificari debeat Ordinario, ne ipse possit coram se convenire Regulares dicetur *inf. art. ult.*

SVMMARIVM.

86 *Ratio quæstionis.*
87 *Injuria contrariè opponitur juri.*
88 *Injuria communissimè dicta est idem, quod culpa.*
89 *Injuriæ plures species, & modi.*
90 *Violentia, in quo distincta ab injuria, & à coacto, seu invito. Passer. in Lib. I. Sexti Decret.*
91 *Quinque modis vis infertur.*
92 *Injuria non fit scienti, & volenti.*
93 *Conservator defendere potest ab omnibus injuriis.*
94 *Molestia injusta coincidit cum injuria.*
95 *Iurisdictio Conservatoris se extendit ad injurias inferendas.*
96 *Contrà quemcumque suos manifestè injuriantem potest procedere.*

ARTICULUS IV.

Quæ injuriæ & violentiæ sunt, à quibus potest Conservator defendere.

86 Cum jam constet Conservatorem esse judicem, & quidem Delegatum, talem tamen cui non omnes omninò causæ committuntur, sed solum datur facultas defendendi à manifestis injuriis, & violentiis in terminis *cap.* 1. & præsentis finalis hujus tit. videndum remanet, quænam sint hæ injuriæ, & violentiæ.

87 Injuria generaliter sumpta dicitur omne id, quod jure non est factum, *Instit. lib.* 4. *tit.* 4. *de injur. l.* 1. *ff. de injur.* Existimat verò Silvest. *v. injuria, num.* 1. quod injuria opponatur juri privativè, vel contradictoriè, vel quia nullo jure præcipitur, aut vetatur, ut levare festucam. Sed certè impropriissimè dicitur injuria id, quod est à jure permissum, licèt sit quid res indifferens, quia lex nec præcipit, nec prohibet. Et eo magis quod ad indifferens homo liber habet jus, ut ex beneplacito illud faciat, ut v. g. levet festucam; hoc igitur nullo modo juri opponitur cùm sit à jure permissum, & ex jure liberum. Ideò dicitur, quod injuria contrariè juri opponitur, & est convertibiliter idem, quod injustitia. Sic Sotus in procemio *l.* 5. *de just.* dixit, quod tunc irrogatur homioi injuria, quoties illi contra jus nocumentum infertur, & Farin. in praxi *q.* 105. *inspect.* 1. *n.* 1. dicit, quod injuria importat omne delictum ex animo, & à volente factum.

88 Verum quidem est, quod sicut justitia sumitur communissimè, & sic convertitur cum virtute, & sanctitate, & hæc teste D. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 2. est illa, de qua Paulus ad Rom. 3. dixit: *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi.* Quæ est illa justitia, qua vivit justus, juxta illud ejusdem Pauli Rom. 1. *Iustus autem ex fide vivit.* Ita injuria communissimè accepta illa est, quæ huic justitia est contraria, & importat Theologicam culpam, seu peccatum, quod est injustitia, juxta illud Psal. 31. *Injustitiam meam non abscondi; & dixi: confitebor injustitiam meam Domino.* Et per illud fit injuria Deo, in quo sensu accipi potest illud Pauli ad Coloss. 3. *Qui enim injuriam facit, recipiet, quod iniquè gessit.* Sed justitia propriè est specialis virtus, secundùm D. Thom. *q.* 58. *art.* 3. & ejus actus est reddere cuique, quod suum est, ut ibi D. Th. docet *art.* 11. Et huic opponitur injustitia propriè, quæ idem est convertibiliter cum injuria.

89 Hujus verò injuriæ tres ponuntur species ab Imperat. *inst. de injur.* & à Vulp. *l.* 1. *ff. de injur.* quæ sunt culpa, scil. damnum ex dolo, vel culpa datum, contumelia, & iniquitas, quæ consistit in injustitia judicium. Et tribus modis fit injuria, scillcet, re, verbis, & scriptis, re quoties manus inferuntur in damnum proximi; verbis per convitia, contumelias, & detractiones, scriptis per famosos libellos, aut Epistolas, aut quascumque alias scripturas. Ex quibus colligitur, quod infertur injuria alicui, quando ei aliquod turpe, aut delictum etiam in genere improperatur. Quando ei imputatur delictum. Quando verbis, vel factis alicujus dignitas læditur, vel persona infamatur, vel opinio minuitur. Quando proferuntur verba, quibus dicitur aliquid commissum contra bonos mores. Et tandem per peccatum quodlibet injustitiæ contra proximum illi infertur injuria, si vel ab eo invito verbis, vel factis aufertur injustè, quod ejus est, vel quod suum est, non redditur. Et quodlibet iterum quod non jure fit, sed contra jus. De his viduas Jurisperitos *in leg. cit.* Silv. & Summistas *in v. injuria*, Farin. plures referentem in praxi *q.* 105. *tota inspect.* 1.

90 Violentiam verò esse speciem injuriæ, dixit Franc. *sup. cap.* 1. *nu.* 2. Quod explicat Moneta *de conservat. cap.* 7. *q.* 3. *n.* 87. quia ad injuriam addit vim, & impetum. Sed cùm ex una parte violentum sit, quod est à principio extrinseco nullam vim conferrente passo, secundùm D. Th. *p.* 2. *q.* 6. *art.* 4. & 5. quem omnes sequuntur; ex alia verò parte nihil fit

injustum, nisi qui patitur patiatur invitus, & contra propriam voluntatem, ut ex definitione justitiæ constet, 2. 2. q. 58. *art.* 1. & est per se notum. Unde est axioma, quod scienti, & volenti nulla fit injuria, *cap. scienti, de reg. jur. in hoc lib.* videtur, quod convertibiliter se habeant injuria, & violentia. Sed respondetur, quod ad violentum propriè, ut pertinet ad mores, non sufficit, quod fit quomodocumque contra voluntatem passi, nimirum contra voluntatem interpretativam, & moralem, quale est furtum, per quod aliquis occultè damnificatur eo nec cogitante; sed requiritur, quod fit contra actualem voluntatem passi, tunc enim infertur vis alicui, quando manifestè eo cognoscente, & actu nolente cogitur aliquid agere, vel pati; sicut enim violentum absolutè est id, quod est contra actualem inclinationem passi, ut tradit D. Thom. *p. 2. q. 6. art.* 4. ad secundum, Scotus *in 4. d. 29. q. un.* Jo. à S. Thom. *p. 2. q. 6. disp.* 4. *art.* 1. Ildefonsus *p. 2. q. 6. art. 1. n.* 12. Ita violentum morale est, quod fit passo sciente, & actu per suam voluntatem contradicente.

91 Quinque autem modis inferri colligitur ex Gloss. Bart. & aliis *in l. Pomponius, §. cum quis ff. de acquir. poss.* ut tradunt Menoch. *de recuperand. possess. in prælud. num.* 38. Moneta *de conservat. cap. 7. num.* 89. Dividitur enim violentia in expulsivam, qua quis per vim spoliatur possessione, in ablativam, per quam vi res aliena aufertur; in compulsivam, quando quis compellitur facere, quod non vult; in turbativam, cùm duo se possidere contendunt; & inquietativam, cùm quis non patitur quietè uti re sua, vel unus vi vult ædificare in solo alieno.

92 Cæterùm illud axioma scienti, & volenti nulla fit injuria, verissimum est. Illud verò limitat Moneta *de conserv. cap.* 7. ut intelligendum sit, de iis dumtaxat, quæ à volentis tantùm arbitrio pendent. Nam aliàs, si quis virginem etiam volentem rapit, tenetur pœna raptoris, *l. un. Cod. de rapt.* Et si quis sine vi virginem stupraverit punitur, *lege Julia instit. de pub. jud.* §. 2. junct. Gloss. Et excommunicatus est, qui suadente diabolo Clericum consentientem percutit. *cap. contingit 1. de sent. excomm.* Sed dicitur axioma illud nullam pati limitationem. Nam in primis duobus casibus lex præsumit involuntarium, quia præsumit virginem raptam, aut stupratam fuisse deceptam, seu dolosa suasione circumventam. In tertiò autem casu involuntarius est Clericatus Ordo, cui fit injuria, & cujus privilegium violatur, ei verò qui voluntariè patitur nulla injuria fit.

93 Ad quæstionem igitur his suppositis respondetur *in cap. præsenti, & sup. in cap.* 1. & in Concil. Trid. *sess.* 14. *cap. & in constit.* 9. Gregor. XV. sermonem esse absolutè, & universalissimè ex hac parte de injuriis, & violentiis. Sive verò dicatur, injuriam sumi genericè, sive specificè, ut importat injuriam non qualificatam expressa vi, sensus idem est. In primò enim sensu sumpta injuria genericè, quod additur *& violentiis* additur exemplariter, & ad majorem expressionem. Si verò injuria sumitur specificè, dictio *&* sumitur copulativè, & augmentativè, ut comprehendatur omnis species injuriæ, seu injustitiæ, Moneta ubi supra *num.* 90. Unde ex hac parte nulla prorsus est limitatio, nulla scilicet est injustitiæ species, aut individuum, de qua, vel quo non possit cognoscere Conservator. Sed limitatio est ex capite manifesti, quia injuria non spectat ad jurisdictionem ejus, nisi sit manifesta.

94 Quod verò in Conc. Trid. *d. cap.* 5. & in privilegio Societatis habeatur, quod Conservator possit defendere à molestiis, eumdem sensum habet. Est enim sermo de molestia injusta, & hæc eadem est, cum injuria. Existimat quidem Moneta ubi supra *num.* 95. quod molestia in plus se habeat, quàm injuria, nam molestia comprehendit etiam illam, quæ jure fit, ut patet *ex l. die Sabbati C. de jud. & l. 1. C. de nund.* & not. Felin. *c. Causam quæ de rescript.* Menoch. *l. 4. præsum.* 98. *& alii*. Sed quidquid sit de hoc, *in d. privil. & in Conc. Trid. d. cap.* 5. non est sermo, nisi de molestia, quæ non jure fit, & hæc est injuria.

95 Tandem advertendum est, jurisdictionem Conservatoris extendi nedum ad illatas injurias, sed etiam ad inferendas, quia datur ut absolutè defendat ab injuriis, & violentiis, & ideò tam ab illatis faciendo, ut pro illis satisfiat, quàm ab inferendis impediendo illas, Gloss. *sup. cap. 1. in v. defendere*, Mon. *num.* 5. Anchar. *num.* 5. Dom. *num.* 15. Franc. *num.* 7. Barbos. *d. allegat.* 106. *num.* 34. Silv. *verb. Conser. num.* 3. Lez. *p. 2. cap. 19. num.* 23. Tambur. *t. 3. d.* 17. *q. 2. n.* 20. Donat. *d. tr. 17. q. 8. num.* 16. Injurias verò inferendas poterit Conservator prohibere proferendo generalem excommunicationem in illos, qui illas fecerint, *c. dilecte in princ. infr. de sent. excom.* juncto textu *c. à nobis, el 1. eod. tit.* Barbosa *d. all.* 106. *n.* 34. Fermos. *c. Si quis Clericus, de for. comp. q. 12. n.* 26.

Sed neque ex parte personarum Conservatoris jurisdictio habet limitationem, sed Conservator contra quemcumque manifestè injuriantem suos potest procedere. Neque hìc, *aut sup. cap.* 1. ponitur aliqua restrictio, Rodriq. *par. 1. q. 65. art.* 11. Mirand. *p. 2. q. 47. art.* 3. & ex Lopez, & Salzedo, Donatus *p. 2. tr. 17. q. 8. n.* 11. Et hoc magis patet spectatis privilegiis. 96

SVMMARIVM.

ARTICULUS V.

Utrùm Conservator cognoscat solùm de notoriis injuriis, & violentiis.

TAm in hoc, quàm *in c. sup. hoc tit.* non habetur dictio *notoriis*, sed habetur dictio *manifestis*. At verò manifestum est quid specie distinctum à notorio, Panor. *c. Vestra n.* 12. *de cohab. Cler.* Butr. *de notor. art. 2. n.* 19. 97

Nihilominus communiter DD. arbitrantur in his juribus manifestum accipi pro notorio, eo quia manifestum, ut distinctum à notorio non excludit judicialem indaginem, in citatis verò juribus manifestum sumitur, ut id, ad quod non sit necessaria judicialis indago; quia expressè prohibetur Conservatori cognoscere de illis, quæ requirunt indaginem judicialem, Gloss. *in v. Conservatores*, Et intellige manifesta illa, quæ notoria sunt, & ita patentia, quod nulla probabili tergiversatione celari possunt, Joan. Monac. *Notoriis, seu patentib. quæ non sit locus inficiari*, Archid. *num.* 1. explicat de Notoriis, Jo. Andr. *in princ.* Nec ad alia scilicet dubia non notoria, & in quibus non proceditur contra non citatum convictum, vel confessum, Anchar. *num.* 5. transit cum Gloss. Butr. cum Archid. Domin. *nu.* 2. 5. *&* 7. cum Gloss. Franc. *n.* 3. 4. *&* 5. non distinguit inter manifestum, & notorium, Barbos. *num.* 11. explicat manifestum pro notorio. Et idem tenet *de off. Episc. alleg.* 106. *num.* 18. Speculator *de off. Deleg.* §. 8. *num.* 24. Nullam mentionem facit notorii, Silvest. *v. Conservator num.* 3. ait: Et intellige manifestis, idest notoriis, & ita patentibus, quod nulla probabili tergiversatione celari possunt. Idem habet Tabien. *in princ.* & Azor. *par. 2. lib. 5. cap. 35. q.* 7. Mir. *p. 2. q.* 47. *art. 7. concl.* 1. Panor. *cons.* 100. *n. 3. p.* 1. sentit quod Conservator non possit cognoscere, nisi super notorio, & hoc idem 98

ex eo vult Tuschus *lit. C. concl. 760.* manifestum & notorium etiam requirit Barbastren. *in Pastor. part. 1. claus. 10. num. 17.* Rota in Mediolanen. rescissionis contractus 4. Julii 1601. coram Lancelloto, quæ habetur apud Marches. *de commiss. par. 1.* ubi de signat. Gratiæ, *sub num. 46.* Lezana *part. 1. cap. 10. num. 22.* dicit manifestam injuriam illam, quæ per facti evidentiam ita notoria est, ut examinatione non egeat, vel si egeat probari tamen potest clarè, & certitudinaliter per multos testes, ita ut negari non possit. Hoc idem voluit Tambur. *tom. 3. disp. 17. q. 2. num. 12.* sed Marches. *de commiss. p. 1. cap. 2. de signatura gratia n. 409.* de hujusmodi Conservatoribus loquens, sic ait. Manifestum autem dicitur illud, quod in populo est divulgatum, & celari nequit, non quando est occultum, sed & manifestum, vel per facti evidentiam, sive per actuum frequentiam, signa indubitata, sive per famam ab omnibus approbatam.

99 Dicendum primò est, quod licèt ex privilegiis supra *art. 1.* recensitis Conservatores mendicantium habeant amplissimam jurisdictionem, ut loca regularia, eorumque personas defendant ab omni damno, violentia, injuria, & molestia. Nihilominus de jure novo *d. constit.* Greg. XV. de Conservatoribus privilegia hujusmodi in parte abrogata sunt. Distingui verò debet an Regulares, ut rei conveniri possint, vel potius ut actores convenire alios velint; privilegia præfata vigeot, ubi Regulares non sint actores, sed rei. Et sic civiliter conveniri possunt, & debent coram suis Conservatoribus, qui sunt eorum Judices unici, ut dicitur in privilegium Pii Quinti, *in const. Ad hoc nos Deus, in Bullar. Rom. sub num. 41.* & sunt tanquam Judices Ordinarii, ut ditur in Privil. Pii Quinti, & Gregor. XIII. *in const. 1. incip. Aequum, & in constit.* Greg. XV. §. 9. absolutè dicitur, quod Regulares coram suo Conservatore conveniri debeant, sic enim & de jure communi Actor sequitur forum rei. Regulares verò exempti ab Ordinariis, & immediatè subjecti Summo Pontifici, non habent alium Judicem extra eorum loca, nisi vel Summum Pontificem, vel Pontificis Delegatum, qui est eorum Conservator. Sed de hoc infra uberius tractandum erit.

100 Sed ubi Regulares sint Actores, id facere non possunt ex vi *const. 9.* Greg. XV. nisi in manifestis iojuriis. Sic enim hanc constitut. Sacra Congregatio Concilii declarans, ut habetur in Bullario Romano post *d. const. 9.* Greg. XV. censuit, minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, & violentiis; dummodò observent formam præscriptam constitutionibus Innocentii IV. & Bonif. VIII. relatis *c. 1. & fin. de off. Deleg. in 6.* Sic igitur ubi Regulares sint Actores, & alios convenire velint coram suis Conservatoribus, id facere non possunt, nisi juxta præscriptum hujus, *& cap. 1. supra in hoc tit.* ut se defendant à manifestis injuriis, & violentiis.

101 Dicendum verò est 2. sufficere, si factum sit manifestum, seu notorium, licèt facti qualitas, seu circumstantiæ non sint manifestæ seu notoriæ, ut v. g. non sit notoria facti justitia, vel injustitia; vel quod prætensus reus nullam habeat excusationem; vel quod sit vera, vel non vera excusatio, quam adducit; seu quod defensio illi competat, vel non competat, ut si factum sit excusabile ne censeatur adulterium, quia credebatur mulier soluta, vel an homicidium sit factum ad vindictam, vel ad defensam. Non igitur est necessarium hujusmodi qualitates, aut circumstantias esse notorias, sed sufficit factum ipsum secundùm substantiam esse notorium. Ita supra *in cap. 1.* Gloss. *in verb. Conservatores*, Monach. *num. 4.* Anchar. *num. 5.* Butr. *n. 6. & 9.* Dom. *n. 6. & 7.* Franc. *num. 4.* Et fuit sententia Innocentii *in cap. Tua nos, de cohabit. Cler. & mul.* & Jo. And. *in ca. vestra num. 15. eodem tit.* & ibi Anchar. *num. 23.* Mil. *in repert. v. notorium*, Butr. *de notorio art. 4. num. 38.* Silv. *v. Conservator num. 3.* Tabien. *num. 1.* Moneta *de conservat. cap. 7. num. 147.* Barbos. *de off. Episc. allegat. 106. num. 23.* Mascard. *de probat. concl. 1106. num. 11. & 12.* Farin. *in prax. q. 21. num. 5.* Probatur verò assertio; nam aliàs non daretur casus Notorii, in quo Conservator procedere posset; cùm nullum sit maleficium, quod non possit habere aliquam qualitatem, aut circumstantiam occultam excusantem à culpa. Tum secundò, quia notorium facti non fit dubium per negationem *c. super eo de test.* Farin. *q. 21. nu. 51.* Tum tertiò, quia cùm conditor constitutionis relatæ supra *in c. 1.* fuerit ipse Innoc. IV. non potest esse dubium de illius const. sensu, quem tradidit Innoc. ipse, etiam ubi dictam constitutionem commentatus fuit, *c. statuimus n. 5. de off. Deleg. in hoc lib.*

102 Et ideò non obstat, quin Conservator procedere possit etiam si ignoretur, qui commiserit delictum, si illud commissum fuit, & id est notorium, ut ex Joan. Andr. *add. ad Specul. de off. deleg. §. 8. num. 24.* Azor. *par. 2. l. 5. cap. 35. quæst. 8.* tradit Tambur. *d. disp. 17. q. 2. n. 19.*

103 Hinc concluditur duo sufficere ad hoc, ut habeat locum processus notorii, ut advertunt *d. cap. 1.* Anchar. *num. 5.* Butr. *num. 10.* nimirum primò quod delictum sit commissum, seu sit illata injuria, secundò quod hoc sit notorium. Ipsa enim qualitas notorii alterat naturam judicii, quod à jure habet certum ordinem, quem non potest judex transgredi, *l. probatam, C. de sent.* quem ordinem non tenetur Judex sequi in notorio, *cap. ad nostram, de jurejur.*

104 Nec approbatur absolutè limitatio Silv. *d. num. 3.* ut si sit dubium an factum notorinm sit rectè factum, nec ne, non possit Conservator procedere; quia jam est necessaria indago; nam ut citati DD. tradunt, & probabitur infra ad id non est necessaria indago major, quàm sit illa, quæ haberi potest in processu de notorio. Ubi tamen factum ipsum secundùm substantiam non sit injuria, sed id habeat ex circumstantia, tunc verificatur limitatio Silvest. & non sufficit, quod factum sit notorium, quia ooo per hoc est injuria manifesta, sed necesse est, quod sit manifesta circumstantia, in qua injuria consistit: sic non esset notorium delictum carnis ejus, qui abutitur muliere non sua, quæ tamen communiter sua judicatur, ut ex Innoc. & Jo. And. advertit Moneta *de conservat. cap. 7. n. 148.*

105 Dicendum est tertiò sufficere notorinm juris, quod habetur per propriam rei confessionem, & sic si reus in judicio coram Conservatore confessus sit injuriam, tunc sive in rei veritate injuria sit notoria, sive non sit, processus est validus, & illam ex hoc esse notoriam, adeò ut Conservator contra talem possit procedere, advertunt *d. cap. 1.* Gloss. *in v. Conservatores*, Innoc. Monach. *num. 4.* Jo. Andr. *n. 3.* Anchar. *num. 5.* Butr. *num. 4.* Dom. *num.*... Franc. *nu. 3.* Silvest. *num. 3.* Tabien. *num. 2.* D. Anton. *3. p. tit. 9. cap. 4.* Rodriq. *t. 1. q. 65. art. 11. & 12. ad fin.* Barbos. *all. 106. n. 21.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. p. 2. num. 17.* Moneta *de conserv. cap. 7. num. 204.* Sufficit enim partis confessio, ut per illam factum dicatur notorium, & de notorietate appareat, licèt aliter illa non probatur, per text. *in cap. vestra*, ubi Gloss. *v. non diffinitur, & cap. ult.* ibi, *seu confessionem, de cohabit. cler. & cap. cum olim, de verb. signif.* & DD. quos cumulant Mascard. *de probat. concl. 1107. n. 2.* Farin. *tom. 1. prax. q. 21. n. 31.* Et ideò tunc etiam si reus neget notorium, non erit necesse probare notorietatem, quia de ea sufficienter apparebit per rei confessionem.

106 Quod quidem procedit, licèt reus excusationem quamcunque alleget, & dicat se jure suo fecisse. Tunc enim Conservator ad excusationem probandam admisso reo ad ulteriora procedet, & justitiam faciet. Aliter de nullo ferè delicto posset cognoscere Conservator, vel Judex, qui non potest cognoscere, nisi in casu notorii, cùm non sit delictum, quod ex aliqua excusatione occulta non possit palliari, juxta doctrinam Gloss. *in v. recipit. cap. bona il 1. de elect.* Mascard. *concl. 1106. n. 9. & 1108.* & Farin. *d. q. 21. num. 50.* Et sic ad nihilum valeret Conservatores officium, Gloss. *in d. cap. 1. in verb. conservat.* ubi Innoc. Monac. Joan. Andr. Anch. Butr. Dom. Franc. Silvest. Tabien. *loc. citatis*, Azor. *par. 2. l. 5. cap. 35. q. 7.* Moneta *de conservat. cap. 7. n.*... Barb. *d. all. 106. n. 22.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. q. 2. n. 18.* Et idem dicitur, si reus fatetur delictum, sed negat notoriom.

107 Dicitur quartò, sufficere etiam notorium juris, quod resultat ex actis in alio judicio. Quod enim ex actis judicialibus resultet notorium juris est certum, & habetur *ex l. proponendum, §. sin autem, C. de jud. & c. venerabilibus, §. 2. infra de sent. excom. & c. penul. in princ. de causa possess.* & tradunt communiter DD. Hoc etiam notoriom sufficit, & ideò ad hoc, ut Conservator possit procedere ad defensam contra manifestas injurias. Esto enim hoc juris notorium sit tale minus propriè *c. dudum el 1. de elect.* & ibi Panor. Mascard. *de prob. concl. 1101. seu 1107. nu. 29.* Farin. *tom. 1. in prax. q. 21. n. 19.* tamen non est impropriè notorium, & absolutè ta-

le dicitur, & cum notorio facti absolutè connumeratur, *c. vestra, & cap. fin. de cohabit. Cler. cap. fin. de tempor. ord. & cap. cum olim, de verb. signif.* quamvis in cap. nonnullis citatis de pœna, ideoque de materia strictè interpretanda sermo habeatur; unde est propriè notorium. Et hoc eo magis procedit in Conservatoribus Regularium, quibus per tot Pontifices concessum fuit, ut etiam de non manifestis, & non notoriis injuriis cognoscerent, quod verò modo interdictum sit illis cognoscere causas, ubi Regulares sunt actores, & tamen hoc declaratum est posse fieri, si injuriæ sint manifestæ, hoc intelligendum in sensu, per quem minus lędantur regularium privilegia, & sic quod Conservatorum jurisdictio se extendat etiam ad notorium juris, Moneta *de conservat. cap. 7. n. 206.*

108 Dicitur quintò, quod ubi necessarium sit, quod injurię aut violentiæ, de quibus potest cognoscere Conservator sint propriè notoriæ, non debet hoc intelligi de notorio respectivo, quod est illud, quod est notorium vel toti Civitati, vel majori parti illius, sed de Notorio absoluto, quod est illud, quod fuit factum coram decem personis, sive istæ sint, sive non sint major pars populi, vel populus integer, Butr. *de Not. art. 2. num. 13.* Debet enim dari notorium, quod absolutè sit tale, aliter confunderetur totus ordo judicii, aliter non esset notorium in magna Civitate, nec de eo posset cognoscere, qui non potest cognoscere, nisi de notorio, quod alias in parva civitate, imò in aliqua Diœcesi esset plusquam Notorium. Sit enim Civitas habens populi quinque milliones, sicuti habuisse Romam fertur, si attendatur notorium respectivum, non fuisset notorium Romæ, quod factum fuisset coram duobus millionibus hominum, quia non fuisset factum coram majori parte Civitatis; quod certè non est asserendum.

109 Ideò multò minus admitti potest, quod habet Moneta *d. cap. 7. n. 203.* quod ad hoc, ut Conservator possit procedere non sufficit, quod factum sit notorium majori parti viciniæ, aut Collegii, aut Universitatis, sed necesse est, ut sit tale respectu totius alterius populi, vel majoris ejus partis. Quo stante sequeretur, quod si Parisiis, v. g. aliquod factum esset notorium in tota Parochia S. Eustachii intra quam non sunt minus, quàm quadraginta millia personæ, unde sunt innumeræ Civitates, in quibus tot personæ non reperiuntur, nihilominus illud non deberet dici notorium, quia majori parti Civitatis Parisien. non sit notorium. Sed ex hoc magis patet, quod non debet attendi notorium respectivum, nec populus respectivè sumptus, sed notorium absolutum, quod est id, quod est notorium decem personis, quæ ad populum constituendum sufficiunt, Speculat. *3. part. de not. crim. §. 8. num. 6.* Tot enim constituunt Parochiam *cap. unic.* 10. *quæst.* 3. & Parochiæ testimonium facit crimen notorium, *& cap. cum dilectis 15. de purgat. Canon.*

110 Sed in his est advertendum, quod si factum sit notorium regulariter erit simul majori, vel toti viciniæ, vel Civitati publicum, & famosum, quia non manet occultum, quod coram decem testibus est patratum, sed Regulariter publicatur, & diffamatur. Et ideò Jo. Andr. supra *cap. 1. num. 4.* ex Host. dicit impossibile esse, quod factum notorium non sit famosum. Quamvis ergo fama pertingere possit ad majorem partem Civitatis, aut ad totam Civitatem, tamen rarissimum est, & imò regulariter ferè moraliter impossibile, quod factum sit notorium toti Civitati, aut majori parti, quia sit gestum vidente tota aliqua Civitate, aut majori parte illius. Quia esto aliquid fiat in loco, ubi sit major pars Civitatis, tamen nisi illa major pars sit congregata in theatro, ut singuli clarè videri possint, quod fit, pauci erunt, qui videant, licèt sint præsentes in loco, & ad alios perveniet factum ex auditu à videntibus non ex visu, & sic illis factum erit famosum, non verò notorium, nisi quia notorium etiam dicitur, quod fama vulgat tanquam factum coram populo, & videntibus tot testibus, quod sufficiunt ad populum constituendum: hoc ergo est essentiale in notorio, & sufficit, quod sit factum coram decem testibus de visu. Hoc verò regulariter simul est publicum, & famosum toti, vel majori parti Civitatis, & dicitur notorium omnibus, si fama ortum habuit ex notorio.

111 Dicitur sextò, quod ubi etiam textus præsent. *cap. & cap.* 1. intelligendus esset de notorio propriè, verificaretur in quocumque notorio, sive esset notorium facti permanentis, sive facti successivi, sive facti momentanei. Nam de omnibus istis notorii speciebus dicitur notorium propriè sumptum. Notorium enim est totum id, quod celari non potest, *c. fin. de cohab. Cler. c. cum olim, de verb. signif.* Hoc autem habet locum etiam in notorio momentaneo, quod eo tempore, quo fit coram populo fit, & est notorium, nec rationem notorii amittit, ex quo transiit, de quo vide Specul. ubi sup. Silvest. *v. Notorium n. 2.* Mascard. *de prob. concl.* 1101. Farin. *in prax. q. 21.* Dicimus igitur sufficere etiam notorium momentaneum ad hoc, ut Conservator possit cognoscere de injuriis notoriis, ut habetur *ex d. c. Cum dilectis 15. de purg. Canon.* quod loquitur in facto notorii momentanei, ut notavit Bald. *in Auth. Qui semel col. 3. C. quomodo & quando jud.* Butr. *de not. art. 2. n. 11.* & ex Clar. Mascard. & Farin. Moneta *d. c. 21. n. 135.*

112 Dicitur etiam septimò, Notorium in præsenti esse etiam id, quod est factum in loco publico, ut si sit factum in platea, quæ sit capax populi, seu numeri sufficientis ad constituendum populum. Hoc enim esse notorium præsumptum existimant Butr. *c. Vestra, de cohab. Cler. n. 48.* Farin. *d. q. 21. n. 46.* Sed hoc non potest verificari, nisi testes deponant de existentia populi in platea, seu quod platea fuerit plena populo, Moneta ubi sup. *n. 137.*

113 Nihilominus dicitur ultimò, quod textus *in cap. præs. & sup. cap. 1.* non loquitur de notorio propriè, ut distinguitur à manifesto, sed loquitur de manifesto, quod est commune ad notorium. Limitatè tamen loquitur de manifesto illo, ad quod cognoscendum non sit necessaria altior indago, seu indago judicialis, & quod ut dicit Marches. supra citatus est certum, & tanquam certum est in populo divulgatum, ut celari non possit. In sensu hujus conclusionis intelligi potest sententia Glossæ, Jo. Monach. Dom. & Franc. Silvest. Tabien. quos retulimus supra *n. 98.* & qui explicaverunt notoria esse illa, quæ ita patent, ut nulla possint tergiversatione probabili celari. Verè enim sic est, quod ubi adsit aliqua probabilis tergiversatio, per quam factum celari possit, factum nedum non est notorium, sed nec manifestum, quia saltem est dubium. Ubi verò factum ita patet, ut nulla possit probabili tergiversatione celari, non per hoc necessario est notorium propriè, quia licèt factum in suo fieri non erit habitum coram populo, potest aliundè esse tam certum, & publica certitudine constans apud populum, ut non possit aliqua probabili tergiversatione celari, & ut habetur Specul. *tit. de not. crim. §. 5.* ut sit certum, & indubitatum, & non occultabile, & tamen non possit probari per tot authores, quot sunt necessarii ad notorium. Idem expressius senserunt Lez. & Tambur. *eod. num. cit.* Quod formalius expressit Marches. & probatur ex text. *c. præs. & sup. cap. 1.* qui utitur verbo *manifestis*, non autem verbo *notoriis*, quod tamen explicat per clausulam illam: *Nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt.* Et ita ad *quæst.* non potest melius responderi, nisi dicendo, quod Conservator non habet jurisdictionem, nisi super injuriis manifestis, adeò ut ad defendendum suos ab illis injuriis, non sit opus judiciali indagine.

114 Nam cùm decem constituant populum, quod erit factum coram sex, erit factum coram majori parte populi, & licèt hoc non sufficiet ad notorium propriè & strictè, sufficiet tamen ad hoc, ut adeò sit manifestum, & tali certitudine apud Civitatem diffamatum, & non possit aliqua probabili tergiversatione celari. Unde hoc judicare pertinet ad arbitrium Judicis, Butr. *de Notorio art. 2. n. 13.*

S V M M A R I V M.

115 *Quid sit procedere criminaliter, & civiliter.*
116 *Conservator procedit civiliter.*
117 *Etiam ex vi privilegiorum.*
118 *Conservator non habet merum, & mixtum imperium.*
119 *Non cognoscit causas matrimoniales.*
120 *Conservatores non possunt defendere Regulares in iis, quæ spectant ad curam animarum.*
Neque in iis, in quibus Regulares subjiciuntur Episcopis. 120.
121 *Nec aliquem punire propriè.*
122 *Habet vim coercitivam.*
123 *Potest uti censuris.*
124 *Et id potest etiam subconservator.*
125 *Et potest denuntiare excommunicatum à se.*

126 *Et*

ARTICULUS VI.

Utrùm Conservator, ut defendat à manifestis injuriis & violentiis, possit procedere nedum civiliter, sed etiam criminaliter, & mixtè.

115 Distinguuntur judicium criminale, & civile ex fine, quia illud respicit publicam utilitatem, istud verò respicit utilitatem privatam, & cùm sit duplex justitia, secundùm quod docet D. Thom. 2. 2. q. 58. scilicet communis, quæ & legalis dicitur, cujus est respicere bonum publicum, & commune, & particularis, quæ in commutativam, & distributivam dividitur; finis judicis criminalis est obserservantia justitiæ communis, & vindicta delictorum ob commune bonum servandum, & in publicam utilitatem, ut sic quod suum est communitati tribuatur. Sed finis judicii civilis est observantia justitiæ particularis, & ut servetur justum in commutationibus, & distributionibus, ut sic cuique privato jus suum tribuatur, & conservetur. Sic ergo judicium criminale est, cùm judex crimen aliquod insequitur ob publicam utilitatem, & ut justitia legalis suum finem, & effectum obtineat; judicium verò civile est, quando judex licèt agat de crimine, & illud insequatur, tamen id facit ad privatam partis adversæ utilitatem, & ut privatæ personæ tribuatur, quod suum est; judicium verò mixtum est, quando Judex ob utrumque finem operatur. De hac divisione videri possunt DD. qui scripserunt *in rubr. de jud.* Maran. *de ord. jud. par. 4. dist. 1.* Petr. Greg. *Syntag. lib. 47. cap. 5.* Farin. *in prax. q. 100.* & latè rem tractans Joan. Petrus Moneta *de Conservatoribus cap. 7. q. 4. à n. 208.*

116 Dicitur igitur primò, quod regulariter loquendo de jure communi, & excluso speciali rescripto, in vi hujus Decretalis Bonif. VIII. & alterius Innoc. relatæ *sup. in cap. 1.* Conservator non potest cognoscere causas criminales, seu mixtas. Ita tenent communiter DD. quos referunt, & sequuntur Moneta *de conserv. cap. 7. q. 4. n. 253.* Lezan. *par. 2. c. 10. n. 32.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. q. 2. n. 21.* Bordon. *resol. 95. num. 6.* Probatur autem primò, nam judex in civilibus datur principaliter directè & primò ad privatam utilitatem, & sic ad judicandum civiliter; at verò Conservator datur, ut privatas personas defendat à privatis injuriis, & violentiis, ut constat ex dictis Decretalibus, & Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* datur igitur non ut criminaliter agat, sed civiliter.

Hoc autem, quod dictum est de jure communi, verificatur etiam de jure privilegiorum. Ita Lez. *p. 2. cap. 10. n. 32.* dicit in nullo ex privilegiis à se visis reperisse, quod Conservatores possint procedere criminaliter. Nam privilegia respiciunt bonum privatum Religionum, & Religiosorum, pro quibus dantur. Posset tamen à Papa dari Conservator, qui etiam criminaliter procederet, Moneta *de conserv. c. 7. num. 265.* 117

Sequitur autem primò ex hoc, quod Conservator habet simplicem jurisdictionem, non verò habet merum, aut mixtum imperium. Merum enim imperium est, quod officio judicis nobili exercetur respiciens publicam utilitatem; seu ut ait Silvest. *v. imperium*, merum imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. Imperium verò mixtum in danda possessione consistit, *l. Imperium, ff. de jurisd. omn. jud.* Conveniunt itaque tam merum, quàm mixtum imperium, quod important jurisdictionem nobilis officii Judicis: sed jurisdictio simplex respicit privatam utilitatem, & quæ judicis exercetur officio servo & mercenario, nimirum, officio, quod legum formulis, & actionibus servit, idest, quod nihil aliud potest, quàm legibus præscribatur statuendum in actione proposita, cujus propriam naturam sequi debet judex, qui habere dicitur solam jurisdictionem, *l. sed, & quod §. 1. ff. quod met. caus.* Et ideò non dimittitur ejus arbitrio, *l. 2. §. nunc, ff. de eo, quod cert. loc.* Conservatoris igitur officium non est nobile, sed servum, formulisque legum deserviens, & obligatum, habens simplicem jurisdictionem, non verò merum, aut mixtum imperium, cùm sit officium Judicis delegati merè ad privatam utilitatem, ut latè probat Moneta *de conserv. c. 7. q. 1. n. 17.* 118

Sequitur secundò, quod Conservator non potest causas matrimoniales cognoscere, quia sunt vel criminales, vel mixtæ, vel criminalibus æquivalent. Unde eas cognoscere spectat ad Episcopum, *cap. Accedentibus de excess. Prælat. Concil. Trid. sess. 24. cap. 20. de refor.* Causas enim matrimoniales æquiparari criminalibus habetur, *c. penul. de restit. in integ.* Gloss. Bart. Cas. & alii *in l. 3. §. quacumque ff. de jure jur.* Sbroz. *de off. Vic. l. 2. q. 43. n. 3.* Moneta *de conserv. cap. 7. q. 4. num. 261.* Dicitur verò causa matrimonialis, si agatur de juribus matrimonii. Ideò est causa matrimonialis, si agatur de revocando conjuge nulliter professo in aliqua Religione. Unde hanc causam cognoscere non potest Conservator, sed Episcopi est de illa judicare, qui etiam Religiosos eorum exemptione non obstante poterit pœnis compellere, ut conjugem nulliter professum restituant, & etiam id poterit facere per censuras, si Regulares illi conjugem detinentes, non habeant speciale privilegium, ut non possint interdici, excommunicari, &c. Neque enim in consimili causa agitur de concernentibus privilegia Religionis, sed de monasterii instauratione, & Conjugis nulliter professi revocatione, quod Ordinarii proprium est, Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 33. num. 21.* Moneta *de conserv. cap. 7. num. 261.* 119

Sequitur tertiò, quod Conservator in iis, quæ spectant ad curam animarum sæcularium, si aliqui delinquant, etiam si Regulares, non potest hujusmodi causas cognoscere. Nam si criminaliter agatur ad eos puniendos, id facere non potest, quia nec potest aliquam causam criminalem, aut mixtam cognoscere. Sed neque potest eos etiam Regulares, & alias exemptos defendere, si Episcopus eos velit corrigere, & punire. Ubi enim agitur de Regularibus curam animarum habentibus, & exercentibus nedum inspicienda sunt, quæ fuerunt decreta in Concil. Trid. *sess. 7. cap. 5. 7. & 8. de reform. & sess. 21. c. 8. & sess. 25. c. 11. & const. 139. Exposcit.* Pii V. sub die 22. Septemb. 1571. & Greg. XIII. 88. consuevit, sub die 7. Jan. 1584. in quibus de cura animarum spectante ad milites S. Joan. & quoad mendicantes, & alios Regulares *constit. 15.* Greg. XIII. *In tanta*, & 35. *ex benigna*, & 37. *Regimini*. Et Sixti V. *sacer Ordo*, apud Confetium sub *n. 5.* & Clem. VIII. *Ratio Pastoralis officii*, sed maximè attendi debet constitutio 18. Greg. XV. quæ incipit, *Inscrutabili*, in qua jurisdictioni Episcopi subjiciuntur Regulares in iis, quæ concernunt curam animarum sæcularium, data eis facultate etiam procedendi per censuras. De qua re videri possunt, quæ scripsi *tom. 3. de statibus, q. 189. art. 10.* & *de Profess. inspect. 10. numer. 940.* Nunc enim sufficit dicere Conservatores Regularium non posse eos defendere contra Episcopos in iis, quæ Episcopi possunt in Re- 120

Regulares, vel ex Conc. Trid. vel ex constit. Apostolicis, ut etiam declaravit S. Congr. Conc. & decernit Innoc. X. in causa Angelopolitana, seu *in constitut.* quæ incipit, *Cum sicut*, & fuit data 14. Maji 1648.

121 Sequitur tertiò Conservatores non posse inferre pœnas, seu aliquem punire pœna corporali, vel etiam pecuniaria, quæ propriè pęna sit. Possunt quidem compellere eos, qui injuriam, & damnum intulerunt, si injuria sit manifesta, ut damnis illatis satisfaciant, non tamen eos pęna aliqua, vel corporali, vel pecuniaria punire possunt, quia hoc esset agere criminaliter, quod facere Conservatores non possunt, Moneta *de conserv. c. 7. q. 1. n. 23.*

122 Dicitur nihilominus secundò, quod Conservator aliquam jurisdictionem coercitivam, & vindicativam habet suo officio accessoriam, talem scilicet ac tantam, qualis & quanta est necessaria ad privatam utilitatem suorum promovendam ad exequenda, quæ decreverit, & ad propriam jurisdictionem tuendam, ut probatur *in l. 1. §. Qui mandatum, & l. fin. ff. de off. ejus, cui mand. est juris, & §. Audient quoque Auth. de defen. Civit. l. un. ff. si quis jus dic. non obten. l. 2. ff. si quis in jus vocat. non ierit. l. eos, C. de mod. mulct. cap. de causis, cap. præterea, cap. Pastoralis, cap. ex literis, de off. deleg.*

123 Hinc sequitur primò, quod contra contumaces, & ei obedire nolentes, vel ejus officium impedientes potest uti censuris, ut illos obedire compellat, & istos ab impediendo coerceat, Innoc. *sup. cap. 1.* & ibi Jo. Andr. & DD. *cap. 2. & cap. authoritate 4. de privil. in hoc lib.* Silvest. *v. Conservator num. 3.* Tabien. *n. 2.* & cæteri Summistæ, Confer. *in sum. Privil. mendic. tit. 4. cap. 7.* Rodriq. *p. 1. q. 65. art. 16.* Moneta *de conserv. c. 7. n. 263. & 279.* Mirand. *p. 2. q. 47. art. 8. concl. 5.* Barb. *de off. Episc. all. 106. n. 36.* Lez. *p. 2. c. 10. n. 33.* Quod tamen non procedit respectu eorum, qui habent privilegium speciale, ut non possit contra illos procedi per censuras.

124 Ampliatur etiam hoc, ut hanc facultatem utendi censuris habeant etiam subconservatores, si alias sint legitimè instituti. Nam & quod omnis Judex Ecclesiasticus possit excommunicare ex Sbroz. *de off. Vic. lib. 2. q. 168. n. 3.* & Covar. *in c. Alma mater p. 1. §. 2. n. 1. inf. de sent. excom.* probat Moneta *d. n. 279.* & de subdelegato quoad interdictum, patet *ex c. ex literis de off. deleg.* & de omnibus censuris tradunt Gloss. *in Clem. unica in v. permittunt de excess. Prał.* & Ugol. *tab. 1. c. 8. n. 1.*

125 Sic igitur & excommunicatum à se potest denuntiare, ut constat ex adductis à Suarez *de cens. disp. 3. sect. 15. num. 7.* & Ugol. *tab. 1. cap. 21. §. 2. num. 3. & 5.* Non potest tamen excommunicatum a jure denuntiare; hoc enim, ut docet Sayr. *lib. 1. cap. 13. num. 21.* spectat ad Ordinarium excommunicari. Et tamen quod si non ad vindictam publicam, sed ad privatam suam utilitatem pars coram Conservatore instet, ut declaret aliquem excommunicatum tanquam Clerici percussorem, quod Conservator id facere possit probabile putat Moneta *de conserv. cap. 7. n. 284.* Pariter quoque à se excommunicatum poterit absolvere, ut voluit Innoc. communiter receptus *sup. c. 1. per c. Quærenti de off. deleg.* Nam & regulare est, ut is absolvere possit a censura, qui eam tulit, Sayr. *lib. 2. c. 20.* vel ejus superior, aut successor, vel Delegatus ab eo.

126 Sequitur secundò, quod Conservator potest citare, & præcipere sub pœna pecuniaria etiam contra Laicos, & etiam applicando pœnam Fisco, & contra contumacem procedere ad pœnę executionem. Potest enim Judex Ecclesiasticus imponere pœnam pecuniariam etiam laicis non solùm in casibus à jure expressis, de quibus per Gloss. & DD. *in cap. licèt, de pœnit.* sed arbitrariè quoque, ut ibi Gloss. & alii adnotarunt. Et de Cleric. est textus *in cap. Dilectus, de off. ordin.* & tradit Sbroz. *de off. Vic. lib. 2. q. 160.* & de laicis Moneta *de conserv. num. 264.* & de utriusque Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.* Licèt enim carceratio, & pœna levis delicti, sint meri imperii, si ad publicam vindictam fiant, sunt tamen simplicis jurisdictionis, cùm tanquam accessoriæ ad privatam utilitatem diriguntur. Nulla enim jurisdictio est sine aliqua coerctione, *cap. Pastoralis, & c. ex literis, de off. deleg.*

127 Sequitur tertiò, quod Conservator possit implorare auxilium Judicis sęcularis ad executionem negotii sibi demandati, Sil. *v. conservator. num. 4. vers. sexto*, Penn. *in direct. Inquis. lib. 3. com. 115.* Farin. *in prax. crim. q. 97. n. 86.* & alii plures, quos sequitur Barb. *d. all. 106. n. 39.* Si sibi auxilium denegetur potest excommunicatione compellere sęcularem potestatem ad illud præstandum, Barb. *d. all. 106. n. 38.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. q. 2. n. 20.* Fermos. *cap. si Clericus, de for. comp. q. 12. n. 223.*

128 Sequitur quartò, quod etiam contra Episcopos, & Papę Legatos de latere potest Conservator per censuras procedere, si contingat eum per illos in adimplemento exercitii impediri, *cap. 2. sup. in hoc tit. & lib.* Sanchez *lib. 6. consil. cap. 9. dub. 6. num. 4.* ex Anchar. Ruin. & Mandos. Silvest. *v. Conservator num. 5.* Barbos. *d. alleg. 106. num. 37.* Lezana *p. 2. cap. 10. num. 34.* Bordon. *res. 95. num. 14.* Fermos. *c. si Clericus, de for. comp. q. 12. num. 24.* Commissa enim jurisdictione & illa commissa censeatur, sine quibus illa nequit explicari, *l. 2. ff. de jur. omn. jud. cap. præterea, de off. deleg.* & jurisdictio sine coerctione nequit explicari, & nulla est, *l. ult. ff. de off. ejus, cui mand. est juris, d. cap. Pastoralis, & c. ex literis de off. deleg.* Ideò Conservator habet facultatem, ut coerceat censuris quoscumque, qui eum in adimplemento sui officii voluerint impedire. Et in hac parte Conservator est major quocumque Ordinario, aut Delegato ratione delegationis suæ, *cap. sanè il 2. de off. Deleg. cap. Pastoralis, §. præterea, de off. ordin.*

129 Verum est, quod ubi Conservator agere velit contra Episcopum servare debebit statuta supra *in d. cap. 2. in hoc lib. & tit.* Quamobrem & quando agendum sit contra Legatos habenda erit ratio eorum, *quæ in d. cap.* Pontifex statuit, & docuit; habenda enim semper est consideratio dignitatis, & præeminentiæ personarum. Videantur notata infra *art. 11.*

130 Sed hujusmodi, quæ dicta sunt attento jure antiquo, limitanda sunt ex jure novo Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5. & constit. 9.* Sanctissimus Gregor. XV. §. 10. Si enim Episcopus impediat Conservatorem sub prætextu jurisdictionis, & sic ex causa jurisdictionis oriatur controversia inter Episcopum, & Conservatorem, hic nihil potest agere in Episcopum, sed eligendi sunt Arbitri juxta juris formam, & interim Conservator tenetur supersedere, Barbos. *d. allegat. 106. num. 27.* Lezana *par. 2. cap. 10. n. 69.* Pasqual. ad Laur. de Franc. *num. 833.* Barbastren. *in Pastor. par. clau s. 10.* per totam, unde tunc locum habent, quæ supra *in hoc lib. & tit. cap. Index art. 8. num. 217. & seqq.* dicta sunt de eligendis Arbitris, quando Delegatus allegatur suspectus. Ideò in hac parte, ut advertit Pasqual. non est modò audiendus, Moneta *de conservat. cap. 9. num. 2.* ubi vult spectare ad Conservatorem in controversia jurisdictionis Episcopi, & ipsius Conservatoris judicare de illius competentia, hoc enim directè est contra Concilium, *& constit.* Greg. XV.

131 Praxis autem eligendi hos Arbitros traditur à DD. *in cap. suspicionis 39. de off. deleg. & in cap. legitima, inf. de appell.* & per Covar. *pract. l. 3. c. 5.* & Barbastren. *in Pastoralis part. 1. claus. 10. n. 29. & 30.*

132 Dicitur tertiò Conservatorem sic posse causas civiles cognoscere, quod tamen regulariter, & de jure communi, neque omnes potest. Primò enim non potest cognoscere, nisi de manifestis injuriis, & violentiis illatis iis, quorum est deputatus Conservator. Ita ex Decretali præsente, & supra *cap. 1.* & Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* Et quamvis virtute privilegiorum, quæ concessa fuerunt Regul. jurisdictio Conservatorum ad alias causas se extendat etiam non manifestas, nunc tamen, quia ut dictum est *art. 1. num. 59.* privilegia ista reducta sunt ad terminos *constit. 9.* Greg. XV. Et ibi statuitur §. 9. ut Regulares tanquam actores non possint aliquem convenire, nisi ut declaravit S. Cong. pro manifestis injuriis, & violentiis, & in terminis hujus capituli, *& cap. 1.* hujus tituli, jam in hoc etiam Regularium Conservatores habent jurisdictionem limitatam ad terminos juris communis.

133 Hinc de facili solvitur illa quæstio multum controversa, an scilicet Regulares debitores suos possint convenire coram Conservatoribus. Posse autem tenuit Rodriq. *t. 1. q. 65. art. 12.* sed non posse senserunt quam plures, quos respectivè referunt, & sequuntur Barbosa *d. alleg. 106. n. 40.* Barbastren. *in Pastor. par. 1. claus. 8. num. fin.* Cespedes *dub. 318. n. 8.* Bordon. *resol. 95. num. 61.* Antonell. *lib. 7. cap. 2. num. 6.* Sed dicendum est non posse negari quod debitor non inferat injuriam, cùm potest, & tenetur solvere, & non vult. Quis enim non dicat hoc jure non fieri, seu contra

jus

jus non fieri? Est ergo injuria; quod verò ait Barbosa *num.* 41. in hujusmodi juribus non accipi injuriam in illa lata significatione, ut significat quamcumque injustitiam, in quo sensu debet intelligi Speculator dum *tit. de instrum. edit.* §. *Nunc verò, vers. de hoc autem quæritur*, dixit debitorem non solvendo injuriam facere, vel saltem creditori damnum culpa irrogare, sed in illis juribus sermonem esse de injuria, ut accipitur pro damno culpa dato: quod inquam sic dicitur, sine fundamento voluntariè dicitur; nam sequeretur dari posse aliquam injuriam, seu injustitiam notoriam, à qua Conservator datus, ut defendat à manifestis injuriis, seu injustitiis non posset defendere: quod nimis evidenter est contra præfata jura. Non ergo ex parte injuriæ limitanda est jurisdictio Conservatorum; sed ex parte notorii, seu manifesti. Supposita enim partis negatione, & probabili, seu colorata exceptione contra instrumenta, vel sententiam ab alio Judice datam, injuria non est manifesta adeò, ut non requirat indaginem judicialem. De quo videantur Felin. *cap. significaverunt, num. 4. de testib.* Bart. *in l. si causa, num. 4.* & ibi Alex. *de transact.* Farin. *in praxi q. 21. num. 27. 28. & 29.* Menoch. *remed. 1. num. 225.* Moneta *de conserv. cap. 7. num. 161.* Bellam. *decis. 444.* Mascard. *de probat. conclus. 1107. num. 19.* Sed ubi debitum sit notorium, & sic injuria sit notoria, ut quia debitor coram Conservatore fatetur debitum, quod solvere negat nulla probabili tergiversatione adducta, benè poterit Conservator de hac causa cognoscere nullam indaginem judicialem requirente, Lezana *par. 2. cap. 10. num. 61.* Imò considerari debet, quod debitum non solvere est injustitia, unde sufficit, quod hic constet de debito; si verò debitor exceptiones opponat, debebit Conservator dare illi tempus, ut illas probet, sed de eorum valore cognoscere poterit, & justitiam facere.

134 Addit verò Barbosa *d. num. 40.* quod Regulares, nec ut rei, possunt pro debito civili conveniri coram Conservatore. Quod quidem contra Gutierez latè probare conatus est Rodriquez *par. 1. q. 65. art. 13.* affirmans tamen posse Regulares, si velint ipsi conveniri coram Conservatore, non tamen posse ad id cogi nolentes, quia ipsi habent suos superiores, coram quibus conveniri possunt. Tum quia Conservatores Regularium sunt dati, ut defendant à manifestis injuriis illatis Monasteriis, & Religiosis, quàm rationem injuriæ non continet causa civilis, in qua Monasterium, vel Religiosus debeat. Et hoc confirmat etiam ex privilegio Nicolai V. Sed certè hoc modo est directè contra *const. 9.* Gregor. XV. Nam §. 9. statuit, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares trahi debeant. Hic ergo distingui debent facultas, & necessitas. Potest creditor convenire Religiosum coram suo superiore, quia hic est proprius forus Religiosi, quando reus est, nec Conservatores dantur privativè ad superiores Religionis, cùm dentur in Religionis favorem, & ne Religiosi trahantur ad Ordinarios, à quibus sunt exempti; sed tamen Actor, si non vult trahere Religiosum coram suo superiore, potest id facere, & tunc nec potest trahere illum ad Ordinarium, vel ad alium Judicem, sed tenetur trahere coram Conservatore. Quod quidem rationabile est, quia cùm actor teneatur sequi forum rei. Conservator verò sit Judex datus ad defensam Religiosorum, ejus forus est forus ipsorum, quando sunt rei, unde coram illo conveniri possunt, & debent, si Actor eos coram superiore Regulari convenire nolit. Et sic in Privil. pro Societate dato à Greg. XIII. *in const. 1.* expresè continetur, quod etiam in causis civilibus, in quibus sunt rei, possunt sibi eligere Conservatores. Privilegium verò Nicolai Quinti loquitur de Conservatoribus alienis, non verò de illis, qui electi sunt ab ea Religione, cujus Religiosus, vel Monasterium conveniri debet. Et juxta privilegium Pii Quinti pro Prædicatoribus *in const. Ad hoc nos Deus*, §. 15. Conservatores sunt Judices unici, & ita quod Regulares dicti Ordinis coram nullo alio, quàm coram Prælatis eorum, & eorum Conservatoribus conveniri non possint. In civilibus igitur, ubi Regulares sunt rei non coram Episcopo, vel Judicibus Ecclesiasticis conveniendi sunt, ut voluit Barbosa; sed si actores eos convenire nolunt coram suis superioribus eos convenire debent coram Conservatoribus, si illos habent, ut probarunt Gutierez *l. 3. pract. cap. 10.* Cevallos *com. contr. q. 187. num. 813.* quos nimis probabiliter loqui fatetur Fermos. *cap. si Clericus, de for. compet. q. 12. num. 40.* subdens eorum opinionem habere in jure gravissimum fundamentum. Nam & hæc est pœna à Gregor. XIII. prius, & postea à Gregor. XV. lata in eos, qui non elegerunt Conservatores, & qui eos non habent, ut conveniri debeant coram Ordinario. Unde Barbosæ sententia est notoriè contraria juri. Regulares enim quando sunt rei, si criminaliter agendum est, conveniri debent coram Prælatis Regularibus ex notorio privilegio exemptionis, nisi in illis casibus, in quibus ex Conc. Trid. vel ex constitutionibus Apostolicis subjiciuntur Episcopis. Si verò civiliter agatur, conveniendi sunt coram Episcopo, si non habent Conservatores, sed coram Conservatoribus, si illos habent, ut expresè decernitur *in const. 9.* Greg. XV. §. 9. Quod nedum verum est, si conveniendum sit monasterium ipsum, sed si conveniendus sit particularis Religiosus, Donat. *p. 2. tr. 17. q. 12. n. 12.* quidquid apud eumdem in contrarium dixerint Diana, & Cespedes. Salvo tamen semper, quod possunt conveniri coram eorum superioribus, si actori placuerit.

135 Limitatur facultas Conservatorum respectu eorum, qui subjiciuntur constit. Innoc. IV. relata *in c. Volentes 1. de privilegiis in hoc 6.* quam innotavit Conc. Trid. *sess. 7. cap. 14.* Huic tamen constitutioni non subjiciuntur Regulares, ut ex eorum privilegiis est manifestum, & probavi *tom. 3. de stat. tract. de profess. inspect. 10. num. 629.* In illa verò constitutione decernitur, ut privilegio exemptionis non obstante, exempti in tribus casibus possint conveniri coram Episcopo, seu Ordinario, scilicet ratione delicti commissi, contractus initi, & rei sitæ extra locum exemptum. Et quia in dicta constitutione expresè cavetur hoc esse dicendum etiam de illis, qui ex privilegio Apostolico habent certum Judicem, sub quo solum possint conveniri, ideò infertur, quod non obstante, quod aliquis habeat Conservatorem, & privilegium, ut coram alio Judice non possit conveniri, nihilominus hoc non obstante potest conveniri coram Ordinario in illis tribus casibus, Moneta *de conservat. cap. 7. num. 269.* si tamen isti exempti habeant privilegium, ut contra illos non possit procedi per censuras, non poterit Ordinarius etiam in illis casibus eos excommunicare, sic enim *in d. cap. Volentes decernitur*, §. *in eos*.

136 Tertiò limitatur ex Concil. Trident. *sess. 7. cap. 14.* in causis mercedum, & miserabilium personarum, in quibus tam Clericis sæculares, quàm Regulares degentes extra claustra possunt conveniri coram Ordinario loci tanquam Delegato Sedis Apostolicæ, etiam si certum judicem habeant, & non obstante Conservatorum deputatione.

137 Hic ergo casus locum non habet in Religiosis intra claustra degentibus, ideò etiam in causis mercedum, & miserabilium personarum, si conveniendus sit Regularis degens intra claustra coram Conservatore conveniendus erit. Et quia monasterium integrum totum simul non potest degere extra claustra, quia ibi est claustrum, ubi monasterium totum cum suo superiore degit, ideò in præfatis causis, non coram Ordinario, sed coram Conservatore monasterium integrum conveniri debet.

138 Et quia degere extra claustra in terminis dicti Decreti, non importat esse extra claustra quomodocumque, sed importat habere extra claustra domicilium ex privilegio, vel licentia, juxta doctrinam Navar. *c. Non dicatis, n. 96.* Rodriq. *d. q. 65. art. 13.* Moneta *de conservat. cap. 7. n. 277.* Vel saltem esse extra claustra ex causa de se permanenti, ut explicavi *de statibus q. 89. art. 8. n. 489.* Unde extra claustra degere dici non possunt Religiosi, qui extra claustra sunt causa prædicationis, confessionis, eleemosynæ, vel de licentia secundùm regularia instituta inserviunt beneficio, ideò istæ, & similes etiam in causis mercedum, & miserabilium personarum conveniri debebunt coram Conservatore, ut tradunt Rodriq. & Moneta citati.

139 Sed & advertendum, quod cùm Concilium utatur verbo *posse*, quod importat facultatem sine ulla necessitate, ut notatur supra *in hoc lib. cap. fin. de consuetud.* in prædictis casibus, vel contentis *in d. cap. volentes*, vel causis mercedum, & miserabilium personarum, non erit necesse, ut habentes Conservatorem citentur coram Ordinario, sed poterunt, si actores id velint conveniri coram Conservatoribus, Moneta ubi sup. *n. 277.* Qui tamen *n. 278.* malè sequitur Rodriq. affirmans cum illo contra Gutierez, quod Regulares non degentes extra claustra nó possint conveniri

coram Conservatore, sed conveniri debeat coram Prælato Regulari, quoniam tota potestas ad Abbatem respectu Monachorum pertinet, *cap. Nullus* 12. q. 1. quamvis postea hoc limitet, ut procedat solum quando Conservator datus est Monasterio, non autem personis Regularibus, sed & in hoc casu, nunc si solum Monasterium, non verò personæ illius habeant Conservatorem, servandum erit, quod decernit Greg. XV. *const.* 9. §. 6. de Regularibus non habentibus Conservatorem, ut conveniri possint coram Ordinario.

140 Quartò etiam limitatur ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. quia super juribus ex cessione competentibus, non potest quis impediri, ut coram Ordinario non possit conveniri, etiam si habeat Conservatorem. In quo tamen decreto non comprehenduntur universitates generales, ac Collegia Doctorum, seu scholarium, & regularia loca, & hospitalia actu hospitalitatem servantia, & eorum universitatum, Collegiorum, locorum regularium, & hospitalium personæ, ut expressè in dicto decreto continetur. In quo etiam non necessitantur actores convenire reos coram Ordinario, sed hoc fieri conceditur, unde poterunt si velint eos convenire coram Conservatoribus, Moneta *cap.* 7. *de conservat.* q. 5. *num.* 327. qui *num.* 328. *& seq.* tractat qualiter Judex, aut Conservator sit competens, cùm agitur de jurium cessione.

141 Dari verò alios casus, in quibus cognitio spectat ad Episcopum privativè quoad Conservatorem, dicunt nonnulli DD. Primus est controversiæ de præcedentia, ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *reformat.* ibi: *Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat.* Et ita tenent Cespedes *dub.* 318. *num.* 11. Donatus *p.* 2. *tract.* 17. q. 19. Sed hoc quidem verum est, quia ubi non sit notoria justitia suæ partis, non potest Conservator causam aliquam cognoscere. Cæterùm advertendum, quod per illud decretum Concilii non datur Episcopo facultas illa componendi controversias de præcedentia orta inter Regulares, nisi quando ex ipsis controversiis nascitur scandalum, ut ex Decian. Cened. & Salgad. notat ibi Barb. *num.* 7. Et ideò ubi non immineret scandalum, & injustitia, seu injuria esset notoria, non impediretur Conservator causam illam cognoscere.

142 Secundus casus est, quia Conservator non potest dare licentiam extrahendi aliquem ab Ecclesia etiam in casibus privantibus immunitate. Ita Rodriq. *tom.* 2. q. 50. *art.* 3. quem sequitur Donat. *d. tract.* 17. q. 18. Sed & hoc est verum, quia hic nulla est injuria, a qua Conservator debeat defendere: non enim fit injuria Ecclesiæ, si delinquens ad eam recurrat. Sed si aliquis ab Ecclesia, cujus ipse est Conservator velit violenter extrahere illum, qui ad illam confugit; quia in hoc fit manifesta injuria Ecclesiæ, Conservator potest contra sic injuriantes procedere, Peyr. *tom.* 3. *in addit. ad constitut. Gregor. XV. cap.* 12. *num.* 13. Donatus *d.* q. 18.

143 Dicitur etiam, quod Regulares ad suum Conservatorem appellare non possunt. Sed non mirum; quia ex quo causa est appellabilis non per hoc injuria est certa & manifesta, sed ubi sententia lata a Judice esset notoriè injusta, & injuriosa, posset Conservator de illa cognoscere, & Conservator injuriatum, cujus est Conservator defendere. Conservator enim in causa injuriarum manifestarum sibi delegata est major Judice Ordinario, & etiam Delegato. Quod maximè est verum in Regularibus ob amplissima eorum privilegia. Non posset tamen causam defendere, ubi ageretur criminaliter Conservator defendere.

144 Dicitur quoque quod non dat facultatem alienandi bona, Bord. *resol.* 95. *num.* 10. sed hoc est, quia hæc non est materia injuriæ, aut violentiæ. Si tamen aliquis monasterium ad alienandum manifestè compellerit, posset suus Conservator illud defendere.

145 Asseritur è contra, quod Conservator sit Judex competens, si agatur de restituendo cadavere Ecclesiæ Regularium, Bord. *ref.* 51. *num.* 194. Hoc tamen non est verum, nisi injustitia retinentis cadaver sit notoria. Si tamen ageretur civiliter de restituendo cadavere à Regularibus, ipsi tanquam rei conveniri deberent coram eorum Conservatore. Pariter potest Conservator compellere Apostatas, ut ad Religionem redeant. Quod & est specialiter expressum *Clem.* 7. *pro minimis, in const. conquestionem*, Donat. *p.* 2. *tr.* 17. q. 9. n. 7. Peyr. t. 2. *ad const.* 5. Greg. XV. *n.* 48.

Pariter asseritur, quod Conservator possit absolvere ab excommunicatione lata à Clem. IV. contra inferentes violentiam Ecclesiis Regularium, Bord. *ref.* 76. *n.* 15. Sed verum est, quod Clem. IV. *in constit.* quæ incipit, *In quibusdam locis*, & habetur apud Confet. 6. inter constit. illius, tulit excommunicationem in inferentes violentiam Ecclesiis, aut locis Ord. Prædicatorum, & voluit, quod delinquentes ab illa non possent absolvi, nisi per Sedem Apostolicam, aut Conservatores dicti Ordinis. Sed an modo vigeat hoc privilegium considerandum esset. In casu tamen, quod violentia esset manifesta sicut posset Conservator de violentia cognoscere, ita posset ab excommunicatione illa absolvere. 146

S V M M A R I V M.

147 *Actor quid sit.*
148 *Habentes Conservatorem non posse coram illo convenire alios, qui senserint.*
149 *An diffamans sit actor in judicio.*
Actor in ordinatione judicii est, qui primus pulsat Judicem.
150 *Injuriatus pro manifestis injuriis potest convenire etiam laicum coram suo Conservatore.*
151 *Hoc habetur ex decl. S. Cong.*
152 *Laicus conventus coram Conservatore est conventus coram Iudice suo.*
Papa Ordinarius totius mundi dat Conservatores etiam contra laicos. 152.
153 *In privilegiis continetur, quod Regulares possint agere.*
154 *Quid ubi lis sit inter equè privilegiatos, & habentes suos Conservatores.* 155. 156.
157 *Exemptus non potest se subjicere Ordinario.*

ARTICULUS VII.

An quis possit alium coram suo Conservatore trahere.

Actor in judicio est, qui agit, & pulsat alium rem aliquam ab ipso petens in judicio, *l. in tribus, ff. de jud.* Silvest. *v. Actor. num.* 5. Quando igitur Conservator datur ad favorem alicujus, quæritur an iste ad cujus favorem datur Conservator, possit tanquam Actor agere; & alium trahere apud eumdem Conservatorem, ab ipso aliquid petens in judicio. 147

Videtur enim, quod non possit ex illo juris axiomate, quod Actor sequitur forum rei, *l. Iuris ordinem, & l. in criminali, C. de jurisd. omn. jud. l.* 2. *C. ubi, & apud quem, cap. si Clericus laicum, & c. cum sit generale de for. competen.* Cùm igitur reus sit is, à quo per Actorem aliquid petitur in judicio, si is, ad cujus favorem datus est Conservator agere velit contra alium, id facere debet non coram suo Conservatore, sed coram Judice sui adversarii, qui reus est in hoc judicio, & cujus forum ipse, qui est actor sequi debet; & propterea Moneta *de conservat. cap.* 7. q. 6. *n.* 337. arbitratur, quod ubi Conservator datus sit per literas expeditas in forma communi, non potest actor reum convenire coram suo Conservatore. Ex eadem quoque principio, quod Actor sequitur forum rei, R.P.D. Fagnanus *cap. si Clericus n.* 21. *&* 22. *de for. compet.* arbitratur, quod tam in civilibus, quàm in criminalibus, & Clerici seculares, & regulares si agant contra laicum teneantur convenire illum coram Judice laico, & non possint illum convenire coram suo Conservatore, nisi hoc habeant ex speciali indulto Sedis Apostolicæ, sicut habent Religiosi Societatis Jesu, ex privilegio Pii V. expedito à Greg. XIII. *in sua constit. incip. Æquum*, & data 8. Kal. Jun. 1572. Multis tamen modis limitat assertionem illam, quod laicus ab Ecclesiastico conveniri debeat coram Judice laico. Et eodem cap. *num.* 54. habet quod Regulares neque ex jure communi, neque ex privilegiis exceptis Jesuitis possunt alios coram Conservatoribus suis convenire. 148

Sed hic præmittendum, quod nomine actoris intelligi debeat. Controvertunt enim DD. quis in judicio diffamationis dici debeat actor, diffamatus scilicet, an diffamans, & contendentibus pluribus actorem esse diffamatum, qui primus pulsat judicem, & in judicium vocat diffamantem, *l. in tribus, C. de jud. cap. forus, §. accusator, de verb. signific.* Alii è contra volunt, quod actor sit diffamans, 149

quia

quia in hoc judicio diffamatus se defendit, & non provocat, nisi provocatus, & naturale initium, & origo diffamationis attendi debet. Latè hanc quæstionem tractat Marches. *tom.3. de commissione jactationis, & jactat. cap.1. §.1. num.30. & seq.* Sed subtilitatibus contradicentium relictis, & prætermisso an qui in principio judicii est reus in prosecutione censendus sit actor, & sic an diffamans, qui citatus comparuit, in subsequentibus dici possit actor, reus verò dici debeat diffamatus, qui se defendit & via exceptionis, & defensionis se tuetur, dicitur, quod negari non potest, quod in ordinatione judicii, diffamatus non sit actor, & in hoc DD. conveniunt, quia ipse est, qui primus provocat ad judicium, & qui fores judicis pulsat, & qui primus in judicio petit. Nec obstat, quod id faciat provocatus, quia non est provocatus in judicio, & alias nedum diffamatus, sed quicumque injuriam patitur, & injustitiam ex quacumque causa, vel in rebus, vel in honore, & fama, vel in vita, si ex hoc provocat injuriantem ad judicium, id non facit nisi provocatus, & tamen in hoc non est reus, sed actor. Actor igitur in ordinatione, & initio judicii est, qui primus pulsat, instat, petit aliquid ab altero in judicio. Et ideò si quis injuriam passus manifestam, & notoriam adit conservatorem suum, ut ipsum defendat præfato modo actor est, quamvis non instet nisi tamquam injuriam passus, aut diffamatus. His sic præmissis.

150 Dicitur primò, quod de jure communi, si conservator sit datus per litteras in forma etiam ordinaria, & in terminis hujus capituli, *& cap.1. suprà hoc tit.* potest unusquisque coram conservatore agere, & trahere alium ad judicium, & in judicio contra illum agere, & sic esse Actorem in prima ordinatione judicii. Nam per litteras in forma communi, & in terminis constitutionum Innoc.IV. *sup. cap.1.* & Bonifac. VIII. *in hoc cap.* dantur conservatores ut illos pro quibus dantur defendant ab injuriis, & violentiis manifestis. Unusquisque verò qui à jure habet judicem, qui illum defendat à manifestis injuriis, & violentiis ex hoc habet, ut si injuriam manifestam passus fuerit, possit suum judicem pulsare, illum requirere, illi instare, & ab eo petere, ut sibi justitiam faciat, & se defendat, quod est in judicio agere. Nam aliter isti defensores ad nihil dati essent; quia injurians non conveniet injuriatum, nec pulsabit Judicem, ut defendat injuriatum à se injuriante, pro quo tamen injuriato datus est Judex. Si ergo injuriatus non potest pulsare conservatorem, ut justitiam sibi faciat, & coram se injuriantem conveniat, ad quid datur? & pro quo utilitate? Præterea ut habetur in hoc capitulo §. *Conservatores*, potest conservator trahere ad judicium, dummodò nullum trahat existentem ultra dietam à fine diœcesis, vel loci, in quo fuit deputatus, juxta statuta *sup. in hoc lib. cap. statutum 11. de rescript.* In causa autem injuriarum ad cujus instantiam conservator trahet ad judicium? non certè ad instantiam injuriantis, qui ut reus in hoc judicio damnari debet, & nullus provocat judicium, in quo non potest non damnari re constita; ad instantiam igitur injuriati, scilicet ejus, quem tenetur defendere ab injuriis, injuriantem trahet ad judicium; in hoc ergo judicio injuriatus est actor saltem in ordinatione judicii injuriantem coram suo conservatore, & hoc supponunt DD. in hoc cap. & DD. quos infra citabimus.

151 Dicitur secundò, quod licèt ex vi Concil. Trident. *cap. 14. sess. 5.* qui non sunt excepti in decreto illius *cap. non possint*, ut actores coram suis conservatoribus trahere aliquem, & licèt hoc universaliter prohibitum sit per constitut.9. Greg.XV. nec per decretum Concilii Tridentini, nec per constitut.9. Greg.XV. prohibitum est ne unusquisque possit ut actor trahere alium coram suo conservatore, ut se defendat à manifestis injuriis, & violentiis. Habetur hæc assertio definita per S. Congr. Concilii, & habetur in Bullar. Rom. post constitut.9. Greg.XV. Ex hac enim declaratione colligitur, quod agere in judicio coram suo conservatore, & ad illum alium trahere est conforme constitut. Innoc.IV. *suprà cap.1.* & Bonif. VIII, *in hoc cap. relatis*, & quod antiquitus id licuit, & modò id licet, ubi de manifestis injuriis, ac violentiis agatur. Quod & modò docent Barbosa *d. allegat.106. num.47.* Tambur. *tom.3. disp.17. quæst.2. numer.13.* Lez. *part.2. cap.10. numer.47.* Bordon. *resolut.95. num.11.*

152 Nec in contrarium obstat, quod actor sequi debeat forum rei; omisso enim, quod regula ista multipliciter fallit, ut videre est in Gloss. & DD. *cap. si Clericus, & cap. cum sit, & in cap. licet, & cap. ex tenore de for. compet.* dicitur, quod illa regula non applicatur ad rem præsentem, Quia cùm Papa sit Ordinarius totius mundi, *cap. Cuncta per mundum 9. quæst.3.* Gloss. *in cap. cum nullus in v. In eadem, de temp. ordinat. infrà in hoc 6.* Fagnan. *cap. de illis 2. de despons. impub.* Papa enim etiam laicorum est Ordinarius cùm personis, aut locis Ecclesiasticis injuriam faciunt, & in illis casibus, in quibus de jure laici possunt conveniri ante Judicem Ecclesiasticum, & ad illos potest Papa delegatos mittere, unde potest etiam conservatores dare. Hos verò casus habes cumulatos per Gloss. & DD. *cap. novit de jud.* & apud Farin. *quæst.8. art. num.126.* Præcipuè verò Papa potest cognoscere de injuriis à laico illatis Ecclesiæ, ejusque personis, & bonis; unde conservator datus à Papa, ut aliqua loca, vel personas defendat à manifestis injuriis est proprius Judex etiam laicorum, si manifestas injurias Ecclesiæ, & suis inferant, quia est vices gerens Papæ, qui etiam laicorum est Judex ordinarius, & sic laicus conventus coram conservatore est conventus coram suo Judice.

Supradicta verò multò magis procedunt, si in litteris 153
Apostolicis expresse, vel æquivalenter contineatur, quod is, ad cujus favorem datur conservator possit coram illo tam activè, quàm passivè causas suas agere. Hoc verò nedum continetur in privilegio Pii Quinti pro Societate, sed habetur satis æquivalenter expressum in aliorum Ordinum privilegiis. Nam in privilegiis *suprà num.59.* recensitis continetur, quod Episcopi, Abbates, &c. & alii quibus litteræ Apostolicæ diriguntur, si requisiti fuerint defensionis præsidio assistant Regularibus, ad quorum favorem deputati sunt. At verò hi conservatores deputati quid facient, ut defensionis præsidio assistant suis illos requirentibus? Primum quod facere debent est injuriam irrogantes citare, & convenire. Cùm igitur in privilegiis contineatur, quod regulares possint requirere suos conservatores, imò quod conservatores teneantur adesse illis, & justitiam facere, continetur quoque, & quod regulares possint agere, & quod conservatores injuriantes regulares ad ipsorum instantiam teneantur coram se convenire.

Sed difficultas est coram quo conservatore trahi debeat 154
reus, si contingat, quod tam actor, quàm reus habeant simile privilegium, & tale, ut unusquisque eorum habeat suum conservatorem, & privilegium trahendi alium ad illum, & ut ipse coram alio judice trahi non possit. Nam in hoc casu videtur, quod nec actor possit trahere reum coram suo conservatore, nec trahi possit coram conservatore rei, & è contra, Moneta *de conservat. cap.7. quæst.6. numer.345.* vult quod si is, qui habet sufficientem facultatem trahendi alium coram suo conservatore agere velit contra eum, qui omninò similem habet facultatem debet eum convenire coram conservatore non suo, sed rei, nisi reus consentiat, vel in conservatorem Actoris, vel Ordinarium, Joan. Andr. verò *in cap. volentes, §. Et id ipsum, infrà de privilegiis*, tractans quæstionem an Actore habente privilegium trahendi reum coram certo judice etiam super quæstionibus posteà exortis, si reus consimile privilegium habeat, ut non possit trahi nisi coram certo judice, possit declinare, & petere se trahi coram suo judice, refert Joan. Calder. tenuisse, quod præfertur, qui causam favorabilem fovet, *arg. cap. fin. de re judicata*, vel qui fovet causa magis favorabilem, *l. privilegia, ff. de privil. cred.* Sed in pari causa, vel quia neuter prætendit id, sed solum privilegium personæ, tunc si reus habet plures Judices sibi & actori electionis privilegio attributo, sicut est in scholaribus, *per Authen. habita, Cod. Ne filii pro patr.* & tunc erit electio Actoris, *arg. l. in tribus, & l. qui prior. ff. de jud.* Si verò reus habeat Judicem de jure communi, & alium ex privilegio, sibi & Actori tributo electionis privilegio, ut in Judæis, vel similibus, ut in *l.1. C. quando imper. inter pupill.* tunc præfertur, qui eligit secundùm jus commune, cùm jus commune sit fortius, *cap. Cum accessissent, de constit.* Et hoc in privilegiis datis secundùm jus commune, in quibus non est prioritas, vel posterioritas. Sed in privilegiis datis à Principe vivente attenderetur prioritas nisi in secundo privilegio esset clausula derogatoria primi, ut in *cap. veniens supra de rescript.* Et ita approbavit etiam Joan. Andr. & Francus *num. fin.* & alii autem Cespedes *dub.318. num.19.* & Donatus *part.2. tract.17. quæst.34.* dicunt quod quando diverso-

versorum ordinum Religiosi injurias sibi invicem intulerunt detur locus præventioni, & valeat processus ejus, qui primo prævenit. Sed ex Peyr. *tom.3. in addit.* ad constitut. Greg. XV. addit Donatus satius esse recurrere ad Summum Pontificem. Quod necessarium esse ut fiat, si conservatores sibi invicem inhibuerint, dicit Mandos. *de signat. gratia, v. conservatoria, §. Conservatores*. Aut, (dicit Donatus) eligendi erunt Arbitri, juxta *cap. Pastoralis, & cap. Cum contingat, de rescript.*

155 Dicendum mihi videtur, quod si reus habet privilegium, ut non possit trahi nisi coram Judice suo, & hoc privilegium derogat sufficienter privilegio Actoris, tunc actor non potest trahere reum coram Judice suo, sed coram judice ejusdem rei illum trahere debet: quia solius rei tunc viget privilegium. Sed si privilegium rei non derogat privilegio actoris, tunc si datur Judex communis actori, & reo, coram quo non obstante privilegio conveniri possunt, & sic habent duo genera judicum, nimirum unum utrique communem, & alium cuilibet illorum proprium, tunc actor non potest reum trahere ad suum judicem proprium, nisi reus consentiat, nec reus potest instare, ut trahatur coram judice suo proprio, sed actor reum coram Judice communi trahere poterit, & debebit, qui non obstantibus privilegiis tunc ad invicem repugnantibus, est tam actoris, quàm rei judex competens, ut dixerunt Joan. Andr. Calder. & Franc. sed si actor, & reus non habent judicem communem, coram quo non obstantibus privilegiis conveniri possint, & aliàs quilibet illorum habet privilegium, ut alterum possit trahere coram Judice suo, & non possit trahi ab alio nisi coram eodem judice suo, & sic sunt æquales in privilegio, sicut sunt Regulares, qui communicant in privilegiis; dicendum est electionem esse injuriam passi, seu originarii, qui potest reum, vel coram conservatore rei, si voluerit, vel coram conservatore suo trahere. Hic enim locum habet doctrina illorum DD. quos refert, & sequitur Marchef. loco citato scilicet *tom.3. de commiss. jactationis, & jactationum cap.1. §.1. num.3. & seq.* scilicet quod diffamans censendus sit actor, licèt à diffamato vocetur in judicium; sic enim etiam dici debet de injuriante, qui provocat injuriatum, ut recurrat ad Judicem, & eum vocet in judicium: ideò ratio non dictat, ut in concursu duorum judicum, præferatur judex injuriantis, & gaudeat privilegio, ut ab injuriato trahi non possit ad suum judicem. Quamobrem si in electione fori videatur præferendus forus rei, quia actor, ut dictum est forum rei sequitur, hic actor injuriatus censendus est potius reus, & præferendus. Sic enim & in casu diffamationis magis communis sententia est, quam sequitur March. ubi suprà *num.40.* quod commissio dirigenda sit judici ipsius diffamati, & non judici diffamantis, quia in hoc diffamatus censendus sit reus, Panormitanus *cap. Si quis contra Cler. numer.11. & in repetit. dicti cap. eodem num.11.* Cùm ergo conservatores cognoscant de manifestis injuriis, injuriati erit trahere injuriantem coram judice suo, & sic ille, qui est actor, quia provocat ad judicium, quia non provocat nisi provocatus censendus erit in hoc reus, ut injuriantem trahere possit ad judicem suum.

156 Si igitur orta fuerit controversia inter Religiosos diversorum Ordinum, quæ ut notat Bordon. *resolut.95. num.7.* potest cognosci per conservatores, Religiosus seu monasterium illius Ordinis, qui fuit manifestè injuriam passus, trahere poterit alium Religiosum, vel monasterium ad judicem suum. In hoc enim prærogativam habet Actor, qui extrajudicialiter passus injuriam censendus est, ac si esset reus in electione fori; quando autem diversorum Ordinum Religiosi injurias sibi invicem intulerunt; existimo si constet, quis primò injuriam passus fuerit, ejus esse electionem Judicis, eumque posse alium trahere ad suum conservatorem. In dubio verò esse eligendos Arbitros ad formam juris arg. ejus, quod in constitut. Greg. XV. de conservatoribus dicitur de eligendis Arbitris, ubi sit lis de jurisdictione inter Episcopum, & conservatorem. Et hoc faciendum erit quotiescumque orta lite competentiæ conservatores sibi invicem inhibuerint, vel lis fuerit quomodocumque orta de competentia jurisdictionis, nisi detur facilis recursus ad Papam. Poterit tamen Religiosus unius Ordinis, si voluerit recurrere, vel ad superiores alterius Religiosi, vel ad conservatorem ejus, & ratio est; quia ubi reus plures judices habet, electio judicis est actoris, *l. cum Clericus, C. de Episc. & Cler. l.3. ff. de eo, quod certo loco*. Ubi tamen controversia sit inter ejusdem Ordinis Religiosos, nihil jurisdictionis habent conservatores; qui dantur, ut defendant ab extraneis, ad quos non se extendit jurisdictio Prælatorum Regularium, unde opus est conservatoribus, qui tamquam delegati Sedi Apostolicæ extraneos coercere possint; sed intra Religionem judicium est Prælatorum Regularium privativè omninò, quoad conservatorem.

Quod verò dixit Moneta reum consentire posse, ut trahatur coram Ordinario, non est verum in exemptis Regularibus, quibus exemptio non est data, ut privilegium privatum singulorum, sed ut privilegium communem factum Religioni, cui privatus non potest renuntiare. Videri possent notata *tom.3. de statibus, tract. de profess. inspect. 10. num.753.* 157

SUMMARIUM.

158 *Jurisdictio ad tres dietas extra diœcesim extendebatur.*
159 *Stante hoc electio conservatoris in pluribus Diœcesibus notificari debebat.*
160 *Constitutio Greg. XV.*
161 *Declarationes S. Congreg.*
162 *Derogatum legi de tribus dietis.*
163 *Directè præcipitur, ut causa non audiantur extra.*
Conservator an eligendus de Diœcesi. 163.
164 *Eligendum in ea Diœcesi, in qua est monasterium.*
Quid ubi Monasterium est nullius Diœcesis. 164.
165 *Sufficit eligere illum de Diœcesi.*
166 *Conservator potest trahere coram se existentem extra Diœcesim per dietam.*
Quid de dieta remissivè. 166.
167 *Nec de consensu partium conservator procedit extra Diœcesim.*
An jurisdictio conservatoris possit prorogari, remissivè. 167.
168 *An possit consuetudine extendi.*

ARTICULUS VIII.

Quos fines habeat jurisdictio conservatoris.

Virtute privilegii Pii Quinti, seu Greg. XIII. *in sua constitut.1. §.6.* Conservatorum jurisdictio extendebatur ad tres dietas ultra Diœcesim, in qua deputati erant, non obstantibus constitut. Apostolicis de duabus dietis in Concil. Lateranen. edita & relata, *cap. Nonnulli de rescrip.* & Bonif. VIII. suprà *in cap. statutum de rescript. & hic, §. Conservatores*. Idemque concesserat Pius Quintus Ordini Prædicatorum in constitut. quæ incipit: *Ad hoc §.18.* quæ habetur in Bullario Rom. adjuncta *n.41.* 158

Stante autem hujusmodi privilegio extensionis jurisdictionis ad tres dietas, quod Regulares tenerentur notificare electionem conservatoris omnibus Ordinariis, ad quorum Diœceses eorum jurisdictio extendebatur, declaraverat S. Congreg. Concilii die 11. Julii 1620. ut referunt Novar. *in lucerna regul. v. Conservatores, numer.9.* Barbosa *coll.216. num.18.* 159

Sed in constitut. Sanctissimus 9. Greg. XV. *de conservatoribus, §.9. in fin.* statutum fuit, quod conservatores, *neque extra Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant.* 160

Nonnullæ etiam declarationes S. Congreg. Concilii ad rem hanc spectantes referuntur. Et quidem sub die 23. Octobris prius quæsito, *An si unum, & idem Monasterium habeat bona in diversis Diœcesibus eligendi sint conservatores in unaquaque Diœcesi, an verò unus tantùm sufficiat? Sacra Congreg. Cardin. Concil. Trident. interpretum, ad primum respondit posse. Ad secundum censuit, conservatorem esse deputandum in Civitate, vel Diœcesi, ubi situm est Monasterium, atque ibi tantùm, & non alibi posse eumdem conservatorem procedere, etiam in causis bonorum, ac membrorum ejusdem Monasterii extra ipsam Diœcesim existentium.* Hanc declarationem referunt Peyr. *tom.3. in addit. ad constitut.5. Greg. XV. cap. un. num.17.* Barbastren. *in Pastor. part.1. claus. 9. num.2.* Barbosa *in sum. coll.216. v. Conservator numer.16.* Cochier. *de jurisd. Ord. in exemp. par.2. tit. de conserv. q.9. n.31.* 161

Pari-

Pariter quod conservatores eligere debent Regulares in singulis Diœcesibus, in quibus Monasteria, Conventus, seu domos Regulares habent, decisum fuisse ab eadem Sac. Congreg. Concilii in Rossanen. 15. Aprilis 1528. & in Lancianen. 29. Januarii 1633. referunt Lez. *d. num.66.* Barbos. *d. coll.216. numer.17.* Lucerna *Regul. ver. Conservatores, num.3.*

162 Primò ergo ex hoc novo jure habetur derogatum fuisse privilegio de tribus dietis concesso à Pio Quinto, & Greg. XIII. prout declaravit Sac. Congreg. in citatis declarationibus, & habetur ex constitut. Greg. XV. Quod & universaliter de omnibus similibus privilegiis, quod reducta sint ad terminos d. constitut. Greg. XV. declaravit Innocentius X. in constitut. *Cum sicut accepimus in resp. ad quintum dubium*, ut tradunt DD. citati, & R. P. D. Fagnan. *cap. sanè numer.36. de off. deleg.* Unde non video, in quo se fundet Barbastren. *d. claus.9.* ubi admittit, quod Regularium conservatores possint extendere suam jurisdictionem ad tres dietas extra Diœcesim, advertens sic declarasse S. Congreg. Concilii, sed non advertens eam declarationem datam fuisse ante Greg. XV. anno 1620. tunc cùm vigebat privilegium trium dietarum, cui posteà derogatum fuit à Greg. XV. anno 1621.

163 Verum advertendum est, quod decrevit Greg. XV. est id, quod conservatores extra Civitates, seu Diœceses, in quibus deputati sunt non præsumant procedere. Non ergo directè prohibetur, quod non possit eligi existens extra Diœcesim, imò qui extra illam habitet, unde ex hoc cap. non rectè Barbastren. *d. claus.9. num.7.* impugnat aliquos dicentes non esse improbabile, quod possit eligi conservator, qui habitet in aliena Diœcesi. Hoc enim quantum sit ex vi decreti hujus non repugnat, quia benè stat, quod habitans in aliena Diœcesi, non nisi intra Diœcesim audiat causas, ad quas est deputatus. Quod est solum id, quod in *hoc cap. & suprà cap. statutum de rescript. in hoc lib.* statuit Bonif. VIII. & in sua constitut. voluit Greg. XV. & S. Congreg. declaravit. Alia tamen poterunt obesse, ut quia non possit esse Judex synodalis, qui est de aliena Diœcesi. Et amplius si ex hoc notabile incommodum resultet parti, poterit recusari. Ego legi litteras authenticas Sac. Congreg. Reg. in qua citabat Vicarium Episc. Parmen. qui electus in conservatorem unius Ordinis Regularium erexerat sibi Tribunal Placentiæ in Monasterio ejusdem Ordinis, & mandabat ei, ut diceret cur in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii erexerat sibi Tribunal in dicto Monasterio. Litteræ datæ fuerunt 5. Martii 1619. Sed quid posteà fuerit resolutum non vidi, & an Sac. Congreg. rejecerit excusationem, quam Vicarius potuit dare, scilicet conservatorem non indigere licentia Ordinarii, ut erigat Tribunal; non esse verò prohibitum, quod alterius Diœcesis vir eligatur in conservatorem, sed solum quod conservator electus non audiat causam extra Diœcesim. Ideò saltem de honestate conservator eligendus est, qui sit in Diœcesi, ut securius procedatur, & incommoda vitentur.

164 Diœcesis verò in qua deputari potest conservator non est nisi illa intra cujus fines positum est Monasterium. Sed quid dicendum si monasterium in nulla omninò sit Diœcesi? Si monasterium sit Abbatia, habeat suum districtum Abbatialem, & territorium, intra illud eligi debebit conservator. Nomine enim Diœcesis intelligitur etiam districtus Abbatiæ, vel Ecclesiæ cujus Prælatus habet jurisdictionem quasi Episcopalem, & in utroque foro, & habet territorium. Nam & Abbates habentes territorium veniunt sub nomine Diœcesani Panormitanus *in Clem. Diœcesanis de vit. & honest. Cler.* Card. Imola, & Vitali quos sequitur Fagnan. *cap. Accedentibus, num.29. de excess. Prælat.* Quoniam verò conservator eligitur pro causis, quæ nedum in Civitate, sed in qualibet parte Diœcesi suscitari possunt, & ideò conservator est Delegatus ad universitatem causarum, non est necesse, quod Monasterium eligat conservatorem in Civitate manentem, sed sufficit, quod eligat unum de Diœcesi. Et ideò in præfata declaratione Sac. Congreg. dicitur disjunctivè in Civitate, vel Diœcesi. Quamvis posteà hic conservator non poterit audire causas nisi vel in Civitate, vel in aliquo loco insigni, & apto, juxta decretata, & notata suprà in *cap. statutum 11. in principio.*

165 Sed numquid conservatoris jurisdictio est prorsus restricta intra fines Diœcesis, ut nullo modo se extendat extra? Videtur enim ita esse dicendum, quia in Constitutione Gregoriana nulla fit mentio de distantia aliqua extra, sed absoluté dicitur, quod conservator extra Civitatem, vel Diœcesim procedere non præsumat, & ita ex Novar. sentit Donatus *part.2. tr.17. quæst.36. num.5.* Sed oppositum est dicendum, quia Pontifex in §. 11. dictæ constitutionis innovat constitutionem Bonifacii Octavi, quæ in hoc cap. refertur, & in qua statuitur, quod conservatores possint trahere ad se partes intra dietam à fine Diœcesis existentes, & sic verba *constitut. Gregorianæ in* §. 9. intelligendæ sunt juxta sensum textus in hoc capit. sed & Sac. Congreg. in declaratione relata *art. sup.* jubet observari statuta *in hoc cap.* Et hoc confirmatur ex constitut. Greg. XV. qui solum prohibet ne conservator procedat extra nimirum, ut dicitur *in d. cap. statutum sup. de rescript. in hoc 6.* quod causæ non audiantur extra, non verò ex hoc prohibetur, quin possit citare existens extra, quia imò & in *d. cap. statutum, & in hoc cap.* permittitur trahi illum, qui per dietam est extra. Et ita quod conservatores nunc possint trahere coram se partes extra Diœcesim existentes, dum non sint ultra dietam à fine Diœcesis, docent R. P. D. Fagnanus *c. sanè, n.35. de off. deleg.* Nicolius *lib.1. Can. tit.29. de conservatoribus num.13.* §. 2. Fermos. *cap. si Clericus de for. compet. quæst.12. num.27.*

Quæ verò de dieta desiderari possent, habentur suprà *in d. cap. statutum num.11. de rescript. quæst.2. art.1. à num.144.* Fermos. *d. quæst.12. num.29.* putat dietam esse iter decem leucarum. 166

Quod etiam consensu partium non possit prorogari conservatoris jurisdictio quoad locum, ut scilicet extra Diœcesim causas audiat, quamvis alias id possit facere delegatus, dictum est in explicatione textus §. *Conservatores.* Multa verò habet Moneta *de conservat. cap.7. quæst.8.* de prorogatione jurisdictionis conservatorum, quæ ibi videri possunt. 167

Qualiter etiam consuetudine, aut præscriptione conservatorum jurisdictio, augeri, extendi, prorogari, & acquiri valeat, & pariter etiam possit minui, & amitti, latè tractat idem Moneta *d. cap.7. q.9.* 168

SUMMARIUM.

ARTICULUS IX.

An conservatorum jurisdictio intra fines sui districtus extendatur ad personas alias, aut causa ratione conjunctionis, aut connexionis.

Quæstio ista prius resolvi debet ex principiis juris communis, & posteà ex privilegiis. Duplicem etiam inspectionem habet, quia conjunctione aliqua junguntur personæ, ut servi, & familiares, & sic quæstio est, an conservatorum jurisdictio extendatur ad servos, & familiares eorum, pro quibus conservatores dantur. Connexione verò junguntur causæ, quæ principalibus sunt annexæ, aut ex eis emergunt. Et ideò est etiam quæstio, an conservatorum jurisdictio extendatur ad causas annexas, & incidentes. 169

Familiares verò esse, qui sunt de alicujus familia, illique ser- 170

serviunt, & sunt ejus commensales, seu de ejus sumptibus vivunt colligitur ex traditis *cap. fin. infr. de verb. signif.* & ex notat. *in cap. fin. de off. Archid. & l. 1. & 2. C. de Episc. & Cler. l. penul. C. de Fabricen. & ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 11.* & videri possunt, quæ dixi *tom. 2. de stat. qu. 187. art. 1. n. 338. & art. 4. n. 228.*

171 Dicitur igitur primò, quod de jure communi, jurisdictio conservatorum non extenditur de persona ad personam, aut de loco ad locum, ideòque neque extenditur ad servos, vel familiares illorum, pro quibus dantur conservatores, Moneta *de conserv. cap. 7. num. 535.* Ratio est, quia jurisdictio conservatorum, quippè quæ detrahit jurisdictioni ordinariæ Prælatorum est odiosa, ut tradunt Ancharanus hic *n. 3.* Butr. *n. 4.* Domin. *§. fin. n. 1.* & ex Lap. Franc. *n. 2.* Navarr. *consf. 3. n. 3. de off. deleg.* Rota *diversf. part. 3. lib. 2. decis. 171.* Vital. *Clem. 2. n. 40. de rescript.* & ibi Imol. *n. 30.* Moneta *cap. 3. q. ult.*

172 Ideò sequitur primò, quod conservator datus pro Capitulo, vel Collegio, vel universitate, si illius caput non sit de corpore, non censetur datus pro capite, & Prælato, secus si Prælatus sit corpori universitatis intrinsecus. Sicuti sunt Prælati Religionum, qui sunt de corpore Religionis, ut ex Felin. *in proœm. decret.* & Mandosa *de privil. ad instar. gloss. 5. & 9.* probat Rodriq. *tom. 3. quæst. 51. art. 8.* Sequitur secundò conservatorem datum pro Abbate, vel Religione non valere pro Commendatario. Sic enim privilegia concessa Abbati non convenire commendatario sentit Rodriq. *d. qu. 51. art. 9.* Sed quidquid sit de hoc; in puncto nostro valet consequentia deducta, quia privilegium conservatoris strictè interpretandum non se extendit ad commendatorem, qui in multis à vero Prælato distinguitur, ut videre est apud Gomez *sup. reg. de trienn. glos. 5. art. num. 22.* Moneta *de conserv. cap. 7. num. 551.* Sequitur tertiò, quod conservator datus pro communitate, seu corpore alicujus Collegii, Societatis, Conventus &c. non habet, ut sit conservator singulorum de communitate illa. Nam aliud est corpus, & aliud singulares personæ illius corporis divisim sumptæ, & ideò privilegium conservatoris dati pro corpore ad singulas personas non se extendit, Rodriquez *d. disput. 51. art. 10.* Moneta *d. cap. 7. num. 551.* Sequitur quartò, quod conservator si detur pro singulis, qui sunt de corpore comprehendit etiam Abbatem, nam & Abbas est Religiosus de corpore Monasterii, Rodriq. & Moneta citati. Sequitur etiam quintò, quod conservator datus pro Domino non se extendit ad servum, & familiarem, quantum ad ejus personales causas, seu injurias. Cùm enim, ut ex hoc text. *& cap. 1. sup.* habeatur, quod conservatores dantur pro personis aliquibus, ut vel illos, vel eosdem defendant, non potest fieri extensio de persona ad personam, ut conservatores nedum illos, pro quibus deputantur, sed etiam eorum servos, aut familiares defendere valeant.

173 Nihilominus dicitur secundò, quod ubi injuria, quæ fit servo, seu familiari, aut cuique redundat in dominum, seu principalem ipsum, & sit injuria manifesta, conservator domini, seu principalis potest de ea cognoscere, & tam dominum, quàm servum à manifesta injuria defendere. Quia in hoc agitur de defendendo domino ipso, seu principali ab injuria. Sic enim & injuria facta uxori, sponsæ, filio, aut filiæ censetur facta marito, sponso, Patri sive proprio, sive sponsi, *l. 1. §. item, & §. sponsum, ff. de injur. Item, §. Pariter autem, institut. eod. tit.* Idem quoque de servis etiam liberis habetur *d. l. 1. §. Item avi per semetipsum, juncto §. Si quis, & §. item si liberum hominem, ff. de jud. & pariter, §. servis autem, & §. sed si libero homini, institut. eod. tit.* Non tamen omnis injuria facta servo, vel familiari redundat in dominum, etiam si sit atrox. Quando autem id eveniat tradunt DD. jura citata explicantes. Et tunc evenit, & sine dubio, quando causa injuriæ servi dominum respicit. Videatur Farinac. *part. 3. praxis quæst. 105. præcipuè inspect. 6.*

174 Ex quo colligitur, quod conservator Ecclesiæ alicujus poterit cognoscere de injuriis factis servo, vel servis ejusdem Ecclesiæ, quia juxta textum *in cap. Ecclesiarum servus 69. 12. quæst. 2. & in cap. 2. de for. compet.* injuria servis Ecclesiarum illata, ipsis Ecclesiis irrogari dignoscitur. Quamobrem cùm tunc ex juris præsumptione injuria illata servo censeatur illata Ecclesiæ, poterit conservator id cognoscere actione à servis, vel saltem ab Ecclesiis intentata. Quod amplius confirmatur ex *cap. auctoritate inf. de privil.* Ubi statuitur, quod exempti lites proprias suorum hominum liberorum, quæ videlicet tantùm ad ipsos homines pertinent, neq; ut actores, neq; ut defensores assumant. Ex hoc enim per locum à cõtrario sensu deducitur, quod exempti coram suis conservatoribus causas servorum suorum, quæ non sunt illorum propriæ, sed ipsos exemptos respiciunt, & tangunt, possunt & tamquam auctores, & tamquam defensores assumere. Et sic de jure communi Monasteria regularia possunt ex juris præsumptione injuriantes servos, ac familiares suos coram suis conservatoribus defendere, nisi aliundè probetur, & constet injuriam factam servis fuisse illorum propriam, & ad eos solos pertinuisse.

Dicitur tertiò, quod consuetudine, aut præscriptione 175 legitima potuit introduci, ut conservatores cognoscant nedum de injuriis manifestis dominorum, sed etiam familiarium, seu servorum, Moneta *de conservat. cap. 7. numer. 543.* & probatur ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* ubi admittens hanc consuetudinem eam limitat, & decernit, quod litteræ conservatoriarum, quibus familiares etiam tueri se solent, non valeant nisi pro duobus famulis, qui tamen sint dominorum commensales, seu eorum sumptibus vivant. Limitatur igitur hæc consuetudo, ut non prosit nisi pro duobus familiaribus, & quidem talibus, qui sint commensales. Sed quia in dicto decreto Concilium expressit non comprehendi Universitates generales, Collegia Doctorum, seu scholarium, Regularium loca, Hospitalia actu hospitalitatem servantia, & eorum personæ, in istis consuetudo si adsit, ut conservatorum jurisdictio se extendat ad familiares, se extendet ad omnes, juxta legitimæ consuetudinis amplitudinem, & vires.

Addit verò Moneta *de conservat. cap. 7. num. 543.* quod 176 de consensu partium jurisdictio conservatoris possit prorogari, & extendi ad familiares. Sed hoc majori indiget discussione.

His verò sic probatis de jure communi, videndum re- 177 manet quid dicendum sit de jure privilegiorum, Casarub. *in compend. privil. in v. Procuratores fratrum num. 13.* & Rodriq. *tom. 3. quæst. 39. art. 4.* Lezana *part. 2. cap. 10. numer. 66.* referunt privilegium Clem. VII. *in Bulla. Dum consideramus*, in qua statuit: *Ut in quibusvis causis, & rebus ipsos Syndicum, & Procuratores concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Judicibus conservatoribus domorum illarum, quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit de justitia respondere teneatur, &c.* Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna aliis judicibus commissariis, ne in præfatis causis se intromittere audeant. Sed Lezana putat privilegium hoc intelligendum esse solum de causis, quæ tangant Syndicos, & Procuratores non ut singulares personas, sed quatenus sunt Syndici, & Procuratores. Item addit videndum esse, an sit consuetudine abrogatum, quod & advertit Portell. *v. Syndicus minorum, n. 5.* Est tamen certum revocatum esse quantum ad extensionem causarum, cum modo, ut probatum est *art. 5. & 6. ex vi constitut. Gregorianæ, & declarat. S. Congreg. Concilii*, conservatores Regularium non possint ad eorumdem instantiam cognoscere nisi de manifestis injuriis. Certum quoque est hoc privilegium non esse revocatum respectu injuriarum, quæ fiunt Syndicis, aut Procuratoribus Minorum quatenus talibus, cùm privilegium sub hac ratione non contineat, nisi id, quod est de jure communi, ut probatum fuit. Solum igitur posset esse dubium, an sit revocatum quantum ad injurias personales Syndicorum, seu Procuratorum, sed quantum ad istas causas rationabiliter dicitur dictum privilegium numquam ad eas fuisse extensum, cùm id non fuerit expressum, & sub hac ratione illud privilegium valdè contrarietur juri communi, & strictè sit intelligendum. Cæterùm cùm privilegia Regularium sint redacta ad terminos constitutionis Greg. XV. & in ea nulla sit hujusmodi restrictio, & prohibitione conservatoris jurisdictio extendatur ad Procuratores, vel servos, non est unde dicatur hujusmodi privilegia esse magis in hoc restricta, quàm prius essent. Maximè quod nec à Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5.* exclusa est extensio jurisdictionis conservatoris ad familiares, licèt sit restricta ad duos, & ab hac restrictione tamen excepti sunt conservatores Regularium.

Aliud privilegium adducitur concessum Ordin. Prædica- 178 torum à Pio Quinto *in constitut. Ad hoc*, §. 14. quæ est in Bul-

Bullario Rom. addita sub *n.41.* in qoa expresse facultas conservatorum eatenditur ad Procuratores, ageotes, servos, & familiares Religiosoeum ejusdem Oedinis. Sed dicitur privilegium vigere, sed esse intelligendum juata terminos juris communis de injuriis familiarium, quæ tangunt Religiosos ipsos, juxta præsumpeionem juris fundatam *in cap. Ecclesiarum servos 69.12.q.2.& in cap.2.de foro compet.* In eodem verò privilegio exprimuntur etiam oblati; qui si sunt perfectè tales fruuotur pervilegiis Religionis, cui se obtulerunt, unde de istis dicendum eeit, quod subjecti sint conseevatorum jurisdictioni. Videei possunt, quæ de his dixi *tom.2.de stat.q.187.art.4.n.220.*

179 Post Concilium etiam Teidentinum Pius Quintus, & Geeg.XIII.in constit.1.§.2. eatendunt conservatorum jueisdictionem ad familiares Clericali chaeactere tameo insigoitos.

180 Quantum veeò ad secondam paetem quæstionis præmittendum est, quod cùm bic materia jueisdictionis sit injuria, alteeius causa potest esse connexa tepliciter causæ illius, pro quo conservatoe est deputatus, vel scilicet ex paete injuriam passi, quia simul cum eo, cujus Judex est conservatoe alter injuriam passus fuit, cujus eoonexionis exemplum habetur in scholati, cui fiat injuria, & simnl alteri existenti in sui societate, de quo Rebuff. *de privil.schol.privil.*106. *num.*1.*&* 5. & similia habentur exempla *in l.item cap. labentem, §.tenetur hoc edicto, ff. de injur. & §. appellare, & §. aliud est, & ex l.1. §.fin. eod.tit.* Secundò causa potest esse eonnexa ea parte injuriantis, si quis simol cum eo, contra quem impeteatus fuit conseevatoe injuriam iotulit impetranti, vel habet causam communem cùm eo, contra quem conservator datus fuit: ue si laicus cum Clerico in aliquem deliquerit. Tertiò modo causa est connexa, si emergat ex causa principali, pro qua deputatus fuit conservatoe.

181 Quod autem conservatoeis jurisdictio ad omnes hujusmodi causas conneaas eatendatur, voluit Moneta *de conservat.cap.7.quæst.11.num.552.& seqq.* Et quidem si aliquis socius scholaris simul cum scholati injuria affectus fuit, quod scholaris coosetvator possit noo scholaei, sed illo alteto agente de illa iojueia cognoscere voluit apud eumdem Monetam, Rebuff. *dict. privil.*106. *numer.*1. *&* 5. ad id allegans *l.si commodum fundum, ff. quemad. serv. amitt.* Et quod io similibus tertius, qui habet interesse in causa possit agere, latè declarat Covarruv. *pract. quæst. cap.*13. *& duobus sequent.* Sed probatue ab eo universaliter assertio, quia continentia causæ non debet dividi, ne absurdum sequatur, quod super uno eodemque puncto contratiæ aot saltem diversæ sententiæ proferantue, *cap.1. de sequestrat.* Et ideò causæ connexæ debent simul sub eodem Judice agitari, & propterea conservatoris jurisdictio ad connexas causas extenditur. Conneaio tamen debet esse talis, ut faciat caosam individuam. Quod quando contingat tradont Gloss. & DD. *in l.communi dividendo, ff. comm. divid.* & alii, qoos refert Covarruv. *pract.quæst.cap.*34.*num.*2. Quod veeò ut causa dicatur individua sufficiat incommoditas cognoscendi eam separaeim, & divisim sustinet idem Moneta *n.*558. Ubi probat, quod connexa censeatur causa, quæ incidenter advenie.

182 Vernm contrarium est asserendum. Nam ot ootat Panormitanus *d.cap.1.de sequestr.possess.num.*14. aliud est, quod causæ conoexæ debeant committi uni, oe contineotia causæ dividatur; aliod est, quod censeantue commissæ, si id in rescripto oon fuetie eapressum. Nam quantum ad hoc secundum, si aliqua caosa committatur simplicitee, ut si simpliciter committantoe causæ, quæ cootrovertuntur inter Titinm, & Sejnm, intelliguntue etiam commissæ causæ connexæ. Et hoc habetoe *ex d. cap.1.* & admittitue communiter. Vel ex causis connexis una tantùm eapresse committitur, & licèt non ponatue aliqua dictio *taxativa*, tamen una sola causa committitur in specie, alia conneaa non expressa, ut committitur causa possessionis oollo modo eapeessa causa proprietatis. Et hoc modo, quidquid aliqui pauci dixerint, communis sententia vult, quod commissio non se extendae ad causam connexam. Ita Glos. ibi, & Inooc. & Panoemit. *n.*15. & quamplures alii, quos refert, & sequitue Barbosa ibi, *num.*2. Nam teseripta sune stricti juris, *cap. Nonnulli, cap. Rodulphus, cap. significavit de rescript.* Nisi ergo in litteris conservatoriarum ponatue clausula aliqua, per quam conservatoris jurisdictio extendatur ad causas connexas, sed solum exprimatur, quod datue ad hoc, ut certam peesonam, vel personas, aot certum genus personaeuni defendat ab injuriis, vel molestiis, vel aut in possessione suarum eetum manuteneat, non potest conservatoe cognoscere de connexis, ut de injuria socio simul illata, aut de causa communi cum ea persona, contea quam est datus conservatoe, vel contea annexa, & emergeotia, & incidentia.

SUMMARIUM.

183 *Quæ de notorio dicuntur locum habent tam in civilibus, quàm in criminalibus.*
184 *Conservator non tenetur ad indaginem juris, cum procedat in notoriis.*
185 *Nec tenetur ad Ordinem juris summarium.*
186 *Etiam si jurasset se in omnibus velle servare ordinem juris.*
187 *Potest tamen illum servare de consensu partium.*
188 *Etiam in notoriis requiritur aliquis juris Ordo.*
189 *Non est necesse, quod præcedat libellus solemnis.*
190 *Requiritur aliqua petitio.*
191 *Nec est necessaria litis contestatio, vel juramentum calumniæ.*
192 *Aliquando non est necessaria citatio, & quando.* 193.194. 195.196.197.
198 *Quando sit necessaria citatio.*
199 *Factum quando notorium Judici.* 200.
201 *Notorium Judici non est probandum.*
202 *Notorium populo, sed non Judici est probandum.*
203 *Notorietas prius probanda.*
204 *Ad ordinandum judicium sufficit extrajudicialis probatio notoris.*
205 *Ad condemnandum est necessaria probatio concludens, & plena.*
206 *Testis an debeat scire quid sit notorium?* 207.
208 *Testes debent deponere de visu.*
Ad probandam notorietatem sufficit, quod deponant de præsentia testium. 208.
209 *Notorium probatur per duos testes.*
210 *Notorium est allegandum.*
211 *Sententia in processu notorii est, & non est aliquando necessaria.* 212.
213 *Quando in notorio est necessarius ordo juris, sufficit summarius.*
214 *In notorio datur aliquando, & non datur appellatio.* 215.
216 *A sententia interlocutoria super notorio datur appellatio.*
217 *Judex à quo post inhibitionem non potest sententiam exequi.*
218 *Conservator potest recusari.*

ARTICULUS X.

Quis ordo juris sit servandus à conservatore procedente in casu notorio.

Quæ de notorio dicuntur locum habeot tam in civilibus, quàm in crimioalibus, & sicut potest esse notorium delictum, ita potest esse notoeius contractus, & notoria parentela, *cap. Porro, & cap. significasti de divortiis.* Conservatoe verò licèt regulariter non procedat crimioaliter, tamen notorietas illius jurisdictionis est etiam criminalis, cùm sit injuria, seu injustitia, sed Judex sive criminaliter agat, sive civiliter in casu notorii eadem ferè servat, qoia in criminalibus proceditur ad instar civilium, ot notae Farin. *part.1. praxis quæst.21. num.1. ex l. absentem, ff. de pœn.* 183

Est autem in hoc peimò certum, qnod conservatoe procedens in casu ootorio, non tenetur ad indaginem judicialem, & ad formam jueis; quamvis ad paetium consensu secundùm formam juris judicare possit. Prima pars hujus assertionis habetur *ex hoc cap. & supra cap.1.* quia imò peohibetue conservator ne cognoscat de his, quæ requirunt judicialem indagioem, & juris formam. Et ita docet hìc, *& d.cap.1.* Gloss. Monac. Jo. Andr. Aechid. Anchar. Butr. Lapus, Domin. & Franc. Quod enim in notoriis non sit necesse servare formam juris habetur *cap. pervenit, de test. & cap. Ad nostram, il 3. de jurejurand. cap. consuluit, de appell.* 184

cap.

cap. Bone il 2. de elect. cap. manifesta de pœnit. & remiss. cap. super eo, de test. cog. cap. olim il 1. de restit. spol. cap. manifesta, cap. scelus, cap. quæ lotharius 2. q. 1. & communiter DD. quorum plures referunt, & sequuntur Farin. in prax. part. 1. qu. 21. num. 60. & Moneta de conserv. cap. 8. n. 2. Cùm verò idem Farin. n. 61. existimet, quod hoc locum habeat solum in criminalibus, quia in civilibus notorium non excusat à modo agendi non servato ordine juris, quia in talibus Judex non supplet principaliter agendo. Meritò rejicitur à Moneta, quia textus citati indistinctè loquuntur, & absolutè, & jura, quæ in oppositum adducuntur non significant, nisi quod aliqualis juris ordo servandus sit etiam in notoriis. Sed in casu nostro res est certissima, cùm jura velint, conservatorem non se intromittere in illis, quæ judicialem indaginem requirunt.

185 Imò nec est necesse, ut servet illum ordinis juris, quem servare debent procedentes summariè, & de plano, ut ex citatis juribus constat, & docent DD. ibid. unde d. cap. super eo, de test. cogend. simpliciter dicitur, quod in notoriis non est necesse servare ordinem judicialem. Quem tamen licèt non plenissimum servare debet, qui procedit summariè, Clem. sæpè, de verb. signif. Moneta d. cap. 8. n. 5.

186 Cæterùm etiam si quis jurasset in judicando se semper servaturum ordinem juris, non teneretur eum servare in casu notorii, Moneta d. c. 8. n. 4. & nisi aliud expressisset, vel extendisset, ejus juramentum intelligeretur in omni casu, in quo juris ordo est servandus. Quia imò potius contra Canonicas Sanctiones est in notoriis ordinem juris servare, & plures casus dari possunt, in quibus nec potest servari, cap. Ad nostram il 3. de jurejur.

187 Cùm verò in juribus citatis solùm contineatur, quod non sit necesse in notoriis servare ordinem juris, poterit conservator illum servare, de consensu tamen partium. Hic enim necessariò requiritur, quia, si servetur ordo juris, imponitur actori rigorosa necessitas probandi, à qua est liber in casu notorii; lis quoque diuturnius durat, & fit magis dispendiosa, & incommoda, quibus incommodis non potest Judex sua voluntate gravare partes. Ideò si eis invitis vellet procedere ordine juris servato, partes appellare possent, Butr. cap. Vestra de cohab. Cler. & de notor. art. 4. nu. 27. Gloss. d. cap. 8. num. 6. & d. c. Ad nostram, il 3. in v. requirit, de jurejur. Moneta d. c. 8. n. 6.

188 Secundò habetur pro certo, quod etiam in notoriis aliqualis ordo juris est servandus. Sic enim d. cap. Ad nostram, dicitur, quod in notoriis non est servandus ordo juris, qui debet in aliis observari, & infrà: Quam (scilicet juris subtilitatem) in his non servari per omnia ipsa juris ratio postulat. Et infrà: Ut in præmissis non per omnia ordo judiciarius observetur. Licèt igitur non per omnia, secundùm aliqua tamen, quæ omninò sunt de substantia judicii juris forma servari debet. Et ita suprà cap. 1. & in hoc cap. fin. docent DD. communiter.

189 His ergo suppositis, descendendo ad actus judiciales, dicitur primò, quod ad hoc, ut conservator procedat non est necesse, quod præcedat formalis libellus & solemnis etiam in civilibus, qualis describitur cap. 1. de libelli oblat. Quia in notoriis hic libellus non est necessarius, Farinac. d. qu. 21. num. 64. post Captam in tract. de notor. 4. mem. num. 31. & seq. Moneta d. cap. 8. num. 9. Quamvis verò in criminalibus, vel etiam in civilibus si contingat casus, quod Judex possit procedere ex officio, nemine requirente, & instante, sicuti in notoriis potest procedere criminaliter, non sit necessarius vel aliquid loco libelli, nec aliqua petitio, aut instantia alicujus, sed judex procedens ex officio in notorio procedat nullo præcedente libello, vel accusatione, vel denuntiatione, vel instantia, vel petitione, l. ea quidem, C. de accus. l. 2. §. si publico, ff. de adult. l. congruit, ff. de off. Præs. cap. tua nos, de cohab. Cler. cap. Ad nostram, il 3. de jurejur. Butr. de notor. art. 4. in princ. Benedictus Capra de notor. 4. mem. num. 4. & num. 31. & sequent. quia famosum delictum, & multò magis notorium dat facultatem Judici procedendi ex officio sine accusatore, cap. qualiter, il 2. & cap. cum oporteat, de accusat. & cap. licet Heli, & cap. per tuas, de sim. & cap. Omnipotens 2. q. 1. quod Farin. num. 63. extendit etiam ad notorium juris.

190 Nihilominus quia in civilibus Judex regulariter non procedit ex officio sine instantia, nec de facto supplet, sed tantùm de jure, l. un. Cod. ut quæ des. advocat. & l. 4. §. Hoc autem, ff. de damn. infect. cum ibi notat. Conservator verò, ut probatum est artic. 6. non procedit criminaliter, sed civiliter, ideò regulariter non procedit sine aliquo libello, seu petitione, requisitione, & instantia. Ideò in regularium privilegiis continetur, ut conservatores requisiti justitiam faciant. Et licèt Confet. in summar. privil. mend. tract. 4. cap. 3. existimet, quod ubi violentia facta alicui monasterio sit notoria, ille possit procedere per viam inquisitionis, & hoc non debeat intelligi quasi possit inquirere ad communem vindictam, sed solum incidenter ad causam civilem, ut notat Moneta dict. cap. 8. numer. 11. Tamen cùm injuria illata possit condonari à parte, & remitti, quod si fiat, non est opus officio conservatoris, ideò civilis inquisitio aliquam petitionem partis supponit, saltem virtualem, vel præsumptam, & sive hæc fiat in scriptis, sive in verbis, Clem. sæpè, §. verum, de verborum significat. Unde in hac petitione neque est necessaria conclusio, quæ requiritur in libello solemni, sed sufficit, quod ex facti narratione conclusio deprehendatur. Sic quoque conversio ordinis in formâ conclusionis poterit tolerari, ut si petatur cogi, & condemnari, vel simpliciter cogi, ut de causa summaria tradit Papien. in praxi in format. libelli v. summariè numer. 4. & ibi add. litt. A, Et cùm ad mensuram libelli, & petitionis declaranda sit sententia, cap. 2. de ord. cognit. cap. licèt Heli, de simon. d. Clem. sæpè, §. verum, tamen in notoriis hoc intelligitur de conformitate secundùm substantiam; nam quantum ad accidentalia benè sententia poterit esse non conformis petitioni, prout de causa summaria ex Mansuer. add. ad Papien. d. v. summariè, Paris. cons. 113. l. 1. tradit Moneta d. c. 8. n. 13.

Dicitur secundò, quod conservatore procedente in notorio casu non est necessaria litis contestatio, aut juramentum calumniæ, aut alia ordinatoria judicii. Ista enim, quæ necessaria sunt ad investigandam veritatem, illa notoriè constante, necessaria non remanent. Et licèt v. g. juramentum calumniæ ortum habeat à jure naturali, quod est immutabile, formaliter tamen sumptum de jure positivo, & est quædam juris solemnitas, quæ in casu notorii necessaria minimè est. Ideò in notorio facti hujusmodi ordinatoria judicii necessaria non sunt, Panormitan. in cap. Quoniam frequenter num. 3. ut lit. non contest. Menoch. de recuper. poss. remed. 14. numer. 158. Farinac. dict. quæst. 21. numer. 65. Butr. de notor. art. 4. num. 13. Moneta dict. cap. 8. num. 17. ubi num. 18. quod idem dicendum sit de juramento malitiæ, aut de juramento veritatis, quamvis omnia ista juramenta dicat esse necessaria in casu, in quo factum notorium probandum esset non tantum quantum ad qualitatem notorietatis, sed quantum ad sui existentiam. Quantum verò ad notorium juris, ut videatur quando sint necessaria, vel non necessaria juramentum calumniæ, & ordinatoria judicii considerandum est quodnam notorium sit illud, in quo versamur, & videndi sunt Butr. de notor. art. 4. & Benedictus Capra de notor. mem. 4. num. 42. & seqq. Moneta d. cap. 8. à n. 21. 191

Dicitur tertiò conservatorem procedentem in notorio teneri aliquando, & aliquando non teneri citare reum, sed posse sine citatione ad sententiam devenire, & sic veræ sunt, & in diversis casibus concordantur oppositæ DD. sententiæ. Nam primò non est necessaria citatio, ubi sit prorsus certum, & notorium, quod reus non potest se defendere. Frustra enim citatur, qui citatus nihil habet opponere, quod sit relevans, cap. Cum sit Romana, & cap. consuluit, de appellat. Panormit. cap. ex insinuat. in fin. eod. tit. & communiter DD. in cap. 1. de causa possess. Menoch. de arbit. l. 1. q. 17. num. 15. Farinac. d. quæst. 21. numer. 70. Moneta d. cap. 8. num. 23. 192

Secundò non est necessaria citatio, quando reus notoriè delinquit coram Judice, quia tunc nec habet quod opponat, ut se defendat, Archid. suprà cap. 1. hoc tit. Butr. dict. art. 4. num. 13. Capra d. mem. 4. num. 27. dummodò tamen Judex incontinenti judicet. Addit verò ex Butr. Moneta, dummodò præcedat monitio loco citationis. Sed hæc monitio potest quidem valere, ne delinquens consumet delictum, vel in eo contumaciter persistat, sed non est necessaria ad hoc, ut justè puniatur, si coram Judice inexcusabiliter delinquit. 193

Tertiò dicitur non necessaria citatio, si Judex præsente reo, se informavit de notorio, ut tunc non sit necessaria alia citatio, ex quo jam cessant ejus defensiones, & quia 194

ex

ex quo abest à judicio contumax est, & latitare videtur. Ita post Butr. *d. art.4. num.15.* & post Capram *d. membr.4. num.25.* Moneta *d. cap.8. numer.25.* Quod tamen per se verum non videtur. Quia imò citatio ad sententiam indistinctè est necessaria, Farinac. *d. cap.21. num.69.* Et potest esse, quod reus absit à judicio, quia expectat citari. Et prætereà licèt Judex præsente reo se informaverit de notorio, potest esse, quod informatio non fuerit adeò plena, ut excludat omnem defensionem, & oppositionem probabilem.

195 Quartò non est necessaria citatio in processu, quem ex abundanti facit Judex assumendo probationes in notorio; hoc enim procedit generaliter in judice super notorio procedenti, *cap. bonæ il 1. de elect.* But. *d. art.4. numer.15.* Cap. *d. memb.4. n.28.* Moneta *d. cap.8. n.26.*

196 Quintò non est necessaria citatio in notorio, si periculum sit in mora, & scandalum grave oriri possit, & timeatur, Innoc. *in cap. tua nos*, & ibi Hostien. *de cohab. Cler.* Joan. Andr. *in cap. Vestra, eod. tit.* Capra *d. memb.4. num.28.* Butr. *d. art.4. num.15.* Moneta *num.27.* Farinac. *d. quæst.21. num.73.* qui tamen *n.145.* non illum omninò admittit casum, quia potest esse, quod damnet innocentem, quod nec ad vitandum scandalum fieri debet. Unde monet Farinac. quod Judex in tali casu considerare deberet multum, quid sibi liceret, & facere deberet.

197 Sextò in notorio non est necessaria citatio, quando conservator se informat extrajudicialiter de qualitate notorietatis. Ita Innoc. *in cap. Bona il 1. super verbo testes, & verbo notorius de elect.* Butr. *d. art.4. numer.14.* Capr. *d. memb.4. num.22. & 63.* & alii quos sequuntur Farinac. *d. quæst.21. num.96. & 10.* Moneta *d. cap.8. numer. 28.* sed de hoc dicetur infrà, ubi de probatione notorii erit sermo.

198 Cæterùm ubi vel certum sit, vel dubium an notoriè delinquenti, seu reo notorio competere possint aliquæ defensiones, necessaria est citatio, & reo sive convicto, sive confesso dari debet terminus ad se defendendum. Sic enim sicut contra delinquentem repertum in fragranti proceditur non servato ordine juris, nihilominus, si ille neget delictum, & per testes prætendatur convictus debentur ei defensiones. Quæ ei debentur etiam si confessus sit delictum, nam si adhuc potest habere aliquam excusationem, & defensionem, debet ei dari terminus ad se defendendum: quod semper verificatur, quando reus aliquid opponit, quod probatum relevat. Ita & in notorio servari debet, & reus citandus est, & ei assignandus defensionum terminus, de quibus videatur Farinac. *d. quæst.21. à num.141.* Et hæc vera sunt, sive factum sit notorium juris, sive facti, & ita quod processus aliter factus est nullus, & præcipuè quando agitur contra absentem, & maximè & indistinctè necessaria est citatio ad sententiam juxta doctrinam Butr. *d. art.4. numer.17.* & Capræ *d. memb.4. num.19.* quos sequitur Moneta *d. cap.8. num.29.* Et quamvis etiam ubi agitur de ferenda censura excommunicationis tunc omissio citationis non vitiet sententiam, Innoc. *in cap.1. sup. hoc tit. num. 3.* Butr. *d. art.4. num.17.* Capra *d. memb.4. numer.20. & 30.* Tunc tamen necessario præmittitur monitio, *cap. sacro, de sent. excomm.* Monitio verò fit, si præsenti Judex mandat, ut compareat, vel aliquid aliud faciat, vel absenti aliquid præcipitur citra comparitionem in judicio. Citatio verò fit, quando absenti mandatur à judice, ut in judicium veniat, Moneta *d. cap.8. n.31.*

199 Dicitur quartò coram conservatore probari, & non probari debere factum notorium. Nam factum notorium, vel est notorium conservatori ut Judici, vel licèt sit notorium Populo non est tamen notorium conservatori ut Judici. Priori modo factum potest esse notorium conservatori dupliciter. Primò, quia sit factum simul coram populo, & coram judice sedente pro tribunali, vel existente in actu exercendi jurisdictionem, licèt non sedeat pro tribunali, ut in exemplo Archid. *suprà cap.1. numer.3.* & Butr. *d. art.4. num.15.* & si conservator occurrens depredantibus loca alicujus monasterii, cujus est conservator illis sua auctoritate resistat, & se ponens in actu judicandi moneat, præcipiat, ut abstineant, illique contemnant. Non sufficit verò quod aliquid fiat coram persona judicis, si simul non adsint tot testes, quot sunt necessarii ad notorium. Nec sufficit præsentia privata conservatoris, si non se ponat in actu judicandi, quia aliter factum esset notorium judici tamquam uni de populo, non verò ut judici. Sufficit verò quod præsentes sint decem sive viri, sive mulieres, & sive illi sint innocentes, sive complices in delicto, ita quod factum erit notorium & populo, & judici si coram Judice duodecim depredentur alicujus loci bona, unusquisque enim illorum depredantium est reus, & testis. Neque enim ad notorium necesse est, quod præsentes sint testes omni exceptiones majores. Sic ergo aliquid erit notorium judici, si coram populo, & eo existente in actu judicandi actu illud fiat, Butr. *d. art.4. num.35.* Capra *d. mem. 4. n.35.* Scacc. *de jud. cap.76. n.8.* Boss. *in pract. crim. tit. de denuntiat. n.5.*

Secundò modo factum erit notorium Judici, si reus illud confiteatur judicialiter coram judice, seu conservatore, & non refert, quod reus neget factum esse notorium, quia confessione sua fit notorium judici notorietate juris, quæ ex judiciali confessione resultat Innoc. *sup. cap.1. hoc tit.* ubi Gloss. Joan. Andreas, & cæteri, Silvest. *ver. Conservator numer.3.* Tabien. *numer.2.* Moneta *de conserv. cap. 8. numer.65.* Barbosa *de off. Episc. alleg.106. numer.21.* Tamburin. *tom.3. disput.17. quæst.2. numer.17.* Quod si reus, qui fatetur factum, alleget aliquid pro se ad facti excusationem, illud quidem probandum erit, sed factum habendum erit pro notorio. 200

In istis igitur casibus, in quibus factum est notorium judici, factum non est probandum, & tunc vera est regula illa generalis, quod notoriam non sit probandum, quia de se sit probatio probata, & non sit de eo disputare, sed disputatum esse, & quod termini notorii conscientiam Judicis non fallunt, nec fallere possunt, Specul. *de not. crim. §. jam de notorio.* Non ergo probandum est, *cap. Tua nos*, ubi Innoc. *num.2. de cohab. Cler. cap.3. de testib. cog. cap. Evidentia de accusat. l. emptorem in princ. & §.1.* & DD. communiter. 201

Sed si factum sit quidem notorium populo, sed non sit notorium conservatori, seu Judici, probandum est, sive sit notorium juris, sive sit notorium facti, & sive facti momentanei, vel successivi, sive permanentis, Farinac. *d. quæst.21. num.88.* primò asserit notorium facti permanentis probatione non indigere. Sed ibidem *num.91.* asserit, quod notorium extra locum judicii, etiam si sit facti permanentis probari debet. Et verè sic est, & non est discrimen in hoc inter notoria; nam nec notorium facti momentanei si sit notorium in judicio probari debet: è contra verò etiam notorium facti permanentis debet probari, si non est notorium in judicio, *cap. pudenda 24. quæst.1. cap. eorum, qui accusantur 2. q.3. cap. præsentium 17. qu.4.* Specul. *de not. crimin. in rubr. n.10.* Mascard. *de probat. concl.1103. n.27.* Gloss. *cap. Ad nostram, il 3. de jurejur. v. observand.* Moneta *de conserv. c.8. n.58.* 202

Ideò est in proposito nostro regula generalis, & communis est, quod Judex, qui non potest cognoscere nisi de casu notorio, vel qui vult uti facultate non obligante ad ordinem juris, ex eo quod procedat in casu notorio, statim ab initio, ex quo ab eo petitur, ut procedat, antequam ad actum aliquem judicandi accedat, debet probare casum esse notorium; quia qui non habet jurisdictionem nisi sub aliqua qualitate, prius debet illam qualitatem probare. Et ita conservator prius debet probare qualitatem notorii, Butr. *de notor. art.4. num.40.* Innoc. *sup. cap.1. in hoc tit.* & Gloss. *in v. conservatores*, Moneta *num.4. & 5.* Anchar. *num.5.* Franc. *n.4.* & cæteri DD. Silvest. *v. conservator n.3.* & quamplures alii, quos referunt, & sequuntur Mascard. Farinac. *d. q.21. n.88.* Moneta *d. c.8. n.66.* 203

Cùm verò valdè controvertant DD. qualiter probandum sit notorium, & per quot testes, & qua juris forma, omissis opinionum differentiis distingui debet probatio vel ad effectum, ut conservator possit ordinare judicium, vel ut possit causam diffinire. Nam ad effectum ordinandi judicium sufficit extrajudicialis informatio Judicis, etiam habita in camera sine citatione rei, ut tradiderunt *cap.1. sup. hoc tit.* Gloss. Domin. *num.6.* Franc. *num.4.* Panormitan. *cons.100. num.3. l.1.* Tuscus *v. Conservator numer.4.* Silvest. *num.3.* Butr. *de not. art.4. numer.36.* Capra *de notor. memb.4. num.58.* Farinac. *d. quæst.21. num.98.* & plures referens *num. 100.* Mascard. *de probat. conclus.1103. num.13.* Moneta *de conservat. cap.8. num.69.* Barbosa *d. alleg.106. num.20.* Fermos. *cap. Si Clericus, de for. compet. quæst.12. num.33.* Imò Domin. *d. num.6. in fin.* vult, quod conservator ubi sit dubium de qua- 204

qualitate notorii non possit se informare, ut Judex procedendo servato ordine juris, quia non habet facultatem procedendi juridicè super casu dubio. Sed aliter sentiunt alii DD. admittentes quidem conservatorem non posse procedere, si factum principale sit dubium, non tamen si sit dubia aliqua ejus qualitas, aut circumstantia; & præcipuè an factum sit notorium, quia ejus est videre, & inquirere an sua sit jurisdictio, juxta reg. textus *in l.2. ff. de jurisdict. omn. gent. & cap. Præterea, de off. deleg.* & ideò sibi competit judicialis indago, per quam inquiritur, & probatur, an factum sit notorium, & ex consequenti suæ jurisdictionis sit de illo cognoscere, Ancharanus *sup. cap.1. numer.5.* Butr. *num.8.* Domin. *num.7.* Franc. *num.4.* Barbosa *d. alleg.106. num.20.* Silvest. *v. conservat. num.3.* Moneta *d. cap.8. n.155.*

205 Sed ad effectum terminandi causam per sententiam notorium debet probari concludenter & plenè, Panormitanus *cap. vestra ad fin. de cohabit. Cler.* Mascardus *d. concl.1103. num.9.* Farinac. *d. quæst.21. numer.95. & sequent.* Et in hoc Judex potest cogere testes, ut ex Imola docet Domin. *sup. cap.1. num.7.* Addit verò Farinac. *num.99.* quod tenetur ordinem juris servare, scilicet per testes juratos, & citata parte examinatos, quod est de mente Innoc. *cap. Bona il 1. de elect.* quem refert, & sequitur Speculator. *de not. crim. §. fin. num.20.* Subdit verò Farinac. *num.102.* quod isti testes debent reddere concludentem rationem sui dicti, etiam non interrogati, cùm multa sint, quæ dicuntur notoria, & non sunt; & quotidie de notorio loquamur, & quid sit notorium ignoremus, cùm notorium non facilè sensu corporis comprehendatur.

206 Ampliat quoque hoc *num.104.* dicens ad probandum notorium necesse esse, quod testis sciat, quid sit notorium. Et hoc idem ex Imola, Domin. & Joan. Andr. docuit Felin. *cap. Cum contingat de rescript.* Quod si testis interrogatus quid sit notorium vel dicat se nescire, vel malè respondeat, non probat. Si verò benè definiat notorium, & interrogatus rursus respondeat se definitionem didicisse à producente, vel Advocato, maximè post litis contestationem, præsumitur subornatus secundùm Specul. *de not. crim. §. fin. v. etsi testes, num.16.* Ubi alias interrogationes ponit, quas etiam recenset Farinac. quæ necessariæ non sunt, & nimis subtiles. Propterea addit Farinac. quod si testis imperitus licèt non definiat notorium per verba jurisperitorum, sed grosso modo, & per verba facti appareat, quod ipse non ignorat naturam, & proprietates notorii, benè probat notorium. Sed quæso demus casum, quod testis examinatus, & interrogatus quid sit notorium, respondeat se nescire, & omninò nesciat quidditativè respondere, deponat tamen v. g. se vidisse Cajum in platea plena populo omnibus præsentibus, & videntibus occidisse Sejum; numquid non iste probaret notoreitatem homicidii sufficientissimè, licèt nesciret, quid sit notorium? Et numquid si conservatori constaret, quod Titius in platea toto spectante populo injuriam fecit Sergio, cujus est conservator, non posset ad instantiam Sergii procedere, ex eo quia nullus ex præsentibus scit quid sit notorium, vel injuriam illam esse notoriam?

207 Mihi igitur dicendum videtur, quod si testis simpliciter deponat de notorio non reddens sui dicti rationem ex parte rei, & facti, sed solum quia scit illud esse notorium, si nescit quid sit notorium non probat, quia non potest scire hoc esse notorium, nisi sciat quid sit notorium. Item si necesse sit, quod testis nedum deponat substantiam facti, & circumstantias ejus, quales in re fuerunt, sed etiam quatenus sunt in ratione, & significatione hujus nominis notorium, non probat quod factum sit notorium, nisi sciat quid significetur nomine notorii. Sed ad hoc, ut conservator possit procedere, sufficit quod factum sit notorium, & tale quod verè illi tribui possit diffinitio notorii. Diceret Philosophus, & Theologus, quod sufficit, quod sit notorium materialiter, & objectivè, & quod testis probet id, quòd materialiter & objectivè est, & à Jurisperitis dicitur notorium; sed non est necesse, quod ipse deponat de notorio formaliter, ideò nec est necesse, quod sciat, quid sit notorium, vel quod deponat, quod factum à se narratum sit notorium. Et dato quod deponat, & dicat factum nedum sic vel sic contigisse, sed esse id notorium, si reddendo rationem sui dicti, dicat sic esse quia factum fuit gestum in platea de die toto populo circumstante, probat quantum necesse est, etiam si nesciat quid sit notorium plenè. & perfectè, imò etiam si per possibile, vel impossibile nesciret omninò quid sit notorium. Ideò non procedit, quod dixit Speculator, & cum eo Farinac. scilicet quod hic quærenda est potius diffinitio; quàm diffinitum; quia imò habito diffinito, quod est res materialiter, & objectivè notoria, parum interest, quod non habeatur diffinitio.

Verum quidem est, quod testes deponentes de notorio 208
debent esse de visu rei notoriæ, & non sufficit, quod deponant famam esse, vel se audivisse, quod factum sit notorium, sed debent de visu deponere. Nisi simus in casu notorii antiqui facti, vel gesti in loco distanti, quia tunc sufficeret deponere de fama, & de auditu, *cap. veniens, de verb. signific. in hoc 6.* Butr. *de not. art.4. num.43. & 44.* Capra *d. memb.4. num.74.* Farinac. *d. quæst.21. num.106.* Imò valdè advertendum est, quod non est necesse, quod testes de visu deponant de facto, sed sufficit, quod deponant de præsentia tot testium, quot sufficiunt ad notorium. Et quamvis oppositum sentiat Mascardus *de probat. concl.1107. num.21.* Ex eo quia notorium duo requirit, scilicet existentiam facti, & ejus apparentiam, unde hæc duo debent constare ad hoc, ut constet de notorio. Tum quia non potest constare de qualitate, non constito de subjecto, quia non entis, nullæ sunt qualitates, non potest igitur constare de notorietate facti, nisi constet, & probetur factum notorium, unde Farinac. *numer.108.* oppositum & periculosum, & minus verum dicit, quamvis fateatur esse communem sententiam. Nihilominus concordando sententias dici posset, quod non potest probari notorietas de visu, nisi aliquo modo visum fuerit factum, scilicet in genere, & in confuso. Nam si quis deponat se audivisse explosionem sclopi factam, & vidisse eam fuisse factam præsentibus decem, vel quindecim, qui illam videre potuerunt, & non potest esse, quod non viderint, iste testis probabit præsentiam testium, & non probabit distinctè factum nisi indirectè. Sed melius dicitur, quod ad effectum ordinandi processum, seu procedendi in causa, sufficit quod probetur notorietas, licèt indirectè non probetur factum, nisi in confuso. Sed ad condemnandum necesse est, quod testis utrumque clarè, & distinctè probet, scilicet factum ipsum, & apparentiam illius, ut post Mil. & Mascardus tenet Farinac. Ideò ad hoc, ut aliquis tamquam notorius percussor Clerici vitandus esset, non sufficeret, quod hoc innotesceret ex eo, quod testes deponerent de auditu percussionem Clerici, quem non viderunt percuti, nec percussionis remansit signum, licèt propriis auribus audierint rumorem fieri in medio populi.

Notorium autem concludenter probari per duos testes 209
probatur *arg. text. in cap. In omni negotio, de test. & l. ubi numerus, ff. eod. tit.* Speculator *d. §. fin. num.20.* Butr. *tract. de not. art. 4. num.63.* Mascardus *de probat. conclus.1105. num.1.* Clar. *in pract. qu.8. num.6.* Capra *de not. memb.6. n.7.8. & 9.* Et quamplures alii, quos referunt, & sequuntur Farinac. *d. quæst.21. n.109.* Moneta *de conserv. cap.8. n.70.* Fermos. *cap. si Clericus, de for. comp. q.12. n.33.*

In casu etiam, quod notorium non sit probandum, debet 210
tamen allegari, quia non relevat ab onere proponendi, ut latè probant Gloss. *in Clem. appellanti de re jud.* Mascard. *conclus.1104.* Capra *memb.4. num.77.* Farinac. *d. quæst.21. n.111.* Moneta *de conserv. cap.8. num.72.* & apud istos alii plures: quod est verum etiam de notorio juris. Pars enim, quæ vult uti privilegio notorii, id proponere debet. Et in casu nostro, qui petit à conservatore, ut se defendat ab injuria, debet proponere injuriam ut manifestam, aliter conservator non potest procedere.

An verò in processu notorii sit necessaria sententia? Di- 211
citur quintò, quod ubi factum est notorium judici per evidentiam facti, nec juris Ordo, nec probationes, nec sententia scripta, vel verbo etiam prolata est necessaria, sed Judex exequendo de facto sententiat, & tunc neque est necessaria aliqua sententia declaratoria notorii, sed Judex præcipit exequi, quod justum est, nulla alia juridica sententia præmissa. Quod etiam est verum, ubi factum judici sit notorium per confessionem rei confitentis & factum, & notorietatem facti. Quod verò dicunt plures, quod etiam in notorio requiritur aliqualis sententia, licèt non solemnis, per hanc enim distinctionem Archid. Joan. Andr. Cald. & alii apud Farin. *n.115.* concordant sententias abso-

absolutè vel negantem, vel affirmantem necessariam esse sententiam in processu notorii, quia nihilominus sub nomine istius aliqualis sententiæ, intelligunt sufficere præceptum; & ex natura rei evidentissimum est necessarium esse, ut terminetur judicium, quod ad minus judex præcipiat quid agendum sit reo, & sic saltem executionem ordinet, aliter judicium non esset terminatum, & Judex muneri suo deficeret, melius dicitur absolutè quod in notorio non est necessaria sententia, ut si dicatur quod notorium habet vim sententiæ secundùm Gloss. *in l. Ictus fustium, ff. de his, qui notantur infam.* & quod sententia, & notorium æquiparantur, *cap.5. de Cler. conjug. l. Emptorem in princ. ff. de act. empt.* Quod approbarunt plures apud Farin. *num.*112. quia in notoriis executivum præceptum non supponit sententiam, sed loco sententiæ succedit, ut ex Capra *memb.4. n.*81. fatetur Farin. *d. quæst.*21. *n.*115. Ubi quod in criminalibus quando proceditur ex notorio juris loco sententiæ intimatur, cui & qualiter mittitur ad supplicium ex tali causa.

212 Difficultas est, ubi negatur notorium, & sic necesse est illud probare, ut procedatur per viam notorii. Tunc enim dicunt plures esse necessarium, quod Judex prius pronunciet declarando notorium, ita quod nullus sit processus, si id, non fiat, quod in Conservatore esse necessarium dixerunt Panorm. *cons.*100. *num.*3. *l.*1. Tusc. *v. conservat. num.*5. Monet. *de conserv. cap.*8. *num.*79. Barbosa *d. alleg.*106. *num.*18. Lezana *p.*2. *cap.*10. *num.*62. Tambur. *tom.*3. *disp.*17. *quæst.*2. *num.*19. Sed non desunt, qui negant hujus sententiæ declaratoriæ necessitatem, & asserunt eam interponi ad cautelam, & quod hæc opinio in plerisque locis frequentissimo omnium consensu recepta sit, testatur Covar. *in rep. cap. Alma mater, num.9. inf. de sent. excom.* Sed hanc sententiam intelligi debere dicunt Farin. *num.*116. & Moneta *num.*79. vel quando notorium est facti permanentis, vel quando per reum non negatur notorium. Sed hujusmodi concordia trahit quæstionem extra casum, qui est, quando negatur notorium, non verò quando reus fatetur notorium, vel res adeò est evidens, quod reus notorium negare non potest, & si neget, non indiget probationibus convinci, quia evidentia rei permanentis convincitur. Quando igitur reus persistit in negatione notorii, & non potest convinci ex evidentia facti, tunc est quæstio, an Judex debeat interloqui, & pronuntiare super notorietate? Et dicitur sine dubio tutius esse sic interloqui. Sed cùm jam constet plenè de notorio, & alias in notorio Judex non teneatur ad ordinem juris, non video quod processus judicandus sit nullus, ex hujus interlocutoriæ omissione.

213 Placet etiam advertere, quod ubi in processu notorii aliquis ordo juris sit servandus, sufficit servare illum, qui sufficit in processo, in quo proceditur summariè, & de plano, juxta *Clem. sæpe, de verb. signif.* Quia adhuc minus de ordine juris servari necesse est in notoriis, quàm in summariis, & quod licet in summariis, moltò magis licet in notoriis, ubi non sequitur grave aliquod præjudicium parti, Moneta *de conserv. num.*81. 82. *&* 84.

214 Dicitur 6. quod in notorio locum non habet appellatio cùm factum sit notorium, tam populo, quàm judici per evidentiam facti, quia in notoriis hujusmodi judicis pronuntiatio non est propriè sententia, sed quædam juris executio, Innoc. *in cap. ex parte, el 1. de verb. signif.* Dom. *sing.* 324. Dec. *in cap. Cum speciali, §. porro, de appell.* Nisi forsan Judex sententiet, & sententiando non exprimat, quod damnat reum tanquam de crimine notorio, sed simpliciter pronuntiet, in hoc enim casu reum posse appellare *arg. sumpto ex cap. Romana, §. si autem, infr. de appell.* probat multis citatis Farin. *d. qu.*21. *n.*126. vel nisi Judex excedat in pœna, quia ab excessu pœnæ dari potest appellatio.

215 Sed in notorio probationis, quando scilicet, licèt factum in re sit notorium, tamen reus notorietatem negavit, & sic notorietas est probata, sed eam reus negavit, tunc locum habet appellatio, quia tale notorium non est propriè, & strictè notorium judici, sed solùm per probationem, Lancell. *de attent. cap.*12. *limit.*9. *num.*22. ubi idem dicit de notorio per famam, Farin. *d. quæst.*21. *num.*125. Et quia quis potest excipere contra propriam confessionem, quod fuerit metu extorta &c. Ideò si reus appellet excipiendo contra confessionem suam, vel quocumque alio modo offuscando notorietatem, valida est appellatio, Gloss. *in cap. Romana, §. si autem in verb. mandetur, de appell.* & ibi Mon. *num.*13. Franc. *in cap. cum speciali, §. porro, n.*7. quos cum aliis sequi-

Passer. in Lib. I. Sexti Decret.

tur Farin. *d. quæst.*21. *n.*118. Qui tamen benè advertit debere in appellatione explicari causam notorietatem explicantem, eo quia universaliter quando appellatio est prohibita, & admittitur ex aliqua causa, necesse est, ut hæc causa exprimatur.

216 A sententia quoque interlocutoria, & declaratoria notorietatis appellatio dari potest, Speculat. *tit. de recus. vers. Hoc etiam nota.* Panorm. *cons.*100. *num.*3. *lib.*1. Lancell. *de attent. cap.*12. *lim.*9. *num.*13. ubi quod in hoc casu, si judex procedat ad executionem sententiæ erit non minus attentatum, quàm si essemus in alio casu appellabili, quia data appellatione regulariter sequitur effectus suspensionis, qui solet causare attentata. Et pariter si ante sententiam reus appellet à non admissione exceptionum, & excusabilium defensionum, quas reus proponit adversus notorium, appellatio admittenda est quantum ad omnem effectum, Farinac. *d. quæst.*21. *num.*128.

217 In casu verò appellationis, si Judex ad quem inhibuerit judici à quo, ne ad ulteriora procedat, non poterit suam sententiam exequi, cùm hoc sit commune in omni appellatione & casu, in quo appellatio est prohibita, ut Judex à quo non possit sententiam exequi post inhibitionem judicis ad quem, Lancell. *de attent. cap.*12. *lim.*1. *num.*101. *& lim.*50. *n.*128. *& seqq. n.*213. Inhibitio quoque sive justa, sive injusta timenda est, Rota *decis.*26. *alias* 307. *de appell.*

218 Dicitur septimò, quod Conservator non potest, & potest recusari. Non potest enim recusari in notorio judiciali, ubi pœna sit determinata, & non possit gravare. Sed ubi reus sibi potest timere gravamen, sicuti potest, ubi est necessaria probatio, vel ubi pœna non est taxata, sed arbitraria benè recusari potest, Archid. *in cap. quod suspecti* 3. *qu.*6. Butr. *in cap. proposuit de appell.* & ibi Panorm. *n.*5. Imol. *in fin.* Franc. *num.*4. Hostien. & Jo. Andr. *in cap. cùm spec. eod. tit.* Barbos. *de off. Episc. alleg.*106. *n.*32. Pasqual. ad Lauret. *n.*852. Lez. *p.*2. *c.*10. *n.*74. Tamb. *tom.*3. *d.*17. *quæst.*3. *n.*1. *&* 2. Farin. *d. quæst.*21. *num.*130. Fermos. *cap. si Clericus, de for. compet. quæst.*12. *num.*42.

SUMMARIUM.

219 *Delegatus Papæ potest exequi sententiam suam.*
220 *Delegatus Papæ etiam sub censuris potest præcipere Ordinario, ut suam sententiam exequi faciat.*
221 *Eadem potest Conservator.*
222 *Etiam cum Legato Papæ.*
223 *Delegatus solùm per annum potest sententiam exequi.*
Tempus debet accipi continuum, 223.
Quid in anno bissextili, 223.
224 *Quid in Conservatoribus,* 225.
226 *Qualiter Ordinarius sententiam Delegati injustam exequi debeat.*
227 *Potest Conservator brachium sæculare implorare.*
228 *Et compellere magistratum, ut illud præstet.*
229 *Quando opus habet, brachium sæculare implorare potest.*

ARTICULUS XI.

Utrum Conservator per se, & per alios possit exequi sententiam à se latam.

219 DElegatum Papæ posse per se ipsum exequi, seu mandare etiam sub censuris, quod sententia à se data executioni detur, habetur expressè *ex cap. quærenti* 26. *sup. de off. deleg.* Quod etiam continetur *in cap. significasti* 7. *& cap. si quando* 8. *& cap. In literis* 9. *eod. tit.* Cùm igitur Conservator sit delegatus Apostolicus, ut probatum est *art.*1. & quidem delegatus ad universitatem causarum, unde in multis æquivalet Ordinario, sequitur, quod ipse ubi protulit sententiam suam, non ita functus sit officio suo, quod non possit præcipere, & si opus est compellere partes ad hoc, ut exequantur sententiam à se latam, ut suprà *cap.*1. docent Innoc. circa finem, & ibid. Archid. Moneta *de conserv. cap.*8. *n.*244.

220 Delegato Apostolico pariter convenit, ut per alium, scilicet per Ordinarium possit sententiam suam exequi, quia scilicet potest illi mandare, ut per suos sententiam Delegati exequi faciat, ut v. g. quod in sua Diœcesi denuntiare faciat excommunicatum illum, contra quem Delegatus tulit sententiam excommunicationis. Et propterea Ordinarius tenetur in hoc Delegato obedire, prout habetur

ex cap. Cùm contingat, de rescript. & cap. Significasti 7. & cap. si quando 8. & cap. Pastoralis 28. §. quia verò, de off. Delegat. Unde est, quod Delagatus potest Ordinarium etiam censuris compellere ad executionem suarum sententiarum, ut tradunt Gloss. & Panorm. *num.2.* & alii *in d. cap. significasti,* & probatur expressè *ex cap. sane al 2. seu 11. & d. cap. Pastoralis 28. in princ. de off. Delegat.* Quamvis ut habetur *d. cap. Cùm contingat 24. de resc.* si contingat plures Delegatos contraria mandare possit literas illorum petere, ut se informet, an per literas posteriores derogetur prioribus, & sic cognoscat an potius posteriori, quàm prioris mandato obedire debeat, & in dubio si primum jam executioni dedit, an debeat exequi secundum, vel si nullum fuit exequutum, nulli obedire teneatur, donec per juris Arbitros concertatio de jurisdictione Delegatorum diffiniatur, & certum fiat, quodnam ex contrariis mandatis sit exequendum, ut habetur *cap. Pastoralis 14. de rescript.*

221 Ita hæc potest facere Conservator tanquam Papæ Delegatus, ut scilicet possit per Episcopum sententiam suam exequi, & cùm in hoc sit illi superior, *d. cap. sane 11. de rescrip.* potest illi mandare, illumque etiam per censuras compellere, ut sententiam suam exequi faciat. Quod constat manifestè *ex cap. 2. supr. in hoc lib. & tit. & ex Clem. un. vers. processus, de excess. Prælat.* Ubi tanquam gravamen illatum à Prælatis, Episcopis, & Superioribus ponitur, quod sententias latas à Conservatoribus pro exemptis publicari, seu executioni mandari à suis subditis non permittebant. In hoc tamen, quod est compellere Episcopos, debent conservatores observare modum statutum suprà *d. cap. 2. in hoc lib. & tit.* ut notatum est ibi, & præter DD. Scribentes ad illud cap. docuerunt Monera *de conserv. cap. 8. n. 245.* Fagnan. *d. cap. sane num. 15. 16. & 38. de off. Deleg.* Fermos. *cap. si Clericus, de for. comp. qu. 12. num. 24.*

222 Hoc verò extenditur etiam ad Legatos à latere. Quod tamen negat Hostien. *cap. Studuisti 2. suprà de off. Legati,* quia ibi textus dicit, quod Legatus sententiam Delegati poterit executioni mandare, non verò dicit, quod debebit. Sed Vincentius distinxit, & dixit, quod si Legatus sit Episcopus, Delegatus Papæ potest illi mandare, ut sententiam à se latam exequi faciat, non verò si non sit Episcopus. Sed alii cum Gloss. ibid. indistinctè asserunt, quod Papæ Delegatus potest etiam Legatum à latere compellere, ut sententiam à se latam faciat exequi, quia quantum ad hanc causam est major illo, & hanc sententiam de jure veriorem esse docet Panor. ibid. *n. 6.* licèt aliam judicet æquiorem. Quod verò *in d. cap. Studuisti,* dicitur Legatum posse confirmare sententiam delegati, non intelligitur de confirmatione authorizante, sed de approbatione facti, ut post Hostien. explicat ibi Panorm. *n. 4. & 5.* Sic ergo etiam conservator ut Papæ delegatus per Legatum à latere poterit suam sententiam exequi facere.

223 Limitata tamen in hoc est jurisdictio Delegati, ut non duret nisi ad annum, intra quem potest sententiam suam exequi, *d. cap. quærenti 26. de off. deleg.* Quem annum Panorm. *num. 2.* intelligit debere sumi continuum, & currentem à data sententia de momento in momentum etiam diebus feriatis, etiam dato impedimento; quia omne tempus debet intelligi continuum, nisi reperiatur contrarium, ut not. super *rubr. ff. de diverf. & temp. præscr. & in Clem. un. de in integ. restit.* Addit verò, quod hic annus etiam in anno bissextili non constat nisi 365. diebus: quod non credo, quia annus naturalis continuus mensuratur à die, & hora mensis alicujus usque ad diem, & horam ejusdem mensis, sed alterius anni. Intra hunc annum igitur Delegatus potest à se excommunicatum absolvere, vel servatis juris regulis sententiam suam revocare, vel si is, ad quem pertinet nolit sententiam suam exequi prout tenetur, vel facere, ut executioni detur, potest eum per juris remedia compellere: vel si missus in possessionem turbetur, potest eum intra dictum tempus tueri, & contradictores compellere, licèt ulterius causæ cognitionem non possit adhibere, cùm jurisdictio sibi remaneat ad exequendum.

224 Hoc modo etiam Conservatoris jurisdictio limitari videtur ad annum post latam sententiam. Nam & in Conservatore habere locum *cap.* illud *quærenti 26. de off. deleg.* dixerunt Innoc. & Archid. *sup. in hoc lib. & tit. cap. 1. in fin.* cùm etiam Conservator sit Papæ Delegatus. Hoc tamen non habere locum in eo Conservatore, qui sit datus, ut Judex Ordinarius, advertit Moneta *de conserv. cap. 8. n. 254.* quia is, ut Ordinarius poterit etiam ultra annum compellere ad suæ sententiæ executionem. Imò addit ex Neviz. *consil. 35. nu. 7.* & Panorm. *cap. pro illorum, num. 11. de præbend.* quod indistinctè Conservator post annum possit in illis casibus, in quibus potest Ordinarius exequi facere suas sententias: si non quia Conservator sit Delegatus ad universitatem causarum, quia in hoc non apparet in jure, vel DD. quod delegatus æquiparetur Ordinario, saltem quia in plerisque literæ conservatoriæ eximunt a jurisdictione Ordinarii. Et probabilius est asseri hoc de Conservatoribus Regularium, qui sunt exempti ab Ordinario, & habent Conservatorem loco Ordinarii judicis.

225 Sed ego existimo distinguendum esse inter Conservatores datos, & non datos ad universitatem causarum, nam *dict. cap. quærenti,* quantum ad limitationem illam ad annum, non potest habere locum in conservatore dato per modum Ordinarii ad universitatem causarum, nam cùm nolle exequi sententiam ad favorem unius latam, sit nova injuria, quæ illi infertur, Conservator datus universaliter ad defensam ab injuriis durante officio suo semper potest procedere, & ad executionem sententiarum suarum inobedientes compellere. Conservator igitur ad universitatem causarum, quia datur tanquam judex Ordinarius, non ligatur termino unius anni, sed etiam ultra annum potest suas sententias exequi facere: sed imò hoc convenit etiam Conservatori, qui sit datus ad pluralitatem causarum, qualem multi dicunt esse illum, v. g. qui datus est ad omnes controversias ortas, & orituras inter Titium, & Sejum, nam si Titius, v. g. nolit exequi sententiam latam à Conservatore ad favorem Seji, nova causa oritur ab eodem Conservatore cognoscenda. Unde ubicumque Delegatus, vel conservator datur pro causis, tam ortis, quàm orituris, non restringitur ejus jurisdictio ad annum post latam sententiam, quia negotio exequendi unam sententiam, est nova causa à tali Delegato cognoscenda. Unde *in d. cap. quærenti,* sermo est tantùm de Delegato dato ad certam aliquam, vel certas causas jam ortas non verò universaliter ad ortas, & orituras. Solùm est advertendum, quod ubi conservator detur ad certum tempus, quia eo tempore finito cessat ejus jurisdictio, ut dicitur infrà *art. 13.* tunc sententiam suam non poterit exequi, nisi intra annum.

226 Quod verò *in d. cap. Pastoralis 28. §. Quia verò,* dicitur, quod Ordinarius delegati sententiam etiam injustam exequi teneatur, explicatur à Panorm. *n. 2.* de illa, quæ in causa civili licèt sit injusta, ex parte pronuntiantis, de jure tamen tenet, & servari debet, non verò de illa, quæ sit contra Deum, & bonos mores.

227 Comparativè autem ad laicos magistratus loquendo, quod Judex Ecclesiasticus Ordinarius possit illorum brachium invocare constat præcipuè *ex cap. 1. & cap. Quoniam 14. de off. Ordin.* & ibid. tradunt DD. sed quod hoc idem possit facere Papæ delegatus habetur *ex cap. Tanta 18. de excess. Prælat. & infrà cap. ut officium, §. compescendi, de hæret.* Ubi hoc tradiderunt Dom. & Franc. Et insuper Innoc. Jo. Andr. Panorm. *n. 8.* & alii DD. *in cap. significasti 7. de off. deleg.* ubi Card. Panorm. Dec. & Bero. hanc sententiam communem dicunt, Covar. *pract. cap. 10. n. 1.* Probus ad Monac. *cap. periculoso, n. 16. inf. de stat. Reg.* Diaz. *cap. 153. n. 8.* Farin. *q. 97. crim. cas. 4. n. 86.* Confer. *in sum. privil. mend. tit. 4. cap. 3.* Silvest. *v. conserv. n. 3.* Moneta plures referens, *de conserv. cap. 8. n. 260.* Barb. *de off. Episc. alleg. 106. num. 28.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. qu. 2. n. 20.* Sic verò Judex Ecclesiasticus potest brachium sæculare implorare, quod magistratus sæculares potest ad concedendum auxilium imploratum compellere, 228
cap. 2. in fin. de malef. Gloss. *in cap. 1. v. publicum, de off. ordin.* Ubi Innoc. *n. 1.* Jo. Andr. *n. 10. & 16.* Hostien. *n. 8.* Bellam. *num. 3. & 4.* Butr. *n. 23.* Imol. *num. 15.* Zabar. *num. 4.* Anchar. *n. 5.* Panorm. *num. 11.* Lopez ad Diaz. *cap. 154. nu. 10.* Farin. *quæst. crim. 97. casu 4. num. 82.* plures referens. Cùm verò Ordinarius Ecclesiasticus non possit examinare an sententia lata ab Ecclesiastico Delegato sit justa, sed ejus sit illam exequi facere, etiam injustam, ut supradictum est, multò minus judex laicus sententiam Judicis Ecclesiastici poterit cum authoritate examinare, sed Judici petenti auxilium tenebitur obedire, nec poterit de injustitia sententiæ opponere, *ut d. cap. 1. de off. ord.* tradunt Innoc. Jo. Andr. *num. 9. & 10.* Bellam. *num. 4. in 4. oppos.* Butr. *num. 14.* Innoc. *n. 16.* Anchar. *num. 6.* Panorm. *num. 11.* Navar. *in cap. Cùm contingat 2. remed. num. 6. 7. & 8.* Farin. *dict. quæst. 97. casu 4. n. 87.* De hac tamen materia, & an judex laicus possit negare auxi-

auxilium, si sententia sit notoriè injusta, vel si sit nulla, vel data juris ordine non servato, vel in aliis casibus vide Farin. ubi suprà, & DD. quos ipse refert; nunc sufficiat advertisse, quod judex laicus conservatori petenti auxilium, vel ut judex ipse laicus sententiam exequi faciat, vel ut adjuvet ad hoc, ut conservator ipse eandem exequatur, tenetur auxilium imploratum concedere, & ad id præstandum, si neget, potest eum compellere Conservator per censuram excommunicationis.

229 Hìc quoque considerandum est, quod judex Ecclesiasticus adhoc, ut imploret brachium sæculare non est necesse, quod pro suæ sententiæ executione prius fecerit ex parte sua quidquid potuerit, & sic nec est necesse, quod præmiserit censuras contra reum, aut alios contradictores. Jura enim non dicunt, quod Judex Ecclesiasticus solùm implorent auxilium brachii sæcularis in subsidium, ut malè aliqui interpretantur, sed si opus fuerit, & ideò quotiescumque illi opus sit, Judex Ecclesiasticus sive ante, sive post sententiam, & in quacumque parte litis, & in quocumque tempore, cùm opus fuerit illud auxilium implorare potest, illudque sine præstolatione præstari debet, ut pluribus probant Farin. *dict. quæst.97. casu 4. num.98.* & Moneta *de conservat. n.268. & seqq.*

SUMMARIUM.

230 *Delegatus Papæ, & Conservator se defendere potest contra ipsum impedientes.*
231 *Sub juris prætextu impediri potest à pluribus.*
232 *Legatus non potest inhibere Conservatori.*
233 *Nec titulo appellationis.*
234 *Et qualiter nec titulo præventionis.*
235 *Et quod nec possit se intromittere, licèt conservator sit delegatus ad universitatem causarum.*
236 *Ex causa nova potest Legatus inhibere conservatori.*
237 *Et se intromittere potest, si conservator excedit formam mandati.*
238 *Et potest punire, si abutatur mandato, non tamen impedire.*
239 *Processus Legati esset validus parte non opponente.*
240 *Ordinarius non potest inhibere Ordinario, vel illum impedire.*
241 *Potest Ordinarius, ubi concurrunt plures Delegati eorum literas postulare, & videre.*
242 *Ordinarius supplet malitiam, & negligentiam Delegati.*
243 *Ordinarius potest resistere Delegato, si procedat in casu non comprehenso in suis literis.*
244 *Ubi sit dubium de competentia jurisdictionis, eligitur tertius Arbiter.*
245 *Ordinarius delinquentem conservatorem punit, si non sit exemptus.*
246 *Nec Delegatus potest conservatori inhibere.*
247 *Quando conservator possit alteri inhibere.*
248 *Quid servandum in competentia jurisdictionis.*
249 *Quæ observanda à Conservatore procedente per censuras.*
250 *Laici Judices non possunt impedire Conservatores.*

ARTICULUS XII.

Utrum Conservator possit ab aliquo Judice impediri, eique inhiberi ne ad ulteriora procedat.

230 IN suo officio impediri potest Conservator per vim, & violentiam facti, & de jure ex eo, quod Judex superior inhibeat illi, ne in causa procedat. Primò modo certum est, Conservatorem fraude aut vi non posse ab aliquo de facto impediri, ne procedat in causa sibi à Papa delegata, sicut nec impediri potest quicumque Papæ Delegatus, & si aliqui impediunt per ipsos Papæ Delegatos coerceri possunt; sic enim turbantes jurisdictionem alicujus judicis, ex hoc sunt sub illius jurisdictione, ut per illum puniri possint, etiam si Judex sit Delegatus. Et ita quod pœnæ turbatæ jurisdictionis teneatur non solùm is, qui actu turbavit, sed qui turbari mandavit, decernitur *cap.1. de off. Deleg.* & tradunt ibi Gloss. Abbas antiquus, & omnes Canonistæ, & prætetea Sanch. *de heret. cap.31. num.1.* Repertor. *Inquis. ver. impediens*, Lucerna *Inquis. eod. ver.* §.4. Flam. *de resig. lib.8. cap.7. n.161.* Menoch. *de arbit. casu* 438. *n.3.* Barbosa *ad d. cap.1. n.2.* Farin. *in praxi part.5. qu.114. n.61.* Videatur Farinac. latissimè quæstionem explicans *part.4. de crimine lesæ majest. quæst.114. inspect.2. per totam.*

Sub juris prætextu vero posset imaginari, quod Conservator possit impediri, vel à Legato à latere, vel ab Ordinario, vel ab alio Delegato, vel ab alio conservatore, vel à Judice sæculari. 231

Dicitur autem primò, quod nec Conservatori sicut nec cuilibet alio Papæ delegato Legatus à latere potest inhibere, ne in causa sibi commissa procedat, nisi habeat ad hoc speciale mandatum. Probatur hoc *ex cap.2. de off. Legati*, ubi hoc expressum est, & tenent ibi Gloss. Abb. antiq. Innoc. Hostien. Panorm. *num.2.* & alii DD. Barbosa *num.2.* & alii plures apud illum, Tuscus *v. Conservatores n.1.* Moneta *de conservat. cap.9. n.84.* Lezan. *p.2. cap.10. n.34.* Barbos. *de off. & potest. Episc. alleg.106. num.5.* Fermos. *cap. si Clericus, de for. comp. q.12. n.22.* Et quidem ex illa ratione, quod mandatum speciale deroget generali, ut etiam habetur *cap.1. & cap. Pastoralis, de rescript.* Secundò, quia quantum ad illam causam Delegatus Papæ specialis est major Legato, Gloss. *in d. cap. studuisti 2. de off. legat. in v. non potest*, & ibi Butr. *in 1. notab. & n.8.* Card. *in 4. & 5. notab.* Imol. *in 1. notab.* R. P. D. Fagnan. *n.3.* & Panorm. *num. fin.* Anchar. *cons.132. n.2.* Ruin. *cons.3. vol.4.* Mandos. *de signat. gratia, v. Conservatores dicuntur*, circa medium. Modò nec par pari, sic multò minus minor majori potest inhibere. Quamobrem non obstat, quod Legatus à latere in Provincia sibi demandata Vicesgerat Papæ. Nam mandatum Legati est generale, cui derogat speciale, sic disponente jure *in d. cap. studuisti*. Quamvis & delegatus Papæ vicesgerat Papæ in causa sibi commissa, *cap. sane, el 2. de off. deleg.* Unde & Conservatorem gerere vices Papæ dixerunt Anch. *d. cap.132. n.4.* Ruin. *cons.3. n.3. vol.4.* Neviz. *cons.35. n.9.* Moneta *de conserv. cap.9. n.85.* 232

Hinc est, quod neque per appellationem ad se interpositam potest Legatus sententiam Delegati, aut Conservatoris infringere, quia *in d. cap. Studuisti* mandatur, quod Legatus sententiam Delegati non possit quomodolibet irritare, Jo. Andr. *num.3.* Butr. *num.11.* Imol. *num.5.* Panorm. *n.3.* Anchar. *cons.132.* Ruin. *cons.3. num.2. l.4.* quia appellatio non est ad minorem. At verò Delegatus in causa sibi commissa est major Legato. 233

Extenditur verò supradicta assertio, ut Legatus in causa alteri delegata non possit se intromittere, etiam si Delegatus nondum incœperit in causa procedere, ut probat textus *in d. cap. Studuisti*, ibi *ante cognitionem*, & tradunt ibid. Innoc. Hostien. Jo. Andr. Bellam. Card. *in princ.* & ex eis R. P. D. Fagnan. *num.4.* Unde Legatus non potest inhibere Delegato sub prætextu præventionis, & quia ipse velit de causa cognoscere. Nisi Legatus prævenerit in causa receptionem literarum deputationis Delegati. Quod enim dixerunt Abb. antiq. *d. cap. Studuisti*, & Butr. *n.7.* Innoc. Hostien. & alii *cap. ad petitionem, de accus.* quod Legatus potest prævenire Delegatum, intelligitur si præveniat receptionem literarum Apostolicarum. Et sic ad hoc, ut præveniatur delegatus non sufficit, quod Legatus incipiat cognoscere causam antequam Delegatus citet, sed opus est, quod præveniat receptionem ipsam literarum Apostolicarum; posteà enim non potest amplius in causa delegata se intromittere, secundùm intellectum text. *in cap. Ut debitus, de appellat.* quem Goffredus dicit esse communem, & latè tuetur Panorm. ibi *num.4. & 22.* Marian. Socin. *in 6. not.* & in Gloss. 4. *in fin.* R. P. D. Fagnan. *d. cap. Studuisti num.12.* 234

Extenditur amplius, ut assertio verificetur etiam de delegato ad universitatem causarum, ut nec de hujusmodi causis possit Legatus se intromittere, Card. *d. cap. Studuisti in 1. oppos.* R. P. D. Fagnan. *n.9.* Speciale enim est statutum favore fidei datum *in cap. per hoc, infr. de heret.* ut in causis fidei concurrant simul Episcopus, & Inquisitor, ut notat Imol. *in d. cap. Per hoc.* Nihilominus generalem delegationem non præjudicare ordinariæ jurisdictioni voluit Anchar. *in d. cap. Studuisti in 3. not. per tex. in l.1. C. de off. Præfec.* ubi creatio novi officialis non derogat antiquo. Sed è contra quod Visitator specialis faciat cessare generalem, volunt Jacobus de Arc. *in l. quod in rerum*, §. *Si quis potest. ff. de leg.1.* Quod procedere in Prælato Regulari, dixit Panorm. *cap. Pastoralis, n.6.* & ibi Felin. *num.4. de off. ordin.* Rota *decis.8.* coram Greg. XV. & cùm textus *in d. cap. Studuisti* loquatur 235

absoluiè de Delegato Apostolico, & Delegatus ad universitatem causarum sit propriè Delegatus, de eo genere causarum, ad quod datur Delegatus specialis non se potere intromittere Legatus. Quod maximè est verum de conservatoribus, qui dantur ut defendant certum genus personarum à manifestis injuriis, & dantur privativè quoad alios, quales sunt Conservatores Regularium.

237 Secundus autem casus addi potest, sed aliqualiter extraneus, scilicet si Delegatus, aut Conservator abutatur sua jurisdictione. Oppositum hujus tenuit Bald. *d. cap. Studuisti num.3.* quia in materia jurisdictionis habens generale mandatum non potest eum prohibere, qui speciali mandato abutitur, quia quod specialiter est concessum uni, alteri est prohibitum, *arg. l. si martius, C. de Procur. l. cum Prætor, ff. de jud.* Præterea distincta sunt officia, ergo unus non potest se de alterius officio intromittere, *ut not. in l. quicumque, Cod. de excusat. & exact. lib.12.* & facit *cap. singulo 89. dist.* Sed è contra, si Conservator processerit contra formam mandati Apostolici, unde ejus processus sit nullus, quod Legatus possit de hac nullitate cognoscere colligitur *ex dict. cap. Studuisti*, ibi, *secundùm formam mandati nostri sententia fuerit promulgata*. Ex hoc enim per locum à contrario sensu, ut notat Butr. *in 4. not.* Imol. *num.3.* R. P. D. Fagnan. *num.14.* sequitur quod ubi Delegatus non procedit secundùm formam mandati, Legatus possit se intromittere. Et idem dicitur de omni alia nullitate, quia tunc idem est, ac si non sit sententia aliqua.

238 Idem verò dicitur si Delegatus delinquat in sui commissione; quamvis enim Ordinarius non possit cognoscere de injustitia sententiæ Delegati, & præcipuè ad finem, utrùm fecerit litem suam injustè judicando, & pariter, ut notat Jo. Andr. *cap. fin. de rescript.* non possit Ordinarius procedere contra delegatum in sua commissione delinquentem, tunc cùm ex hoc impediret processum, & jurisdictionem delegati. Et in his casibus vera sit sententia Federici de Senis *cons.* 115. Anchar. *in reper. cap. Postulasti in 6. opp. de for. compet.* Nihilominus extra illos casus Ordinarius potest cognoscere de delicto Delegati, illumque punire, ut ex Cyn. & Bald. *in l. qua in provincia, C. ubi de crimin. agi oporteat*, Gloss. ult. Butr. & Panorm. *in d. cap. fin. de rescript.* tradit R. P. D. Fagnan. *d. cap. Studuisti num.18.* & ibi Anchar. *num.3.* Bartholom. Bellenc. *in tract. de charit. subsid. quæst.91. n.3.* Quia tunc Delegatus ratione delicti fit subditus Ordinario, *cap. volentes 1. infr. de privil.* Sic enim Delegatus, qui excedit in exigendis immoderatis sportulis, punitur ab Ordinario, *§. volumus*, & ibi Ang. *in Authent. ut Iudices sine quoquo suffragio*. Quod multò magis procederet, si delictum esset notorium.

239 Si tamen Legatus in causa commissa Delegato procederet, si non exciperetur, & opponeretur declinatoria fori, ante litis contestationem, quod processus esset validus, ex Anchar. *in 1. not. dict. cap. studuisti*, tenet R. P. D. Fagnan. *ibid. num.13.*

240 Dicitur secundò, quod multò minus Ordinarius potest impedire processum Delegati, seu Conservatoris, vel illi inhibere, vel sententiam ejus infirmare, vel de causa ei commissa se intromittere, Anchar. *consil.132.* R. P. D. Fagnan. *d. cap. studuisti n.19.* Mandos. *de inhibit. quæst.5. n.1. & 2.* & de signatura gratiæ *in v. Conservatoria*, Moneta *de conserv. cap.9. num.86.* Barbosa *de off. & pot. Episc. alleg.106. num.5.* Lezana *p.2. cap.10. n.34.* Hoc verò probatur, quia Delegatus Papæ Episcopum, si fuerit rebellis, & contumax poterit etiam censuris punire, *cap. sane el 2. seu 11. de off. Deleg.* R. P. D. Fagnan. ibi. *num.2. & 15.* & de Conservatore supponitur suprà *cap.2. in hoc lib. & ne.* Nam & plus est esse Conservatorem, quàm simplicem Papæ Delegatum, ut post Gloss. *in cap. Statutum 11. verb. Canonicis, sup. de rescrip. in hoc lib.* & Gomes. ibi *num.88.* advertit Moneta *d. cap.9. num.86.* Tum secundò, quia ex *cap. si quando 8. de off. deleg.* non debet Ordinarius resistere mandatis Delegati Apostolici, sed solùm apud ipsum instare, scilicet precibus, ut Gloss. adnotavit *in v. resistere*. Tum tertiò *ex cap. Pastoralis 28. §. Quia verò, de off. deleg.* in quo decernitur, quod Ordinarius Delegato mandanti, ut ejus sententiam exequatur, eam exequi faciat, etiam si sciat esse injustam. Tum quartò *ex eod. cap. Pastoralis, §. præterea*, in quo habetur, quod Ordinarius nec post mortem Delegati potest se intromittere in causa cognita à Delegato, etiam in absolvendo excommunicatum in contumaciam.

241 Aliqua tamen facere potest Episcopus circa causas à Delegatis Apostolicis cognitas. Nam primò *ex cap. Cum contingat 24. de rescript.* In casu, in quo inveniantur plures Delegati, qui contraria præcipiant, priori Delegato mandante, ut sua sententia executioni detur, & posteriori Delegato hoc interdicente, potest Episcopus petere à Delegatis literas eorum, & inspicere an per posteriores derogatur prioribus, ut sic sibi innotescat quodnam mandatum exequi debeat. Sed considerandum est, quod spectata re secundùm se, hoc non competeret Episcopo; sed ei competit, quia hoc ei fuit specialiter concessum, & Pontifex ibi novam condens legem præcipit eas literas sibi dari. Sed præterea id sibi conceditur, non ut se intromittat in causa, vel ut de justitia sententiarum, aut mandatorum cognoscat, sed merè ut sciat quodnam ex contrariis mandatis exequi debeat, nulla sibi tradita jurisdictione super causa, ut patet ibi: *Licet autem ex his certa tibi detur doctrina, qualiter in his te debeas habere, nulla tamen tibi attribuitur potestas, ut inter Delegatos, aut partes de jurisdictione debeas judicare*. Imò tunc Ordinarius potest quidem literas petere, sed non potest cogere ad id Delegatos, seu partes, unde ut advertit Moneta *dict. cap.9. num.89.* in textu dicitur copia *postulata*, sed non dicitur *obtenta*, nec dicitur, quod possit cogere, ut sibi literæ dentur, sed Papa præcipit eas dari. Quod si non dentur, non tenebitur Ordinarius mandatum Delegatorum exequi facere.

242 Secundò, si contingat, quod ex malitia, seu negligentia Delegati partes remaneant in peccato, Ordinarius potest hanc negligentiam, aut malitiam supplere. Est casus *in cap. significavit 6. de off. Ord.* Fuerunt conjuges ab Episcopo excommunicati ex eo, quia cùm fama esset eos esse consanguineos, Episcopus illos citavit, & quia noluerunt comparere, eos excommunicavit. Appellatione interposita datus fuit Delegatus, qui illos absolvit, sed interim non examinata veritate ex malitia, vel negligentia Delegati, ipsi conjuges conjuncti manent, & cùm sint consanguinei in peccato permanent. Ordinat verò Pontifex, ut in hoc casu Ordinarius absolutos revocet in pristinam excommunicationem, donec causa ex integra fuerit vita, & terminata. Sed, ut advertit Panorm. ibi hic est casus singularis, in quo Ordinarius supplet malitiam, vel negligentiam Delegati. Et duo copulativè requirunt, primùm quod partes interim remaneant in peccato. Secundò, quod ex malitia, aut negligentia Delegati causa non expediatur. Et in hoc casu, non propterea Ordinarius potest causam delegatam cognoscere, sed absolutos potest in pristinam excommunicationem revocare. Ex quo regulam generalem deducit Panorm. quod ubi ex malitia, vel negligentia Delegati oritur, quod partibus immineat perseverantia in peccato, possit & debeat Ordinarius procedere contra partes saltem excommunicando, nisi procedant in causa coram Delegato. Secus verò esset, si causa esset pecuniaria, & non immineret peccatum, nam tunc, si Delegatus esset negligens, recurrendum esset ad Papam.

243 Tertiò, si Delegatus velit procedere in casu non comprehenso in ejus literis, potest Ordinarius ei resistere, Innoc. *in d. cap. si quando*, & ibi Panorm. *num.2.* Antiqu. *in addit. ad Capell. Tolos. decis.424. num.3.* Moneta *de conserv. cap.9. num.93.* Ideò regula est, quod in iis, in quibus Regulares ex Concil. Trident. vel ex constitutionibus Apostolicis possunt in Regulares jurisdictionem exercere, si Conservatores eorum velint eos impedire, possunt Episcopi eis resistere. Nam quando Episcopus præcipit Regularibus, ut observent aliquod decretum Concilii Trident. in iis, in quibus exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi, quod Regulares non possint eligere Conservatores, decrevit Innoc. X. *in constit. Cum sicut accepimus*, data in causa Angelopolitana in resp. ad primum dubium, & ibi in resp. ad secundum, quod Regulares non possunt Conservatores assignare, si Episcopus in casibus, in quibus ipsi ei subjiciuntur, contra eos procedit juris ordine servato. Sic ergo in his casibus Episcopus potest conservatori resistere. Quando autem possit resisti judici, vel Delegato Papæ tractant DD. *in d. cap. si quando, & cap. Pastoralis, de off. Deleg. cap. significavit, & cap. Pastoralis, de off. Ordin. cap. Cum contingat, & cap. fin. de rescriptis, & infr. cap. Episcoporum, de off. Ord. & Clem. 1. eod. tit.* Et videri potest Farin. *quæst. crimin.114. inspect.3. & 4.*

244 Advertendum verò est in nostro casu, quod si contingat

dubium

dubium esse de jurisdictione inter Episcopum, & Conservatorem, conservator supersedere debet, & interim eligendi sunt arbitri juris, nedum ex decreto Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* quod non afficit conservatores Regularium, sed ex vi *constit. 9.* Greg. XV. quæ etiam Regulares comprehendit, unde in hoc casu conservatores non possunt contra Episcopos procedere. Quod si partes non conveniant in electione arbitrorum, vel alias nequeat per arbitros, vel conservatores ipsos controversia competentiæ jurisdictionis terminari, existimat Moneta *d. cap. 9. num. 95.* quod procedet ille, qui melius jus fovet, & quod ipse alteri poterit inhibere, subdit verò *num. 96.* quod melius jus fovere dicitur Ordinarius. Sed dicitur, quod in eo casu, juxta sancita *in cap. suspicionis 39. de off. deleg.* eligitur tertius arbiter, & ideò servanda sunt, quæ ibi notantur. Videantur etiam dicta superius *cap. Iudex 5. art. 8. in hoc tit.*

245 Quartò, ut dictum est suprà *num. 238.* Ordinarii possunt punire Conservatores, si delinquant in sui commissione, itaut fines mandati excedant, quia tunc procedunt sine jurisdictione ut privati, Fermos. *cap. si quis Clericus de for. compet. qu. 12. num. 29.* Sed hoc limitandum est, quia si persona Conservatoris sit exempta, itaut nec ratione delicti subjiciatur Episcopo, non poterit Episcopus cognoscere de delicto conservatoris delinquentis in exercitio suæ commissionis.

246 Dicitur tertiò, quod delegatus Papæ non potest inhibere Conservatori ne in causis sibi commissis procedat. Et sic Ordinarii nec etiam ut Pontificis Delegati possunt impedire conservatores, ne procedant in causis sibi commissis. Nam Delegatus Papæ saltem in causis commissis Conservatori est minor illo, *cap. sanè il 2. de off. deleg.* Vel certè non est major, quia etiam Conservator est Papæ Delegatus. Minor verò vel par non potest inhibere majori, vel pari. In eo tamen casu Delegatus posset inhibere, si conservator in causa delegato specialiter commissa vellet se intromittere, & fines suæ commissionis excedere. In dubio autem concurrentiæ jurisdictionis eligi deberent arbitri juris. Si etiam delegatus sit quis in causa appellationis interpositæ ab ipso Conservatore, potest sine dubio delegatus conservatori inhibere. Quod idem dicitur de Judice nullitatis sententiæ à conservatore latæ.

247 Dicitur quartò, quod nec Conservator Conservatori potest de per se inhibere, quia par in parem non habet facultatem. Si tamen sint plures conservatores dati cum clausula, *Quod si ambo non possint, &c.* unus poterit alteri inhibere, ut sine ipso non impedito non procedat. Sic adjunctus datus conservatori poterit illi inhibere, ne procedat sine illo. Item si dati sint plures conservatores in solidum, qui prævenit in causa potest aliis inhibere, juxta *not. supr. in hoc tit. cap. Cum plures.* Item ubi inter plures conservatores, quis est præferendus; ut puta, quia præferendus sit Conservator actoris, poterit ipse inhibere Conservatori rei, & si sit rebellis, & contumax illum punire debent. Verùm videri possunt notata superius *num. 155. & seq.* & advertendum quod in dubio eligendi sunt Arbitri, nec unus Conservatorum potest inhibere alteri. Sed Arbitrorum sententiam debet expectare, juxta determinata *in cap. suspicionis 39. de off. Deleg.*

248 Hæc verò sit regula servanda, ubi sit lis super competentia jurisdictionis vel inter Ordinarium, & Conservatorem, vel inter Delegatum, & Conservatorem, vel inter plures Conservatores, quod si Judices isti non conveniant, eligendi sint Arbitri (ubi non est facilis recursus) juxta disposita *in cap. Pastoralis, & cap. Cum contingat de rescript. & d. cap. suspicionis, & cap. ab Arbitris, in hoc tit. & lib.* Et videri etiam debent, *cap. Cæterùm de rescript. & cap. sanè il 1. de off. deleg.* quæ aliis contraria esse videntur.

249 Hìc tandem advertendum est, quod cùm Conservator contra rebelles, & contumaces procedere possit per censuras, ut justè procedat meminisse debet inter alia, decreti Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformat.* per quod decernitur abstinendum esse à censuris, nisi observatis ibidem traditis. Item *cap. Cùm medicinalis 9. infr. de sentent. excommun. & cap. Sacro, sup. de sent. excom. & cap. Constitutionem, infr. de sent. excommun. & cap. quia Pontificali 2. sup. in hoc tit.*

250 Dicitur quintò, quod multò minus Judex laicus potest impedire Conservatorem Ecclesiasticum, aut illi inhibere. Et quidem contra quoscumque Judices avocantes ad se causas spirituales, vel spiritualibus annexas, vel impedientes Papæ Commissarios, & Judices Ecclesiasticos, & se intromittentes tanquam Judices in præfatis causis, lata est excommunicatio in 15. *can. Bullæ Cœnæ*, quæ extenditur ibi ad plures alias actiones. Videantur Scribentes super *dict. canonem*. Videantur etiam quæ de usurpantibus, & turbantibus Judicum jurisdictionem habet Farin. *part. 4. quæst. 114. crim. inspect. 1. & 2.*

SUMMARIUM.

251 *Conservatoris officium regulariter est temporale, & ad quinquennium.*

252 *Non tamen conservatoris Regularium.*
Expirat morte concedentis, si non sit datum per privilegium perpetuum, 252.

253 *Ubi officium conservatoris est ad tempus certum finito tempore expirat omninò.*

254 *Officium conservatoris non expirat quoad executionem.*

255 *Tempus dati officii conservatoris incipit à die receptionis literarum.*
Quando est datus ad certum diem tempus semper currit, 255.

256 *Conservatoris officium etiam intra quinquennium expirat morte concedentis.*

257 *Iurisdictionem conservatoris cessare etiam si ignoret mortem concedentis, aliqui volunt.*

258 *Non excusat ignorantia conservatoris privata, sed excusat publica.*

259 *Leges humanæ datæ sub conditione alicujus facti, accipiunt factum, quod existat etiam in notitia hominum; ut sint proportionatæ humanæ conditioni.*

260 *Decretum irritans comprehendit ignorantes ignorantia juris, non facti.*

261 *Textus hujus capituli intelligitur de morte cognita.*

262 *Habet hic locum lex Barbarius, ff. de off. Prætoris.*

263 *Objecta posita, num. 257. solvuntur.*

264 *Delegati jurisdictio expirat morte civili concedentis.*

265 *Textus iste intelligendus de morte naturali.*

266 *Conservatoris officium non expirat in aliis casibus, qui morti civili æquiparantur.*

267 *Textus iste non extenditur ad conservatores datos à Principe laico.*

268 *Conservatores Regularium morte concedentis non expirant.*

269 *Delegatus potest cogi, ut acceptet delegationem.*

270 *Delegatus tenetur acceptare delegationem, nec illi potest renuntiare sine causa.*

271 *Si sine causa id faciat potest puniri ab Ordinario.*

272 *Idem dicitur de Delegato Episcopi.*

273 *Et de Subdelegato.*

274 *Delegatus validè sine causa subdelegat.*
Supradicta vera sunt de conservatoribus, 274.
Ex privilegiis conservatores mendicantium obligantur ad munus conservatoris obeundum, 274.

275 *Non potest conservator amoveri nisi ex justa causa.*

276 *Potest mutari ex justa causa extra Capitulum Provinciale.*

277 *Qualiter aliis multis modis possit cessare: remissivè.*

278 *Apud Regulares conservator successor continuet causam inchoatam ab antecessore.*

ARTICULUS XIII.

Quot modis desinere possit officium Conservatoris.

PRimò autem dubitatur, an officium Conservatoris sit temporale? Respondetur quod in Concil. Trid. *sess. 14.* 251
cap. 5. statuitur, quod nemo literarum conservatoriarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Ideò regulariter officium Conservatoris non se extendit ultra quinquennium. Unde stylus Cancellariæ est, ut in literis conservatoriarum ponatur clausula, *præsentibus post quinquennium minimè valituris*, ut notavit hic Jo. Andr. & Mandos. *de signatura gratiæ, v. Conservatoria.* Quamvis verò ab illo decreto Conc. Trid. excepti sint Conservatores Universitatum generalium, Collegiorum Doctorum, aut Scholarium, Regularium locorum, & hospitalium actu hospitalitatem servantium, & personarum eorumdem, unde ex vi Concil.

Trid. officium conservatoris horum locorum, & personarum non est temporale, tamen ex *vi constit. Gregoriana de conservatoribus*, §. 8. quod nunc officium conservatoris sit temporale & duret ad quinquennium, vult Barbastren. *in Pastor. part.1. claus.7. num.3.* Donat. *d. tract.17. quæst.38.* Quia licèt illa constitutio id non prohibeat expressè; tamen id erat expressum in Concil. Trid. loco citato. Sed è contra quod officium conservatoris non sit temporale in quatuor casibus exceptis à Concilio docuerunt nedum Mirand. *p.2. quæst.47. art.6.* Hieron. Rodriq. *resol.33. num.8.* Moneta *cap.10. n.324.* Sed ex illis, qui scripserunt post *constit. Gregorianam*, Barbos. *de off. & potest. Episc. alleg.106. n.51. & ad d. cap.5. sess.14.* Concil. Trid. *num.10.* Pasqual. ad Lauret. *part.1. n.850.* Nicol. *tit.29. Canon. de conservat. num.14.* Fermosi. *cap. si Clericus, de for. comp. quæst.12. n.47.* Et ita dicendum est, Inanis enim est prorsus hæc consequentia, scilicet Gregor. XV. statuit ut conservatores infrà quinquennium non possint mutari; ergo statuit contra Concil. Trid. ut in casibus illis quatuor exceptis non durent conservatores nisi per quinquennium. De jure ergo officium conservatoris est temporale ad quinquennium, exceptis illis quatuor casibus à Concilio expressis, in quibus literæ conservatoriarum videndæ sunt.

252 Quamvis enim in supradictis casibus exceptis officium conservatorum non duret per quinquennium quantum sit ex vi Concil. Trid. si tamen non est datum in vi privilegii perpetui, sed immediatè collatum sit à Summo Pontifice, etiam ad tempus incertum, expirabit tamen morte concedentis quoad negotia non cœpta, juxta decretum hujus *cap.*
253 *in §. officium.* Ubi verò officium conservatoris est temporale, dubitatur secundò, an completo quinquennio expiret etiam quoad negotia cœpta? Non enim est dubium, quod expirat quantum ad negotia non cœpta, & re integra. Sed respondetur, quod ubi officium conservatoris est temporale, & ad tempus determinatum ut ad quinquennium tempore seu quinquennio finito expirat omninò etiam quantum ad negotia cœpta, & re integra. Ita Jo. Andr. hìc, Anchar. *num.9.* Butr. *num.10.* Dom. §. *officium*, *num.2.* Franc. *num.1.* Rodriq. *part.1. qu.65. art.9.* Rota *decis.5. de off. deleg. in antiq.* Peyrin. *in formul. lit. C. cap.20. num.1.* Barbos. *dict. alleg.106. n.51.* Mandos. *de signat. gratiæ, v. conservatoria*, Moneta *de cons. cap.10. n.354.* Et ratio est, quia terminato tempore cessat jurisdictio. Et quia aliter sequeretur, quod conservator durare posset per duo quinquennio. Vide sup. §. *officium*, *num.49.* Leges verò accidentales casos non respiciunt. Et quod dicitur, quod finito tempore expirat jurisdictio, dici posset, quod etiam morte concedentis expirat delegati jurisdictio, & tamen non expirat jurisdictio conservatoris quoad cœpta ex morte concedentis.

254 Et nihilominus dato quod officium conservatoris expiret post quinquennium, hoc declaratur, ut valeat quantum ad jurisdictionem; non quantum ad executionem; potestas enim exequendi sententiam datam infrà tempus durat transacto tempore, Gloss. *cap. de causis 4. v. transacto, de off. deleg.* Moneta *de conservat. cap.10. num.336.* allegans ad hoc *cap. In literis eod. tit.* Declaratur quoque eisdem modis, quibus à Dec. Panorm. Felin. & aliis Canonistis limitatur *dict. cap. de causis*, & præcipuè ut non habeat locum quando terminus est præfixus Judici, non verò jurisdictioni; nam tunc non expirat jurisdictio post lapsum tempus; sed puniri debet Judex, si ultra tempus utatur jurisdictione: sed vide suprà *art.11. num.225.*

255 Tempus verò ad officium conservatoris limitatum incipit à die receptionis literarum, juxta doctrinam *gloss.1. d. cap. de causis*, & Dec. *n.5.* Panorm. *n.5.* Nisi limitatio data sit ad certum diem, ut ad diem proximum Paschæ; tunc enim semper terminus currit, & constat de revocatione, & jurisdictio transacto illo die cessat, Moneta *d. cap.10. num.338.*

256 Dubitatur tertiò, an semper morte concedentis expiret officium conservatoris? Nam expirare re integra, & quantum ad negotia non cœpta definitum est in hac Decret. §. *officium*. Sed non expirare videtur decisum in Concil. Trid. *sess.14. cap.5. & in constit.9.* Gregor. XIII. Si enim durat ad quinquennium, ita ut contra hoc tempus non possit mutari, nisi ex justa causa; igitur supponitur durare etiam si infrà quinquennium contingat mori Papam, qui conservatorem concessit. Sed non sequitur hæc suppositio, sed supponitur solùm, quod etiam si infrà illud tempus, seu quinquennium concedens non moriatur, expirare tamen debeat officium conservatoris. Quod officium etiam intra illud tempus, ut infrà quinquennium expirat, si re integra concedens moriatur, Moneta *de conservat. cap.10. num.111.* Cætera verò, quæ ad hujus assertionis explicationem faciunt dicta sunt suprà §. *officium*, *num.45. & seqq.*

Sed dubium hìc est, an jurisdictio delegati, seu conserva- 257
toris expiret à die mortis, vel potius solùm à die notitiæ mortis illius, ita quod processus inchoatus, & factus post mortem illius, sed ante mortis notitiam sit validus. Jurisdictionem enim delegati re integra expirare ab hora mortis delegantis, tenuerunt Bartol. *in l. Et quia, ff. de jurisd. om. gent. & l. more, num.18. eod. tit.* & ibi Alber. *num.22.* Belapertica *num.21.* Barthol. Socc. *num.75.* Specul. *tit. de Jud. deleg. §.6. restat videre num.5.* & ibi Jo. Andr. Panorm. *cap. gratum 20. num.10. de off. deleg.* Maranta *part.4. dist.5. num.61.* Covar. *pract. cap.11. num.1. & 2.* Moneta *de conservat. cap.10. num.114.* alios referens. Et ratio est, quia ubi cessat jurisdictio, illam non tribuit ignorantia, *ut in l. Privatorum, C. de jurisd. omn. jud. & cap. significasti, de for. compet.* Tum secundò, quia jura loquuntur indistinctè, nec distinguunt inter scientiam, & ignorantiam, ergo neque nos debemus distinguere, *cap. si Romanorum, dist.19. cap. solita, de major. & obed.* Tum tertiò *ex cap. Dudum el 2. de elect.* ibi: *In multarum animarum dispendium Parochiales Ecclesias retinebat: cum earum cura, qua jam privatus fuerat ipso jure, ad eum nullatenus pertineret, & sic per ipsum eadem animæ damnabiliter sunt deceptæ.*

Nihilominus dicitur, quod licèt ad valorem actum dele- 258
gati, seu conservatoris post mortem delegantis non sufficiat ignorantia privata ipsius delegati, sufficit tamen ignorantia communis, & error; unde hac communi ignorantia stante processus delegati, aut conservatoris est validus, & per illum perpetuatur ejus jurisdictio, ut possit causam sic inchoatam terminare. Prima pars assertionis probatur, quia nec præsumitur delegatus ignorare, quod communiter scitur, unde non censetur ignorare mortem delegantis, quam scit populus.

Sed probatur tam prima, quàm secunda pars ex eo quia 259
leges, quæ hominibus loquuntur, & dantur de actibus humanis, & sunt humanorum actuum regulæ non possunt, nec debent intelligi de nudo facto, ejusque sola physica existentia in rerum natura, sed de facto humano, & humana existentia, & sic de facto existente nedum physicè, sed moraliter in hominum notitia. Et sic in proposito intelligi debent jura de morte existente in notitia populi. Id verò in notitia hominum censetur esse, quod communiter scitur, licèt ab aliquibus paucis ignoretur: in proposito igitur non suffragatur privata conservatoris ignorantia, si mors concedentis communiter est nota, sed benè juvat communis ignorantia, & error.

Nec obstat, quod Decretum irritans etiam comprehen- 260
dit ignorantes, & facta ignoranter contra legem sunt attentata. Nam dicitur primò id verum esse de ignorantia juris, ut sensus sit, ut ignorantia juris munitæ decreto irritanti, non excuset factum contra legem à vitio attentatorum, non verò de ignorantia facti, ut explicavit Gabriel. *commun. concl. lib.6. tit. de legib. & constit. num.9.* apud Monetam *d. cap.10. num.114.* Quia enim ignorantia juris non præsumitur, eamque jura de facili non admittunt, ideò benè intelligitur, quod ignorantia juris non excuset à vitio attentatorum, ubi jus est munitum decreto irritanti. Sed ignorantiam facti sæpissimè esse probabilem jura admittunt, ideò ubi jura statuunt, quod aliquid sit validum, vel nullum ipso jure, si hoc, vel illud factum fuerit, lex hujusmodi quantum ad validitatem, aut nullitatem actuum rationabiliter quidem potest comprehendere ignorantes legem ipsam, quia lex sufficienter promolgata præsumitur nota, & subditi, qui illam possunt scire, illam etiam scire tenentur, & ideò sibi imputent, si legem nesciunt. Sed facti ignorantia est probabilis quamplurimum, unde minus est rationi conforme, & secundùm conditionem humanæ imbecillitatis, & impotentiæ, ut ignorantia facti non excuset à nullitatibus, cùm est communis, justa, & probabilis.

Quamobrem lex, quæ privat jurisdictione eum, qui il- 261
lam habet, si moriatur, qui illam concessit, debet intelligi de morte existente nedum physicè, sed moraliter in notitia hominum, & sic delegati jurisdictio non cessat morte delegantis adhuc communiter ignorata, ut benè docuit Felin.

cap.

cap. relatum 19. *num. 7. de off. deleg.* & Sanchez *l. 3. de matrim. disput.* 22. *num.* 59. Id confirmans, quia cùm facilius expiret jurisdictio Vicarii Episcopi morte, quàm delegati morte delegantis, quia illa expirat etiam re non integra, nihilominus jurisdictio Vicarii non expirat, nisi communiter mors Episcopi sit nota, ut voluit Rota, quam sequitur Flam. *de resig. l. 7. qu. 24. n.* 33. Anastasius Gemon. *de indultis, §. sibi quoad vixeris, nu.* 63. Jacobus Sbrozius *l. 3. de off. Vic. qu. 36. num. 9. &* 10. quos sequitur Sanchez *d. num.* 59. Multò minus igitur cessat delegati, aut conservatoris jurisdictio morte delegantis adhuc non cognita communiter.

262 Sed & in hoc casu locum habet *lex Barbarius, ff. de off. Pret.* Maximè cùm hic adsit nedum communis error, sed titulus coloratus, & officium legitimè habitum ab habente jurisdictionem. Nec obstat, quod cessaverit jurisdictio concedentis officium, quia non cessavit adhuc omninò, sed in communi, sed probabili ignorantia permanet, & manet jurisdictio in intentione primi Legislatoris volentis, quod actus Judicis communi errore existente, maximè si adsit titulus coloratus, valeant, sic bono communi exigente.

263 Et sic ad primum in oppositum respondetur, quod assumit id, quod probare debuisset; non enim cessat delegati jurisdictio, nec delegantis quantum ad effectum, ut duret delegati jurisdictio nisi habita notitia mortis. Ad secundum dicitur, quod ex natura rei casus ignorantiæ manet exceptus, sola enim mors existens moraliter in hominum notitia illa est, quæ extinguit jurisdictionem delegatorum, hoc exigente conditione humanæ legis, & bono universitatis. Ad tertium dicitur ex Innoc. & Panorm. *ibid. num.* 20. quod vel illæ animæ non fuerunt deceptæ, nisi ex parte illius Parochi, vel quod erat notorium illum esse Parochum illegitimum; nam aliàs stante communi errore illæ animæ in rei veritate non fuissent deceptæ.

264 Extenditur verò assertio etiam ad mortem civilem, qualis esset, si Pontifex officio renuntiaret, sicut posse facere declaratum *est sup. in hoc lib. cap.* 1. *de renunt.* Vel in casu *cap. si Papa* 40. *dist.* Nam & universaliter delegati jurisdictionem re integra expirare morte civili delegantis, scilicet si ejus officium cessat, quoniam cessante officio cessat jurisdictio, & ideò per hanc mortem civilem cessat jurisdictio delegantis, qua cessante re integra, cessat jurisdictio delegati, docuerunt Gloss. *cap. licet undique* 30. *de off. deleg.* & ibi Panor. *num.* 7. Bald. *num.* 8. Bellam. *num.* 13. Bartol. *l. more, num.* 15. *ff. de jurisd. omn. jud.* & ibi Domin. *num.* 15. Dec. *num.* 57. Sanchez plures referens *lib. 8. de matrim. disput.* 28. *num.* 32. Ex hac ratione motus Moneta *de conserv. cap.* 10. *num.* 117. existimat, quod etiam conservatoris jurisdictio quantum ad negotia non cœpta expiret Pontificis renuntiatione.

265 Sed hæc ratio non valet. Quoniam ut adnotatum est in textu, §. *officium num.* 50. Delegatus ad universitatem causarum perpetuat jurisdictionem quoad omnes causas una incœpta. Sed est singulare in conservatore ex vi hujus Decret. quod ejus officium morte concedentis expiret quantum ad negotia non cœpta. Quia igitur hæc lex non loquitur nisi de delegato à Sede Apostolica, & est restrictiva juris communis: & quia mors civilis non æquiparatur naturali, nisi in casibus in jure expressis, & quia casus, in quo Papa cesset ab officio est contingentissimus, & rarissimus, quia rarissimum est, quod Pontifices renuntient officio; casus verò in quo juxta *cap. si Papa dist.* 4. deponatur ob hæresim nunquam contigit, & illum existimo impossibilem stante Dei providentia, qua suam Ecclesiam summa dilectione gubernat; & lex non respicit casus rarissimos, dicendum est Decretalem hanc intelligendam de morte naturali, non verò de civili, quidquid sit, quod jurisdictio delegati ad particulares causas morte civili delegantis dicatur expirare.

266 Hinc est, quod in conservatore non habet, nec habere potest locum extinctio jurisdictionis ex aliis casibus, qui æquiparantur morti civili, quia v.g. Papa esset captus ab hostibus &c. Quia in iis casibus non expirat in Papa jurisdictio; unde nec defuerunt Pontifices, qui capti, seu relegati ab iniquis Principibus literis Ecclesiam rexerunt, & finita persecutione injusta quietam possessionem sui officii continuarunt. Censuris verò Papa non subjicitur, unde nec est unde ex hac causa extingui possit, aut suspendi conservatorum jurisdictio, ut etiam adnotavit Moneta *dict. cap.* 10. *num.* 119. *&* 122.

267 Extendit quoque prædicta Moneta *d. cap.* 10. *à num.* 123. ad conservatores datos à Principibus laicis, & vult quod lex istius Decret. si non vi comprehensiva, saltem vi extensiva illos etiam afficiat, & fundat extensionem, tum quia ubi jus civile dubium sit, standum sit juri Canonico, quod certum sit, juxta text. *in cap.* 1. *&* 2. *de nov. oper. nunc. & cap. Ecclesia S. Mariæ, de const. & cap. Raynutius de test.* Unde dato quod sit dubium an ex *l. & quia, ff. de jurisd. omn. jud.* concludatur, quod conservator datus à Principe laico non duret quantum ad negotia non cœpta, tamen hoc est certum de jure Canonico, cui erit standum. Tum secundò quia hæc extensio habet locum, quia de jure etiam civili delegati jurisdictio re integra cessat morte concedentis. Sed neutra ratio probat, non quidem prima, quia lex Canonica non se extendit nisi determinatè ad conservatores Papæ, unde nec se extendit ad conservatores datos à Legatis, vel Episcopis, si illos dare possunt; ut dictum est suprà *num. 7. & 9.* Tum quia de jure communi etiam civili conservatores quoad non cœpta negotia cessare non deberent, cùm sint delegati ad universitatem causarum. Loquendo ergo de conservatoribus datis à Principibus laicis, juri civili imperiali, vel legali est standum; quo deficiente ex legibus communibus de delegatis ad universitatem causarum casus particulares erunt considerandi. Quos non est opus hic recensere, cùm non sit sermo in universum de delegatis.

268 Verùm prædicta assertio non verificatur de conservatoribus datis in forma speciali, in qua contineatur, quod conservatoris officium non expiret morte concedentis, etiam re integra. Ideò nec assertio illa locum habet in conservatoribus regularium, ut consuetudo ipsa perpetuò explicavit, & adnotarunt Rodriq. *t. 1. quæst. 65. art. 6.* Casarubias *v. conservatores*, & ibi Capucinus, Confer. *in summar. privil. Mend. tit. 4. num. 9.* Moneta *de conservat. cap.* 1. *num.* 327. Quia privilegium eligendi conservatores est perpetuum, ut ex privilegiis, sæpius citatis, per quæ Regularibus conceditur facultas eligendi conservatores toties, quoties opus habuerint. Electis verò nullum præfigitur tempus, & derogatur etiam huic Decretali. Et non erat opus de his conservatoribus decernere, quod eorum officium expiraret morte concedentis, cùm in vi privilegii perpetui Regulares illum eundem statim potuissent eligere in conservatorem, cujus officium morte Pontificis expirasset; sed hæc Decretalis loquitur de conservatoribus deputatis immediatè à Sede Apostolica, non verò de electis à Regularibus in vi privilegii perpetui etiam post mortem concedentis; cùm horum officium expirare non possit concedentis morte, quia isti omnes jam post mortem concedentium eliguntur. Conservatorum igitur regularium officium morte concedentis non expirat.

269 Dubium quartò est, qualiter officium conservatoris cessare possit mutatione, vel scilicet conservatoris renuntiatione, vel conservatorum amotione. Loquendo autem de renuntiatione dicitur primò conservatorem datum à Pontifice sine justa causa, nec posse injunctum officium suscipiendum recusare, nec suscepto renuntiare; quod specialiter verificatur in conservatore regularium delegatum enim Papæ, & subdelegatum à delegato eodem posse cogi ad suscipiendum munus Judicis sibi injunctum habetur *ex cap. Pastoralis* 28. *de off. deleg. in princ.* Ex quo id docuerunt Rota *decis.* 12. *num.* 1. *de præbend. in nov.* & apud Cassad. *dec. un. n. 4. de verb. signif.* & Moneta *de conserv. cap. 10. n.* 341. Idemque habetur *ex l. un. C. qui pro sua jurisd. & l. fin. §. indicandi, ff. de mun. & hon.* quæ jura ad id allegat Gloss. *d. cap. Pastoralis in v. renitentem.*

270 Sed quod delegatus teneatur suscipere mandatum delegantis, & non possit sine justa causa illud rejicere, habetur *ex cap. prudentiam, §. adjicimus*, ubi Pontifex habet, quod ubi dati sunt plures delegati cum clausula, *quod si omnes non possint*, si aliquis, qui potest, non vult interesse est gravissimè arguendus; ex quo Gloss. Panorm. *n.* 5. & alii concludunt, quod delegatus sine causa non potest se excusare, ne officium delegationis recipiat; multò minus igitur sine causa non potest susceptum munus deserere. Imò Gloss. primò voluit talem delegatum esse puniendum. Quod explicat Panorm. ut sit verum non in casu *d. cap.* In quo, cùm dati sint plures delegati cum clausula, *quod si non omnes possint &c.* ex eo quod unus nolit interesse, non impeditur simpliciter ex toto processus causæ, sed ubi datus fuisset unus solus delegatus, vel dati plures, sed simpliciter sine clausula, & sic ex unius recusatione impediretur ex toto processus causæ, delegatus recusans suscipere delegationem esset puniendus.

271 Licèt verò hic delegatus non posset puniri à conjudice, imò nec ab illo argui, quia par in parem non habet jurisdictionem, posset tamen puniri ab Ordinario, ut ex Hostien. docet ibi Panorm. *num.*6. Non quod Ordinarius possit compellere delegatum Papæ ad recipiendam delegationem, quia hoc non ad ejus, sed ad Papæ officium spectat. Sed quia ex quo non recipiendo delinquit, jam est sibi subjectus, & jam Ordinarius non punit eum, ut delegatum, sed ut delinquentem sibi subditum quidquid in contrarium dixerit *ad d. cap.* Barbos. *num.*12.

272 Quod verò dicitur de delegato Papæ, dicitur eadem ratione de delegato Episcopi, quod scilicet Episcopus potest eum compellere ad suscipiendam, & exequendam delegationem, ut *ex cap. Pastoralis de off. deleg. & cap. Pastoralis de off. ord.* colligit Panorm. *d.* §. *Adjicimus num.*5. unde nec talis delegatus sine justa causa potest tale officium rejicere, & si rejiciat, pro qualitate criminis potest ab Episcopo argui, & puniri.

273 Et sic idem dicitur de subdelegato, qui subdelegationem tenetur recipere, eamque receptam non potest sine causa deserere, Confec. *in sum. privil. Mend. tit.*4. *cap.*7. Moneta *d. cap.*10. *n.*344. Quod habetur expresè *ex d. cap. Pastoralis* 28. *de off. deleg. in princ.* Ubi advertit Panorm. *num.*7. quod delegatus subdelegando potest compellere omnes, quos Papa delegans potuisset compellere, cùm Ordinarius delegando non possit compellere nisi suos subditos.

274 Cùm verò textus ibi excipiat casum, in quo delegans malitiosè subdeleget, colligit Moneta *d. cap.*10. *num.*341. quod delegatus non possit subdelegare nisi ex justa causa. Sed Panorm. *num.*6. dicit id non colligi, sed solùm, quod ubi malitiosè subdeleget, non potest subdelegatum compellere. Et verè ex illo textu immediatè aliud non deducitur, sed tamen ex jam probatis dici debet, quod licèt malitiosè subdelegans, seu sine causa validè subdeleget, malè tamen facit, si sine causa id facit, & posset in hoc pro qualitate inobedientiæ argui, aut puniri. Quod ergo de delegatis, aut subdelegatis communiter dictum est intelligi debet de conservatoribus, qui sunt Papæ delegati, & subconservatoribus, qui sunt subdelegati à delegato Papæ.

275 Sed hoc speciali jure verum est in conservatoribus Regularium, cùm Pontifices, qui privilegium eligendi conservatores Regularibus concesserunt, simul electis conservatoribus per verba *Per Apostolica scripta mandamus*, vel similia præceperunt, ut conservatoris munus reciperent, & exequerentur, ut patet *in constit. suprà num.*60. recensitis. Addit verò Moneta *de conservat. cap.*10. *num.*340. ex eo quod Innoc. VIII. hoc jubet in virtute S. obedientiæ, & Jul. II. sub pœna excommunicationis, sed non dicit in qua constitutione hoc fiat. Pius autem IV. *constitut.*9. §. 60. *pro Equitibus S. Io.* id præcipit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & Pius V. *in constit. Ad hoc nos Deus, &c.* quæ habetur in Bullar. Rom. post 41. & apud Confect. 3. inter constitutiones dicti Pontificis idem præcipit sub pœna excommunicationis, seu suspensionis latæ sententiæ.

276 Dicitur secundò, quod modo intra quinquennium à die deputationis non possunt conservatores amoveri, vel mutari, nisi ex justa causa approbanda à Sede Apostolica, vel ab Ordinario. Sic enim expresè continetur *in constit.*9. Greg. XV. *de conservatoribus*, §.8. Et ita id dixerunt Pasqual. ad Laur. de Franc. *part.*1. *n.*850. Lezana *p.*2. *cap.*10. *n.*59. Barbastren. *in pastorali p.*1. *claus.*7. Cespedes *dub.*318. *n.*4. Tambur. *de jure Abb. tom.*3. *d.*17. *quæst.*1. *num.*14. [Causas autem legitimas esse negligentiam, impotentiam, inimicitiam, vel similem dixerunt Lezana, Tambur. & Peyr. *tom.*3. *addit. ad const.*5. Gregor. XV. *cap.*11. *num.*32. Et sic quinquennio durante, non potest eligi alius.

277 Quod etiam conservator semel electus non posset mutari, nisi *in cap. Provinciali* statuerat Greg. XIII. ut refert Lezana *num.*35. sed nunc standum est *d. const.* Greg. XV. ut mutari possint conservatores etiam extra Capitulum provinciale approbata causa à Pontifice, vel ab Ordinario.

278 Quomodo verò officium conservatoris possit cessare, quia recusetur, vel ab eo appelletur, suprà dictum est. Potest etiam à Papa revocari, quando verò Princeps censeatur revocasse privilegium eligendi conservatorem peti potest ex Menoch. *præsumpt.*37. *num.*7. & 41. Rodriq. *part.*1. *quæst.*9. *art.*3. Sanchez *de matrim. l.*8. *d.*33. Et quando id fecisse præsumatur, colligi poterit ex eadem Menoch. *præsump.*40. *per totam*. Quando etiam hujusmodi privilegium revocetur ex eo quod non sit reale transiens in hæredem, vel successorem, sed potius personale tractat idem Menoch. *præsump.*76. *n.*40. Quod si concessum sit, ut in hæredem transeat, an primum hæredem egrediatur, tangit Ant. Gabr. *comm. concl. lib.*6. *tit. de leg. concl.*2. *num.*3. Quando etiam Pontifex expresè revocare possit privilegium hujusmodi accipi potest, ex Menoch. *lib.*2. *præsump.*10. *num.*29. Rodriq. *d. art.*3. Gabriel. *l.*3. *conclus. comm. tit. de jure quæs. non toll. conclus.*1. *usque ad* 7. Sanchez *l.*8. *de matr. disp.*33. Hoc verò habet conservator Regularium, ut si successor ejus, qui causam inchoavit, seu ex quacumque causa deficiat conservator, qui causam inchoavit, successor ejus possit causam illam prosequi. Hoc enim habetur in privilegio Clem. VII. pro minimis, & Gregor. XIII. pro Jesuitis, prout adnotarunt Lezana *dict. cap.*10. *num.*31.

SUMMARIUM.

279 *Renuntiare juri suo unusquisque potest.*
Impetrationi literarum conservatoriæ potest renuntiari, 279.
280 *Rescripto obtento pro conservatore potest renuntiari.*
Qui obtinuit conservatorem potest eo non uti, 280.
281 *Qualiter ex pluribus conservatoribus sit liberum eligere unum præ aliis.*
282 *Regulares ex habentibus qualitates possunt in conservatorem eligere, quem volunt.*
283 *Etiam post constitut. Gregor. XV. possunt eligere conservatorem.*
284 *Ex eo quod monasterium vel non eligat, vel non utatur conservatore, non sibi præjudicat.*
284 *Religiosus non potest renuntiare privilegio conservatoris.*
285 *Regularis non potest permittere, ut coram Ordinario trahatur in præjudicium suæ exemptionis.*
286 *Conventus, qui non habent conservatores duplici commodo privantur.*
287 *Eligere conservatorem spectat ad Prælatos etiam locales, & Conventus.*

ARTICULUS XIV.

Qui possint, aut teneantur eligere Conservatorem.

Conservatoris impetratio, vel impetrati in genere particularis electio, aut electi usus multum habet libertatis in illis, ad cujus favorem deputandus est, vel datus est conservator. Nam cùm unusquisque possit juri suo proprio renuntiare, *l. Iurisgentium*, §. *Prætor, ff. de pact. l. postquam, & l. si quis in conscribendo, C. de pact.* poterit quoque, qui nondum impetravit conservatorem, vel privilegium illud eligendi huic impetrationi servatis servandis renuntiare, & ab ea recedere. Ita docent Speculat. *tit. de renuntiat. num.*8. & Hostien. *in sum. tit. de renunt.* §. *quæ possunt renuntiari num.*5. ubi docet qualiter futuris possit renuntiari, & quod debet renuntiari expresè, & in specie, & non tantum generaliter, advertendo, quod non potest juri futuro renuntiari, nisi specificatis quibusdam juribus sequatur generalis renuntiationis conclusio, & ita ut aliter generalis renuntiatio non valeat, quod etiam post Gabriel. *lib.*6. *concl. com. tit. de reg. jur. concl.*4. *num.*8. docet Moneta *de conserv. cap.*10. *num.*356. 279

Sed & qui impetravit rescriptum, in quo datur ei Conservator, vel facultas eligendi illum, potest illi sic obtento renuntiare, si sit ad propriam ejus utilitatem, ut colligitur ex hoc cap. & *cap.*1. *supr. hoc tit.* & docent præfati DD. Qualiter tamen non possit fieri hæc renuntiatio à Prælato Ecclesiæ, vel ab ejus Rectore, & an Prælatus sine consensu Capituli possit hujusmodi privilegiis renuntiari validè, & sic suæ Ecclesiæ præjudicare petendum est ex DD. tractantibus de privilegiis, & videndi Vivian. *lib.*1. *comm. opin.*1. *num.*7. Gabriel. *l. comm. opin. lib.*4. *tit. de legat. concl.*3. *num.*1. & 2. Sanchez *lib.*6. *de matrim. disput.*4. *num.*12. & 13. Moneta *de conservat. cap.*10. *num.*359. Et cæteri, qui de renuntiatione privilegiorum tractant. 280

Non renuntiato vero privilegio, poterit is, ad cujus favorem est datum, eo non uti. Cùm discrimine tamen, nam ubi dati sunt plures conservatores simpliciter sine clausula, 281

pote-

poterit quidem is ad cujus favorem dati sunt nolle simpliciter uti rescripto, & illi, ut dictum est renuntiare; sed si rescripto uti velit, non potest unum eligere, vel duos, alio vel aliis relictis, quia talium Conservatorum nullus habet exercitium jurisdictionis sine aliis, *juxta cap. causam matrimonii, cap. cum causa, cap. uno Delegatorum, de off. deleg.* Sed si plures Conservatores dati sint cum clausula, *si non omnes possint:* pariter non erit in electione ejus, qui rescriptum impetravit, unum ex illis eligere, alio vel aliis relictis, sed solum poterunt non omnes simul cognoscere, si aliquis, vel aliqui sint impediti, & sic servanda erunt statuta *cap. sciscitatus, de rescript. cap. licèt, & cap. prudentiam, & cap. cùm causa, de off. Deleg. & in hoc lib. & tit. cap. si contra unum.* Sed si Conservatores plures dati sint in solidum, seu cum clausula alternativa, tunc in electione impetrantis rescriptum erit eligere ex illis plures, vel unum, quem voluerit juxta *c. Cum plures 8. in hoc t. t.*

282 Regulares verò habentes perpetuum privilegium eligendi Conservatorem, ex habentibus qualitates à jure requisitas possunt eligere quem voluerint. In hoc enim eorum privilegia non sunt revocata, sed præservata per *Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.* Lezana *p. 2. cap. 10. num. 6. & 7.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. quæst. 1. num. 8.* Et quod conservatoriæ Regularium non sint sublatæ per decretum *Concil. Trid. sess. 24. cap. 20. de reform.* etiam quod causæ sint graves, & plenariam cognitionem requirant, declaravit S. Cong. Concilii, teste Rota *in Oscen. jurisdict. 12. Decembris* 1614. coram Ubaldo sen. 18. cujus declarat. meminerunt Francisc. Leo *in thes. for. Eccles. par. 5. cap. 39. num. 58.* Flau. Cherub. *in compend. Bull. in schol. 2. ad const. 34. Pauli V.* Barbosa *in sum. v. Conservator num. 21.*

283 Cùm tamen Greg. XV. *in sua constit. 9. §. 6.* statuisset, quod Regulares infra certum tempus eligerent Conservatores, & quamdiu non elegissent, coram Ordinariis convenirentur; dubitatumque propterea fuisset, an illi, qui infra illud tempus non elegerant Conservatorem, possent illud imposterum eligere; dubitatione delata ad S. Congreg. Concilii respondit eos posse per decretum sequentis tenoris, videlicet: *In Constitutione de Conservatoribus, edita à sanct. mem. Gregorio Decimoquinto, ex Sacra Congregationis Concilii inter cætera statutum est, ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint. Dubitatur nunc, An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit ejusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis, dummodo observent formam præscriptam Constitutionibus Innocentii Quarti, & Bonifacii Octavi relatis in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6.* Itaque igitur nunc quoque in potestate Regularium est eligere Conservatores suos servata forma *d. const. Gregorianæ.*

284 Quamobrem cùm eligere Conservatorem, eoque uti sit privilegium, quo uti, libertatis est; ideò ex eo quod aliquis Conventus, seu domus regularis non eligat Conservatorem, vel eo electo non utatur, non sibi præjudicat, ut ex Feder. de Sen. *cons. 14. num. 5.* dixit Lauret. de Franc. *ad const. 9.* Greg. XV. *quæst. 4.* & ibi Pasqual. *num. 834.* Quod si aliquis Religiosus pateretur se conveniri apud alium Judicem, non præjudicaret suæ Religioni, cui non potest ferre præjudicium, imò nec amitteret pro se privilegium, quod cùm habeat tractum successivum ad plures actus ad summum ille amitteret illud pro illa sola vice. Panorm. *cap. cùm accessissent num. 7. de constit.* & ibi Felin. *num. 27.* Puteus *l. 2. decis. 318. num. 3.* Rota *decis. 340. num. 5. part. 4. divers. & decis. 704. num. 9.* coram Buratto, *& decis. 72. num. 9. part. 1. recent. & decis. 63. num. 10. part. 3.* Sed Regularis neque id potest perdere, quia agitur de jure superiorum, quod per consimilem actum læditur, & ideò non consentientibus ipsis non tenet illa tacita renuntiatio, & ideò superiores poterunt impedire, ne ille subditus prosequatur causam sub illo judice alio à Conservatore. Et imò nunc nec spatio quadraginta annorum per actus contrarios præscribi posset privatio hujus privilegii, cùm sit munitum decreto irritanti nedum posito in pluribus Regularium privilegiis, sed & in ipsa Constitutione Gregoriana, in qua tamen decernitur, ut Regulares conveniantur coram Conservatore, sed & præterea ex vi suorum privilegiorum ad præscribendum contra Regulares requiritur centenaria, ut pluribus relatis privilegiis probavi *tom. 3. de statibus, quæst. 187. artic. 4. num. 686.*

Sed præterea addendum est, quod licèt non exempti permittere possint renuntiando suo favori, ut non coram Conservatore, sed coram Ordinario conveniantur; hoc tamen non possunt facere Regulares exempti, quia hoc redundaret in præjudicium Sedis Apostolicæ, ut notant Panorm. *cap. 1. n. 29. de re jud.* Felin. *in cap. cùm olim num. 3. de præscript.* Jo. Andr. *in cap. scienti in fin. insr. de reg. jur.* ubi Franc. *n. 4.* & favet *constit. 9.* Greg. XV. §. 9. ubi mandat Regulares conveniri coram Conservatoribus. 285

Monasteria verò, seu Conventus, aut domus, quæ non habent Conservatorem duplici commodo privantur. Primò quatenus sint actores, quia necesse est, ut sequantur forum rei, etiam ut inveniant defensorem à manifestis injuriis, & violentiis. Et sic ubi reus sit laicus illum convenire debent, vel coram Ordinario, vel ut permittitur in *constit. Gregoriana*, §. 12. etiam coram Judice laico. Secundò quatenus sint rei, in causis civilibus tamen, conveniendi sint civiliter coram Ordinario: Nam in causis criminalibus & mixtis, & ubi criminaliter agendum sit, Regulares coram suis superioribus conveniri debent exceptis casibus, in quibus ex vi Concilii Tridentini, aut Constitutionum Apostolicarum, Regulares subjecti sint jurisdictioni Episcopi. De quibus videri possunt notata *tom. 3. de statibus, & de profess. inspect. 10. cap. 3. & seqq.* 286

Eligere verò Conservatorem spectat ad Prælatos Regulares etiam locales cùm hoc etiam expressum sit in eorum privilegiis, accedente tamen Capituli consensu, cùm agatur de bono communi Conventus. Bordon. *resol. 95. num. 16.* 287

SUMMARIUM.

288 *Particula const. Greg. XV.*
289 *Papa potest dare Conservatorem non habentem qualitates à jure Canonico requisitas.*
290 *Episcopi, & superiores possunt esse Conservatores.*
291 *Non est necesse quod Episcopi sint judices deputati in synodo.*
292 *Cardinales possunt esse Conservatores.*
293 *Abbates possunt esse Conservatores.*
294 *Etiam titulares.*
295 *Etiam Regulares.*
296 *Priores Conventuales non posse esse Conservatores, plures dicunt.*
297 *De jure communi, & privilegiorum Priores Conventuales possunt esse Conservatores.*
298 *Prælati alicujus Ordinis Regularium non habent interesse proximum in causis aliorum Ordinum.*
299 *An de jure novo Prælati Regulares possint esse Conservatores.*
300 *Et an, ut Prælatus regularis eligatur in Conservatorem, sit necessaria licentia alicujus.*
301 *Vicarius Episcopi potest esse Conservator.*
302 *Et Canonici Cathedralium, non verò Collegiatarum.*
303 *Nec coadjutores dignitatum.*
304 *Ubi non sunt Judices synodales lex Gregor. XV. non obligat.*
Episcopi plures Judices in synodo debent proponere, 304.
305 *Sufficit habere qualitates necessarias tempore deputationis.*
306 *Nullus potest esse Conservator Domini sui, aut sui Conservatoris.*
307 *Uno electo Conservatore non potest eligi alius.*
308 *Non possunt eligi plures Conservatores.*

ARTI-

ARTICULUS XV.

Quis eligi possit in Conservatorem.

288 De eligendis in Conservatores Greg. XV. *in const. 9. de Conservatorib.* §. 2. statuit, & decrevit, *Ut judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in constitutione similis record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit statutum, itaut vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxta decretum Concilii prædicti, judices electi, seu designati sint*. Similia autem prius statuerat Clem. VIII. *in sua constit.* 3.

289 Hic verò non oportet repetere, quæ dicta sunt suprà *ad d. cap. statutum* 11. *de rescriptis*. Nec oportet recensere illos, qui ex plenitudine potestatis Papæ possent esse Conservatores, cùm potestas Papæ limitationem in hoc non habeat, ita quod etiam laicum Conservatorem dare posset, ut vult Moneta *de conservat. cap.* 5. *num.* 12. & quamvis ipse *num.* 14. velit, quod Papa laico non possit delegare facultatem excommunicandi, tamen communis DD. sententia docet oppositum, ut patet per DD. ab ipso citatos *num.* 13. hocque certum est, quod Papa omnem inhabilitatem, quæ sit de jure Canonico potest tollere, & quemcumque sic inhabilem habilitare, & ut ferat censuras, & ut sit suus Delegatus, & Conservator.

290 Est etiam certum, quod Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi possunt esse Conservatores, ut dicitur in hac decretali, habent enim dignitatem in Ecclesia Cathedrali, cujus caput sunt. Et sufficere quod sint confirmati, licèt non consecrati, habetur ex hac nostra Decretali, & advertunt Gloss. & DD. omnes ejus interpretes. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 9. *cap.* 4. Silvest. *v. Conservator num.* 2. Tabien. *num.* 1. Tholos. *syntag. jur. l.* 47. *cap.* 22. *num.* 28. Miranda *p.* 2. *quæst.* 47. *art.* 2. Rodriq. *p.* 1. *quæst.* 65. *art.* 2. Moneta *cap.* 5. *num.* 79. Cochier. Azor. Imol. Vulp. Bonac. quos sequitur Barbos. *de off. Episc. alleg.* 106. *num.* 8. Tambur. *tom.* 3. *d.* 17. *quæst.* 2. *num.* 11. Lezana *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 11. Donatus *part.* 2. *tract.* 17. *quæst.* 25. Id verò declaratum fuisse à Sacra Congr. *Episc. & Reg. sub die* 2. *Decembr.* 1622. & se vidisse declarationem testatur Lezana *d. num.* 11. Alterius quoque declarationis datæ ad instantiam Carthusiensium *sub die* 23. *Octobris* 1623. ex Peyr. *tom.* 3. *ad constit.* Greg. XV. meminit Donatus *d. qu.* 25. *num.* 4. Solum nunc obstat, quod cùm Conservatores non possint audire causas extra Diœcesim, in qua est Monasterium vel domicilium personæ, cujus sunt Conservatores, Episcopus alterius Diœcesis non poterit officium Conservatoris exercere, si maneat in sua Diœcesi. Episcopus verò titularis, vel qui renuntiavit Episcopatui, & manet intra Diœcesim & ritè, & sine incommodo poterit esse
291 Conservator. Nec obstabit, quod non sit Judex synodalis, quoniam decretum quod Conservatores sint Judices synodales non afficit superiores, & Ordinarios, sed simplices dignitates, & Canonicos. Nam advertendum est quod statutum Clem. VIII. & Greg. XV. innititur decreto *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 10. *de reformat.* Ibi verò expresè decernitur, ut in synodi, deputentur Judices, quibus præter Ordinarios, committi possint causæ: unde in Ordinariis non est necessaria hæc qualitas, ut sint Judices deputati in synodis, cùm imò ipsi jure Ordinario sint Judices in synodis, & synodorum capita. Non ergo decretum illud, quod Conservatores debeant esse Judices synodales afficit Episcopos. Alfonsus de Leon *de cens. recollect.* 4. quem refert, & sequitur Donatus *d. quæst.* 26. *n.* 3.

292 Cardinales etiam licèt non sint Episcopi eligi possunt in Conservatores, tum primò, quia in suis titulis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut habetur ex *cap. His, quæ, de major. & obed.* & tradunt Felin. & alii DD. ibid. Gemon. *tract. de indult. Card.* §. *tam ratione num.* 15. Lancell. Conrad. *in templ. omn. jud. l.* 2. *cap.* 2. §. 3. *num.* 17. Petrus à Mont. *tract. de potest. Pontif. tit. de Card. num.* 2. Jo. Monac. *sup. in hoc lib. cap. de major. & obed.* Et sic cadunt sub nomine Ordinarii, & non sunt de illis, quos necesse sit esse judices in synodo deputatos, ut sint Conservatores. Accedit, quod Cardinales dignitate sunt Episcopis superiores, ut probant Lancellot. Conrad. *d.* §. 3. *num.* 1. & Jacobat. *de Concil. lib.* 1. *art.* 1. *num.* 247. Bellarm. *tom.* 1. *controv. l.* 5. *cap.* 16. & post Silvest. & Angel. Suarez *de pœnit. disp.* 27. *num.* 6. At verò juxta sancita in hac Decret. superiores Episcopis possunt esse Conservatores. Sed tertiò negari non potest, quod Cardinales non habeant dignitatem in Ecclesia, cùm illam habeant maximam in Ecclesia Romana, unumque corpus constituant cum Romano Pontifice, *cap. novit, & cap. quante, de his, quæ fiunt à Præl.* Nec est unde dicatur eis deficere conditionem quod sint judices synodales. Nam præterquam quod Concil. ad quod se remittunt Clem. VIII. & Gregor. XV. non loquitur de Ecclesia Romana, ut est notorium, sed de Ecclesiis inferioribus; Cardinales sunt plusquam synodales judices, cùm à Papa omnium synodum capite sint assumpti tamquam adjutores in totius Ecclesiæ gubernio, & in Congregationibus munus judicis supremi gerant, unde indubitatum est, Cardinales posse eligi in Conservatores, ut tenent Moneta *de conserv. cap.* 5. *num.* 34. Lezana *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. Peyr. *tom.* 2. *ad constit.* 5. Greg. XV. §. 2. *num.* 12.

Abbates etiam eligi possunt in Conservatores; sicut do- 293
cent DD. supra *num.* 290. citati. Nedum enim habent dignitatem in Ecclesia collegiata, cùm suarum Ecclesiarum sint capita; sed si habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & territorium, sunt judices Ordinarii suorum districtuum. Nec verò est difficultas ex eo, quod nunc non sufficiat habere dignitatem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, sed necesse sit, quod sint judices synodales, nam loquendo de Abbatibus, qui sunt Ordinarii in suis districtibus, & habent jurisdictionem quasi Episcopalem, non cadunt sub decreto *Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 10. *de reformat.* cùm ibi excipiantur Ordinarii. Nam & de istis Abbatibus, vel Prælatis regulariter non potest esse dubium an sint capaces, ut delegentur illis causæ. Et imò in jure nedum veniunt sub nomine Ordinarii, sed etiam sub nomine Diœcesani. R. P. D. Fagnan. *cap. Accedentibus nu.* 29. *de excess. Præl.*

Sed & Abbates titulares, qui non habent territorium, vel 294
subditos, quos regant, nihilominus habent dignitatem Abbatialem, quæ non est dignitas membri, vel partis alicujus Collegii, sed capitis, & Rectoris in Ecclesia, & habent dignitatem excellentiæ primam post Episcopalem. R. P. D. Fagnan. ubi sup. *num.* 28. & notavi in principio hujus textus *num.* 3. Concilium verò, qui ad hoc, ut possint esse Delegati requirit in habentibus dignitatem, ut sint deputati judices in synodis, quia loquitur de habentibus dignitatem alterius rationis à dignitate Ordinariorum, loquitur de habentibus dignitatem per modum membri & partis in Cathedralibus, seu Collegiatis, non verò de illis, qui habent dignitatem tamquam Ordinarii; Abbates verò etiam titulati non sunt membra Collegii, sed titulo, & dignitate sunt Ordinarii, licèt non sint tales in exercitio, quia actu subditos non habent, sicut Episcopi titulares sunt Ordinarii in habitu, & titulo, licèt exercitè non habeant facultatem judicandi, cùm subditos non habeant.

De Abbatibus Regularibus, quod non possint eligi in 295
Conservatores probat Barbosa *in sum. in v. Conservator num.* 14. ex eo quod S. Cong. Concil. *die* 2. *Martii* 1619. dixerit posse eligi in Conservatorem Abbatem Ordinis Olivetani, si Episcopus eum in synodo deputaverit judicem synodalem. Hujus declarationis meminit ex Barbosa, Lezana *d. cap.* 10. *num.* 14. & ex Sellio *in select. Canon. cap.* 12. *Lucerna regul. v. Conservator num.* 5. Unde per argumentum à contrario sensu deducitur, quod si hujusmodi Abbas non sit deputatus judex synodalis, non potest eligi in Conservatorem. Sed jam ex vulgata declaratione ejusdem S. Congregationis Concilii hujusmodi declarationibus non authenticis relatis à DD. nulla fides est adhibenda nec in judicio, nec extra, & nec ex eis sic relatis sine insertione propositi casus, cui S. Congregatio respondet, potest rationabiliter discurri, & haberi sensus certus earum, etiam dato, quod veræ essent. In proposito autem nostro indubitatum est, quod quantum fit ex vi *d. cap. statutum*, & præsentis Decretalis, Abbates Regulares possunt esse Conservatores. Nam in hac Decretali Abbates sine limitatione, & distinctione numerantur inter eos, qui possunt esse Conservatores, & ita sine distinctione textum interpretantur DD. & non est dubium Abbates tamquam habentes dignitatem comprehendi *in d. cap. statutum*, ut per DD. relatos abundè ibid. *num.* 18. relatos.

Quod

Quod verò in istis non adsit necessitas, ut sint Judices deputati ab Episcopo in synodo, ex eo probatur, quod hujusmodi Abbates habent subditos, & suo modo territorium, & districtum, & jurisdictionem utriusque fori, & sunt verè & propriè Ordinarii. At verò in Ordinariis, ut sint Delegati non est necesse quod sint judices deputati ab Episcopo; quoniam *Conc. Trid. sess. 25. cap. 10.* ubi vult in Delegatis esse necessarium, quod sint judices synodales, loquitur de illis, qui non sunt Ordinarii, ut est ex textu manifestum ibi, *præter Ordinarios*. Ideò dato, quod præfata declaratio S. Cong. vera esset, non potest ex ea per locum à contrario sensu deduci, quod Abbas Regularis non deputatus judex in synodo, non possit esse Conservator.

296 De Prioribus Conventualibus, Guardianis, Præpositis, vel similibus Superioribus localibus, si non sint judices synodales, quod non possint eligi in Conservatores, voluerunt Barbosa *d. alleg. 106. num. 15.* Bordon. *all. 95. num. 15.* Lezana *p. 2. cap. 10. num. 14.* Barbastren. *in Pastorali part. 1. claus. 2. num. 6.* Diana *p. 9. tr. 9. resol. 26.* Donatus *p. 2. tr. 17. quæst. 29. num. 2.* Palaus *tom. 3. tract. 16. disput. 4. par. 11. §. 1. num. 9.* Fragos. *tom. 2. l. 4. cap. 12. §. 6. num. 112.* Fundantur primò in declaratione S. Congr. Episcoporum, & Regul. *in Turritana 8. Octob. 1617.* quam refert Barbosa, & ex eo alii. Secundò probatur, nam aliàs sequeretur maximum inconveniens, quia nimirum posset admitti in judicem, qui in causa habet aliquod interesse, Regulares verò habent in aliorum Regularium causis immediatum interesse, quia omnes communicant in privilegiis, ergo ex identitate, & connexione quilibet Regularis Prælatus reputabitur inhabilis, ut sit aliorum Regularium Conservator.

297 Sed certum est, quod nedum de jure privilegiorum, sed de jure communi antiquo, & in terminis *d. c. statutum*, & hujus capituli Priores (non tamen non claustrales, qui nec sunt Prælati, nec habent dignitatem, cùm habeant in Conventu superiorem) Conventuales, seu superiores locales Regulares possunt eligi in Conservatores. Neque enim negari potest, quod isti Priores non habeant dignitatem, cùm habeant in utroque foro jurisdictionem. Et ideò quod Prioratus sit dignitas habetur *cap. Nisi essent, de preb.* & de Priore Conventuali id fatentur Gloss. & DD. in *Clem. 2. de rescript.* Lancell. Conrad. *in templo omn. jud. lib. 2. cap. 9. n. 2.* Et habet dignitatem in Ecclesia Collegiata, ut idem docet *num. 6.* & Bonif. Vital. *in d. Clem. 2. num. 37.* R.P.D. Fagnan. *cap. sane num. 33. de off. Deleg.* Ecclesia enim Conventualis propriè est, & dicitur Collegiata per Innoc. & alios *in cap. Cum dilecta, de excess. Prælat.* Card. *in cap. Nobis, de jurepatron.* Conrad. *d. num. 6.* Barbat. *cons. 17. vol. 1.* Mascard. *de probat. concl. 580.* Menoch. *l. 3. præsumpt. 90. num. 20. & 23.* ubi post Hostiens. *d. cap. Nobis* ait Ecclesiam Conventualem esse Collegiatam, per text. *in cap. Ne pro defectu, de elect.* ubi Ecclesia Conventualis æquiparatur Cathedrali. Quod etiam tradit Greg. Thol. *Partit. jur. Canon. l. 1. tit. 27. cap. 9. num. 5.* Et ideò nedum verum est, quod Prælati Regulares locales possunt esse Delegati Papæ in vim *d. cap. statutum*, per DD. ibi relatos *num. 18.* sed etiam quod possunt esse Conservatores, ut dixerunt *in d. Clem. 2.* Gloss. *in v. Delegatus*, Imola *num. 30.* Vital. *num. 37.* Tabien. *v. Conservat. num. 2.* Armill. *num. 2.* Rodriq. *p. 1. quæst. 65. art. 13.* Moneta *de conservat. cap. 5. num. 24.* Azor. *p. 1. l. 3. cap. 12. quæst. 7.* Flores de Mena *q. 4. num. 18.* Miranda *p. 2. quæst. 47. art. 2.* Sanchez *in præcept. Dec. t. 2. l. 6. cap. 13. num. 79.* Capell. Tol. *decis. 13. nu. 3.* Passarell. *in not. privil. not. 32.* Felician. à Vega *cap. Causam q. 9. n. 46. de jud.* Lezana *p. 2. cap. 10. n. 14.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. q. 4.* Donatus *d. q. 29.*

298 Ratio autem, qua urget in contrarium Barbastren. deficit, ex eo quod interesse, quod possit habere Prælatus unius Ordinis in manutentione privilegiorum est remotissimum, & commune cuicumque judici, omnis enim lex favorabilis est, & cujuscumque judicis summè interest, ut leges intactè serventur; ipsique judici contingere posset habere litem cum alio talem, qualem habent partes, nec tamen ob hoc dicitur habere interesse proximum in lite, ut non possit esse Judex. Sic non obstat, quod in Congregatione Episcoporum, & Regularium, qui sunt, vel possunt esse, & erunt Episcopi sint judices in causis, quæ vertuntur inter Episcopos, & Regulares. Sic tam apud Ecclesiasticos, quàm apud laicos Principes Ministri Cameræ seu Fisci sunt Judices in causis, quas privatæ personæ habeat contra Cameram, vel Fiscum, & censetur interesse remotum, etiam si contingat, quod in favorem judicum cedat pars ejus, quod Cameræ, vel Fisco adjudicatur. Præterquam quod concesso interesse proximo Prælatorum unius Ordinis in manutentione privilegiorum communium, ratio illa non probaret, nisi quod ubi ageretur de manutentione alicujus privilegii, Prælatus Conservator posset recusari; nam & Episcopus in causa spectante ad suam mensam est legitimus judex, & validè judicat, potest tamen recusari.

Restat igitur videre, an adsit aliquod jus novum, per quod derogatum sit juri antiquo. Affertur verò decretum S. Congreg. Episc. & Reg. sequentis tenoris. *Quærente Archiepiscopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monasterii, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium, quavis dignitate Regulari fulgentem, in suum Conservatorem eligere, vel deputare possint? Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpositorum non posse respondit. Romæ 6. Octobris 1617.* Sed hoc decretum totum in contrarium refert Jo. Maria Novarius in Lucerna Regularium, apud me impressa Venetiis 1643. apud Turrinum, verbo *Conservatores num. 4.* sic dicens: *Conservatorem suum eligere, vel deputare possunt Regulares unius Conventus, Monasterii, vel domus, illum qui fuerit Prior, seu Guardianus, aut quavis alia dignitate Regulari fungatur. S. Cong. Episcoporum, & Regular. in Turritana 8. Octobris 1617.* Et ne dicatur, quod hic sit error impressoris, advertatur, quod etiam in summario ibidem dicitur: *Regulares possunt eligere in eorum Conservatorem, Priorem, seu Guardianum*. Nihilominus dicitur declarationem illam S. Congregationis, ex Sellio relatam à Barbosa, & aliis esse veram, quam authenticam ego vidi, & non *die 6. sed die 8. Octobris 1617.* fuit data, & est tenoris sequentis. *Quærente Archiepiscopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monasterii, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium, quavis dignitate Regulari fungentem, in suum conservatorem eligere, vel deputare possint personam alterius Ordinis.* Sac. Congregatio &c. *non posse respondit*. Et ita huic declarationi standum est. 299

An verò ut Prælatus Regularis eligatur in Conservatorem sit necessaria alicujus licentia. Quidam dicunt in Societate Prælatum inferiorem non posse eligi sine licentia Generalis. Sed quod regulariter non sit necessaria latè probat Tambur. *tom. 3. disp. 17. quæst. 4.* Adhoc enim ut Prælatus sit Judex non est necessaria licentia. De quibus videri possunt dicta *tom. 2. de stat. quæst. 287. art. 2. in spec. 1. à num. 11.* 300

De Vicario Episcopi, illum posse esse Conservatorem, sentiunt Barbos. *d. all. 106. num. 13.* Monet. *d. cap. 5. num. 66.* Peyrinus *tom. 3. in addit. ad constit.* Greg. XV. *cap. 12.* Donatus *d. tract. 17. quæst. 26.* & fuisse hoc determinatum à Sac. Congreg. Conc. 23. *Octobr.* 1623. dicunt iidem Peyr. & Barbosa. Quod enim possit esse Papæ Delegatus, probatum est *d. cap. statutum num. 20.* Cùm verò habeat idem tribunal cum Episcopo, & sit velut Ordinarius Diœcesis, non est opus, ut sit deputatus Judex synodalis ad hoc, ut sit Conservator. 301

In vi etiam præsentis Decretalis Canonici Ecclesiæ Cathedralis eligi possunt, & ex vi *const. Gregorianæ* si sint judices synodales, ut ex verbis *d. constitut.* supra relatis constat. Canonici verò Ecclesiarum Collegiatarum, sed non Cathedralium Conservatores esse non possunt. Barbos. *sess. 25. cap. 10. Concil. Trid. num. 9.* Tambur. *tom. 3. disp. 17. quæst. 1. num. 11.* Genuen. *in pract. quæst. 612. num. 2.* Mazzor. *cap. 4. dub. 10. de synod. Episc.* 302

Coadjutores quoque dignitatum, ac personarum cum futura successione, quia necesse est actu tempore electionis habere qualitates à jure necessarias, ut notavit Lezana *d. cap. 10. num. 52.* Coadjutores verò actu non sunt dignitates, & Personatus, sed sunt expectantes dignitates, aut personatus, ideò non possunt eligi in Conservatores. Cùm enim *d. cap. 10. sess. 25. Concil. Trident. & d. constit.* Greg. XV. requirat, ut eligendus in Delegatum, aut Conservatorem habeat actu qualitates requisitas in *d. cap. statutum*. Ideò etiam si delegatio fieret sub nomine dignitatis, hæc non competeret coadjutori, ut docet Garz. *de benef. p. 4. cap. 5. num. 130.* Barbastren. *in Pastorali, p. 2. claus. 5. num. 32.* latè hoc probans. 303

Ubi tamen detur Diœcesis (sicut dicitur in Indiis contingere) in qua nulli sint Judices synodales ex Concil. Clem. 304

VIII.

VIII. & Greg. XV. non obligat, & possunt eligi in Conservatores illi, qui habent alia requisita *in constit.* Greg. XV. ut declaravit Innocent. X. *in constitut. Cum sicut accepimus* data in causa Angelopolitana, in respons. ad septimum pro parte Societatis. Quod & docuit R. P. D. Fagnan. *cap. si Clericus num.* 58. *de for. compet.* Greg. tamen XV. *in dict. constitut.* §. 5. admonet Episcopos, ut quam plures ex hujusmodi judicibus designari current in synodis, & quod uno demortuo alium de consensu Capituli substituant usque ad novum Concilium, seu synodum. Voluit verò Lezana *d. cap.* 10. *num.* 55. quod dictio illa *admonitos* contineat præceptum; sed inauditum est, quod admonere sit præcipere, & ideò dictio *admonitos* importat consilium non præceptum.

305 Et præterea electus in Conservatorem legitimè, si contingat postea, quod desinat esse judex synodalis, non per hoc desinit esse Conservator, sed sufficit, quod hanc qualitatem habeat tempore electionis, ut declaravit S. Congreg. & habetur in Registro ejusdem S. Congr. manu Nicolii descripto *sub die* 11. *Augusti* 1645. *num.* 19. ut ipse refert Can. *lib.* 1. *tit.* 29. *num.* 11. §. 6. *in fine*. Ex quo deducitur quod qualitates requisitas in *d. cap. statutum, & in constit.* Greg. XV. sufficit habere in principio seu tempore delegationis, aut electionis. Factum enim legitimè retractari non debet, licèt non contingat postea casus à quo non potuit inchoari. Sed de his videnda sunt dicta *d. c. statutum in princ.*

306 Ex textu etiam in præsenti cap. nullus subditus potest eligi Conservator sui domini, & nullus potest esse Conservator sui Conservatoris.

307 Uno etiam Conservatore electo non potest eligi alius. Navar. *cons.* 8. *de off. Deleg. in* 1. *edit.* Rodriq. *p.* 1. *quæst.* 65. *art.* 5. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 47. *art.* 3. Donatus *part.* 2. *tract.* 17. *quæst.* 31. Nam Conservator est Delegatus ad universitatem causarum, unde alius si eligeretur, pro eisdem causis eligeretur, & sic prorogaretur jurisdictio de persona ad personam, quod non potest fieri, *per text. in cap. P. & G. de off. Deleg.* Nam cùm jurisdictio Delegati sit delegantis, ut dicitur *in l.* 1. §. *Qui mandatum, ff. de off. ejus, cui mandata est juris*. Ideò delegantis est, non aliorum extendere jurisdictionem suam ad personas. Semel ergo electo uno Conservatore, eoque acceptante officio non est in potestate Regularium alium eligere. Sed hoc idem habetur ex decreto Gregor. XIII. *& constitut.* Gregor. XV. §. 8. In his enim prohibitum fuit mutare Conservatorem semel electum nisi ex justa causa, & quidem infra quinquennium; hæc verò prohibitio ad nihil valeret, si semel electo uno Conservatore, alius eligeretur. Tertiò, quia ut habetur *cap. Cum plures, in hoc lib. & tit.* pluribus Delegatis datis insolidum, si unus prævenerit in negotio, nullus alius potest se intromittere in illo; ubi verò Delegatus est ad Universitatem causarum, una causa incœpta ejus perpetuatur jurisdictio quoad omnes, & sic quoad omnes prævenit; sic ergo ubi fuit electus unus Conservator, qui incœpit uti commissione in aliqua causa, non potest utiliter eligi alius, nisi prior amoveatur, quia noviter electus, nullam causam poterit cognoscere priori non ablato.

308 Hæ tamen rationes non probant, quod si eligatur unus Conservator pro una tantùm causa, non possit eligi alius pro alia causa, & iterùm tertius pro tertia causa, & sic in infinitum. Hoc enim modò nec prorogatur jurisdictio de persona ad personam, nec mutantur Conservatores, nec unus se intromittit in causa alterius; quia unus non habet jurisdictionem nisi in una causa certa, in qua alii non habent. Verùm dicitur quod Regulares ex privilegiis Conservatores eligere divisim, & pro diversis causis, non possunt, sed Conservator eligendus ab eis est Delegatus ad universitatem causarum; quia cuilibet ex illis electo, & requisito datur universalis facultas, & potestas judicandi, & defendendi. Quod maximè patet ex *constit. Ad hoc, Pii Quinti pro Præd.* ibi: *Conservatores, & Judices unicos, qui quamdiu dictum officium exercueritis &c.* subdens postea hos sic electos posse, & debere defendere, & præservare in omnibus, ut latius ibidem describitur. Conservator igitur eligendus est Judex unicus, & ad universitatem causarum habens statim a Pontifice jurisdictionem; non igitur potest eligi, ut habeat jurisdictionem ad unam causam tantùm, & non ad aliam. Et hoc supponit *const.* Greg. XV. prohibens Conservatorem electum intra quinquennium mutari.

SUMMARIUM.

309 *Quæstionis ratio.*
310 *Exhibere penes acta Curiæ documentum electionis Conservatorum non est de forma.*
311 *An sit necesse notificare electionem Conservatoris Episcopis.*
312 *Praxis Toletana.*
313 *Notificatio facta infra mensem non est essentialis.*
314 *Pœna eligentium Conservatorem non servata forma.*
315 *Pœna Conservatorum: remissivè.*

ARTICULUS XVI.

Quæ sit forma eligendi Conservatores.

Formam eligendi Conservatores ponit Gregor. XV. *in constit. de Conservatoribus in* §. 2. Sed ibi de forma non requirit, nisi quod Conservatores habeant qualitates descriptas à Bonifac. VIII. *in cap. statutum* 11. *sup. de rescript. in hoc lib.* & ulterius, quod eligendi juxta decretum *Concil. Trident. sess.* 25. *cap.* 10. sint aliàs judices synodales. Addit verò in §. 3. quod literæ conservatoriæ solum habentibus præfatas dirigantur, & si aliter fiat literæ sint nullæ. Sed quia in §. 6. ex decreto Greg. XIII. mandavit ut Regulares in Italia infra duos menses, & extra Italiam infra sex menses à die publicationis debeant sibi eligere Conservatores. Et in §. 7. quod electionis Conservatoris documentum infra idem tempus penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere tenerentur, aliter coram Ordinariis convenirentur; dubitatum fuit, an quæ continentur in his §. 6. & 7. sint de forma, & essentialia. Dubium autem circa §. 6. jam abstulit Sacra Congreg. in declaratione relata *sup. art.* 14. *num.* 283. Ex qua habetur, quod non fuit sensus, quod Regulares transactis illis duobus, vel sex mensibus respectivè, non possent amplius eligere Conservatores, sed quod illis mensibus transactis Regulares convenirentur coram Ordinariis, remanet ergo dubium circa §. 7. An depositio instrumenti electionis Conservatores pœnes acta Curiæ Ordinariorum sit de forma electionis illius. Et idem quæritur de monitione Episcoporum juxta decretum Greg. XIII. 309

Sed dicitur, quod statutum *d.* §. 7. respicit solum illos primos Regulares, quibus tunc cùm edita fuit constitutio Gregor. XV. & omnes Conservatores prius electi fuerunt cassati, & amoti, mandatum fuit, ut Conservatores de novo infra duos, vel sex menses respectivè eligerent penes, & electionis instrumentum acta Curiæ exhiberent. Unde pro nunc, & pro futuris temporibus illud statutum non obligat; quia solùm datum fuit pro illo tempore, & illud tempus statutum fuit tanquam terminus, ultra quem Regulares conveniendi essent coram Ordinariis, quamdiu Conservatorem non elegissent, quod probatur tum quia formam eligendi Conservatores Greg. posuit in §. 2. & 3. ubi statuit, quod electio Conservatorum, vel deputatio aliter facta sit nulla. Inde in §. 4. & 5. jubet Regulares eligere Conservatores juxta formam jam præscriptam, scilicet in §. 2. & 3. & in §. 7. jubet, ut si non fuissent electi Conservatores juxta formam jam præscriptam. Regulares convenirentur coram Ordinariis: non ergo tunc præscribit formam, sed jam præscripserat. Et confirmatur, quia in §. 7. loquitur de documento illius electionis, quam §. 6. præceperat fieri intra duos, aut 6. menses, ut patet ibi: *Ejusque electionis &c.* At verò ut ex relata declarat. S. Congr. constat, in *d.* §. *6.* sermo est de illa electione, quæ intra illos menses fieri præcipiebatur, quo statuto non obstante, adhuc electio post illos menses fieri potest; igitur & in §. 7. non est sermo de documento electionis, quæ nunc fieri potest, sed quæ tunc fieri præcipiebatur. Et ita quod documentum electionis Conservatoris exhibere penes acta Curiæ Ordinariorum non sit de substantia, & electio valida remaneat etiam tali documento non exhibito, tenent Cesp. *dub.* 318. *num.* 5. Donatus *p.* 2. *tr.* 17. *quæst.* 33. Barbastren. *in Pastorali part.* 1. *claus.* 6. *num.* 2. 310

Necessarium tamen esse, quod juxta decretum Gregor. XV. eligentes Conservatorem infra mensem à die electionis Episcopo loci teneantur Regulares judicare nomen Con- 311

Conservatoris, tamquam decisum à S. Congreg. *sub die* 11. *Junii* 1620. dixerunt Lucerna Regul. *v. Conservator num.* 9. Barbosa *in sum. v. Conservator num.* 18. *& ad cap.* 10. *sess.* 25. *Concil. Trident. num.* 3. Pialec. *in praxi part.* 2. *cap.* 3. *num.* 43. Cespedes *d. dub.* 318. Barbastrens. *in Pastoral. p.* 1. *claus.* 6. *num.* 3. qui *num.* 4. ex Barbos. *cap.* 5. *sess.* 14. *Concil. Trid. n.* 3.

312 Cevallos autem, usum fuisse hac praxi in Ecclesiastico Toletano Tribunali, refert ex eo Fermos. *cap. si quis Clericus, de for. compet. quæst.* 12. *num.* 40. nimirum, quod prius proponeretur libellus coram Vicario Generali, ut reus Religiosus nominaret Conservatorem in illa Civitate, intra breve tempus, coram quo lis ventilaretur, quo transacto agitabitur coram Judice ordinario, & facta notificatione, si nominatur judex Conservator, ad eum debet recurrere Actor, & coram suo Notario, aliàs actionem proponet coram Ordinario. Et hanc practicam docet etiam Guttierez apud Fermos. ibi, qui eam optimam vocat.

313 Ex qua praxi colligitur, quod notificatio Conservatoris non est de essentia. Et quod etiam transacto mense, si non fuit notificata electio Conservatoris, si nihilominus Regulares habent Conservatorem, sufficit quod notificent id dum fuerint citati coram Episcopo, cùm imò secundùm practicam à præfatis DD. laudatam, Episcopi sit, antequam citet, notificare Regularibus, ut si non habent Conservatorem illum eligant. Unde sufficit Conservatorem eligere etiam postquam actor porrexit libellum coram Ordinario, antequam Ordinarius apponat manum, & citet Regulares. Licèt enim judex citando præveniat, tamen citatio effectum non sortitur, si citatus in judicem non consentiat. Regularis verò habens Conservatorem nec potest consentire in Episcopum, & ideò sufficit, quod tunc cùm est citatus excipiat, & se habere Conservatorem denuntiet. Nunc enim standum est decreto Greg. XV. *in constit. sua* 9. §. 7. In quo statuitur, ut quamdiu Regulares secundum formam *d. const. tn.* Conservatorem non eligerent, coram Ordinariis conveniantur. Solum igitur coram illis conveniri possunt, quamdiu Conservatorem non elegerint, sed eo electo, non possunt Regulares cogi, ut coram Ordinario litigent.

Pœnæ autem latæ à Greg. XV. contra eligentes Conservatorem non servata forma ab eo statuta in *d. constit.* §. 2. *&* 3. ponuntur ibid. §. 4. Et quidem eligentes non servata illa forma, aut sic electus ineriti sunt ipso facto privati voce activa, & passiva, si sunt Regulares: quæ pœna est Summo Pontifici reservata. Non regulares verò puniuntur pœna Summo Pontifici arbitraria. Conventus verò, Monasteria, & loca hujusmodi, eorumque personæ ac bona carent Conservatore ad annum, intra quem eorum causæ solum coram Ordinario cognosci possint. 314

De pœnis verò Conservatoribus debitis, si excedant in sui officii exercitio, dictum fuit in expositione textus. 315

DE OFFICIO LEGATI.

Innocentius Quartus.

CAPUT PRIMUM.

OFficii nostri debitum remediis invigilat subditorum: quia dum eorum excutimus onera; dum scandala removemus: Nos in eorum quiete quiescimus, & fovemur in pace. Proinde præsenti decreto statuimus, ut Ecclesiæ Romanæ legati quantumcumque plenam legationem obtineant, sive à nobis missi fuerint, sive suarum prætextu Ecclesiarum legationis sibi vendicent dignitatem: ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem; nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. Quod in fratribus nostris legatione fungentibus nolumus observari: quia sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.

S V M M A R I V

1 *QVi tractent de materia hujus cap.* 1.
2 *Summa textus.*
3 *Legatus quis dicatur.*
4 *Legati nati, & missi.*
5 *Legati nati, & missi seu Nuntii non conferunt beneficia.*
Nisi ex speciali commissione: & qualis data Nuntio Hisp. 5.
6 *Vel dentur cum facultate Legati à latere.*
Datur eis facultas limitata, 6.
7 *Eorum litteræ videndæ, & registrandæ in actis, ubi fit lis de valore collationis.*
8 *Legati à latere, qui dicuntur.*
9 *Legati à latere beneficia conferuntur.*
Etiam Iurispatronatus Clericorum 9. *& uniunt beneficia,* 9.
10 *Etiam exemptorum.*
11 *Etiam Canonicatus.*
12 *Etiam beneficia devoluta.*
13 *Et Legato non currit tempus.*
14 *Non tamen beneficia extra Provinciam.*
15 *An conferat devoluta alteri ut Delegato Papæ.*
Confert tamen beneficia suæ Provinciæ, licet collatio spectet ad Prælatum extra, 15.
In collatione attenditur locus beneficii, 15.
16 *Potest beneficia reservare.*
17 *Et existens extra Provinciam ea confert.*
18 *Concurrit cum quolibet Ordinario.*
19 *Non obstantibus concordatis Galliæ, & Germaniæ.*
Quod non verificatur in mensibus alternativæ, 19.
An teneat collatio Legati de saltem titulum coloratum, 19.
20 *Potest unire beneficia, &* 21.
22 *Et ea commendare ad tempus.*
23 *Et pensiones imponere.*
24 *Non confert Cathedrales, &c.*
25 *Nec reservata.*
26 *Nec vacantia in Curia.*
27 *Nec electiva.*
28 *Nec litigiosa.*
29 *Nec Iurispatronatus laicos.*
30 *Nisi in duobus casibus.*
31 *Nec Iurispatronatus mixtos.*
32 *Nec Canonicatum supranumerarium.*
33 *Nec delegata specialiter alteri.*
34 *Pontifex adstrictus legi divinæ, ut invigilet remediis subditorum.*
35 *Ad duo præstanda Papa se cognoscit debitorem.*
36 *Quies subditorum, est quies Principis.*
37 *Qualiter impedienda scandala.*
38 *Denominatio fit à nobiliori parte multitudinis.*
39 *Cardinales præ cæteris honorandi.*
An liceat lætari de prærogativa honoris, 39.
40 *Facultas dispensandi beneficia compatit de jure Legatis à latere.*

DE potestate Legatorum ad conferenda beneficia, quæ est materia hujus capitis tractant Speculator *tit. de off. legati,* §. 5. *Nunc tractemus,* Selva *de benef. part.* 2. *quæst.* 3. Corras. *p.* 2. *cap.* 3. Durand. *l.* 3. *cap.* 3. Gambarus *lib.* 3. Brunellus *conclus.* 19. *cum seqq.* Tuscus *l. L, à conclus.* 169. Azor. *p.* 2. *lib.* 5. *cap.* 28. *& l.* 6. *cap.* 25. *quæst.* 6. *&* 7. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 3. Flamin. *l.* 7. *de resignat. benef. quæst.* 13. 1

Juxta verò distinctionem vulgarem Legati, in legatum natum, 2

natum, missum, & à latere, ponuntur in textu duæ conclusiones seu una bimembris, quæ est, quod legati nati seu missi non conferunt beneficia, quæ tamen ob eorum prærogativam in dignitate, & honore conferunt Legati à latere.

3 Legatus dicitur quicumque ab alio est missus, ut hic colligit Archid. *num.* 3. *ex cap. Presbyterum dist.* 30. *& cap. Ego, dist.* 63. *cap. ult.* 27. *dist. & cap. Hoc quippe* 3. *quæst.* 6. Unde legatus etiam dicitur Vicarius muneris alieni, *l. Vicarius, & l. Legatus, ff. de off. leg.* Quamobrem Sedis Apostolicæ legati dicuntur illi, quibus per Pontificem aliqua certa patria, vel Provincia ad gubernandum mandatur, *cap.* 1. *cap. Novit, cap. Volentes, sup. de off. leg.*

4 Dicuntur verò legati nati, qui ratione suarum Ecclesiarum obtinent dignitatem, seu honorem legationis; quales dicuntur esse Archiepisc. Eboracen. & Cantuarien. Reinen. & in Italia Pisanus, ut notatur *sup. cap.* 2. *eod. tit. & cap.* 1. *de appellat. & cap.* 1. *de fil. Presbyt.* Legatus autem missus est, qui non de latere mittitur à Pontifice ad aliquam Provinciam regendam, *cap. placuit* 7. *quæst.* 1. *cap. Volentes sup. eod. tit. cap. Cùm dilectus, de accus. & in hoc cap.* De quibus legatis videri possunt Gloss. hic, Mon. *num.* 3. Domin. *num.* 1. Franc. *num.* 3. Barbos. *num.* 5. *& lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5. *num.* 52. Speculat. *tit. de off. leg.* §. 3. Garzias *de benef. part.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Et hi legati alio nomine communiter dicuntur Nuntii.

5 Itaque legati isti sive nati, sive non de latere missi, qui dicuntur Nuntii, non possunt conferre beneficia vacatura in eorum Provinciis. Et quamvis in eis sint tamquam Ordinarii, vi tamen legationis beneficia non possunt conferre, quia sic jura disponunt, nisi specialiter eis hæc facultas fuerit concessa. Concedi verò hanc facultatem, sed limitatam Nuntio Hispaniarum, nimirum ut possit conferre beneficia simplicia extra Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias consistentia, & valorem 24. Ducatorum de Camera non excedentia, relata particula literarum Apostolicarum Sixti Quinti, & Clem. VIII. testis est Garz. *p.* 5. *cap.* 3. *num.* 84. *& seqq.* Ubi 17. dubia proponit, & solvit circa dictarum literarum intelligentiam, & similem facultatem concedi Nuntiis missis cum facultate Legati à latere, refert Barbos. *d. cap.* 5. *num.* 53.

6 Censetur verò Nuntio concessa facultas conferendi Beneficia, si sint dati cum facultate Legatorum de latere, Mand. *reg.* 13. *Cancell. quæst.* 6. *n.* 4. Gonzalez *ad reg.* 8. §. 2. *Proœm. num.* 54. *&* 55. Probat. *cap. seqq. in fine*, Barbos. *d. cap.* 5. *n.* 52. Garzias *d. cap.* 3. *num.* 82. Sed inspiciendæ sunt literæ, per quas Nuntii constituuntur; non enim sine multis limitationibus solet eis concedi facultas conferendi beneficia, & praxim esse, ut hæc facultas restringatur ad beneficia non excedentia valorem 24. Ducatorum de Camera computatis distributionibus ait loco citato Garz. *n.* 56. *& num.* 58. quod non conceditur facultas conferendi dignitates, Canonicatus, aut præbendas in Cathedralibus, aut Collegiatis, etiam si va-

7 lorem 24. Ducatorum non excedant. Et quia Nuntiorum facultates solent mutatione Pontificum, aut Nuntiorum mutari, & in aliquibus augeri, aut minui, ut quis de illis certior sit, illarum tenor inspici debet, *cap. porro, cap. Recepimus, de privil. L. diligenter, ff. mandati.* Archid. hic *nu.* 3. Quamobrem cùm in judicio agitur de aliqua causa beneficiali, facultates Nuntii in actis produci debent. Rota *p.* 1. *lib.* 3. *divers. decis.* 73. Gonzalez ubi sup. *num.* 64. Garz. *d. cap.* 3. *n.* 84. Ubi subdit, quod quamvis Nuntii in suis literis habere soleant clausulam, quod in concessis gratiis, & aliis dispositionibus vi suæ legationis faciendis, soli narrationi, ac etiam solis concessionibus ac literis suis absque alia facultatum insertione, aut Notarii, testiumque adhibitione stetur, tamen id non videtur intelligendum in contradictorio judicio, circa ea, quæ non veniunt jure delegationis, sed requirunt specialem facultatem ut in proposito.

8 Legati verò à latere sunt Cardinales, qui mittuntur ad gubernandas Provincias, & dicuntur à latere, quia de latere Papæ mittuntur, ut enim ex Hostien. notat Domin. *num.* 1. Cardinales dicuntur Collaterales, quia unum corpus conficiunt cum Summo Pontifice, *cap. Felicis, infr. de pœn.*

9 Legati ergo à latere beneficia conferre possunt, ut in hoc textu decernitur, & infra *cap. si à Sede, de prebend. & sup. cap. Dilectus hoc tit. & cap. Cùm dilectus de jur. patron. & de prab.* Nunc tractemus *num.* 1. Gambar. *l.* 3. *nu.* 6. Garz. *l.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. Martinus Laudens. *de off. leg. in princ.* Selva *de benef. p.* 2. *quæst.* 3. *num.* 34. Rochus de Curte *de jure patron. quæst.* 3. *v. honorificum*, Gigas *de Pens. quæst.* 6. *num.* 18. Rota *decis.* 624. *n.* 1. *p.* 4. *divers.* Barbosa plures referens, *de jure Eccles. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 28. Et ita quod conferre possunt etiam beneficia jurispatronatus Ecclesiastici, *cap. Dilectus, de off. legat. & cap. Cùm dilectus de jure patronat.* Quod intelligitur etiam non facta mentione, aut derogatione jurispatronatus, quia nedum Papa, sed Legatus à latere potest hujusmodi beneficia conferre nulla facta mentione, *d. cap. Cùm dilectus de jure patron.* Garz. *d. cap.* 3. *num.* 18. Felin. *in tract. Quando literæ Apostolicæ limit.* 3. Barbosa *part.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5. *num.* 38.

Et beneficia exemptorum, seu exempta, quoniam Legatus est Ordinarius exemptorum, ut notatur *cap. si Abbatem, sup. de elect. in hoc* 6. *& cap. auctoritate, infr. de privil.* Gamb. *l.* 3. *num.* 11. *&* 94. Garz. *d. l.* 5. *cap.* 3. *num.* 19. Selva *de benef. quæst.* 66. *par.* 3. Barbosa *de jur. Eccles. p. prima cap.* 5. *num.* 30. *&* 31. 10

Et Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, Panorm. *in cap. Dilecto in princ. de prabend.* Gambar. *d. l.* 3. *n.* 8. 11

Et beneficia aliàs non reservata, & devoluta ad Papam ex negligentia illius, ad quem illa spectabat conferre in terminis Concil. Lateranen. Gloss. hic *in v. ampliori*, Archid. Anchar. *num.* 3. Dom. *num.* 14. Franc. *num.* 6. Prob. *num.* 8. Barbos. *num.* 6. *& lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5. *num.* 32. Et ita quod hoc verum sit, etiam de devolutis ad quemlibet alium, ita quod Legatus devoluta beneficia in Provincia existentia possit conferre quotiescumque illa conferre spectaret ad aliquem Prælatum suæ Provinciæ, sive jure proprio, sive devoluto. Card. *in Clem. si de beneficio, quæst.* 5. & Imol. ibid. *de præben.* Selva 3. *p. quæst.* 3. *n.* 5. Garz. *d. cap.* 3. *n.* 24. Et imò quod hujusmodi beneficia devoluta possit, etiam si illorum collatio spectet ad Prælatum extra suam legationem existentem, Gambar. *d. l.* 3. *n.* 22. Garz. *d. c.* 3. *n.* 27. Barbosa *de jure Eccles. p.* 1. *c.* 5. *n.* 35. 12

Unde est, quod quidquid in contrarium dixerit Lapus *in d. Clem. si de Beneficio*, legato non currit tempus sex mensium ad conferendum, sicut currit Ordinario, Gamb. *d. l.* 3. *num.* 14. *&* 622. Unde Legatus à latere potest conferre beneficia, quæ aliàs ex propria negligentia devoluta essent ad Papam. Rota apud Puteum *decis.* 266. *lib.* 2. *aliàs* 258. *in correctis*, & apud Mohed. *decis.* 3. *de off. Deleg.* Cardin. *in Clem. si de beneficio quæst.* 5. *num.* 54. Selva *d. quæst.* 3. *circa fin.* Barbosa *de jure Eccles. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 33. Palaus *tom.* 2. *tr.* 13. *d.* 2. *p.* 25. *n.* 9. Videndum tamen quod dicitur infra *c.* 4. *n.* 19. 13

In duobus tamen casibus Legatus secundùm multos DD. non confert beneficia devoluta. Primus est, si beneficia sint extra suam Provinciam. Esto enim horum beneficiorum collatio devolvatur ad Prælatum, qui sit de Provincia, non potest legatus ea conferre, quia beneficia extra Provinciam suam existentia conferre non potest. Probus hic ad Mon. *num.* 9. Gambar. *d. lib.* 3. *num.* 16. *&* 20. Garz. *d. l.* 5. *cap.* 3. *num.* 29. Butr. & Innoc. *in cap.* 2. *de concess. prebend.* Barbosa *par.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5. *num.* 36. Secundus casus est, si collatio ex negligentia Prælati Regularis devolvatur ad Ordinarium, aut alium, ut ipse conferat ut Delegatus Papæ, seu auctoritate Apostolica, ex *Clem.* 1. *de supplend. neglig. Prælat.* Ita ex Cosm. Selva, & Rebuff. Graff. *d. cap.* 3. *num.* 32. Cùm enim tunc Ordinarius conferat, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, id facere non potest legatus, *cap. studuisti.* Gloss. *in d. Clem. si de beneficio* 3. *sive ad nos.* Panorm. *in cap. Dilectus num.* 6. *de off. legati*, Selva *de benef. part.* 3. *quæst.* 66. *num.* 4. Barbosa *de jure Eccles. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 34. Qui tamen DD. affirmant posse Legatos conferre, si ex negligentia Episcopi devolvatur eorum collatio ad Papam. Imò quod legati ea beneficia conferre possunt, ante devolutionem factam ad Episcopum. Cùm enim talium beneficiorum collatio spectet ad Prælatos Regulares Ordinarios in Abbatiis, seu suarum Ecclesiarum districtibus, ut ex *d. Clem.* patet, Legatus cum illis concurrere potest, & vacantia beneficia conferre tempore debito. Quod si non fiat, jam beneficia devolvuntur ad Episcopum tamquam ad Sedis Apostolicæ Delegatum, & sic Legatus non potest concurrere cum Episcopo, ut ea beneficia conferat. 14

Verum ex his duobus casibus primum quidem ex allata ratione admitto, sed contra secundum urget Palaus *tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *puncto* 25. *num.* 7. sentiens quod si beneficia hujusmodi sint in sua Provincia possit ea conferre Legatus; 15

& ad

& ad rationem in oppositum respondet, quod Legatus se intromittere potest in illis beneficiis, quia hoc non facit in virtute devolutionis factæ ex negligentia Prælati Regularis, & sic non confert illa, ut devoluta, sed ex facultate altiori, & sibi competente independenter à devolutione, & delegatione Episcopi. Quod tamen addit Palaus dicens delegationem factam Episcopo impedire quoad privationem, non quoad præventionem, est contra citata jura volentia quod Legatus non possit se intromittere in negotiis specialiter à Papa alteri Delegatis. Unde nec subsistit, quod subjungit, scilicet quod hoc non procedat in negotiis Episcopo Delegatis à jure, sed solùm in specialiter à Pontifice Delegatis; quia in omnibus verificari debet, cùm Delegatus auctoritate Apostolica in negotiis delegatis sit major etiam Legato, *cap. sane, de off. deleg.* & semper mandatum speciale derogat generali, *cap. quamvis, infr. de præbend.* Unde quod Legatus non possit se intromittere in illis, quæ Episcopus potest facere ex delegatione juris, probat Selva *de benef. part. 3. quæst. 66. num. 4.* per Gloss. *in Clem. fin. ver. si ad nos, de præbend.* & Innocent. *in Clem. Cum ex eo, de sent. excom. & per not. à DD. in cap. si Abbatem, supra de elect. in hoc 6.*

16 Amplius Legatus conferre potest beneficia suæ Provinciæ, non obstante quod eorum collatio spectet ad Prælatum extra Provinciam, ut probat Probus hic ad Mon. *à num.* 10. Felin. *in cap. postulasti, de for. compet. ad fin.* Selva *p. 2. quæst. 3. num. 38.* Garz. *d. cap. 3. num. 27.* quia in *collat. benefic.* attendi debet locus, in quo situm est beneficium, & non locus, in quo est persona, ad quam spectat collatio, *cap. 1. de supplend. neglig. Præl.* & ibi Gloss. *in v. locorum.* Probus hic ad Mon. *num. 19.* Barbosa *de jure Eccles. lib. 1. cap. 5. num. 37.*

17 Ad hoc verò ut Legatus conferat beneficia non est necesse, quod actu sit intra limites suæ Provinciæ, sed cùm beneficia conferre sit actus jurisdictionis voluntariæ, Legatus etiam existens extra Provinciam in omni loco, etiam in Curia Romana ea beneficia conferre potest, quæ posset si intra Provinciam existeret, donec legatio duret, ut per *not. in cap. novit, de off. leg.* Innocent. *cap. quia diversitatem de concess. præbend.* Card. *in Clem. 2. de off. ordin.* Arch. *infr. cap. fin. in hoc tit.* Gamb. *d. l. 3. num. 24. & 610.* Garz. *d. cap. 3. n. 99.* Selva *p. 3. quæst. 63. num. 1.* Barbos. *de jur. Eccles. cap. 5. num. 40.*

18 Quamobrem colligitur, quod Legatus in sua Provincia concurrit cum quolibet Ordinario, & sic ubi alicujus Provinciæ est aliquis Legatus à latere, tres sunt, qui simul concurrunt in collatione beneficiorum, & inter eos datur locus præventioni, scilicet Papa, Legatus, & quilibet alius Ordinarius, Gloss. fin. hic, Dom. *num. 14.* Franc. *num. 8.* Barbos. *num. 8.* Probus *num. 13. & 15. & in cap. Ut animarum, num. 39. de constit.* Puteus *decis. 345. num. 2.* Caputaq. *p. 1. decis. 287. num. 2.* Mohed. *decis. 3. de off. leg.* Garz. *d. cap. 3. num. 40.* Et hoc etiam in mensibus Ordinarius concessis. Gamb. *d. l. 3. num. 78.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell.* Glos. *2. proœm. num. 54.* Rota *in Assisien. benef. 19. Martii* 1587. coram Orano, Barbosa plures referens, *par. 1. de jure Eccles. cap. 5. num. 26.* Ubi advertit, quod Rota non consuevit stare provisionibus Legatorum, & aliorum privilegiatorum factis sine testibus in concursu provisi Apostol. propter præsumptionem antidationis. Mohedan. *decis. 2. num. 1. de off. Delegati.*

19 Dictum verò superius, quod scilicet Legatus concurrat cum Ordinario, procedit non obstantibus concordatis Germaniæ, & Galliæ. Gamb. *d. l. 3. num. 209.* Puteus *decis. 345. lib. 2.* Rota *in Verduven. Canonicatus 6. Martii* 1595. coram Pamphilio. Et in eadem *die 19. Junii* 1595. Garz. *l. 5. cap. 3. num. 42.* ubi dictam Rotæ decisionem refert per extensum. Rebuff. *tit. de collat. §. si quis vere, ver. ad alium inferiorem.* Quod tamen benè explicat Garz. *d. cap. 3. num. 45.* ut procedat in quatuor mensibus Ordinarii non habentis alternativam, sed non procedit in sex mensibus alternativæ Episcopi illam habentis propter decretum irritans in ea appositum, quod ligat etiam Legatum à latere. Ubi *num. 50.* quod nihilominus provisio Legati de beneficio vacante in mense alternativæ tribuit titulum coloratum, & suffragatur in judicio spolii non obstante dicto decreto, ut fuit resolutum in *Assisien. benef. 11. Junii* 1587. Quamvis ipse addat *num. 51.* quod ista decisio non possit procedere, si decretum alternativæ sit justificatum, quia constet de vacatione beneficii in mense alternativæ, & acceptatione illius.

20 Nedum verò legatus beneficia conferre potest, sed etiam illa unire quia totum potest, quod possunt Episcopi in suis Diœcesibus, ut resolvunt Specul. *tit. de off. legati, §. Nunc ostendendum num. 4. vers. 5.* Panorm. *cap. sicut unire num. 5. de excess. Prælat. & in cap. fin. de confirmat. utili, num. 8.* & ibi Card. *num. 1.* Gamb. *de off. legat. lib. 5. tit. de unione num. 40.* Garz. *de benef. part. 12. cap. 2. num. 65.* Sanchez *in præcept. Decal. lib. 7. cap. 29. num. 158.* Barbosa *lib. 1. de jure Eccles. cap. 5. num. 61.* Selva *de benef. p. 2. quæst. 3. nu. 38.* Ubi quod Legatus beneficia unire potest etiam mensæ Episcopali, quod non potest facere Episcopus. Quod verò totum hoc à Legato fieri debeat sine præjudicio jurium Episcopi, multis DD. allegatis probat Barbosa *in cap. 6. num. 17. sess. 7. Concil. Trid. & in cap. 6. num. 4. sess. 21.* Et propterea in *d. cap. fin.* non approbatur unio facta à Legato de latere, quia illa unio præjudicabat juribus Episcopi, importabat enim plenam exemptionem in temporalibus, & spiritualibus, ut advertunt Sanchez, & Barbosa citati. Unde ex illo textu Hostien. *n. 1.* Jo. Andr. *num. 1.* & Butr. *num. ult.* non potuerunt colligere, & asserere, quod legatus beneficia non possit unire.

21 Quæ verò beneficia unire possit, docet Gamb. *lib. tit. de union. à num. 103.* ubi ex Rota *decis. 30. in antiq. ait*, quod Legatus ex magna causa potest vocatis iis, quorum interest, unire beneficium sæculare Monasterio. Quod tamen fallit, quando Legatus uniendo vellet præjudicare Episcopo eximendo ipsum à visitatione, procuratione, & aliis debitis obsequiis. Item quod pariter sine præjudicio Episcopi potest beneficia unius Diœcesis unire beneficio alterius Diœcesis. Item quod potest unire beneficia regularia, ut per Bonif. *in Clem. 1. §. Ad hec de stat. Monach.* Quod limitat Barbosa *d. cap. 5. num. 62.* si illa beneficia non sint electiva, & ex Erasmo Cochier. *par. 4. quæst. 21. num. 8.* addit, quod Legatus ex legationis facultate non potest unire Ecclesiam sibi subjectam Ecclesiæ immediatè subjectæ Papæ. Sicut nec potest unire Cathedrales, & alias Ecclesias, in quarum ordinatione, ac dispositione non potest Legatus se intromittere, ex constitutione relata *infr. in cap. Deliberatione in hoc titulo.*

22 Commendare quoque potest Ecclesias, non quidem in perpetuum, cùm hoc spectet ad solum Summum Pontificem, sed ad tempus, nimirum ad sex menses, quibus finitis, potest si duret necessitas extendere commendam ad aliud semestre, quamvis beneficia sint ad Papam devoluta, quia & hæc potest conferre. Et etiam in jurepatronatus Ecclesiastico possit hæc facere post habito patrono. Quamvis non poterit Ecclesias regulares commendare Clerico sæculari; quod potest tamen ex facultatibus, quæ solent dari Legatis, in quibus continetur, quod possint commendare beneficia sæcularia regularibus, & regularia sæcularibus. Videantur de his Gamb. *de off. leg. lib. 4. tit. de commendis, num. 143. & seqq.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 58.* Azor. *p. 2. l. 5. c. 29.* Barbosa *de off. Episc. alleg. 59. nu. 13. & lib. 1. de jure Eccles. c. 5. n. 58.*

23 Qualiter verò legatus à latere possit admittere resignationes beneficiorum, & eorum permutationes, dicitur *cap. 3. hujus tit.* Legatum quoque posse imponere pensiones, non quidem super beneficiis reservatis, sed super illis, quæ ad collationem ejus spectant, tradunt Gig. *de pens. q. 6. num. 28. & 29.* & Garz. *de benef. par. 1. cap. 5. n. 281.* Gamb. *l. 6. n. 77.* Barb. *d. cap. 5. n. 71.* Verum advertit Garz. hoc non competere illis de jure communi, quia ex eo solum possunt conferre beneficia, ut patet ex hoc textu, sed illis competit vigore literarum specialium, quas habent.

24 Neque tamen omnia beneficia conferre potest Legatus, quia Ecclesias Cathedrales, vel Regulares, aut Collegiatas, seu ipsarum Cathedralium dignitates majores post Pontificalem electivas, non potest conferre, *cap. Deliberatione, infr. in hoc tit. ubi hoc explicabitur.*

25 Nec beneficia Papæ reservata, Gloss. *fin. hic*, Hostien. Dom. *num. 11.* Prob. *num. 10. & 11.* Gambar. *l. 3. à nu. 116.* Crescent. *decis. 20. de præben. num. 3.* Rota *in Regien. Canon. 17. Novemb.* 1595. Neque enim legatus à latere potest se intromittere in reservatis Papæ, *cap. Quod translationem, de off. leg.* Gonzal. *gloss. 24. num. 21. & 44.* Achil. *decis. 1. num. 5. de off.*

de off. ord. Rota *decis.29. num.2. de preb. in nov.* Nam imò si Legato vel Nuntio concessa sit facultas conferendi beneficia qualitetcumque vacantia, non per hoc poterit conferre reservata sive generaliter, sive specialiter. Rota *decis.3. de off. legati, in novis*, Capella Tolos. *decis.* 413. & ibi Aufer. Mand. *de signat. gratia, tit. de indult. conferend. benef. reserv. in princ.* Garz. *d. cap.3. num.14.* Probus hic ad Mon. *n.10.* Barbos. *l.1. de jure Eccles. cap.5. n.42.*

26 Nec beneficia vacantia in curia. Gloss. *fin. hic*, & Dom. *num.14. ex cap. seq. in hoc tit.* Et hoc etiam si Legatus haberet facultatem conferendi beneficia reservata, quoniam hujusmodi indulta non comprehendunt beneficia vacantia in Curia nisi de eis fiat expressa mentio. Rota *in Assisien. beneficiorum* 18. *Junii* 1607. coram Sacrato. Ubi quod *constit.* Greg. XIV. revocans indulta conferendi est perpetua. Quod etiam fuit dictum in eadem 7. Maji ejusdem anni, & in Romana Clericatus S. Petri 27. Novemb. 1602. coram Seraphino, & in Romana beneficiorum 7. Feb. 1605. coram Millino, & ut testatur Garz. *d. c.3. n.55.* & alibi sæpe. Palaus *tom.2. tract.* 13. *d. a. p.25. n.14.* Barbos. *d. cap.5. n.42.*

27 Beneficia quoque electiva conferre non potest, quia electoribus de jure conceditur tempus vel trium, vel sex mensium ad eligendum. De quo latè dixi *c. n.* Et propterea intra illud tempus beneficia illa conferri non debent. Palaus *tom.2. tract.13. disp.2. p.25. num.15.* imò addit Gamb. *l.3. de off. leg. num.* 101. quod si Legatus habeat facultatem conferendi omnia beneficia spectantia ad collationem, provisionem, & institutionem cujuscumque non per hoc potest conferre electiva, per *tex. in cap. Cum in illis, §. illis, infr. de prabend.* & Panorm. *cons.38. col.2.* sed si diceretur de beneficiis spectantibus ad dispositionem cujuscumque, vel de omnibus beneficiis in genere, adhuc contra Gloss. *in Clem.1. §.1. de preb. v. quamvis*, & Card. *quæst.5.* tenet idem Gamb. ibid. *num.*113. quod non posset Legatus disponere de electivis. Fundatur *in cap. delib. seq.4. in hoc tit.* ex quo deducitur, quod qualitas electivi est specialis, & requirens specialem expressionem, & ex consequenti, quod in odiosa dispositione, qualis est facultas conferendi beneficia ad jus aliorum spectantia, quæ datur Legatis, non intelligitur ex clausula generali concessa facultas ad electiva conferenda.

28 Nec beneficia litigiosa, *ex cap.1. & 2. ut lite pend. infra in hoc 6.* Et licet Probus hic ad Monac. *num.* 8. dicat Legatum posse conferre beneficia Papæ reservata, & affecta ex causa litigii, nihilominus pro certo habendam est oppositum, scilicet, Legatum non posse conferre beneficia litigiosa prout ex vi dictorum jurium tenent Lancell. *de attent. p.* 2. *in præfat. num.617.* Rota *part.3. l.3. divers. decis.198. & in Tullen. Prioratus* 28. *Novemb.* 1584. coram Seraphino, *& in Verdunen. Canonicatus* 28. *April.* 1595. coram Pamphilo, Gamb. *l.3. num.*132. Barbosa *d. cap.5. num.48.* sic enim etiam Cardinales Ordinarii collatores vigore indulti non possunt conferre beneficia litigiosa, & in eis subrogare. Ex quo indultum solum tollit obstaculum reservationis Regularium, aliàs verò conferre beneficia litigiosa sit prohibitum jure communi, per *text. in d. cap.2. Ut lite pendente infr. in hoc 6. & per Clem.1. eodem tit.* Garz. *d. cap.3. num.58.*

29 Nec beneficia, quæ sunt de jurepatronatus laicorum, Gloss. *in Clem. per literas de praben. v. Apostolicas*. Rochus *de jurepatron. ver. honorificum num.8.* Lambert. *3. p. lib.1. quæst.8. art.1. & 2.* Probus hic ad Monach. *num.16.* Palaus *tom.2. tract.13. disp.2. p.25. num.* 11. Tuschus *v. Legatus, concl.* 172. Quamobrem collatio facta à Legato de non præsentato à Patrono est nulla ope saltem exceptionis; unde si patronus infra tempus datum ad præsentandum non se opponat, collatio sustinebitur. Lamber. *d. quæst.8. art.2.* Gambar. *d. l.3. n.243.* Garz. *d. cap.3. num.64.* Barbos. *de jure Eccl. cap.5. n.44.*

30 Et nihilominus in duobus casibus Legatus conferre potest beneficia jurispatronatus laici. Primò si sint devoluta ad Episcopum ex negligentia patroni. Selva *2. p. quæst.3. num.* 41. Garz. *d. cap.3. num.66.* Secundus casus est, si juspatronatus sit ex privilegio, vel ex præscriptione, non verò ex fundatione, & dotatione, cùm tunc cesset virtus fundationis, & dotationis. Et sic Legatus potest hujusmodi beneficia conferre, nec opus est derogare jurispatronatui, vel de eo facere mentionem. Probus hic *num.16.* Panorm. *cap. Dilectus in fin. de off. legat.* Cardin. *in Clement.1. de prabend. quæst.3.* Lamber. *dict. quæst.8. art.9.* Gambar. *d. l.3. num.243. & 251.* Selva *de benef. p.2. quæst.3. num.39.* Palaus *num.11.* Covar. *pract. cap.36. num.6.* Garz. *d. cap.3. num.73. ubi num.74.* contra Corrasium addit, hoc verificari etiam si privilegium sit datum ad certa beneficia; deficit enim semper ratio illa, quæ ex fundatione petitur, & dotatione.

31 Nec beneficia jurispatronatus mixti. Panorm. *in cap. fin. de jurepatron. & cap. Dilectus de off. legati*. Puteus *decis.157. l.3. num.2.* Gambar. *d. l.3. num.355.* Covar. *d. cap.36. num.5.* Palaus *d. p.25. num.11.* Mandos. *regul.1. Cancell. quæst.10. num.8.* Nec est admittenda limitatio Gambar. ut assertio non procedat quando ex patronis major pars est Clericum habentium vocem ad præsentandum, neque enim præjudicium laicis fieri debet ex societate Clericorum, ne ex hoc retrahantur laici à fundatione beneficiorum, ideò etiam si unus solus sit laicus, & plures Clerici, qui habent jus præsentandi ad beneficium, debet hujusmodi beneficium haberi pro beneficio jurispatronatus laici, nec legatus illud conferre potest. Garz. *dict. cap.3. num.79.* Barbosa *d. cap.5. num.45.* Selva *de benef. p.2. quæst.3. num.59.* Nihilominus tamen in his beneficiis mixtis non tenetur Legatus nisi ad consensum patroni laici, quo habito poterit conferre beneficium in præjudicium patroni Clerici, ut ex Panorm. *in cap. Si super quæst.11. de jurepatron.* tenet Selva *d. num.39.* Ubi quod si juspatronatus sit alternativum, quod legatus poterit in turno Clerici beneficium conferre.

32 Nec potest Canonicum supranumerarium in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata creare. Oppositum de jure communi senserunt Panorm. & Azor. apud Palaum *d. p.25. num.12.* sed modò cùm expectativæ sint abrogatæ per Concil. Trident. *sess.24. cap.19.* non posse institui Canonicum supernumerarium ad futuram præbendam tradiderunt Gonz. *reg.8. Cancell. §.1. proœm. num.64.* & Barbos. *d. cap.12. num.2.* Palaus *d. punct.25. num.13.* asserentes id fuisse decisum.

33 Nec potest concurrere cum illo cui Papa per privilegium speciale concessit, ut possit conferre certa beneficia, & hoc sive privilegium hoc datum fuit antequam legatus esset datus, sive post, & sive privilegium illi, cui est concessum non sit Ordinarius collator, sed Delegatus Apostolicus. Concurrit enim legatus cum Ordinariis collatoribus, sed non cum Delegatis specialiter à Sede Apostolica, & specialis provisio derogat generali, *cap. sequenti, & cap. dudum infr. de prabend.* Panorm. *cap. Dilectus, infr. de off. legati*. Garz. *d. cap.3. num.78.* Barbos. *d. cap.5. num.47.* Si verò per privilegium fieret collator Ordinarius, tunc haberet locum, quod voluit Gamb. *d. l.3. num.*236. scilicet, quod cum eo concurreret Legatus, & daretur præventioni locus.

34 Notandum primò ex illis verbis *Officii nostri debitum*, quod Summus Pontifex debitum officii sui recognoscit; neque enim sic est solutus à vinculis legis positivæ, quod non sit præ omnibus aliis adstrictus legi naturæ, & divinæ ex vi officii, quod habet, pascendi oves Christi. Ex qua verò virtute oriatur hæc obligatio explicavi latè *tom.1. de statibus, q.185. art.7. n.57.* Et juxta ibi dicta oritur hæc obligatio primò ex virtute fidei, sed proximè est ex virtute Religionis; cùm Summus Pontifex sit summus Sacerdos, & Religionis minister, unde ex religiosa fidelitate tenetur Pontifex ut verbo, & exemplo pascat oves Christi, illasque tueatur, & ad causas æternas perducat. Et ideò merito Innocentius IV. dixit, quod officii sui debitum invigilat remediis subditorum.

35 Notandum est 2. quod ad duo præstanda præcipuè se debitorem Pontifex cognoscit, nimirum ad sublevandos subditos ab oneribus, & ad tollenda scandala, & hoc quia Papa in quiete subditorum quiescit, & fovetur in pace. Et sic verè est, quod quies subditorum facit quietum Principem, qui etiam non potest, non esse gravatus pondere, si subditi premantur oneribus. Et propterea Princeps invigilare summoperè debet, ut subditi exonerati quiescant in pace, ut & ipse in quiete eorum quiescat, & foveatur in pace.

36 Notandum tertiò scandala omninò esse vitanda. Sed Canonistæ quærentes hic an scandala sint semper vitanda, distinguunt, quia si scandalum est tale, quod ex eo Deus offen-

offenditur, illud semper est vitandum, oon verò si ex eo Deus non offenditur. Ita post Hostien. Monachus *n.*2. Jo. Aodr. *n.*1. Anchatanus *n.*1. Domio. *n.*7. Franc. *n.*1. Sed non est scandalum nisi sit occasio offendendi Deum, & nec semper Dei offensa est per superiores tollenda. Nam ut notat Probus *n.*1. justè tollerantur meretrices, & propter bonum, quod ex malè gesto sequitur, ipsum malum toleratur, *cap. Nervi, dist.*13. Sic igitur licet Superioribus permittere minus malum, ut vitetur majus, vel ne impediatur in Republica majus bonum. Sic enim & Deus, ne perfectio uoiversi impediatur, permittit peccatum, quod impedire posset, si vellet.

37 Notandum quartò ex verbo illo *fratribus*, quod Pootifex ubi promiscuè loquitur de Cardinalibus eos fratres vocat, cùm tamen dum loquitur de illis in particulari, Presbyteros, & Diaconos vocet filios, prout hic advertunt Gloss. Monac. *n.*7. Domin. *n.*5. *&* 14. Barbosa *n.*6. Franc. *n.*5. *&* 6. Ex quo Domin. & Franc. universalem regulam deduxerunt: quia nimirum, ubi promiscuè fit sermo de aliqua multitudine ex hominibus diversorum graduum resultante, denominatio fieri debet à nobiliori, licèt sint in minori nomero. Sic Papa, qui solis Cardinalibus Episcopis tribuit oomen fratris, quod quandam præsefert qualitatem, nihilominus quando loquitur de Cardinalibus promiscuè, omnes eos fratres vocat.

38 Notandum quintò ex illo verbo *prærogativa*, quod major in dignitate meritò magis honoratur in privilegiorum coocessione, ad quod facit etiam *cap. fin. in princ. sup. tit. prox. & cap. de multa, suprà de praben.* Ex quo deducunt hic Hostien. Joan. Andr. & ex eis Franc. *num.*2. quod Cardinales etiam non Legati sunt præ cæteris honorandi; licèt enim alii possint esse majores ordine; tamen isti majores sunt honore, sunt enim pars corporis Papæ, *cap. si quis 6. quæst. 1. & cap. Felicis infra de pœnis.* Et dicuntur Patricii scripti in diademate Imperatoris, *institut. qui mod. juspatron. pater solvitur, §. filiusfamil.* Et possuot dici Senatores, *cap. Constantinus 96. dist. & cap. Ecclesia 16. quæst.*1. Et inter Papam, & Cardinales dicitur esse ideotitatis unio secundùm Joan. Aodr. *in cap. requisivisti in fin. de testam.* Undecim Cardinalium prærogativas numerant Hostien. Joan. Aodr. *n.*1. & Domin. *n.*9.

39 Notandum sextò illud verbom *lætantur*, ex quo colligitur licitum esse lætari de honoris prærogativa, unde etiam videtur, quod liceat honores appetere, & digoitates Episcopatus, & Cardinalatus quærere. Et quidem cùm liceat operari, ut quis habeat meritum dignitatum, & coodignitatem, ut fiat Episcopus, aut Cardinalis, aut Papa. Sed & quia opus Episcoporum, Cardinalium, & Pontificis est fidelibus prodesse, & ut dicitur in hoc *cap. remediis subditorum invigilare*, laudabile est desiderare prodesse proximis, & invigilare eorum remediis, nihilominus diguitates præfatas desiderare ratione circumstantiarum, nimirum ratione altitudinis gradus est præsumptuosum, & ratione honoris est ambitiosum, & ratione divitiarum, est avaritiæ. Videndus D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art.*1. & pariter videri possunt, quæ circa dictum articulum à me notata sunt *tom.*1. *de statibus*.

40 Notandum septimò circa illam particolam, *sic eos auctoritate fungi volumus ampliori*, quod auctoritas, quam habent Legati à latere ex eo quod sunt Cardinales, illis competit de jure. Sed an siot Ordinarii, vel Delegati videbitur *cap. sequenti*.

DE OFFICIO LEGATI

Clemens IV. titul. Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

CAPUT II.

Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent, atque plantent: provinciarum sibi commissarum, ad instar proconsulum, cæterorumque præsidum, quibus certæ sunt decretæ provinciæ moderandæ, ordinarios reputantes: Præsenti declaramus edicto, commissum tibi à prædecessore nostro legationis officium, nequaquam per ipsius obitum expirasse.

SUMMARIUM.

1 *ORdo textus.*
2 *Legati officium non expirat morte mittentis.*
3 *Verum hoc est de omnibus Legatis.*
4 *Proconsules, & præsides, qui essent.*
Legati cur similes proconsulibus, & præsidibus. 4.
5 *Legati officium est ordinarium.*
Obiicitur contra hoc. 5.
6 *Opiniones variæ.*
7 *Legati propriè sunt Ordinarii.*
Discrimen inter causam principalem, & instrumentalem. 7.
Ordinarius est causa principalis, delegatus instrumentalis. 7.
8 *Ordinarius est, qui datur cum generali commissione pro certo loco.*
9 *Legati tamquam Ordinarii conferunt beneficia.*
10 *Legati facultas non est extraordinaria.*
11 *Legati sunt Ordinarii superinducti, sed tamen connaturales.*
12 *Provisus à Legato non dicitur provisus auctoritate Apostolica.*
13 *Provisio facta à Legato, aliquando dicitur provisio Sedis Apostolicæ.*
14 *Provisus à Legato solum impropriè dicitur provisus auctoritate Apostolica.*
15 *Clausula* expulsis &c. *an excludat provisos à Legato.*
Passer. in Lib. I. Sexti Decret.
16 *Legatorum officium quia ordinarium non expirat morte mittentis.*
17 *Legatio non cessat.*
18 *Etiam si Papa moriatur ante ingressum legati in Provinciam.*
19 *An Collegium Cardinalium Sede vacante possit revocare Legatum.*
20 *Ad quem finem mittantur Legati.*
21 *Quæ possint facere legati quia Ordinarii.*
22 *Papa hic antiquum jus declaravit.*
Non est in textu extensio casus ad casum ex ratione legis, sed declaratio comprehensionis casus particularis ab universali.
23 *Ubi ex ratione legis ad casum specialem non est necessaria consequentia, non fit extensio legis.*

1 PRæmissis nonnullis ex parte Legatorum, ex quibus reddi potest ratio suæ determinationis, Clem. IV. declarat quid juris circa durationem officii Legatorum.

2 Datur igitur declaratio, quod cùm Legati, qui dantur Provinciis ad instar Proconsulum, & Præsidum, sint Ordinarii in suis Provinciis, ideò eorum officium morte Pootificis illud concedentis non expirat.

3 In hoc textu nedum de Legatis à latere, sed de omnibus Legatis, & sic etiam de Nuntiis est sermo. Quamvis enim hæc decretalis quantum ad sensum desumpta sit ex *constit. & extravag.* Clem. IV. incip. *Ex parte*, & directa fuerit Presbytero Cardin. Tit. S. Cæciliæ, tamen indistinctè loquitur de omnibus Legatis, qui ad certarum Provincia-

rum regimen à Sede Apostolica mittuntur, sicuti explicant Gloss. *not. in v. legato*. Probus hic ad Mon. *numer.* 5. *vers. Et si volueris*, ubi benè advertit, quod ideò litteræ Clemen. directæ fuerunt ad particularem Cardinalem, quia ipse Cardinalis super dubio in textu deciso consultationem fecit, Pontifex verò dubio proposito universaliter respondit.

4 Dicitur autem, quod legati mittuntur ad instar Proconsulum, & Præsidum. Advertit verò Gloss. quod Legati à latere Cardinales æquiparantur Proconsulis, alii verò Legati Præsidibus. Quod & adnotavit Speculator *tit. de off. legati*, §.4. *Superest num.* 37. & 38. Dicebantur enim Proconsules, vel qui loco alicujus consulis subrogabantur, vel accommodatius ad rem nostram, qui post Consulatum ad Provincias gubernandas mittebantur; alii verò, qui non fuerant Consules, licèt etiam essent Senatores, nomine generali Præsides dicebantur, *l.1.ff.de off. Præsid.* Quia ergo Card. Summo Pontifici in consiliis, & arduis negotiis assistunt, *cap. Venerabili de off. deleg. cap. exposuit, de dilat. cap. Pisanis, de restit. spol. cap. Cum Ioannes, de fid. instrum.* Et censentur pars corporis ejus, *cap. si quis 6. quæst.* 1. & in partem administrationis totius Reipublicæ Christianæ assumpti in executione Sacerdotalis officii Papæ coadjutores existunt, *cap. per Venerabilem*, *§. rationibus, qui fil. sint legit.* ideò meritò in Ecclesiastica Republica assimilantur Consulibus Romanorum, & cùm mittuntur ad Provincias regendas, dicuntur mitti ad instar Proconsulum. Alii autem Prælati, qui non sunt Cardinales, dicuntur similes Præsidibus, *arg. l.2. de off. Præsid.* Jo.Mon. *n.*1. Archid. *n.*1. Domin. *n.*2. & 4. Butr. *n.*1.

5 Ex hac verò similitudine deducit Clemens, quod Legati sint Provinciarum Gubernatores, & Judices Ordinarii, quia tales erant Proconsules, & Provinciarum Præsides: quod tamen non sine controversia recipitur. Nam videtur, quod jurisdictio Legatorum non debeat dici ordinaria, tùm quia ordinaria jurisdictio favorabilis est & amplianda, Probus *n.*4. At verò Legatorum jurisdictio odiosa est, & restringenda, Gloss. *in Clem. 2. in v. nolumus, de off. Ordin.* Franc. *cap. sese q.6. cæterum, per cap. mandatum sup. de rescript.* Cardin. & Panormit. *in d. Clem. 2. & cap. si quis, de off. deleg.* Secundò quia legati gerunt vices Papæ, quod repugnat jurisdictioni ordinariæ, quæ competit jure proprio, & est radicata in persona Ordinarii.

6 Distinguunt aliqui in Legatis jurisdictionem à facultate conferendi beneficia, & dicunt jurisdictionem esse ordinariam, sed facultatem conferendi beneficia etiam in Legatis à latere esse ex privilegio; sic enim dixit Corrasius *part.2. cap.3.* apud Garz. *lib.5. de benef. cap.3. num.4.* Alii verò dicunt esse extraordinariam; quia ex proprio officio legationis non venit. Ita Probus hic *num.*3. Gloss. *in Clem. 2. de off. ordin. in verb. volumus*; & Panormitanus *in cap. si quis contra, de off. deleg. num.4.* Alii dicunt legatos esse Ordinarios sed superinductos, & non naturales, & ideo esse odiosos, juxta mentem Gloss. *in d. Clem. 2.* & Bonifac. ibid. *num.*7. & Panormitanus ubi suprà. Ita Garz. *d. cap.*3. *num.*9. plures citans, & præcipuè Puteum *decis.45. in fin. l.2.* Rotam *decis.206. numer.3. part.1.* Idem tenuit Palaus *tom.2. tract.13. disput.2. quæst.25. n.2.* quod & voluit Gonzalez, Gloss.21. *num.*38. Ubi quod Legati sunt Ordinarii impropriè.

7 Nihilominus dicitur, quod Legati, & Nuntii propriè sunt Ordinarii. Hoc declaratur primò ex principio philosophico; distinguunt enim Philosophi inter causam principalem, & instrumentalem; quod illa agit per virtutem propriam, sed instrumentum agit in virtute principalis agentis, imò non agit nisi ut stat sub motu, & usu principalis agentis, unde causa principalis habet virtutem permanenter, & etiam dum non actu causat, sed instrumentum non habet virtutem nisi per modum transeuntis, & tunc solum, cùm actu causat ut motum ab agente, seu ut stat sub usu principalis agentis, D. Thom. 3. *part. quæst. 62. art.1. c. & art.4. c.* Ordinarius habet jurisdictionem per modum causæ principalis, quæ agit per virtutem propriæ formæ, habet enim jurisdictionem ratione officii sui, sicut Episcopus ratione Episcopatus habet jurisdictionem, & sic habet eam tamquam propriam, & per modum permanentis. Sed Delegatus assimilatur instrumento, & agit virtutem mandati, non verò quia habeat titulum aliquem, cui jurisdictio sit propria, sed virtute delegantis operatur. Legatus verò habet jurisdictionem non ex vi mandati specialis, sed ex titulo officii sui; unde & habet illam tamquam propriam, & per modum permanentis, sicut habebant illam Proconsules, & Præfecti Provinciarum, Gloss. *in v. Reputantes*, Joan. Mon. *numer.*2. Archid. *num.*2. Joan. Andr. *num.*1. Ancharanus *n.*4. Butr. *in princ.* Domin. *n.*4. Franc. *n.*1. Barb. *n.*1. Speculator *de off. legati*, § 4. *superest n.*38. Navarr. *cap. Cum contingat, de rest. remed. 5. n.2. & de indulg. not. 28. n.19.* Sánchez *l.3. de matrim. dist.28. & lib.8. d. 28. num.4.*

8 Et hoc probatur secundò, quia tunc Princeps censetur dare jurisdictionem Ordinariam, quando respectu certi loci datur absolutè jurisdictio, ut si dicat Princeps te constituo judicem in tali loco, Ancharanus *num.*3. Butr. *num.1. ex l.1. §. cum urbem, ff. de off. Præsid.* Vel quando quis deputatur certo loco cum generali commissione, Domin. *numer.*2. Franc. *num.*1. At verò Legati Papæ deputantur certæ Patriæ aut Provinciæ, cum generali commissione regendi, & administrandi illam, ut ex eorum litteris patet, & praxis confirmat.

9 Ut ordinarii etiam conferunt beneficia Legati à latere, quia hæc facultas est conjuncta illorum officio de jure. Nec obstat, quod hoc non competat illis vigore legationis; quia hoc probat solùm, quod hæc facultas non competat generi Legatorum, non verò probat, quod non sit propria Legatorum hujus speciei, scilicet Legatorum à latere. Sic nec animali competit facultas generandi hominem, quæ tamen competit homini, qui est animal rationale. Et dato quod hujusmodi facultas ab initio fuisset concessa Legatis à latere ex privilegio, cùm jam hoc sit repositum in jure, jam de jure communi est, ut Legatus à latere facultatem conferendi beneficia habeat tamquam propriam, & illa conferat ex virtute sui officii specificè sumpti, ad differentiam Nuntiorum, qui illa non conferunt nisi ex speciali commissione & indulto, Gamb. *de off. legati lib.1. n.40. & 41.* Garz. *de benef. l.5. cap.3.*

10 Ex his sequitur, quod jurisdictio Legatorum vel etiam respectu Legatorum à latere facultas conferendi beneficia, non potest, nec debet dici extraordinaria, quia est facultas officio propria, & quæ ut propria convenit Legatis, vel ex genere, vel ex specie, & quidem de jure, & independenter à speciali mandato, & delegatione.

11 Colligitur secundò, quod quia Episcopi sunt Ordinarii naturales, ut sic dicamus, quia ex vi institutionis Ecclesiastici regiminis, & ex ejus connaturalitate mittuntur, cùm etiam de jure divino connaturale Ecclesiæ Christi sit, quod sint Episcopi in Ecclesia; potest quidem dici, quod Legati sint Ordinarii superadditi, seu superinducti, non tamen omninò dici potest, quod ait Garz. *d. l.5. cap.3. n.8.* scilicet, quod non sint naturales; quia naturale est, quod est secundùm naturam; at verò secundùm naturam Ecclesiastici regiminis, sub uno capite visibili Summo Pontifice est, quod ipse Legatos suos mittat, & per illos Provincias ex superiori quadam auctoritate administret, & negotia Ecclesiæ cum Principibus, & Magistratibus tractet. Et ideò connaturales Ordinarii sunt, licèt super inducti, quia additi Ordinariis Episcopis, majori tamen, superiori, & excellentiori auctoritate pollentes. Et propter hoc legatio habet non nihil odiosi, quatenus infert aliquod præjudicium Ordinariis locorum; & per hoc solvitur primum argumentum ex positis *n.*5.

12 Colligitur tertiò, quod provisus de beneficio à Legato ex vi ordinariæ suæ facultatis, non dicitur provisus auctoritate Apostolica, sed auctoritate sibi propria, *cap. Is qui infr. de præben. in hoc 6.* & ibi Gloss. Domin. & Franc. *num.* 5. Ad quod facit etiam *cap. si Apostolica, eodem tit.* ubi, ut notat Gambar. *de off. leg. l.1. numer.40.* auctoritas Sedis Apostolicæ contradistinguitur auctoritati Legati, nec factum à Legato censetur factum auctoritate Apostolica, nisi sit à Pontifice confirmatum, *& cap. penult. de fil. Presbyt.* cùm quidam allegasset se habuisse dispensationem à Legato: Papa respondit, quod hoc non obstante ille privaretur Ecclesia, quia dispensatio non emanavit à Sede Apostolica.

13 Et licèt provisio facta à Legato aliquando dici possit provisio Sedis Apostolicæ, quia appellatione provisionis Sedis Apostolicæ aliquando venire provisionem Legati, dixerunt *in cap. si Abbatem*, Gloss. *in v. transeundo*, & eam sequentes Jo. Andr. Domin. & Franc. nisi simus in materia

Papæ

Papæ reſervata, aut cum dictione tantùm, aut ſimili, Card. *in Clem. quia contingit, de relig. Domib.* & ibi Imola, Rota in Curien. beneficiorum 2. Junii 1610. coram Penna apud Garz. *d. cap.* 3. *num.* 16. Quia Legatus vices gerit Sedis Apoſtolicæ in non reſervatis, *cap. mandata, de præſumpt.* Et in Provincia ſibi commiſſa repræſentat Papam, Boniſ. *in d. Clem.* 2. *de off. deleg. ſeu* 1. *de off. leg. num.* 13. Unde ſolvitur ſecundum argumentum ex poſitis *num.* 5. Quia etiam Ordinarii dicuntur gerere vices Pontificis, qui illos inſtituit. Nam & ſecundæ cauſæ principales vices gerunt primæ cauſæ.

14 Nihilominus proviſus à Legato dici non poteſt proviſus auctoritate Apoſtolica niſi valdè largè & impropriè, ſeu mediatè, quia proviſio fit per auctoritatem, quam Legatus habet à Sede Apoſtolica, & ut miniſter illius, qui Papam repræſentat ſpecialiori ratione, ſeu, ut dicit Gambar. *de off. legat. lib.* 1. *num.* 43. quia factum à Legato per interpretationem dicitur factum Sedis Apoſtolicæ, *cap. ſi Abbatem, ſup. de elect. in hoc* 6. *cap. ſi Apoſtolica, cap. auctoritate, inf. de prebend.*

15 Quod an ſufficiat ad hoc, ut quando in brevibus de capienda poſſeſſione ponitur clauſula expulſis quibuſcumque detentoribus, exceptis proviſis auctoritate Sedis Apoſtolicæ, eſſet conſiderandum; cùm tamen ſi dicatur exceptis proviſis à nobis, dicendum ſit excludi proviſos à Legatis, cùm dictio *nobis* ſit perſonalis & perſonam Papæ importet, Rota in d. Curien. Garz. *d. n.* 16.

16 Stabilito igitur hoc principio, quod Legatus ſit ordinarius, Clemens IV. declaravit Legatorum officium morte concedentis non expirare, Gloſſ. *in v. expiraſſe*, Jo. Monac. *n.* 1. Archid. *n.* 2. Joan. Andr. *n.* 1. Domin. *n.* 3. Franc. *n.* 1. Barboſa *n.* 1. plures referens *num.* 2. Speculator *de off. leg.* §. 4. *supereſt num.* 38.

17 Hinc excluditur quod ex Goff. *in ſumma de off. leg.* §. *finitur*, refert Gloſſ. *in v. Declaramus*. Voluit enim Goff. quod morte mittentis ceſſaret Legatio, licèt non ceſſaret juriſdictio quoad cœpta negotia. Sed hoc jam ex textu iſto falſum eſſe convincitur, quia ſtatuitur officium legationis morte ejus, qui miſit, non expiraſſe.

18 Imò addit Gloſſ. quod hoc nedum eſt verum, ſi Pontifex, qui miſit Legatum, moriatur poſtquam Legatus ingreſſus eſt Provinciam ad quam fuit miſſus, ſed etiam ſi ante. Quia ſicut in aliis ordinariis non inſpicimus mortem inſtituentis, ſic neque inſpicienda eſt in Legato.

19 An verò Cardinalium collegium Sede vacante poſſit Legatum revocare, Gloſſ. refert Hoſtien. & Gul. aſſeruiſſe, quod ex magna, & evidenti cauſa id facere poſſet. Sed nunc attendi debet nedum quod ſtatutum fuit *ſup. cap. Ubi periculum, de elect.* Sed quod diſpoſitum fuit in *Clement. ne Romani eod. tit.*

20 Notandum primò Legatos mitti ut evellant, & diſſipent, ædificent, atque plantent, juxta id quod Deus dixit Jeremiæ Prophetæ *cap.* 1. *Mittuntur enim ut evellant radicitus mala germina vitiorum, conſilia pravorum diſſipent, ædificent provincias, ut ſint civitates ſanctæ, & ſinguli, fideles erigantur in templum ſanctum Dei, & plantent frugiferas virtutum plantas, ut populi ſint gens ſancta, & populus acquiſitionis*. Sic enim & Præſides à Romanis mittebatur, ut provincias tenerent pacatas, & malos & facinoroſos homines expellerent, atque punirent, *l.* 3. *& l. Congruit, ff. de off. præſ.* Sic enim & ob hujuſmodi fines mittuntur Legati, ut dicitur in hoc textu, *& cap. ſolicitè de majorit. & obed.* Et ideò *in extravag. ſuper Gentes*, Joann. XXII. dicitur, quod Legati ſupplent Vices Rom. Pontif. errata corrigunt, aſpera in plana convertunt, unde dicit textus *in cap. ſi quis diſt.* 94. quod qui legationem impedit, profectum multorum avertit; nam & Legatorum fuit ſemper ſancta, atque inviolabilis auctoritas, *cap. inſurgentium diſt.* 1. Et patroni Eccleſiarum dicuntur *cap.* 1. *diſt.* 94. quæ advertit Gambar. *de off. leg. lib.* 1. *num.* 20. *& ſeqq.*

21 Notandum eſt ſecundò ex Gloſſ. *in v. reputantes*, quod ex quo Legati ſunt ordinarii, ideò nedum non expirat eorum officium mortem mittentis, ſed in provincia poſſunt facere ſtatuta perpetua *ſup. cap. ult. eod. tit. & cap.* 1. *de loc.* & adeuntur per quærelam *ſup. cap.* 1. *eod. tit.* quod pluribus probat, & tuetur Probus hic ad Monachum. Item Legati, quia Ordinarii habent imperium, *cap. ſi Abbatem, ſuprà de electione, in antiq. & leg. Ideo, ff. de off. Proconſ. & lib.* 1. *&* 2. *eodem titulo*.

22 Notandum eſt tertiò, quod Pontifex in hoc textu non edidit jus novum, ſed declaravit antiquum, unde etiam ante hanc Decretalem verum erat, quod Legatorum officium tamquam Ordinarium morte mittentis non expirabat. Regulam verò deducunt Domin. *num.* 4. & Franc. *num.* 2. dicentes colligi ex hoc textu & Gloſſ. quod conſtitutio declarativa trahitur ad omnes alios caſus, quibus ipſa ratio declarativa adaptatur. Verùm in hoc textu nulla fit extenſio, ſed commune applicatur particulari per neceſſariam conſequentiam. Et procedit littera per hunc ſyllogiſmum, Ordinarii officium non expirat morte concedentis; ſed officium Legati eſt ordinarium; igitur Legati officium non expirat morte concedentis. Hic ergo nulla eſt extenſio, ſed eſt explicatio comprehenſionis particularis, ſub communi, quod neceſſitatem continet.

23 Et ſic etiam hoc eſt conſiderandum, quod ubi ex ratione legis generali per neceſſariam conſequentiam deducitur comprehenſio caſus ſpecialis ſub illa lege, caſus comprehenditur ſub legis obligatione. Sed ubi conſequentia ex natura tel non eſt neceſſaria, caſus ille ſpecialis ſub legis obligatione non cadit, niſi detur alia lex ſpecialis, quæ id ſtatuat, quia ſolius legiſlatoris eſt obligare ad id, quod per contingentem conſequentiam ex priori lege deducitur, & quod prioris legis obligatione ſtante eſt indifferens, ut fieri vel non fieri poſſit.

DE OFFICIO LEGATI.

Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

PRæſenti declaramus edicto reſervationes quorumcumque beneficiorum ab Apoſtolicæ Sedis Legato ſuæ legationis auctoritate factas, & decreta interpoſita ſuper ipſis: necnon denuntiationes, inhibitiones, & proceſſus quoslibet per eum, vel per executores deputatos ab eo habitos circa ipſas (dummodò ad collationem eorumdem beneficiorum jam vacantium minimè ſit proceſſum) eo ipſo quòd illius finietur legatio, viribus penitus vacuari: nec executores eoſdem poſſe ulterius beneficia taliter reſervata conferre. Cæterùm reſervationes hujuſmodi (per quas interdum Prælati & Eccleſiæ nimium onerantur) reſtringere cupientes: Prohibemus, ne poſtquam Legatus in aliqua Cathedrali, vel collegiata Eccleſia reſervationem aliquam duxerit faciendam: aliam (illa pendente) faciat aliquatenus in eadem. Nec etiam poſtquam alibi reſervaverit aliquod beneficium ad collationem pertinens cujuſcumque: aliud quod ad illius collationem pertineat (quamdiu reſervatio pendet alterius) ſibi quoquo modo reſervet. Quidquid autem contra præmiſſa contigerit attentari, eo ipſo viribus non ſubſiſtat.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Legati possunt reservare beneficia, & dare executores.*
3 *Et possunt reservare beneficium primo vacaturum, quod spectat ad collationem talis.*
4 *Et beneficium quod quis infra mensem duxerit acceptandum.*
5 *Non possunt reservare manualia.*
6 *Nec monocularia.*
7 *Nec canonicatum, ubi non est certus numerus canonicatuum, & præbendarum.*
8 *Finita legatione cessant reservationes, quæ non sunt sortita effectum.*
9 *Regula textus data Legatis à latere.*
10 *Reservationes speciales modo sunt prohibita.*
11 *Reservatio cujuslibet beneficii quocumq; tempore vacantis cessat finita legatione.*
12 *Finita legatione beneficium reservatum redit ad collationem Ordinarii, etiam si succedat alius Legatus.*
13 *Nisi reservatio facta fuerit auctoritate Apostolica, quia tunc collatio finita legatione spectat ad Papam.*
14 *Collatio facta antequam cesset legatio tenet.*
15 *Quæstiones aliquæ non necessaria.*
16 *Pendente reservatione Legatus non potest aliud beneficium reservare vel in eadem Collegiata, vel cujus collatio spectet ad eumdem collatorem.*
17 *Hoc non habet locum in Ecclesia non collegiata.*
18 *Quando pendeat reservatio.*
19 *Legatus potest revocare reservationem.*
20 *Legatus non potest promittere & se obligare ad conferendum beneficium primo vacaturum.*
21 *Legatus si beneficium reservatum pro uno alteri conferat, an debeat fieri mentio reservationis.*
22 *Si executores prævenerunt non potest Legatus se intromittere.*
23 *Si beneficium actu vacans & sibi reservatum alicui promisit, non potest Legatus revocare.*
24 *Non potest Legatus simul reservare sibi plura beneficia in eadem Collegiata.*
25 *Et reservatio ista est in totum nulla.*
26 *In eadem Collegiata non potest Legatus sibi simul plura beneficia reservare, etiam si Collatio spectet ad diversos.*
Benè tamen in eadem Diœcesi, vel civitate. 26.
27 *Legatus non potest sibi simul reservare plura beneficia spectantia, ac collationem ejusdem.*
28 *Etiam si collatio non sit illi propria.*
29 *Collatio in textu sumitur propriè.* 30. 31.
32 *Legatus finita priori reservatione aliud beneficium potest sibi reservare.*
33 *An tunc debeat fieri mentio prioris reservationis.*
34 *Authoritas legationis distincta ab Apostolica.*
35 *Legatus apponit decretum irritans litigans etiam ignorantes.*
36 *Collatio facta ab Episcopo reservatione pendente non reconvalescit finita legatione.*
37 *Extincta gratia extincti executores.*
38 *Quando finitur legatio.*
39 *Dispositio extinctiva factorum non se extendit ad perfecta.*
40 *Sub nomine Prælatorum veniunt Episcopi.*
41 *Qualiter reservatione Prælati onerentur.*
42 *Irritum est, quidquid attentatum contra sancita in hac decretali.*

1 IN tres partes hunc textum dividunt communiter Gloss. & DD. In quarum prima declarat antiquum jus circa reservationes beneficiorum factas à Legatis, in 2. condit jus novum, per quod restringit facultatem Legatorum ad reservanda beneficia. In tertia ponit decretum irritans attentata in contrarium.

2 Itaque supponit hic textus, quod Legati quantum fit ex vi juris antiqui, auctoritate legationis possint sibi reservare beneficia tam actu vacantia, quàm vacatura, etiam pro certa persona, non quia possint illa conferre, aut promittere alicui, antequam vacent, & dare illi jus ad illa. Hoc enim illis prohibitum est, ut notatur *in cap. 2. & cap. proposuit sup. de conceß. præbend.* & docet Gloss. *hic in v. finitur*, Panormit. *in cap. dilectus il 1. seu 19. n. 3. de præben. & in cap. cum dilectus 28. n. 2. de jure patron.* Barbosa *l. 1. de jure Eccles. cap. 5. n. 45.* sed quia possunt sibi reservare collationem beneficiorum, etiam non vacantium, & super illis dare executores, & inhibere, quod & facere poterant executores ab eis deputatis, ut tradunt Jo. Monac. *n. 1.* Anchar. *n. 1.* Butr. *n. 1.* Domin. *n. 1.* Franc. *n. 1.* Barbosa *n. 2.* Specul. *tit. de off. leg. §. 5. Nunc tractemus n. 2.* Gambar. *de off. legat. lib. 4. à n. 3.*

3 Quod adeò verum est, ut Legatus possit etiam in genere reservare beneficium primo vacaturum, quod spectat ad collationem talis; quia expressio generis, quod restringitur ad individuum, æquivalet expressioni individui, *l. nominatim ff. de lib. & posth.* Alias verò affectio beneficii incerti remotior est à voto captandæ mortis, Specul. *de off. leg. §. 5. Nunc tractemus n. 2.* Lap. Domin. & alii *in cap. si eum, inf. de præben.* Gambar. *de off. leg. lib. 4. n. 27.*

4 Potest quoque Legatus reservare sibi beneficium, quod aliquis infra mensem duxerit acceptandum. Quamvis enim hoc neget Jo. Andr. *d. c. si eum*, quia ex hoc Episcopus impediri possit in pluribus collationibus; tamen hoc non sequitur, quia servandum Gondisl. Episcopus semper conferet, & ab eventu futuro pendebit, quale fuerit beneficium reservatum. Et ideò quod Legatus id possit tenent Lap. Domin. & Franc. *in d. cap. si eum*, quos sequitur Gamb. *d. l. 4. n. 38.* quia in effectu hæc est unica reservatio, cùm genus illud, quod duxerit acceptandum, non includat nisi unam speciem, sed de hoc dicendum erit *in d. cap. si eum*.

5 Nequetamen Legatus potest omnia beneficia sibi reservare. Nam primò non potest reservare beneficia manualia, quia propriè non sunt beneficia, cùm dentur ad tempus, beneficia verò sint perpetua, *cap. Priscis, dist. 50.* Gambar. *lib. 4. de off. leg. num. 10.* Nisi consuetudine facta sint perpetua.

6 Item quod Legatus non possit sibi reservare beneficia monocularia, quia pauper monocularis numquam videret, si semper oculo impediri posset, tenet idem Gamb. *d. l. 4. de reservat. num. 23.* per Joan. Monac. *reg. in generali*, Archid. *in cap. si pro Clericis inf. de præben.* Rota *decis. 216. in nov.* Domin. *cons. 36.* Addens monoculare beneficium esse, si quis habeat plures collationes, licèt communes aliis: & quando habet unum ad collationem, & aliud ad præsentationem; sed nihilominus, quod Legatus possit conferre beneficium monoculare tenet idem Gamb. *l. 3. n. 512.* quem sequitur Palaus *tom. 2. tract. 13. disput. 2. pun. 25. num. 4.* quia non reperitur facta hæc exceptio in Legato. Nec obstat quod per Joan. Monac. & Archid. locis citatis, mandatum de providendo non comprehendit beneficium monoculare, quia non est eadem ratio; nam per mandatum de providendo aufertur penitus collatio, sed in collatione est locus præventioni. Addit Palaus, quod mandatum de providendo impedit provisionem Ordinarii, quam non impedit facultas Legati, qui cum Ordinario concurrit. Et nihilominus Gamb. hoc non obstante persistit in priori assertione, scilicet quod Legatus non possit sibi reservare beneficia monocularia, quia ad minus monoculari concedi debet, ut possit Legatum prævenire.

7 Item Legatus non potest sibi reservare Canonicatum & præbendam in Ecclesia, in qua non est certus numerus Canonicorum & præbendarum. Quia Canonicatus isti per se non subsistunt, sed cùm persona nascuntur, & moriuntur. Quod ergo statim futurum non est, non potest reservari, cum reservatio fit de eo, quod est, Gamb. *d. l. 4. n. 126.* & suprà *cap. 1. n. 32.* dictum fuit, quod Legatus nec potest conferre Canonicatum suprà numerarium.

8 Sed hic intrat difficultas, an quæ dicta sunt de facultate reservandi competente Legatis vera sint nedum de jure communi antiquo, sed etiam de jure Concil. Trident. cùm concilium *seß. 24. cap. 19.* abrogaverit omnia mandata de providendo, & gratias expectativas, & reservationes mentales, & alias quascumque gratias ad vacatura, prohibens ne indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui concedantur. Propterea Palaus *tom. 2. tract. 13. disput. 2. pun. 25. num. fin.* Sentit Legatum non posse reservare beneficia vacatura, & præcipuè in favorem certæ personæ, quia omnes reservationes expectativæ, & gratiæ quæcumque ad beneficia vacatura interdictæ sunt. Sed alii distinguunt inter reservationes generales & speciales. Reservationes gene-

generales sunt, quæ non sunt de certis beneficiis, seu pro certis personis, sed de beneficiorum aliquo genere in communi, ut reservationes Cathedralium, monasteriorum &c. seu cum omnium beneficiorum Regni, vel certi loci, vel personarum, vel Dignitatum fieret ampla resignatio, vel quando plures reservationes reducuntur sub una ratione. Specialis verò reservatio est, quæ fit de certis beneficiis, vel pro certis personis, Flamin. *de resign. lib. 2. quæst.* 16. *n.* 16. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 30. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 1 *num.* 58. Rota *decis.* 28. *de praeben. in antiq.* Cassad. *decis.* 3. Caputaquen. *decis.* 141 *n.* 5. *part.* 2. Qua stante distinctione dicunt reservationes speciales in favorem aliquorum, maximè mentales, de quibus Cassad. *decis.* 4. 5. 6. *de reservat.* & ultima *de concess. praeben.* Mandos. *reg.* 11. *quæst.* 4. jam non esse in usu propter decretum Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 19. Flamin. *d. quæst.* 16. *num.* 17. Garz. *d. cap.* 1. *num.* 64. Gonzales §. 1. *proœm. num.* 80. & *Gloss.* 30. *num.* 23. & 25. Mandos. *de Signat. gratiæ tit. de reservatis, ad fin.* Navarr. *cap. si quando, de rescript. in actuario num.* 14. & 16. Verùm de Legato loquendo, & de modo reservationis illius ex qua nullum jus acquiritur alicui, desiderarem declarari, an ex vi Concilii prohibitum sit Legato reservare aliquod beneficium etiam certum, sed non pro aliqua persona. Omnes enim reservationes, quas enumerat Concilium sunt ad favorem certæ personæ, sic enim pro certa persona vel personis dantur mandata de providendo, & gratiæ expectativæ & resignationes mentales. Resignatio enim mentalis est reservatio ad favorem personæ mente retentæ, Barbos. *in d. cap.* 19. *sess.* 24. Concil. Trident. *n.* 4. Reservatio igitur, quæ fiat, sed non ad favorem alicujus personæ foris vel in mente expressè, sed pro persona idonea ingenuè, non videtur comprehensa in illo decreto Concil. Nam & hæc reservatio est generalissima quantum ad personas, licèt sit specialis quoad beneficium. Ideò Gonzalez *d.* §. 1 *n.* 40. dixit sublatas reservationes ad favorem certarum personarum. Hoc igitur nunc est certum quod facultas reservandi vacatura concessa Legatis debet restringi ad terminos Concil. Trident.

9 Hoc ergo supposito quod Legatus potest sibi reservare beneficia, duo decernit Bonifacius Octavuus. Primum est, quod reservationes factæ, quæ non sunt consequntæ effectum suum per collationem actualem beneficii reservati, evanescant morte Legati naturali vel civili, quia fuerit revocatus, vel officium quomodocumque finierit. Et ita quod tunc cessent omnia decreta, denuntiationes, inhibitiones, processus vel per eumdem Legatum, vel per ejus executores factos dicunt Gloss. *in v. Præsenti, & in v. finitur,* Jo. Monac. *n.* 3. & 4. Archid. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 11. Anchar. *n.* 1. Domin. *n.* 4. Butr. *n.* 2. Franc. *n.* 2. Barbos. *n.* 6. & 7. & *lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 5. *n.* 56. Rota *decis.* 206. *in antiq.* Specul. *tit. de off. leg.* §. 5. *Nunc tractemus n.* 12. Gambar. *lib.* 4. *n.* 100. Selva *de benef. part.* 3. *qu.* 66. Simonett. *de reserv. qu.* 2. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 27. *n.* 11.

10 Cùm verò Nuntius, seu Legatus non à latere non possit titulo legationis vel beneficia conferre, vel ea sibi reservare, in hoc textu verò sit sermo de reservatione facta ex vi & titulo legationis manifestum fit, nostri textus regulam Legatis à latere fuisse datam, ut advertit Gloss. *in verb. legationis.*

11 Regula verò universalis est ad omnia beneficia reservata, seu ad omnem reservationem ex vi facultatis legationis factam, sive hæc ante revocationem Legati vacaverint, sive post; ad hoc enim ut reservatio morte Legati, vel ejus revocatione expiret, sufficit quod beneficium ante non fuerit collatum. Hoc enim stante nihil interest quando beneficium vacaverit, & quod sint dati executores, & quod vel legatus, vel executores denuntiaverint, aut inhibuerint, & quemlibet processum fecerint; totum enim evanescit, si ante beneficii collationem cessat simul cum officio legati, ejus jurisdictio, Gloss. *in ver. collationem.* Et contra Lapum, qui voluit, quod si tempore revocationis Legati beneficium jam vacabat, & res non erat integra, quia jam Legatus procedere incœperat ad collationem, non cessabat reservatio, cæteri DD. communiter, scilicet Ancharanus *n.* 1. Butr. *n.* 2. Domin. *n.* 4. Franc. *n.* 3. Barbosa *num.* 7. Speculator *d.* §. 5 *num.* 12. Gambar. *d. lib.* 4. *num.* 100. & 103.

12 Cessante verò reservatione in hoc casu conferre beneficium reservatum pertinet ad Ordinarium illum ad quem pertinuisset, si à Legato non fuisset reservatum. Nec interest an Legato revocato succedat alius, quia Legatus successor vi reservationis præcedentis Legati non potest beneficium illud conferre; quia reservatio illa facta à priori Legato tamquam personalis evanuit prorsus illo priori Legato revocato, ut notat. *in cap. cum dilectus de jure patron.* & tenent Archidiac. *n.* 1. Ancharanus *n.* 1. Butr. *n.* 5. Domin. *num.* 4. Franc. *num.* 2. Speculator *d.* §. 5. *num.* 12. Gambar. *d. l.* 4. *num.* 100.

13 Si tamen Legatus beneficii collationem vel reservasset Papæ, vel reservasset sibi sed auctoritate Apostolica speciali, & sic reservatio ad minus esset ex mixta Apostolica auctoritate, non cessaret reservatio ex revocatione Legati, quia reservatio non fuisset facta præcisè ex facultate legationis, sed etiam ex Apostolica auctoritate, & tunc providere de beneficio non spectaret ad Legatum finita legatione, sed ad Summum Pontificem cujus virtute reservatio facta fuisset, Archid. *hic ante n.* 1. Specul. *d.* §. 5. *n.* 13. Gloss. *in cap. cum dilectus in verb. reservandum, de jure patron.* & ibi Panormit. Gamb. *d. l.* 4. *n.* 103.

14 Verùm si antequam cesset legatio beneficium Legatus contulit, collatio tenet, etiam si in futurum alia remaneant exequenda, propter quæ deputentur executores; gratia enim jam collata subsistit ut citati DD. docent.

15 Nonnullas verò difficultates, hic tractant DD. ut v. g. quid dicendum si Legatus speciali auctoritate conferat alicui ex nunc beneficium vacaturum. At verò hanc & similes quæstiones non est necesse nunc examinare; Nam cùm ex Concil. Trident. ut dictum est, reservationes hujusmodi pro certis personis non possint fieri, cessat suppositum quæstionum.

16 Secundùm verò quod Bonifacius statuit est, quod prohibuit, ne Legatus pendente reservatione jam facta alicujus beneficii, aliud sibi reservet, vel in eadem Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, vel ad ejusdem collationem pertinens, ad quam pertinet reservatum.

17 Cùm verò textus expressè loquatur de Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, non prohibet ut Legatus pendente reservatione aliud beneficium reservare, quod consistat in Ecclesia, quæ nec sit Cathedralis vel Collegiata, Jo. And. Franc. §. *Cæterum n.* 1.

18 Dicitur verò pendere reservatio, quando nondum est facta collatio beneficii reservati, ex quacumque causa id contingat, & tamen ipsa alias non est extincta morte ejus, pro quo fuit facta; vel renuntiatione ipsius reservationis, vel aliquo alio actu incompatibili, ut quia promovendus contraxit matrimonium, vel reservatio fuit revocata. Pendet ergo reservatio, quæ cùm non sit extincta, non reperit ad hunc effectum suum per collationem beneficii reservati, Gloss. *in v. pendente,* Barbosa *n.* 8. Gambar. *l.* 4. *de off. leg. n.* 67. Pendere quoque reservationem, si collatio controvertatur, & facta sit litigiosa, quia valor ejus pendet, & est incertus, & finale judicium est expectandum, tradunt Archid. Jo. Andr. Domin. §. *Cæterum,* Franc. *num.* 1. quamvis de hoc dubitet, Gambar. *d. l.* 4. *n.* 70. & dicat esse coguandum.

19 Pro quanto verò dictum est, quod reservatio extinguitur revocatione, advertendum est, quod Legatus revocare potest reservationem. Cùm verò Ancharanus & Franc. apud Gamb. *d. l.* 4. *n.* 119. dicant, quod hoc fallit, quando ille pro quo facta est reservatio consensit processui per executorem facto. Item secundùm Imolam & Franc. quando potestas concessa fuit executori animo donandi, de hoc dubitat, Gambar. quia Legatus nec dat, nec dare potest jus super beneficio vacaturo, & ideò dicitur, quod re integra, id est ante collationem beneficii Legatus potest reservationem revocare, ut absolutè dixit Jo. Andr. ad Specul. *tit. de off. legati,* §. 5. *Nunc tractemus n.* 3. *litt. E.*

20 Nam & considerandum est, quod Legatus non potest promittere, & obligare ad se conferendum alicui beneficium, cùm primo se obtulerit facultas, Gambar. *d. l.* 4. *n.* 142. Vnde quod promissio facta alicui à Legato de conferendo ei beneficio primo vacaturo, non valeat, quippè quæ contraria sit Concil. Lateranen. quòd prohibet promissionem beneficii priusquam vacet docet Specul. *d.* §. 5. *n.* 2. & modò obstat Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 19.

21 Sicut igitur Legatus potest reservationem revocare, ita potest beneficium pro uno reservatum alteri conferre. Quod si faciat, dicunt nonnulli necessarium esse ad hoc ut collatio non sit subreptitia, quod in collatione fiat

mentio prioris reservationis. Nam non est verisimile Legatum voluisse uni conferre beneficium, quod pro alio reservaverat, ita Cald. *cons.3. de preben.* Jo. de Fant. Lap. Domin. Franc. *in §. caterum*, Gamb. *d. lib.4. n.9*1. quod tamen ex his DD. fallit, si Legatus beneficium conferat ex certa scientia, vel ut ait Franc. si non ad instantiam alicujus, sed motu proprio id fecit. Vel ut ait Gamb. *n.93.* si non multum post reservationem factam ad favorem unius beneficium alteri conferat.

22 Quod si contigeret, quod Legatus reservasset beneficium ad favorem Titii, & dedisset ad hoc executores, & posteà illud contulisset alteri, scilicet *sess.*10. daretur locus præventioni, & si executores prævenissent conferendo, Legatus non posset se intromittere, Gamb. *d. lib.4. n.98.*

23 Cùm verò per Concil. Lateranen. relatum *in c. de multa de preb. & dignit.* sit prohibitum promittere alicui beneficium vacaturum, non verò beneficium actu vacans, ut notat Panorm. *ibi n.2.* jam vacante beneficio reservato, si Legatus illud iterùm licitè & validè promittat alicui, & ad illud conferendum se obliget, locum habebunt limitationes suprà *n.19.* positæ, ut scilicet Legatus non possit vel reservationem revocare, vel beneficium reservatum alteri conferre, si ille pro facta est reservatio, & promissio consensit processui, vel quocumque modo promissionem, aut obligationem acceptavit.

24 Pendente ergo priori reservatione in duobus casibus Legatus non potest aliud beneficium reservare. Primus est respectu ejusdem Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ. In eadem enim Ecclesia præfata non potest Legatus plura beneficia simul sibi reservare, & si reservet nulla est reservatio. Et quidem non debet dici nulla solum ex parte, & ita quod reservatio valeat quantum ad unum saltem, quod Legatus sibi reservare potest, sed reservatio est in totum nulla propter incertitudinem *l. duo sunt Titii, ff. de testam. tut. l. si fuerit, ff. de reb. dub. l. quidam*, ubi Bart. latè attingit materiam incertitudinis, *ff. de reb. dubiis*. Tum 2. quia hujusmodi reservatio est contra hunc textum, per quem omnia in contrarium attentata irritantur.

25 Et nihilominus videndum censet Gamb. *d. l.4. n.97.* an dici possit, quod in hoc casu primum vacans censendum sit reservatum, & quod Legatus verò similiter intellexerit de primo arg. *ex not. in d. l. Duo sunt Titii*. Sed ego distinguerem, nam vel Legatus in eadem Ecclesia ubi suprà reservat sibi beneficia ad favorem certarum personarum, & tunc hujusmodi reservationes ex parte reservantis non erunt simul, sed unum prius altero nominabit, & pro illo prius reservabit. Et in hoc casu prior reservatio, quæ est certa erit valida, & invalidæ omnes aliæ, quas pendente illa priori Legatus faciet contra hujus decretalis prohibitionem. Vel Legatus non reservat ad favorem certæ personæ, & tunc si inter reservationes datur ordo temporis, prior erit valida, quæ non est contra hanc constitutionem & aliæ nullæ; sed si simul & eodem actu Legatus reservat sibi collationem plurium beneficiorum in eadem Ecclesia ut suprà, nulla in totum est reservatio, quia talis reservatio est contra hunc textum. Nec potest dici, quod Legatus intelligat reservare primum vacans, quia dum plura reservat non reservat unum primum vacans, sed plura quandocumque vacent. Unde nec locum habet 3. fallentia *d. n.97.* posita secundùm Gamb. scilicet, quando Legatus motu proprio reservet, quia Legatus nec ad instantiam alterius, nec motu proprio potest simul in eadem Ecclesia reservare plura beneficia, quia dum plura reservantur, eorum quodlibet reservatur alterius reservatione pendente.

26 Non verò interest, an beneficia spectent ad eumdem, vel ad diversos collatores, quando sunt in eadem Ecclesia Collegiata, sed ad quemcumque spectent, non potest Legatus pendente unius reservatione aliud sibi reservare, Gloss. *in ver. in eod.* Franc. *n.90.* Benè tamen potest sibi plura reservare in eadem Diœcesi, Gamb. *d. l.4. n.90.* Imò, & in eadem Civitate, & Oppido, quia textus de sola eadem Ecclesia loquitur, & ideò in pluribus Ecclesiis plura potest beneficia reservare, Gloss. Franc. *n.1.* Gamb. *d. lib.4. n.80.* Et ut dicebatur suprà etiam in eadem Ecclesia, quæ non sit Cathedralis aut Collegiata.

27 Sed modò intrat secundus casus, in quo hoc ultimum dictum limitatur, & decernitur quod nec in diversis Ecclesiis Legatus possit pendente prima reservatione aliud beneficium reservare, quod spectet ad collationem illius ejusdem, ad quem prioris reservati spectat. Et sic sicut Legatus non potest simul reservare sibi plura beneficia in eadem Ecclesia Collegiata consistentia, sic nec potest sibi reservare simul plura beneficia spectantia ad collationem ejusdem, Gloss. *in v. illius*, Mon. *n.5.* Archid. *n.2.* Joan. Andr. *n.1.* Anchar. *§. Caterum*, Butr. *num.12. & 13.* Domin. *§. Caterum num.4. & 5.* Franc. *numer.2. & 3.* Barbos. *numer.3.* Specul. *de off. leg. §.5. Nunc tractemus n.12. & 13.* Hostien. & Calder. *in cap. mandatum, de rescript.* Gamb. *d. l.4.*

28 Neque verò est necesse quod horum beneficiorum collatio sit propria unius, sed sufficit si sit communis eidem, & aliis; semper enim collatio horum beneficiorum est illius, licèt etiam sit communis aliis, & ideò Legatus hujusmodi beneficia sic ad collationem ejusdem spectantia, licèt hoc sit commune aliis, non potest simul reservare, Gloss. *in v. illius*, Archid. Jo. Andr. Domin. & Franc. Gamb. *d. l.4. n.85.*

29 Statim verò oritur dubium, an nomen *collationem* in hoc textu propriè sumi debeat, vel potius communiter, ut potest se extendere ad præsentationem, institutionem, & collationem. Hic accipi collationem communiter, ita quod Legatus non possit reservare plura beneficia, si spectant ad præsentationem ejusdem patroni, vel ad ejusdem institutionem, vel si unum spectat ad collationem ejusdem Episcopi, v. g. & aliud ad ejus præsentationem, aut institutionem, & sic de aliis, tenent Jo. Andr. *hic*, Domin. & Franc. *n.3.* Gamb. *d. l.4. n.71. & 72.* Quia licèt hoc non sit conforme verbis hujus textus, est tamen conforme menti legislatoris, quæ fuit tollere gravamen, quod fiebat ab Ordinariis. Sed oppositum sustinent Paulus, & Gandis. *hoc tit. q.9.* apud Gamb. *n.76.* Barbosa *hic n.4.* Quia collatio, præsentatio, institutio sunt modi providendi specificè distincti, & incompatibiles, *c. cum illis, inf. de preben.* textus autem iste solum loquitur de spectantibus ad ejusdem collationem. Præterea cùm lex ista prohibeat, & à jure exorbitet, & jus commune limitet, auferens id, quod de jure competebat, tamquam odiosa strictè debet intelligi, juxta regulam *Odia, inf. de reg. jur.*

30 Et hæc sententia est vera nedum ob has rationes, sed quia decretalis ista data est ad favorem Prælatorum, & Ecclesiarum, ut ibi: *per quas interdum Prælatis, & Ecclesiæ nimium onerantur*. At verò regulariter præsentationes nō sunt actus Prælatorum aut Ecclesiarum, sed particularium, & nec Legatorum est vel præsentare, vel eligere; nec Legatis ex vi *cap.1. sup. hoc tit.* concessum est, ut possint vel præsentare, vel eligere, sed hoc munus est patronorum, vel Collegiorum habentium jus eligendi. Imò collegiorum Legatus nec potest reservare institutiones beneficiorum, quæ sunt de jure patronatus laicorum, aut quæ sunt electiva, ut dictum est *c.1. in hoc tit. n.20.* Non igitur textus iste loquitur de præsentatione, vel electione. Solùm igitur dubium esse potest, an sub nomine collationis veniant institutio, & confirmatio.

31 Sed considerandum, quod horum utraq; est necessitatis, non verò libertatis; tenentur enim Ordinarii legitimè præsentatos instituere, & legitimè electos confirmare, & solùm ubi plures præsententur, præsentatorum electio est penes instituentem unde non multum interest, si hujusmodi reserventur, quæ non sunt libertatis, sed necessitatis, & hoc certum est, quod Prælati ex hujusmodi reservatione non nimium gravantur, quod est id, quod vitare voluit Pontifex. Et ideò textus intelligitur de collatione, propriè ut est distincta ab institutione, & confirmatione, & quæ est actus libertatis, & arbitrii Prælatorum, & Ecclesiarum habentium jus conferendi, & ex cujus reservatione nimiū possint gravari.

32 Solùm ergo Legatus non potest sibi simul reservare plura beneficia, etiam in diversis Ecclesiis consistentia, si spectent ad collationem ejusdem, & si unum sibi reservet, non potest reservatione pendente aliud reservare; poterit verò reservatione priori, vel extincta modo supradicto, vel completa. Unde collatio priori beneficio reservato potest sibi aliud reservare.

33 Hoc autem ex Joan. Andr. intelligendum putat Franc. *n.3.* Si fiat mentio prioris reservationis, *argum. cap. mandatum 38. de rescript.* Si tamen agitur de beneficio vacaturo, & prima reservatio habuit effectum. Secus si agitur de beneficio vacante, vel si prima reservatio nullum sortita fuit effectum, sed fuit extincta, quia tunc cum ex ea reservatione extincta Ecclesia non fuit gravata, & cessat ratio *d. cap. mandatum*? Verùm etiam in 1. casu, licèt mentio de priori reservatione sit utilis ad hoc, ut appareat Ecclesiam indebitè non gravari ex secunda reservatione; Id tamen

men

men non est necessarium ad valorem reservationis, & sufficeret, si aliundè constaret primam reservationem non amplius pendere, quo stante Legatus jus habet, ut aliud beneficium reservet.

34 Notandum primò, quod ex illis verbis suæ legationis auctoritate factas confirmantur dicta *sup. cap. n.12.* Nimirum quod alia est auctoritas Apostolica, & alia auctoritas legationis, unde Glos. *not.1.* & Domin. *n.2.* dicunt, legatum quando facit actum pertinentem ad officium legationis debere dicere quod facit auctoritate legationis, non verò auctoritate Apostolica.

35 Notandum secundò, quod ex illo verbo *decreta*, colligitur, quod legatus potest reservare sibi beneficia apponendo decretum irritans, per quod irrita sit collatio Ordinarii. Sic sensit Archid. *n.1.* Joan. Andr. *n.1.* Domin. *n.2.* Franc. *n.1.* Barbosa *n.8.* Gonzal. *ad reg.8. Cancell.* Gloss. *ult. num.10.* Gamb. *d.l.4. num.54.* Cùm verò controvertatur an hoc decretum liget etiam ignorantes, & multi id negent, dicendum est ligare; Cùm enim Legatus possit etiam invito ordinario collationem ejus irritare, poterit etiam id facere eo ignorante, quod enim possum facere te invito, possum facere etiam te ignorante *l. qui potest*, ubi Gloss. *ff. de reg. jur.* Sed de hoc redibit sermo infrà *cap. quia cunctis de concess. præbend. & cap. si Apostolica de præbend.*

36 Interim advertendum, quod ubi Legatus reservavit sibi collatione cum decreto irritanti, si Episcopus conferat beneficium reservatum, nedum ejus collatio est nulla, sed dato, quod posteà reservatio extinguatur morte, vel alia revocatione Legati collatio facta ab Episcopo non reconvalescet, Gamb. *d.l.4. n.109.*

37 Notandum tertiò ex illa clausula, *Nec non denuntiationes, &c.* Deduci hanc regulam generalem quod gratia extincta, simul extinguitur executorum facultas, & eorum denuntiationes, inhibitiones, & processus nulli sunt cessante enim, & extincta gratia, quæ est finis ad quem deputantur executores, non remanet executionis gratiæ aliqua virtus aut potestas, Gloss. *notab.2.* Dom. *n.4.* Franc. *n.2.*

38 Notandum quartò quod Gloss. *in verb. finitur legatio* plures modos ponit, in quibus legationis officium finitur, nimirum quia Legatus datus fuit ad tempus & sic finito tempore finita est legatio, *cap. de causis sup. de off. deleg. in antiq.* vel secundò, quia Legatus à Papa revocatus fuit *l. judicium, ff. de jud.* Item tertiò finitur legatio morte Legati, si legatio fuit personalis, scilicet concessa non dignitati, sed personæ, *cap.1. sup. in hoc lib. & tit. & cap. quoniam Abbas sup. de off. deleg. in antiq.* Sed quartò vult, quod etiam finiatur legatio, si Legatus animo non redeundi egressus fuit Provinciam. Nam licèt ubi Legatus habet plures Provincias si unam expeditur, ut adsit alteri, non cessat legatio, cessat tamen si Legatus egrediatur simpliciter extra terminos suæ legationis animo non redeundi. Sed hoc non est verum, quia Legatus cùm sit ordinarius non potest renuntiare officio nec expressè, nec tacitè, & ideò nisi finitum sit tempus legationis, vel non sit revocatus, non finitur legatio ex eo quod egrediatur animo non redeundi, ut notant Archid. Joan. Andr. Domin. *n.5.* Franc. *n.4.*

Notandum quintò, quod ex quo legatione finita non extinguitur reservatio, si sit perfecta per collatione, colligit Domin. *n.3.* quod dispositio superveniens licèt apta extinguere facta non se extendit ad jam completa, & quæ suum sortita sunt effectum. 39

Notandum sextò illud verbum *Prælati* in §. *Ceterum*, & considerandum, quod sub eo comprehenduntur etiam Episcopi, & Superiores quoniam in textu præcipuè est sermo de Episcopis, quorum est conferre beneficia, Domin. §. *ceterum n.1.* 40

Notandum septimò illud verbum *onerantur*, quod onerantur ordinarii locorum ex beneficiorum reservatione facta à Legatis, quia privantur exercitio illius facultatis, quam habent, ut ex eorum arbitrio beneficia conferant; Sed tamen ex quo reservatio restricta est, ut vel cesset finita legatione, vel non se extendat simul ad plura beneficia in eadem Ecclesia collegiata, vel spectantia ad collationem ejusdem, factum est, ut non nimium graventur, Domin. §. *ceterum n.2.* Franc. *n.1.* Sic nec gravantur nimium, si reserventur institutiones, quia instituere est necessitatus, & habet quendam modum oneris, à quo Prælati per reservationem sublevantur. 41

Notandum tandem circa verbum *præmissa*, quod comprehendit omnia, & singula priùs determinata, ut monet Gloss. & sic irritum, & inane est, quidquid contra omnia, vel aliqua ex prædeterminatis fuerit attentatum. 42

DE OFFICIO LEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

DEliberatione provida duximus inhibendum, ne aliquis Apostolicæ sedis Legatus, quantumcumque legationem obtinere plenariam dignoscatur, Cathedrales, vel regulares, aut collegiatas Ecclesias, seu ipsarum Ecclesiarum Cathedralium dignitates, ad quas hi, qui præficiuntur eisdem, majores in earum capitulis post Episcopos existentes, habent per viam electionis assumi, suæ ordinationi, collationi, provisioni, electioni, aut dispositioni, quomodocumque reservet: nec de ipsis ordinandis, conferendis, vel disponendis, se aliquatenus intromittat: neque aliquod, quominus hi, ad quos pertinuerit eligere, aut postulare, liberè valeant cùm vacabunt, obstaculum quomodolibet interponat: Decernentes quidquid contra hoc actum extiterit, eo ipso irritum & inane.

Prohibemus insuper, ne Legatus ipse in genere aut in specie cuicumque concedat, ut ab his qui beneficia infra legationem ejusdem habentes, ea in illius manibus voluerint liberè resignare, ipsorum resignatione recepta, illa valeat idoneis conferre personis. Cùm per hoc aperiri posset via contra Lateranense Concilium ad beneficia vacatura. Nos enim concessionem, quam contra hoc contigerit attentari: & quidquid ex ea, vel ob eam secutum extiterit, nullam prorsus habere statuimus roboris firmitatem. Volentes non solùm ad futura, sed etiam ad præterita, & adhuc pendentia negotia hoc extendi.

SUMMARIUM.

1 *DIvisio textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Legatis à latere loquitur hac constit.*
4 *Ecclesiæ nomine veniunt Prælaturæ.*
5 *Ecclesiæ Regularis nomine venit Prælatura illius, quocumque nomine vocetur.*

Passer. in Lib.I. Sexti Decret.

6 *Ecclesia collegiata unde dignoscatur.*
Collegium requirit tres personas, sed servatur in n.6.
7 *Quid in dubio an Ecclesia sit collegiata.*
8 *Legatus Collegiatam habito non potest reservare.*
9 *Potest si Collegium deletum.*
10 *Et quid si Ecclesia ex solo privilegio sit collegiata.*
11 *Dignitates majores prælatione sunt illæ quas non potest reservare Legatus.*

12 *Duas dignitates majores aequales non potest reservare Legatus.*
13 *Si sint electiva. Et quale beneficium sit electivum.*
14 *Ecclesias regulares etiam non electivas non potest Legatus reservare.*
Legatus Ecclesias Cathedrales non potest unire. 15.
16 *Unio venit sub nomine ordinationis.*
17 *Nec potest alterare Collegium.*
18 *Nec praefatas Ecclesias commendare.*
19 *Potest admittere permutationes.*
20 *Non tamen supradicta beneficia conferre, si sint devoluta.*
21 *Leges non nisi ex prudenti deliberatione edenda.*
22 *Mandatum non extenditur ad specialia.*

1 DUas habet partes haec constitutio prohibitiva, & limitativa facultatis, quam habent Legati à latere circa beneficia. Prima respicit facultatem, quam Legati exercent per se ipsos reservando sibi collationem beneficiorum. Secunda verò respicit facultatem, quam aliis possunt conferre recipiendi resignationes beneficiorum, & beneficia resignata conferendi.

2 Primò igitur circa Ecclesias Cathedrales, Regulares, & Collegiatas, & dignitates majores in Cathedralium Ecclesiarum electivas tres actiones prohibet, & Legati interdicit. Prima est eas suae ordinationi, collationi, provisioni, electioni, aut dispositioni quomodocumque reservare. Secunda est de eisdem ordinandis, conferendis, vel disponendis, se intromittere. Tertia quo minus hi ad quos pertinuerit eligere aut postulare, liberè valeant, cùm vacabunt, aliquod obstaculum ponere: declarat verò irritum, & inane, quidquid contra praedicta fuerit attentatum.

3 Constat ergo quod haec decretalis data est ad declarationem, & limitationem decretalis Innoc. IV. *suprà in cap. 1.* hujus tituli. Unde neque hic est sermo de omnibus Legatis, sed de Legatis à latere, quibus solis *d. cap. 1.* fuit concessum posse conferre, & reservare beneficia. Subjectum igitur hujus prohibitionis sunt Legati à latere, ut notant Archid. *in prin.* Domin. *num. 4. & alii.* Verùm advertendum, quod textus non loquitur de illis spectata sola eorum communi, & solita ordinaria authoritate, & potestate, sed etiam supposita in eis majori, & quacumq; & quantumcumque plenaria legatione, ut exprimitur manifestè in textu. Et tamen, si Legatus haberet specialem super hoc facultatem sumptà ordinariam plenariam quomodocumque sufficienti cum derogatione hujus constitutionis, posset Ecclesias has exceptas sibi reservare. Nunc verò Legatis à latere communiter concedi, ut possint conferre dignitates etiam majores post Pontificialem, refert Gamb. *d. l. 3. de off. leg. num. 110.* & etiam electivas, ut subdit *n. 111.*

4 Materiam autem circa quam hujus decretalis versatur prohibitio sunt Ecclesiae Cathedrales, &c. Sed hic, ut notant Gloss. & Archid. sub nomine Ecclesiae veniunt officia, Praelaturae, seu principales dignitates de Ecclesia, nimirum nomine Cathedralis Ecclesiae, Episcopatum, nomine Regularis Ecclesiae, Abbatiam, nomine Ecclesiae Collegiatae, Praeposituram, vel quocumque alio nomine vocetur dignitas primaria illius Ecclesiae.

5 Sic circa Regulares Ecclesias advertendum, quod, quia prima dignitas in illis vocatur pluribus nominibus juxta diversarum Ecclesiarum institutionem, & praxim, hic comprehenditur prima dignitas quocumque nomine vocetur, & sive dicatur Abbatia *cap. congregato 16. quaest. ult.* sive Prioratus, aut praepositura *cap. non dicatis 12. quaest. 1. cap. cum in Eccles. de major. & obed. cap. ea quae de stat. Monac. sive Archipresbyteratus, ut in Ecclesia Carp. Dioec. Muntin. & in Eccles. Montis Velii, Dioeces. Bonon.* quae sunt Ecclesiae Regulares secundùm Archidiaconum, & Butr. *num. 1.* Domin. *n. 4.* Franc. *n. 3.*

6 Unde verò cognoscatur quod Ecclesia sit collegiata declarant DD. *in cap. nobis 25. de jurepatron.* ubi Jo. Andr. & Panorm. *n. 8.* qui inquit, quod primo consideranda est Ecclesiae institutio; nam si fuit institutum, ut ibi essent plures collegiati, tunc Ecclesia habebit jura collegii. Sed si fuit institutum ut ibi esset Rector solus, vel cum Clerico, tunc non habebit jus collegii. Est autem de ratione Collegii, ut sint tres ad minus, scilicet duo sine rectore, & cum rectore tres, *l. Neratius, ff. de verb signif. cap. 1.* Gloss. *in cap. 1. dist. 10. & in cap. 1. de elect. & in d. cap. nobis*, Innoc. *in cap. Postulasti, de jurepatron.* Gamb. *de off. leg. l. 3. n. 86.* & dixi *tract. de elect. cap. 10. num. 4.* Ubi etiam *n. 8.* probavi Collegii jura remanere, & conservari etiam in uno *l. sicut, §. fin. ff. quod cujusque unicum*, Gloss. *in cap. 2. de postul. Prelat. & in cap. statutum de elect. in hoc 6.* Imò si omnes morerentur, non per hoc periret jus Collegii, sed dormiret, & resurgeret posteà institutis aliis secundùm Innoc. *in cap. Postulasti, de jurepatr. cap. cum ex injuncta, de nov. op. renunciat.* Videantur etiam *d. eod. tract. c. 11. n. 93. & 94. & c. 31. n. 4.*

Si verò non apparet de Ecclesiae collegiatae origine, & institutione, videndum est an Ecclesia habeat privilegium super jure Collegii. Et si de hoc non constat, defendetur ipsa Ecclesia in possessione sua. Nam si est in possessione Collegii, habebitur pro Collegio, nisi contrarium probetur, aliàs si non est in possessione Collegii tractabitur sicut beneficium simplex *per not. in cap. consultationibus, de jurepatron. cap. querelam, de elect.* Cognoscitur verò, quod sit in possessione Collegii, si exercet jura spectantia ad Collegium, ut puta, quia consueverunt Clerici facere Syndicum, & per eum jurare *l. 1. ff. quod cujusque un. & in cap. Imperatorum, & cap. in pertractandis, de juram. calumn.* Vel habet sigillum commune, *arg. cap. significavit, de appellat.* Item si consueverunt eligere Praelatum, *ut in cap. 1. de elect.* Et idem in similibus. His verò cessantibus non sufficit, quod in Ecclesia sint plures Clerici beneficiati, ut per hoc dicatur, quod faciant collegium, quia possunt esse singulares, ut est bonus textus in *cap. dilecta de excess. Prelat.* ubi Innoc. Panormit. Anchar. & alii. 7

Dubitari autem hic posset, an si aliqua Ecclesia non sit actu Collegiata, sed habitu tantum comprehendatur sub hujus textus prohibitione, ita quod eam sibi non possit Legatus reservare, Barbosa *hic nu. 2.* ex Azor. *part. 2. l. 5. cap. 28. quaest. 16.* arbitratur non comprehendi, quod & voluit *lib. 1. de jure Eccles. cap. 5. num. 41.* Sed comprehendi docent Lap. *n. 5.* Ancharanus *n. 1.* Butr. *n. 12.* Dom. *n. 4.* Franc. *n. 3.* Gamb. *l. 3. de off. leg. n. 98.* Ubi quod hoc videntur tenere in simili, Domin. *cap. si Apostolica, inf. de praeben.* Panormitan. Imola, & alii *in cap. de multa, de praebend.* Archid. *in cap. Et hoc dicimus 16. qu. 7.* Innoc. *in cap. 2. de nov. op. nunc.* Gloss. *in cap. statutum, sup. de elect. in hoc 6.* in quantum id docent de Ecclesia curata habitu non actu. In his enim idem judicium fieri debet de habitu, qui potest reduci ad actum, & de actu, *cap. in nostra, de rescript.* 8

Hoc tamen fallit primò, quando auctoritate superioris esset deletum collegium, ut per Innoc. *in c. 21. de nov. oper. nunciat.* Gamb. *d. l. 3. n. 99.* Barb. *n. 2.* 9

Item secundò fallit, si Ecclesia non fuisset collegiata de jure communi, sed ex privilegio, tunc enim habitus sufficit, cùm de communi jure competit id, de quo agitur, ut in hoc *cap. & sup. cap. statutum de elect. in hoc 6.* secus si competat *ex privil. cap. Abbate de verb. signif. cap. si Papa, infr. de privil.* Sed in casu isto videndum esset, si privilegium cessasset. Nam jus commune fortius, & favorabilius est privilegio, & per consequens illud, quod de jure competit, fortius est, quàm illud, quod competit ex privilegio, ita Lap. Anchar. & Butr. 10

Majores etiam dignitates, quae in Cathedralibus Ecclesiis sint in eorum Capitulis majores post Episcopum sub hac prohibitione continentur si sint electivae. Est ergo prima conditio harum dignitatum, ut sint majores, & primae post Episcopum. Cùm tamen praecedentia, & majoritas contingere possit circa multa, ut circa ordinem, secundùm quem Archipresbyter est major Archidiacono, vel secundùm administrationem, quomodo Archidiaconus est major Archipresbytero, vel secundùm alias, quae notat *sup. cap. sedes, de rescript. in antiq.* Hic est sermo de majoritate praelationis, qua de jure Archidiaconus est major. Sed debebit attendi Ecclesiarum consuetudo. Is ergo, qui praeest Capitulo post Episcopum, & Capitulum convocat, & alia similia facit, comprehenditur sub hac prohibitione, Gloss. *in v. electionis*, Joan. Andr. Ancharan. *n. 1.* Butr. *n. 9.* Franc. *n. 4.* Debet verò accipi majoritas in actu, & per se, & quae vivente Episcopo de jure, aut consuetudine habetur, non verò de majoritate habitu, accessoria, & accidentali, qualem habet Archipresbyter, vel alius accidentaliter in vacantia Episcopatus, ut pluribus probat Joan. Andr. quem sequuntur Anchar. & Butr. citati. 11

Quod si contingat in aliqua Cathedrali dari duas dignitates 12

tates æquales, & post Episcopum prælatione primas, nec apparere possit, quæ sit major, quia conjunctim, vel solidum, seu alternis vicibus prælationem excreent, quia singula illarum est major immediatè post Episcopum, ideò utraque comprehendetur sub hac prohibitione, & neutrum sibi poterit Legatus reservare, Jo. And. Anchar. *in fin.* Butr. *num.* 13. Dom. *num.* 7. Franc. *n.* 4. Gamb. *d. l.* 3. *n.* 102. Addens *n.* 103. attendendam esse consuetudinem, Dom. quoque advertit idem dicendum esse de duabus Cathedralibus unitis.

13 Alia conditio istarum dignitatum requisita, ut comprehendantur sub textus hujus prohibitione est, quod sint electivæ, horum enim utrumque scilicet quod dignitates in Cathedralibus sint majores, & electivæ requiri manifestum est, ex textu, & advertunt Gloss. *in v. electionis*, & Arch. *num.* 2. Illa verò dignitas dicitur electiva, cui regulariter providetur per electionem, licet certo casu per collationem, Rota *decis.* 124. *in antiq.* Bellam. *decis.* 205. Et etiam quando facta electione à Capitulo non requiritur alia confirmatio, Oldrad. *cons.* 140. Felin. *cap. cum Bertoldus in* 2. *col. de re judic.* Unde omnes Ecclesiæ Collegiatæ naturaliter sunt electivæ, Gambar. *d. l.* 3. *num.* 84. dixit Innoc. declarasse simul illud beneficium esse electivum, quando in electione servatur, *cap. quia propter de elect.* Vel quando per vacationem Ecclesia dicitur viduata. Majores ergo dignitates in Cathedralibus, quæ sunt primæ post Episcopum non potest sibi reservare Legatus, si tamen non sint electivæ, eas sibi reservare non prohibetur, ex hoc textu. Sed tamen *in reg. 4. Cancell.* omnes hujusmodi dignitates majores summo Pontifici reservantur.

14 Dubium tamen est, an hæc conditio electionis posita in in textu referatur solum ad dignitates majores in Cathedralibus, an verò potius etiam ad Ecclesias regulares, & Collegiatas. Si enim etiam ad istas referatur, sequitur quod Legatus eas reservare sit prohibitus solum, si sint electivæ, id verò possit, si electivæ non fuerint. Et quod ita sit, voluit hic Archid, quem sequuti sunt Gamb. *d. l.* 3. *num.* 94. & cum eo Barbosa *hic nu.* 2. *& lib.* 1. *de jure Eccl. c.* 5. *n.* 41. Selva *de benef. par.* 2. *q.* 3. *num.* 34. Sed nimis clarum est, quod conditio electionis in hoc textu ad solas dignitates majores in Cathedralibus refertur. Quod colligitur non præcisè ex eo, quod clausula importans electionem posita est proximè post verba illa, *seu ipsarum Ecclesiarum Cathedralium dignitates*, sed quia verba sequentia ad aliud referri non possunt, nisi ad easdem dignitates majores, *ad quas* (inquit) *hi, qui præficiuntur eisdem, majores in earum Capitulis post Episcopos existentes, habent per viam electionis assumi*. Ad eosdem igitur refertur illud *per viam electionis assumi*, ad quod refertur illud aliud, *qui præficiuntur eisdem majores in eorum Capitulis post Episcopos existentes*. Hoc autem non convenit, nisi Cathedralium dignitatibus, quorum est esse majores in earum, scilicet Cathedralium, Capitulis post Episcopum. Cæterum eodem modo textus loquitur absolutè de Cathedralibus, & Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, & quas absolutè prohibet posse sibi Legatos reservare. Et ideò præcisis etiam aliis reservationibus Apostolicis, quæ in Regulis Cancellariæ continentur, ex vi hujus capitis non potest Legatus conferre, aut sibi reservare Ecclesias Regulares, & Collegiatas, etiam si non sint electivæ, ut optimè docent ex hoc textu Gloss. *in v. electionis*, Jo. Andr. Dom. *n.* 5. & apud eum Zanzel. Franc. *n.* 3. *in fin.*

15 Sed contra prædicta objici potest; quod adsunt multæ Ecclesiæ regulares quarum collatio spectat ad inferiores ordinarios; plures enim ex illis posse conferri à Prælatis Regularibus habetur expressè *ex Clem. un. de supplenda negligentia Prælatorum*. In regula etiam secunda Cancellariæ reservantur sola Monasteria excedentia valorem annuum ducentorum florenorum auri. Non est verò credendum, quod Pontifex voluerit Legatum à latere esse deterioris conditionis, quam sint Episcopi & Abbates, Gamb. *d. l.* 3. *num.* 94. Non est ergo dicendum, quod Legatus nullas sibi reservare possit Ecclesias Regulares. Sed dicendum est, quod solum electivas reservare non possit. Et hoc confirmatur, quia quando deficit, qui habet præsentare, vel eligere, provisio spectat ad eum, qui habet servare, instituere, vel confirmare secundum Panor. *c.* 1. *de elect.* & per Gloss. *in Clem. un. de suppl. negl. Prælatorum in v. Disponere*, quam sequitur Card. Sed quantum ad id, quod allegatur *ex Clem. un. de suppl. neglig. Prælatorum*, si consideretur, quod beneficia illa Regularia respectu Regularium erant manualia, quia Regulares præpositi ab illis beneficiis amoveri poterant ad nutum Prælatorum, manualia verò beneficia non cadunt sub reservatione, ut dictum est *cap.* 3. *num.* 5. constat quod ex illo texto non infertur, quod Legati aliqua beneficia regularia vel conferre, vel reservare possint. Nihilominus crediderim, quod Pontifex noluerit Legatos esse deterioris conditionis, quàm sint Episcopi, & Abbates. Ideò ubi Episcopi, vel Abbates possint aliqua beneficia regularia, ex ordinaria facultate conferre, eadem poterunt conferre Legati, qui in Diœcesibus possunt quidquid possunt Ordinarii; & in beneficiis concurrunt cum quolibet Ordinario, *cap. si à sede, infr. de præbend.* & probatum est supra *cap.* 1. *num.* 18.

16 Itaque Ecclesiæ quæ Legatus à latere ex vi hujus constitutionis non potest sibi reservare sunt Ecclesiæ Cathedrales, Regulares, & Collegiatæ, & dignitates majores, & primæ post Episcopus, si sunt electivæ. Ampliatur verò hoc, ut hujusmodi Ecclesias nulli alteri possit unire. Oppositum hujus insinuat Lap. *num.* 1. Sed cùm evidens sit, quod unire Ecclesiam alteri Ecclesiæ sit aliquid ordinare, & disponere de illa; manifestum verò sit, quod in hac decretali Legatus prohibetur reservare præfatas Ecclesias suæ ordinationi, & dispositioni, pariter est manifestum Legatum prohiberi ne præfatas Ecclesias sibi reservet uniendas aliis Ecclesiis, ut benè docent Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 7. Dom. §. *valentes num.* 3. Franc. *n.* 3. Federic. de Senis *cons.* 190. Hæc enim tria, scilicet ordinare, conferre, disponere, in hoc textu ponuntur, ut distincta, ut citati DD. advertunt: quod autem verbum *ordinare*, comprehendat unionem notat Joan. Andr. *in cap. tibi absenti*, in Gloss. *sed numquid poterit*, *infr. de præbend.* Et quod comprehendat etiam omnem actum circa rem exercendum collig. *ex cap.* 1. *de off. ordin.* Et quod sub verbo *disponere* comprehendatur unio, collig. *ex cap. sicut vivere de excess. Prælat.* Eadem verò ratione Legatus non potest unam Cathedralem alteri subjicere, *c. post translationem*, & ibi DD. *sup. de off. leg. in ant.* Selva *de benef. p.* 2. *q.* 3. *num.* 7. Ubi etiam quod solus Papa duos Episcopatus unit, & dividit unum in duos, *d. c. post translationem*, *& c. & temporis* 16. *q.* 1.

17 Ampliatur secundò, ut Legatus non possit alterare Collegium Ecclesiæ, puta Religiosum locum in Collegium constituendo, ut collig. *ex cap. penult. de Eccles. ædific.* Ancharan. *dict. numer.* 2. Federic. *dict. consil.* 190.

18 Ampliatur tertiò, ut Legatus præfatas Ecclesias non possit commendare. Ordinat enim aliquid, & disponit circa Ecclesias, qui illas commendat, Franc. §. *Prohibemus n.* 3. Archid. *in c. nemo sup. de elect. in hoc* 6.

19 Ampliatur ab aliquibus quartò, ut Legatus nec possit interponere authoritatem suam, ut aliqua ex beneficiis prælatis, ut v. g. duæ plebes collegiatæ invicem permutentur, etiam si accedat consensus Canonicorum illarum plebium, vel eorum, ad quos spectat præsentare ad illa beneficia, vel ea conferre. Ita sentit Francus *in* §. *prohibemus num.* 3. Quo stante plus posset Episcopus, qui consentientibus iis, quorum interest, posset permutationes hujusmodi admittere. Sed alii volunt, quod prohibitio hujus textus non comprehendat permutationes, quia collatio beneficii, quæ fit causa permutationis, non est actus liberalitatis, sed necessaria in dando, & cui dando, ut in Clem. 1. *de rer. permut.* Hic verò Pontifex prohibere voluit collationem beneficiorum præfatorum, quæ est liberalis saltem in cui dando. Prohibuit enim reservationes beneficiorum præfatorum vacantium, ne libera collatio eorum, ad quos spectat, impediatur, & ipsi nimium graventur. Unde est, quod Legatus etiam invitis Canonicis, vel aliis exceptis patronibus laicis, si Ecclesiæ essent juris patronatus laici, possit permutationis Collegialium Ecclesiarum admittere, quantum fit ex vi hujus decretalis, ut tenent Lap. *n.* 3. *&* 4. Anchar. *n.* 2. Butr. *n.* 4. Dom. *n.* 4.

20 Ampliatur quintò, ut regula non procedat in beneficiis præfatis, etiamsi contingat ea devolvi ad sedem Apostolicam. Potest enim contingere quod talium beneficiorum collatio aut dispositio devolvatur ad sedem Apostolicam ex negligentia vel electorum, si sint electiva, vel collatorum, si collativa. In hoc ergo casu in quo collatio, vel dispositio non pertinet amplius ad Ordinarios inferiores, sed est devoluta ad Papam in locum etiam habere hujus textus prohibitio-

tionem senserunt Lap.*n.*5. Dom.*n.*5. Franc.*n.*4. Ex eo quod textus universaliter prohibeat quamcumque dispositionem circa hujusmodi beneficia. Ampliationem tamen non admittunt Archid.*n.* 2. Jo. Andr. *n.*1. Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 1. *&* 2. Sed ampliatio sustineri debet, considerandum enim est, quod hæc constitutio non emanavit ad solum favorem Ordinariorum inferiorum, sed præcipuè ad favorem sedis Apostolicæ, cujus est Cathedrales, & Regulares Ecclesias conferre. Cùm ergo absolutè prohibent omnem ordinationem, & dispositionem præfatorum Ecclesiarum, absolutè prohibitio accipi debet, ut intelligatur prohibita earum collatio, etiam quando est devoluta ad sedem Apostolicam. Quando enim devolutio fit ad inferiorem, conveniunt etiam Lap. Anchar. & Butr. quod sit Legato prohibita.

Notandum primò, Bonifacium Octavum exemplo suo hic demonstrasse leges non nisi cum maxima, valdè prudenti, & provida deliberatione fieri debere, sicut, & in hujus libri procemio habetur, & hic advertit Dom. *n.* 1. 21

Notandum secundò, quod ex quo facultas quantumcumque plenaria Legati à latere, non se extendit ad hoc, ut possit reservare sibi Ecclesias Cathedrales, & alias exceptas, ita universaliter sic res se habet, quod mandatum etiam in suo genere ordinario plenum non se extendit ad ea, quæ requirunt mandatum speciale, *c.* 2. *infr. de Procur.* Dom. *n.* 2. 22

DE OFFICIO LEGATI.

Cap. Deliberatione IV. §. Prohibemus.

SUMMARIUM.

23 *Legatus non potest concedere facultatem ad resignationes beneficiorum.*
24 *Subjectum hujus prohibitionis est Legatus à latere.*
25 *In hoc casu Legatus non potest per alium, quod potest per se ipsum.*
Legatus admittit resignationes. 26.
27 *Non tamen sub conditione pensionis factas.*
28 *Consentit permutationibus.*
29 *Nec Legatus nec alius Ordinarius potest concedere facultatem ad resignationes, & collationes.*
30 *Potest uni committere resignationem, & jam vacante beneficio committere collationem.*
31 *Episcopus potest dare facultatem Vicario ad resignationes.*
32 *Concessio ad resignationes, si sit irrita resignatio facta ex vi talis concessionis est irrita.*
33 *Sensus illius propositionis, Prohibito uno prohibetur id, per quod ad illud pervenitur.*
34 *Quod Legatus non possit dispensare in decretis Conciliaribus, non habetur ex hoc textu.*
35 *Destructo principali destructum manet, quod consequitur.*
36 *Legatus non potest conferre beneficia extra legationem.*
37 *Dictio* ex, *& dictio* ob, *quid important.*
38 *Lex trahitur ad præterita pendentia negotia.*

23 IN secunda parte hujus decretalis decernitur, ne Legatus in genere, vel in specie cuicumque concedat, ut ab his, qui beneficia intra ejus legationem habentes, ea in illius manibus voluerint resignare, ipsorum resignatione recepta, illa valeat idoneis conferre personis. Per hoc enim paratur via ad beneficia vacatura contra Lateranen. Concilium relatum supra *cap. nulla* 2. *de concess. Prabend.* Et ideò irritum decernit, si fiat oppositum. Et constitutionem hanc extendit etiam ad præterita, & ad huc pendentia negotia.

24 Hujus quoque prohibitionis subjectum est Legatus à latere, cùm alii Legati de jure communi, nec per se, nec per alios beneficia conferre possint, *cap.* 1. *sup. hoc tit. & lib.*

25 Materia verò hujus prohibitionis sunt beneficia resignata; una verò est actio prohibita, scilicet committere cuicumque sive in genere, sive in specie, ut acceptata resignatione alicujus beneficii illud conferat personæ, & ita benè notat Gloss. quod hic est unus casus, in quo quis non potest facere per alium, quod potest facere per se ipsum.

26 Itaque Legatus à latere potest per se ipsum resignationes beneficiorum illorum recipere, quæ potest conferre, DD. communiter in hoc cap. & præter eos Panorm. *in cap. ultim. num.*4. *de renunc.* Flamin. *de resig. lib.*7. *q.*13. *num.*15. & probatur *ex cap.* 1. *supra in hoc tit. & lib. & cap. si Abbatem sup. de elect. in hoc* 6. ubi DD. communiter Gambar. *de off. legat.*
27 *cap.* 6. *de pens. num.* 164. Declarat tamen *num.*17. Hoc intelligendum esse de resignatione simpliciter & libera, eò quia non possit Legatus recipere resignationem sub conditione, & pacto vel ad favorem alicujus, vel sub pensionis constitutione. Cùm renuntiatio debeat esse libera, *c. quam pio* 1. *q.* 2. Gambr. *d. l.*6. *n.*165.

Unde etiam est, quod potest interponere authoritatem suam in permutationibus beneficiorum, Bellam. *tr. de permut. benefic. p.*2. *q.*6. Gamb. *de off. leg. l.*5. *tit. de permut. n.* 2. Flam. *d. q.*13. *n.* 16. Quod adeò est verum, ut non vocatis electoribus, aut patronis omnia illa beneficia potest permutare quæ illis invitis potest conferre secundùm DD. quos retuli *n.*18. & Gambar. *ubi sup. n.* 5. Ubi quod imò si neglectis patronis laicis, quibus derogare non potest, permutare, valeret permutatio, donec opponeretur Rota *dec.*307. *&* 331. *in nov.* 28

Esto tamen possit Legatus beneficiorum resignationes recipere; non potest tamen vel in genere, vel in specie concedere alicui, ut recepta resignatione alicujus beneficii illud personæ idoneæ conferat. Quæ prohibitio extenditur ad omnem collatorem, seu habentem facultatem recipiendi renuntiationes beneficiorum, ut nulli alteri possint beneficiorum receptionem, simul & collationem conferre, ut notavit hic Dom. §. *Prohibemus num.* 3. & ex Gloss. *in Clem. literis v. commisisse de probat.* & Card. Zabar. ibidem probat Flam. *de resignat. benef. l.*7. *q.*29. *num.*1. Et hoc neque eidem, neque diversis committi potest, scilicet committendo uni, ut recipiat resignationis, & alteri ut beneficia resignata conferat, ut hic advertit Gloss. *in v. cuicumque*, quam sequitur Dom. *n.*6. 29

Hoc tamen declaratur, nam poterit Legatus uni committere resignationem tantùm, & postea postquam acceptata fuit resignatio, & beneficium jam vacat, committere eidem, vel alteri, ut illud personæ idoneæ conferat, Gloss. *hic in v. cuicumque*, Franch. §. *prohibemus n.* 2. Dom. *num.* 6. Flamin. *d. l.*7. *q.*29. *num.*2. ubi quod hæc est communis omnium sententia. 30

His etiam non obstantibus Episcopus suo Vicario, seu Officiali generali potest concedere facultatem recipiendi resignationes beneficiorum, & illa conferendi, prout habet textus *sup. in cap. ult. de off. Vic. in hoc* 6. & hic advertunt Gl. *d. v. cuicumque*, Franc. §. *prohibemus n.*2. Barbos. *n.*6. Covar. *l.*3. *var. cap.*20. *n.*6. Flam. *d. l.*7. *q.*29. *num.*3. Non potest tamen Episcopus committere singulari personæ, & de singulari beneficio, ne aperiatur via ad vacatura, Franc. *d. n.*2. Rota *decis.*1. *&* 4. *de off. Vic. in antiq.* Oldr. *cons.* 77. Flam. *d. nu.* 3. Quod etiam posset Vicarius, si daretur ei potestas conferendi beneficia per mortem tantùm, vel per resignationem tantùm, ut tradit Barb. *n.*6. post Rebuff. *tit. de forma Vicariat. n.*7. *&* 8. 31

Facta verò contra disposita in hoc §. irrita ipso facto sunt. Quamobrem in hoc casu nedum erit irrita collatio beneficii resignati, sed resignatio ipsa tanquam facta in manibus illius, qui eam recipere non poterat. Ex quo enim irritatur commissio facta, simul irritatur renuntiatio ex commissione nulla procedens, Archid. *n.*2. Butr. *n.*3. Dom. §. *prohibemus n.*2. Franch. *num.*2. Anchar. *n.*3. Quamvis verò renuntians posset privari beneficio, ex quo peccavit in renuntiando, quod tamen non amittat proprietatem beneficii ante sen- 32

sententiam, ex cap. *Gunsaldus* 17. q. 2. advertit Archid. n. 2. Sed de hoc videndi DD. *in cap. quod in dubiis sup. de renuntiat.* Sed ego considero, *quod c. illud in dubiis*, loquitur de renuntiante in manibus Laici, nec debet extendi ad renuntiantem in manibus Legati. Unde nisi aliud obstet, nec privandus esset beneficio, qui illud invalidè renuntiasse in manibus Clerici delegatià Legato.

33 Notandum primò, quod ex quo ex commissione receptionis resignationem, & collationis beneficiorum resignatorum potest aperiri via ad beneficia vacatura contra Concil. Lateranen. Pontifex prohibuit hanc commissionem, deducit Dom. *num.* 1. quod prohibito uno prohibetur omne, per quod pervenitur ad illud. Verum hoc non debet intelligi, ut id per quod potest perveniri ad prohibitum ex hoc sit jam prohibitum, quia aliter superflua fuisset prohibitio illius textus, nam hujusmodi commissio jam fuisset prohibita ex vi Concil. Lateranen. nec opus fuisset novâ lege illam prohibere. Sed id intelligi debet, ut det legislatori causam justam illud prohibendi, quod parat viam ad prohibitum perpetrandum.

34 Notandum secundò eumdem Dom. *n.* 1. & Franc. *num.* 2. advertere, quod Legatus non potest dispensare in decretis Conciliorum generalium, quod est verum, nisi Constitutiones Conciliares specialiter id permittant, Selva *de benef. part.* 2. *q.* 3. *num.* 5. Hoc tamen non deducitur ex hoc textu; Nam etiam si Legatus alias potuisset, vel non potuisset dispensare in decreto Concil. Lateranen. de beneficiis vacaturis, *supra cap. Nulla* 2. *de concess. prabend.* relato, & per quod solum prohibitum fuit beneficia vacatura conferre, aut promittere, adhuc poterat Legatus committere sine dispensatione in d. decreto collationem beneficiorum, quę erant vacatura per resignationem, conferenda tamen postquam vacassent sine prævia promissione antequam vacassent, & possent nunc, nisi id specialiter Pontifex prohibuisset; hoc enim non erat contrarium dicto Concilio, sed ut in textu dicitur solum probat viam ad id, quod Concilium prohibuerat.

Notandum 3. quod ex quo irritata fuit commissio ad futuras resignationes, simul deducitur resignationes ex vi talis commissionis futuras fuisse nullas. Ex quo deducitur regula, quia nimirum destructo principali, simul destructum manet, & reprobatum id, quod per necessariam consequentiam ad illud consequitur, Dom. *num.* 2. Franc. *num.* 2. 35

Notandum quartò, quod meritò in textu posita sunt illa verba *infra legationem ejusdem*, ut sciretur, quod Legatus non potest conferre beneficia extra legationem illius existentia, unde nec potest concedere facultatem recipiendi resignationes beneficiorum extra legationem consistentium Barb. *n.* 4. 36

Notandum quintò, poni discrimen inter dictionem *ex*, & dictionem *ob*, quod dictio *ex* importat causam proximam, ut verò dictio *ob* importat causam remotam. Ita advertunt hîc Dom. *n.* 3. Barbos. *num.* 5. *plurib. aliis citatis hic*, *& in tract. de dictionibus in* 233. Sed propria distinctio illarum dictionum est, quod dictio *ex* importat causam materialem, sic enim dicimus calicem esse ex auro, vel causam etiam efficientem, unde dicimus filium esse ex patre, sed dictio *ob* dicit causam finalem; sic dicimus infirmum sumere medicinam ob salutem consequendam. Ideò Pontifex qui voluit irrita esse etiam illa, quæ ad finem concessionis præfatæ consequendum facta fuissent, non solùm expressit ea, quæ ex eadem concessione sequerentur tanquam ex causa efficienti, aut per naturalem sequelam, sed addidit, *vel ob eam, sequutum fuerit*. 37

Notandum sextò, quod meritò in textu posita sunt illa verba, *& adhuc pendentia negotia*, ut sciatur legem dari posse etiam ad irritanda præterita, quæ tamen adhuc pendet, nec sunt perfecta, & completa, & quod hujus constit. intentio non fuit irritare resignationes, & collationes, quæ jam sortitæ fuissent effectum suum, licèt factas ex commissione data à Legato alicui, ut resignationes admitteret, & beneficia resignata conferret, Domin. §. *volentes num.* 1. *&* 2. 38

DE OFFICIO LEGATI.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT V.

Collatio beneficii per legatum sedis Apostolicæ tibi facta, nullius momenti existit: si in ea non fuerit habita mentio de alio beneficio, quod primitus obtinebas.

SUMMARIUM.

1 *Collatio facta habenti beneficium nulla, si non sit mentio beneficii.*
2 *Cur hoc non sit necessarium in Ordinariis.*
3 *Et verificatur de Legatis omnibus.*
4 *Et in Delegato Legati.*
5 *Sed loquitur de beneficiis.*
6 *Mentio debet esse specifica.*
7 *Et omnium qualitatum.*
8 *Nulla est collatio ipso jure.*
9 *Collatio facta motu proprio valida.*

1 Breve est hoc cap. unam regulam continens, quæ est ista, scilicet collatio beneficii facta à Legato habenti aliud beneficium nulla est, si non fuit facta mentio habiti beneficii. Ita hîc DD. omnes, Card. *in Clem.* 2. *de off. ord. num.* 1. Staphil. *de literis gratiæ*, *tit. de off. Legat. num.* 38. Menoch. *de arbitr. casu* 20. *n.* 50. Barbosa *de jur. Ecclef. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 49.

2 In hoc ergo distinguuntur Ordinarii, & Legati, quod collatio facta ab Ordinario non est nulla, licèt prioris beneficii non fiat mentio, *Clem.* 2. *de off. Ordinarii*, Felin. *in cap. Ad aures*, *num.* 15. *de rescript.* Selva *de benef. part.* 3. *q.* 25. Seraph. *decis.* 1026. *num.* 3. *& decis.* 1467. *num.* 2. Rot. *dec.* 190. *num.* 1. *par.* 2. *recent.* & aliàs pluries, ut refert Barb. *d. cap.* 5. *num.* 50. Sed facta à Papa, & à Legato est de jure nulla. Ratio verò differentiæ, quia Ordinarii censentur scire conditiones, & qualitates suorum subditorum; Nam præcipuè ignorare non possunt, vel non debent, qui habent in eorum Diœcesi beneficia, & sic in dispensandis beneficiis, quæ spectant ad eorum collationem magis certi sunt, & deliberati; unde in Ordinariis non præsumitur subreptio, cùm nec præsumatur ignorantia, quæ tamen præsumi potest in Pontifice, vel Legato, qui subditorum suorum, tum ob applicationem ad alia negotia, tum ob subditorum multitudinem, & distantiam habitationis illorum, & longè minorem cum illis communicationem, minorem longè eorum notitiam habent.

De omnibus verò Legatis intelligitur hæc regula, quæ verificatur de illis, nedum quando conferunt beneficia authoritate legationis, sed quando conferunt illa authoritate Apostolica speciali, Lap. Anchar. Franc. *num.* 1. quia sola authoritate illa conferunt Legati missi, seu Nuntii, *cap. si eum inf. de preben.* Nec obstat textus *in Clem.* 2. *de off. ordin. v. in aliis*, quia hujusmodi particula respicit Ordinarios, non Legatos, Barb. *n.* 4. Cæterùm in Legatis omnibus regulariter præsumi potest ignorantia, pluralitatis beneficiorum in imperrante novum beneficium ab illis, & sic præsumi potest subreptio. 3

Imò regula textus verificatur etiam ubi beneficia conferat Delegatus ipsius Legati, ut post Lap. & Anchar. advertit Franc. *n.* 2. 4

Regula tamen de beneficiis intelligitur, quorum plurali- 5

ralitas est incompossibilis; nam aliàs si quod confert Legatus non sit beneficium, sicut si Hospitale non sit beneficium, nec detur in titulum, nec sit incompossibile cum habente beneficium, non est nulla illius collatio ex vi istius textus, si fiat ad favorem beneficiati nulla facta mentione beneficii, Butr *in princ.*

6 Mentio autem, quæ asseritur necessaria, est mentio specialis, & specifica, Archid. Anch. Lap. Butr. *n.*2. Franc. *n.*1. qui etiam propterea dicunt, quod non sufficit mentio illa, de qua *in c. Non potest inf. de preb.*

7 Quod verò dicitur de mentione prioris beneficii habiti, dicitur etiam de omnibus aliis qualitatibus exprimendis, ad hoc ut collatio facta à Pontifice non sit subreptitia, & irrita. Omnium enim istarum qualitatum fieri debet mentio, ad hoc ut collatio Legati non sit irrita.

8 Nulla verò est collatio beneficii non facta mentione beneficii alterius habiti, nedum nullitate exceptionis, sed ipso jure, hanc enim nullitatem fert subreptio in beneficiis, & sic nullius momenti dicitur esse ipso jure, Franc. *num.* 1.

9 Cùm verò regula indubitatè procedat, ubi collatio à Legato fit ad instantiam alicujus, quia tunc subreptitia est collatio, ex taciturnitate prioris beneficii, dubitant hic DD. an regula locum habeat etiam in collatione beneficii facta à Legato motu proprio. Non valere enim hanc collationem aliqui dixerunt, Barbos. *num.* 5. pro hac sententia refert Domin. *num.* 4. qui expressè tenet oppositum, ut videre est *num.* 6. Id verò tenuit Joan. Monach. & Arch. & Joan. Andr. Textus enim non distinguit, & hoc est speciale in gratia facta à Papa, prout fuit expressum *in cap. si motu proprio, infr. de Prebend.* Et Legatus juribus ligatur, & non est solutus, sicut Papa, ut in eo verificetur, quod de Papa diffinitur *cap. si motu proprio, infr. de Preb.* Sed dicitur collationem factam motu proprio à Legato non facta mentione prioris beneficii esse validam. Nam nulla lege est prohibitum conferre beneficium habenti aliud, quamvis sit prohibitum retinere plura beneficia sine dispensatione. Mentio ergo prioris beneficii non est necessaria, quia habens beneficium sit inhabilis ad aliud, quia cedendo priori potest validè obtinere secundum. Tota ergo ratio nullitatis collationis secundi beneficii non facta mentione prioris est ex subreptione, & ideò, quia hæc non præsumitur in Ordinario, ideò collatio secundi beneficii non facta mentione prioris est valida. Cùm ergo in proposito motus proprius tollat subreptionem, quod probat text. *in cap. si motus proprius, infr. de Preb.* Ideò ubi collatio à Legato fit motu proprio, cessat subreptio, & cessat nullitas, ut tradunt hic Butr. *n.*3. Franc. *num.* 2. Barb. *num.* 6. *& lib.* 5. *de jure Eccles. cap.* 5. *n.* 51. Panorm. *cap. suam, de at at. nu.* 1. Card. *in Clem.* 2. *de off. Ordin.* Mandos. *in reg.* 16. *Canc. q.* 6. *n.* 3. Nec obstat, quod Legatus legibus sit adstrictus, quia nulla est lex, quæ prohibeat Legatum conferre beneficia motu proprio, vel quæ statuat, quod gratia facta motu proprio sit subreptitia. Leges præcipiunt impetranti, ut non taceat, quæ exprimenda sunt, sed non præcipiunt Legato de motu proprio ne agat, & sic agendo subreptionem excludat.

DE OFFICIO ORDINARII.

Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi.

CAPUT I.

Romana Ecclesia: & infrà. Prohibemus quoque, ne Rhemensis Archiepiscopus in diœcesibus suffraganeorum suorum foraneos officiales constituat: quia cùm Metropolitanis, nec suorum suffraganeorum ingrediantur diœceses, ut in eis auctoritate propria judicent, disponant, aliquidve aliud agant, Canonica prohibeant instituta; nequaquam hoc possunt in illis per alios exercere. Nec pro eo, quòd causas per appellationem delatas ad ipsos, possunt in suffraganeorum suorum diœcesibus delegare: similiter licet eis tales officiales instituere in eisdem: qui eorum vice (cùm appellatur ad ipsos) citationes, vel inhibitiones faciant, seu compescant in hac parte rebelles. Quia in causis per appellationem devolutis ad ipsos, jam jurisdictionem obtinere noscuntur: propter quod licitè possunt super illis committere vices suas. Non sic autem in aliis, in quibus nondum extitit appellatum: & idcircò non debent aliquos constituere pro citationibus in futuris causis appellationum, & inhibitionibus faciendis: nisi aliud Rhemensis Ecclesia circa talium officialium institutionem de consuetudine obtineat speciali. A quibus etiam si de consuetudine hujusmodi possint in Rhemensi provincia constitui: inhibitiones tamen ne procedatur in causis, priusquam ad Rhemensem curiam appelletur, fieri penitus inhibemus.

Officiales autem Rhemensis Archiepiscopi (quamdiu in sua provincia, vel circa illam extiterit) in suffraganeos interdicti, suspensionis, vel excommunicationis proferre sententias non attentent. Et hoc idem ab officialibus aliorum Metropolitanorum, circa ipsorum suffraganeos (quibus ob reverentiam pontificalis officii deferri volumus in hac parte) præcipimus observari.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Archiepiscopus non potest deputare officiales in Diœcesibus suffraganeorum pro futuris appellationibus.*
3 *Officiales non possunt inhibere antequam sit appellatum.*
4 *Archiepiscopus multa potest in suffraganeos.*
5 *Solum in casibus expressis habet jurisdictionem in suffraganeorum subditos.*
6 *Archiepis. est judex appellationum à sententiis suffraganeorum.*
7 *Et hoc verum tam in spiritualibus, quàm in temporalibus.*
8 *Et etiam si Episcopus ex mandato Papæ excitantis ordinariam jurisdictionem agat.*
9 *Etiam à sententia interlocutoria appellatur ad Archiepiscopum, & tunc causa apud eum remanet, si pronuntiet benè appellatum.*
10 *Archiepiscopus causas subditorum suffraganeorum potest delegare.*
Etiam subdito suffraganei. 10.
Et in Diœcesi suffraganei habere delegatum. 10.
11 *Archiepis. non potest intrare Diœceses suffraganeorum, ut judicet.*
12 *Et tamen potest illas visitare.*
13 *Et ex authoritate Apostolica ibi tribunal habere.*
14 *In dubio debet probare facultatem judicandi in Diœcesibus suffraganeorum.*
15 *Archiepiscopi quosdam Vicarios ponebant in Diœcesibus suffraganeorum.*
16 *Institutio horum Vicariorum contra jus.*
Qui non potest per se ipsum, non potest per alium. 16.
17 *Archiepiscopus ante interpositam appellationem non habet jurisdictionem in causa appellationis.* 17.

Quan-

Quando datur jurisdictio ex certa causa, non habetur ante ortum causæ. 17.
18 *Archiepiscopus ante interpositam appellationem non potest committere causam appellationis.*
Commissio non convalescit ex post facto. 18.
19 *Negotium futurum committi potest, sed non à non habente jurisdictionem.*
Quod non est, non committitur. 19.
20 *Lex istius capitis universalis ad omnes Archiepiscopos.*
Non quia extendatur lex de persona ad personam. 20.
21 *Consuetudine acquiritur jurisdictio.*
22 *Officiales ante interpositam appellationem non possunt inhibere.*
23 *Officiales foranei sunt delegati.*
24 *Ex pluralitate officialium non sequitur plura esse consistoria.*

1 DUas regulas constituit Innoc. IV. in hac decretali, quarum prima respicit authoritatem Archiepiscopi ad constituendos officiales in Diœcesibus suffraganeorum, & alia decernit quid servare debeant officiales Archiepiscopi in ferendis censuris contra suffraganeos.

2 Prima regula continet Archiepiscopum appellationum Judicem posse quidem post interpositas appellationes causas delegare personis, quæ intra Diœcesim suffraganeorum easdem cognoscant, & si eis licitent, inhibeant, audiant partes, & negotia judicialiter expediant, sed non potest deputare in eisdem Diœcesibus officiales foraneos pro futuris appellationibus, quia Metropolitani, ne Diœceses suffraganeorum intret, ut ibidem propria authoritate Judicem disponant, aliudve agant prohibent Canonica instituta, & ipsi ante interpositam appellationem jurisdictionem non habent.

3 Addit verò, quod quamvis consuetudine introduci possit, ut Archiepiscopi hujusmodi officiales foraneos pro futuris appellationibus constituat tamen talibus officialibus prohibetur ne inhibitiones faciant, antequam fuerit appellatum.

4 Itaque Archiepiscopus quamvis dicatur quasi Princeps Apostolorum, quia omnibus Provinciæ suæ præest Episcopis secundùm Isidorum *lib. 7. Etymol. cap. 12. relatum in cap. Cleros dist.* 21. Et quamvis etiam Episcopi lege Metropolitana Archiepiscopis sint subjecti, *cap. Pastoralis* 11. *de off. Ordin.* Unde Archiepiscopi circa Episcopos suffraganeos quam plura possunt, quæ enumerat Barbos. *lib. 1. de jure Eccles. cap. 7. à num.* 18. & præcipuè, quod Archiepiscopus est Judex Ordinarius suffraganeorum coram quo Episcopi civiliter conveniuntur, *c. Quia cognovimus* 10. *q.* 3. *c. Pastoralis in princ.* ubi Panorm. *n.* 2. Barbos. *n.* 4. *de off. ordin. c. sollicitudinem, de appell.* Sbroz. *de Vic. Episc. l.* 2. *q.* 58. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 42. *n.* 16. Gambar. *de off. leg. lib.* 2. *tit. de var. ordin. n.* 31.

5 Nihilominus in eorum subditos nullam aliam habent potestatem, quàm illam, quæ in casibus in jure expressis illis est concessa, per text. *in d. cap. Pastoralis in princ. de off. Ord. cap. Romana, & cap. Venerabilibus, infr. de sent. excom.* Gloss. *in Clem. si una v. mensa sua, de reb. Eccles. non alien.* Hostien. *cap.* 2. *de translat. Episcop.* Panorm. *d. c. Pastoralis num.* 2. *de off. Ordin.* Quaranta *in v. Archiepiscopi authoritas num.* 12. Scaccia *de appell. q.* 8. *num.* 98. Barbosa *lib. 1. de jure Eccles. cap. 7. num.* 51. *& in d. c. Pastoralis n.* 3.

6 Inter casus verò, in quibus Archiepiscopo datur potestas in subditos suffraganeorum, unus est casus appellationis. Nam Archiepiscopus est Judex ad quem à suffraganeis appellatur, ut dicitur in hoc text. *& cap. Pastoralis* 11. *de off. Ordin. & cap. duo simul, eod. tit. & cap. conquestus* 9. *q.* 3. *& inf. cap. 1. de for. compet. & cap. Romana de appellat. DD. in hoc c.* Panorm. *in d. cap. Pastoralis num.* 2. Quaranta *v. Archiepiscopis authoritas num.* 18. Covar. *practic. cap.* 9. *num.* 2. Scaccia *de appellat. q.* 8. *numer.* 88. Barbosa *d. cap.* 7. *num.* 52.

7 Et hoc est verum nedum in spiritualibus, sed enim in temporalibus, quando jurisdictio temporalis est totaliter translata in Ecclesiam, adeò quod pro illa non cognoscat superiorem temporalem. Et hoc etiam in iis quæ Episcopus exercet ex jure accidentali, nimirum nedum in iis quę Episcopus exercet de jure communi, sed etiam in iis quæ exercet jure speciali ex privilegio; de quibus videantur Quaranta *in v. Archiepiscopi authoritas n.* 13. Scaccia *d. q.* 8. *n.* 90. *& seqq.* Barbos. *d. c.* 7. *n.* 55.

Quamvis verò in iis, quę Episcopus exercet ut Delegatus Papæ, non sit appellandum ad Archiepiscopum, sed ad Papam, quia à sententia delegati appellatur ad delegantem; nihilominus si Papa committendo causam Episcopo solum excitavit ejus Ordinariam jurisdictionem, unde Episcopus in eo negotio procedit, ut Ordinarius, tunc ad Archiepiscopum ab Episcopo appellatur. Tunc verò censetur Papa excitare Episcopi jurisdictionem Ordinariam, quando commisit id, quod Episcopus ex sua ordinaria jurisdictione potest, nec aliquid addit committendo, ex quo cognoscatur Papam velle, ut Episcopus ex delegata sibi authoritate Apostolica agat, Scaccia *d. q.* 8. *num.* 87. Barbosa *dict. cap.* 7. *num.* 56. *& de offic. & potest. Episcop. alleg.* 92. *num.* 12. 8

Etiam verò à sententia interlocutoria Episcopi appellatur ad Archiepiscopum, & tunc si Archiepiscopus pronuntiet benè esse appellatum, remanet Judex in causa principali, ut ex eodem Scacc. *q.* 17. *de appell. limit.* 47. *mem.* 3. *n.* 7. tradit idem Barb. *d. c.* 7. *n.* 58. 9

Non tenetur verò Archiepiscopus causas appellationum per se ipsum cognoscere, sed eas potest delegare, ut expressè decernitur in hoc textu, & tradunt hic Gloss. *in v. delegare, & notab.* 4. Jo. Monach. *num.* 7. Dom. §. *Nec pro eo, num.* 1. Sic verò potest has causas delegare etiam subdito suffraganei, quod tamen non potest eum ad hoc compellere; ut docent citati DD. & habetur *ex cap. Pastoralis* 11. *de off. Ordin.* Et nihilominus potest suffraganeo præcipere, ut subditum suum ad Archiepiscopi acceptandam commissionem compellat, Gloss. *in d. c. Pastoralis in v. nullam,* Henriq. *lib.* 20. *c.* 30. §. 3. Barbosa *d. cap.* 7. *n.* 59. Et cùm, ut infra *in hoc tit. c. Vt litigantes*, decernitur, Archiepiscopus causas appellationum non possit audire, nisi vel in propria Diœcesi, vel in Diœcesi illius, à quo est appellatum, & non possit alibi, nisi ex consuetudine hoc illi competat, ideò Archiepiscopus in Diœcesi suffraganei potest habere Judicem delegatum, & Tribunal erectum pro causis appellationum audiendis propter commoditatem litigantium, ne in hoc tenetur petere consensum suffraganei. 10

Quamvis igitur Archiepiscopus Dięcesim sui suffraganei intrare non possit, ut in ea authoritate propria indicet, disponat, aliquidve aliud agat; unde in Diœcesi suffraganeorum non potest Ordines conferre; Ecclesias, & altaria consecrare, ante se recognosci contractus, & alios similes jurisdictionis actus exercere, ut notat Gloss. *in v. disponant*. Quantum verò ad celebrationem divinorum servandum sit, quod disponitur in *Clementina Archiepiscopo, de privilegiis.* 11

Nihilominus nedum Archiepisc. potest etiam Diœceses suffraganeorum visitare, & ab eis procurationem recipere, quoniam hic est unus de casibus in jure exceptis, in quo Archiepiscopo visitationis conceditur facultas, *c. cum ex officii sup. de praescript. cap. sopita, & cap. Nuper, sup. de cens. & infr. cap. Romana, & cap. ult. eodem tit.* & notant hic Gloss. *in verb. Ingrediantur*, Archid. *in princip.* Anchar. *num.* 1. 12

Sicut si non propria utatur authoritate, sed delegata sibi authoritate Apostolica utatur ingredi potest in Diœcesim suffraganeorum & illa exercere, ad quæ à superiori mittitur, ut adverterunt Jo. Mon. *n.* 6. Archid. *in princ.* Franc. *n.* 2. In dubio tamen quod Archiepiscopo competat facultas specialis exercendi facultatem judicialem in Diœcesi suffraganeorum, debet illam facultatem probare, ut notat Dom. *n.* 2; cùm habeat contra se regulam negativam, per quam prohibetur ingredi Diœceses suffraganeorum suorum, ut ibi aliquid exerceat, quod concernat potestatem judicialem, prout decernitur nedum in hoc textu, sed jam determinatum fuerat, *c.* 2. 9. *q.* 3. *& c. nullus primus, & c. conquestus* 9. *q.* 3. Quibus concordat *l. in Auth. de defens. civ.* §. *interim col.* 3. quæ jura hic refert Gloss. *in v. Canonica*, quam sequitur Dom. *n.* 5. Et assimilat Archiepiscopos Præsidibus Provinciarum, Episcopos verò defensoribus Civium, unde Episcopi de causis subditorum Prælatorum inferiorum cognoscere possunt, *c. cum ab Ecclesiarum, sup. de off. Ord.* quod & facere poterant defensores Civium. 13

Et pariter in causis appellationum ipse est judex, per jura supracitata. Qua potestate fundati quidam Archiepiscopi, 15

ut

ut refert Innocentius IV. suæ ipsius Constitut. interpres super hoc *cap.* 1. ponebant quosdam officiales foraneos, scilicet quosdam Ministros in Diœcesibus suffraganeorum, qui non cognoscebant de causis appellationum emissarum ad Archiepiscopum, & tamen prohibebant, ne pendente appellatione procederent judicialiter illi, à quibus appellatum fuerat, & quædam alia minora circa jurisdictionem faciebant, & dicebantur foranei, ad differentiam illorum, quos in sua curia constituebant Archiepiscopi. Quamvis verò ex similibus officialibus aliqua utilitas proveniebat, quia providebatur labori litigantium, & expensis, tamen plus inde incommoditatis provenire poterat, scilicet perturbatio jurisdictionis, & contentio, quæ continuè esset in januis inter officiales istos, & Ordinarios; quæ quidem incommoda etiam consideravit Pontifex in hujus constit. editione, ut adverterunt Jo. Monac. *num.* 2. Archid. Jo. Andr. Anchar. *n.* 6. Butr. *n.* 3. Dom. *n.* 4.

16 Sed ut idem Innoc. *num.* 1. advertit, licèt ex prohibitione horum officialium non expectaretur aliqua alia utilitas, hæc una ratio sufficiebat, quod illorum institutio erat contra jus, ut declaratur in textu. Quia cùm Archiepiscopi simpliciter per se ipsos non possint intrare suffraganeorum Diœceses, ut ibi judicent; multò minus id possunt facere per officiales à se delegatos. Qui enim per se non potest aliquid potestatis exercere, multò minus id facere potest per alios, *cap. sicut, dist.* 46. *l.* 2. §. 1. *ff. de admin. rer. ad Civ. post.* Gloss. *in v. per alios*, Jo.Mon. *n.*7. Archid. *in princ.* Dom. *n.*2.

17 Quamvis verò in causa appellationis Archiepiscopi possint suffraganeorum intra Diœceses, & ibi officiales delegatos constituere, tamen obstabat institutioni talium officialium. Quoniam quando alicui non est concessa jurisdictio nisi ex certa causa, & ideò nisi sub conditione illius causæ Judex ante conditionis perfectionem jurisdictionem non habent. Et non loquuntur propriè, qui dicunt talem Judicem habere jurisdictionem in habitu, quod innuit Add. marginalis ad hunc text. *in v. in aliis*, quia habitu utimur cùm volumus, sed qui non habet jurisdictionem, nisi in casu aut causa certa, non potest uti, jurisdictione cùm voluerit. Sed habet solam jurisdictionem quodammodo in actu primo remoto, incompleto, & imperfecto, sed illius exercitium in potentia, & sub conditione purificanda, qua non purificata, nihil agere potest, & ideò ante ortum causæ dicitur non habere jurisdictionem, ut dicunt Gloss. *notab.* 9. Dom. §. *Nec pro eo*, *num.* 3. Franc. *num.* 3. Quia scilicet non habere jurisdictionem dicitur, qui illa non potest uti, quamobrem indubitatum est, quod Archiepiscopus ante interpositam appellationem non habet suæ jurisdictionis exercitium, nec potest causam appellationis alicui committere, aut delegare.

18 Nec obstat, si quis dicat, quod delegare non est actus judicialis, ut colligitur *ex cap. licet de off. deleg.* & dictum est supra *de off. deleg. in hoc lib.* Quia delegare, & subdelegare à quibus processus judiciales originem habent, sunt actus jurisdictionis, Jo. Mon. *num.* 5. Butr. *num.* 7. Dom. §. *Non sic num.* 3. Et sic Archiepiscopus ante interpositam appellationem nulliter committit causas appellationis, cùm non habeant exercitium jurisdictionis. Commissio autem ex tractu temporis non convalescit ex post facto, cùm in committente non est jurisdictio tempore commissionis, *cap. venerabili in fin. de off. deleg. cap. quia nonnulli*, *sup. de rescript.* Cùm tractus futuri temporis non spectet ad Judicem, *l.*1. *ff. de censur. c. Romana* §. *caveant, inf. de sent. excom.* Jo.Mon. hic *n.*5. Franc. *n.*4.

19 Quod verò objiciunt Jo. Monac. & alii, quia negotia futura committi posse videtur; sic enim promissio potest esse in pendenti, *l. si stipulatus fuerim* §. 1. *ff. de verb. oblig.* & *l. si à colono in fin.* igitur, & committi poterit negotium de futuro. Quod inquam sic objicitur, tollitur de facili prætermissa enim responsione ejusdem, & aliorum dicentium id esse verum in contractibus, non in judiciis, quæ non possunt pendere. Quoniam hoc non impedit, quin futuræ causæ committi possint; Nam Ordinarii hoc faciunt, *Clem.* & *si principalis, de rescript.* Dicitur assumptum, ab arguente esse verum supposita jurisdictione in committente, quæ ante interpositam appellationem non est in Archiepiscopo, jurisdictio verò, quæ non est, ut dicit idem Mon. *n.* 8. committi non potest, *arg. cap. Deibertum* 1. *q.* 7. *cap. Pastoralis* §. *penult. sup. de rescript.* Et dignitas, quæ non est, vacare non potest, *cap. cum accessissent, de constit.* Et Collegio, quod non est, privilegium dari non potest, *c. Sed audientiam* 1. *de Eccles. ædific.* & quod non est, accusari non potest, *c. ad dissolvendum, de despons. impub.*

Quamobrem optimo jure Innocentius prohibuit, ne Archiepiscopus ante interpositam appellationem causas appellationis deleget, & officiales foraneos in Diœcesibus suffraganeorum constituat. Hæc verò prohibitio est generalis, & omnes Archiepiscopos comprehendit, ut notat Gloss. *in v. Dementis*. Et ut ait Dom. §. *officiales num.* 4. Scribendo uni eruditi omnes. Nec tamen imaginandum est, quod hic fiat extensio legis de persona ad personam ex rationis similitudine. Nam imò hic lex universalis comprehendens omnes applicatur uni. Nam ex quo Archiepiscopi non possunt intrare Diœceses suffraganeorum, ut judicent, & quatenus sunt Judices appellationum, non habent jurisdictionem ante interpositam appellationem, conclusit universaliter Pontifex, quod Archiepiscopi non debent constituere officiales pro futuris causis appellationum, & propterea prohibet Archiepiscopo Rhemensi hos officiales constituere. 20

Consuetudine tamen posset Archiepiscopus obtinere jurisdictionem, ut posset in Diœcesibus suffraganeorum deputare officiales pro futuris causis appellationum. Consuetudine enim acquiritur & prorogatur jurisdictio, etiam respectu privatæ personæ, ut ex textu habetur *cap. cum contingat, de for. comp. l.* 1. *C. de eman. lib. L.* 1. *juncta l. more majorum*, *ff. de jurisd. omn. jud.* Gloss. *hic notab.* 5. Arch. Jo. Andr. Anch. *n.* 3. Butr. *n.* 1. Dom. *num.* 2. Quod tamen intelligendum esse de consuetudine præscripta notant Gloss. Archid. *n.* 1. Dom. §. *Nec pro eo*, *n.*3. Sed quæ dici debeat consuetudo præscripta peti debet supra *c. consuetudinem, de consuet. q.* 1. *art.* 8. *in hoc* 6. 21

Et nihilominus etiam hac consuetudine data, Pontifex prohibet, ne antequam ad Archiepiscopum appelletur ab istis officialibus fiant inhibitiones; unde non possunt inhibere judicibus à quo, nisi post interpositam appellationem. 22

Hujusmodi verò officiales foranei, dati ad causas particulares, & extra Curiam, propter quod etiam dicuntur foranei, non sunt Ordinarii, sed delegati Archiepiscopi eos constituentis, unde ab eorum sententiis ad Archiepiscopum est appellandum, quod universaliter verum est de foraneis Vicariis Episcoporum, qui non sunt Vicarii Generales facientes idem concistorium cum Episcopo, & idem Tribunal, sed dantur ad causarum partem, & ad partialia loca Diœcesum, juxta dicta supra *cap.*2. *de off. Vicarii in hoc lib.*6. & docent hic Innocentius, Jo. Monac. *n.* 1. Archid. *in princ.* Anchar. *num.* 1. Butr. *n.* 10. Dom. *num.*4. & §. *officiales n.*2. Franc. *n.*1. 23

Quod verò ex eo, quod Archiepiscopus habeat plures officiales, scilicet generalem, & alios foraneos, non sequatur, quod habeat plura concistoria, sed in eodem concistorio plures Judices, advertunt Innocentius, Jo.Monac. *n.*1. Archid. Anchar. *n.*1. Butr. *nu.* 2. Dom. *num.* 3. & §. *officiales num.* 2. Franc. *n.*1. Quamvis nec esse inconveniens, si admitteretur Archiepiscopum plura habere concistoria, asserant Innocentius, Dom. & Franc. *cit.* 24

DE

DE OFFICIO ORDINARII.

Cap. Romana I. §. Officiales.

SUMMARIUM.

25 *Officiales in præsentia Archiepiscoporum non debent ferre censuram in suffraganeos.*
26 *Officiales Archiepiscoporum possunt ferre censuras in suffraganeos.*
27 *Officiales Archiepiscoporum non subjecti* leg. c. 2. sup. de off. deleg.
28 *Habent jurisdictionem in suffraganeos.*
29 *Quando Archiepiscopus censeatur esse præsens. Et quare ejus præsentia attendi debeat.* 29.
30 *Officialis in præsentia Episcopi an possit excommunicare Episcopos non consecratos.*
31 *Excommunicatio lata in suffraganeum ab officiali Episcopi in ejus præsentia, est valida.*
32 *Nec Delegati Archiepiscopi possunt ferre censuras in suffraganeos in præsentia Archiepiscopi.*
33 *Parificantur aliquando esse in loco, & circa locum.*
34 *Præsentia Superioris minuit potestatem officialis.*
35 *Personæ interdici possunt.*
36 *Extensio legum facienda à legislatore. Lex facta pro nominatis, non se extendit ad non nominatos.* 36.
37 *Ratione dignitatis diminuitur severitas pœnæ.*

25 Secunda regula, quam ponit Innocentius in hac constitutione est, quod Officiales Archiepiscopi eo existente in provincia, vel circa ipsam in suffraganeos sententias interdicti suspensionis, aut excommunicationis proferre non attentent. Quod ex hoc textu præter DD. ejus Interpretes docent Bertach. *de Epis. p. 7. l. 4. tit. de Vic. Epis. q. 10.* Sbroz. *de Vic. Epis. p. 1. tit. 4. n. 16.*

26 Supponitur in hac regula, Officiales Archiepiscopi posse contra suffraganeos procedere per censuras. Cùm enim hoc possint Archiepiscopi ex eorum Ordinaria potestate, *cap. Venerabili, de sentent. excomm.* Panorm. & alii, Barbosa *alios referens lib. 1. de jure Eccles. cap. 7. num. 26.* Ex Archiepiscopi delegatione cujus vices gerunt hoc idem possunt Vicarii, seu Officiales Archiepiscoporum, Sbroz. *de Vic. Episc. q. 58. num. 3. lib. 2.* Et ad textum hunc DD. communiter.

27 Existimat verò Barbosa *d. cap. 7. num. 27.* ex Genuen. *in pract. cap. 70. num. 5.* quod ubi Archiepiscopus excommunicare velit aliquem suffraganeum, observare debeat, quæ sancita sunt *c. 2. de off. deleg. sup. in hoc 6.* Quod majori ratione verificari deberet in officiali Episcopi. Sed cùm *in d. cap.* sit sermo de delegato Apostolico, non debet lex illa extendi ad Ordinarium.

28 Idem Barbosa hic, ait notari in hunc textum ad hoc, quod Vicarius Archiepiscopi non habet jurisdictionem in Episcopos suffraganeos, & citat Rebuff. *in praxi benef. tit. forma Vicar. num. 164.* Et Grat. *discept. 111. num. 18. & num. 44.* Sed oppositum ex hoc textu colligunt interpretes ejus; nam ex quo prohibetur Vicarius ne excommunicet Episcopum suffraganeum in præsentia Archiepiscopi, supponitur cum habere jurisdictionem, qua prohibetur uti, si Archiepiscopus sit præsens.

29 Supposita igitur potestate procedendi per censuras contra Suffraganeos, Pontifex prohibet, ne Officiales Archiepiscopi in ejus præsentia censuræ sententiam in eos proferant, censetur verò præsens Archiepiscopus, si sit Provincia, vel circa ipsam. Dictio autem *circa* hic sumitur, ut est idem quod *prope*; ad quantam verò distantiam extendi possit existentia Archiepiscopi, ut dici possit eum esse circa Provinciam, Glossa putat hanc esse duarum dietarum, *juxta cap. nonnulli de rescript.* Sed tamen concludit hoc arbitrio boni viri esse judicandum; quod etiam sentiunt Jo. Monac. *n. 10.* Archid. *num. 2.* Hoc verò advertendum non ea ratione Pontificem voluisse, ut Archiepiscopo existenti circa Provinciam ejus officialis non proferat censuras contra suffraganeos, quasi Archiepiscopus ipse extra licet circa Provinciam existens possit eas ferre. Sed quia id est res gravis, quam non decet officialem facere inconsulto Archiepiscopo, si commodè consuli potest, sicuti potest, si sit propè Provinciam, Archid. *n. 2.* Anchar. *n. 4.* Butr. *n. 5.* Dom. §. *officiales num. 3.* Franc. ibid. *n. 1.*

Quamvis autem Hostien. quem sequuntur Anchar. *n. 6.* Butr. *num. 6.* & Jo. Monach. *num. 13.* velit constitutionem istam extendi ad Episcopos confirmatos, licèt non consecratos, ut eos in præsentia Archiepiscopi non debeat Vicarius excommunicare, oppositum tamen sentiunt Dom. *num. 3.* Franc. *num. 2.* Barbos. *num. 8.* qui idem tenuit *lib. 1. de jur. Eccles. cap. 7. num. 28.* post Cuch. *instit. lib. 4. tit. de consec. Episc. num. 6. & tit. de Vicario Episc. num. 123.* & Sbroz. *lib. de off. Vicar. Episc. l. 2. q. 58. num. 3.* Et ratio est, quia Episcopi nondum consecrati non habent Pontificale officium cùm non habeant potestatem Ordinis Episcopalis, quam principaliter importat officium Pontificale, unde non includuntur Episcopi tantum confirmati, ut per Gl. *in Clem. 2. de celebratione Missarum in v. Pontificum*, quia Episcopi non consecrati non veniunt sub nomine Pontificalis officii, ut per Gloss. *in Clem. 2. de privil. & in cap. At si Clerici sup. de judic.* Sed dato quod de jure Episcopus non consecratus non habeat completè Pontificale officium, cùm tamen ut Hostien. advertit habeat Pontificalem jurisdictionem dignam speciali honore, & cum excommunicare sit res valdè gravis magis conforme æquitati est, ut id non faciat Officialis in præsentia Archiepiscopi, saltem sine ejus consultatione, & speciali authoritate, & mandato. 30

Dubium quoque est, an si Officialis Archiepiscopi in ejus præsentia proferat censuram in aliquem suffraganeum, sententia teneat, vel potius sit nulla. Nam nullam esse tenuerunt Jo. Monac. *num. 11.* Archid. *num. 3.* quia sententia contra privilegiarum est nulla, *cap. 1. §. ex parte, infr. de concess. præbend.* Et quia Papa hic inhibet Vicario, factum autem contra inhibitionem est nullum, *cap. Romana §. fin autem, inf. de appellat.* Et quia Papa hic jurisdictionem officialis limitat. Judex verò agens supra potestatem suam nulliter agit. Sed neque verum est, quod prohibitio ista emanaverit per modum privilegii, cùm emanaverit per modum præcepti. Neque hæc fuit judicialis inhibitio sed prohibitio legalis. Neque hujus legis verba sonant in diminutionem potestatis, nam nec dicitur, quod Officialis non possit, sed quod non attentet. Ideò hic considerandum est, quod hæc est simplex prohibitio facta habenti facultatem agendi, quæ de jure Canonico non irritat factum in contrarium, nisi apponatur decretum irritans. Et in proposito si vera esset sententia Joan. Monach. & Archid. sequeretur, quod sententia excommunicationis facta non præcedente monitione esset nulla, quia sic fieri est prohibitum. Quod igitur sententia, & censura lata ab officiali Archiepiscopi contra Episcopum suffraganeum sit valida, tenent Gloss. *in v. attentent*, Jo. Andr. Anchar. *nu. 6.* Butr. *n. 9.* Dom. *in §. officiales, n. 3.* Franc. *n. 2.* Quomodo verò factum contra legem, ex hoc non sit nullum probavi *tract. de elect. cap. 9. q. 1.* Verum tamen est, quod ex Hostien. notat Franc. nimirum, quod hujusmodi excommunicatio lata contra legis prohibitionem sine difficultate relaxabitur. 31

Cùm verò in textu extendatur prohibitio indistinctè ad Officiales aliorum Metropolitanorum, & Delegati ab Archiepiscopo sint ejus Officiales; Nam & quod textus hic non loquatur de solis Officialibus generalibus, habetur conjectura ex eo, quod etiam respectu Archiepiscopi Rhemensis textus in plurali loquitur de Officialibus, & sic non solùm de Officiali generali, sed de aliis etiam; ideò constitutio ista extenditur ad Delegatos Archiepiscopi, ut nec ipsi in ejus præsentia possint proferre sententias censurarum contra Suffraganeos, Gloss. *in v. observari*, Dom. *§. fin. num. fin.* 32

Notandum primò, aliquando parificari esse intra Provinciam, & esse circa illam, vel in loco illi vicino, quod quidem ex arbitrio boni viri judicandum est, spectata materia de qua agitur. Quod ex Hostien. inducit Franc. §. *Officia-* 33

ciales, ad probandum, quod citandus sit ille, qui est extra Provinciam, ac si esset in Provincia. De quo *in c. Cum olim, sup. de dol. & contum.*

34 Notandum secundò, quod præsentia principalis superioris diminuir multum potestatem Officialis, & ministri, quam absentia auget Domin. §. *Officiales num.* 1. Franc. *num.* 1. Nam decet principalem, cùm est præsens, non est otiosum, sed uti potestate, & gravia tractare, & definire sicuti decet Officialem in præseotia superioris res graves ejus prudentiæ, & dispositioni remittere, easque oonnisi ex ejus consilio, & speciali mandato definire: facit ad hoc *c. Cum nullus, sup. de tempor. ordin. in hoc lib.*

35 Not. 3. deduci ex hoc textu, quod nedum loca, sed personæ interdici possunt, cùm habeatur Suffraganeos posse interdici ab Archiepiscopo, & ab ejus Vicario in ejusdem absentia, Dom. §. *Officiales n.* 1.

36 Not. 4. quod Domin. §. *Et hoc idem*, advertit, quod jura, quæ diriguntur ad certam persooam, faciunt jus etiam inter alias personas, quando Papa respondet per viam juris. Et allegat ad hoc *cap.* 1. *de juram. calum.* sed ex hoc textu oppositum colligitur. Nam Pontifex, qui voluit legem suam esse communem ad omnes Archiepiscoporum Officiales, illam expresè extendit ad omnes, ex hoc significans, quod si illam non extendisset, & de solo Archiepiscopi Rhemensis Officiali legem tulisset, de eo solo intelligenda esset, nec fecisset jus ad alios. Sic & in illo *p. cap. de juram. calum.* per Imperatorem facta est extensio legis reddentis Clericos immunes à juramenti calumniæ necessitate. Legislator igitur ad eos loquitur, quos nominat, & nisi ille suam legem ad alios extendat, lex lata pro uno, vel aliis nominatis, ad non nominatos ooo se extendit.

Notandum quintò, quod quandoque detrahitur de 37 severitate pœnæ ratione dignitatis personæ, ut notatum est supra *in hoc lib. cap. 2. de offic. Delegat. & infra cap. Quia periculosum, de sentent. excomm.* & ad hoc videndum esse *cap. Homo Christianus, dist. 40. & cap. Cum quidam de jure juran.* monet Dom. §. *Et hoc idem num.* 2.

DE OFFICIO ORDINARII.

Gregotius X. in generali Concilio Lugdunensi.

CAPUT II.

SI Canonici à divinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis aliquibus sibi ex consuetudine, vel aliàs vendicant: antequam ad cessationem hujusmodi quoquo modo procedant in instrumento publico, vel patentibus literis sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratis, cessationis ipsius causam exprimant: & illud vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assignent. Sciturì quòd si hoc prætermisso cessaverint: vel causa, quam expresserint, non fuerit inventa canonica: omnia, quæ de quibuscumque proventibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum fuerit, cessationis tempore perceperint, restituent. Illa verò, quæ pro eodem tempore debentur eisdem, nullo modo percipient, sed ipsi Ecclesiæ cedere, ac nihilominus ei contra quem cessaverant, de damnis & injuriis satisfacere tenebuntur. Si autem causa eadem canonica fuerit judicata, is qui occasionem cessationi dederat, ad omne interesse dictis canonicis, & Ecclesiæ, cui debitum officium ejus est culpa subtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in divini cultus augmentum convertendam, superiotis arbitrio condemnetur. Cæterùm detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque sanctorum imagines, seu statuas irreverenti ausu tractantes, eas in aggravationem cessationis hujusmodi prosternunt in terram, & urticis spinisque supponunt, penitus reprobantes, aliquid tale fieri de cætero districtius prohibemus: Statuentes, ut in eos, qui contrà fecerint, ultrix procedat dura sententia: quæ delinquentes sic puniat graviter, quod alios à similium præsumptione compescat.

SVMMARIVM.

1 *Divisio textus.*
2 *Forma servanda à Canonici in cessando à divinis.*
3 *Pœna non legitimè cessantium.*
4 *Pœna causam dantium cessationi.*
5 *Abusus irreverentia in imaginos sanctas reprobatur.*
Quid sit cessatio à divinis n.6.
7 *Non est interdictum, neque censura.*
Episcopus an possit celebrare in Ecclesia cessante.
8 *Quis possit inferre cessationem à divinis.*
9 *Canonici de consuetudine in quibusdam locis inducunt cessationem.*
10 *Sub nomine Canonicorum venit Capitulum.*
11 *Sub nomine Canonicorum veniunt Canonici regulares, qui propriè sunt tales.*
12 *Ad imponendam cessationem requiritur causa gravis. Et quæ sit talis.*
13 *An hæc causa debeat esse notoria.*
14 *Hæc causa debet exprimi in scriptura authentica.*
15 *Literæ patentes debent esse munita sigillo Capituli.*
Possunt muniri sigillo singulorum Canonicorum.
16 *Et sigillo alterius. Sed tunc non probant pro Capitulo.*
17 *Et instrumentum seu litera assignari debent illi, contra quem intenditur cessare.*
18 *Omittentes formam in textu præscriptam triplicem pœnam incurrunt.*
19 *Quæ pœna incurritur etiam ex impositione cessationis generalis.*
20 *Indifferenter omnes Canonici tenentur restituere.*
21 *Canonici non persolventes officium tenentur restituere.*
22 *Cui restituere teneantur.*
23 *Damnum & injuria distinguuntur.*
Quid restituendum pro damnis, & injuriis taxat Iudex.
24 *Pœna dantis causam cessationi.*
25 *Distributiones non debentur tempore cessationis.*
26 *Ecclesia in cessatione injuriam patitur, & aliquando damnum temporale, quod debet restitui.*
Injuria fit etiam non utenti ratione.
27 *Taxatio restitutionis, & conversio restituti committuntur arbitrio superioris.*
28 *Vnica actione fit condemnatio dantis causam cessationi.*
29 *Violans cessationem celebrando non fit irregularis.*
30 *Religiosi violantes cessationem generalem quando excommunicati.*
31 *Consuetudine acquiritur jurisdictio.*
32 *Datur exceptio ad solvendum.*
33 *Remissa injuria non est remissum damnum.*
34 *Imagines sacra adoranda.*

34 Con-

34 *Contemptores sanctorum imaginum puniuntur ab Inquisitoribus.*

35 *Pœna unius est metus alterius.*

1 DE cessatione à divinis, quæ est hujus decretalis materia decernunt jura *sup. cap. irrefragabili, hoc eod. tit. & infra cap. quamvis* 8. *hujus tit. & in Clem.* 1. *de sent. excom.* In hoc verò cap. Greg. X. primò dat formam servandam in inducenda cessatione à divinis, secundò imponit pœnam contra cessantes sine causa legitima, tertiò imponit pœnam contra eos, qui causam cessationi eidem dederunt, & quartò aufert abusum, qui in hujusmodi cessationum aggravationem irrepserat.

2 Primò igitur tradit formam servandam à Canonicis volentibus cessare à divinis, in illis Ecclesiis, in quibus consuetudo hujusmodi cessandi facultatem introduxit, & decernit, quod hujusmodi Canonici antequam quocumque modo ad cessationem procedant in instrumento publico, & patentibus literis sigillorum suorum, aut alterius authentici muminine roboratis cessationis ipsius causam exprimant; & illud, vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assignent.

3 Secundò autem decernit, quod si præfati Canonici vel prætermissa præfata forma, vel causa, quam expresserint, non fuerit inventa canonica, omnia quæ de quibuscumque proventibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum fuerit, cessationis tempore perceperint, restituent. Illa verò, quæ pro eodem tempore debentur eisdem nullo modo percipient, sed ipse Ecclesiæ cedere, & nihilominus ei contra quem cessaverunt, de damnis, & injuriis satisfacere tenebuntur.

4 Tertiò verò vult, quod si causa cessandi fuerit judicata Canonica, is, qui occasionem cessationi dedit, ad omne interesse dictis Canonicis, & Ecclesiæ, cui debitum officium ejus culpa est sublatum, ad certam quantitatem taxandum, & in divini cultus augmentum convertendum superioris arbitrio condemnetur.

5 Et quia ad aggravandam cessationem irrepserat abusus, ut aliqui Crucem, & B. Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum imagines, seu statuas prosternerent in terram, & vitieis, spinisque supponerent, abusum hunc reprobans, & prohibens, præcepit sic facientes graviter puniri.

6 Pro intelligentia igitur hujus textus considerandum est cessationem à divinis ita nuncupari, ex eo quod ejus tempore Clerici cessent à publica celebratione divinorum Officiorum. Navar. *cap.* 27. *num.* 188. Sayrus *l.* 5. *cap.* 17. *n.* 2. Suarez *de Cens. disp.* 39. *sect.* 1. *num.* 1. Bonac. *de cens. disp.* 6. *p.* 1. *num.* 1. Unde Clericos tempore cessationis bassa voce divina officia persolvere, dicunt Archid. *in princip.* & Jo. Monac. *num.* 2. sed silent Organa, & Campanæ unde definitur hæc cessatio, ut sit suspensio Organorum Ecclesiasticorum, seu silentium ministrorum Ecclesiasticorum. Gloss. *in v. cessare*, Jo. Monach. *num.* 2. Barbos. *num.* 2. Sotus 4. *d.* 22. *qu.* 3. *n.* 1. *in princ.* Covar. *in cap. Alma Mater p.* 2. §. 2. *num.* 1. Sayr. *de cens. lib.* 5. *cap.* 17. *à n.* 8. sive dicitur, quo cessatio à divinis est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persolvere divina officia publicè, ministrare Sacramenta, & sepelire mortuos in loco sacro. Ita ex Navar. *cap.* 27. *n.* 188. & ex Suarez *de cens. disp.* 38. *sec.* 1. *n.* 1. Bonac. *de cens. disp.* 6. *par.* 1. *n.* 2.

7 Dicitur verò simplex prohibitio, quia non est interdictum, sive censura Ecclesiastica, & quod non sit interdictum cum *gloss. in v. cessari*, tradunt Monachus, & Archid. *in princ.* & Menoch. *de arbitr. cas.* 180. plures differentias ponit inter interdictum, & cessationem, nimirum quod in interdicto Episcopus non potest celebrare, quod facere potest in cessatione, *cap. irrefragabili* 13. *de off. ord.* sed certè solum in casu quod cessatio non sit ex manifesta, & rationabili causa, ibi permittitur Episcopo celebrare in Ecclesia Cathedrali. Unde si aliàs cessatio sit inducta servata formam Canonica, nec Episcopus in Ecclesia cessante potest celebrare. Distinguit secundò interdictum à cessatione, quod illud sit quid juris, & hæc sit quid facti, ut per Panorm. *in cap. Dilectus, de appellat. n.* 18. At primaria differentia est, quod interdictum est censura, sed cessatio à divinis est simplex prohibitio. Addit verò Bonac. *d. disp.* 6. *p.* 1. *num.* 4. quod interdictum aliquando incurritur ipso facto, cessatio verò à divinis numquam ipso facto incurritur. In tempore interdicti potest celebrari servato moderamine, *cap. Alma Mater, inf. de sent. excom.* Non verò in cessatione à divinis. Ideò concesso privilegio celebrandi tempore interdicti, non extenditur ad cessationem à divinis, neque è contra.

8 Si autem quæritur, quis possit inducere cessationem à divinis, Respondetur, quod de jure eam imponere possunt Papa, & Episcopus, qui præsunt Foro contentioso, & sic etiam Concilium Provinciale, aut Diœcesanum, *Clem.* 1. *de sent. excom* Et sic etiam Capitulum Sede vacante, quod succedit Episcopo in iis, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ. Delegati etiam id facere possunt, juxta sibi delegatam facultatem, ut constat ex iis, quæ à DD. dicuntur de censuris in communi. Et videri possunt de hoc Silvest. *v. cessatio*, Sayrus *l.* 5. *de cens. cap.* 18. *num.* 3. & alii quos refert Bonac. *d. disp.* 6. *p.* 2. *num.* 1. Qui verò non sunt Prælati habentes in utroque foro jurisdictionem non possunt cessationem à divinis inferre de jure.

9 De jure autem communi non habere Canonicos facultatem cessandi à divinis, sed consuetudine eam obtinuisse in aliquibus locis ex hoc textu, & ex *cap. Irrefragabili, sup. hoc eod. tit.* colligunt *gloss. notab.* 1. Archid. *in princ.* Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 1. Dom. *n.* 2. Franc. *n.* 2. Quamvis eam potuerint habuisse, vel ex privilegio Papæ, vel ex concessione Episcopi, vel ex constitutione synodali, vel ex præscriptione legitima, ut præfati DD. advertunt, & Menoch. *d. casu v. eo.* Sil. *v. Ecclesiis*, Bonacin. *n.* 1.

10 Est verò hìc advertendum, quod hìc sub hoc nomine Canonici intelligi debet Capitulum. Non enim in paucorum Canonicorum potestate est cessationem à divinis inducere, ut benè notat Gloss. *ex cap. Quæsivit sup. de his, quæ fiunt à majori parte, &c.* Sed nomen *Canonici*, hìc totum comprehendit Capitulum, Dom. *n.* 1. Franc. *n.* 1. quod consentiente saltem majori parte illius potest, si adsit consuetudo, vel privilegium cessationem inducere.

11 Sub nomine autem Canonicorum venire, tam Canonicos sæculares, quàm Regulares contra Gul. sentientem oppositum, *ex cap. Quamvis, infra in hoc tit.* probant Gloss. *in v. Canonici*, Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 2. Et ideò quod Canonici Regularis sint propriè Canonici advertit Barb. *nu.* 8. post Nav. *Com.* 1. *de Regul. n.* 4. Et sic textus iste intelligitur de Canonicis sive Capitulis, & Collegiis, tam sæcularium, quàm Regularium Canonicorum.

12 Ubi igitur adsit hæc facultas habetur, quod Canonici possint cessare à divinis, ut id legitimè faciant necessarium est, ut adsit quoque causa legitima id faciendi; sic enim exigitur in hoc textu, & sup. *cap. Irrefragabili eod. tit. & infr. cap. quamvis*, & quidem non quælibet sufficit, sed hæc debet esse gravis, quia scilicet gravis aliqua injuria facta sit Ecclesiæ, vel Clericis illius, ut v. g. si fiant statuta contra libertatem Ecclesiæ, vel imponuntur Clericis taliæ seu collectæ, vel detinetur Canonicus, seu Clericus per sæcularem balivum, ut notat Gloss. *in v. causa*. Ubi habet, quod non esset causa sufficiens, si subtraheretur pensio, vel alia minima offensa. Esse autem arbitrarium judici judicare de valore hujusmodi causarum dixit hìc Archid. Menoch. *d. casu* 180. ubi plura de istis causis.

13 Ulterius verò ex juribus citatis requiritur, quod hæc causa sit manifesta, quod explicant, ut debeat esse notoria, Glois. *in v. causa*, Jo. Mon. *n.* 5. Quod & voluerunt Innoc. & Host. quos sequitur Silvest. *v. cessatio n.* 2. Nam aliàs si causa ista non esset necessario notoria, sequeretur quod consuetudo cessandi non esset rationabilis, sed abusus, quia esset consuetudo Ecclesiis onerosa, *cap.* 1. *sup. de consuetud. & cap. Cum venerabilis, eod. tit.* Alii verò distinguentes dicunt, quod si Canonici velint cessare contra Episcopum, quod facere possunt, ex *cap. Quamvis inf. in hoc tit.* causa cessandi debet esse notoria, sed si cessandum sit contra alium, sufficit quod causa sit rationabilis. Sed Archidiac. existimat absolutè quod non sit necesse, quod causa sit notoria, & hoc probat, quia hæc causa debet examinari, quod non fieret, si esset notoria, quia notoria examinatione non indigent, *cap. De manifesta* 2. *q.* 1. *cap. Qua Lotharius, de fil. Presbyt.* sufficit ergo quod sit rationabilis, & manifesta. Et ita tenent Anchar. *n.* 8. Butr. *n.* 8. Dom. §. *scituri n.* 6. & ibi Franc. *n.* 2. Bonac. *d. disp.* 6. *par.* 2. *n.* 5. Et ita dicendum censeo, quia manifestum à notorio distinguitur. Jura verò petunt quod causa sit manifesta, non quod sit notoria, Monet autem, & distinguit Franc. dicens hæc procedere, quando fit cessatio ex causa de jure communi, secus quando fit ex privilegio, & consuetudine si privilegium, vel consuetudo ex qua fit cessatio causam notoriam requirat.

14 Stante verò causa rationabili manifesta licet cessare à divinis, ubi est facultas cessandi, servata tamen forma hic, & *inf. in cap. Quamvis statuta*. Hic verò requiritur, quod antequam quoquomodo procedant Canonici ad cessationem causa exprimatur in aliquo instrumento, aut in literis patentibus. Unde hic ad fidem faciendam de causa est omninò necessaria scriptura, ut benè advertunt Jo. Mon. *num*. 1. Anchar. *num*. 2. Butr. *num*. 1. Franc. *n*. 1. Non est verò necessarium instrumentum publicum per Notarium subscriptum, & in publicam formam redactum, sed ad hunc effectum sufficiunt litteræ patentes, quæ parem cum instrumento vim habent ad probandum. Gloss. *not*. 2. Monach. *nu*. 1. Archid. *in princ*. Dom. *n*. 3. Franc. *n*. 1.

15 Requiritur verò, ut hujusmodi literæ patentes sint munitæ sigillo; sed quia textus loquitur in plurali, & utitur *v. sigillorum*; hinc est, quod habet duplicem intellectum; potest enim exponi, sigillorum suorum, idest singulorum Canonicorum, & secundùm hoc, si aliquid fiat in communi à Canonicis ut ab universis possunt talis negotii litteris seu instrumento apponi propria singulorum sigilla, *l. ult. ff. de all. scrib. Et in cap. Quanto, sup. de his, quæ fiunt à Prælat.* tunc verò appositio proprii sigilli non magis operatur, quàm propria cujuscumque Canonici subscriptio. Sed 2. potest intelligi textus, ut loquatur de canonicis diversarum Ecclesiarum, & sic loquatur non de singulis canonicis, sed de singulis Capitulis, & sit sensus, quod præfatæ literæ patentes debeant esse munitæ sigillo totius Capituli: Et hic sensus est tutior, & germanior. Archid. in princ. Anchar, *num*. 3. Butr. *num*. 2. Dom. *num*. 4. Franc. *num*. 1. Sed addunt Jo. Monach. *num*. 1. & Franc. *n*. 2. quod sigillum Capituli facit authenticum, & fidem contra se, non pro se, *arg. si Procuratorem, ff. de Procur. l. Cùm precum, C. de liber. cau.* & quale sigillum dicatur authenticum haberi *inf. cap. Post cessionem de probat.*

16 Sed textus addit, vel alterius, unde sufficit si hujusmodi litteræ sint alterius sigillo munitæ, unde habetur, quod quis potest ad fidem faciendam uti sigillo alterius, §. *Possunt, Instit. de testam. l. ad testium*, §. *si ab ipso, ff. de testam.* monent tamen Archid. Butr. *n*. 8. Dom. *n*. 6. Franc. *n*. 2. ad hoc ut negotium sit cautum, & tutum in litteris debere fieri mentionem, qualiter alieno sigillo firmatæ sunt, *arg. l. 1. ff. de his, quæ in test. del.*

17 Instrumentum quoque seu literæ præfatæ causam cessationis continentes assignari debent ei contra quem Canonici cessare intendunt. Et de hac assignatione debet fieri publicum instrumentum, ut notant Archid. Butr. *num*. 3. Dom. *num*. 5. Quamvis sufficiet, si hæc exhibitio fiat coram testibus, ut probari possit, ut citati DD. asserunt. Fit verò hæc assignatio, ut ille contra quem est cessandum deliberare possit de removenda cessationis causa, & satisfactione Capitulo impendenda, unde hæc est quædam requisitio. Et nihilominus ex *cap. Quamvis infr. in hoc tit.* hæc assignatio non sufficit, sed requiritur expressa requisitio & monitio, Butr. *d. n*. 3. Dom. *n*. 5.

18 Tria ergo cùm ex hoc textu requirantur antequam Canonici cessent à divinis, scilicet causa legitima, & manifesta, secundò hujus causæ inscriptio in instrumento publico, vel in authenticis litteris, & tertiò hujus instrumenti, aut literarum exhibitio ei, contra quem intendunt cessare, si alterum horum omittant Canonici triplicem pœnam incurrunt, ut notant Butr. *num*. 2. Domin. §. *sciturì, num*. 3. quia textus disjunctivè loquitur; & sic tenentur primò restituere omnia, quæ de quibuscumque proventibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum fuerit tempore cessationis perceperunt; secundò fructus quos non receperunt, & eis debentur non possunt exigere; tertiò ei, contra quem cessaverunt satisfacere tenentur de damnis & injuriis. Ita hic DD. & Silvest. *v. Cessatio n*. 4.

19 Cùm verò cessatio distinguatur in eam quæ dicitur generalis, quæ fit in toto loco, & eam, quæ dicitur specialis, & fit in aliqua Ecclesia tantùm; si contingat alicubi, quod Canonici possint inducere cessationem generalem, quia textus hìc, & *inf. cap. quamvis*, loquitur absolutè de cessatione, ideò Canonici easdem pœnas incurrent non servata præfata forma, si cessationem generalem induxerint, ut notant Jo. And. Butr. *num*. 3. Dom. §. *sciturì, num*. 4. Franc. *n*. 1.

20 Ad præfatam quoque restitutionem tenentur indifferenter omnes, & singuli Canonici. Advertunt tamen Archid. *n*. 3. Butr. *n*. 3. Franc. §. *sciturì n*. 2. quod si contingat Canonicos non habere proprium ex quo restituant, non tenentur restituere ex illo, quod est Ecclesiæ.

Dicunt verò Gloss. & Jo. Mon. *num*. 2. Canonicos teneri restituere condictione ex istius textus lege. Cùm etenim datur obligatio ex nova lege datur conditio ex lege *l. una ff. de cond. ea se*. Quamvis secundùm canones non intentetur actio. Sed ex hoc colligunt Domin. §. *sciturì num*. 1. & *ibi* Franc. *num*. 1. quod Canonicus non officians Ecclesiam suam non facit fructus suos, & tenetur restituere Ecclesiæ fructus interim perceptos, & conservare Ecclesiam indemnem de damnis dicta de causa obvenientibus, & quod idem tenuit Jo. Cald. *in c*. 1. *sup. de celebr. Miss.* Sed de obligatione restituendi fructus perceptos à non residentibus videndum est *Concil. Trident. sess*. 23. *cap*. 1. *de reform.* & videri possunt, quæ scripsi *tom*. 1. *de statibus quæst*. 185. *art*. 5. *à num*. 150. De obligatione verò restituendi Clericorum beneficiatorum omittentium divinum officium, videndum decretum Concil. Lateranen. sub Leone Decimo declaratum innovatum, auctum à Pio Quinto in constit. data 12. Kal. Octobr. 1571. quæ incipit, *Ex proximo*, & habetur apud Bonac. *de off. disput*. 1. *quæst*. 5. *p*. 2. videndi Suarez *lib*. 4. *cap*. 29. & *alii*. 21

Si verò quæramus, cui Canonici restituere teneantur? Dom. *dict*. §. *sciturì num*. 2. & 5. & Franc. *num*. 2. dicunt, quòd quando Clericus ex sua culpa privatur fructibus, tunc applicantur Ecclesiæ, ut not. *in cap. penult. sup. de Cler. non resid.* & *cap. de multa* §. *is quoque sup. de præben.* & *in hoc lib. sup. cap. Ubi periculum* §. *Provisionibus de elect.* Silvest. verò *v. Cessatio num*. 4. respondet, quod injustè cessans restituit fructus Ecclesiæ argum. eorum, quæ notantur in *cap. Cum secundùm de Præbend.* quod de mente Panormi ibi videtur limitandum, si habet bona patrimonialia, vel aliundè quæsita. Restituet verò Ecclesiæ, si dat superiori, vel successori, aut in ejus utilitatem convertat, aut in necessitate pauperibus tribuat, sed videnda sunt loca superiori numero allegata, & Suarez *dict. cap*. 29. Bonacina *dict. disp*. 1. *quæst*. 5. *p*. 4. Garz. *de benef*. 3. *p. cap*. 1. *num*. 37. Navar. *cap*. 25. *num*. 122. Lopez 2. *par. cap*. 95. & alii de materia tractantes. 22

Quantum verò ad tertiam pœnam, seu obligationem satisfaciendi ei, contra quem cessatum est de damnis, & injuriis, advertit gloss. quod damna consistunt in diminutione patrimonii, & sic petitio damnorum competit super diminutionem patrimonii, *l. damnum* §. 1. *ff. de damn. inf.* & §. *Pœna Institut. eo tit.* actio verò injuriarum datur ad vindictam, *l. Prætor* §. 1. *ff. de injur.* & ideò una non impedit aliam, *l. si pro fure* §. *Cum furti ff. de condit. fur.* Quamvis autem ut ait Gloss. aliud sit damnum, & aliud expensæ, nihilominus expensæ factæ ex necessitate causæ injustè ab alio inductæ ad damna pertinent, cùm importent diminutionem patrimonii ex alterius injustitia occasionatam. Hujusmodi igitur damna in dubio, & quid pro injuria sit retribuendum taxabit Judex, & praxim æstimandi injuriam dicunt esse, ut prius qui passus est injuriam æstimet hoc modo, & dicat se potius libenter voluisse v. g. centum perdere de suo, quàm talem injuriam pati, deindè judex pensatis circumstantiis taxet ne ille in infinitum juret, & postea faciat jurare partem, ut declaret se pro quantitate taxata noluisse sustinere injuriam illam. Ita Gloss. *in v. damnis*, Archid. *n*. 2. Anchar. *n*. 5. Dom. §. *sciturì num*. 16. Franc. *num*. 4. Barbos. *n*. 2. Covar. *lib*. 2. *var. cap*. 10. *n*. 7. Quantum autem ad damnum debet etiam attendi lucrum cessans, ut Franc. advertit. 23

Sed si Canonici servarunt in inductione cessationis formam hìc à jure præscriptam, & causa id agendi fuerit judicata Canonica, vera, scilicet, & legitima, & sic cessatio justè, & legitimè fuit inducta, is qui cessationi dedit occasionem punitur, seu melius (non enim hæc est pœna à lege canonica inducta, sed obligatio ex justitiæ lege promanans) obligatur ad omne interesse Canonicis, & Ecclesiæ. Tenetur quidem ad omne interesse Canonicorum, nimirum si aliquod ex ea causa fuit eis ablatum, vel aliquid amiserunt, Jo. Mon. *num*. 4. Archid. *num*. 3. Anchar. *num*. 7. Butr. *num*. 9. Dom. §. *stantem num*. 1. Franc. §. *eod. n*. 2. Barbosa *num*. 5. & 13. Hippol. *cons*. 115. *n*. 21. & 22. Covar. *in cap. Alma Mater par*. 2. §. 4. *num*. 7. Rodriquez *tom*. 2. *q*. 115. *not*. 4. 24

Ad minus autem Canonici, amiserunt ex ea causa distribu- 25

tiones

tiones quotidianas, quæ eis pro tempore cessationis à divinis non dantur, ut tradunt Henriq. *lib.* 13. *cap.* 52. §. 3. *&* *cap.* 53. §. 2. Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 19. *num.* 17. Monet. *de distrib. par.* 2. *quæst.* 16. *num.* 36. Alfonf. Vega, Anton. de Campos, Avil. & ,Cened. quos sequitur Barbosa *hic num.* 5.

26 At nedum Canonicis, sed Ecclesiæ quoque satisfieri debet, quia ex cessatione à divinis injuriam patitur: quod si dicas Ecclesiam cùm sit materiale quid & inanime non esse capacem injuriæ, Respondet Anchar. *num.* 6. quod ex parte inferentis injuriam requiritur quidem intentio, & affectus, non tamen ex parte illius, qui injuriam patitur, fit enim injuria corporalibus Defunctorum, infantibus, & furiosis, & dementibus, qui injuriam facere non possunt, *l.* 1. *ff. quotiens, & l. illud relatum ff. de injur.* Sed nomine Ecclesiæ non intelligitur Ecclesia materialis, sed congregatio Fidelium sub uno capite visibile unita per fidem Christi, quæ in diminutione divini cultus injuriam patitur, *cap. Alma Mater* §. *quia verò*, Butr. *hic num.* 1. Domin. §. *si autem num.* 11. *&* Franc. *num.* 1. Quamvis & possit esse, quod Ecclesia ex vi cessationis passa sit damnum temporale in bonis communibus, ut in eleemosynis, & oblationibus, ut advertunt Gloss. & alii, quod damnum reparandum esse decernit Pontifex, & ex commutativa justitia restitui debet.

27 Arbitrio autem superioris committitur hujusmodi restitutio. Et tria illi committuntur, taxatio scilicet quantitatis restitutionis faciendæ, condemnatio ad restituendum, & conversio quantitatis restitutæ in id, quod sit divini cultus, Gloss. *in v. arbitrio*, Anchar. *num.* 2. Nam quæ Ecclesiæ restituenda sunt in Dei cultum ad arbitrium Superioris sunt applicanda. Arbitratur verò Domin. §. *si autem num.* 5. quod si pecunia, quæ Ecclesiæ restitui debet, sit magna, ex ea emenda sint prædia, vel numerus Canonicorum augendus. Sed hoc per se est superiori arbitrarium, ut in textu dicitur.

28 Unica verò instantia, & unica sententia condemnari potest iste, qui occasionem dedit cessationi à divinis, ut simul declaretur injustè illum egisse, & satisfacere debere Canonicis, & Ecclesiæ, & satisfacere debere in tanta quantitate Archid. *n.* 3. Dom. §. *si autem n.* 3. *&* 4.

29 Sed quæ pœna est violantium cessationem, illamque, dum justa sit, non servantium? si quis tempore cessationis celebret in Ecclesia, in qua est cessandum à divinis, fieri irregularem, si cessatio sit facta authoritate Legati, vel Episcopi, vel Delegati voluit Archid. ex hoc concordans antiquorum Doctorum opiniones, & in hoc sensu intelligens dictum Innocentii *in cap. Irrefragabili, de officio Delegati*. Alii verò dixerunt si cessatio sit generalis incurrere irregularitatem celebrando, quia hæc æquivaleat interdicto, *Clem.* 1. *de sentent. Excom.* secus si cessatio sit specials. Ita hìc Jo. Andr. Anchar. *num.* 10. Butr. *num.* 6. Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 2. quos sequitur Summ. Angelica. Sed absolutè dicitur celebrantem in Ecclesia subjecta cessationi à divinis nullam incurrere irregularitatem. Non enim incurritur irregularitas, nisi in casibus expressis in jure, *cap. is, cui infr. de sentent. excomm.* Jure verò est quidem statutum, quod sit irregularis, qui celebrat in Ecclesia interdicta, sed nullum est jus decernens incurri irregularitatem in violatione cessationis à divinis, quæ nec est interdictum, nec est censura, nec æquivalet interdicto, nisi in aliquibus casibus in jure expressis. Et ita hoc tenent Gloss. *hic in v. cessare*, Silv. *v. cessatio à divinis num. fin.* Cov. *in cap. Alma Mater par.* 2. §. 2. *à num.* 4. Sayr. *de cens. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 9. Suarez *de cens. disp.* 39. *sec.* 1. *à num.* 9. Moneta *de distribut. p.* 2. *q.* 19. *n.* 8. Navar. *cap.* 27. *n.* 188. Bonacina *de cens. disp.* 6. *p.* 1. *num.* 4. Barbos. *hic n.* 9.

In hoc tamen cessatio generalis æquiparatur interdicto, quod Religiosi violantes generalem cessationem à divinis, quando illa servatur ab Ecclesia Matrice, aut à Parochiali loci sunt excommunicati, per *Clem.* 1. *de sent. excom.* Silvest. ubi supra, & alii. Quàm tamen excommunicationem non incurrunt, si Ecclesia matri, aut loci Parochialis cessationem non servet, quamvis non per hoc eximantur ab obligatione servandi cessationem generalem. 20

Notandum primò, quod etiam ex hoc textu habetur, consuetudine acquiri jurisdictionem, cùm admittatur consuetudine acquiri facultatem inducendi cessationem à divinis, Gloss. Archid. & alii. 21

Notandum est secundò, circa verbum *percipient*; quod contra hos Canonicos cùm detur actio ad restituendum percepta, multò magis datur exceptio ad non solvendum, *l.* 1. §. *quod ait ff. de superf. l. Invitus* §. *cui damn. ff. de reg. jur. & cap. qui ad agendum infr. de reg. jur.* Gloss. *in v. percipient*, Anchar. *n.* 4. Dom. §. *si autem n.* 3. 22

Notandum tertiò, quod cùm in hoc textu distinctio fiat inter damnum, & injuriam, unde Gloss. *in v. Damnis* dixit distingui inter actionem damnorum, & injuriarum, & unam non impedire aliam, ideò si contingat remitti injuriam, non per hoc remissa censentur damna, ut notat hìc Barb. *n.* 11. ex Cov. *l.* 2. *var. c.* 10. *n.* 7. Suar. *all.* 23. *n.* 10. Menoch. *de recup. possess. remed.* 1. *n.* 370. 23

Notandum quartò, de fide esse imagines Sanctorum esse adorandas, eisque reverentiam deberi. De triplici verò adoratione, latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ, videndi Theologi *in* 3. *distinct.* 9. & præcipuè D. Thom. 2. 2. *q.* 84. *art.* 1. *& q.* 103. *art.* 3. Bellar. *controv.* 7. *lib.* 2. Et Imaginum contempores puniendos esse per Inquisitores constat ex iis, quæ tradunt Raphael de Turre 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *d.* 2. Sallelles *lib.* 6. *cap.* 7. *regula* 488. *n.* 54. *& alii ab eo citati*. 24

Ultimò ex verbis illis textus, scilicet, ut delinquentes sic puniat graviter, quod alios à similium præsumptione compescat, notandum est, quod pœna unius est metus alterius, ut notant Gloss. & Dom. §. *si autem n.* 2. Et ideò ad alios terrendus etiam puniuntur malefactores. 25

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

ORdinarii locorum subditos suos plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes: seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districtè compellant dispensationes, auctoritate quarum hujusmodi Ecclesias, personatus, seu dignitates canonicè tenere se asserunt, infra tempus pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quòd si fortè justo impedimento cessante, nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi: Ecclesiæ beneficia, personatus, seu dignitates, quæ sine dispensatione aliqua eo ipso illicitè detineri constabit: per eos, ad quos eorum collatio pertinet, liberè personis idoneis conferantur. Cæterùm si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat: exhibens nequaquam in beneficiis hujusmodi, quæ canonicè obtinet, molestetur. Provideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem Ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur: nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si verò de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur: super hoc erit ad Sedem Apostolicam recurrendum, cujus est æstimare quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis curam habentibus animarum annexam: iidem ordinarii diligentiam

illam observent : ut personatum , dignitatem , vel aliud beneficium similem curam habens animarum, alicui plura similia obtinenti non ante conferre præsumant , quàm ejus super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur . Qua etiam ostensa , ita demum ad collationem procedi volumus , si appareat per eamdem , quòd is , cui est collatio facienda , hujusmodi personatum , dignitatem , vel beneficium retinere liberè valeat cum obtentis : vel si ea , quæ sic obtinet , liberè , ac sponte resignet . Alter autem de personatibus , dignitatibus , & beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti .

SVMMARIVM.

1 *CAnones de materia tractantes.*
2 *Divisio textus.*
3 *Regula textus.*
4 *Subjectum dispositionis hujus sunt Clerici habentes dignitates.*
Parochialis Ecclesia non habet dignitatem.
5 *Ordinarii ab habentibus plura beneficia dispensationem exigere possunt.*
6 *Dispensatio facit licitum esse , sed strictè interpretanda.*
Beneficiorum pluralitas sapit ambitionem , vel avaritiam.
7 *Sub nomine Ordinarii veniunt Abbates, & c. institutionem, & destitutionem habentes.*
8 *Habens plura beneficia tenetur exhibere dispensationes.*
Quando quis possidet contra jus commune, tenetur probare titulum possessionis.
9 *Quando beneficiato incumbat onus probandi titulum beneficii.*
10 *Si beneficiatus agit ad justificandum titulum beneficii, illud debet probare.*
11 *Si agit de juribus beneficii , & opponitur exceptio tituli non Canonici, excipientis est probare.*
12 *Si agit de spolio beneficii servandum decretum cap. Inliteris, de rest. spol.*
13 *Si convenitur a superiore ex officio, etiam si non possideat contra jus commune , tenetur probare titulum , 14.*
15 *Fallit si Ordinarius constituat se adversarium, & quando hoc contingat.*
16 *Fallit secundo, si Ordinarius expressè consensit in beneficium.*
17 *Fallit tertiò , si possessio est antiqua.*
18 *In antiquis titulus probatur juramento.*
19 *Si tamen possessio non innitatur dispensationi.*
20 *Beneficiatus conventus ab electoribus, & c. si possidet contra jus commune, tenetur probare titulum.*
21 *Ad instantiam tertii non compellitur exhibere ; & probare titulum.*
22 *Ordinarius per censuras potest compellere ad exhibitionem tituli.*
23 *Sed debet dare competentem dilationem ad arbitrium.*
24 *Quid ubi quis habeat beneficia in pluribus diæcesibus.*
25 *Debet in termino adhiberi dispensatio.*
26 *Non sufficit adhibere copiam simplicem dispensationis.*
27 *Ubi non constet de dispensatione, censetur non dispensatum, & vacat beneficium.*
28 *Et potest conferri beneficium.*
29 *Non tamen sine sententia potest possessor excludi à beneficio.*
30 *Sufficit si beneficiatus post terminum , sed ante collationem exhibeat dispensationem.*
31 *Etiam in termino judiciali purgatur mora re integra.*
32 *Contra præsumptionem juris , & de jure datur probatio re integra.*
33 *Exhibita dispensatione beneficiatus non potest molestari.*
34 *Ordinarius tamen debet providere , ne cura animarum negligatur.*
35 *In dubio sufficientia dispensationis consulendus Papa.*
Pontificis est suas dispensationes , & leges interpretari.
36 *Habens plura sine dispensatione inhabilis ad alia.*
37 *Habens plura non potest aliud conferre sine dispensatione nisi prior assignet.*
38 *Et debet omnia resignare.*
Nec potest ex illis pluribus unum cum altero permutare.
39 *Collatio beneficii habenti aliud beneficium incompatibile , nulla.*
40 *Personatus , & Parochialis non in omnibus parificantur.*
41 *Legitime impedito non currit tempus.*
42 *In his, quæ possidentur ex dispensatione onus probandi est possessoris.*
43 *Dilationes judici sunt arbitraria.*
44 *De dispensatione plura.*
45 *Beneficiorum resignatio debet esse libera.*
46 *Clausula* nullius penitus sit momenti *hic importat nullitatem ipso jure.*

1 BEneficiorum pluralitatem abominantur jura, ut videre est 21. *quæst. 1. per totam.* De materia verò hujus cap. specialiter agitur , *cap. De multa 28. de præbend. in antiq. & infr. cap. Non potest 21. de Prabend. & extravagant. execrabilis 3. inter communes, de Præb. & in Conc. Trid. sess. 5. cap. 4. & sess. 24. cap. 17.*

2 In duas verò principales partes præsens capitu dividitur , Nam primò decernitur, quid facere debeant Ordinarii circa eos, qui actu plura beneficia habent ; secundò verò disponit , quid fieri debeat ubi plura conferri contingat.

3 Itaque Gregorius Decimus statuit , quod habentes plures dignitates , aut beneficia curata , aut dignitatem , seu personatum , cum beneficio curato , per Ordinarios compellantur ostendere infra tempus competens arbitrio eorumdem Ordinariorum statuendum , dispensationes , quas si nullas ostenderint , perindè procedatur , ac si nullas haberent . Et si sufficientes ostenderint , non amplius molestentur ; proviso ne in prædictis beneficiis cura animarum negligatur , si autem dubitetur de valore dispensationis ad Sedem Apostolicam recurratur . Talibus verò etiam legitimè plura similia beneficia habentibus , aliud non conferatur beneficium nisi ostensa dispensatione sufficienti : & tunc ita demum conferatur , si per dispensationem possint illud cum aliis retinere, vel si prioribus renunciaverint , aliter collatio facta non teneat.

4 Subjectum igitur principale dispositionis hujus decretalis sunt Clerici habentes , vel habere volentes plures dignitates , aut plura beneficia curam animarum habentia , aut dignitatem , seu personatum cum alio beneficio , cui cura animarum est annexa . Quid verò sit dignitas , & quid Personatus habetur suprà *cap. Consuetudinem de consuetud. in hoc* 6. Advertit verò Archid. quod Ecclesiæ Parochiales non habent dignitatem, quia hic dignitatibus contradistinguuntur. Habent tamen aliquam prælationem, *ut in cap. Tua nos 4. sup. de Cler. ægrotan.*

5 Quamvis verò decretalis ista non loquatur de Clericis habentibus plura incompatibilia beneficia minora dignitatibus , aut personatibus , & curatis , tamen quia absolutè pluralitas beneficiorum est canonibus sacris inimica , & ab eis reprobata , & præcipuè à Concil. Trident. *sess. 24. cap.* 17. hinc est , quod de jure communi Ordinarii dispensationes etiam ab istis petere possunt , *cap. Ex insinuatione de Procur.* Gloss. *in v. animarum* , & Domin. *num.* 1. Et ideò Ordinarius ex officio de jure communi potest inquirere contra habentes plura beneficia , & habet jurisdictionem in tales, Archid. *in princ.* Franc. *num. 2. not. 3.* Neque enim per dispensationem habitam super pluralitate beneficiorum subtracti sunt ab Ordinarii jurisdictione , *cap. Per tuas 7. sup. de major. & obed.*

6 Ab his igitur peti possunt , imò & debent dispensationes, per quas sibi licitum fiat plura beneficia possidere : dispensatio enim in lege licitum facit , quod aliàs esset contra legem. Verum considerandum, quod cùm dispensatio sit aliqua legis relaxatio , odiosa est , ideoque strictè interpretanda,

tanda, & maximè in materia pluralitatis beneficio, quæ ambitionem sapit, aut avaritias, ut sup. cap. nedum el 2. §. insuper de elect. & cap. 1. de filiis Presbyt. & infr. cap. Non potest de Præbend. Neque hic habet locum illud, quod habetur cap. Olim de verb. signif. scilicet quod beneficium Principis latè sit intelligendum, quia id intelligitur de beneficiis non odiosis, cap. Quamvis 4. infr. de Præbend. hic in v. dispensationis, Domin. num. 5. Barbos. num. 12. Unde est quod in dubio præsumitur contra dispensationem, Franc. §. In conferendis num. 1.

7 Qui verò hujusmodi dispensationes petere debent ab habentibus plura beneficia sunt Ordinarii locorum, sub quo nomine hic veniunt nedum Episcopi, & superiores, sed Abbates, & inferiores quicumque habentes institutionem, & destitutionem in beneficiis, Gloss. in v. locorum, Archid. in v. compellant, Jo. And. Anchar. v. in Princip. Butr. nu. 1. Dom. n. 4. Franc. §. in confestis n. 1. Barbosa n. 13. ipsi enim Ordinarii sunt cap. Cùm ab Ecclesiarum, sup. de off. ordin. in antiq. & infr. in hoc cap. §. In conferendis.

8 Hujusmodi igitur Ordinariis mandatur, ut compellant habentes plura præfata beneficia, ut exhibeant dispensationes, quarum vigore plura beneficia possident. Habet verò hoc difficultatem, quia nemo compelli debet exhibere titulum suæ possessionis, l. Cogi C. de hæred. & §. 12. quæst. 5. cap. 2. quæst. 5. Solvitur verò hæc difficultas, & dicitur hoc assumptum verum esse in illis rebus, quas quis de jure communi licitè potest possidere, sed ubi possessio de jure communi est prohibita, & non nisi ex dispensatione fit licita, transfertur onus probandi in possidentem. Quamobrem cùm sine dispensatione plura beneficia haberi non possint, Ordinario petente justum titulum possessionis illorum, tenetur beneficiatus illum exhibere, ut hic decernitur, & cap. dudum de decim. & cap. Ex insinuatione, sup. de Procur. & c. murem. 100. distinct. Gloss. in v. exhibere, ubi post Hostien. Archid. Moneta num. 4. Jo. And. Anchar. nu. 4. Butr. num. 7. & 8. Franc. num. 5. Barbosa num. 3. Prob. num. 22. Panorm. cap. Cùm nostris n. 24. de concess. præb. Felin. in cap. licèt Heli, n. 17. de simon. Loter. de re benef. l. 2. q. 46. num. 37. Rota coram Cocc. decis. 191. n. 1.

9 Hujus verò occasione tractant hic Doctores, an & quando beneficiatus etiam habens unicum beneficium compelli possit, ut exhibeat, & probet titulum legitimum beneficii à se possessi, sed in hoc placet sequendo distinctionem, quam ex Calderino habuerunt Dom. num. 7. & Franc. num. 5. plures casus distinguere. Datur verò prior distinctio, quia vel beneficiatus est actor, vel est reus, qui convenitur, si est actor triplex casus distinguitur.

10 Primus est, quando beneficiatus agit ad hoc, ut declaretur ejus titulus legitimus, & canonicus; & in hoc casu indubitatum est, quod beneficiatus hoc probare debet, ut in l. Actor C. de probat. Innoc. in cap. Ex insinuatione sup. de Procurat. Dom. dict. num. 7. Franc. dict. num. 5. Paris. num. 2. lib. 11. q. 14. n. 39.

11 Secundus casus est, si Beneficiatus agit non de titulo beneficii, sed de aliis pertinentibus ad suum beneficium cum aliquo, qui opponit exceptionem illegitimi tituli, & non canonici. Et in hoc casu si beneficiatus habeat possessionem beneficii saltem coloratam, de qua constet, non tenetur ipse probare suum titulum esse canonicum, sed opponentis est suam exceptionem justificare, ut notatur per Innocent. sup. cap. Nihil de elect. & cap. Transmissam eod. tit. & tradunt Dom. & Franc.

12 Tertius casus est, si Beneficiatus agat super possessione beneficii, dicendo si injustè fuisse spoliatum, & tunc servandum est, quod decernitur cap. In literis 5. de rest. spol. ut prius agatur de violenta electione, quàm de canonica institutione, quia prædo etiam est secundùm rigorem juris restituendus, quod ibi DD. explicant, & videri possunt Gloss. in Clem. 1. in fin. de caus. possess. Jo. And. in add. ad Specul. in rub. de restit. spoliat.

13 Si autem Beneficiatus convenitur, distinguitur etiam triplex casus. Primus est, si convenitur ab Ordinario superiore ex officio petente sibi exhiberi, unde appareat beneficiatum habere possessionis sui beneficii legitimum titulum. Et tunc si beneficiatus possidet contra jus commune, ut quia possidet plura beneficia, vel sibi deficit ætas, vel aliud requisitum ad beneficium, ob cujus defectum non potest obtinuisse beneficium, & illud possidere sine dispensatione, tunc sumus vel in casu hujus decretalis, vel in simili, in quo Ordinarius superior potest beneficiatum compellere ad exhibitionem dispensationis, ut hic Doctores tradunt, & cum illis Selva de benef. par. 3. q. 25. Flam. Paris. part. 2. l. 11. q. 14. n. 36. Felin. cap. Illud n. 9. de præsumpt.

14 Sed etiam si Beneficiatus possideat non contra jus commune, & sine indigentia dispensationis, adhuc potest Ordinarius illum compellere, ut exhibeat titulum beneficii, nec potest repelli, licèt procedat ex officio, quod hic docent Domin. num. 7. Franc. num. 5. Archid. num. 1. Anchar. num. 4. Butr. num. 7. Selva, Flam. & Felin. citati, & in cap. licèt Heli, Hostien. Panorm. Butr. Felin. quos sequitur Flam. dict. quæst. 14. num. 35. aliis pluribus allegatis, Mascard. de probat. conclus. 1372. num. 19. Menoch. præsumpt. 132. num. 46. & alii, quos isti referunt, & sequuntur cum Barbosa hic n. 2. Imò, addit Franc. quod beneficiatus ex hoc non possit appellare, nec appellatio admitti debeat eam ratione, qua non admittitur appellatio à correctione, cap. Ad nostram cap. reprehensib. sup. de appell. Et hoc Flaminius extendit nedum ad Vicarios Episcoporum, quando visitant, quod ait, esse indubitatum, sed etiam ad Ministros deputatos à Camera Apostolica, qui possunt compellere possidentes beneficia ad exhibendum sua jura, ut Episcopi, & quod ita communiter practicatur.

15 Limitatur tamen tripliciter assertio posita, & quidem primò si Ordinarius non procedat ut superior, sed constituat se partem adversariam beneficiato; quia in hoc casu Ordinarius nec posset de hac causa cognoscere, ut voluit Gloss. penultim. in cap. conquerente, sup. de restitut. spoliat. Domin. num. 7. Franc. num. 5. Flamin. d. quæst. 14. num. 38. post Panorm. in dict. cap. Conquerente Felin. in cap. licèt Heli, num. 9. de simon. ubi Anan. num. 33. Selva d. q. 25.

Censetur verò Ordinarius se constituere adversarium, si injustè spoliat via juris non servata, ipsum beneficiatum, Franc. d. n. 5. seu ut ex Loter. lib. 2. q. 46. num. 43. habet Barb. n. 8. si procedat injustè, vel si justè procedit, id facit judicialiter coram alio judice.

16 Limitatur secundò, si Episcopus, seu Ordinarius expressè consensit in beneficiatum, ut puta quia illum instituit in beneficio, cap. Ex ore de his quæ fiunt à majori parte, Dom. dict. num. 7. Franc. dict. num. 5. Selva dict. quæst. 25. licèt in hoc casu Ordinarius posset via directa agere contra beneficiatum, & probare titulum non esse Canonicum, ut notatur in cap. diversis fallaciis sup. de Cler. conjug. & cap. Dilectos, sup. de Præben. secundùm Archid. hic num. 1. & Jo. And. in reg. 1. in fin. de jur. Extendunt verò hoc Archid. Anchar. num. 4. Butr. num. 7. ut sit verum etiam si Ordinarius solum implicitè consensit in beneficiati possessionem, ut quia in ejus adventu recipit ad osculum. Sed merito hoc negant Domin. & Franc. & Selva ex not. in cap. Dilectes, & cap. Ex ore supra his, quæ fiunt à majori parte, & per Innoc. in cap. Ex insinuatione de Procur.

17 Limitatur tertiò nisi factum esset antiquum. Et sic distingui debet, inter Episcopum de novo advenientem in Diœcesi; hic enim potest beneficiatos compellere ad exhibitionem suorum titulorum, quia non censetur eorum titulum approbasse: Et inter Episcopum, qui à longo tempore est in possessione Episcopatus; & qui sit diu tacuit, & beneficiatos sine alia inquisitione in possessione pacifica sustinuit, non potest postea amplius compellere pacificos possessores, ad exhibendum beneficiorum suorum titulum, ut post Innocent. in dict. cap. Ex insinuatione, & Hostien. in dict. cap. licèt Heli, tradunt citati Domin. Franc. & Selva, qui in hoc casu putat sufficere possessionem pacificam per triennium. Barbosa tamen hic ex Flor. de Mena lib. 2. q. 23. putat non sufficere regulam de triennali possessione, quia per eam excluditur tertius inquietans, non verò Ordinarius.

18 Sed dicitur, quod per hanc beneficiati pacificam possessionem, & Ordinarii patientiam non excluditur necessitas probandi Canonicum titulum, si Ordinarius id postulet, sed ad eum probandum sufficit juramentum, ex quo factum est antiquum, & beneficiatus diu stetit in possessione, sicut fit in probando dominio in factis antiquis, ut per DD. in cap. Veniens, sup. de verb. significat. Dom. num. 7. Franc. num. 5. post Innoc. in d. cap. Ex insinuatione, & ibi Jo. de Imola.

19 Quod tamen non procedit, quando possessio est contra jus commune; & innititur dispensationi, quia tunc non

sufficit probatio per juramentum, sed necesse est, ut attendatur dispensatio. Loter. tamen *l. 2. quæst. 46. num. 4.* Barbosa *num. 8.* arbitrantur, quod si Beneficiatus saltem per triennium fuit ab Ordinario in pacifica possessione toleratus, quod Ordinarius injustè ageret si compelleret ad exhibitionem sui tituli; & quia præsumitur non permissum possidere, nisi habuisset canonicum titulum, etiam si appareat, de titulo invalido, quia adhuc præsumitur dispensationem intervenisse. Sed hæc huic Decretali non sunt consona, quæ absolutè, & indistinctè vult, quod Ordinarius compellat habentem plura beneficia qualificata, ut in textu, ad hoc ut exhibeat dispensationem. In omni tamen casu Ordinarius potest in se assumere onus probandi insufficientiam tituli ipsius beneficiati.

20 Secundus casus est, si Beneficiatus convenitur ab Electoribus, vel Confirmatore, vel patronis; & in hoc casu si beneficiatus possideat contra jus commune ex dispensatione, ut si possideat plura beneficia incompatibilia, quod teneatur exhibere dispensationem, docent Domin. *d. num. 7.* & Franc. *d. num. 5.* Bonac. *num. 6.* secus si contra jus commune non possideat.

21 Tertius casus est, si Beneficiatus conveniatur à tertio prætendente jus in beneficio, vel ex quacumque alia causa agente contra beneficiatum. Et in hoc casu indubitatum est non pertinere ad beneficiatum probare suum titulum, sed sufficere sibi, si illud possideat; unde ad instantiam tertii non potest compelli, ut probet titulum suum Canonicum esse &c. Archid. *num. 1.* Anchar. *num. 4.* Burr. *num. 7.* Dom. *num. 7.* Franc. *num. 5.* & hic alios referens Barbos. *n. 7.*

22 Sed ad casum nostri textus revertentes, & pro constanti habentes, quod Ordinarius potest habentem plura beneficia incompatibilia compellere, ut exhibeat dispensationem, dicimus quod hoc facere potest per juris remedia, ut per excommunicationem, aut privationem fructuum beneficii, aut per alium similem modum. Archid. *in princ. p.* Anchar. *num. 2.* Burr. *num. 1.* Quamvis quantum ad effectum intentum ex vi hujus Decretalis non sit necessarium uti his remediis, cum sufficiat, quod si beneficiatus titulum non ostendat, remaneat privatus beneficiis ex vi ejusdem Decretalis.

23 Ordinarius tamen utens boni viri arbitrio debet Beneficiatis competens tempus assignare ad dispensationem exhibendam consideratis benè qualitate personæ, & circumstantiis; Nam v. g. si Beneficiatus allegat se habere dispensationis literas alibi in loco remoto, longius tempus erit illi assignandum, ut advertunt Jo. Monac. *num. 3.* Archid. *in princ. p.* Et sic in omni dispositione etiam servandum esse, ut omnes qualitates facti considerentur, & juxta illarum exigentiam deliberatio fiat, tradunt iidem DD. cum Gloss. *in v. qualitatis.*

24 Sed quid dicendum, si Beneficiatus habeat plura beneficia in diversis Diœcesibus? Ad quemnam Ordinarium pertinebit compellere illum ad exhibendam dispensationem? Aliqui voluerunt dari hic locum præventioni, & quod præventus Ordinarius non possit compellere Beneficiatum ad exhibendam dispensationem. Glossæ placet quod uterque possit hoc præstare. Et idem volunt Archid. *num. 1.* & Jo. And. Dom. verò *num. 5.* distinguit, & ait, quod si quis prævenit pronunciat solum super beneficio suæ Diœcesis, licèt per modum causæ pronunciet etiam super beneficio Diœcesis alterius, tunc alius Episcopus etiam poterit exigere, ut exhibeatur dispensatio, ut & ipse principaliter videat de suæ Diœcesis beneficio, an legitimè possideatur. Secus si primus Ordinarius principaliter sententiavit super facto, nam tunc est locus præventioni, quia possidere plura beneficia in pluribus Diœcesibus est delictum mixtum, quod potest à quocumque Ordinario cognosci, & sic qui prævenit justè pronunciat. Poterit tamen alius Ordinarius videre an prior justè pronunciaverit, juxta *not. in cap. 1. sup. eod. tit.* Sed Franc. *num. 3.* distinguit inter sententiam datam à priori Ordinario, quia si per eam pronunciavit Beneficiatum injustè possidere, alius Ordinarius poterit eam sententiam exequi, juxta *not. in cap. 1. de off. Ordin. ad quod facit, l. Evidenter ff. de except. rei jud.* Sed si pronunciavit eum justè possidere non videtur, quod alius possit de novo inchoare, nisi diceret de prævaricatione alterius; Nam cum tenere duo beneficia sit delictum, si semel fuit absolutus, non potest de illo amplius inquietari, ut in *cap. de his sup. de accus.* Ex his mihi videtur dicendum dari locum præventioni, & quod prioris Ordinarii sit compellere habentem plura beneficia ad hoc ut dispensationem exhibeat. Neque enim æquum est, ut pro eodem delicto, & facto, quis coram duobus conveniatur judicibus, & quod absolutus ab uno inquietetur ab alio, vel quod ab uno damnatus, iterùm damnetur ab alio, vel aliàs ab eo innocens habeatur, nisi de prioris constet prævaricatione.

25 Debet autem beneficiatus cessante justo impedimento juxta tempus determinatum exhibere dispensationem, quod si nullam reddat, vel ut explicat Gloss. reddat minus sufficientem, eo ipso constabit de injusta detentione beneficiorum; coincidunt enim in idem nunc nulla dispensatio, & nulla dispensatio sufficiens, quia dispensatio minus sufficiens, non justificat titulum, nec facit quod plura beneficia justè possideantur.

26 Sed numquid non sufficiet, si dispensationis copiam, licèt non authenticam interim producat, producturus, etiam authenticam posteà? Lup. *alleg. 78.* vult, quod si Ordinarius imponit pœnam non producentibus titulum beneficii intra tempus statutum, quod evitetur pœna, si producatur copia licèt non authentica talis tituli, & hoc per not. à Jo. And. *in reg. mora inf. de reg. jur.* & facit *cap. Cupientes §. si vero sup. de elect. in hoc lib. & cap. Cum persona, infr. de priv. in verbo Et si privilegium,* ubi adstrictus in termino producere privilegium dicitur satisfacere termino, si illud privilegium plenè non probet. Sed dicunt Dom. & Franc. *num. 4. illud verbum Et si privilegium* verificari, quia tunc producebatur privilegium authenticum licèt minus probans, & ideò datur ibi alius terminus, sed in nostro casu considerandum est, quod textus non requirit, quod exhibeatur in termino dispensatio adeo certa, ut constet statim de justitia tituli, quia admittit quod in dubio habeatur recursus ad Pontificem. Sed quia aliàs vult, quod si nulla dispensatio exhibeatur in termino eo ipso constet de injustitia possessionis plurium beneficiorum, debet adhiberi dispensatio in ea forma, per quam constet de dispensatione saltem, licèt non constet de sufficientia dispensationis; per copiam verò non authenticam non constat de dispensatione, & ideò non sufficit exhibere simplicem copiam dispensationis.

27 Ad hoc igitur ut constet de illicita detentione plurium beneficiorum, sufficit quod non constet de dispensatione. Literæ enim, quæ non apparent, non sunt, ut probat Gloss. *in v. eo ipso, ex l. In lege ff. de contraband. empt. Et cap. solemnitates de Consecr. distinct. 1.* Et non probans intra terminum, qui incumbit, præsumitur non habere justam causam, *cap. Pastoralis de except.* Et paria sunt non esse, & esse, sed non apparere, Anchar. *num. 2. Addit. §. quod si forte num. 3. & 4.* quod qui probare tenetur, & non probat, eo ipso censetur probatum contra ipsum. Sed melius Archid. *num. 2.* & Jo. Andr. *num. 1.* hoc explicant, quod qui intra tempus sibi præfinitum non probat, censetur probationem non habere. Et sic ex sola non ostentione dispensationis intra terminum præscriptum, vacant beneficia, Barbosa *n. 9.*

28 Inde est, quod in textu statuitur, ut beneficia à tali non exhibente dispensationem detenta, tamquam vacantia ab eis, ad quos spectat, conferantur liberè, idest nulla, obstante detinentis contradictione, Gloss. *in v. libere,* Barbosa *num. 13.*

29 Sed dubium est, An Ordinarius nulla alia præcedente citatione, & nulla præmissa sententia possit statim alteri conferre beneficia sic vacantia, & eorum possessionem alteri tradere. Nam Franc. *num. 2.* post Domin. *in §. quod si forte num. 4.* existimant, quod ubi à jure ex aliquo facto imposita est pœna, non requiritur tunc sententia declaratoria, quando judex statuit terminum ad se defendendum super illo facto, & ille non se defendit. Sed *ex cap. licet 28. infr. de Præbend. & cap. Cum secundum inf. de hæret.* manifestè colligitur necessitas sententiæ declaratoriæ in his casibus. Anchar. propterea *num. 2.* distinguit inter collationem beneficii, & collationem possessionis ejusdem, & inquit, quod ubi Ordinario constat possessorem beneficii illum minus canonicè possidere, potest illud possessore non citato alteri conferre; occupatio tamen possessionis beneficii fieri non debet, nisi præcedat sententia privativa, vel declarativa privationis. Et ita expressè decernitur infra *cap. licet Episcopus 28. de Præbend.* ubi idem tenet Gloss.

Sed

30 Sed quid si Beneficiatus post lapsum terminum, sed antequam Ordinarius beneficium contulerit vacans ex non exhibitione dispensationis intra terminum, exhibeat dispensationem, & se legitimè possidere demonstret? Dom. *in §. quod si forte num.*2. notat colligi ex hoc textu, quod quis non potest producere instrumentum post dilationem sibi datam ad producenda instrumenta, sed hoc verum est, si res non sit amplius integra. Et ideò Glossa *hic in v. liberè* vult, quod si Beneficiatus præveniat Ordinarii collationem exhibendo dispensationem, Ordinarius non possit beneficia conferre, quod & voluit idem Dom. *num.* 7. *&* 8. & Franc. *num.* 5. *circa finem*.

31 Nec obstat, quod in termino judiciali non purgatur mora, quia hoc est falsum, ut per Glossam *in v. non obstante, in Clem. sæpe de verb. signif. & in cap. fin. sup. qui matr. accus. pos. ut ex not. ibid.* per Innoc. & Imol.

32 Nec obstat, quod in præsenti præsumptio injustæ detentionis elapso termino ad exhibendam dispensationem est præsumptio juris, & de jure, contra quam non datur probatio, quia ut ait Dom. nec constat quod hæc præsumptio sit juris, & de jure; tum quia ut dicunt Imol. *dict. cap. fin.* Domin. & Franc. citati, si res sit integra, etiam contra præsumptionem juris, & de jure probatio datur. De quo videantur not. *in cap. Is, qui sup. de spons. & in cap. Cùm dilectus sup. de fid. instrum.* Imò si à collatione facta per Episcopum fuerit appellatum, retractabitur facta collatio, si post collationem fiet fides de dispensatione. Lapus hic, & Franc. *dict. num.* 5.

33 Cæterùm si intra terminum Beneficiatus exhibeat dispensationem, quæ evidenter, idest manifestè, ut explicat Glossa, itaut dubium de ejus sufficientia non remaneat, duo decernit Pontifex, ut fiant ab Ordinario. Primum est, ut Beneficiatus super detentione suorum beneficiorum non molestetur, ne eo molestante locum habeat pœna temeritatis, & calumniæ, *c.* 1. *&* 2. *de calumn. cap. Ut circa §. alioquin. sup. de elect. in hoc* 6.

34 Secundum est, quod nihilominus Ordinarius provideat, ne cura animarum in eisdem Ecclesiis negligatur. Dispensatio enim super beneficiorum curatorum pluralitate alicui data, non eximit beneficiatum à jurisdictione Episcopi, nec liberat Episcopum ab obligatione providendi, ne cura animarum negligatur, cùm hoc spectet ad ejus officium, *cap. Regenda* 10. *quæst.* 1. *cap. Irrefragabili, sup. eod. tit. cap. Dudum el* 2. *sup. de elect. cap. Ex eo sup. de elect. in hoc* 6. Unde in his, quæ ad animarum curam spectant, potestatem habet super possidente beneficia ex dispensatione Gloss. *in v. cura*, Jo. Mon. *num.* 5. Anch. *num.* 2. Butr. *n.* 2. Franc. *n.* 3. *&* 6. Dom. *§. Cæterum n.* 3.

35 Sed si exhibitio dispensationis authentico instrumento, non sit manifesta, sed dubia probabiliter remaneat sufficientia dispensationis, vult Pontifex, ut ad Sedem Apostolicam recurratur. Ejus enim est legem interpretari, cujus est condere. *Cap. Clericum* 11. *q.* 1. *cap. inter alia de sent. excom.* Et sic ubi est dubium de viribus privilegiis, aut dispensationis Papæ, ad ipsum pertinet interpretatio, & dubii solutio. Gloss. *in v. æstimare*, Jo. Mon. *n.* 5. Franc. *n.* 3. Dom. *§. Cæterum n.* 2. Quod tamen in hoc speciale privilegium habeat Magister Generalis Ordinis Prædicatorum dixi *tom.* 3. *de stat. tr. de profess. n.* 727.

36 De conferendis verò in futurum dignitatibus, personatibus, & Ecclesiis, curam animarum habentibus, duo præcipuè decernuntur. Primum est, quod hujusmodi beneficia habentibus plura similia non concedantur, nisi evidenter constet eum, qui plura similia habet, illa possidere ex legitima dispensatione. Habens enim plura curata sine dispensatione ex hoc est inhabilis ad alia recipienda. Gloss. *in v. ostendatur*, Jo. Mon. *n.* 1. Dom. *§. In conferendis nu.* 1. Franc. *ibid. n.* 1. Specul. *tom.* 1. *tit. de off. leg. §. Nunc videndum*, & ibi Jo. Andr.

37 Secundum quod decernitur est, quod etiam constito de dispensatione legitima habendi plura similia, quæ possidet, adhuc Ordinarius non conferat aliquod ex præfatis beneficiis nisi altera ex his duabus conditionibus existente, ut scilicet, vel habeat dispensationem ad hoc, ut cùm pluribus præhabitis possit obtinere, & detinere liberè hujusmodi novam dignitatem, aut personatum, aut beneficium curatum; vel priora, quæ habet liberè, ac spontè resignet.

Et sic si non habet dispensationem necesse est, ut priora beneficia omnia resignet, & non sufficit quod unum, 38
vel alterum relinquat. Imò nec potest unum eorum cum altero permutare. Quia dispensatio, per quam potuit plura illa recipere, cùm sit strictissimi juris, non se extendit, nisi ad illa plura. Gloss. *in v. ea, quæ*, Jo. Mon. *num.* 8. Franc. *§. In conferendis num.* 6. Itaque omnia priora similia debet relinquere, qui vult novum simile beneficium obtinere.

Vult verò Pontifex, ut præfatis conditionibus deficien- 39
tibus, si quis impetret, ut obtineat aliquod ex præfatis beneficiis collatio nullius penitus sit momenti. Cùm verò *in cap. de multa sup. de prebend.* dicatur, quod beneficiatus recipiendo secundum curatum eo ipso sit privatus primò, nunc in hoc standum est extravag. *execrabilis* Jo. XXII. *de Prebend. ubi in §. Qui verò*, statuitur, ut qui receperint dignitatem, aut personatum, aut beneficium curatum, si antea simile beneficium obtinebant, illo privati sint postquam secundi possessionem obtinuerint, vel per eos stetit, quominus habuerint, ipsique propterea illud resignare tenentur absque more dispendio in manibus Ordinariorum, quod si id non faciant, etiam secundo ipso jure sunt privati, & inhabiles ad ordines, & beneficia recipienda. Sed nunc præterea standum est determinationi Concil. Trident. *sess.* 7. *cap.* 4. *& sess.* 24. *cap.* 17. per quod modò est confirmatum *cap. de multa sup. de Præb.* & sic modò habens quodcumque beneficium incompatibile, si recipiat aliud simile vacat ipso jure primum, & si primum retinere voluerit, spoliatur etiam secundo, Paris. *de resign. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 51. Garz. *p.* 11. *cap.* 5. *n.* 7. Barbosa plures referens *ad cap.* 17. *sess.* 24. Concil. Trid. *n.* 53. Videantur dicta *sup. cap. Consuetudinem* 1. *de consuet. in hoc* 6.

Notandum primò, quod licèt in textus istius casu patifi- 40
centur Personatus, & Ecclesia curata, non tamen in omnibus paria sunt, *ut sup. cap.* 1. *de ætat. & qual.* Gloss. *in v. Personatum*, Mon. *n.* 3.

Notandum secundò ex textu haberi, quod legitimè impe- 41
dito non currit tempus, Dom. *§. quod si forte n.* 1.

Notandum tertiò, quod in iis, quæ ex dispensatione con- 42
tra jus possidentur, onus probandi possessionem legitimam in possessorem transfertur, Gloss. *in v. exhiberi*, Dom. *n.* 2.

Notandum quartò, quod ex quo textus decernit, quod 43
habenti plura beneficia deputetur ad arbitrium Ordinarii tempus exhibendi dispensationem benè colligitur, quod dilationes Judici sunt arbitrariæ, Dom. *n.* 3.

Notandum quintò, ex hoc cap. plura haberi de dispensa- 44
tione, nimirum quod sit stricti juris, & strictè intelligenda, Gloss. *in v. Ea quæ*, Mon. *n.* 8. Franc. *num.* 6. Quod dispensatio non tollit jurisdictionem Episcopi, & Ordinarii circa beneficiatos, & beneficia, Gloss. *in v. Cura*, Jo. Mon. *n.* 5. Jo. And. *n.* 4. Anch. *n.* 2. Butr. *n.* 2. Franc. *n.* 6. Dom. *§. Cæterum nu.* 2. Quod dispensatio non defendi nisi sit justa. Dom. *§. In conferendis num.* 2. Quod non eximit à residentia. Franc. *n.* 3. *&* 6. Quod in dubio præsumitur contra dispensationem, Franc. *§. In conferendis n.* 1.

Notandum sextò, ex illis verbis *liberè, & spontè*, quod 45
beneficiorum resignatio libera esse debet, & spontanea, Dom. *§. ult. n.* 3.

Notandum ultimò, quod clausula *ista nullius penitus sit* 46
momenti hìc importat nullitatem ipso facto, Barb. *n.* 11. Et significat quod res, vel factum nullum vigorem habeat, & efficaciam. Dom. *d. §. ult. n.* 6.

DE OFFICIO ORDINARII.

Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

QUia plerique Prælati non sine multa temeritatis audacia, suis subditis aliquando interdicunt, ne ipsorum superioribus, aut Apostolicæ Sedis Legatis, vel Inquisitoribus ad inquirendum, corrigendum, & reformandum in eorum Ecclesiis, Monasteriis, sive locis, à Sede deputatis eadem, vel aliis quibuscumque personis, per quas ad notitiam prædictorum valeat pervenire, statum Ecclesiarum, Monasteriorum, seu locorum suorum, personarum & rerum ipsorum insinuent, vel exponant: in ipsos (si secùs egerint) excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias proferentes: eosque ad hoc celandum juramentis, promissionibus, & obligationibus, aliisque pœnis nihilominus astringentes. Nos huic malitiæ (ne tali prætextu in Ecclesiis, Monasteriis, & locis eisdem inquisitio, correctio, seu reformatio, cùm facienda fuerint, valeant impediri) occurrere cupientes: prædicta & eorum quodlibet attentari de cætero districtius inhibemus: Decernentes auctoritate Apostolica, quidquid contra præsentem inhibitionem attentatum extiterit, nullius penitus existere firmitatis: nec quemquam sententiis, juramentis, promissionibus, obligationibus, vel pœnis hujusmodi obligari quomodolibet, vel astringi. Præsumptores autem eosdem (ne ipsorum temeritas quoquo modo transeat impunita) à superioribus, vel legatis, seu inquisitoribus memoratis, animadversione condigna præcipimus castigari.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Prælati inhibentes ne subditi manifestent veritatem, se reddunt suspectos.*
4 *Inquisitores generales non subdelegant.*
5 *Modus procedendi horum Inquisitorum.*
6 *Quæ naturalis sunt juris, non possunt omitti; Et in his valet exceptio contra testes.*
7 *Monasteria an veniant sub nomine Ecclesiarum.*
8 *Inhibitiones, & pacta de non manifestanda superioribus veritate irrita, & nulla.*
9 *Et hoc de jure naturæ.*
10 *Nec possunt firmari juramento.*
11 *Casus, in quo juramentum non obligat.*

1 IN hoc textu Bonifacius Octavus secundùm Gloss. Jo. And. primò inhibet, secundò decernit, & tertiò præsumptores puniri præcipit.

2 Inhibet enim Prælatis, ne suis subditis, vel aliis interdicant, ne statum Ecclesiarum, & personarum superioribus inquirentibus manifestent, nec eos ad id celandum juramentis, promissionibus, obligationibus, aut aliis pœnis astringant. Decernit autem irritum, & inane, quod in contrarium fuerit factum, & sententias, juramenta, promissiones, vel pœnas non ligare. Præcipit verò superioribus, ut præsumptores hujusmodi pœna condigna puniant.

3 Quoniam hujus decretalis litera satis est manifesta, ideò ejus explicatione prætermissa, aliqua solum ex illa colliguntur.

4 Notandum est ergo primò, quod Prælati Ecclesiarum eo ipso, quod suis subditis interdicunt, ne superioribus visitantibus, aut Inquisitoribus generalibus à Sede Apostolica missis prohibent, ne manifestent Ecclesiarum statum, & personarum merita, & demerita, se suspectos reddunt malæ administrationis, *cap. constitutis 45. sup. de test.* & ostendunt se iniquam causam fovere, ut ibi, *& cap. pervenit 4. de testib. super, & §. verum 2. q. 7.* ut hìc advertit Gloss. *in v. interdicunt.*

5 Notandum secundò, quod Inquisitores hujusmodi generales, de quibus textus loquitur, licèt si missi sint à Sede Apostolica, sint Delegati Principis, non tamen possunt subdelegare, seu alicui suas vices committere, quia Papa eos mittens eligit industriam personæ, *cap. fin. §. 1. sup. de off. Deleg.* Gloss. *hìc in v. Inquisitoribus.*

6 Notandum tertiò, quod de his Inquisitoribus generalibus à Sede Apostolica missis dicitur, quod modus procedendi illorum est, quod eis non exprimuntur Capitula super quibus inquisitio fiat, quia generaliter inquiritur de vita Clericorum, de officiis, & statu possessionum, & rerum Ecclesiæ. Item quod in inquisitione ista non potest excipi contra testes, quia recipiuntur, quales inveniuntur, Nam & quæ in capitulo fiunt, non nisi ab illis, quæ sunt ex capitulo sciri possunt, & isti Inquisitores informationes sumere debent à subditis Prælatorum, de quibus inquirunt, & qui de statu rerum informati esse possunt, *cap. Veniens el 2. de test. l. Consensu Cod. de rep.* Item hujusmodi inquisitio fit de plano *c. olim, de accus.* Item contra hujusmodi Inquisitores non competit exceptio recusationis, nec poterit excipi contra denuntiatores, qui diffamaverunt Capitulum. Item quod in talibus inquisitionibus generalibus non est locus subtilitatibus, de quibus notatur in *cap. Cum I. & A. de re jud.* & maximè contra illos, qui pœnitentiam agere debent, quod tamen non habet locum in Foro judiciali, quo quis removetur ab administratione, ut patet ex notatis, *cap. Cum oporteat, de accus. & cap. Cum dilectus*, per quod concluditur, quod Canonici Ecclesiæ contra quos fit inquisitio quoad pœnitentiam peragendam convincentur per conspiratores, quia non est curandum, quis in talibus testificetur, & denuntiet. Nam etsi hujusmodi Inquisitores aliqualiter excederent in pœnitentia, id esset magis utile animæ illius, quia est medicina animæ, unde propter hoc non possunt recusari, cujus tamen contrarium dicitur, ubi agitur de imponenda pœna temporali, quæ posset nimium gravare, sine animæ utilitate. Hæc Dom. habet *n. 8.* ex Archid. & similia docent Anchar. Butr. & Franc.

Sed tamen advertendum est, quod licèt ubi inquisitio fiat ad motum correctionem, & utilitatem animæ correcti procedi possit de plano, relictis subtilitatibus inductis à lege positiva, tamen quæ juris sunt naturalis servari debent. Sic testes qui patiuntur exceptiones, per quas ex natura rei diminuitur illorum fides, semper habendi sunt ut testes vel nullam, vel diminutam fidem habentes. Et ulterius considerandum est, quod non licèt Correctoribus notabiliter excedere in corrigendo. Unde & ab illis si notabiliter excedant appellari potest, ideoque, & poterunt recusari. 7

Notandum quartò, quod Gloss. *in v. Ecclesiis* post Gratianum *cap. Abbate 54. dist. §. Hac authoritate vult*, quod sub nomine Ecclesiarum veniant Monasteria. Cujus oppositum sentit hìc Dom. *n. 2.* & tenuit Gloss. *sup. cap. Grandi, in v. Monasterium, de supl. negl. Præl. in hoc lib.* sed utrumque verum est, quia in materia stricta Monasteria sub nomine Ecclesiarum non veniunt. Sic enim & in hoc textu distinctè exprimuntur Ecclesiæ, & Monasteria. 8

Notandum quintò, quod superior non potest inhibere subditis, ne Visitatoribus, seu Inquisitoribus generalibus missis à superioribus ad inquirendum statum suarum Ecclesiarum, aut monasteriorum manifestent veritatem. Læditur enim ex hoc publica utilitas, quæ consistit in delictorum correctione, ut *l. Ita vulneratus, ad l. Aquil. &* 9

cap. Vt

cap. Ut fama, de sent. excomm. Et præterea læditur jus Superioris, quod habet, ut corrigenda corrigat, & restauranda restauret, ideòque habet jus inquirendi veritatem, quod læditur, si impeditur, ne veritas innotescat. Ideò ex natura rei, hujusmodi inhibitiones, obligationes, aut pacta inita inter Prælatos, & eorum subditos, super non manifestatione veritatis facienda Superioribus inquirentibus eam, in omni eo casu, in quo subdidi tenentur eam manifestare, sunt irrita, & nulla, nedum ex vi hujus decretalis hoc decerneotis, sed ex lege naturali, quia contraria justitiæ generali, seu legali ex qua Superiores habent jus, ne per hujusmodi visitationes bonum commune promoveant.

10 Et respectu Superioris Ecclesiastici agentis ex virtute Fidei in Christum ad dirigeodos suos in vitam æternam, est etiam contra virtutem fidei, & charitatis, & religionis, quarum Ministri sunt Prælati, & ex quibus habent jus ad corrigendum subditos, & cultum Dei promovendum. Quatenus etiam inter sobditos, & Superiorem præcesserit pactum, & conventio, & sic obligatio ad obediendum ex mutua cooventione, pacta prædicta sunt contra justitiam commutativam. Et sunt quoque contra virtutem obedientiæ Superioribus debitam. Non potest verò inferior se obligare, & ex pacto convenire cum aliquo contra jus sui Superioris. Unde non possunt inferiores Prælati inhibere subditis sois, nec subditi possunt ex pacto se obligare, ut non liceat, nec possint, si graventur appellare ad Superiorem majorem, *cap. Venientes, de jur. jur. l. In concedendo, & l. seq.* & ibi per Bart. *ff. de aqua pluv.* Eadem igitur ratione inhibitiones, seu obligationes, & pacta quæcumque de non manifestanda veritate Superioribus inquireotibus sunt nulla, & irrita, Anchar. *num.* 2. & 3. Butr. *n.* 2. & 6. Franc. *num.* 1. Nec obstat, quod valet pactum de non accusando, *ut cap. Veniens, de accus. & l. si maritus, §. si negaverit, ff. de adult.* Quia id est verum, quia accusare est libertatis, in casu tamen in quo ex aliqua lege teneretur quis accusare, vel denuntiare, nulla essent pacta, & obligationes de non accusando, aut denuntiando.

Hinc est, quod hujusmodi obligatiooes, & pacta non 11
possunt firmari juramento, aut adjectione pœnæ. Cujus rationem reddunt, quia ista accessoriè veniuot ad contractum principalem, qui si non valet, nec valet accessorium, ut *in l. Sejus, ff. ad l. fal.* ubi Bart. & facit regula *Non est obligatorium, de reg. jur.* Specul. *tit. de Actore, §. 1. v. quid si quis, & tit. de cit. §. 1. & fin.* Anchar. hìc, *num.* 3. Gloss. *in v. Astringi.* Præcipua tamen ratio est, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, pacta verò præfata, & obligationes iniquæ sunt, ut est probatum. Sic qui juravit se nolle esse testem, cùm teoetur testificare, id facere debet non obstante juramento, Franc. *num.* 1. Et qui vovit non jurare, cùm jurare tenetur, jurare debet non obstante voto, Anchar. *n.* 3. Butr. *num.* 2. Domin. *num.* 9.

Casus autem plures io quibus non obligat juramentum habes apud Domin. *num.* 8.

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT V.

UT litigantes releventur à laboribus & expensis: Statuimus, ne Archiepiscopus causas, quæ per appellationem, vel aliàs jure metropolitico deferuntur ad ipsum, alibi quàm in sua propria Civitate, vel diœcesi, aut in eis, in quibus appellatum extitit, vel causæ ipsæ consistere dignoscuntur, audiat, vel etiam audiendas committat: Nisi sibi aliud de consuetudine competat in hac parte.

SUMMARIUM.

1 *AD quid data Decretalis ista.*
2 *Regula textus.*
3 *Antiquitus regula fuit controversa*, 4.
5 *Archiepiscopus in triplici loco causas potest cognoscere.*
6 *Quid de Archiepiscopo, si sit Legatus, vel Delegatus.*
7 *Archiepiscopus ex consuetudine cognoscit causas extra limites sibi præscriptos.*
Ad præscribendum contra rationem legis, an requiratur quadragenaria.
8 *Excepta consuetudo ad cautelam.*
9 *Potest cognoscere extra de consensu partium, & Episcopi.*
Consensus partium sufficit tacitus.
10 *Etiam consensus Episcopi sufficit tacitus.*
11 *Nec causas Suffraganeorum Archiep. potest extra cognoscere.*
12 *Judices providere debent litigantium expensis.*
13 *Verbum* statuimus *importat editionem novæ legis.*
14 *Consuetudo dat jus etiam respectu loci.*
15 *Dictio* sua *dicitur etiam de jurisdictione.*

1 DAta fuit hæc Decretalis ad declarationem, & limitationem alterius Innoc. IV. relatam suprà *in cap.* 1. hujus tituli.

2 Decernitur enim, quod Archiepiscopus causas sibi Metropolitico jure ad eum delatas non possit per se, vel per Delegatos cognoscere, nisi vel in sua Civitate, aut Diœcesi, vel in Diœcesi in qua ad eum fuit appellatum, vel in qua caosæ ipsæ consistunt, nisi sibi in hac parte aliud competat de consuetudine.

3 Hoc quidem antiquitos fuisse disputatum, & quod hìc decernitur tenuisse D. Altogradum de Lendenaria advertit Jo. Andr. qui ad hoc probandum alleg. *cap. Nullus, & cap. Conquestus 9. quæst. 3. & cap. Duo simul, sup. eod. tit.* per quæ patet Archiepiscopum non posse in Diœcesibus Suffraganeorum magis, quàm possit Episcopus in Diœcesi alterius Episcopi, præter casus in jure exceptos, sed Episcopus non potest in aliena Diœcesi cognoscere causas ad se Episcopali jure devolutas, *cap.* 1. 6. *quæst.* 3. *cap.* 1. 13. *quæst.* 1. *cap.* 1. 16. *quæst.* 1. ergo neque hoc potest Archiepiscopus. Et inducebat etiam *cap. Romana infr. de for. compet.*

Verùm licèt hæc probabilia essent, & longè magis probabilia, nihilominus non erant in jure certa, & satis pro Archiepiscopo allegari potuisset, quod ex jure hujusmodi causæ ad Archiepiscopum metropolitico jure competebant, unde videri poterat, quod cùm etiam essent causæ spectantes ad existentes in soa Provincia, eas in qualibet Diœcesi spectante ad suam Provinciam cognoscere posset. Et quod id non esset certum, ex eo constat quod gloss. Jo. And. fatetur, quod antiquitus hoc erat disputatum. Et hoc inde colligitur apertè, & est propterea advertendum, quod Bonifacius Octavus per hanc Decretalem novum jus condit, ut ex verbo *statuimus* colligitur, & advertunt Gloss. Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 3. Ante ergo hoc non erat lege aliqua sancitum, quod Archiepiscopus causas ad se Metropolitico jure devolutas non posset ubique in sua provincia cogooscere. 4

Nunc verò triplex ei locus est deputatus pro hujusmodi 5
causis audiendis, & cùm textus disjunctivè loquatur per dictionem *vel*, apparet quod in optione Archiepiscopi est eligere sibi unam ex tribus Diœcesibus, vel scilicet suam, vel eam, in qua fuit appellatum, vel eam in qua causæ consistere dignoscuntur, Anchar. hìc *in princ.* Butr. *num.* 2. Dom. *n.* 5. Franc. *num.* 4. Unde diminutè hanc Archiepisc. facultatem retulit, Barbos. *de Jure Eccles. p.* 1. *cap.* 7. *num.* 60. solum prima duo membra alternativæ recensens.

Regula tamen nostra tres limitationes patitur, ex quibus 6
duæ in textu ipso exprimuntur. Prima habetur ex verbis *jure Metropolitico*. Nam ad Archiepiscopum possunt pertinere causæ suæ Provinciæ nedum metropolitico jure, sed vel jure Legati Papæ, vel ex speciali ejusdem Papæ delegatione.

In

In his enim casibus locum non habet hæc Decretalis. Et quidem si Archiepiscopus esset simul Legatus, juxta Legationis facultates posset in quolibet loco suæ legationis causas ad legationem spectantes cognoscere, cùm sit totius suæ Provinciæ Ordinarius, *cap. Legatos 2. sup. de off. Legati in hoc lib.* si verò delegare vellet, servare deberet sancita *in cap. statutum supr. in hoc lib. de rescript.* sicut & ea servare tenentur Delegati Papæ, & decernitur *in d. cap.* & hìc advertit Gloss. *in verb. jure Metropolitico*.

7 Limitatur verò secundò, nisi aliter in hac parte Archiepiscopo competat ex consuetudine. Hanc verò consuetudinem debuisse esse quadraginta annorum voluit Gloss. simul affirmans, quod consuetudo debet esse quadraginta annorum, nedum quando est contra jus, sed etiam quando est contra rationem Legis, in quo Gloss. sequuntur hìc Dom. *n.*5. Franc. *n.*3. Barbosa *num.*4. sed sine magno fundamento. Quod colligitur ex hac eadem Decret. in qua jus novum conditur; antea igitur non erat contra legem, si Archiepiscopus in quolibet loco suæ diœcesis causas ad se devolutas cognovisset, & sic consuetudo sic faciendi non fuisset contra jus legale certum, sed contra jus controversum. Et semper judicabo advertendum, & millies repetam, quod ratio legis non extendit præceptivè, & cum obligatione legem ad ad casum non expressum, nisi casus per necessariam consequentiam ex ratione legis deducatur; quia ubi consequentia est contingens, non infertur necessitas, nec obligatio legis, nec Doctorum particularium est condere leges, & illas præceptivè, & authoritativè extendere, sed hoc est solius Legislatoris. Quidquid ergo sit an tunc necessaria fuisset præscriptio quadraginta annorum, ad hanc consuetudinem, nunc necessaria esset hujusmodi præscriptio, quia jam lex expressè decernit. Videantur dicta *sup. cap.*1. *de consuet. in hoc lib. quæst.*1. *art.*8.

8 Benè tamen advertit Domin. *n.*3. non fuisse necessarium exprimere hanc limitationem, quia ex quo Pontifex in legis hujus constitutione non derogabat consuetudini, illa permanebat, & erat de jure excepta: quod tamen factum fuit ad cautelam.

9 Tertiam limitationem ponit Gloss. *in v. Expensis, & in v. De consuetudine*, ut scilicet Archiepiscopus in quolibet loco suæ provinciæ possit causas ad se Metropolitico jure spectantes audire accedente duplici consensu, scilicet partium, & Episcopi illius Diœcesis, in qua causa cognosci debet extraordinariè, consensum verò partium sufficere si sit implicitum, nec esse necessarium expressum, tradunt ex Archid. Zenzel. Anchar. *num.*1. Butr. *num.*4. Domin. *num.*5. Franc. *num.*2. post Rotam *decis.*371. Et qui contra Speculatorem hoc extendit ad Delegatos, ut scilicet Archiepisc. etiam per Delegatos suos extra loca hic limitata cognoscere causas, si adsit partium consensus etiam tacitus. De consensu autem Episcopi illius Diœcesis, quod non sit necessarius expressus, sed sufficiat si Episcopus ille non prohibeat, tradunt Archid. & ex Cyn. Anchar. *num.*1. Butr. *num.*4. Franc. *num.*3. Sed Gloss. requirentem illius Episcop. consensum sequuntur Jo. Andr. & Domin. *num.*5. Sed certè consensus aliquis requiritur, & ut acta non sint nulla, sufficiet consensus tacitus. Verùm non erit facilè, quod de consensu isto constet maximè in principio litis, & sic nimis facilè erit, si non adsit expressus Episcopi illius consensus, ut novis litibus via aperiatur, & valor actorum in controversiam reducatur.

Extenditur verò Regula textus, ut verificetur nedum 11
quando causæ devolvuntur ad Archiepiscopum per appellationem, sed ad quascumque causas sibi Metropolitico jure competentes, quia sic loquitur textus. Et ita nedum causas subditorum suffraganeorum suorum, sed ipsorum suffraganeorum non potest Archiepiscopus cognoscere extra illa tria loca in textu limitata, Domin. *num.*5. Franc. *n.*4.

Notandum primò ex hoc etiam textu deduci, ad Judicem 12
pertinere, ut litigantium consulat expensis, quod & habetur *ex cap. statutum, sup. de rescript. in hoc lib.* & alibi sæpè, & hìc notat Gloss.

Notandum secundò, & hìc quoque haberi, quod ver- 13
bum *statuimus* non importat prioris legis vel confirmationem, vel innovationem, sed editionem novæ legis, Gloss. & Domin. *num.*5. Franc. *num.*3.

Notandum tertiò consuetudinem posse dare jurisdictio- 14
nem non habenti, etiam respectu loci, quia admittitur Archiepiscopum, posse de consuetudine extra loca in jure expressa habere jurisdictionem, Anchar. *in princ.* Butr. *num.*1. Franc. *num.*2. Dom. *num.*3.

Notandum quartò, quod dictio *sua*, dicitur nedum res- 15
pectu proprietatis dominii ipsarum rerum, sed etiam respectu jurisdictionis, quæ propriè dicitur esse alicujus, Dom. *num.*1. Franc. *num.*1.

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VI.

SI Episcopus suam diœcesim, ubi ei à jure permittitur, faciat per alium visitari: licèt ipse illi habeat in aliis necessariis providere: Hi tamen, qui visitantur, ministrare tenentur expensas victualium visitanti: Cùm secundùm Apostolum non sit magnum, si ab eo metantur temporalia, per quem spiritualia seminantur. Idem tamen Episcopus cùm personaliter non visitat, nihil prorsus ab his, qui per illum quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit, aut debebit.

SUMMARIUM.

1 *Textus in quibus est sermo de procuratione.*
2 *Regula textus.*
3 *Episcopus potest visitare per alium.*
4 *Visitatori à Visitatis debetur solus victus quotidianus.*
5 *Et hoc verum de omnibus Diœcesum visitatoribus.*
6 *Victualium nomine quid veniat.*
7 *Expensæ victus moderatæ.*
8 *Non debitæ ab exemptis ab illis.*
9 *Visitati possunt pro illis dare pecuniam.*
10 *Episcopo visitanti per alium nihil debetur.*
11 *An Episcopus teneatur pro excessu Vicarii.*
12 *Alimentorum nomine veniunt vestes.*

1 DE Procuratione Episcopis visitantibus Diœceses debita plura decreverunt Pontifices, & Concilia præcipuè, *cap. Inter cætera* 15. *supr. de off. Ordin. cap. Cùm venerabilis* 21. *de cens. & infrà cap.*1. 2. *&* 3. *de cens. & in Concil. Trid. sess.*24. *cap.*3. In hoc verò cap. agitur solùm de procuratione, quæ debetur Visitatori, quando Episcopus visitat per alium.

Decernitur verò, quod Episcopus, cùm visitat per alium, 2
tenetur illi de omnibus necessariis providere, Visitati verò solùm in victualibus providebunt Visitatori, Episcopus autem nihil exigere poterit, & debebit.

A jure igitur permissum est Episcopis, ut cùm per se ipsos 3
non possunt, per alios suas diœceses visitent, *cap. Episcopum* 10. *quæst.*1. *d. cap. Inter cætera* 15. *sup. de off. Ordin.* Annuam verò visitationem posse eum committere, cui voluerit, dicunt Archid. Anchar. *num.*2. Butr. *num.*4. Domin. *num.*4. Franc. *num.*2. In Concil. autem Trid. *sess.*24. *cap.*3. decernitur quod *Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.* Unde est, quod etiam partem per se ipsum visitare potest Episcopus, & partem per Visitatores suos.

Visi-

4 Visitanti verò Episcopo vel per se, vel per alium procuratio debetur *d. cap. Inter cætera* 15. *de off. Ordin.* Et supponitur in aliis juribus supracitatis, sed qualiter solvi debeat hæc procuratio cùm Episcopus visitat per alium, hìc decernitur, & distinguitur inter expensas victualium, & alias expensas necessarias, & dicitur quod visitati ad Visitatorem tenentur solùm pro expensis victualium, sed pro aliis expensis providere debet Episcopus.

5 Et quod hìc dicitur de Visitatore ab Episcopo misso, intelligi debet etiam de visitatore dato ab Archiepiscopo ad visitandam Provinciam, ut advertunt Archid. & Franc. *n.*1. *& not. infrà in cap. Romana de cens.* Qui benè asserunt idem dicendum de aliis visitatoribus datis à Prælatis inferioribus, ad quos de jure, vel consuetudine spectat visitare.

6 Victualium verò nomine venire solùm, quæ ad cibum, & potum spectant, dicunt hìc Anchar. *num.*2. Butr. *num.*7. Domin. *num.*2. Et quamvis Franc. *num.*2. arbitretur non esse verum indistinctè, quod sub nomine victualium non veniant vestes, & aliæ expensæ necessariæ personam concernentes, ut patet *in l. verb. victus, ff. de verb. signif.* nihilominus, & ipse sentit, quod nomen victualium accipi debeat juxta subjectam materiam, & quod hìc importet solùm cibum, & potum. Et sic Equorum vecturas, & ferraturas, & alia necessaria providere debet Episcopus; Visitati verò solùm tenentur ad victum, Piasecc. *in prax. l.*2. *cap.*3. *n.*63. Genuen. *in Manual. Prælat. cap.*35. Bellet. *tit. de Cler. debit.* §.11. *num.*4. & aliis, quos sequitur Barbosa *de off. & pot. Episc. alleg.*73. *num. ult. & ad cap.*3. *sess.*24. Concil. Trident. *num.*30.

7 Nec ad quascumque expensas victus tenentur visitati, sed ad moderatas juxta Ecclesiæ qualitatem, & paupertatem. Non enim debent gravari immoderatè Ecclesiarum Rectores, ut per plura jura probat Bellet. *dict.* §.11. *num.*6. & pro solo illo die, quo Visitator visitat expensæ victus debentur, Piasec. *d. cap.*3. *num.*64. Barbosa *ad dict. cap.*3. *num.*29.

8 Sed & ubi Episcopo, si per seipsum visitaret, non debentur, nec expensæ pro victu, sic nec debentur Visitatori. Ut quia Ecclesiæ visitatæ ab hoc onere sunt exemptæ. Quamvis enim de jure communi procuratio præscribi non possit, tamen nunc id fieri potest de jure Concilii Tridentini *d. cap.*3. nec peti potest procuratio, ubi sit consuetudo illam non dandi, Piasec. *d. cap.*3. *in fin.* Grat. *discept.*57. *n.*19. Barbosa *d. alleg.*73. *num.*48.

9 Liberum etiam esse visitatis pecunia redimere procurationem, voluit Concil. Trid. *d. cap.*3. ibi: *si tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, id quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum*, quod & adnotarunt Piasec. *d. cap.*3. *n.*64. & Bart. *d. cap.*3. *num.*33. Neque tamen Visitator ipse id, quod sibi debetur pro expensis victus, potest in pecunia taxare, ut tradit Barbosa *d. cap.*3. *num.*34. *& d. alleg.*73. *num.*56.

Episcopo autem cùm ipse visitat per alium nihil omninò debetur à visitatis titulo visitationis, seu procurationis, & ita quod etiam si visitati in victualibus majorem longè expensam fecissent Episcopo visitante, nihilominus Episcopus hujusmodi excessum non possit exigere, nec visitati illum teneantur solvere: ut expressè advertunt hìc Jo. Andr. & ex eo Anch. *n.*2. Butr. *n.*3. Dom. *n.*6. Franc. *num.*2. 10

Notandum primò, quod sic Episcopus potest per alium visitare, quod tamen tenetur eligere Visitatorem idoneum. Nam si visitator in aliquibus excesserit, teneri Episcop. arg. *leg.*1. *in princ. ff. de exerc. & l. observare*, §. *Proficisci, ff. de off. Proconf.* docent Archid. Jo. And. *per not.* ab Azon. *in sum. de exerc.* §. *tenetur*, & per Innoc. *cap. Quibusdam, supr. de fidejuss. & cap. si Episcop. de prebend.* Quod tamen esse intelligendum, si Visitator deliquit in officio suo, non verò si deliquit extra officium suum, dicunt Anchar. *num.*2. Butr. *num.*5. Franc. *num.*2. Et nihilominus addit Butr. *n.*6. quod Episcopus satisfaciet exhibendo delinquentem. Verùm dicitur, quod si Episcopus non fuit in culpa, quia bona fide misit, quem inculpabiliter ignoravit non idoneum, ad nihil ipse tenetur, nisi pro quanto ex generali officii sui debito tenetur scandala evitare, & injuriam passis remedium juris afferre, & nocentes punire. Unde tunc teneretur punire Visitatorem, etiam si extra officium excessisset, & facere, quod ille pro omni damno dato satisfaciat; sed si fuit in culpa, tenetur ad omne damnum, cujus ille fuit causa ex sua malitia, vel culpabili negligentia, & hoc sive Visitator deliquerit in officio, sive extra officium, quia restitui debet quodcumque damnum, injustè datum proximo, vide Silvestr. in *v. Dominus num.*7. *& v. Restitutio* 2. *verb. Decimo sext*, *& v. Restitutio* 3. *num.*5. Semper posteà ex officio tenetur, ut dictum est, scandala removere, & damnum passis justitiam ministrare. Videri etiam possunt, quæ *in tract. de elect. cap.*9. dixi de obligatione restituendi, quam habent eligentes indignum. In foro verò externo, ubi præsumptionibus judicatur locum habere potest dictorum Canonistarum doctrina, quia præsumi poterit dolosus Dominus, qui servum, vel Vicarium non idoneum elegit. 11

Notandum secundò, quod licèt negaverint Doctores supracitati sub victualium nomine venire vestes, pro comperto tamen habent, eas comprehendi sub nomine alimentorum, quod expressè tradiderunt Anch. *n.*2. & Butr. *n.*7. *ut in l. legatis, & in l. diariis, & l. fin. ff. de alim.* ubi Bart. & alii. 12

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VII.

Cum Episcopus in tota sua diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere: Dubium non exi-stit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere: causas ad Ecclesiasticum forum spectantes audire: personas Ecclesiasticas (cùm earum excessus exegerint) capere, ac carceri deputare: necnon & cætera, quæ ad ipsius spectant officium liberè exercere.

SUMMARIUM.

1 *Pontifex ex jure certo conclusionem certam infert.*
2 *Regula textus.*
3 *Idem competit Legato, Archiepisc. & Prælatis inferioribus.*
4 *Quæ sit jurisdictio Ordinaria.*
5 *Episcopus in tota sua Diœcesi habet jurisdictionem ordinariam.*
Habet intentionem in jure fundatam; & qui se prætendit exemptum, id probare tenetur.
6 *Subjecti Episcopo qui.*
7 *Episcopus in quocumque loco suæ Diœcesis non exempto potest jus dicere.*
8 *Qualis esse debeat locus judicii.*
9 *Locum debere esse propinquum, aliqui dixerunt.*
10 *Hoc est verum de æquitate.*
11 *Vicarius non judicat extra locum sibi deputatum.*
12 *Ad breve tempus potest Episcopus erigere tribunal in quocumque loco suæ Diœcesis.*
13 *Quid si Episcopus habeat plures Diœceses.*
14 *Non potest erigere tribunal in loco exempto.*
15 *Nec extra Diœcesim.*
Locus exemptus æquiparatur loco extra Diœcesim.
16 *An Episcopus possit officialem instituere, ubi est specialiter provisum de judice.*
17 *Sedere pro tribunali an necessarium.*
18 *Quæ causæ Ecclesiasticæ.*

19 Cle-

19 *Clerici quando possint carcerari.*
20 *Episcopus, & Prelati jurisdictionem habentes, carceres habere possunt.*
21 *Episcopus pro causa Ecclesiastica potest carcerare laicum.*
22 *Episcopus in sua Diœcesi liberè potest exercere, quæ spectant ad officium suum.*

1 IN hac Decretali Pontifex non condit jus novum simpliciter, sed ex eo, quod in lege est certum, aliud per evidentem, & indubitatam consequentiam deducit, & observandum decernit.

2 Dicitur igitur, quod cùm Episcopus in tota sua Diœcesi habeat jurisdictionem ordinariam, ideò proculdubio in quolibet loco ejusdem Diœcesis non exempto, & per se, & per alium, potest pro tribunali sedere, causas Ecclesiasticas audire, delinquentes capere, & carceri deputare, & quæ ad ejus spectant officium liberè exercere.

3 Idem, quod hìc dicitur de Episcopo, locum habet in Legato, qui in tota sua Provincia habet ordinariam jurisdictionem, *cap. Novit, supr. de off. Legati, in antiq. & cap. Legatos 2. sup. eod. tit. in hoc 6.* Idem de Archiepiscopo respectu suæ Diœcesis, in qua se habet ut Episcopus. Non tamen in tota sua Provincia, quia ibi non habet auctoritatem ordinariam, nisi in casibus specialibus in jure expressis, ut in causis appellationum suprà *cap. 1. & cap. Vt litigantes 5. in hoc tit. & cap. 1. 2. & 3. 9. quæst. 2.* Idem quoque dicitur de Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus habentibus territorium, & utriusque fori jurisdictionem ordinariam in subditos suos, ut advertunt Jo. Mon. *num.* 3. Jo. And. *n.* 1. Butr. *in princ.* Franc. *num.* 2.

4 Eum verò ordinariam jurisdictionem habere dixit Arch. qui suo jure, aut Principis beneficio universalem jurisdictionem potest exercere, *l. more majorum, & l. seqq. ff. de juris. omn. jud.* Sed addendum esse, quod illam habeat respectu certi territorii, quia jurisdictio generalis respectu causarum, & non respectu certi territorii est delegata, existimant Jo. Andr. & Jo. de Fant. quos sequuntur Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 3. Butr. *n.* 1. Quod est verum de territorio formaliter sic sumpto, prout importat certos limites, intra quos coarctata sit Judicis jurisdictio. Sed ordinaria jurisdictio essentialiter est, quæ est virtus principalis, & non instrumentalis, ideòque est propria habentis jurisdictionem tanquam conveniens illi ex propriis, nimirum ratione alicujus tituli, cui est propria, ideòque habenti convenit per modum permanentis. Jurisdictio enim delegata assimilatur virtuti instrumentali, neque habet in subjecto propriam veluti formam, ad quam consequatur, sed ex arbitrio concedentis confertur, & tollitur. Episcopi autem habent jurisdictionem universalem in tota Diœcesi, & habent illam tanquam causæ principales, & ratione propriæ formæ, scilicet ratione tituli Episcopatus, & per modum permanentis, & ideò eorum jurisdictio est ordinaria.

5 Sic enim Diœcesis est veluti territorium Episcopi, & Parochia, eo quia omnia Diœcesis loca, & Ecclesiæ ejus jurisdictioni curæ, & spirituali potestati subjectæ sint, *cap. Omnes Basilicæ 16. qu. 7. cap. Cum contingat 13. de for. compet.* & ibi Innoc. & alii. Et propterea dicitur in hoc textu, quod Episc. in tota sua Diœcesi habet jurisdictionem, tam voluntariam, quàm contentiosam. Et propterea habet intentionem in juri fundatam pro exercitio jurisdictionis, ità ut qui se prætendit exemptum, id probare teneatur, *cap. Cum personæ, infr. de privil. cap. Cum venerabilis, de Relig. domib.* Gloss. *in v. habere*, Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 1. Verall. *decis.* 201. *lib.* 2. Seraphin. *decis.* 104. *n.* 1. Rota *decis.* 243. *num.* 1. *part.* 2. *recent.* Cujuscumque generis sint sive sæculares, sive regulares, *cap. Abbates*, ubi Gloss. *in v. Episcoporum* 18. *quæst.* 2. Quod tamen qualiter verificetur respectu Regularium, quorum exemptio est notoria latè dixi *tom.* 3. *de stat. tract. de profess. Inspect.* 10. *à num.* 700. *& num.* 730. *& seqq.*

6 Nedum verò ordinariæ jurisdictioni Episcopi subjecti sunt, qui in Diœcesi habent domicilium, ut ait Archid. Sed etiam habitantes extra, imò & exempti eidem subjiciuntur ratione commissi delicti, vel contractus initi, vel rei sitæ intra Diœcesim *cap. Volentes* 1. *inf. de privil.* Quamvis ratione rei sitæ; aut contractus initi non tam subjiciantur personæ, quàm causæ, ut explicat Domin. *num.* 6. Et quamvis ex exemptis multi ex speciali privilegio, vel quia non sunt comprehensi *in d. cap. Volentes*, non subdantur Episcopo ratione delicti, contractus, aut rei sitæ intra Diœcesim, sicut sunt Regulares, ut probavi *d. tom.* 3. *& tract. de profess. n.* 626. *& seqq.*

Hinc igitur sequitur, quod Episcopus in quocumque loco suæ Diœcesis non exempto potest tribunal erigere, & jus dicere, Gloss. *in v. loco*, Archid. *num.* 2. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 2. Dom. *num.* 2. *&* 13. Franc. *n.* 1. Barbosa *num.* 5. ita quod pro ut advertunt Domin. & Franc. etiam in propria camera possit jus dicere. Nec est necesse, quod Episcopus pronuntiet locum à se electum pro juridico, cùm sufficiat, quod illum eligat, ut hìc in textu. Tamen citatus debet fieri certus de loco in citatione, aliter in dubio censeretur quis citatus, & teneretur comparere in loco ubi est solitum judicari, *ut in l. penult. ff. de just. & jur.* & sententia in alio loco lata esset nulla, *ut in l. si ut proponis, C. quo modo, & quando Iudex*, Dom. *num.* 13. Franc. *num.* 1. 7

Locus etiam eligendus debet habere conditiones proportionatas Judici, & judicio. Debet propterea esse honestus, *ut in l. penul. §. ult. ff. de just. & jur.* videlicet ut sit talis, ut Episcopus, salva majestate imperii sui, possit judicium reddere, Gloss. *in v. loco*, Monach. *num.* 1. Archid. *n.* 1. Jo. Andr. *num.* 1. Anchar. *num.* 5. Franc. *num.* 1. Barbosa *num.* 5. Et prætereà necesse est, ut sit locus judicii reddendi salvo more majorum, id est non extra territorium sibi commissum, *cap.* 1. *&* 2. 9. *quæst.* 2. Hostien. *in sum. de feud.* §. *Apud quem*. Debet etiam esse commodus litigantibus. Nam si Episcopus habeat amplam diœcesim secundùm aliquos allegatos à Rota infrà nominandi, non potest Episcopus cogere subditos ad litigandum in loco remoto, sed vel ipse debet accedere, vel causam delegare, Anchar. *in cap. Nonnulli num.* 5. *de rescript. & in cap. Cùm te de off. deleg.* Butr. *in cap. sanè, de for. compet.* Ubi Jo. Andr. *num.* 5. Barbat. *in princ.* Felin. *cap. ult. num.* 2. *de jud.* Et ideò si vellet causam cognoscere in loco valdè remoto à partibus, possent partes petere, ut causa committeretur, & cognosceretur in loco propinquo, & si hoc negaretur possent appellare; secundùm Quarantam *v. Archiepiscopi auctoritas num.* 20. apud Barb. hìc, *n.* 6. *& de off. Episc. alleg.* 80. *num.* 5. 8 9

Verùm Rota in Calciaten. jurisdictionis 10. Maji 1624. coram Ramboldo, quam per extensum refert Barbosa *dict. alleg.* 8. *num.* 5. ait quod hæc conclusio communiter reprobatur à DD. ut per Panorm. *in cap. sanè, num.* 3. *de for. compet. & in cap. Dilectus num.* 4. *de rescript.* Rota *decis.* 297. *n.* 4. *p.* 2. *divers.* Et restringitur quando locus valdè distat, & causa est modica, Barbat. *dict. cap. Nonnulli num.* 6. & ibi Felin. *de rescript.* Rota *d. decis.* 297. *num.* 8. *part.* 2. *div.* Sed & melius dixerunt id tantum de æquitate procedere, Panorm. *in dict. cap. Dilect. el* 2. *de rescrip.* & Imola *d. cap. Sanè, de for. comp.* & Rota in d. Calciaten. 10

Addit tamen Barbosa, quod Vicarius Episcopi, cui tribunal, sive judicialis locus est constitutus, non potest extra illum jus dicere partibus, nisi sit in concomitatu Episcopi, vel nisi ex rationabili causa se ad alium locum decentem transtulerit. 11

Sed prætereà advertendum est, ex Domin. *n.* 13. & Franc. *num.* 4. quod non possit Episcopus, vel perpetuò, vel ad longum tempus transferre Cathedram de sua Ecclesia principali, ad aliam suæ Diœcesis, item non possit facere, quod Cathedra intitularetur in alio loco, quàm in illo, in quo instituta fuit, *cap. Placuit* 7. *quæst.* 1. Ideò infert Franc. quod non valeret compositio cum Canonicis, ut Episcopus non possit jurisdictionem exercere in Ecclesia Cathedrali, vel ibi jus dicere, seu se intromittere in ipsa, quando hoc fieret ad longum tempus. De quo videnda not. *in cap. Fundamenta, sup. de elect. in hoc lib.* Regula igitur nostra intelligi debet, ut liceat Episcopo tribunal erigere in quocumque loco suæ Diœcesis ad breve tempus, Gambar. *de off. legat. lib.* 2. *tit. de variis Ordin. nom. n.* 168. Bellen. *in tract. de charit. subsid. quæst.* 32. *num.* 3. Bertachin. *d. de Episcop. l.* 4. *part.* 5. *num.* 70. *&* 71. Rota in una Placentina *decis.* 297. *part.* 2. *divers.* Gratian. *discept.* 655. *num.* 9. & Marchiæ *decis.* 113. *n.* 2. *in add.* Gonz. *ad reg.* 8. *Cancell.* §. 2. *Proœm. num.* 35. Barbosa *de off. Episcop. alleg.* 80. *num.* 4. 12

Quid verò dicendum sit, si idem sit plurium Diœcesum Episcopus, Rota in d. Calciaten. ait, quod quidquid esset dicendum, si Diœceses essent separatæ, & Episcopus in utraque illarum teneret Vicarium generalem, ubi Ecclesiæ sunt unitæ potest delinquentem in una Diœcesi ad aliam trahere, nec cogitur in utraque Vicarium generalem constituere. 13

Quod

Quod in fortioribus terminis fuit resolutum in Viterbien. seu Tuscanen. Vicarii 13. Martii 1607. coram Cavallerio: in qua etiam dicitur, quod licèt Diœceses sint distinctæ, aut æquè principaliter unitæ, tamen quoad Episcopum reputatur una Diœcesis, exemplo Præsidis duarum Provinciarum per Innoc. *in cap. Novit, de off. leg.* & alios ibidem allegatos.

14 In textu tamen nostro excipitur locus exemptus, qui licèt sit in Diœcesi, vel de Diœcesi, tamen Episcopus in eo non potest tribunal erigere, seu jus dicere, Gloss. Monach. *n.*3. Jo. Andr. *num.*1. Anchar. *n.*2. Butr. *num.*2. Domin. *num.*11. Franc. *num.*3. Barbos. *num.*7. Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex parte juris*, *num.*108. Gonz. *ad reg.*8. *Cancell. gloss.*43. *n.*180. Gratian. *decis. Marchiæ*, *v.*3. *num.*3. *in add.* Quod est verum, etiam si Episcopus habeat jurisdictionem, v. g. ratione delicti, in personam exemptam. Quia non per hoc poterit jus dicere in loco exempto, & causam illius ibi cognoscere, nisi & in locum exemptum jurisdictionem habuerit,
15 ut hìc notant DD. citati. Et ratio est, quia Episcopus extra Diœcesim non potest tribunal erigere, *cap. Notandum* 3. *q.*3. *cap. Episcopus* 9. *quæst.*3. At verò locus exemptus in iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, æquiparatur alienæ Diœcesi, & censetur, ac si extra Diœcesim esset, ut hìc notant Anch. *n.*2. Butr. *n.*2. Dom. *n.*4. Barbos. *n.*6. Gonzal. *d. gloss.*43. *n.*181. Nisi Episcopus sit expulsus a sua Diœcesi, quia tunc in terminis Clem. *un. de for. competent.* potest existens in aliena Diœcesi petita licentia ab Episcopo illius Diœcesis, licèt non obtenta, causas suorum subditorum cognoscere, Silvest. *v. Iudex* 2. *num.*4. Et pariter quantum ad celebrationem divinorum in loco exempto servanda est *Clemen. Archiepiscopo*, *de privileg.* ut notant Gloss. & Anchar. *num.*1. Butr. *num.*7.

16 Nedum verò Episcopus potest per se ipsum in quolibet loco suæ Diœcesis jus dicere, sed potest etiam hoc facere per alium, ut expressè dicitur in textu. Dubitatur tamen, quando in aliquo loco est specialiter provisum de Judice, an possit Episcopus ibi constituere officialem? Ut v. g. si Archidiaconus in aliqua parte Diœcesis à tempore immemorabili exercuit jurisdictionem ordinariam an possit Episcopus ibi ponere Vicarium. Videtur enim, quod non possit, & quod hujus textus regula generalis intelligi debeat de loco, in quo alias non sit specialiter provisum de judice, *ar. l. fin. Cod. de pac. comm.* Et ita tenent Jo. Monach. *num.*2. & 3. & Archid. *num.*2. Sed dicitur attendendam esse vim, & qualitatem consuetudinis, si enim sit talis, ut per illos, de illa Parochia non possit adiri Episcopus immediatè, tunc ut notat Jo. Andr. non poterit Episcop. ibi constituere officialem, quia ipse nec per se, nec per suum Delegatum potest ibi immediatè causas audire consuetudine hoc prohibente, pro causis verò appellationum futurarum non potest ponere Vicarium antequam sit appellatum, ut suprà *in hoc tit.* de Archiepisc. dictum est *cap.*1. Et idem cum Paulo & Domin. *num.*7. dicendum esset, si consuetudo esset, ut non possit adiri Episcopus, nisi in casu negligentiæ Archidiaconi, vel Rectoris Parochiæ. Verùm nisi specialis consuetudo obstet, & jurisdictio Archidiacono, vel Rectori Parochiæ non conveniat privativè quoad Episcopum, etiam in prima instantia, sed solùm cumulativè, poterit Episcopus in consimili Parochia habere tribunal erectum, & officialem constituere, Jo. Andr. *num.*1. Anchar. *num.*4. Butr. *n.*4. Dom. *num.*7. Franc. *num.*3.

Enumerantur verò *in textu*, quæ possit Episcop. in quolibet loco suæ jurisdict. Et primum est, quod possit sedere pro tribunali. Hoc enim requiri ad judicium habetur ex Auth. *de judic.* §. *sedebunt*; & notat Silvest. *v. Iudex* 2. *n.*4. imò quod non valeat, quod sit à procedente Judice, *ex l. à procedente*, *C. de dilat.* colligunt Anchar. *n.*1. & Butr. *n.*2. sed de hoc dicendum erit infrà *cap. fin. de re jud.* 17

Secundum est, quod causas ad Ecclesiasticum forum spectantes possit audire. Intelligitur verò hìc sive causæ spectent ad forum Ecclesiasticum de jure, sive de consuetudine, Butr. *num.*2. Quæ verò sint causæ Ecclesiasticæ habetur *sup. cap. ex tenore*, & *cap. fin. de for. compet.* & *cap. super quibusdam de verb. signif.* Illud verò esse crimen Ecclesiasticum dixit Archid. *num.*3. quod est crimen secundùm canones, & secundùm Ecclesiam, non verò tantùm secundùm leges civiles. Dum verò dicitur quod Episcopus hujusmodi causas possit audire, intelligitur usque ad totalem illarum definitionem, Archid. *num.*3. Jo. Andr. *num.*1. Butr. *in princ.* Dom. *num.*8. 18

Tertium est personas Ecclesiasticas delinquentes capere, idest capi facere, Gloss. & Barbos. *num.*10. Clericum tamen pro causa civili non posse carcerari, ex eo quia textus hoc disponit de delinquentibus, colligit Franc. *num.*2. & allegat Jo. Andr. *infr. cap. si Clericos*, *de sentent. excommun.* Sed neque posse carcerari si sint obedientes, & parati corrigi, & obedire mandatis, deducit Archid. *num.*2. volens habere locum excommunicationem canonis, si tales carcerentur. 19

Quæ verò hìc dicuntur de Episcopo locum habent etiam in Abbatibus, & Prælatis inferioribus territorium, & jurisdictionem in utroque foro habentibus, ut tradunt Jo. Andr. *num.*1. Mon. *n.*3. Butr. *in princ.* Dom. *num.*10. Franc. *num.*2. Hi enim sicut Episcopus subditos suos Clericos possunt carcerari facere. Et sic patet etiam, quod Episcopus, & per consequens isti Prælati proprias carceres de jure habere possunt, Dom. *num.*5. Franc. *num.*3. 20

Dubitatur verò an Episcopus possit pro causa Ecclesiastica carcerare laicum. Negat enim hoc Jo. Andr. pluribus id probare contendens, quæ tamen omnia unicam vim habent argumenti desumpti à contrario sensu. Quod locum non habet, ubi contrarium invenitur de jure statutum, sicut invenitur in præsenti in pluribus textibus, & casibus, quos recenset Domin. *num.*9. & ideò dicitur quod pro causa Ecclesiastica Episcopum laicum potest carcerare, ut in causa hæresis, vel matrimoniali, vel simili, Dom. *d. num.*9. Anchar. *num.*4. Franc. *num.*2. 21

Quartum est, ut Episcopus cætera, quæ ad ejus officium pertinent liberè possit exercere, ac si esset in propria Ecclesia, ut Gloss. explicat, & sine alicujus contradictione, ut habent Archid. *n.*3. & Franc. *n.*4. spectant verò ad officium Episcopi Ordines conferre, Ecclesias consecrare, & similia. Multa quoque ad officium Ordinarii spectantia colligit Speculat. *tit. de off. Ordin.* §. *officium*. 22

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VIII.

QUamvis super cessationibus à divinis, quæ à capitulis, conventibus, sive collegiis sæcularium, vel regularium Ecclesiarum multotiens sine causa rationabili attentantur, manifesta satis à felicis recordationis Innocentio III. & Gregorio X. prædecessoribus nostris manaverint instituta: Quia tamen post illa est plerumque compertum, cessationes easdem irrationabiliter esse factas: Nos ad tam perniciosum evitandum abusum, eadem statuta cum infrascripta moderatione in suo volentes robore perdurare: de fratrum nostrorum consilio districtius inhibemus, ne à sæculari, vel regulari capitulo, collegio, seu conventu Ecclesiæ cujuscumque, cessationes ipsæ, nisi vocatis omnibus (prout sunt pro electionis negotio evocandi) & deliberatione habita diligenti, ac Episcopo, aliove quocumque clerico, sive laico (cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, aut status existat) propter cujus injuriam, vel offensam eadem videtur cessatio facienda, post prædictas vocationem, & deliberationem de

de cessando habitam, requisito, quòd irrogatam injuriam vel offensam emendet, aliquatenus attententur: neque tunc etiam, si emendam inde habuerint: vel per eos steterit, quominus habeant competentem. Si autem præmissis servatis capitulum, collegium, vel conventus alicujus Ecclesiæ ad cessationem eamdem duxerint procedendum: ex tunc infra unius mensis spatium pars utraque: videlicet ii qui cessant, & illi etiam propter quorum factum à divinis cessatur (nisi superveniente concordia inter eos cessatio illa cesset) iter arripiant per se, vel per procuratores idoneos, cum munimentis & actis ad negotium ipsum spectantibus, ad Sedem Apostolicam veniendi: & continuatis dietis quamcitò commodè poterint, se Apostolico conspectui repræsentent: ut partibus præsentibus, aut una præsente, altera non veniente, vel mittente, examinato negotio apud sedem eamdem: pars quæ culpabilis inventa fuerit in præmissis, præter alias pœnas à dictis canonibus institutas, si Romano Pontifici videbitur expedire, pœna docente cognoscat quantum excesserit, quæ cessationi factæ rationabiliter causam dedit: vel quæ sine rationabili, & manifesta causa cessavit. Parte insuper à divinis cessante, suprascripta, tam in cessando, quàm in veniendo, sive mittendo ad Sedem Apostolicam non servante, non servetur cessatio: sed ea non obstante (ut prius) in ipsa Ecclesia celebretur.

SUMMARIUM.

1 *In hac decretali superadditur antiquis legibus.*
2 *Cessatio à divinis cedit in diminutionem divini cultus.*
3 *Regula textus.*
4 *Regula non comprehendit Ordinarios imponentes cessationem.*
5 *Est necesse quod Capitulum ex aliquo jure possit cessationem imponere.*
6 *Vocandi absentes Capitulares.*
Consuetudo non vocandi ad electionem, non dat facultatem, non vocandi absentes ad cessationem.
7 *Alia requisita ad cessandum*, 8.
9 *An forma hujus capitis servanda, si Capitulum cesset de mandato superioris.*
10 *Et quid si ex statuto Capituli.*
11 *Etiam Regulares Conventus possunt cessare.*
12 *An ex offensa facta particulari possit imponi cessatio.*
13 *Contra Episcopum potest Capitulum se defendere per cessationem, si alias ad hoc jus habet.*
14 *Iter arripiendum ad curiam, & quam citò possit ad illam perveniendum est.*
15 *Parte, quæ cessat, omittente uno ex requisitis, cessatio non servatur.*
16 *Attentatum est, quod fit sine causa rationabili.*
17 *Decet Papam agere de Consilio Cardinalium.*
18 *Episcopus sub nomine Clerici comprehenditur.*
19 *Paria sunt non habere, & per eum stare, quod non habeat.*
20 *Sub nomine Ecclesiæ veniunt Monasteria.*
21 *Litigantes possunt conveniri, licèt agatur de delicto.*
22 *Non est obligatio ad factum, nisi ut commodè fiat.*
23 *Continuum admittit interpretationem.*
24 *Paria sunt præsentem esse, & vocatum abesse.*
Citatio ad veniendum coram Judice est peremptoria.
25 *Lex pœnalis nova non semper relinquit validam pœnam antiquam.*
26 *Fatuus in culpa fit sapiens in pœna.*

1 IN hac Decretali antiquis constitutionibus additur nova forma, ut cum hujus moderamine illa serventur; & sic posterior lex ad prioris trahatur, & lex legibus concordet. Illis enim quæ Innocentius III. statuerat *in cap. Irrefragabili de off. Ordin.* & quæ disposuerat Gregor. X. *supr. cap. 1. in hoc tit.* superaddit Bonifacius VIII. strictiorem formam servandam in imponenda cessatione à divinis.

2 Quod meritò fecit Pontifex: cùm enim cessatio à divinis tendat in diminutionem divini cultus, quem Papa augeri desiderat, *cap. fin. de rescrip. in hoc 6.* cum magna maturitate procedendum est, & multa servanda, antequam fiat, maximè ubi fit de facto non à Judice, sed ab inferioribus subditis, ut à Capitulo, Collegio, Conventu, & similibus. Sic igitur cùm vidisset Bonifacius VIII. quod non obstantibus Constitutionibus Innocentii III. & Gregorii X. adhuc sæpè cessationes hujusmodi inducebantur, facultatem ipsas facienti strictiori inducta forma moderatus fuit.

3 Statuit igitur, quod Capitula, Collegia, Conventus, tam Sæculares, quàm Regulares, qui à divinis cessare possunt, dum cessare voluerint, vocent absentes: sicut si immineret electio canonica facienda, cum quibus de cessatione deliberent: & si cessare determinent, requirant prius eum, contra quem cessant, ut irrogatam offensam emendet, quod si fecerit non cessabunt: alioquin cessare poterunt. Sed tunc utraque pars, & cessans, & contra quam cessatur, infrà mensem à cessatione iter arripiat eundi ad Papam, vel per se, vel per Procuratores sufficienter instructos, nisi interim intervenerit concordia inter ipsos. Et continuatis dietis quam primum poterunt se coram Papa præsentent, ut utraque parte præsente, vel altera contumaciter absente, Papa diffiniat negotium, & culpabiles puniat. Et si pars cessans prædicta non servet, cessatio non servetur.

Sic igitur primò considerari debet, quod cùm cessatio à divinis imponi possit, & de jure à superioribus Judicibus, Papa, Episcopis, Conciliis, & Ordinariis tanquam Judicibus, & servata juris forma, & de facto ab inferioribus alias jurisdictionem non habentibus, nimirum à Collegiis, Capitulis, aut Conventibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus, quibus hoc non convenit de jure, sed solùm ex consuetudine, vel privilegio; non est hìc sermo de prioribus; quia illi viam juris in judicando, & damnando, seu pœnas infligendo servare debent, Anchar. *num. 2.* Butr. *n. 5.* sed sermo est de Capitulis, aut Collegiis, qui aliquando de facto ex consuetudine, vel privilegio ob aliquam offensam Ecclesiæ factam cessant à divinis. 4

Consideratis autem antiquioribus juribus, *cap. Irrefragabili, supr. de off. Ord. & cap. si Canonici 2. in hoc eod. tit.* & junctis illis huic Constitutioni novem, seu decem servanda sunt de forma, ut cessatio valeat, & sit legitima, quæ enumerat hìc Gloss. *in v. mittendo*, & Silvest. *verbo Cessatio à divinis*. Primum est, quod qui cessant hoc facere possint ex consuetudine, vel alio jure, *cap. si Canonici 2. sup. in hoc tit.* Sed numquid Capitulum cui nullo jure competit cessare à divinis, potest hoc facere ad simplex mandatum superioris? Id posse fieri supponit Archid. in formatione casus. Hoc tamen contingere non potest, nisi superior sit talis, qui Capitulo possit dare facultatem cessandi, & illam det aliter Capitulum validè cessationem imponere non poterit ex defectu facultatis, & juris id faciendi; vel solùm cessationem à superiore impositam executioni mandabit. Est ergo omninò de essentia validè cessationis, quod Capitulum ex consuetudine, vel alio jure possit cessationem imponere. 5

Secundò est necessarium, quod Capitulum vocet absentes, omnes scilicet, qui in Capitulo habent vocem, ac si celebranda esset electio Canonica, & sic observanda sunt, quæ de vocandis ad electionem statuta fuerunt suprà *cap. Coram 35. & cap. Quia propter 42. de elect.* Et quamvis in vocandis ad electionem consuetudo servari debeat, *cap. Cum inter universas, cap. Bonæ, el 2. sup. de elect. in antiq. & cap. Cùm in Ecclesiis, infr. de Preben.* Ex quo tamen esset consuetudo in aliquo loco non vocandi absentes ad electionem, non per hoc liberi essent ab obligatione hujus legis obligantis ad vocandum absentes, dum est cessandum à divinis, ut his notat Lap. post Gloss. Neque enim consuetudo se extendit de casu ad casum. De vocandis verò ad electionem latè dixi *in tract. de elect.* 6

Tertiò necesse est, quod vocatis, & expectatis absentibus posteà simul omnes tractent an sit cessandum. Et sic casus iste est unus de illis, in quibus præcedere debet tractatus, sicut & in alienatione rerum Ecclesiæ, *inf. cap. Dudum, de reb. Eccles. non alien.* Quartò necesse est, quod tractatus compleatur per deliberationem, & sic quod Capitulum determinet esse cessandum. Quintò quod adsit causa cessandi manifesta: & sextò quod sit rationabilis. Septimò quod 7

hujusmodi causa in publico instrumento, vel literis patentibus sigillo authentico munitis exprimatur. Octavò quod volentes cessare hoc instrumentum, seu literas tradant ei, contra quem volunt cessare. Nonò quod requirant eum, ut emendet delictum, seu tollat offensam, sive causam, ob quam illi volunt cessare: quod si non emendet, tunc solùm poterunt cessare; idque facere non poterunt, si is, vel emendaverit offensam, & satisfecerit, vel per volentes cessare steterit, quo minus satisfactionem, aut emendam habuerint competentem.

8 Decimò verò post inductam cessationem necesse est, ut utraque pars, tam cessans, quàm quæ causam dedit cessationi infrà mensem à cessatione per se, vel procuratores suos sufficienter instructos versus Romam iter arripiant, & continuatis dietis quam citò commodè poterunt, se Pontifici præsentent. Et horum quolibet à parte cessante non servato, non est servanda cessatio.

9 Circa hujusmodi verò formam primò interrogari potest, an universaliter sit servanda? Triplex enim species seu modus cessandi hìc distingui potest. Primus quando Canonici, seu Capitulum ex se cessare vult, ex jure quod habet. Et in hoc casu forma ista indubitatè servari debet. Secundus est, si Capitulum cesset ex mandato sui superioris. Et in hoc casu formam esse servandam dicunt Archid. & Jo. Andr. Anchar. verò *num.*2. & Butr. *num.* 5. distinguunt. Nam si superior examinato negotio super eo pronuntiet esse cessandum, & propterea mandet Capitulo, ut cesset; quia in hoc Capitulum se habet ut merus executor superioris, non tenetur hanc formam servare, sed superiori obedire. In quo conveniunt etiam Archid. *num.*2. Dom. *n.*4. Franc. *in fin.* Vel superior non examinato negotio mandat Capitulo ut cesset, & tunc Capitulum non potest cessare hac forma non servata, Distinguas hic universaliter impositionem cessationis, ab ejus mera executione. Quotiescumque Capitulum est, qui cessationem decernit, & imponit, sive hoc faciat ex motu proprio, sive ex superioris instantia, aut mandato semper tenetur servare hanc formam. Si autem Capitulum solùm exequitur, ad hanc formam non tenetur. Tunc tamen tenetur non obedire, si notoriè constet cessationem injustè imponi per superiorem, quia superiori injusta mandanti non est obediendum. De quo videri possunt, quæ dixi *tom.*1. *de stat. quæst.*186. Tertius modus cessendi est, si cessatio fiat ex vi statutorum Conciliorum Provincialium, aut Diœcesanorum. Et in hoc casu hanc formam non esse necessariò servandam dicunt Jo. And. Anchar. *num.*2. Butr. *num.*5. Domin. *num.*4. Franc. *in fin.* Sed aliter mihi distinguendum videtur, Nam Concilium, vel delegat Capitulo jurisdictionem Judicis, & sic concedit,

10 quod ut Delegatus suus possit cessationem inducere. Et hoc modo Capitulum non valens procedere nisi via juris, & tanquam Judex, non tenebitur ad formam hujus capitis, sed ad formam juris communis Delegatis impositam: sed in hoc est eadem ratio de Concilio, & de quocumque Superiore, qui possit delegare. Vel Concilium per suum statutum dat Capitulo facultatem, ut via facti tanquam pars possit media cessatione se defendere; & cùm Concilia non Generalia non possint dispensare *in l. hujus Cap.* Capitulum non poterit inducere cessationem non servata hac forma. Et hoc idem dicitur si ab alio superiore sibi competat hæc facultas.

11 Ex hac verò Decretali habetur, quod nedum Canonici sæculares, sed etiam Regulares, imò quodlibet Collegium, seu Conventus Regularis, si alias id sibi competit ex consuetudine, vel privilegio potest à divinis cessare servata forma hujus decretalis. Nam & hac ratione Pontifex usus fuit nomine Conventus, teste Archid. *num.* 1. ut significaret Regularium collegium, quod communi nomine dicitur Conventus.

12 Circa causam verò cessandi præter ea, quæ dicta sunt *sup. cap. si Canonici* 2. *in hoc tit.* considerandum est, quod textus hic innuit, quod etiam ex offensa facta à particulari, possit Capitulum cessare. Ex quo enim præcipit, ut requiratur, qui causam dedit, & loquitur in singulari numero, nominato Episcopo, vel Laico cujuscumque generis, & dignitatis, primò colligitur quod textus hìc quemlibet comprehendit sive servum, sive Monachum, sive etiam Judæum, quia & isti delinquere possunt, & conveniri, Archid. *num.* 1. Anchar. *num.*1. Butr. *num.*1. Domin. *num.*4. Franc. *num.*2. Colligitur secundò, quod ex delicto cujuscumque horum in singulari videtur posset imponi cessatio. Nihilominus alia ex parte absurdum videtur teste Archid. quod ob personale delictum unius privati cessetur à divinis, & innocentes puniantur: nisi qui delinquit esset Rector, vel Dominus loci: ut *in cap. Non est, de sponsal. & cap.*1. *de Postu.* Alii tamen, ut Jo. Andr. Anchar. Dom. & Franc. existimant tutius esse dicere, quod cessatio ex delicto singularis personæ imponi possit; & moventur *ex cap. fin. inf. de sent. excomm.* sed Deo dante, de hoc ibi dicetur.

Quod etiam in textu inter eos, quorum causa potest cessari à divinis nominetur Episcopus manifestè ostendit Capitulum contra Episcopum posse à divinis cessare, & non obstat, quod inferior non potest superiorem judicare, *cap. Cùm inferior, de major. & obed.* Quia in hoc Capitulum non procedit ut Judex, sed ut pars pro defensione sui juris, quod potest facere stante consuetudine, Archid. *num.*1. Jo. Andr. *in princip.* Butr. *num.*3. Domin. *num.*4. Franc. *num.*1. 13

Imposita verò cessatione Pontifex duo præcipit, ut fiant, ut scilicet partes iter arripiant, & ut Romam veniant. Circa primum determinat tempus unius mensis. Sed secundum partim determinat, partim relinquit arbitrio. Vult enim ut iter arreptum continuetur. Non quia nullus dies quietis ab itinere possit interponi, ut Gloss. advertit, quia hæc esset indiscreta incommoditas, & moraliter impossibilis. Illud enim dicimus posse, quod possumus de jure, & commodè, *cap. Faciat* 22. *quæst.*2. *& l. Nepos Procula, ff. de verb. signif.* Sed nec textus absolutè dicit, quod iter continuum habeatur, sed quod quam citò commodè poterint, partes se Pontifici præsentent. Unde hoc est ex arbitrio Judicis prudentis mensurandum. 14

Et nihilominus intentio Pontificis est, ut partes Romam veniant, & præcipuè pars, quæ cessavit. Contra quam severius etiam agit Pontifex, ut notat Archid. *in fin.* cujus rationem reddit Monach. *num.*2. quia gravius peccat, si illegitimè à divinis cessat privando Ecclesiam Dei cultu, & fideles fructu divinorum officiorum, per hoc medium injustè se defendens ab offensa prætensa. Unde etiam vult Pontifex, quod si pars cessans aliquod omiserit ex forma sibi præscripta, nedum incurrat pœnas statutas à lege, sed aliis ad arbitrium puniatur. Et ita quod si ipsa, vel intra mensem per se, vel per procuratores suos iter non arripuerit ad Curiam Romanam, vel continuatis dietis quam citò commodè poterit ad illam non pervenerit, cessatio non servetur, sed divina officia uti prius celebrentur. Et ita quod & ipsi cessantes possunt celebrare, & ad id compelli possunt per superiorem, & sic celebrare poterunt alii Clerici, qui non induxerunt cessationem, Jo. Andr. & Domin. §. *Parte, num.*2. 15

Notandum primò circa illud verbum *sine rationabili causa attentantur*, quod illud dicitur attentari, quod fit sine rationabili causa, & sic omne irrationabiliter gestum est attentatum, Domin. *num.*1. 16

Notandum secundò circa illa verba, *de Fratrum nostrorum consilio*, quod ponuntur ad significandum bonam ordinationem Papæ, qui habet uti consilio potissimè fratrum, sed non quantum ad necessitatem, ut patet *cap. Nemini* 14. *quæst.*4. *& cap. Nemo* 9. *quæst.*3. *& cap. Apostolica dist.*54. Et præcipuè in arduis negotiis convenit Papam ita facere, cùm id fieri velit ab inferioribus, ut *cap. Novit de his quæ fiunt à Præl. & cap.*1. *dist.*88. Et justum est Principem legibus obtemperare suis, *cap. Justum, dist.* 9. Aliquando autem Papa addit, & assensu, *ut cap. Quoniam, supr. de renunc. in hoc lib. & cap. Gloriosus, infr. de reliq. & venerat. Sanct.* Quando etiam loquitur indistinctè de Cardinalibus eos vocat Fratres, ut notatur etiam *supr. cap.* 1. *de off. leg.* 17

Notandum tertiò, quod ex illa *clausula Episcopo, aliove quocumque Clerico*, benè colligitur Episcopum inter Clericos numerari, & sub nomine Clerici comprehendi, Dom. *num.*3. 18

Notandum quartò, quod ex illa clausula, *vel per eos steterit, quo minus habeant competentem*, quod paria sunt aliquem non habere aliquid, & per eum stare quominus illud habeat, *cap. Commissa, sup. de elect.* Dom. *num.*4. 19

Notandum quintò, circa illa verba *Conventus alicujus Ecclesiæ*, quod sub nomine Ecclesiæ veniunt etiam Monasteria, Dom. §. *si autem, num.*1. & de hoc dictum est suprà *cap. Plerique in hoc tit. num.*8. 20

Notan-

21 Notandum sextò, quod ex illo nomine *Concordia* colligitur, quod partes litigantes inter se possunt componere, licèt agatur de delicto, & ratio deducitur *ex l.1. §. Et post operis, ff. de nov. oper. nunciat.* Jo. Monach. *num.1.* Archid. *n.2.* Dom. *§. si autem, num.1.* Unde si partes concordent, Judex tenetur judicare, Franc. *num.2.*

22 Notandum septimò, circa dictionem *commodè*, quod quis non obligatur ad factum, nisi id commodè fieri possit, & sic id dicitur posse fieri, quod commodè fieri potest, Gloss. *in v. continuatis*, Domin. *§. si autem, num.3.* & notatum est *sup. num.14.* Hoc verò dictum est in textu, ut notat Archid. *num.3.* quia voluit haberi rationem viarum, & temporis ætatis, & sexus, & valetudinis, *ut l. continuus actus &c. §. cum ita, ff. de verborum obligat.* & propterea etiam tempus veniendi ad curiam post arreptum iter ad illam arbitrio boni viri reliquit.

23 Notandum ex hoc octavò, attento etiam illo verbo *continuatis*, quod continuatum dicitur iter; licèt aliquando interpollatum ad vitandam gravem incommoditatem, & sic continuatum aliquid dici potest non obstante aliqua interpollatione, ut notant Archid. *num.3.* Anchar. *num.2.* Butr. *n.5.* Et sic continuum debet intelligi juxta subjectam materiam, & quatenus commodè fieri potest.

Notandum nonò, circa illam clausulam *aut una præsente, altera non veniente, vel mittente*, quod in jure paria sunt præsentem esse, & vocatum abesse, quia pro præsente habetur, qui vocatus abest, Anchar. *notat.12.* Citatio enim juris, qua monentur litigantes venire coram judice, habet vim peremptoriæ citationis super tota causa, in qua sine alia citatione proceditur, ut hìc patet, *& sup. cap.1. de elect. in hoc 6.* Anchar. *not.9.* Butr. *num.2.* 24

Notandum decimò, circa illud, *præter alias pœnas*, quod lex pœnalis nova antiquam pœnam non tollit, Anchar. *num.11.* Domin. *§. si autem, num.3.* Quod tamen non est semper verum. Nam si lex nova imponat ejusdem generis pœnam, sed mitigatam, & limitatam censetur abolire severiorem antiquam. Sic suprà *cap. fin. §. Ut autem, de off. deleg.* ubi *in d. cap. contra conservatores*, erat imposita suspensio ab officio simpliciter, ex quo Gregor. XV. *in constit. de conservatoribus*, imposuit solam suspensionem ab officio conservatoris, nunc suspensio ab officio simpliciter non habet locum, ut ibi est probatum. 25

Notandum undecimò, circa illud, *pœna docente*, quod pœna summè docet, & ideò lex pœnalis datur ut pœna docente, qui fuit fatuus in culpa, sit sapiens in pœna, *cap. Qui ea, dist.38.* Archid. *num.5.* 26

DE OFFICIO ORDINARII.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IX.

PRæsenti prohibemus edicto, ne Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu quivis alii regulares, vel sæculares Prælati, aut Ecclesiasticæ quæcumque personæ: vacantibus dignitatibus, personatibus, Prioratibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus eorumdem bona (morientibus eorum rectoribus, vel ministris) in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari: occupare, aut in usus suos convertere quoquo modo præsumant. Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitimè, seu alia causa rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. Alioquin Episcopi, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ: cæteri verò ab officio, & beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos: quousque restitutionem fecerint de prædictis. Porrò ubi ex privilegio, vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis prædictorum asserit bona competere supradicta: hoc de illis bonis solùm debet intelligi, quæ solutis debitis, si qua sint, & his, quæ fuerint necessaria pro servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novos redditus supportandis congruè reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse. Sanè constitutionem, quam superius specialiter edidimus contra capitula, collegia, conventus, seu singulares personas, bona Cathedralium, vel regularium, aut collegiatarum Ecclesiarum vacantium occupantes: per constitutionem præsentem (quam in dignitatibus, personatibus, Prioratibus, & Ecclesiis aliis locum habere censemus) nolumus in aliquo derogari.

SUMMARIUM.

1 *Varia Pontificum constitutiones circa bona Ecclesiarum vacantium.*
2 *Divisio textus.*
3 *Ejus summa.*
4 *Constitutio ista non comprehendit Laicos, nec omnes Ecclesiasticos.*
5 *Comprehenduntur omnia beneficia, etiam manualia.*
6 *Non oratoria privata, sed Ecclesiæ authoritate Episcopi erectæ, & dotatæ.*
7 *Quinque genera bonorum Clericorum.*
8 *Non comprehenduntur sub hac prohibitione bona in vita alienata.*
9 *Nec patrimonialia.*
10 *Quando bona præsumantur acquisita ex fructibus beneficii.*
11 *In dubio favendum Ecclesiæ.*
12 *Ecclesia Clericis non habentibus successores succedit.*
13 *Non comprehenduntur eleemosynæ ex missis, &c.*
14 *Nec distributiones,* 15.
16 *Comprehenduntur bona directè ad utilitatem beneficiorum spectantia.*
17 *Fructus beneficiorum non exacti comprehenduntur.*
18 *Quæ superiores non possint sibi usurpare.*
19 *Sub decreto Concil. Trid. & Canone Bullæ cœnæ, comprehenduntur omnia bona Ecclesiastica.*
20 *Actiones prohibitæ sunt usurpare, in proprios usus convertere, impedire, sequestrare.*
21 *Pœna lata contra usurpantes bona præfata.*
Qualiter ignorantia excuset ab hac pœna.
22 *Ad obtinendam absolutionem non sufficit cautio.*
23 *Ex consuetudine potest induci, ut liceat superiori in suos usus præfata bona convertere.*
24 *Ex fructibus beneficii vacantis solvenda debita.*
25 *Dignitates mitiori pœna puniuntur.*
26 *Suspensio ab officio, non est suspensio à beneficio.*
27 *Suspensio aliquando cessat sine absolutione.*
28 *Per hanc constit. non derogatur* cap. quia sæpè de elect. in hoc 6.

PLures à Summis Pontificibus constitutiones editæ fuerunt, & pœnæ impositæ contra usurpantes bona Ecclesiarum tempore vacationis illorum, Bonifac. VIII. duas constitutiones super hoc edidit, alteram relatam *sup. in cap. Quia sæpè 40. de elect. in hoc lib.* & alteram *in hoc cap.* Sed, & Jo. XXII. *in extravag. Suscepti regiminis 2. de elect.* multa de his bonis disposuit. De quibus etiam nonnulla statuerunt 1

Sixtus

Sixt. IV. *in extrav. Sed universalis*, §. *& quia propter assiduas, de treugua, & pace*, & Bonifacius Octavus *in Extravag. Declarationes, de Decim.* Nam Innocen. IV. in Concilio Lugdunen. ut habetur *sup. in hoc 6. cap. Generali* 13. *de elect.* prohibuit ne aliquis sibi usurpans custodiam, & defensionem bonorum Ecclesiarum tempore vacationis, ea usurparet; quos quidem simul & Clericos, qui id procurarent voluit excommunicationi subjacere. Deinde hujusmodi etiam bona beneficiorum, quæ ex fructibus beneficiorum obtenta fuerunt, & non alienata, nec per validum testamentum disposita, & tempore mortis eorum existentia applicaverunt Cameræ Apostolicæ, Paulus Tertius *constit.* 29. & Pius Quartus *const.* 8. Insuper, & fructus non exactos tempore mortis. Julius Tertius *constit.* 7. & Sixtus Quintus *constit.* 90. Et ad idem faciunt etiam, quæ disposuit Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. Et quæ decernuntur in Bulla Cœnæ *canon.* 17. Et universaliter jura omnia, quæ in communi contra usurpantes bona Ecclesiarum emanarunt.

2 In hoc verò cap. tria statuit præcipuè Pontifex, primò enim prohibet bona Ecclesiarum tempore vacantiæ occupari, secundò ubi adsit consuetudo id faciendi ostendit, qualiter id fieri conveniat, tertiò verò per hanc constitutionem non derogari, *cap. Quia sæpè sup. de elect. in hoc lib.* decernit.

3 Præsenti igitur edicto prohibet ne Prælati, vel aliqua Ecclesiastica persona bona vacantium Ecclesiarum ad eorum collationem, ordinationem, præsentationem, aut custodiam spectantium, quæ vel in earumdem Ecclesiarum utilitatem expendi vel successoribus reservati debent, occupare, aut in suos usus convertere præsumant, nisi hoc eis ex privilegio, consuetudine, vel alia causa competat. Alioquin Episcopi, & superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab officio, & beneficio eo ipso sint suspensi, donec restituetint. Ubi verò præfata bona alicui competant ex privilegio, aut consuetudine, aut alia de causa, decernit id intelligendum de bonis, quæ solutis debitis, & oneribus supersunt. Et tandem declarat per hanc constitutionem non derogari, *cap. Quia sæpè, sup. de elect. in hoc lib.*

4 Primò igitur cùm *in dict. cap. Quia sæpè* solum Capitulis, Conventibus, & Collegiis, eorumque personis singularibus prohibitum fuerit ne bona à Prælatis dimissa, aut vacationis tempore obvenientia, quæ vel in Ecclesiarum utilitatem expendi, vel successoribus reservari debent; hic verò hanc prohibitionem extendit ad Prælatos, & quascumque Ecclesiasticas personas, quibus Ecclesiæ ipsæ vacantes sunt subjectæ, aut ad illos pertinent titulo, vel collationis, vel ordinationis, vel præsentaturæ, vel custodiæ. Unde sub hac prohibitione non comprehendunrur laici, ut notat Gloss. *in v. Ecclesiastica*, contra laicos enim constitutionem ediderat Innoc. IV. *in d. cap. Generali sup. de elect.* ut dictum est *num.* 1. Hic verò specialiter hujusmodi bonorum usurpatio prohibetur Ecclesiasticis. Nec tamen comprehenduntur Ecclesiastici omnes, sed solum illi, quibus Ecclesiæ vacantes sunt subjectæ, aut aliquo ex dictis titulis ad eos pertinent. Et sic sufficit, quod Ecclesia aliqua subjiciatur Episcopo jure Episcopali, licèt non spectet ad ejus collationem, ad hoc, ut Episcopus intelligatur comprehensus sub hoc edicto, & si illius Ecclesiæ vacantis bona usurpet, sit ab ingressu Ecclesiæ suspensus, ut notat Franc. *n.* 1. Sed decretum Concilii Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. *& sentent. Bullæ Cœnæ in can.* 17. omnes tam Clericos, quàm laicos comprehendit.

5 In *dict. etiam cap. Quia sæpè* non fuit sermo, nisi de Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, seu Collegiatis, sed hic Pontifex universaliter loquitur de dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, & Ecclesiis, limitatè tamen scilicet, si sint subjectæ, vel pertineant aliquo ex recensitis titulis ad illarum bona usurpantem. Sic igitur sub hac constitutione servata præfata limitatione comprehenduntur omnia beneficia, etiam manualia, Clem. *quia Regulares de suppl. neglig. Prælat.* Gloss. *in verb. vacantibus*, Archid. Franc. *num.* 1. & 3. secus tamen esse, de beneficiis, quæ sunt de mensa, & quæ per mortem Rectoris non dicuntur vacare, ut ex d. Clem. *Quia Regulares*. Ut tradunt iidem DD. Pariter nec comprehenduntur Oratoria privata per ea, quæ notantur *in cap. Ad hæc, de rescript.* & docet Franc. *num.* 3. Comprehenduntur verò Ecclesiæ erectæ, & dotatæ, Episcopi authoritate, *ut in cap. Nemo de consecrat. dist.* 1. Domin. *num.* 8. Butr. *num.* 2. Franc. *num.* 1.

Bonorum verò genera quinque hic distingui debent, 7 quæ apud Clericos reperiri possunt, ut notat Navar. *de reddit. Eccles. q.* 1. *num.* 19. Quædam enim sunt patrimonialia, quæ nullo habito respectu ad Ecclesiam, seu beneficium illis competunt jure hæreditario, successione, testamento, contractu, donatione, aut alia simili ratione laicis communi. Secundi generis sunt, quæ Clericis competunt ratione alicujus ministerii Ecclesiastici, non tamen ratione alicujus tituli beneficii. Et hujusmodi sunt, quæ Clericus acquirit concionando, confessiones audiendo, celebrando missas, assistendo funeribus Defunctorum, exercendo officia Oeconomi, Capellani, aut Vicarii temporalis. Tertii generis sunt directè spectantia ad Ecclesias, Hospitalia, aliaque Ecclesiastica loca, sive immobilia sint, sive mobilia, & sive ad fabricam erigendam, sive ad infirmos curandos, sive ad aliud simile ministerium sint deputata. Quarti generis sunt redditus beneficiorum, qui directè ordinatur ad sustentamentum ministrorum ratione tituli beneficii. Quinti generis sunt illa, quæ actuali interessentiæ deputantur, & quæ dicuntur distributiones quotidianæ.

Cùm igitur in præsenti textu comprehendantur ea sola 8 bona Ecclesiarum, quæ tempore mortis in illis reperiuntur, vel tempore mortis obveniunt, & vel ad Ecclesiæ utilitatem expendi, vel successori debent reservari. Colligitur primò, sed hujus textus prohibitione non comprehendi ea bona, quæ Ecclesiasticæ personæ tempore vitæ eorum legitimè alienarunt, hæc enim bona tempore mortis eorum non jam inveniuntur in Ecclesiis, cùm facta sint per contractum validum, aut donationem alieni juris. Quomodo autem Ecclesiastici sint, vel non sint Domini fructuum Ecclesiasticorum, & possint, aut non possint donare, tractant hic Archid. & alii interpretes. De his ego latè scripsi *tom.* 1. *de stat. q.* 185. *art.* 7. *à num.* 2. Ubi plures status Ecclesiasticorum bonorum distinxi, & de usu eorum, & obligatione illa expendendi in pios usus differui, quamvis ipsi Ecclesiastici hos fructus faciant suos. Et ejusdem *q. a.* 8. *an.* 229. egi de facultate testandi, & de donationibus causa mortis fieri prohibitis. Nec opus est ibi dicta repetere.

Colligitur secundò, sub hujus textus prohibitione non 9 comprehendi bona Clericorum patrimonialia, quia hæc non sunt bona Ecclesiarum, sed sunt sæcularia, de quibus Clerici alias voto paupertatis non impediti, sed habentes eorum bonorum dominium possunt quoque de illis disponere tam in vita, quàm in morte, & ad hæredes transmittere, *Cap. Episcopus cum sequent.* 12. *q.* 1. *cap. De laicis* 12. *q.* 2. *cap.* 1. *cum seq.* 12. *q.* 3. *cap.* 1. *&* 2. 12. *q.* 4. *cap.* 1. *& c. quia vos, & c. Relatum el* 2. *& cap. requisisti de testam.* Covar. *cap.* 1. *de testamen. num.* 3. *&* 11. Sanchez *opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 50. Et hic docent Butr. *num.* 12. Franc. *num.* 10.

Quomodo verò ex paupertate Clerici antequam ob- 10 tinuisset beneficium, tempore mortis suæ præsumatur inventa apud ipsum esse acquisita ex redditibus beneficii, nec transmittenda sint ad hæredes. Vide Panorm. *in cap.* 1. *num.* 3. *& in cap. Cùm esses num.* 24. *de testament.* Rot. *decis.* 172. *num.* 7. *&* 10. *part.* 3. *divers.* Mascard. *de probat. concl.* 1171. *numer.* 31. *&* 32. Bellet. *p.* 1. *tit. de bon. Cler.* §. 6. *n.* 8. Barb. *l.* 3. *de jur. Eccles. c.* 17. *num.* 51.

Et similiter qualiter in dubio an peculium relictum 11 à Clerico sit acquisitum de bonis Ecclesiæ, quod pro Ecclesia sit reservandum, ut ad hæredes defuncti non transeat, habetur *ex cap. Quicumque in fine d.* 12. *q.* 3. & Rota *cap.* 1. *cum seqq. de peculio clericorum*, & tradunt Menoch. *de arbitr. casu* 195. *numer.* 9. *& lib.* 3. *præsumpt.* 53. Bellet. *dict. tit. de bonis Cleric.* §. 10. *in princip.* Rota in Arboren. spolii 17. Junii 1624. coram Manzanedo, Barbos. *d. l.* 3. *de jure Eccles. cap.* 17. *num.* 52. Ubi subdit, quod si Clericus aliquod proprium obtinebat, ignoretur verò de quibus rebus in specie, vel cujus quantitatis sit peculium quæsitum, & in morte repertũ, dividen-

dendum erit inter Ecclesiam, & hæredem, *cap.* 1. *in fin.* 12. *quæst.* 4.

12 Et nihilominus in his etiam bonis, si Clericus decedat intestatus, & non habeat successores legitimos ab intestato succedit Ecclesia, cui servivit, *cap. fin.* 12. *q.* 5. *cap. Requisisti*, *cap. Relatum el* 2. *de testam. cap.* 1. *de success. ab intest.* licèt si Clericus sit conjugatus, succedat uxor, *cap. Sint manifestæ* 12. *q.* 1. *l. si quis Presbyter C. de Episcop. & Cler.* At verò *cap. Episcopus*, qui filios consulitur Ecclesiasticis, qui legitimos successores non habent, si voluerint concedere testamentum, non alium, quàm Ecclesiam hæredem instituant, Barbosa *d. l.* 3. *c.* 17. *num.* 57.

13 Colligitur tertiò, quod nec bona secundi generis comprehenduntur sub prohibitione hujus textus, quia illa censentur, ac si essent patrimonialia. Unde quod de his bonis Clericus testari possit, tradunt hîc Gloss. *in v. Reservari*, Butr. *num.* 12. Domin. *num.* 20. Franc. *num.* 10. Unde qui habet Capellaniam non in titulum, sed amovibilem, & quæ non est beneficium, de stipendio, quod pro ea recipit annuatim, potest in morte disponere tanquam de bono quasi patrimoniali, sicut & Clerici, qui in certis Ecclesiis conveniunt ad missas celebrandas, possunt de illo lucro testari, ut explicat Franc. *loc. cit.* Domin. *num.* 27.

14 Colligitur quartò, quod nec etiam quintum genus bonorum comprehenditur sub hujus textus edicto; quoniam distributiones sunt stipendia personalia, quæ ad bona patrimonialia reducuntur. Quamvis hic distingui debeat duplex genus distributionum. Nam quædam sunt, quæ non distinguuntur à præbendis, sed præbendarum vice funguntur, & tales sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quarum fructus omnes in communi reponuntur, & Canonicis distribuuntur. De quibus sermo est *in cap. Olim*, *de verb. signific.* Aliæ verò sunt distributiones à præbendis separatæ, quales sunt distributiones illarum Ecclesiarum, quæ habent præbendas distinctas Canonicis assignatas, & ulterius habent distributiones, quæ dantur interessentibus divinis officiis, de quibus sermo est *sup. in cap. fin. de rescript. in hoc lib. & cap. un. de Cler. non residen. Et cap. ultim. de concess. præbend. in eodem lib.* Corollarium indubitatè verificatur de distributionibus istis magis propriè dictis, & à præbendis distinctis, quæ sunt personalia stipendia, quæ Clerici faciunt sua, ac si essent bona patrimonialia & temporalia. Nam & in bona temporalia transeunt statim, atque à Clerico recepta sunt. Et ideò quod de ipsis Clericis testari possint, docent hîc Joan. Monac. Prob. Archid. Jo. Andr. Anchar. Butr. *num.* 11. Dom. *num.* 18. Franc. *n.* 10.

15 Verum dicitur, quod nec comprehenduntur distributiones prioris generis, quia nec comprehenduntur præbendæ. Et ratio est, quia in textu exprimuntur solum Dignitates, Personatus, Prioratus, & Ecclesiæ quæcumque, Præbenda verò ab omnibus istis distinguitur, Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 9.

16 Colligitur quintò, quod procul dubio sub hac prohibitione comprehenduntur bona tertii generis, quæ etiam directè spectant ad Ecclesiæ utilitatem, unde est, quod nullus, vel Prælatus, vel Ecclesiasticus, cui Dignitates, Personatus, Prioratus, vel quæcumque aliæ Ecclesiæ sunt subjectæ, vel ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam ejus spectant, sibi aliquod bonum usurpare ex illis, quæ ad præfatorum beneficiorum utilitatem directè sunt deputata, & vel tempore mortis beneficiati existunt, vel tempore vacationis adveniunt, aut illud in proprios usus convertere.

17 Colligitur sextò, idem dicendum esse de bonis quarti generis, scilicet de redditibus, & fructibus beneficiorum. Quod tamen est verum, & intelligendum cum limitatione posita in textu, scilicet quatenus hujusmodi bona in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut successori debeant reservari. Nam quantum ad ista bona Clerici, vel ex consuetudine jam præscripta, ut colligitur *ex hoc cap. & ex cap. Cùm tibi* 18. *de verb. significat.* & tradunt Sot. *de justit. l.* 10. *quæst.* 4. *art.* 3. & quam plures alii, quos refert, & sequitur Barbosa *dict. l.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 17. *numer.* 67. vel ex privilegio, vel ex concessione speciali testari possunt; In casu igitur testamenti, & quod bona defuncti Clerici etiam ex beneficiis, aut eorum redditibus acquisita transeant ad hæredes, distinguendum est inter fructus perceptos, & collectos, & reconditos ante Clerici mortem, & non reconditos, seu collectos. Nam fructus ante mortem Clerici collecti vi testamenti transmittuntur ad hæredes, ut dixerunt *supra dict. cap. si propter*, Gloss. *in verb. primi anni*, Domin. *num.* 9. Franc. *num.* 5. Et in hoc cap. Gloss. *in verb. reservari*, & ad Mon. Prob. *num.* 1. Hostien. *in cap. fin. num.* 5. & ibi Zabar. Imol. & Barbos. *de pecul. Cleric.* Navar. *de red. Eccles. quæst.* 2. *mon.* 13. Quod & est de mente Julii Tertii, qui in Constitutione sua 7. publicata anno 1550. disponit, quod fructus beneficiorum, ubi non spectant ad Cameram Apostolicam, spectent ad successores, etiam quod maturati fuerint tempore beneficiati, dummodò realiter, & cum effectu percepti non fuerint, & aliis propriis bonis incorporati, etiam quod per beneficiarios non steterit quominus illos exegerint, imò etiam si omnem diligentiam pro eorum exactione judicialiter adhibuerint. Et sic fructus beneficiorum non exacti realiter, & aliis bonis non incorporati comprehenduntur sub hac prohibitione, tanquam spectantia, vel ad Ecclesiam, vel ad successorem, vel modò etiam ad Cameram Apostolicam.

Et sic ex vi hujus Decretalis nullus ex illis, quibus 18 Dignitates, Personatus, Prioratus, aut quæcumque Ecclesiæ subjectæ sunt, vel hujusmodi beneficia spectant ad ejus collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam potest sibi usurpare, vel in proprios usus convertere aliquod bonum sive magnum, sive parvum, quod ex fructibus beneficiis sit obtentum, & non fuerit legitimè alienatum, vel per validnm testamentum ad hæredes transmissum, & tempore mortis beneficiati non fuerit consumptum, sed extet, & ita quod nec fructus non exactos potest in proprios usus convertere, sed eos Ecclesiæ, vel successori, vel Cameræ Apostolicæ debet relinquere.

Sub prohibitione verò Concil. Trident. universa 19 omninò bona, jurisdictiones, census, jura etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, comprehenduntur. Et sic comprehenduntur Præbendæ, distributiones, & quæcumque alia Ecclesiarum, sed beneficiorum, aut locorum piorum bona. Et in Canone Bullæ Cœnæ, pariter comprehendunt hujusmodi bona omnia, nimirum jurisdictiones, fructus, redditus, proventus ad Papam, vel quamcumque Ecclesiasticam personam pertinentes ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum.

Actiones verò prohibitæ in hac decretali sunt occupa- 20 re, & in proprios usus convertere. In Concil. verò Trident. sunt, quacumque arte in proprios usus convertere, aut usurpare, aut impedire, ne ab eo, ad quem pertinent, percipiantur. In Bulla autem Cœnæ actiones prohibitæ sunt usurpare, & sequestrare. Quamobrem qui sibi usurpant alicujus personæ Ecclesiasticæ jurisdictionem, fructus, emolumenta, præbendas, distributiones, glandes, oleas, sylvas, fœnum, triticum, pensiones, domorum, vel prædiorum, census, decimas, & alia ad Ecclesiasticas personas spectantia, & pariter, qui sibi usurpant fructus beneficii vacantis spectantes ad Ecclesiam, vel successorem, vel Cameram Apostolicam incidunt in pœnas statutas *in d. cap.* 11. *sess.* 22. *& in d. can.* 17. Bullæ Cœnæ. De quibus vide DD. in d. Bullam Cœnæ scribentes, & alios, *quos in d. cap.* 11. *Concilium Trident.* refert Barbosa.

Pœna autem in hac Decretali lata pro Episcopo, & 21 superioribus est suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & pro Abbati, & cæteris inferioribus suspensio ab officio, & beneficio; quoad usque restituerint. Sed per Concil. Tridentin. lata est excommunicatio major reservata Pontifici, & à qua non sint absolvendi, qui illam incurrerint, nisi præmissa restitutione. Pariter in Bulla Cœnæ imposita est pœna excommunicationis in ea Bulla Papæ re-

reservatæ. In hac verò Decr. & in Concil. Tridenr. est verbum *præsumant*, seu *præsumpserint*, ex quo habetur, quod ad pœnam hanc incurrendam requiritur præsumptio, & scientia, & sic ignorantia excludens dolum excuset.

22 Non sufficit verò ad obtinendam absolutionem cautio, seu fidejussio, sed requiritur actualis restitutio. Quod de pœna hujus decretalis advertit Gloss. *in v. Restitutionem*. Quantum verò ad casum præsentis decretalis posse consuetudine, vel privilegio, vel alia rationabili causa fieri, ut bona beneficiati defuncti, quæ alias spectarent ad Ecclesiam, aut successorem, competant Prælato, vel ei, ad quem spectat collatio, seu ordinatio, præsentatio, aut custodia beneficii habetur expressè ex hoc textu, & adverterunt Joan. Mon. Joan. Andr. *in regul. Nemo in dict. reg.* Dom. *num.* 12. Franc.

23 *num.* 2. Imò textus excipit ab obligatione, & pœna eos superiores, ex prænominatis, quibus præfata bona in proprios usus convertere, aut usurpare convenit ex privilegio, consuetudine, aut alia rationabili causa. Et quia consuetudine obtineri potest, ut beneficiatus testamento disponat de fructibus beneficii, quos fecit suos, & de acquisitis ex illis, ubi hæc consuetudo adsit, hujusmodi bona transeunt ad hæredes, ut Francus advertit *dict. num.* 2. Ubi tamen committendo adsit, privilegiumque, aut statutum, ut superiores fructus aliquos vacantium beneficiorum primi, aut secundi anni, aut amplius percipiant, servanda est constitutio Jo. XXII. *in extrav. suscepti Regiminis de elect.*

24 Tandem advertendum est, quod Pontifex decernit, quod ubi ex consuetudine, vel privilegio quis possit frui bonis beneficiati defuncti; hoc debet intelligi de iis, quæ post solutionem onerum, & debitorum remanent. Tractat autem hic Butr. *num.* 5. An hoc sit universaliter verum, quod bona intelliguntur deductis expensis. Sed certè in hoc casu non habet difficultatem. Fructus enim Ecclesiæ, ut habet Dom. *§. Sanè num.* 4. *& 6.* qui uno anno colliguntur sunt deputati pro illius anni oneribus, & ideò de illis satisfieri debet debitis, & oneribus ejusdem anni. Unde solum quæ supersunt deductis debitis, & oneribus competere possunt ei, cui fructus, & bona defuncti distribuuntur.

Notandum primò, quod Episcopi usurpantes sibi bona Ecclesiarum vacantium puniuntur suspensione ab ingressu Ecclesiæ, inferiores verò suspensione ab officio, & beneficio, quæ est pœna major; habetur enim ratio dignitatis, ut mitius puniantur, qui majori fulgent dignitate. Quamvis minor pœna major censeatur, & sit inflicta digniori, quàm pœna major minus digno imposita. 25

Notandum secundò ex hoc textu haberi, quod suspensio ab officio, de se non est suspensio à beneficio, quia in textu utraque suspensio exprimitur, ut distincta, Dom. *n.* 7. 26

Notandum tertiò, quod aliquando suspensio cessat sine absolutione; Nam suspensio lata in hoc textu contra occupantes bona Ecclesiarum vacantium non durat, nisi donec fiat restitutio bonorum occupatorum, facta verò restitutione cessat sine aliqua alia absolutione, Gloss. *in v. Quousque*. 27

Notandum quartò, quod Pontifex expressè hic dixit per hanc constitutionem non derogari constitutioni suæ relatæ *supra in cap. Quia sæpè de elect. in hoc lib.* & fuit hoc factum ex ratione convenienti, quia in præfato capite derogatur privilegiis, & consuetudini contrariæ, hic verò privilegium, & consuetudo approbatur, unde voluit Pontifex, ut sciremus in hoc non derogari illi constitutioni. Meritò autem ibi Pontifex derogavit consuetudini, quia constitutio illa erat contra subditos, nimirum contra Capitula, seu Collegia usurpantia sibi bona Cathedralium, & Collegiatarum spectantia ad Episcopos, & Prælatos, hic verò prohibentur superiores ipsi, ne occupent bona Ecclesiarum, seu successorum, magis absurdum verò est, quod subditus usurpet sibi potestatem super Prælato suo, & rebus illius, ut advertit Gloss. *fin. in add.* & Jo. Mon. *num.* 2. 28

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA.

Bonifacius Octavus.

CAPUT UNICUM.

EPiscopali Sede vacante, potest capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset Episcopus si viveret, ab excommunicationis sententia, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri: Nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas.

SUMMARIUM.

1 *Decretalis data ad declarationem*, cap. si Episcopus 11. q. 3.
2 *Capitulum succedit Episcopo in Ordinaria jurisdictione.*
3 *Capitulum absolvit excommunicatos.*
4 *Absolvere à censuris est jurisdictionis.*
5 *Capitulum potest excommunicare.*
6 *Et potest dispensare.*
7 *Absolvit ab his, à quibus absolvisset Episcopus ordinaria jurisdictione.*
Capitulum non succedit Episcopo, nisi in ordinaria jurisdictione.
8 *Non succedit in delegata generaliter.*
9 *Capitulum non potest uti facultate concessa Episcopis* sess. 24. c. 6. Conc. Trid.
10 *Capitulum non succedit in ordinaria jurisdictione etiam in illis, quæ sunt gratiæ.*
11 *Capitulum Sede vacante potest absolvere ab excommunicatione lata, sive à jure, sive ab homine.*
Absoluti ab excommunicatione lata à Prælato inferiori.
12 *Etiam Capitula inferiora succedunt in jurisdictione Prælatorum.*
13 *In Ecclesiis Cardinalium quid servandum.*
14 *Capitulum succedit in jurisdictione Episcopi capti à Paganis.*
15 *Visitator Apostolicus, vel Vicarius Capituli eamdem habent facultatem absolvendi, &c.*
16 *Excipitur casus, in quo absolvere ut supra fuisset Capitulo interdictum à Papa.*
17 *Plures casus, in quibus Capitulum succedit, aut non succedit in jurisdictione Episcopi.*

EPiscopum successorem posse à prædecessore suo excommunicatos absolvere, habemus explicatum in *cap. si Episcopus* 11. *quæst.* 3. Et quia cap. illud loquitur de Episcopo successore, per locum à contrario sensu deducebat Goffred. quod id præstare non posset Capitulum, sed expectandus esset successor Episcopus. Ut tamen advertit Gloss. *in v. Impertiri*, contrarium tenuerunt 1

ante editionem hujus Decretalis, Hug. Vincent. Bern. & Hostien. Ad declarationem igitur hujus controversiæ data fuit præsens constitutio per Bonifacium Octavum. Nam neque *cap. si Episcopus* oppositum probabat, cùm in eo unum affirmetur, scilicet, quod successor damnatos à prædecessore potest absolvere, sed aliud non negatur, scilicet, quod hoc non posset Capitulum Sede vacante.

2 Maximè quod Capitulum succedit in jurisdictione Episcopali Sede vacante, ut habetur *sup. eodem tit. cap. His, quæ num.* 11. *& cap. Cum olim* 14. ubi Gloss. *in v. Capitulo, cap. Ad abolendam*, ubi Gloss. *in v. Sede vacante, sup. de heret. cap. penult.* ubi Gloss. *v. Capitulum, & cap. ultim. sup. de supplend. neglig. Prælat. in hoc lib.* & infra *cap.* 1. ubi Gloss. *in v. præsentatos, de jastit. cap. Quia sæpe*, ubi Gloss. *in v. reservari, supr. de elect. in hoc* 6. *cap. nullus in fin. princip. sup. de tempor. ordin. in hoc lib. Clement.* 1. §. 1. ubi Gloss. *in v. Sede vacante, de heret.* Felin. *in cap. Cum omnes num.* 10. *de constit.* Selva *de benef. part.* 3. *q.* 66. *num.* 3. Patis. *de resignat. l.* 7. *q.* 27. *num.* 11. Et hic tradunt communiter Joan. Monac. Archid. Joan. Andr. Lap. Anch. Butt. Dom. Franc. & Barbosa, Et benè advertit Franc. *num.* 10. quod non interest an bona Capituli, & Episcopi sint divisa. Quia hoc non obstante Capitulum succedit in ordinaria jurisdictione Episcopi, etiam quantum ad administrationem temporalium, licèt non possit conferre beneficia.

3 Decernitur propterea in hac constitutione, quod Capitulum Sede vacante potest absolvere omnes illos sive à jure, sive ab homine excommunicatos, quos potuisset absolvere Episcopus defunctus, si vixisset. Quod ex hoc cap. deduxerunt etiam Panorm. *dict. cap. His, quæ num.* 3. *de majorit. & obed. & in cap.* 2. *num. fin. ne Sede vacante*, Silvest. *v. Capitulum*, §. 2. Suarez *de Censur. disp.* 7. *sess.* 2. *n.* 4.

4 Etenim absolvere à censuris est potestatis jurisdictionis, ut advertit Domin. *num.* 2. Et quamvis absolvere in foro conscientiæ, seu in actu sacramentalis Confessionis supponat potestatem Ordinis, ut notat Franc. *num.* 2. Nihilominus absolutio à censuris, quæ est liberatio à pœna, est actus jurisdictionis, sicut enim jurisdictionis est inferre censuram, ita jurisdictionis est à censura absolvere, & liberare. Capitulum verò succedit Episcopo in iis, quæ sunt jurisdictionis.

5 Unde est, quod Capitulum potest etiam præcipere sub pœna excommunicationis, & contra contumaces sententiam excommunicationis ferre, ut per Innoc. Gloss. & Host. *in d. cap. His, quæ de major. & obed.* notat hic Franc. *n.* 1. ubi quod Capitulum succedit Episcopo in potestate jurisdictionali, etiam quoad potestatem excommunicandi, absolvendi, interdicendi, & corrigendi etiam judicialiter sententiando.

6 Et sicut Capitulum potest à censuris absolvere, sic potest dispensare in illis, in quibus potest dispensare Episcopus ratione jurisdictionis Episcopalis, Henriq. *lib.* 14. *cap.* 20. §. 1. Barbosa *de off. Episcop. alleg.* 36. *num.* 10. *& alleg.* 45. *num.* 26. Sayr. in Clav. Reg. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 84.

7 Hoc tamen limitatur in textu, ut non possit Capitulum universaliter absolvere ab omni excommunicatione, sed ab ea sola, à qua potuisset absolvere Episcopus, si vixisset. Quod etiam intelligendum est, de potestate Episcopi ordinaria, non verò de potestate, quæ Episcopo ex privilegio, seu concessione speciali convenit, aut ex delegatione, Silvest. *v. Capitulum*, §. 2. Flamin. *de resignat. lib.* 7. *quæst.* 23. *num.* 24. Selva *de benef. l.* 3. *q.* 66. *num.* 3. Panormit. *in cap. scriptum, de elect. & in cap. Verum de for. compet. & in cap. His quæ, de majorit. & obed.* Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 9. & alii plures, quos retuli *sup. cap. penult. de supplend. neglig. Prælat.* Quamvis verò Joan. Monach. hic *num.* 3. quem sequuntur Jo. Andr.
1 *num.* 3. Butt. *num.* 12. voluerit, Capitulum succedere Episcopo etiam in illis, quæ competunt Episcopo, ut delegato delegatione generali à Sede Apostolica, & allegat ad hoc *cap. Ad abolendam in fin. de hæreticis, & infra cap.* 1. *in fin. de præben.* tamen hoc tanquam dictum sine fundamento juris admittendum non est, in citatis enim text. & in locis notatis, nec verbum est de Capitulo; & aliud est, quod Papa delegatione generali det Episcopis facultatem in exemptos, quod facit *dict. cap. ad abolendam de hæret. in fin. & dict. cap.* 1. *de prebend. in fin.* aliud est, quod statuerit facultatem hanc transire in Capitulum Sede vacante. De hoc nihil statutum in dictis textibus reperitur, nec alibi invenitur dispositum. 8 Ideo loco citato cum Fagnano, & aliis, dictum est Capitulum non succedere Episcopo in facultate generaliter delegata. Et videri etiam possunt alia, quæ de re hac probata sunt *tom.* 2. *de statib. q.* 187. *art.* 1. *à n.* 301.

9 Ideò quod Capitulum Sede vacante non possit uti facultate dispensandi in irregularitate, quam Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 6. concessit Episcopis, quia Capitulum non succedit Episcopo in delegatis sibi à Sede Apostolica, tanquam decisum à Sacr. Congreg. sustinet plures, & præcipuè Bonac. *de cens. disput.* 7. *quæst.* 5. *part.* 1. *num.* 6.

10 Quod etiam habet idem Monachus *num.* 3. & post illum alii, scilicet, quod Capitulum succedit Episcopo in illis, quæ sunt justitiæ, non verò in illis, quæ sunt gratiæ, quia non potest res Ecclesiæ alienare, *cap. si quæ* 12. *quæst.* 2. non est in jure fundatum; quia imò Capitulum succedit & in his, quæ sunt justitiæ, & quæ sunt gratiæ, & universaliter in omnibus, quæ sunt jurisdictionis Ordinariæ, ut apud omnes constat. Solum datur hæc limitatio, quod hoc fallit in casibus in jure expressis, inter quos est casus alienationis rerum Ecclesiæ. Videri possunt de hoc dicta *tom.* 1. *de statib. quæst.* 185. *artic.* 7. *num.* 577. sic enim & alii casus sunt, in quibus Capitulo interdictum est Sede vacante, uti jurisdictioni ordinaria Episcopi.

11 Potest verò à censuris absolvere nedum latis à jure, & non reservatis Papæ, à quibus potest absolvere Episcopus, sed etiam latis ab homine nimirum, ut explicat Glossa vel ab ipso Episcopo defuncto, vel ab ejusdem Vicario, aut Delegato, aut etiam ab aliquo inferiori non exempto, ut ab Archidiacono; ubi Sede vacante habeat exercitium jurisdictionis, & possit aliquem excommunicare; Episcopus enim jurisdictione sua ordinaria potest excommunicatos ab inferioribus non exemptis servatis servandis absolvere, *ut in cap. Cum Ecclesiarum supr. de offic. Ordin. in antiquis, & in cap. Cum in Ecclesiis sup. hoc eodem tit.* Et in hac jurisdictione Capitulum succedit Sede vacante, Jo. Andr. *n.* 3. Butt. *n.* 12. Franc. *num.* 2.

12 Quamvis autem regula nostri textus principaliter verificetur in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Nam loquitur de Capitulo Episcopali Sede vacante, tamen ubi Collegiales Ecclesiæ, vel Regulares inferiores habeant Prælatum, qui habeat jurisdictionem in utroque foro, & possit excommunicare, & absolvere; quoniam etiam hujusmodi Capitula succedunt jurisdictione ordinaria sui Prælati Sede vacante, ut hic docet Franc. *num.* 2. & docuit Panormit. *in cap. His, quæ* 11. *numer.* 2. *de majorit. & obed.* ideò & hujusmodi Capitula absolvere possunt Sede vacante ab illis excommunicationibus, à quibus absolvere potuisset eorum Prælatus, si vixisset. Quamvis si Capitulum non sit exemptum vivente Episcopo maneat illi subjectum, sicut & illi subjiciebatur Prælatus ejus, & sic Sede Episcopali vacante capitulum inferius, ejusque Prælatus subjiciantur Capitulo Cathedralis, quod succedit in jurisdictione Episcopali.

13 In Ecclesiis verò ad quarum titulum creati sunt Cardinales servanda sunt sancita *sup. eodem tit. cap. His quæ.* Quamvis alias Card. in suis titulis habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, Jo. Mon. *n.* 2. Jo. Andr. *in princ.* Butt. *nu.* 11. Franc. *n.* 2.

14 Extenduntur verò prædicta, ut nedum vera sint sede realiter vacante per mortem, vel amotionem totalem Episcopi, sed etiam si civiliter vacet, quia Episcopus sit captus à Paganis, vel schismaticis *in termin. cap. si Episcopus, sup. de suppl. negl. Prælat. in hoc lib.* Quod hic advertunt Gloss. & Butt. *n.* 2.

15 Quod si sede Episcopali vacante jurisdictio non sit penes Capitulum, sed penes vel Visitatorem Apostolicum, vel Visitatorem (in casu sibi permisso) datum ab Archiepiscopo *in term. cap. ultim. sup. de suppl. neglig. præl. in hoc* 6. vel sit etiam simul penes Vicarium institutum

ab

ab eodem Capitulo, is poterit absolvere excommunicatos à jure, vel ab homine prout potuisset Episcopus sua ordinaria jurisdictione. Et advertit Gloss. *in v. jurisdictio*, quod sufficit si Vicarius habeat jurisdictionem generalem in spiritualibus, ad hoc ut facultate absolvendi ab excommunicatione juris, & hominis uti possit. Quod verò in Regno Galliæ in multis Ecclesiis sede vacante Reges sibi vindicent jurisdictionem temporalium: & quod certis dignitatibus competat ex spirituali jure administratio spiritualium advertunt Gloss. & Mon. *n.* 4. Jo. Andr. *n.* 3. Butr. *n.* 11. Dom. *n.* 7.

16 Tandem verò in textu excipitur casus in quo à sede Apostolica interdictum fuisset Capitulo præfatos excommunicatos absolvere. Arbitratur verò Gloss. *in verb. Sede Apostol.* quam sequitur Domin. *num.* 6. Quod nullus Papa inferior possit à Capitulo hanc absolvendi facultatem auferre. Sufficeret verò si Papa expressè, vel tacitè eamdem auferret facultatem, Mon. *num.* 4. Domin. *num.* 7.

17 Notandum, quod Jo. Andr. Butr. Domin. & Francus hic ennumerant casus, in quibus Capitulum succedit, aut non succedit in jurisdictione Episcopi. Distinguunt verò casus certos, ab incertis. Certi casus sunt primò quod Capitulum absolvit ab excommunicatione, *ut in hoc textu*. Secundum quod succedit in administratione spiritualium, & temporalium sive sedes vacet, sive quasi, *ut in cap. penult. & ultim. sup. de suppl. negl. Prael. in hoc* 6. Tertium, quod confirmat electiones, *cap. Cum olim, sup. hoc eodem tit.* Quartum, quod dat Inquisitores hæresis, *Clement.* 1. *& 2. de haeret.* Quintum, quod judicat contra hæreticos, *cap. ad abolendam in princ. sup. de haeret.* Sextum, quod dat commendarias ad Ordines, *cap. Nullus, sup. de temp. ordin. in hoc* 6. Septimum, quod instituit præsentatos, *ut in cap.* 1. *inf. de instit.* Octavum, quod dat coadjutores infirmis, *ut infr. cap.* 1. *§. si vero de Cler. aegrot.* Unde ex Bartol. notat Francus, quod mortuo Episcopo cessat coadjutor Episcopi, & succedit Capitulum in administratione. Nonum, quod confert beneficia spectantia ad Collationem Episcopi, & Capituli, *ut inf. cap.* 1. *ne sede vacan.* Decimum, quod compellit executores testamentorum, qui illud officium susceperunt, ut per Jo. Andr. *in cap. Joannes sup. de cler. non resid. seu in tit. de testam.* Pariter autem primò certum est, quod Capitulum non confert Beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum solum, *ut in cap.* 1. *§. fin. infr. Ne sede.* Quod extenditur etiam si beneficiorum collatio spectet ad Episcopum, & alium à Capitulo distinctum, Panorm. *cap. Cum olim, sup. hoc eodem tit.* Secundò non succedit in consilio dando, quod ab Episcopo requiri debet, *ut in d. cap.* 1. *§. fin. infr. Ne sede vacan.* Tertiò, quia non alienat immobilia, *ut in cap. Is cui sup. de elect. in hoc lib.* Sed modò neque hoc potest Episcopus sine beneplacito sedis Apostolicæ. Quartò, quia non succedit in immunitatibus, & privilegiis concessis Episcopali dignitati, *ut in cap. fin. infr. de privil.* Præter hos casus verò, alios controversos recensent, & 25. numerat Franc. Quæ apud illum, & alios videri poterunt, relinquuntur enim suis locis examinanda.

DE PACTIS.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

PActum cum rectore parochialis Ecclesiæ factum à vobis, ne aliquos, vel certos ipsius Ecclesiæ parochianos recipiatis ad ecclesiasticam sepulturam, omnino servare debetis. Quamquam sepultura libera sit monasterio vestro ab Apostolica sede indulta, & illi apud vos elegerint sepeliri: Cùm per dictum pactum indulto hujusmodi derogetur.

SUMMARIUM.

1 *AD quid emanavit decretalis ista.*
2 *Summa illius.*
3 *Conventio Ecclesiae cum saeculari pro concessione sepulturae.*
4 *Et saecularis cum saeculari.*
5 *Et Ecclesia cum Ecclesia.*
6 *Quodnam pactum possit iniri à Regularibus cum Parochis.*
7 *Regulares possunt se obligare ad non recipiendum aliquos ad sepulturam.*
8 *Quid si fiat pactum non recipiendi aliquos ad sepulturam cum praejudicio Parochialis.*
9 *Idem si pactum fiat inter saeculares.*
10 *Pactum hujusmodi perpetuum.*
11 *Privilegium non tollit pactum praecedens.*
12 *Per pactum renuntiatur privilegio.*
13 *Dictio* omninò *importat aliquid debere fieri sine contradictione.*
15 *Pactum initum ad favorem Ecclesiae perpetuum est.*

1 EManasse hanc decretalem ad declarationem eorum, quæ habent Innoc. & Host. *supra cap.* 1. *de sepult.* existimat Gloss. *in v. pactum.*

2 Determinat verò Pontifex, quod si Monasterium aliquod habens privilegium liberæ sepulturæ ineat pactum cum Rectore parochialis, ne aliquos, vel certos parochianos recipiat ad sepulturam, omninò pactum servari debet, quia per pactum derogatur privilegio.

3 Hic autem primò difficultas esse potest, qualiter possit fieri pactum in materia seulturæ, cùm jus sepeliendi sit spirituale, spiritualia verò non cadunt sub pacto, *cap. fin. de pactis.* Et eo magis, quod sepultura nullius est in bonis, unde videtur, quod non possit debere servitutem alicui. Sed advertendum, quod circa sepulturam pactum, vel est inter Ecclesiam, & sæculares, vel inter sæculares ipsos, vel inter Ecclesias. De primò difficultas est, an Ecclesia sine simonia possit capellas, & loca ad usum sepeliendi defunctos tradere sæcularibus ex pacto. Quam difficultatem latè explicavi, *tom.* 1. *de stat. q.* 185. *art.* 7. *num.* 383. *& seqq.*

Quantum ad secundum difficultas est, qualiter jus sepe- 4
liendi, quod est merè spirituale convenire possit Laicis privativè, ita quod unus, vel aliqui Laici habeant jus ut sepeliantur in hac capella, vel sepulchro privativè quoad alios, & qualiter esse possit; ut sepultura unius debeat servitutem alteri, ita quod unus habeat jus, ut possit in sepultura alterius sepeliri. Et hanc difficultatem examinavi *tom.* 2. *de stat. q.* 187. *art.* 4. demonstrando primò quale sit jus, quod ex concessa sepultura habent, qui sepulturam eligunt *à num.* 352. Et quale jus privativum quoad alios conveniat sepultuario, *à num.* 374. Et quibus modis, & præcipuè an pacto acquiri possit jus sepeliendi privativè quoad alios, *à numer.* 386. *cap.* 1.

De tertiò difficultas esse potest, quis sit is cui compe- 5
tit concedere sepulturam in Ecclesia, quam examinavi *tom.* 2. *de stat. d. q.* 187. *art.* 4. Ea verò quæ pertinent ad tertiam difficultatem examinavi *d. q.* 187. *art.* 4. Declarando primò, qualiter jus ducendi funus est Parochi, sed jus admittendi ad sepulturam est Papæ, & Episcoporum, nullique Ecclesię competit nisi ex gratia. Et quoad nul-

la Parochialis Ecclesia habet, vel habuit unquam jus absolutè, & simpliciter necessitans Parochianos, ut sepeliantur in Parochiali, sed solum ut in ea sepeliantur, si alibi non elegerint sepulturam, vel non habeant sepulturam majorum; Et quod Ecclesiæ Regulares habent liberam sepulturam, *à num.* 130. Et qualiter fideles habeant jus liberum eligendi sibi sepulturam in quacumque Ecclesia *à num.* 257. Et quæ sit Ecclesia Parochialis, in qua sepeliri debent, qui alibi vel non habent sepulturam majorum, vel sibi non elegerunt sepulturam, *à num.* 311. Et cui competat concedere sepulturam in Ecclesia, *à num.* 365.

6 Cùm igitur tam Parochiales Ecclesiæ, quàm Regulares habeant jus admittendi corpora defunctorum ad sepulturam, supponitur in hoc textu, quod licitum sit Parochis, & Regularibus pacisci super hoc jure. Et quidem pacto gratuito, quod fit gratis se obligando, res transit sine difficultate, quia non est contra dignitatem rei spiritualis, quod donetur, imò petit gratis dari. Quamobrem supposita aliundè facultate renuntiandi, seu cedendi, aut donandi jus, quod una Ecclesia habet, jam benè intelligitur quod una Ecclesia ex pacto gratuito cedat alteri jus sepeliendi, quod habet. Sed rebus spiritualibus non competit ut possint vendi, vel contractu oneroso ex justitia obligante alienari, quia Christus dixit: *gratis accepistis, gratis date*; unde quod repugnet rebus spiritualibus alienari ex pacto inducente obligationem justitiæ, vel etiam commutari probavi *in tractat. de elect. cap.* 7. *numer.* 146. Unde hujusmodi conventiones quatenus permittantur intelligi debent, ut sint donationes sine aliquo pretio, & pacto mutuo obligante ex justitia, prout explicavi *tom.* 2. *de statibus quæst.* 187. *art.* 4. *num.* 911.

7 Sic ergo circa jus sepeliendi inter Ecclesias possunt iniri conventiones, & pacta. Neque hoc obstat libertati sæcularium ad eligendam sepulturam, ubi voluerint, quia simul cum hac libertate est libertas in hac, aut illa Ecclesia eos non recipiendi ad sepulturam. Neque enim Ecclesia hæc compellitur absolutè aliquem ad sepulturam recipere, & ideò sine præjudicio tertii potest Ecclesia una alteri se obligare, ut non recipiat aliquos ad sepulturam, in illis casibus in quibus non tenetur cadavera recipere. Secus si ex obligatione eos admittere debet, sicut Parochialis tenetur admittere Parochianos, qui in alia Ecclesia, nec elegerunt sepulturam, nec habent sepulturam majorum. Et Ecclesiæ Regulares, tenentur admittere eos, quibus pro eorum familiis, aut hæredibus concesserunt sepulturam. Sic igitur in casibus in quibus Ecclesiæ Regulares, de jure non tenentur aliquos admittere ad sepulturam, possunt se obligare Parochiali, ut eos non admittant, Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 1. *&* 10. Franc. *n.* 2. *&* 3. Dom. *n.* 6.

8 Quod si inter Parochum, & Monasterium fieret pactum sub hac conditione, & clausula, quod Monasterium non reciperet Parochianos illius in præjudicium Parochię, per hoc pactum excluderetur simpliciter in eo Monasterio, sepultura Parochianorum illius Parochi, quia eorum sepultura in monasterio semper esset sibi præjudicialis, quia licèt dum sepelirentur in monasterio ipse haberet quartam, nihilominus non haberet totum sepulturæ emolumentum, quod haberet, si sepelirentur in Parochiali. Tamen in hoc casu exclusi essent illi, qui jam in monasterii Ecclesia habent propriam, vel majorum sepulturam. Quia horum respectu Parocho non debetur, nec potest competere nisi quarta. Unde clausula illa hoc tantum operaretur, quod in monasterio non possent sepeliri, qui in eo sibi elegerint sepulturam de novo, Jo. And. *in princ.* Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 6. Dom. *n.* 7.

Quamvis verò textus loquatur de pacto inito cum monasterio, tamen idem dicendum est de pacto inito inter Parochum, & quamcumque aliam Ecclesiam regularem, ut pactum teneat, & servari debeat, si alia Ecclesia conveniat cum Parocho ut aliquos, vel omnes ejus Parochianos ad sepulturam non admittat, Archid. *num.* 1. Jo. Andr. *in princ.* Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 1. 9

Hoc tamen pactum non esse ex natura sua perpetuum ex parte Rectoris voluit Lap. quia non intervenit authoritas superioris. Sed esse ex utraque parte perpetuum tradunt Archid. *num.* 1. Joan. Andr. *num.* 2. Ancharan. *num.* 2. Butr. *num.* 13. Domin. *num.* 10. Franc. *num.* 3. quia cùm pactum sit factum ad favorem Ecclesiæ Parochialis, non requiritur ex parte Rectoris authoritas superioris. Ex parte verò religiosorum, quia per actum renuntiatur privilegio. Unde prædicti DD. addunt, quòd ex talis pacti læsione Regularibus non competat restitutio in integrum, eo quia pactum sit juris authoritate firmatum, *arg. l.* 1. *C. de his, quæ v. ætatis*. Sed de his dicetur *infra in fin. in hoc tit.* 10

Cùm autem textus regula à DD. in duplici sensu intelligatur, secundùm quod contingere potest, quod pactum præcedat, vel subsequatur ad privilegium, si accipimus intellectum, ut pactum præcedat privilegium, supposito quod pactum sit validum, sine controversia est, quod privilegium subsequens non præjudicat pacto, & quod pactum derogat privilegio, quia privilegium non derogat pacto speciali, nisi ejus faciat expressam mentionem. Dato igitur, quod inter Parochum, & Monasterium præcessisset pactum validum de non admittendo parochianos illius ad sepulturam, superveniens privilegium liberæ sepulturæ concessum Monasterio non præjudicat pacto, nisi ejus faciat expressa mentionem, *cap.* 1. *sup. de const. in hoc* 6. 11

Si verò intelligamus, quod pactum superveniat privilegio, idem asseritur, scilicet quod per pactum derogatur privilegio, quia pactum continet renuntiationem privilegii. Et ita ubi Monasterium validè potuit renuntiare privilegio, per pactum censetur illi renuntiasse, & ideò pactum viget. Supponit verò textus, quod Monasterium validè possit renuntiare privilegio liberæ sepulturæ, & ideò vult, quod pactum hujusmodi omninò servari debeat, Gloss. *in v. derogetur*, Arch. *n.* 7. Anch. *num.* 2. Butr. *num.* 10. Franc. *num.* 4. Sed de hoc dicetur *infra cap. fin.* 12

Notandum breviter primò, quod dictio *quamquam* habet sensum adversativum, ut sit idem quod *quamvis*, & ita sumitur in hoc textu, Arch. *num.* 3. Jo. And. *n.* 1. Dom. *num.* 3. 13

Not. 2. quod dictio *omninò*, importat quod aliquid ipso jure sine ope exceptionis fieri debeat, & sine contradictione servari. Et sic Papa vult omninò servari pactum à Monasterio cum Parocho initum. 14

Notandum tertiò, quod pactum initum à Rectore Ecclesiæ, si non sit in Ecclesiæ favorem, non est perpetuum, nisi accedat superioris authoritas. Est tamen perpetuum si sit ad Ecclesiæ favorem; tunc enim non est necesse, quod adsit authoritas superioris, quia hæc supponitur adesse; cùm aliud non velit superior quàm Ecclesiæ favorem, & augmentum, Archid. *n.* 1. Joan. Andr. *in princ.* Anchar. *in princ.* Butr. *num.* 1. *&* 3. Franc. *num.* 3. 15

DE

DE PACTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

QUamvis pactum patri factum à filia dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: si tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omninò servari debebit: Cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

SUMMARIUM.

1 *TExtus concordantes cum iste.*
2 *Regula textus.*
3 *Textus non continet jus novum, sed explicat jus naturale, & divinum.*
4 *Pactum juramento firmatum validum etiam si alias à jure Civili improbatum.*
5 *Quatuor casus distinguuntur.*
6 *Pactum de succedendo non valet, nec confirmatur juramento.*
7 *Nisi in milite, & ad pias causas.*
8 *Pactum de non succedendo jure civili irritum.*
9 *Nisi in Patre recipiente pretium emancipationis filii.*
10 *Vel nisi, qui paciscitur, recipiat æquivalens.*
11 *Pactum irritum, etiam si filius, vel filia legitimam susceperit.*
12 *Objectiones contra regulam.*
13 *Lex ista nihil præcipit prohibitum justa lege.*
14 *Dispositio hujus textus ubique servari debet.*
15 *Pactum de non succedende factum à sorore juramente firmatur.*
16 *Et idem de pacto filii, vel nepotis.*
17 *Idem si pactum fiat ante, vel post matrimonium.*
18 *Quid si filia non recipiat dotem.*
Renuntiatio successionis non est renuntiatio legitimæ, vel alimentorum.
19 *Pactum hoc juratum obligat in vim pacti.*
20 *Pactum hoc transit ad heredem.*
21 *Pactum hoc aliquande nocet filiis.*
22 *Non revocatur ex supervenientia filiorum.*
23 *Filia non debet certiorari.*
24 *Pactum an à filia servandum etiam si sit minor.*
25 *Et an etiam si illi consuli non possit.*
26 *An in casu enormis læsionis, filia possit petere dispensationem præfati juramenti.*
27 *Pactum renuntiandi jus ad alimenta, & dotem non firmatur juramento.*
28 *Juramenta impuberum an valeant.*
29 *Metus reverentialis non irritat pactum.*
30 *Juramentum metu extortum obligat.*
31 *Juramentum dolo inductum non obligat.*
32 *Pactum de non succedendo Patri factum ad favorem tertii, inscio patre non valet.*
Potest firmari juramento quatenus non sit contra bonos mores.
33 *Pactum de non succedendo non impedit succedere ex testamento.*
34 *Pacto de non succedende non obstante potest filia succedere ab intestato.*
35 *Veritas hæc multum controversa.*
36 *Hæreditas renuntiatarii, nec sub amplissima renuntiatione comprehenditur*, & seqq.
37 *Probatur authoritate Rotæ.*
In dubio non præsumitur renuntiatum hæreditati renuntiatarii.
38 *Renuntians non excluditur ab hæreditate renuntiatarii per extraneos.*
39 *Probatur ex verisimili intentione utriusque.*
Renuntiatio non operatur ad favorem extraneorum.
40 *Impossibile est, quod renuntiatario renuntietur ejus hæreditas.*
41 *Inverisimile quod renuntians, & renuntiatarius velint, Passer. in Lib. I. Sexti Decret. ut renuntiatario intestato succedant extranei etiam fiscus.*
42 *Inverisimile quod renuntians, & renuntiatarius intendant renuntiantem repudiare hæreditatem renuntiatarii non delatam, & quidem ita ut renuntiatio nullius favore in incertum fiat.*
43 *Distinctio renuntiationis in realem, & personalem.*
44 *Alii trimembrem faciunt distinctionem.*
45 *Omnis renuntiatio est realis, & ideo omnis renuntiatio personalis est realis.*
46 *Renuntiatio realis, ut distinguitur contra personalem, est merè extinctiva, non vero translativa.*
47 *Renuntiatio realis est, quæ sit nulla persona contemplata.*
48 *Renuntians in concursu cum non contemplatis, sed extraneis non excludit se ipsum ab hæreditate renuntiatarii.*
49 *Ingressus in Religionem est occasio renuntiationis, ut translativæ.*
50 *Renuntiatio, si non est merè extinctiva, sed translativa, est simpliciter personalis.*
51 *Ex clausulis amplissimis non colligitur realitas excludens personalitatem, si sunt contemplata persona.*
52 *Clausula* Efficax, perpetua, realis, &c. *non tollit personalitatem, si sunt contemplata persona, seu si renuntiatio non est merè extinctiva.*
53 *Realitas se habet, ut genus limitatum ad personalitatem per contemplationem personæ.*
54 *Omnis renuntiatio translativa est personalis.*
55 *Non obstat Aquiliana stipulatio.*
56 *Deficientibus personis contemplatis renuntians succedit renuntiatario.*
57 *Non obstat clausula* pro se, & hæredibus.
Nec pactum de non petendo.
58 *In dubio renuntiatio censetur personalis.*
59 *Renuntiatio ob ingressum in religionem est simpliciter personalis, si est translativa. Hoc aliqui negant.* 60.
61 *Potest dari renuntiatio purè extinctiva.*
62 *Quod renuntiatio facta ob ingressum in Religionem sit translativa semper tanquam ex causa finali est ex favore personæ alicujus.*
63 *Renuntiatio ob ingressum in religionem, si est translativa, est simpliciter personalis.*
64 *Deficiente ultimo renuntiatario Monasterium succedat in bonis renuntiatis.*
65 *Et talis est intentio renuntiantis, & renuntiatarii.*
66 *Deficientibus personis contemplatis renuntiatio resolvitur, ut renuntianti non noceat.*
67 *Concordantur diversæ decisiones Rotæ.*
68 *Religiosus non est incapax usus facti, & ut ex ejus persona Monasterium succedat.*
69 *Possidere in communi non est contra statum paupertatis, & perfectionis.*
70 *Religioso non renuntiante sua transeunt in Monasterium.*
71 *Renuntiatio causa ingressus non impedit, quin Monasterium succedat resoluta renuntiatione.*
72 *Irrationabile est imaginari oppositum esse de mente renuntiantis.*
73 *Renuntiatio causa ingressus in religionem, quia personalis non impedit quod Monasterium succedant renuntiatario ultimo.*

74 *Possessio bonorum in communi non auget, sed minuit solicitudinem in singulis.*
75 *Verificantur prædicta etiam in renuntiatione facta causa dotis.*
76 *Non obstat si renuntiationi sit annexa donatio.*
77 *Hujusmodi renuntiationes sunt repudiationes.*
78 *Minor restituitur adversus repudiationem.*
79 *Iure speciali Romano repudiationes minorum nulla, si fiant sine solemnitate.*
80 *Repudiatio facta à minori, si intelligatur ut realis, est nulla.*
81 *Nullus bone sperato ex gratia potest renuntiare.*
82 *Pactum de dividenda certo modo hæreditate quando valeat.*
83 *An possit confirmari juramento.*
84 *Factum post mortem ejus, cujus est hæreditas, valet.*
85 *Quid de pacto conservandi successionem.*
86 *An inter Patrem, & filium sit obligatio civilis.*
87 *Papa ratione juramenti disponit inter Laicos.*
88 *Et in favorem pacti.*
89 *Quid sit aliquid esse in dispendium salutis.*
90 *Et in detrementum tertii.*
91 *Reliqua remissive.*

1 CONformia determinationi factę à Bonifacio VIII. in hac Decretali respondit Innoc. III. *sup. c. Cùm contingat* 28. *de jurejur.* & ex parte Alex. III. *in cap. Si vero* 8. *eod. tit.*

2 Hic igitur Pontifex declarat, & decernit, quod filia si dum nuptui tradebatur pactum inivit cum Patre, ut dote contenta nullum ad bona paterna haberet regressum, quamvis hoc pactum à jure civili sit improbatum, si nihilominus non vi, aut dolo fuerit juramento firmatum, ab eadem omninò servari debebit, cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

3 Summè, ut puto, consideranda est determinatio ista Canonici juris, per quam novum jus non inducitur, sed necessitas consequentię deductæ ex principio certo legis naturalis, & supernaturalis divinæ, quæ aliàs potuisset esse dubia, exemplariter aperitur, & declaratur. Non enim hic Pontifex utitur verbo *statuimus*, quod novi juris inductionem significat, *sup. cap. ut litigantes 5. de off. Ord. in hoc* 6. aut verbo *Præcipimus*, aut consimili novam legem significante, sed utitur verbo *debebit*, quod legis obligationem supponit, & præexistens debitum importat. Et hoc debitum Pontifex non ex se, & sua voluntate provenire asserit, sed inde oriri pronuntiat, quia Juramentum sine vi, & dolo liberè præstitum, quod non vergit in dispendium æternæ salutis, & detrimentum tertii est servandum, etiam si aliàs sit de pacto, vel re quam improbat jus Civile.

4 Itaque materia hujus Constitutionis est pactum à filia sine vi, aut dolo dum nuptui traditur cum patre initum, ut dote contenta, nullum in posterum habeat ad bona paterna regressum. At verò pactum à filia initum de non succedendo Patri improbatur à Civili jure, *l. Pactum dotale, C. de collat.* Ubi juris interpretes omnes, & præter eos, Butr. *reg.* 80. Afflict. *decis.* 350. Gozadin. *cons.* 75. *num.* 2. Anton. Gom. *l.* 22. *Tauri num.* 1. Menoch. *de success. creat.* §. 17. *num.* 47. & §. 18. *num.* 89. Seraphin. *de privileg. juram. priv.* 21. Cened. *Collect. ad sextum* 10. *n.* 1. Sicut etiam reprobat pactum de succedendo, quando quis promittit alteri se eum hæredem instituturum, Anchar. hîc *nu.* 2. Butr. *num.* 6. Barbos. *n.* 3. Covar. *in repetitione hujus cap. par.* 2. *in princ. num.* 3. Gomez *d. l.* 22. *à num.* 17. Menoch. *d.* §. 18. *à num.* 191.

5 Nihilominus decernitur in hac decretali, quod pactum filiæ dotatæ de non succedendo patri valet, si fuerit juramento firmatum. Et sic habetur ea textu, quod pactum juramento firmatum, si non sit in dispendium salutis æternæ, & detrimentum alterius valet, licèt alias sit pactum à jure Civili reprobatum. Verum ut videatur, an & quando hoc sit verum, distinguendi sunt quatuor casus cum Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 6. Dom. *num.* 8. Franc. *n.* 6. Potest enim fieri pactum de succedendo, & de non succedendo, & de hæreditate certo modo dividenda, & de successione conservanda.

6 Primus ergo casus est, si fiat pactum de succedendo, & hoc modo pactum non valet, imò reprobatum est tanquam contra bonos mores existens, nimirum tanquam inducens votum captandæ mortis, *ut in l. fin. C. de pactis, & not. in l. stipulatio, ff. de verb. oblig.* Addit verò Franc. *d. num.* 6. quod hujusmodi pactum in vim pacti non valeret etiam in milite, sed benè favore militis tale pactum disgreditur ad speciem ultimæ voluntatis, sed in alio nullo modo valeret, ut ex text. *in l. licet, C. de pact.* Ex quo tamen infertur, quod si tale pactum fiat favore piæ causæ tale pactum interpretatur; & accipitur protestatio, ut valeat ad pias causas, *arg. d. l. licet*, secundùm Bart. *in l. fin. C. de pact.* & Bald. ibi *in* 3. *quæst.*

7 De hoc ergo pacto de succedendo dicunt DD. præfati, quod non firmatur juramento, quando est contra jus civile; quia à jure civili est reprobatum tanquam sit contra bonos mores, & ideò juramento firmari non potest, cùm juramentum non sit vinculum inobedientiæ, & transgressionis legis ad mores bonos fovendos, & conservandos institutæ. Nam & tale juramentum esset in dispendium æternæ salutis, tanquam judicem ad votum captandæ mortis. Sed de his vide dicta *inf. n.* 36.

8 Secundus casus est, si fiat pactum de non succedendo, & hic est casus nostræ Decretalis, & nihilominus tale pactum à jure civili non est reprobatum, quia sit contra bonos mores, ut notat Dom. *num.* 9. sed propter rigorem juris, ne quis pro modico, aut nullo renuntiet juri suo, *arg.* §. *fin. instit. de his, qui sunt sui, vel alieni juris.* Quod tamen Franc. limitat.

9 Primò in Patre, qui aliquid in pretium emancipationis filii recepit, & fecit pactum de non succedendo filio emancipato; punitur enim talis pater, ut pactum sic initum valeat, ut notat Gloss. *hic in v. jure civili*

10 Secundò limitatur, si datum fuisset tantum quantum quis haberet, si succederet. Nam & in hoc casu valeret pactum, ut videtur velle Bartol. *in d. l. fin. per text.* secundùm unum intellectum *in l.* 1. §. *si parens, ff. d. si quis à paren. fuerit manc.*

11 Tertiò limitat ex Angel. *in d. l. stipulatio*, nisi tantum datum esset in vita, quantum sufficeret pro legitima. Nam in hoc casu, valeret pactum de non succedendo; sed filius non posset agere ad augmentum legitimæ, si patris patrimonium cresceret, quia & potuisset diminui. Sed tamen instat Franc. quia contrarium tenet Bald. *in l. Pactum, quod dotali, ff. de pactis*, quia est contrarium, *l. si quando* §. *illud, & l. Cum quæritur, C. de inoff. testamen. & contra d. l. Pactum, C. de coll. & contra textum hujus decret.* in qua non obstante quod filia receperit à patre dotem, quæ succedit loco legitimæ, *l. Quoniam novella C. de inoff. testam.* nihilominus ad hoc, ut hoc pactum valeat, requiritur juramentum. Pactum ergo hoc ex se non valet, ut voluit etiam Imol. *in d. l. stipul.*

12 In hoc igitur casu secundò, dum sit pactum de non succedendo, etiam si pactum sit improbatum à jure civili, si non sit initum vi, vel fraude, firmatur juramento. Hoc autem videtur difficilè. Primò quia pactum à jure civili irritatum est ab eodem jure prohibitum; juramentum igitur adjectum tali pacto habet pro materia pactum justa lege prohibitum, & sic fovet justæ legis inobedientiam, & peccatum, *cap.* 1. *de majorit. & obed.* Hoc verò repugnat juramento, & validitati illius.

13 Sed ad hanc primam objectionem respondet Butr. *num.* 1. quod pactum de non succedendo non est funditus prohibitum, sed solum respectivè ad favorem personæ. Idem verò Butr. *num.* 5. post Anchar. existimat, quod per hunc textum correctum sit jus civile. Et sic cessat ratio prohibitionis, & inobedientiæ; aliàs verò pactum secundùm se non est prohibitum. Sed Domin. *num.* 12. & Franc. *num.* 8. dicunt, quod per hunc textum non est correctum jus civile, quia jus civile non disponit directè, quod hujusmodi pactum non valeat, si firmetur juramento, sed quod præcisè ratione sui non valeat, quod non improbat jus canonicum, sed admittit: Solvitur igitur illa objectio dicendo, quod lex ista non statuit aliquid, quod sit contra legem, sive hoc sit verum, quia legem civilem corrigat, & sic lex illa amplius non obliget, si pactum firmetur juramento, sive, (quod melius dicitur) lex ista civilem explicet hunc casum non comprehendi à lege civili.

14 In hoc ergo casu pactum de non succedendo juramento fir-

firmatur, Silvest. *v. pactum num.* 11. Et in hoc casu jus canonicum prævalet civili, si dicamus, quod illud corrigit, in quo sensu dixit Glossa à Franc. relata, quod de jure civili pactum hoc non valeret firmatum juramento; unde in quocumque loco etiam in territ Imperii, ut fatetur etiam idem Franc. dispositio hujus textus servari debet, Gutier. *hic in v. Improbe n.* 4. Franc. *n.* 7. Imol. *de ritu nupt. l.* 3. *q. ult. nu.* 48. quos sequitur Barbosa *hic n.* 29.

15 Et ampliatur regula, ut procedat etiam ut soror hoc modo dotata, possit ex pacto renuntiare fratri, vel cuicumq; alio consanguineo hæreditatem paternam validè, si pactum firmet juramento; quia regula textus ex terminis est universalis concurrentibus conditionibus textus, scilicet, quod pactum non sit in dispendium salutis æternæ, & in detrimentum tertii, & juramentum præstetur sine vi & dolo. Unde hic non est extensio legis de casu ad casum, sed comprehensio casus particularis ex lege universali, Franc. *n.* 1. Barbosa *n.* 9. post Bald. *in Auth. Sacramenta puberum nu.* 14. *C. si advers. vend. & in l. si pactum dotali*, ubi Dec. *col.* 2. *vers. & Covarr. part.* 3. *n.* 6. *in princip.* Roman. *in l. fin. n.* 55. *C. de pact.* Surd. *cons.* 355. *n.* 9. Rota in Ferrarien. prætensæ legitimæ 12. Januarii 1626. coram Buratto, & in Ferrarien. bonorum 21. Aprilis 1627. coram Merlino, & alios Fermos. *cap. Cum contingat q.* 10. *n.* 11. *de for. compet.*

16 Ampliatur secundò, ut quod dicitur de filia, verificetur etiam in filio, & sic quod pactum à filio initum cum Patre, vel à nepote cum avo, vel ab alio quocumque simili, si dotem, vel legitimam suscipiat, firmatur juramento; semper enim vis habet religio juramenti, & militat ratio facta: Textus enim in exemplum similium induxit casum filiæ, & pacti ab ea initi cum Patre, Franc. *n.* 1. & 11. & DD. suprà citati.

17 Ampliatur tertiò, ut regula sit vera, etiam si pactum de non succedendo fiat Patri vel ante, vel post matrimonium, quia semper militat eadem universalis comprehensio, & valet consequentia approbata ab hac lege, ut debeat servari, quod servari potest justè, si sit juramentu firmatum, Domin. *n.* 3. Franc. *nu.* 1. Barbosa *nu.* 11. Natt. *in rep. hujus textus n.* 15. Covarr. *hic part.* 3. §. 2. *num.* 1. Joan. Mon. *in princ.* Surd. *cons.* 355. *art.* 9. Rota in d. Ferrarien. bonorum, coram Merlino, Silvest. *v. pactum num.* 15. Fermos. *dict. quæst.* 10. *num.* 11.

18 Ampliatur quartò ab aliquibus, ut regula vera sit, etiam si filia dotem non receperit à patre. Oppositum tamen sentiunt Ancharan. & Butr. *n.* 3. Sed positam ampliationem docent ex Imola, Domin. *n.* 12. Franc. *n.* 8. Barbosa *n.* 10. 12. Covarr. *part.* 3. §. 2. *num.* 6. Menoch. *de succeff. l.* 2. §. 18. *nu.* 103. & 104. Gabriel *conclus. tom. tit. de jure dot. conclus.* 1. *numer.* 14. Rota in d. Ferrarien. legitimæ coram Buratto, & Ferrarien. bonorum coram Merlino, Silvest. *v. Pactum num.* 15. Fermos. *in cap. Cum contingat quæst.* 3. *num.* 8. *de jurejur.* Militat enim semper religio juramenti. Et eo magis, quod licèt non desint, qui teneant, quod renuntiatio successionis sit renuntiatio legitimæ, quos refert, & sequitur Fermos. *cap. Cum contingat quæst.* 2. *num.* 2. *de jurejur.* Nihilominus contrarium verius judicatur. Et de alimentis quod non intelligantur renuntiata ex vi renuntiæ successionis, tenet idem Fermos. *n.* 4. Dicunt igitur quod ex quo filia renuntiet successioni in bonis paternis, non per hoc renuntiat vel alimentis, vel legitimæ, vel doti, *ut in l. si quando.* §. *illud,* & §. *generaliter, C. de inoff. testam.* Nam & filia exclusa à successione non intelligitur exclusa à dote per Bald. *in d. l. fin. C. de pactis*, & poterit petere supplementum congruæ dotis per Cyn. *in l. si non mortis, C. de inoff. testam.* & Franc. *d. n.* 8. & legitimæ, Silvest. *v. pactum num.* 1. De quo videndi sunt DD. quos cumulat Barbosa *num.* 6. Unde non potest dici, quod hujusmodi pactum sit contra bonos mores, quia sit renuntiatio dotis, aut alimentorum vel legitimæ. Imò si fiat intuitu Religionis ab ea, quæ vult ingredi monasterium, valet pactum etiam renuntiata dote, & alimentis, & legitima. Hoc tamen pactum non valet, nisi sequuta professione, ut disponit Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* .... *de reg.* Sed in hac controversia ego dicerem attendi debere circumstantias actus. Nam si omnibus pensatis pactum in hoc casu censeri debet contra bonos mores non firmatur juramento. Sed si pactum juratum impleri potest sine periculo animæ, & detrimento alterius, servari debet.

19 Ampliatur quintò, ut in hoc casu pactum de non succedendo juramento firmatum obliget etiam in vim pacti, & non tantum in vim juramenti; quia pactum ipsum juramento impeditur ne fiat invalidum, Gloss. *in ver. Servari*, Domin. *n.* .. Franc. *n.* 3.

20 Ampliatur propterea sextò, ut pacti sic jurati obligatio transeat ad hæredem. Neque enim obstat, quod juramentum sit personale, & non transeat ad hæredes, *ut in cap. veritatis*, & ibi per DD. *de jurejur.* Quia ad summum hoc non probat, nisi quod hæres non teneatur ex vi juramenti, & quod non est perjurus, si non servat pactum. Tamen robur contractus transit ad hæredem, & illum obligat, sicut defunctum, & ita tenent hic Gloss. *in ver. detrimentum*, Joan. Mon. Archidiac. Joan. Andr. Domin. *n.* 4. Franc. *n.* 13.

21 Ampliatur septimò, ut pactum hujusmodi de non succedendo factum à filia possit nocere ejus filiis, ac nepotibus. In hoc verò plures casus DD. distinguunt. Nam vel filia moritur vivente patre, vel post mortem patris. Si vivente patre, sic pactum filiæ propriis ejus filiis, & Patris nepotibus non nocet. Quia ad hæreditatem patris illorum avi ipsi veniunt ex propria eorum persona, & legis beneficio intrant in locum matris. Ita ex *l. Gallus in princ. ff. de lib. & posth. & l.* 1. *C. de succ. ita quod edict.* & tale beneficium legis non potuit eis auferri per matrem, *ut leg. Arrog. ff. de adept.* docet Franc. *n.* 14. Bald. *in l. pactum, quod dotali, ff. in* 2. *quæst. ff. de pactis*, & Imol. *in d. l. Qui superstitis, ff. de acquir. hæred.* sed Ludovic. *d. l. Qui superstites*, ait hoc esse verum etiam si mater habuit dotem, & dixit esse contentam, & juravit quia in hoc casu filii, seu nepotes excluduntur. Cujus tamen contrarium voluit Imola *in d. l. superstites*. Sed Franc. vult, quod attendatur notata *in l. Illam, C. de coll.* ubi tractatur an dos data filiæ imputetur in legitimam nepotis. Sed si filia non moritur ante Patrem, tunc si ejus filii ad avi hæreditatem veniunt ex propria persona, pactum matris eis non nocet, quia factum unius personæ non potest tollere jus alterius, *ut ex l. si unus,* §. *ante omnia, ff. de pact.* tradunt Bart. *in d. l. Qui superstites*, & ibi Imol. Franc. *hic n.* 4. Fermos. *cap. Cum contingat quæst.* 4. *num.* 19. *de jurejur.* Sed si filii volunt venire ad hæreditatem avi ex persona matris, qui volunt succedere unà cum avunculis, aut patruis, pactum matris illi nocere, docent Imol. loco citato, & ex eo Franc. *d. num.* 14. Cùm verò Bald. *in d. l. fin. & d. l. Pactum, &c.* distinguat inter pactum, & renuntiationem simplicem, & velit pactum in hoc casu nocere filiis, Franc. ait cogitandum esse, & addit omnia prædicta procedere, nisi filius velit venire, ut hæres matris, & mater ipsa promisisset non venire contrà per se, & suos hæredes, quia tunc omni casu excluderetur, ex quo robur contractus transit ad hæredem.

22 Imò addit Franc. *num.* 15. ex Gloss. quod licèt donatio facta per aliquem revocetur ex supervenientia filiorum, & licèt pactum de non succedendo quatenus est gratuitum sit quædam donatio, hujusmodi pactum nihilominus ad favorem Patris, vel fratris factum non revocatur, quia ex quo mulier dote est contenta censetur factum cum recordatione liberorum. Et ita hanc partem tenuerunt quamplures, quos refert, & sequitur Fermos. *cap. Cum contingat q.* 1. *n.* 9. *de jurejur.*

23 Ampliatur octavò, ut servandum sit pactum, & habendum validum, etiam si filia jurans aliter non sit certiorata de præjudicio, quod possit sibi imminere. Præsumitur enim habere notitiam illius quantam sit necessariam, Archidiac. Joan. Andr. Domin. *n.* 5. Butr. *n.* 8. Franc. *n.* 5. Silvest. *ver. Pactum num.* 15. Fermos. *cap. Cum contingat quæst.* 8. *num.* 23. *de jurejur*, quia textus hic indistinctè loquitur, ut notat Jo. Andr.

24 Ampliatur propterea nonò, quia ut notat Franc. *num.* 25. pactum hoc à filia servari debet sive illa sit major 25. annis, sive minor, cùm imò textus hic verisimilius loquatur de muliere minore 25. annis, quia ante 25. annum regulariter mulieres nuptui traduntur. Et cùm textus indistinctè loquatur, & non faciat differentiam an dos sit magna, vel parva, & an filia sit graviter læsa, vel non, sic in omnibus istis, & similibus casibus pactum tenet, & obligat juramentum.

25 Ampliatur decimò, ut pactum hoc, & juramentum omninò servari debeat, etiam si aliundè mulieri renuntianti consuli non possit, ut ex Archidiac. & Joan. Andr. notat Franc. *num.* 3. *not.* 6. Unde cogitur servare juramentum in tantum, quod ex Imol. dixit hic, Domin. *num.* 4. &

Sil-

Silvest. *v. pactum num.* 15. quod mulier non poterit petere absolutionem à juramento. Hoc enim probat dictio *Omnino* posita in textu, quæ idem significat, quod ipso jure sine ope exceptionis, ut per Gloss. *in cap. fin. suprà de off. deleg. in hoc* 6. Item importat, ut nullo modo possit dispensari in contrarium, ut per Gloss. *in simili, in v. nullo modo, in Clement. Vt hi, qui de ætat. & qual.* & tenet Joan. Andr. *sup. in cap. Cum ex eo de elect. in hoc lib.* quem refert, & sequitur Franc. *d. n.* 3.

26 Et licèt videatur hoc limitandum in casu, in quo mulier minor 25. annis fuerit enormiter læsa, sicut tenent multi Doctores *in cap. Cum contingat de jurejur. & in auth. Sacramenta, C. si advers. vendit.* Nihilominus in casu nostro considerato, quod mulier etiam si minor non debet aliundè certiorari de præjudicio, quod potest sequi ex pacto jurato & ex consequenti, quod per se in casu nostro non debet præsumi dolus, qui volenti, & scienti non infertur, *cap. Volenti in fin. de reg. jur.* dicendum videtur, quod de mente hujus textus non potest peti absolutio à juramento à minori, nec etiam in casu enormis læsionis, ut hic habet Archid. & ex Imola, D. *n.* 4. & Franc. *n.* 5. Quod eo magis procedit si minor juramento renuntiasset exceptioni læsionis enormis, & enormissimæ, si tamen renuntiasset enormi, & non enormissimæ in casu enormioris, & enormissimæ petere posset absolutionem. Unde ut notat Panormitanus *in cap. Cum contingat de jurejur.* consideranda essent verba jurantis. Nihilominus quod in casu enormis læsionis mulier præsumatur decepta, & ignorasse valorem patrimonii, & ideò possit contravenire contractui, dixit Barbosa plures allegans *n.* 7. Sed tamen *n.* 8. subdit, quod hæc mulier ex vi juramenti non potest impugnare renuntiationem ratione læsionis etiam enormissimæ, præsertim si aliundè fuit competenter dotata. Ego puto in his consideranda esse verba contractus, seu pacti, & circumstantias; nam alias per se filia non potest præsumi decepta ex eo, quod sit enormiter læsa, sed potius præsumi poterit vis aliqua.

27 Ad rem tamen magis explicandam nonnulla sunt declaranda. Nam primò circa hujusmodi pacti materiam, dicunt multi, quod si mulier ineat pactum, per quod renuntiet alimentis, hoc pactum tamquam contra bonos mores existens non est materia juramenti, & ideò juramento non firmatur, *cap. Cum quidam* 12. *de jurejur.* Franc. *numer.* 8. & 9. Sic nec potest ex pacto renuntiare dotis juri, quia dos succedit loco alimentorum, & legitimæ, & dicitur proprium patrimonium uxoris, *l.* 3. §. *sed utrum, ff. de minor.* Nam alias sine dote non inveniret, cui nuberet, quod esset contra publicam utilitatem, *ut l.* 1. *ff. sol. matrim.* Item nec haberet, unde se aleret. Pariter nec potest vivente patre, & matre renuntiare juri legitimæ, quæ succedit loco alimentorum, *l. si quando*, §. *Illud, C. de inoff. test.* Jus enim quod habet filia ad alimenta, & ex consequenti ad dotem, & ad legitimam non est jus privatum ordinatum in privatam utilitatem, cui possit unusquisque renuntiare, sed est jus in naturali lege fundatum ad publicam totius universi utilitatem, & ideò non potest filia illi renuntiare. Imò si filia dotem recipit non tamen plenam respectu sui status, & conditionis, licèt ipsa dixerit se esse contentam, & juraverit aliud non petere, non impeditur à juramento quominus possit petere supplementum, nisi expressè renuntietur legitimæ, vel expressè dicatur, quod tale supplementum non possit peti, *ut in d. l. si quando*, §. *Illud, &* §. *generaliter, C. de inoff. testam.* Franc. *n.* 8.

28 Secundò ex parte filiæ ineuntis pactum, consideratur, quod in textu est sermo de filia pubere, Silvest. *v. Pactum n.* 15. Nam alias, quod pactum juramentum impuberis firmatum non obligaret, hìc notant Gloss. *in ver. servari*, Ancharanus *n.* 2. qui excipit, nisi filia quoad ætatem impubes esset jam doli capax, ut etiam advertit Franc. *num.* 11. *in fin.* post Hostien. *in cap. Cum contingat de jurejur.* Verum dicendum est, quod aliud est, quod impuberis juramentum sicut & votum sit dispensabile, aliud est quod non sit validum, & quod non obliget. Nam impubes habens jam rationis usum, ut peccare possit, & se Diabolo obligare, habet etiam unde per juramentum, aut votum se obliget Deo. Et ideò impuberum juramenta tenent, licèt faciliùs cum illis dispensetur, & aliquando etiam faciliùs præsumi possit impuberem non habuisse tantum rationis usum, quantum pro conditione materiæ esset necessarius. De votis impuberum plura dixi *tom.* 3. *de statib. q.* 189. *art.* 5. *à n.* 4.

Tertiò ex modo jurandi potest hoc pactum esse irritum 29 si filia vi, vel dolo inducta pactum firmaverit, disputantes an irritet juramentum. Multa verò habent Doctores, ut hìc apud Barbosam *n.* 14. de metu reverentiali, quæ nullam habent, vel habere possunt difficultatem, cùm reverentia filii ad patrem sit actus virtutis pietatis, virtus verò voluntarium non minuit, sed auget; cùm in hoc perfectio nostræ libertatis consistat, ut nos ex virtute operemur. Videndum igitur est an reverentiæ timor servilis misceatur, scilicet, timor alicujus mali injustè imminentis, quod quidem sæpissimè evenit, & ex eo judicandum est, an actus sit coactus, vel vi extortus. Nam alias ubi non adsit in filia nisi metus reverentialis purus, qui nec propriè est metus, sed pia reverentia, & filialis affectus, non irritatur aliquo modo juramentum ex eo promanans, sed ex hoc ille actus est, actus maximè honestus, laudabilis, & liber.

At loquendo de juramento metu servili extorto, quod 30 in conscientia obliget probant D. Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad tertium, &* 97. *art.* 3. *ad primum*, Cajet. *d. quæst.* 89. *art.* 7. *ad tertium*, Durand. *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 2. & alii ibi Silvest. *in v. Iuramentum* 3. *num.* 7. Covarr. *in cap.* 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 5. *num.* Navarr. *cap.* 12. *num.* 14. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 10. & ejus expositores, Silvest. *v. Iuramentum* 4. *num.* 7. In præsenti verò hoc nobis sufficere debet, quod pactum firmatum juramento extorto metu gravi excipitur à regula nostri textus. Et quidem quod quando juramentum cadit suprà actum alias à lege prohibitum, & est metu extortum, sit ipso jure nullum sine aliqua absolutione, ex Panormit. *in cap. Cum contingat de jurejur.* tradit hìc Franc. *n.* 11. Sed dicendum est casum hunc relictum fuisse juri communi judicandum in foro conscientiæ coram Deo ex intentione jurantis, & in foro externo ex præsumptionibus, ex quibus Ecclesia præsumat filiam voluisse se obligare. Nam alias metus ex natura rei non irritat contractus, & juramenta. Ideò Joan. Mon. hìc tenet, quod hoc juramentum obliget, sed possit peti ejus absolutio. Et hoc tutius esse judicat Archid. *n.* 1. Quod tenent etiam Sanchez *in Decal. in l.* 3. *cap.* 12. *à num.* 19. & *l.* 4. *de matrim. disput.* 20. *num.* 4. Tuscus *v. Absolutio conclus.* 58. Farinac. *frag. Crim. v. Iuramentum num.* 1278. Quidquid contrarium senserit Barbos. *n.* 13. & alii ab eo relati. Nam juramentum metu extortum ex simpliciter voluntarium, D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. & ideò substantialiter validum. Et qui verbis jurat præsumitur verè jurare, & se obligare. Et ideò indiget dispensatione in facie Ecclesiæ, ut non servet juramentum. Vide si tibi placet amice lector, quæ de hoc dixi *tract. de elect. cap.* 4.

Fraus verò aut dolus involuntarium simpliciter causant, 31 & actum irritum reddunt. Et si filia hæc fraude, aut dolo circumventa pactum de non succedendo firmavit juramento, & pactum nullum est, & juramentum non obligat, sed difficile est in pacto inito à filia cum patre, vel à sorore cum fratre, fraudem præsumere, ac dolum. Nam & filia quæ jam nuptui traditur doli capax præsumitur; & paternus amor, aut fraternus affectus per se præsumptionem fraudis, & doli excludunt.

Quartò etiam attendi debet ad favorem cujùs fiat pa- 32 ctum, quando filia ex pacto renuntiat hæreditati paternæ, vel maternæ. Nam si hoc fiat vivente patre, aut matre ad favorem fratris v. g. ipsis non consentientibus, pactum non valet, quia super hæreditate viventis non potest paciscì, *l. fin. C. de pactis*, Domin. *num.* 13. Franc. *num.* 11. Barbosa *num.* 10. Rota in Ferrarien. bonorum 21. Aprilis 1627. coram Merlin. Silvest. *v. Pactum in fin.* Sed an possit firmari juramento, quia sit contra bonos mores, negat Domin. *n.* 13. sed Franc. *n.* 11. de hoc dubitat. Et hoc benè advertit, quo si hoc pactum non sit contra bonos mores comprehenditur sub dispositione hujus textus, in quo narrativè sermo est de filia, quæ nuptui tradita paciscitur de non succedendo patri, sed dispositivè de omni pacto, quod possit servari sine dispendio salutis, & detrimento tertii decernitur, quod si sit juratum servari debet. In casu tamen in quo viventis patris consensus adsit, pactum valet durante patris consensu. Sicuti valet, si fiat post mortem patris, & universaliter si fiat post mortem illius, de cujus hæreditate agitur.

Quintò considerari etiam debet, quid efficiat hoc pa- 33 ctum validum, quia juramento firmatum, non enim excluditur successio in bonis paternis, si pater id disponat per testa-

testamentum, aut donationem, sed excludit successionem habendam contra voluntatem patris. Nam pater filiæ aliquid donans, vel ex testamento relinquens remittit pactum, & juramentum ad sui favorem præstitum, *cap. 1. suprà de jure jur. & cap. 2. suprà de sponf.* Imò quod non valeret pactum juramento firmatum de non succedendo patri ex testamento, quia tolleret libertatem testantis, & esset contra bonos mores, dicunt Domin. & Franc. *num. 10. ex l. stipulatio, ff. de verb. obligat.* Bald. *in d. l. Pactum quæst. 3. C. de coll. & in l. fin. C. de pactis*, Imol. *in l. Qui superstitis, ff. de acquir. hæred.* Sed tunc habet locum pactum, & textus noster, quando pater mortuus fuerit facto testamento ad favorem aliorum, vel etiam si mortuus fuerit ab intestato, Domin. *hic in fin.* Franc. *num. 10.* sed Silvest. *v. Pactum n. 11.* hoc reprobat, & tenet præfactum pactum posse firmari juramento, eo quod sit solum contra bonos mores civiles, non verò contra bonos mores naturales, nimirum contra virtutem, & æquitatem.

34 Imò si post pactum, & renuntiationem decedat illa persona, cujus contemplatione pater fecit filiam renuntiare, ut si mortui fuerint omnes filii masculi, vel alii proximiores consanguinei, ad quos pater tempore renuntiationis volebat bona sua pervenire, si tunc pater decedat intestatus, poterit filia succedere non obstante pacto, & juramento, tamquam cessante causa renuntiationis, & ideò non debet nocere, Domin. *in fin.* Franc. *num. 10.* post Bald. *in l. Pactum quæst. 4. C. de coll.* Salicet. *in l. Pactum, C. de pact.* Imol. *in l. Qui superstitis, ff. de acqu. hæred.* & facit *fin. infrà de hæred. inst. int.* Et quamvis Ang. *cons. 54.* oppositum sentiens dixerit sufficere si supersint alii descendentes masculi, licèt proximiores defecerint. Nihilominus hoc rejicit Franc. *ex l. si actionem, C. de pactis*, ubi renuntiatio & pactum contemplatione certæ personæ initum non prodest aliis personis, nec nocet quoad alias personas, ibi per Bald. Et ad id Franc. adducit aliam doctrinam Bald. *in tit. de success. feud. §. Filia*, dicentis quod si pater stipulat pro se, & hæredibus intelligitur de filiis secundùm subjectam materiam *arg. l. Ex facto, §. si ad trebell. & in l. penult. de usu, & hab.* De quo videatur Rota *decis. 133. aliàs 178. in ant.* Videri etiam possunt, quæ in simili probavi *tom. 3. de statib. q. 189. art. 10. n. 197. & seqq.*

35 Verùm quia veritas hujusmodi nunc est valdè inter Doctores controversa, & non tam ob renuntiationes, & pacta inita à filiabus ex causa dotis, quàm ob renuntiationes, & pacta, quæ faciunt Religiosi ex causa professionis religiosæ, ideò ipsa uberius tractari, & fortiùs probari debet.

36 Iterùm igitur dicitur, quod sub bonorum, & hæreditatum renuntiatione, seu sub quocumque pacto de non succedendo, etiamsi hujusmodi renuntiatio, aut pactum factum sit cum clausulis, & verbis ut dicunt, effrænatis, & maximè prægnantibus, & universalissimis, & etiam si expressè renuntiatum sit hæredibus ex testamento, & ab intestato; nihilominus sub hujusmodi renuntiatione, aut pacto, non comprehenditur hæreditas ultimi renuntiatarii decedentis sive cum testamento ad favorem renuntiantis, sive ab intestato, & propterea adjungitur, quod renuntians in simili casu succedit ultimo renuntiatario in bonis renuntiatis.

37 Probatur ergo primò ex iis, quæ habet Rota in Marsicana successionis 4. Februarii 1665. coram R. P. D. Emerix §. *Neque pariter*, ibi: Neque pariter ad excludendam Olympiam ab hujusmodi successione obstare visa fuit prætensa renuntiatio, quamquam loquatur de hæredibus ab intestato devolvendis, quia ultra quod in toto instrumento nulla legitur facta mentio hæreditatis Constantii, cui propterea renuntiatum fuisse non præsumitur, ex quo in hac materia, ut odiosa, strictissima fieri debet interpretatio, Honded. *cons. 29. num. 107. lib. 1.* Decian. *cons. 19. num. 46. lib. 3.* Surd. *cons. 432. num. 32. & seqq.* sæpè Rota, & signanter in Romana successionis de Comitibus 15. Januarii 1642. coram bon. memor. Dunozetto; sicuti in dubio numquam præsumi renuntiatum hæreditati renuntiatarii, quia renuntiatio redderetur frustratoria, & inutilis, cùm unusquisque vivens de re sua disponere possit, ut in terminis renuntiationis firmat Cyriac. *controv. forens. 292. n. 21. vers. 2.* principaliter Rota *in recent. & decis. 543. n. 43. & 44. part. 5.* & in Romana fideicommissi 24. Martii 1662. §. *si renuntiatio* coram R.P.D. meo Taya.

38 Responsum fuit, quod etiamsi dicta renuntiatio intelligeretur de hæreditate Constantii renuntiatarii ab intestato deferenda; attamen solum locum habere posset si ipse vivens disposuisset, vel exstarent fratres, aliæque personæ, quarum contemplatione censetur facta renuntiatio, non autem, ut Olympia ab extraneis excludatur, ut declarando tradunt Donat. Anton. de Marin. *quotid. resolut. lib. 2. cap. 189. & seqq. lib. 2.* & in addit. ad Revertet. *decis. 581. per tot.* Franc. Roc. *respons. 48. n. 6. & seqq. lib. 2.* Cancer. *var. resol. lib. 3. cap. 15. n. 24. & seqq.* Honded. *cons. 29. n. 79. vol. 1.* & aliis relatis firmat Cyriac. *controv. forens. 475. num. 1. usque ad secundum.*

39 Ideòque benè comprobari visum fuit, tum ex verisimili mente utriusque contrahentis, ex quo alienum ab omni ratione videtur, Olympiam in casum obitus Constantii ab intestato, nullo proximiore existente, voluisse ejusdem hæreditati renuntiare, & vere vice Constantium renuntiatarium voluisse ab ejus hæreditate excludere Sororem renuntiantem propter remotiores, ut ponderavit Rota *in recent. d. decis. 543. à num. 73. usque ad 78. part. 5. tom. 2.* Tum etiam ex ventre Capitulorum matrimonialium, in quibus solum contemplatus fuit favor Constantii, vel eorum, in quos ipse voluisset disponere; Unde renuntiatio non debet operari ad favorem extraneorum, in quos renuntiatarius non disposuit, sed regulari ad formam Capitulorum, ut sæpè respondit Rota, sign. in Romana Casalis 4. Junii 1655. §. *Sed his minimè obstantibus*, coram R.P. D. meo Albergato, & in Bononien. fideicommissi 11. Februarii 1664. §. *A tenore*, coram R.P. D. meo Verospio; præsertim quia conventum fuit, ut renuntiatio fieri deberet ad formam Capitulorum substantia non mutata, ut habetur in iisdem Capitulis relatis *in Sum. Olympiæ n. 4.* Hæc Rota.

40 Propterea dicendum est, renuntiationem hæreditatum, etiam amplissimis, & universalissimis verbis conceptam, semper debere intelligi de hæreditatibus necessariis provenientibus, vel à fratribus, vel à quocumque alio, non tamen de hæreditate ultimi renuntiatarii. Cùm imò impossibile sit, quod renuntiatario renuntietur hæreditatis ejusdem, cùm viventis non detur hæreditas. Et eò magis quod omnis hujusmodi renuntiatio sit de se inutilis, & incapax effectus proprii; quia renuntiatarius, dum vivit, cùm bonorum renuntiatorum sit dominus, potest ex hoc de illis ad libitum disponere; at verò renuntiatarius post mortem non est capax uti bonis renuntiatis, ut firmat Bald. *cons. 437. lib. 1.* Sanleg. *q. civil. 142. n. 16. par. 3.* Altogr. *jur. controv. 26. n. 22. & controv. 27. n. 16.* & dixit Rot. *decis. 543. n. 23. & 24. part. 6.* & in Romana fideicommissi 24. Martii 1662. coram R.P.D. Taya.

41 Quod magis confirmatur, quia inverisimile prorsus, & valdè absurdum est imaginari mentem renuntiantis, & renuntiatarii fuisse, ut deficientibus omnibus personis contentis in renuntiatione, & sic deficiente ultimo renuntiatario absque testamento, renuntians ab hæreditate renuntiatarii debeat excludi ab extraneis, & ita quod etiam possit excludi à fisco, ut advertunt Bald. *d. cons. 437. n. 2. lib. 1.* Molfes. *ad consuetud. Neap. tit. de renuntiat. q. 17. n. 16.* Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 1. q. 5. n. 11.* & alii citati in dicta Marsicana citata §. *Responsum fuit.*

42 Et ratio communis renuntiantibus, & renuntiatariis convincit; quia nec Pater, nec frater, nec ullus umquam renuntiatarius requireret ab aliquo renuntiationem, seu potius repudiationem propriæ hæreditatis ante delationem ejusdem: sicut nullus renuntiaret, aut repudiaret hæreditatem non damnosam, nullo alicujus favore, & magno sui damno, & ejus de cujus hæreditate agitur, cùm tamen defunctorum intersit, ut habeant successores, *l. 6. ff. de interrogatoriis actionibus.* Et quidem transeat, si quis repudiet hæreditatem donationis causa, seu alterius favore, ut illi quæratur jus, ut in *§. si maritus heres, & seq. §. simili modo, ff. de donat. inter virum, &c.* Sed quod ex una parte, quis velit repudiationem legitimæ portionis de qua potest liberè disponere, sed ita ut nulli quæratur, quod renuntiat, seu quod alias sibi quæreretur, vel in incertum transeat, quod à se abdicat, & præcipuè in damnum Monasterii, quod ingreditur, aut est ingressurus, & contra Anthent. *Ingressi, C. de sacros. Ecclesiis*: Et ex alia parte, quod quis velit repudiationem propriæ suæ hæreditatis, ita ut vel nec ipse possit repudiantem hæredem instituere, vel nec repudians possit succedere, si ipse intestatus decedat, contra

tra proprium interesse, *& d.§.si maritus hæres, & seqq.* non sani esse hominis, non sanus juret Arestes.

Sed hæc veritas multò fortiùs comprobatur expendendo,
43 & rejiciendo fundamenta contrariæ opinionis. Distinguunt enim renuntiationem in realem, & personalem, illamque dicunt esse realem, per quam renuntians juri, quod habet, vel habere sperat, seu competenti, aut competituro renuntiat suis hæredibus, aut successoribus quibuscumque faciens pactum de non petendo per Aquilianam stipulationem in omnem casum super bonis paternis, maternis, & quibuscumque aliis de omnibus hæreditaribus devolutis, & devolvendis etiam ab intestato; Ita novissimè pluribus DD. citatis docet Onuphrius Donad. *tom.2. de renuntiat. cap.44.* cui subscribit Anton. Conciol. *alleg. for.31. num.5.* ubi *num.6.* quod realitas hujusmodi colligitur ex clausula *Ad habendum &c. & num.7.* ex clausula, *Dedit, cessit &c. omnes, & quascumque ratas partes quorumcumque bonorum, rerum, jurium &c. & num.8.* ex clausula *quæ bona, jura, & actiones cessas N. per pactum expressum voluit ad dictum O. ejusque heredes, & successores cessionarios spectare totaliter, libere, & pleno jure &c. & nu.9.* ex clausula *Promittens d. ejus voluntatem perpetuò servare &c. & nullo unquam tempore contrafacere &c. & num.10.* ex correspectivitate ad dotem, si renuntiatio fiat causa, & occasione matrimonii. Supposita verò hac distinctione, existimant, quod in renuntiatione reali renuntians se habeat omninò, ac si esset mortuus, & excludatur perpetuò à bonis renuntiaretur successioni unde liberi, unde agnati, & unde cognati, & quod renuntians sit prohibitus petere successionem ex quavis causa illi deferatur, & sit ablatus de medio, ac si esset mortuus, imò ac si numquam extitisset, & factus sit locus sequentibus in gradu per successorium edictum, exclusa à renuntiante omni spe succedendi, quæ non possit reviviscere; Ita Donad. *d. cap.24. n.27. & seq.* & Conciol. *d. alleg.31. n.1. & seqq.*

44 Hæc tamen distinctio quam pluribus displicuit, qui non bimembrem, sed trimembrem distinctionem faciunt, nimirum in renuntiationem personalem simpliciter, realem simpliciter, & mixtam. Eam verò mixtam dicunt, quæ licèt habeat requisita ad renuntiationem realem, tamen facta est favore certarum personarum, ut patris, matris, fratrum, agnatorum, &c. Hujusmodi enim renuntiatio deficientibus personis contemplatis transit in personalem, & realitas cessat, Molfes. *ad consuetud. Neapol. tit. de renuntiat. q.3. n.2. & qu.17. n.15. & 19. & cons.48. n.37. & 38.* Scipio Theod. *alleg.36. n.37.* Jo. Franc. Marian. *disp.8. num.8. & 14. & n.17. & 18.* Secundùm enim istos DD. realitas prodest quidem personis contemplatis, non tamen extraneis; unde renuntiantes deficientibus personis in renuntiatione contemplatis admitti debent ad successionem, etiam si renuntiatio aliàs sit realissima, Donad. *de renunt. tom.2. cap.7. n.30.* Donat. Anton. de Marin. *var. resol. lib.2. cap.189. n.24. & seqq.* Rot. coram Merlin. *decis.62. n.25.*

45 Verum distinctio ista non multum doctrinalis est, & vel non subsistit, vel non probat intentum à distinguentibus. Nam primò omnis renuntiatio ex parte materiæ, seu objecti sui, quod est res renuntiata, est realis, cùm omnis renuntiatio sit abdicatio dominii & juris, vel in re, vel ad rem, seu competentis, aut competituri. Renuntiatio enim est refutatio rei, vel juris proprii spontanea, ac libera, Hostien. *in summ. tit. de renuntiat.* Silvest. *v. renuntiatio num.1.* DD. *in cap. sup. hoc 5. de renuntiat.* Molfes. ubi suprà *n.2.* Donad. *de renuntiat. cap.1. num.17. tom.1.* Magis autem propriè dicitur, quod renuntiatio est libera, & spontanea privatio, qua quis à se abdicat, seu se privat re, vel jure proprio, Bald. *l. jubemus vers. Quartò, C. ad Vellejanum*, Salicet. Rip. *num.12.* & alii *in l.1. C. de pactis*, Cæsar de Afflict. *controv.24. num.3.* Itaque quando dividitur renuntiatio in realem, & personalem hæc divisio non potest intelligi, ut facta per membra omninò opposita, & disparata; sed imò necessariò dicendum est, quod omnis renuntiatio personalis sit realis, quia hoc est de essentia cujuscumque renuntiationis, ut sit privatio rei, aut juris realis. Imò renuntiatio realitatem habet nedum ex causa materiali, & objecto, sed ex omni causa, nimirum ex formali, quia ipsa est realis actio, per quam renuntians se privat proprio, ac reali jure: Ex effectiva, quæ est ipsa persona renuntians; & ex finali, quæ est, vel ingressus in Religionem, vel favor parentum, vel aliud simile.

Intelligenda igitur venit illa distinctio, ut sit sensus, quod renuntiationum una sit realis tantùm, altera nedum sit realis, sed simul personalis; sed in hoc sensu sola renuntiatio merè extinctiva est realis, & falsum est, quod ait Donad. *d. cap.44. tom.2. n.89.* scilicet, quod renuntiatio translativa dividatur in realem, & personalem, quia imò omnis renuntiatio translativa est personalis, cùm renuntians per eam, nedum à se abdicet dominium rei propriæ, sed illud transferat in alium. 46

Ideò multò melius Rota in Romana fideicommissi de Steccatis 15. Junii 1665. coram R.P.D. Bourlemont §. *Quia fuit*, diffinivit renuntiationem realem, & dixit, eam esse, per quam renuntians nulla habita consideratione, ad quas personas bona renuntiata perveniant, abdicat à se bonorum illorum dominium. Quod prius docuerat Rota in Romana prætensæ devolutionis die 13. Junii 1608. coram Manzanedo *decis.44. num.5.* apud Galerat. *de renuntiat. & decis.186. n.5. part.3. recent.* & coram Merlin. *decis.62. n.23.* Bald. Curt. jun. Aret. Gabr. Rip. Surd. Corb. Honded. & alii apud Rotas citatas. 47

Quamobrem in præfata decisione Romana fideicommissi de Steccatis 15. Junii 1665. benè deducitur, & dicitur ibi: Unde primò inferebant DD. quod quando sine veri præjudicio sub præfata renuntiatione dici debuisset comprehensum hoc fideicommissum, prout non comprehendi firmius putarunt, ut infrà, adhuc quia renuntiatio non fuit merè realis, & abdicativa, sed verius personalis, & translativa restricta ad favorem patris, vel ejus filiorum remansit propterea cum ipsis renuntiatariis extincta, nec potuit operari erga fideicommissarios extraneos, in quorum favorem præsumi non debet, renuntiatum voluisse disponere, & semel in concursu illorum excludere, ut in terminis longè fortioribus tradunt Honded. *cons.36. n.20. & cons.29. num.79. lib.1.* Donat. Anton. de Marin. *quotid. resolut. lib.2. cap.189. num.26. & seqq. lib.2.* Cancer. *var. resolut. lib.3. cap.15. num.24. & seqq.* Cyriac. *controv. forens.475. num.1. & seqq.* Altograd. *cons.41. num.77. cum seqq. & cons.43. n.55. cum pluribus seqq. lib.2.* Rot. *decis.543. num.13. usque ad 18. par.5. tom.2. recent. & decis.44. n.5. cum seqq.* apud Galerat. *de renuntiat.* & in Marsicen. Successionis 4. Februarii proximè citata, §. *Responsum fuit* coram Reverendiss. P. D. meo Emerix. 48

Non obstante, quod versemur in renuntiatione facta ob ingressum Monasterii, quæ semper præsumitur abdicativa, & realis, ut in decisione quæ revidetur §. *Eo fortius*. Quia ex renuntiationis contextu superius allato, præsertim, ibi: Animo revolvens ad Marcum Antonium ejus Patrem duobus filiis gravatum, & ibi: Ut commodius gradus suæ nobilitatis sustinere possit, & familiam sustentare, patet ingressum Religionis dedisse quidem occasionem renuntiandi, sed causam finalem renuntiationis fuisse patris, & familiæ decorem, & sustentationem, juxta dispositionem prævisi text. *in l. cum alimenta 22. §. qui fratris, ff. de alimen. & cibar. legat. & cons.* Bald. *106. num.3. lib.1.* & Rot. *decis.126. num.67. & seqq.* coram Merlin. & ideò quando etiam adessent verba omnimodam realitatem importantia, dum posteà restringitur finaliter ad favorem certarum personarum; licèt illis viventibus duret realitas renuntiationis, iis tamen defunctis expirat, & habetur ac si fuisset personalis, ut tradunt Menoch. *cons.706. num.41. vers. Respondetur*, Fusar. *de substitut. quæst.269. num.2.* & in Avenionen. fideicomm. 22. Aprilis 1652. coram Eminentiss. D. meo Celso penes Tondut. *quæst. civil. quæst.121 num.22. lib.2.* & in terminis renuntiationis similis factæ à Moniali, post Covar. tradit Donat. Anton. de Marin. *resol.190. num.6. cum seqq. lib.2.* Altograd. *d. cons.43. num.43. num.59. lib.2.* & Cyriac. *controv.475. per tot.* Rot. apud Merlin. *de legit. decis.48. n.18.*, & in fortioribus terminis *in decis.33. num.35. & seqq. & n.39. & seqq.* apud Galerat. *de renuntiat.* & in casu quo fuerat dictum, quod renuntiatio deberet esse perpetua, realis, & realissima, & omni tempore valitura, quia defecerant personæ, quarum favore emanaverat distinguendo pluribus adductis firmavit Rota in Marsicana successionis 4. Februarii proximè citata, §. *Hac denique*, coram R. P. D. meo Emerix. Hæc Rota. 49

Quæ benè perpensa probant assertionem suprà *num.46.* positam, scilicet, quod sola renuntiatio merè extinctiva possit dici realis, si reale opponitur personali; & è contra, quod omnis renuntiatio non purè extinctiva, sed facta ali- 50

aliqua, vel aliquibus personis contemplatis est propriè, & simpliciter personalis.

51 Colligitur quoque, quod in renuntiationibus, in quibus sunt contemplatæ personæ inaniter colligitur realitas excludens personalitatem renuntiationis ex solitis clausulis in renuntiatione positis. Ex illis enim colligitur quidem, vel quod renuntiatio sit universalis respectu bonorum renuntiatorum, vel etiam ea parte alicuius generis personarum ad cujus favorem fit renuntiatio; vel quod renuntiatio sit pro tempore perpetua, durantibus personis in ea contemplatis; vel quod in personas contemplatas realiter, & cum effectu translatum sit dominium bonorum renuntiatorum; sed numquam colligitur, quod renuntiatio non sit personalis, etiam simpliciter loquendo; quia imò renuntiatio translativa, in quantum translativa, est simpliciter personalis, cùm translatio juris directè intenta respiciat per se primò favorem personalem earum personarum, ad cujus favorem fit.

52 Et præcipuè quod clausula ista, *Ita ut præsens renuntiatio, & donatio intelligatur, & sit efficax, perpetua, realis, & realissima, & omni tempore valitura*, non obstet, nec tollat personalitatem ostendit Rota in dicta Marsicana ibi: Nec denique ex illis verbis in instrumento renuntiationis appositis, ibi: *Ita ut &c.* colligi posse videbatur realitas renuntiationis, ita ut Olympia deberet perpetuo remanere exclusa ab hæreditate Constantii, ac si esset mortua, ut ea Alex. Ruin. Menoch. & aliis, dixit Rot. coram Merlin. *decis.* 62. *num.* 11. Quoniam placuit distinctio, nempè quod dicta verba faciunt quidem renuntiationem realem, sed ista realitas non durat perpetuò, sed extinguitur unà cum personis in renuntiatione contemplatis, & ad personalitatem reddit, ut benè tradunt Joan. Franc. Marcian. *disp.* 8. *num.* 15. & 18. *lib.* 1. Donad. *tom.* 1. *de renuntiat. cap.* 7. *num.* 33. Molfes. *de consuet. Neap. tit. de renuntiat. quæst.* 3. *num.* 21. & *quæst.* 17. *num.* 15. & 16. & *cons.* 48. *num.* 37. & 38. Scip. Theod. *alleg.* 36. *num.* 31. Franc. Rocch. *resp.* 48. *numer.* 7. *lib.* 2. *cap.* 189. *per tot.* ubi contrarius respondet, & in addit. ad Revertet. *d. decis.* 387. *per tot.* præsertim in fine. Nec Rota in prædicta Marsicana.

53 A cujus sensu & intentione non recedendo, formalius ex prædictis dicitur, quod præfata clausula admittit realitatem renuntiationis, quia omnis renuntiatio est realis, sed hæc realitas non excludit personalitatem, quia genus non excludit speciem, sed per differentiam contrahitur & specificatur, sicut renuntiatio ex contemplatione personarum specificatur, & realitas contrahitur ad personalitatem, ita ut renuntiatio hæc realis sit simpliciter personalis. Unde nec propriè datur renuntiatio mixta ex realitate & personalitate, quia species non est quid mixtum ex genere, & differentia, sed quid constitutum ex illis; & sic omnis renuntiatio, vel est merè realis, si sit merè extinctiva, vel est simpliciter personalis, si est facta contemplata persona. Quibus conformia sunt, quæ habuit Rota in Romana fideicommissi de Steccatis die 15. Junii 1665. in §. *Quia ex*, suprà posita. Et similia pariter habet Rota in eadem causa in alta decisione habita die 4. Februarii 1667. coram eodem R. P. D. Bourlemont, in qua stetit in decisis antea 15. Junii 1655.

54 Omnis igitur renuntiatio translativa, ut translativa est personalis, quia habet pro causa finali favorem personæ, in quam transfertur dominium, & realitas abdicationis dominii pendet ab intentione favoris personalis; & sic ei in universum competunt conditiones personalis renuntiationis, nimirum primò, ut non se extendat nisi ad personas contemplatas, Bartol. *in l. qui Romæ*, §. *duo fratres*, *num.* 24.

55 Secundò, quod hoc idem sequitur non obstante Aquiliana stipulatione, DD. in *l.* 1. *C. quand. non peten. &c.* Gabr. *cons.* 99. *n.* 12. & *seqq. lib.* 1. *reg.* Revert. *decis.* 39. *lib.* 1. Nec aliud clausulæ amplissimæ operantur, cùm semper respiciant personas contemplatas, & per eas limitentur, Reg. de Ponte *cons.* 39. & *cons.* 40. *lib.* 1. Molfes. ubi suprà q. 3. *n.* 15. Alex. *cons.* 29. *n.* 5. *lib.* 3. Marant. *disp.* 10. *n.* 5. Kellebena *de renunt. qu.* 39. *n.* 1. 2. & 19. Sanchez *in Decal. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 17. & 19. Donad. *d. cap.* 44.

56 Tertiò, quod non obstantibus clausulis amplissimis, & etiam quod renuntians renuntiet omne jus, quod habet, vel habere posset, & speraret; nihilominus deficientibus personis contemplatis, ipsemet renuntians admittendus sit ad successionem, quia clausula præfata, & aliæ restringuntur ad personas contemplatas, Gratian. *discept. forens.* 557. *n.* 42. Surd. *cons.* 446. *num.* 17. Reg. Revertet. *decis.* 73. *lib.* 2. Dictæ enim clausulæ non alterant naturam renuntiationis, sed illam roborant, & firmant realitatem abdicationis respectu personarum contemplatarum, ut per DD. supra relatos constat.

Et inde est, quod nec obstat clausula, *pro se, & suis hæredibus, &c.* quia ista clausula hoc ad summum facit, quod scilicet, renuntiatarius possit testari in quoscumque voluerit, sed quando renuntiatarius testatur in renuntiantem, vel decedit sine testamento, renuntians non censetur excludere se, nisi respectu fratrum, agnatorum, & sororum, & aliorum, quos contemplatus fuit, non tamen respectu extraneorum, ut dixit Rota coram Merlin. *decis.* 62. *numer.* 25. & 29. Et quod hæc clausula sicut & pactum de non petendo, & aliæ clausulæ similes non extendant realitatem renuntiationis ultra personas contemplatas, sed illis deficientibus, cesset earum vis, meritò docuerunt Molfes. *de renunt. q.* 17. *n.* 16. & *cons.* 47. *n.* 37. & 38. Scip. Theod. *alleg.* 36. *n.* 37. Jo. Franc. Marc. *disp.* 8. à *n.* 17. *lib.* 1. Franc. Roch. *resp.* 48. *n.* 7. & 8. *lib.* 2. 57

In dubio etiam, quod renuntiatio personalis judicanda sit, quia strictissimè interpretari debet, ut minus noceat renuntianti, dixerunt Surd. *cons.* 446. *num.* 18. *lib.* 3. Andr. & Bald. *in cap.* 1. *in fin. de eo qui fin. fac. agnat.* Alea. *cons.* 19. *lib.* 3. Reg. de Ponte *cons.* 39. & *cons.* 61. Reg. Mart. *lib.* 1. *d.* 8. *num.* 1. & hoc etiam si renuntiatio sit firmata juramento, Franc. *decis.* 591. Gratian. *discept.* 56. Alex. *in l. qui Romæ*, §. *duo fratres de verb. obligat.* Donad. *d. cap.* 44. *num.* 46. Molfes. ubi suprà *qu.* 3. *num.* 3. Gabr. *cons.* 89. *num.* 9. *lib.* 1. Honded. *cons.* 36. *num.* 23. Altograd. *cons.* 66. *num.* 40. *lib.* 1. 58

Superiùs verò dicta ampliantur, & extenduntur primò etiam ad renuntiationem factam causa ingressus in Religionem; nam & ista in quantum est translativa simpliciter est personalis, cùm fiat contemplatis personis. Hoc quidem negant multi volentes hanc esse realem, & talem, ut renuntians perpetuò excludatur à successione in bonis renuntiatis nedum in se ipso, sed etiam in persona monasterii. Hoc enim multis DD. citatis tenent Donad. *d. cap.* 44. *num.* 137. Philippus Camerata *decis.* 21. *n.* 9. 59

Et videtur ita esse dicendum ex eo, quia causa finalis talis renuntiationis est perpetua paupertas promittenda in professione, per quam professus redditur etiam incapax dominii cujuscumque, vel minimè rei, ut probavi *tom.* 1. *de statib. quæst.* 186. *art.* 7. à *num.* 70. Quamobrem certum est non posse renuntiantem velle in aliquo casu succedere iterùm in bonis renuntiatis, cùm sit incapax succedendi. Ex hoc igitur habetur, quod hujusmodi renuntiatio est totalis, & omnimoda, & perpetua abdicatio dominii; & ideò per se primo est renuntiatio extinctiva, & solum per accidens est translativa, unde simpliciter, & per se primo dicenda videtur renuntiatio realis, & quæ privet renuntiantem omni futura successione, cùm cujuslibet successionis incapax fiat, qui religionem profitetur. 60

Verùm hujusmodi ratio sub unius veritatis velamine multa falsa confundit, nec rem per proprias causas considerat, & metitur. Primò igitur renuntiatio facta ex causa ingressus in religionem considerari debet ut extinctiva, seu ut privativa dominii, & ut translativa ejusdem dominii in alium. Hæc enim duo valdè diversa sunt, & secundum accidit primò, & est ab eo separabile, & utriusque valdè diversæ sunt causæ. Potest enim quis abdicare à se dominium absque eo, quod dominium in alium transferat. Nam & potest rem suam comburere, & modo sibi viso destruere, & sic se privare dominio, & illud in alium non transferre; Et hoc faceret renuntians, si renuntiaret nullis omninò contemplatis personis, & nihil considerato an dominium renuntiatum transiret in alium quemcumque, vel in nullum omninò, sed renuntiata remaneret sine dominio, & in nullius bonis futura esset. Et verè ut dictum est ex Rota, hæc sola renuntiatio est purè, & merè simpliciter realis. 61

Stante ergo, quod renuntiatio facta causa professionis religiosæ per se potuit fieri taliter, ut esset merè extinctiva, & non translativa dominii in alium, nisi consecutivè, & ex accidenti habetur primò quod professio religiosa non est per se, 62

se, & propria causa renuntiationis, ut translativæ, sed solum illius est occasio. Cæterùm quod hujusmodi renuntiatio sit translativa propria causa aliundè peti debet, & erit desiderio, vel conservationis agnationis, vel subventionis paupertatis alicujus, vel ex gratitudine circa aliquem, vel ex pietate erga parentes, vel ex amicitia erga aliquem, vel ex alia simili causa, & semper causa finalis erit favor alicujus personæ; Et in hoc distingui etiam possunt duo, scilicet causa, ob quam renuntiatio non sit merè extinctiva, seu merè abdicativa dominii à renuntiante, & causa, ob quam dominium abdicatum transferatur potius in Petrum, quàm in Paulum. Primi effectus propria causa esse poterit, vel ne res maneat sine dominio, vel amor boni communis patriæ, vel desiderium favendi alicui, & tamdem alicujus virtutis amor, ut desiderium disponendi de suis, vel ex misericordia, juxta illud Christi, Matt.19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, vel ex pietate erga Patriam, aut parentes, vel ex religione, & desiderio promovendi divinum cultum, vel ex alia simili causa, vel tandem quia stultitia insignis esset, abdicare à te dominium nulla contemplata persona, in quam illud transeat, sed relinquere res suas, vel ut sint primi occupantis, vel ut perveniant in incertum ad quemcumque etiam forsan indignum, vel infamem, vel inimicum. Ratio autem, ob quam renuntians magis eligat Petrum, cui renuntiet, quàm Paulum, erit ex aliqua honesta prærogativa Petri, ut quia ille est Pater, vel frater, vel agnatus, vel amicus, vel alia hujusmodi.

63 Sequitur secundò, quod renuntiatio facta etiam intuitu religiosæ professionis, si consideretur ut translativa (quia translativæ renuntiationis causa finalis propria semper est aliquis favor personæ contemplatæ) regulanda est juxta leges renuntiationis translativæ, & personalis: Et quidem primò, ut non possit extendi ad personas non contemplatas, sed si facta sit patri tantum, non se extendat ad filios, si patri pro filiis masculis tantum, non se extendat ad fœminas; si patri pro se, & suis hæredibus, se extendat ad illum, & ad nominatos ab eo hæredes. Et secundò, ut hujusmodi renuntiatio ut translativa deficiat deficientibus personis contemplatis, & quod renuntians succedat in bonis renuntiatis, & sic renuntiatio illa resolvatur, & non noceat renuntianti.

64 Quod voluit Rota in dicta Romana fideicommissi de Steccatis 4. Februarii 1667. coram R. P. D. Bourlemont, ibi: cujus argumenti primum membrum nihil urgere censuerunt Doctores, quia ex oculari inspectione instrumenti clarè constat renuntiationem, sive realem, sive personalem, sive utraque qualitate commixtam, restrictam esse ad existentiam personarum, quarum favore celebrata fuit; Quapropter illis deficientibus expirat realitas, & remanet sola qualitas personalitatis, itaut eo casu Monasterium ex persona renuntiantis benè succedere possit ex notat. communiter à DD. *in cap. Quamvis pactum de pactis in 6.* & inter alios Natta *in repet.d.c.col.11.à ultima limit.* Monac. *disp. 8.num.11.* Donad. *de renunt. quæst.3.num.20.& 21.* Scipio Theod. *legat.36. numer.31.* Franc. Rocch. *resp.48. num.6. & seq.lib.2.* Pignatell. *controv. forens. cap.32. num.25.* Honded. *cons.29.num.79.& 80.lib.1.* Roland. *cons.26.num.34.lib.3.* Lanar. *cons.49.per tot.* Altogr. *consil.43.num.59.lib.2.* Donatus Antonius de Marinis *variar. resolut. cap.190. per totum lib.2.* Rota in Romana successionis de Comitibus 15. Januarii 1642. §. *ultimo* coram bon.mem.Dunozetto, apud D. Anton. de Marin. *d.cap.190.* & recentius in Marsicana successionis 4.Februarii 1665. coram R. P. D. meo Emerix §. *neque, vers. quoniam placuit*.

65 Pro qua personalitate sustinenda efficaciter operatur non solùm præsumptio juris, quod pater censetur hujusmodi renuntiationem recipere à filia favore descendentium, & agnationis conservan. adeout pater numquam præsumatur extraneis posteritatem propriam anteponere voluisse, *l.scrip.6.ff. unde liberi l. nam etsi parentibus 15. ff. de inoff. testam.* cum aliis, quos refert Com. *cons.291. numer.4.vers. & votum patris lib.4.* & Alex. *cons.29.* Quodque viceversa renuntiatio filiæ existimetur facta favore familiæ, aut agnationis, itaut ea deficiente dicatur evanescere, & non impedire, quominus renuntians ad bona renuntiata redire possit, Bald. *cons.437. num.2. vers.in contrarium videtur veritas vol.1.* Paris. *cons.26.n.19.lib.3.* Menoch. *cons.335. num.14.* Jo.Franc.de Ponte *cons.39. n.1.* & optimè Altograd. *ad dict. cons.43.n.50.lib.2.*

66 Verùm etiam nomina personarum in præsenti renuntiatione expressim facta sub illis verbis animo revolvens D. Marcum Antonium ejus patrem duobus filiis gravatum, uno Curtio, altero constantia infrascriptam refutationem, & donationem erga illum, ut commodius gradum suæ nobilitatis, & familiam honorificentius sustinere valeat, facere censuit. Et alibi: Renuntiat, & refutat ad favorem D.Marci Antonii; quia efficit, ut renuntiatio non obstantibus generalibus clausulis personalis reputetur; cum qua distinctione Doctores contrarium tenentes intelligendos esse tradit Gabr. *cons.89.n.13. lib.1.* Ruin. *cons.166.n.11.lib.1.* cum concordantibus per Grat. *discept. forens. cap.552. n.45.* Quod ita verum est, ut cessante ratione conservationis, & decoris familiæ, & deficientibus personis, ad quarum commodum facta fuit renuntiatio, illa resolvatur, ut renuntianti non noceat, Bald. *in l.pactum sub num.9. vers.pact. quæro, Cod.de collat.* Alex. *cons.29.num.3.& quod dict.pactum lib.3.* Menoch. *cons.6.n.2.* Ossasch. *decis.98. cum adductis in decis.869.n.6.vers.unde cum prædecesserit, & decis.894. num.1.4. & 5.* coram Merlino, & in dicta Romana successionis de Comitibus 15. Januarii 1642. §. *respectu vero* coram bonæ mem. Dunozetto.

Non obstat, quod dictæ decisiones 64. & 894. coram 67
Merlino, & illa Romana successionis de Comitibus fuerint revocatæ, quia in simili revocatione juxta varias, & mutabiles facti circumstantias, & figuras contingenter remansit illæsa juris conclusio suprà firmata, & Rota solùm fundavit recessum à decisis coram Merlino in eo, quod pater decesserat restatus, qua de causa renuntiatio non expiraverat stante dispositione testamentaria, & aliæ aderant circumstantiæ, quæ plures causas finales indicabant ultra contemplationem personarum, ut *in decis.10. numer.5. & 45. & per tot.* coram Eminentiss. Otthobono; quæque pariter dederunt causam revocationi dictæ decisionis initæ in Romana successionis de Comitibus 15. Januarii 1642. coram bonæ memoriæ Dunozetto. At in præsenti casu pater decessit ab intestato, & nullæ adsunt causæ finales, quæ contemplationem personarum obscurent, aut diminuant, proindeque nulla vis fieri potest in revocatione dictarum decisionum, dum casuum diversitas est manifesta, & adaptatio conclusionis juris suprà exposita nulla facti exceptione laborare dignoscitur, minusque obest, quod vigore dictæ renuntiationis, de qua agitur jam exclusum fuerit monasterium in decisione habita 31. Maji 1649. coram Reverendiss. Papien. quia solummodo resolutio capta est contra Monasterium, ex eo quod adhuc extaret constantia una ex personis, quarum contemplatione facta fuerat renuntiatio, quod innuit usque de illo tempore sensum Rotæ fuisse, quod illa renuntiatio tantum duraret, quantum existentia personarum in ea nominatarum, ex recensitis *in dict. decis. §. quia contrarium*, cum quibus benè conveniunt allegati *in dict. decis.24. num.9.* coram Eminentiss. Otthobono. Hæc Rota citata.

Quæ omnia procedunt non obstante, quod renuntiatio 68
fiat intuitu professionis religiosæ, & quod hujusmodi renuntiatio ut extinctiva secuta professione privet renuntiantem etiam capacitate succedendi. Nam considerari debet, quod professus non est incapax usus facti bonorum renuntiatorum, ut patet per Doctores, quos retuli *tom.1. de stat. q.186. à n.76.* Ulterius non est incapax succedendi in persona Monasterii, quod respectu illius censetur tamquam filius, & descendens, & legitimus hæres.

Imò considerandum est ex D. Thom. *2.2.quæst.188.num.7.* 69
quod possidere bona in communi, seu per monasterium non repugnat paupertati, & sic stant simul religiosum esse in statu paupertatis, & perfectionis, & tamen eum in communi, seu monasterium illius possidere ejusdem Religiosi bona; Quæ omnia ex doctrina Christi, Apostolorum, & Patrum probavi ibidem. Igitur renuntians causa professionis religiosæ non tenetur habere voluntatem excludentem à renuntiante usum facti bonorum renuntiatorum, & successionem in dominio ex parte monasterii, sed ejus libertatis est in hoc disponere id, quod sibi magis placuerit, & salva electione paupertatis, & status perfectionis potest, si velit renuntiare omnia sua ad favorem monasteri, in quo intendit profiteri.

Imò quatenus non præcesserit renuntiatio aliqua con- 70
traria expressè, & clara forma, & validè facta ipso facto, & ipso jure *Ingressi Monasterium se, suaque dedicant Deo. Auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Et ut dicitur §. *Illud quoque, Auth.*

Auth. de monachis: Qui monasterium intrare voluerit, antequam monasterium ingrediatur, licentiam habet, suis uti quo voluerit modo, ingredientem enim simul sequuntur omnino res, licet non expressim, qui introduxerit, eas dixerit. Nam prout decernitur *in d. Auth. ingressi. Nec ergo de his testantur, utpotè nec Domini rerum.* Ex vi enim professionis abdicant à se omninò quodlibet rerum dominium, omneque jus tam reale, quàm personale, ad celebrem æquiparationem, & argumentum de servo ad Monachum, apud Everardum *loco* 24. & Barbos. *loco* 100. *cum allegatis*.

71 Et sic etiam sine diminutione status paupertatis potest velle, ut si personæ in sua renuntiatione contemplatæ defecerint, non extranei, sed monasterium succedat in suis bonis. Cùm igitur alias renuntiatio quamtumvis amplissima non excludat renuntiantem à successione in hæreditate renuntiatarii, quatenus est capax succedendi, si decedat sine testamento, non est unde dicatur, renuntiationem ex causa professionis religiosæ ferre hujusmodi exclusionem, & impedire quod monasterium in simili casu ex persona sui professi non succedat.

72 Irrationabile enim est, & contra omnem æquitatem imaginari, quod mens renuntiantis causa professionis religiosæ sit, ut deficientibus personis contemplatis extranei, & etiam fiscus, anteponendi sint in usu, & dominio suorum bonorum ipsi renuntianti, & monasterio, cujus ipsi est membrum, & quod in hoc repræsentat eumdem renuntiantem, maximè cùm hoc redundet in Dei obsequium, & sit quid pium, & valdè religiosum, & ulterius cedat etiam in majorem utilitatem temporalem ejusdem renuntiantis, & id suadeat pietas in suum monasterium: Nec est credibile, & verisimile, quod etiam Doctores illi, qui contra successionem monasterii scripserunt, si ipsi causa professionis renuntiassent, voluissent præferre personas non contemplatas, & extraneas, & incertas, vel etiam fiscum proprio monasterio, in quo religiosam vitam professi essent, & sic etiam propriæ commoditati temporali, quæ in eos ex monasterii successione redundaret, & amore suorum fratrum, & correligiosorum.

73 Dicendum igitur est, quod renuntiatio facta ex causa religiosæ professionis, quatenus est translativa, est simpliciter personalis, nec exclusiva illius successionis, quæ religioso professo potest competere, & propterea quod non sit exclusiva successionis monasterii in casu, quod ultimus renuntiatarius, vel testetur ad favorem renuntiantis, vel decedat sine testamento. Quod etiam docuerunt Cyriac. *controv.*475. *numer.*6. & 7. Molfes. *de consuet. Neap. tit. de renuntiat. quæst.*17. *num.*27. 37. *& seqq. & cons.*49. *num.*27. *lib.* 2. Molin. *de ritu nupt. lib.*3. *qu.*92. *n.*36. ubi quod vir justus, & timens Deum, ita judicabit, Franc. de Ponte *cons.*39. *num.* 1. Altogradus *cons.*43. *num.*59. *lib.*2. Scipio Theodor. *allegat.*36. *num.*14. & 16. ubi vocat hanc oppositionem inanem, Sanchez *in Decalog. lib.*7. *cap.*7. *numer.*25. Rot. *decis.*543. *num.*35. *part.*5. *recent. & decis.*62. *numer.*17. & 29. coram Merlino, & in Marsicana die 4. Februarii 1665. coram R.P. D. Emerix.

74 Et ita nihil facit illa præsumptio, super qua fundantur DD. sentientes oppositum, quia nimirum renuntians intuitu professionis religiosæ id facit ad excludendam solicitudinem circa temporalia, & ut quietius Deo servire valeat. Quod evidentius clarescit, si adsit clausula, *Et ut quietius Deo servire valeat, decrevit se omnibus bonis suis, & juribus acquisitis, & acquirendis spoliare.* Nam respondetur quod de facto, qui profitetur spoliat se omninò, & prorsus omnibus juribus, & itaut fiat cujuscumque dominii incapax; Sed cùm hoc stat, quòd ipse mediante monasterio possit bona renuntiata, & alia infinita possidere sine ejus solicitudine, & inquietudine: imò retorquetur conjectura, quia habere dominium bonorum in communi, seu ex persona monasterii, diminuit in singulis religionis solicitudinem, & inquietudinem circa temporalia, ut probavi *tom.*4. *de statib. quæst.*188. *art.*8. *num.*82. Et hinc Summi Pontifices, aut commoda contulerunt, aut ab incommodis etiam decimariis liberarunt nedum religiosos, sed etiam eorum colonos, & conductores, ut in privilegio Patrum Carthusianorum concesso per Joann. XXII. anno 1330. Ut divinis officiis commode vacare possint. Qua ratione etiam aliis religionis exemptio à decimis concessa est, & præcipuè Ordini Prædicatorum, ut apud Casarub. *in Compend. privileg. min. v. Decima numer.*7. *& in Bullar. ejusdem Ordinis fol.*5. 15. 63. 73. 91. 153. & 230.

Et neque obstat auctoritas Doctorum, qui allegantur ex adverso, quia DD. hujusmodi dicunt & non probant, & in multis deficiunt. Et quidem primò, quia non considerant, quod renuntiatio ratione professionis religiosæ non requirit in renuntiante abdicatione dominii suorum bonorum in communi, seu ex parte monasterii, si vult profiteri in religione admittente dominium in communi, ideò non potest ex hoc præsumi, quod ipse renuntiando voluerit excludere monasterium. Secundò deficiunt non attendentes, quod renuntians ratione ingressus in religionem posset non renuntiare alicui sua bona, & tunc ex jure communi bona illa acquirerentur monasterio, & ideò causa finalis movens renuntiantem ad renuntiationem translativam dominii in renuntiatarium non est voluntas profitendi in religione, ut ipsi dicunt, sed semper est personalis favor renuntiatarii, & sic renuntiatio, ut translativa est personalis, & renuntiatario deficiente resolvitur renuntiatio, & fit reditus ad jus commune, quod vult, quod monasterium ex persona sui religiosi succedat in ejus bonis.

75 Ampliatur secundò principalis assertio, ut vera sit, etiamsi renuntiatio facta sit causa dotis; militat enim semper eadem ratio, quia renuntiatio facta translativè, & favore personarum contemplatarum est personalis, & ideò personis illis deficientibus, renuntians succedit renuntiatario ultimo, & ab extraneis, seu non contemplatis non excluditur, Molin. *de ritu nupt. qu.*92. *n.*51. Molfes. ubi suprà *qu.* 13. *num.*12. *& qu.*17. *num.*16. Scipio Theod. *alleg.*36. *num.*22. Jo. Franc. de Ponte *cons.*39. *numer.*3. Rota *in recent. decis.*543. *num.*34. *part.*5. & post Tambur. *de jure Abbat. decis.*6. *n.*12. Et hoc procedit etiam si causa dotis appositum sit pactum de non petendo ob dotem receptam, quia in renuntiatione hujusmodi pactum de non petendo, & aliæ clausulæ tamquam accessoriæ cessant defunctis personis contemplatis, Molfes. *cons.*48. *n.*37. & 38. Jo. Franc. Marsian. *disp.*8. *à n.*17. *usque ad* 24.

76 Ampliatur tertiò, ut nec obstet si renuntiationi sit annexa donatio, quoniam donatio complicata in similibus renuntiationibus non alterat earum naturam, quando non principaliter, sed consecutivè ad renuntiationem, & pro majori illius robore apponitur. Rota in Romana donationis 16. Martii 1643. coram Bichio, & in citata Romana fideicommissi de Steccatis 15. Junii 1665. coram R. P. D. Bourlemont, §. *Quia bona*.

77 Et quia renuntiationes, quæ fiunt ante acquisitam hæreditatem propriæ sunt repudiationes, ut notat Rota *decis.*320. *num.*8. *part.*6. *recent.* Quarum mentio principalis fit etiam in statutis municipalibus Civitatum, ut v.g. in statuto Romano 151. *de contract. sine certa solemnitate, &c. lib.*1. facit quod habetur per Rosental. dicentem, quod si in manus Domini refutatio fiat, ut Sejus investiatur, pactum est personale in gratiam Seji & hæredum ejus initum, non autem Domini, Rosental. *de feud. cap.*3. *conclus.* 21. *num. & seqq. cum suis glossis, & aliis allegatis*. Nam refutare est personam sua de medio tollere, ut alius in jus suum succedat; seu est alteri loco cedere, &c. apud eumdem Rosental. *cap.*9. *membr.*1. *concl.*50. *n.*3. *cum suis glossis, & aliis allegatis*.

78 Hactenus verò cùm actum sit de jure communi, etiam non minoribus, videamus nunc quid petat jus speciale minorum, cùm sæpè contingat hujusmodi renuntiationes, seu repudiationes, aut refutationes à minoribus fieri. Jure verò communi minor restituitur adversus repudiationem illius alteri factam, §. *Quod si minori l.*3. *ff. de min.* Oddus *q.*15. *n.*17. & tradunt Instituarii *ad §. extraneis institut. de hered. qualitate*.

79 At jure municipali ferè communi, quia omnia ferè statuta conveniunt in dictum statutum Romanum 151. refutationes mulierum, & minorum, (adeòque magis mulierum minorum, & pupillarum) sive sint sub patria potestate, sive sui juris, nullius sunt roboris, vel momenti, nisi proximioribus adhibitis, eisque medio juramento approbantibus non esse in præjudicium earumdem mulierum, vel minorum, vel si aliqui conjuncti non existerent, cum curatoris legitimi auctoritate, & semper judicis competentis decreto, causa in scriptis illi expressa, & insinuata, & plenè cognita. Quod statutum verificatur non solùm in

renun-

renuntiatione aut repudiatione juris quæsiti, sed etiam juris quærendi, &c. apud Piccum, Gloss.8. à n.4. & 18. & generalius Falganetus ad ipsum statutum ab initio, Fenzonius n.28. & 38. cum allegatis.

80 Quibus stantibus arguitur per hoc dilemma. Renuntiatio, seu refutatio facta à muliere, seu minore, vel intelligitur, ut personalis, & facta ad favorem refutatariorum, seu renuntiatariorum; & sic renuntiatio, seu refutatio tamquam personalis habenda erit, & itaut deficientibus personis resolvatur. Vel intelligenda est, ut sit realis, pura, mera sine favore cujusdam, & sic simul intelligenda erit, ut sit facta sine bona causa, imò sine causa, quia causa debet esse utilis, & necessaria, inutilis verò prorsus, & stulta esset renuntiatio merè extinctiva, & nullius favore habita; & sic hujusmodi renuntiatio, seu refutatio, nec justè esset decreta à judice, nec ejus causa à conjunctis ritè jurata, sed perjurata, ac propterea refutatio esset contra statutum, & irrita prorsus, & nulla, per tradita à Pico tota Glossa 22. maximè n.6. & 7. Rota coram Buratto decis.361. n.1. cum aliis allegatis.

81 Qualiter verò nullus renuntiare possit id, ad quod ille de præsenti nullum jus habet, sed solam spem gratiæ innixam dixi d. tom.3. de stat. quæst.189. art.10. numer.209. & seqq.

82 Tertius casus principalis ex enumeratis sup. num.5. est, si fiat pactum de hæreditate viventis certo modo dividenda inter fratres, aut hæredes. Et dicitur, quod si hoc pactum fit de consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, pactum tenet etiam sine jurament. l. fin. C. de pact. & ibi Doctores, Franc. hic n.11. qui ad hoc allegat Specul. in tit. de pact. in 1. col. dicentem, quod valeret pactum etiam non firmatum juramento, quod filia dotata consentiente patre promittere fratribus; quidquid sibi advenerit de bonis patris, quia hoc non est pactum de non succedendo, sed de restituendo quidquid advenerit ex successione, vel alias de bonis patris. Sed si hoc pactum fieret vivente illo, de cujus hæreditate agitur, sive ejus consensu, pactum non valeret.

83 An verò possit confirmari juramento negant quam plures, & Fermos. ad cap. Cùm contingat 28. de jurejur. qu.10. pro ista sententia, quam ipse sequitur, refert 32. DD. & n.5. eam ampliat, ut vera sit, etiam si pactum sit factum favore piæ causæ, & etiam si fiat de quota hæreditatis. Item etiam stante statuto, vel consuetudine, ut pacta futuræ successionis absque consensu ejus, de cujus hæreditate agitur valerent; quia hujusmodi pactum nullo statuto, aut consuetudine potest fieri validum. Ratio verò est, quia hujusmodi pactum est in præjudicium tertii, & contra bonos mores, tamquam implicans votum captandæ mortis ejus, cujus est hæreditas. Sed ut verum fatear, quod hoc pactum sit contra bonos mores civiles indubitatum censeo; & hoc probant jura ab hac sententia allegata. Sed quod sit contra bonos mores naturales non probatur. Et sibi contradicunt DD. isti, qui admittunt, quod si hoc pactum fiat patre, vel eo, cujus est hæreditas consentiente, pactum juramento firmatur; At verò non minus hoc pactum, quàm illud potest implicare votum captandæ mortis, cujus occasionem præbet expectativa futuræ hæreditatis, ad quam accidentaliter, & extranè se habet, quod hæreditas expectetur volente Domino hæreditatis, vel nolente. Sed in rei veritate hoc experientia demonstrat, quòd expectativa hæreditate non est occasio efficax, & proxima ad inducendum injustum, vel impium desiderium mortis illius, cujus expectatur hæreditas, cùm rarissimi sint casus, in quibus ex causa hæreditatis habendæ procuretur mors domini hæreditatis. Ideò pactum hujusmodi non est ex hac parte contra bonos naturales mores. Aliter contra bonos mores essent etiam leges, quæ statuunt, ut filii habeant de hæreditate patris legitimam, & patri ab intestato succedant; quia ex vi harum legum, in filiis est certa expectativa hæreditatis, & dicitur, quod hæc expectativa est occasio captandæ mortis patris, sed verum est, quod hæc expectativa non est occasio proxima, & efficax, sed solùm remota, & solùm aliquando & rarò in homine alias avaro, & pessimo inserunt votum captandæ mortis. Et ideò tale pactum de dividenda viventis hæreditate secundùm se potest servari sine detrimento salutis æternæ, unde tenet, si confirmetur juramento. Nec verò hoc pactum est in detrimentum patris, vel domini hæreditatis, quia ex tali pacto non impeditur pater, vel testator quominus possit modo, quo voluerit testari, & nihil facere pactum se inscio, aut nolente factum, & de suo disponere ad libitum, etiam privando paciscentes hæreditate. Posset esse quod hoc pactum esset nullum, quia esset de re non sua; sed hujusmodi pacta sunt conditionata, & supponunt quod hæreditas ad paciscentes perveniat, hoc supposito fit pactum, ut divisio illius fiat hoc, vel illo modo. De jure ergo vera est sententia Bald. in cap.1. §. moribus, si de feudo fuerit controversum inter Dom. & agnat. dicentis hoc pactum de dividenda certo modo viventis hæreditate firmari posse juramento, Silvestr. v. pactum n.11. & apud eumdem Fermosinum, Decius cons.516. n.3. & 656. n.2. Corneus cons.257. l.3. Cepola cons.112. Auserius ad Cap. Tolos. decis.452. Menoch. cons.1. n.186. Socinus jun. cons.65. n.46. lib.1. Guido Papa cons.31. Joan. Campeg. de dot. quæst.77. part.1. Crav. cons.139. num.8.

Quod si hoc pactum de dividenda hæreditate fieret mortuo eo, de cujus hæreditate agitur, pactum esset validum etiam sine juramento, nisi ex circumstantia aliqua fieret invalidum. Hæc Franc. num.11. sed Domin. num.10. in hoc casu, in quo agitur de hæreditate certo modo dividenda sentiens, quod si pactum fiat principaliter de hæreditate alicujus certi viventis pactum hoc valeat, si adsit illius consensus, non verò si fiat sine ejus consensu, addit, quod pactum valeat, si fiat de hæreditate hominis incerti, l.4. §. de illo, ff. pro socio. Item si fiat de hæreditate certi hominis, si fiat ex necessaria consequentia præambuli alicujus contractus, ut l. si quis servum, ff. de acq. empt. Item si fiat in consequentiam alicujus accessorii, ut l.2. §.2. ff. de hær. vel acq. ven. si autem. 84

De quarto autem casu principali, in quo agitur de conservanda sibi successione, Silvest. v. pactum n.11. inquit quod si fiat ad conservandam legitimam successionem valet, Instit. de legit. agnat. success. Quia est legi consentaneum, Domin. verò n.8. & 9. multipliciter distinguit. Sed Franc. nos remittit ad Doctores in l. fin. C. de pactis, & in l. stipulatio, ff. de verb. oblig. materia enim satis lata est, & directè non spectans ad casum nostri textus. 85

Notandum primò, quod valet pactum inter patrem & filium, quia inter eos oritur obligatio naturalis, sicut inter Dominum, & servum, juxta not. in l. Frater à fratre de cond. indeb. Civilis autem obligatio inter illos non consistit, ut ibi dicitur: Quia pro una persona computantur Pater, & filius, Ancharanus hic n.1. Et quidem secundùm D. Thom. 2.2. quæst.80. inter Patrem, & filium non est justitia, sed pietas deficiens à ratione justitiæ, quia patri non potest reddi æquale à filio. Idem tenent Cajetanus 2.2. quæst.57. art.4. Val. disp.5. quæst.1. part.2. & favet Arist. Eth.5. cap.6. Sed hoc est verum formaliter de patre, & filio, ut tales sunt. Nam alias inter eos, ut quidam homines sunt, potest esse justitia propriè, & cadere obligatio civilis, Card. de Lugo tom.1. de just. disput.1. sect.2. num.32. & apud eum plures alii. 86

Notandum secundò, quod juramentum præstitum in contractu facit laicos esse de foro Ecclesiastico, ut habetur infr. cap. Cum laicus de for. comp. Et ideò Papa etiam inter laicos statuit servari hanc constitutionem, Anch. n.2. Domin. n.3. Franc. n.3. 87

Notandum tertiò, quod lex civilis succumbit canoni in casibus, in quibus lex favet pacto, sicut in casu nostro, in quo quis incurreret in pactum propter non observantiam juramenti, Anchar. n.2. 88

Notandum quartò illud juramentum esse servandum, quod habet duas conditiones, scilicet, primò quod non vergit in dispendium salutis æternæ. Notandum verò est nomen dispendium, quod propriè importat id, quod vergit in pejorem salutis exitum, ut hic explicant Ancharanus n.4. Joan. Andr. n.3. Anchar. n.3. Butr. n.7. Domin. n.7. Franc. n.2. Barbos. n.27. Unde juramentum nedum non est servandum, si id non fiat sine peccato mortali, sed etiam si non fiat sine peccato veniali. Ad honestatem enim juramenti requiruntur veritas, justitia, & judicium, D.Th. 2.2. quæst.89. art.3. & ibi Cajet. & alii expositores, Theol. in 3. dist.39. Canonistæ in cap. Animadvertendum 22. quæst.2. Ex illo Jeremiæ 4. Jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia. Ubi hoc explicat Jeremiæ. Juramentum verò, quod non impletur sine peccato, non est cum justitia, sed contra justitiam, cùm sit contra virtutem. Secunda conditio est, ut juramenti observantia non sit injustum tum detrimentum tertii. Gloss. hoc explicat, ut intelligatur de detrimento 89

prin-

principali, non verò de secundario, & ita Gloss. sequuntur Archid. *num.*4. Franc. *num.*12. Barbos. *num.*30. Sed dicitur, quod sive damnum principaliter, sive secundariò redundet in tertium, juramentum non obligat. Damnum enim importat ablationem ejus, quod est alterius, vel alius ad id jus aliquod habet, unde non potest ab illo auferri, nisi violando aliquam justitiam, vel aliquod jus illius; semper autem quod aliqua justitia, seu alienum quodcumque jus violatur, peccatum committitur, ideò pactum, quod vergat quomodocumque in damnum tertii non est obligatorium, nec est juramentum. Ideò si per observantiam juramenti directè, & principaliter aufertur aliquod, quod solùm ex gratia mera alteri competit, & non violatur jus illius, juramentum tenet. Et econtra si secundario violandum necessario est jus alterius, juramentum non obligat. Non enim juramentum habet comitem justitiam, si ejus observantia violat alterius jus, & facit illi injuriam.

Multa alia hic afferri potuissent de valore juramenti ad confirmandos contractus ex lege positiva irritos. Sed locus ista examinandi magis proprius est infrà *cap. Licèt Mulieres, de jur. jurand.* 91

DE PACTIS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

QUia ex eo, quòd fratres Prædicatores, & Minores, & alii mendicantes, compositiones & pacta cum prælatis, capitulis, rectoribus, & personis Ecclesiarum, Civitatum, castrorum, villarum, & locorum, in quibus domus seu habitationes eorum existunt, super juribus Parochialibus, vel aliis, quibuscumque articulis, ab eis, vel eorum antecessoribus inita, sive facta, servare recusant: & ea eo prætextu infringere moliuntur, quia Magistri, aut Ministri, vel Prioris generalium, seu Provincialium eorumdem non affuit assensus in ipsis, nec approbata per ipsorum generalia, vel provincialia capitula extiterunt, multa in diversis mundi partibus insurgunt scandala, & ipsorum fratrum (quos decet puritatem omnimodam in suis observare actionibus: & ab his abstinere propensius, per quæ possit aliis exempli pernicies generari) famæ detrahitur plurimum & honori. Nos his occurrere paternæ solicitudinis studio intendentes, præsenti decreto sancimus: compositiones, & pacta hujusmodi cum Prælatis, capitulis, & rectoribus, & personis prædictis ab ipsorum fratrum conventualibus, Prioribus, seu Guardianis facta, vel approbata, de suorum conventuum consilio, & assensu (dum tamen aliàs sint licita & honesta) debere ab ipsis fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter observari: non obstante quòd Magistri, vel Ministri, aut Prioris generalium, seu Provincialium prædictorum non intervenerit in eisdem assensus: nec ab ipsorum generalibus, vel provincialibus capitulis extiterint approbata: seu quòd Sedes Apostolica in his, quæ per prædictos fratres Minores facta fuerint, auctoritatem suam non præstiterit, vel assensum.

SUMMARIUM.

1 *INtentio Pontificis in edenda hac constit.*
2 *Regula textus.*
3 *Qui Mendicantes.*
4 *Regula textus non comprehendit non Mendican.*
5 *Comprehenduntur pacta inita cum laicis.*
6 *Licentia superiorum est necessaria ex aliis legibus.*
7 *Comprehenduntur pacta de quacumque re honesta.*
8 *Pacta debent esse facta à Prelatis localibus de Conventuum consilio, & assensu.*
9 *Valida non obstante defectu licentiæ superiorum.*
10 *Hæc constitutio novum jus inducit.*
11 *Privilegia moderniora Regularium derogãt pactis juratis.*
12 *Pacta, in quibus renuntiatur juri privilegiorum modo sunt nulla* per extrav. Ambit. de reb. Eccl. non alien.
13 *Prædicatores præcedunt Minores.*
14 *Præcedentia à priori institutione sumitur.*
15 *Capitula ut distincta à Prælatis aliquando faciunt pacta.*
16 *Nomina inculcata quid operentur.*
17 *In gestis per Capitulum non est necessaria descriptio singulorum.*
18 *Decet Religiosos nullum decipere.*

1 DE pactis initis à Regularibus cum Prælatis, Capitulis, & Ecclesiarum Rectoribus agitur in hac Decretali, quæ data fuit ad explicationem, & extensionem alterius relatæ *supr. in cap. Pactum* 1. *in hoc tit.* Ibi enim dictum fuerat, quod pactum in Monasterio initum cum Parocho super jure funerandi Parochianos in eorum Ecclesiis omninò servari debebat, quia per tale pactum derogatur liberæ sepulturæ privilegio, sed hoc habebat difficultatem, quia mendicantes recusabant servare pacta præfata, quia non fuerant facta de assensu Generalis, seu Provincialium, & non fuerant approbata à Capitulis.

2 Volens igitur Pontifex hanc tollere difficultatem, decernit, quod pacta, & compositiones, super juribus Parochialibus, vel aliis quibuscumque articulis à Regularibus Mendicantibus, vel eorum antecessoribus inita cum Prælatis, Capitulis, & Ecclesiarum Rectoribus, & personis Ecclesiarum, Civitatum, Castrorum, Villarum, & locorum, in quibus habitationes eorum existunt, si sint licita, & honesta, debeant perpetuò ibidem inviolabiliter observari, non obstante, quod non intervenerit superiorum assensus, & Capitulorum generalium, aut Provincialium approbatio, seu Sedes Apostolica suam authoritatem non præstiterit in his, quæ per Prædicatores, & Minores facta fuerint.

Quantum ad personas hæc regula comprehendit nedum Prædicatores, & Minores, sed etiam Mendicantes omnes. Quatuor verò esse Ordines Mendicantes, scilicet Prædicatores, Minores, Eremitæ S. Augustini, & Carmelitæ, declaravit Pius V. in Constit. 44. incipien. *Romanus Pontifex* data 1. Octobris 1568. Præter istos verò alii Ordines annumerati sunt Mendicantibus, scilicet Servitæ per Constit. Pii V. quam refert Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 55. *art.* 3. & Barb. hic *num.* 6. Minimi S. Francisci de Paula, in Constit. Pii V. 49. incip. *Sedis benignitas* 9. Novembris 1567. Congregat. S. Hieron. in Constit. Pii V. 50. incipien. *Romanus Pontif.* data 18. Novembris 1567. Societas Jesu in Constit. Pii V. incipien. *Dum indefessæ* 7. Julii 1571. Carmelitæ Discalceati, in Const. Clem. VIII. incip. *Romanum Pontificem* 20. Augusti 1603. Et hi omnes verè Mendicantes sunt, & sub hac constitutione comprehenduntur, quæ de omnibus Mendicantibus loquitur. 3

Quamvis verò quamplures ordines sint, qui participant de privilegiis Mendicantium, quos ennumerat hic Barbosa; quia tamen non sunt Mendicantes, non comprehenduntur sub hac constit. Unde ex vi illius pacta ab ipsis inita, non debent servari, nisi in quantum alias ex vi aliarum legum servari debeant. 4

Respectu autem eorum cum quibus fiunt pacta, constitutio comprehendit omnes personas Ecclesiasticas, sive sint Prælati, sive Capitula, sive Ecclesiarum Rectores, sive quæcumque aliæ sint. An verò comprehendat Laicos, Imola 5

ait Constitutionem extendi ex identitate rationis, de quo tamen ait esse cogitandum. Sed Domin. *in fin.* & Franc. *n.2.* dicunt alienationes non posse fieri sine licentia superiorum, secus si pacta non inducunt alienationem. Sed mihi dicendum videtur comprehendi hic pacta, etiam inita cum Laicis, quia comprehendit pacta inita cum personis nedum Ecclesiarum, sed Civitatum, oppidorum, & locorum.

6 Verùm quod dicitur hujusmodi pacta valere, etiam si non adsit Generalium, aut Provincialium assensus, intelligitur ubi alias ex speciali lege hic assensus non requiratur, sicut requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ, scilicet immobilium, & mobilium pretiosorum licentia summi Pontif. *extravag. Ambitiosæ, de rer. alien.* Cæterùm de jure communi ad alienandum non est necessaria in Regularibus licentia Generalis, aut Provincialis, sed Prælatus localis cum Conventu potest alienare, servatis alias servandis, in unaquaque verò Religione servanda sunt propria instituta. De quo videri possunt, quæ scripsi *tom.1. de stat. quæst.185. art.7. à num.567.*

7 Pariter ex parte rerum super quibus fiunt pacta non datur exceptio, ut notat Franc. *num.3.* Et ideò textus comprehendit omnia pacta de quacumque re inita. Dum tamen sint licita, & honesta. Existimat verò Glossa, quod per nomen *honesta*, significetur, quod sint possibilia, & Dom. *n.8.* quod denotetur bonitas circumstantiarum, ita scilicet, quòd pacta ista nedum sint licita ex objecto, sed etiam ex circumstantiis, & præcipuè sint convenientia personis Religiosis, eorumque statui.

8 Verùm ad hoc, ut locum habeat hæc constitutio requiritur, quod sint facta à Prælatis localibus de suorum Conventuum consilio, & assensu, & sic utrumque horum requiritur copulativè, ut advertit Butr. *num.6.* Et sic non sufficit pactum initum à Prælato, si desit consensus Conventus, nec sufficit, quod reliquus Conventus consentiat, si dissentit Prælatus. Et Conventus consensus debet esse collegialiter datus, in communi consilio, & tractatu.

9 Vult verò Pontifex hujusmodi pacta observari non obstante, quod desit consensus superiorum majorum, scilicet Provincialis, & Generalis, & quod pacta non sint approbata in Capitulis Provincialibus, aut Generalibus. Et de Minoribus loquens specialiter vult non obstare, si Papa authoritatem suam non præstiterit, quod ut notat Gloss. factum est, quia eorum bona sunt in particulari Ecclesiæ Romanæ.

10 Sed adverti etiam debet, quod determinatio hujus capitis est juris positivi, unde quod hic decernitur non est de lege naturalis justitiæ, sed ex jure positivo est inductum. Quod colligitur ex clausula, *præsenti decreto sancimus*, quia verbum *sancimus* inductionem novi juris inducit, sicut & verbum *statuimus*, *sup. cap. Vt litigantes, de off. Ord. in hoc 6.*

11 Si verò quæratur an modò hujus textus determinatio subsistat, considerandum est primò, quod post Bonifacium VIII. Regularibus Mendicantibus præcipuè quantum ad jura funerum concessa fuerunt privilegia amplissima, nedum cum expressa derogatione Constit. Bonif. VIII. *super Cathedram*, & Clem. *Dudum de sepult.* sed etiam statutorum, & consuetudinem juratarum per clausulam, *Nec non statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis:* quæ clausula in multis privilegiis habetur expressa, ut in Constit. Pauli IV. *ex Apostolicæ Sedis*, data nona Martii 1556. quæ habetur in Bullario Prædicatorum pag.258. Et in qua Pontifex nedum antiqua privilegia confirmat, & innovat, sed alia de novo concedit: unde etiam per hanc clausulam derogatur pactis juratis, quia consuetudines non sunt juratæ nisi ex aliquo pacto jurato. Unde per hujusmodi privilegia derogatur tam *cap. Pactum* 1. quàm præsenti *cap. Quia ex eo* 3. *in hoc tit.* quatenus sunt contraria dictis privilegiis.

Sed considerandum modò est secundò, quod *per extrav. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* derogatum fuit eisdem *cap.* jura enim perpetua computantur inter bona immobilia, quæ sine beneplacito sedis Apostolicæ alienari non possunt. Nam inter actiones prohibitas virtute illius extravagantis sunt cessio jurium, & renuntiatio bonorum, & jurium, ut per DD. quos retuli *tom.1. de stat. qu.185. art.4. num.247. & 256.* Igitur renuntiatio privilegiorum nequit fieri sine beneplacito Apostolico, & sic cessat ratio allata, *sup. cap.1.* quod pactum sit renuntiatio privilegiorum, nam non possunt Mendicantes suis privilegiis renuntiare sine beneplacito Apostolico, quod est de mente DD. quos retuli *tom.2. de stat. quæst.187. art.4. à num.690.* ubi alia de hoc puncto. 12

Notandum primò, quod ex quo in textu nominantur prius Prædicatores, quàm Minores, ideò præponuntur, quia eorum antiquior est institutio. Et ad idem *sup. cap. Nimis, de exces. Prælat. & cap. super his, de privil. & cap. Quorumdam, sup. de elect. in hoc lib.* Unde Prædicatoribus præcedentia debetur in quibuscumque actibus, Gloss. *in dict. cap. Quorumdam in v. Prædicatorum, & hic in v. Prædicatores*, Domin. *num.1. & in cap. Episcopus, num.2. 17. dist.* Jo. And. *in cap. Joannes, num.3. de testam.* Anchar. *cons.214.* Felin. *in rubr. de major. & obed. num.5.* Colleg. Bonon. *cons.1. num.2. post cons.* Zabarellæ, & ibid. Coll. Paduan. *num.36.* Petrus de Monte *de pot. Pontif. tit. Ordo assisten. Concil. n.2.* Navar. *cons.5. num.1. de stat. Monach.* Jacob. Phil. Pont. *cons.164. n.2.* Contil. *quæst.1. de præced.* Barbos. hic *num.3.* 13

Unde etiam sequitur, quod in materia præcedentiæ attendi debet prior institutio, & approbatio à sede Apostolica, ut tradunt Fab. Nonius *cons.71. num.35.* Cassan. *in Catalogo gloria mundi p.4. cons.52.* Centel. *d. qu.1. num.2.* Rota in Oriolen. præcedentiæ 10. Martii 1600. coram bonæ memoriæ Litta, & in Romana præcedentiæ 24. Maji 1600. coram Lancellotto, & in Campanien. Prioratus 19. Maji 1618. coram Seleucien. & 10. Maji 1619. coram Coccino, Barb. hic *num.4. & de off. Episc. alleg.78. num.36.* 14

Not. secundò, quod ex quo in textu cum Prælatis numerantur distinctè Capitula, colligitur quod aliquando Capitula, ut distincta à Prælatis possunt facere pacta, nimirum in bonis divisis inter Prælatum, & Capitulum, Archid. Jo. Andr. Franc. *num.1.* 15

Not. quoque tertiò, quod multorum nominum inculcatio, etiam sine copula operatur perinde, ac si singula ponerentur in diversis orationibus, ut per Bart. *in simili in l.1. ff. de his qui not. infam.* & Anchar. hic, & quæ not. sup. *in cap. Edoceri, de rescript.* advertit Franc. *num.1.* 16

Not. quartò, ex illis verbis *de suorum Conventuum assensu*, colligi quod quando fit instrumentum de rebus gestis per Capitulum, Collegium, vel Conventum non est necesse describi nomina singulorum, sed satis est facere mentionem de Conventu. Ita Franc. *n.1.* & Butr. *num.4.* qui tamen remittunt ad Spec. *tit. de synd. §.1. v. Porrò*, & ad DD. *supr. cap. fin. de procur.* Juxta verò spectantiam negotiorum aliquando sufficit nominare Rectorem, vel Rectorem cum aliquibus de universitate. 17

Not. quintò, quod Religiosos summè dedecet decipere in contractibus, & ideò à pactis, quæ validè non possunt inire, debent omninò abstinere, nec eos qui secum contrahunt decipere; hoc enim est contra puritatem debitam Religiosis, & est exemplum pessimum respectu sæcularium, Dom. *num.5. & 6.* 18

DE PROCURATORIBUS.

Bonifacius Octavus.

CAPUT I.

NOn indiscretè judex censetur egisse, procuratorem laicum ad agendum, vel defendendum in causis spiritualibus admittendo: Cùm regulariter qui non prohibetur expressè ad exercendum procurationis officium, idoneus debeat reputari.

Licèt

Licèt autem à procuratore poſt litem conteſtatam ab eo poſſit (cùm dominus ſit litis effectus) dari alius procurator: antea tamen non poteſt, niſi in rem ſuam ſit datus, vel à domino ſubſtituendi alium (etiam certa non expreſſa perſona) ſibi fuerit conceſſa poteſtas.

Procurator verò datus ad negotia, poteſt liberè quandocumque alium deputare.

SUMMARIUM.

1 *Diviſio textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Judicis eſt rejicere Procuratores inhabiles.*
4 *Judex non eſt indiſcretus ſi habiles admittit.*
5 *Laicus poteſt eſſe procurator in cauſa Eccleſiaſtica.*
6 *Et etiam Aſſeſſor.*
7 *Non procurator ad eligendum.*
8 *Poteſt eſſe procurator ad beneficia recipienda.*
9 *Ad recipiendam inveſtituram.*
10 *Ad renuntiandum beneficio.*
11 *Ad permutandum.*
12 *Ad nudum miniſterium.*
13 *Dars poteſt procurator ad agendum tantùm.*
14 *Qui rejicit procuratorem debet probare inhabilitatem.*

1 PRæſeos Capitulum continet tres partes, & tres regulas, in quarum prima de Procuratore Laico admittendo, in ſecunda, & tertia de facultate ſubſtituendi agitur.

2 In prima igitur parte hæc regula traditur, quia ſcilicet, Non indiſcretè agit Judex, qui laicum in cauſa Eccleſiaſtica admittit ad agendum, & defendendum, quia Procurator idoneus judicari, & admitti debet, quicumque expreſsè non eſt prohibitus.

3 Habetur igitur primò ex hoc textu Judicis partes eſſe, attendere an procuratores ſint vel nõ ſint admittendi ad agendum, & defendendum, eumque indiſcretè agere, ſi admittit inhabilem; ideòque illum poſſe, & debere eũ, quem conſtat inhabilem eſſe ex officio, nulla etiam parte inſtante, & opponente rejicere, ut puta infamem, excommunicatum, militem, *l. Quos prohibet, ff. de poſtul. & cap. cauſam, de jud.* & tenent Gloſſ. *in v. abſentia, ſupr. in cap. 1. de elect. in hoc lib.* & advertunt hìc Anch. *n. 1.* Butr. *n. 1.* Dom. *n. 5.* Franc. *n. 1.* Sic & principalem non idoneæ comparentem debet non admittere, *ut d. l. quos prohibet, ff. de poſtul. & cap. 1. infr. de except.* Non poteſt tamen ſupplere de facto, niſi inhabilitas procuratoris, aut principalis comparentis conſtet ipſi ut Judici, cui tamen conſtare cenſebitur, ſi ſit inhabilitas notoria, & oculis manifeſta, Anchar. & Butr. *dict. num. 1.*

4 Sic è contra Judex indiſcretè non agit, ſi admittat habilem, & omnem illum habilem debet judicare, qui expreſsè non eſt prohibitus admitti, *ut in text. dicitur*. Dicunt propterea edictum de procuratore non eſſe permiſſorium, ſed prohibitorium, quia ſcilicet de jure eſt, ut unuſquiſque in procuratorem admitti debeat, niſi ſpeciali lege expreſsè prohibeatur, & excludatur, Gloſſ. *notab. 3.* Jo. Mon. *num. 1.* Franc. *n. 1.*

5 Quamvis igitur Laicus juris ſpiritualis ſit incapax, illudque non poſſit poſſidere, *ut in c. Sacramenta, & in cap. Meſſana, ſup. de elect.* Unde proprio nomine non poteſt de jure ſpirituali in judicio petere, & agere, id tamen poteſt facere nomine alieno, ſcilicet nomine Eccleſiaſticæ perſonæ, quia hoc nullibi eſt illi prohibitum. Quamobrem laicus eſt habilis, ut in cauſa Eccleſiaſtica poſſit agere, & defendere in judicio, & munus procuratoris exercere, Gloſſ. *not. 2.* Jo. Mon. *n. 2.* Archid. *n. 1.* Jo. Andr. Anchar. *num. 1. & 2.* Butr. *num. 2.* Domin. *num. 6.* Franc. *num. 1.*

6 Et eadem ratione colligitur Laicum in cauſa Eccleſiaſtica poſſe aſſumi ut conſultorem, & aſſeſſorem per Judicem cognoſcentem de una, vel etiam de duabus electionibus in diſcordia celebratis, niſi conſilium Laici eſſet de neceſſitate ſequendum, ut notatur ſuprà *cap. Statutum, §. Aſſeſſorem, de reſcript. in hoc 6. & in cap. Ad noſtram, ſup. de conſuet.* & advertit hìc Franc. *num. 3.*

7 E contra verò colligitur, quod Laicus non poteſt eſſe procurator ad eligendum Prælatum etiam nomine illius, qui habet vocem, & eſt habilis, ut per Gloſſ. *in cap. Apoſtolicæ, ſup. de except.* & Jo. And. *in cap. Quod alieni, infr. de reg. jur.* & Franc. hìc *num. 3.* Quia imò nullus ad eligendum poteſt eſſe procurator, qui non ſit de corpore Capituli, Fago. *in c. Quia propter, n. 62. de elect.* Et dixi *in tract. de elect. cap. 10. n. 35.*

8 Et nihilominus Laicus poteſt conſtitui procurator ad acceptandum beneficium, & poteſt pro alio acceptare collationem beneficii, etiam ſi fuerit conſtitutus ad acceptandum beneficium incertum, puta primum beneficium vacaturum, de quo ſibi videbitur, Jo. And. *in cap. Accedens, ſup. de preb.* Franc. *n. 3.* Barb. *n. 2.* Anch. *n. 1.* qui tamen dicit tutius eſſe id præſtare per Clericum, & ita ſervari, Calder. *conſ. 1. de preb.* Flam. *de reſig. lib. 9. qu. 3. n. 19.* Rota *dec. 10. de proc. & dec. 11. de rer. permut. in antiq.* & apud Creſcen. *dec. 3. de conceſſ. preb.*

9 Sicut & Laicus poteſt recipere inveſtituram beneficii pro Clerico abſente, Jo. And. *in d. cap. accedens*, Franc. *n. 3.*

10 Et Laicus poteſt eſſe procurator Clerici ad renunciandum beneficio, ut voluit Gloſſ. *in v. procuratorem, in Clem. 1. de renuntiat.* quam hìc ſequitur Franc. *n. 3.* Card. Zabar. *in dict. Clem. num. 12.* Butr. *in cap. Cùm olim, num. 13. de reſcript.* Rota *deciſ. 8. num. 5. de procur. in antiq.* & alii quos ſequitur Flam. *lib. 9. de reſig. benef. quæſt. 3. num. 12.*

11 Et eadem ratione poteſt eſſe procurator ad permutanda beneficia, Rota *d. deciſ. 8.* Gambac. *in cap. 1. n. 123. infr. de rer. permut.* quem ſequitur Flam. *d. qu. 3. num. 14.*

12 Et regulariter Laicus poteſt purè miniſterialiter Eccleſiæ negotia tractare, Barb. *n. 2.* Flam. *d. quæſt. 3. num. 20.*

13 Not. 1. disjunctivam *vel defendendum*, ex qua habetur dari poſſe procuratorẽ ad agendũ tantũ, prout advertit Dom. *n. 3.*

14 Not. 2. quod univerſaliter in procuratorem admitti debet quicumque non prohibitus, & ex conſequenti, quod qui vult procuratorem rejicere debet ejus inhabilitatem probare, Gloſſ. *notat. 3.*

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Non indiſcretè I. §. Licèt.

SUMMARIUM.

15 *Regula textus.*
16 *Procurator poſt litem conteſtatam eſt dominus litis, ſi ſit datus ſimpliciter.*
17 *Non eſt eadem ratio de delegato, & procuratore.*
18 *Quid veniat nomine litis.*
19 *Procurator fit dominus inſtantiæ primæ, nec poteſt ſubſtituere ad proſequendam appellationem.*
20 *In cauſis in quibus lis non conteſtatur, quando procurator fit dominus litis.*
21 *Datus poſt litis conteſtationem quando fiat dominus litis.*
22 *Procurator prohibitus non poteſt ſubſtituere.*
23 *Procurator in rem propriam poteſt ſubſtituere ante litis conteſtationem.*
24 *Et qui habet facultatem ex mandato.*
25 *Et ad non certam perſonam.*
Paſſer. in Lib. I. Sexti Decret.
26 *Quando non debeat cenſeri data facultas ſubſtituendi, 27.*
28 *Subſtituens an poſſit revocare ſubſtitutum.*
Subſtituens quo nomine ſubſtituat.
Cujus periculo ſubſtituat.
Quando ſubſtitutio expiret.
Quanda cum facultate ſubſtituendi ſubſtituat.
29 *Defenſor ſubſtituit.*
30 *Et procurator qui ſatis dedit de judicato ſolvendo.*
31 *Procurator in cauſa ſuper mandato ſubſtituit.*
32 *Quid de Tutore, Prælato, & Patre.*
33 *Poſt litis conteſtationem citandus procurator.*
34 *Dominus inſtantiæ poteſt ſubſtituere.*
35 *Dictio ante quid reſpiciat.*

15 IN hac ſecunda parte de facultate ſubſtituendi loquens Pontifex, decernit, quod procurator poſt litem conteſtatam poteſt alium ſubſtituere procuratorem, ante non, niſi

datus fuerit in rem suam, vel à Domino habuerit mandatum de substituendo, etiam non certam personam.

16 Dicitur ergo primò, quod procurator post litis contestationem potest substituere. Quod quidem ex hoc textu docuerunt hìc Gloss. *in v. Ab eo, & in v. procurator*, Jo. Monac. *n.*2. Jo. And. *n.*1. Anch. *n.*1. Butr. *n.*3. Dom. §. *Licet n.*1. Franc. *n.*2. Barb. *n.*5. & præterea Boer. *decis.*285. *n.*1. Barb. *in l. Cùm prætor*, §. 1. *n.*104. *ff. de jud.* Silvest. *v. Procur.* Tabien. *num.* 1. Petrus Benintend. *concl.* 80. *n.*5. Advertit verò Gloss. hoc intelligendum de procuratore dato simpliciter, vel non expressè prohibito; secus verò si procurator datus fuit, usque ad litis contestationem, & expresse prohibitus ne procedat ultra. Hic enim desinit esse procurator lite contestata, & ideò non potest procuratorem substituere, Archid. *n.*1. Butr. *n.*8. Franc. *n.*6. Idem verò dicendum est, si procurator sit datus tantum ad litem contestandam, sed si sit datus simpliciter ad contestandam litem, contestatione litis fit dominus litis, & potest prosequi ad ulteriora, & procuratorem substituere, Jo. And. Archid. *n.*1. Butr. *n.*8. Francus *num.*6. ex Innoc. Et idem prius docuerat Speculat. *tit. de procur.* §. 3. *num.*5.

17 Ex cùm ex hoc Azo voluisset, quod delegatus non à Principe post litem contestatam posset subdelegare; hoc Gloss. rejicit, *ex cap. cùm causa, de appellat.* nec est facienda comparatio, quia etiam post litem contestatam delegans revocat delegatum, cùm tamen dominus causæ non revocet procuratorem nisi causa cognita, *ut infrà cap. prox.* Et præterea hìc est damnum pecuniarum ibi non. Item hìc ex mutatione personæ gravatur adversarius, ut advertunt Jo. And. & Butr. *d. n.*8. Qui aliam causam addit, quia scilicet judex delegatus non fit dominus litis eo quia nullus quasi contractus suo nomine secum geritur, ex quo litis dominium insurgat, *ut l.*3. §. *Idem*, *ff. de pecul.*

18 Reddit verò textus rationem sui asserti, & ait procuratorem ideò post litem contestatam posse substituere, quia fit dominus litis. Est verò primò difficultas, quid veniat litis nomine. Juristæ nomine litis instantiam intelligunt, *ut l. properandum*, *C. de jud.* Verùm hoc improbat Gloss. *in v. litis*, volens litem accipi propriè. Ex hac verò Gloss. quod sub nomine litis non veniat instantia colligunt Arch. & Jo. Andr. Dom. §. *Licet*, *num.*5. Franc. *d.* §. *licet*, *n.*5. & monent hoc esse advertendum pro statutis facientibus mentionem de instantia, vel de lite; quia verba in statutis propriè sunt sumenda, *ut in cap. in nostra sup. de injur.*

19 Et nihilominus communiter rejicitur dictum Gloss. quod hìc scilicet sumatur lis propriè. Lis enim significat actionem, *ut in l. Litis nomen*, *ff. de verb. signif.* Actionis autem dominus est ipse principalis litigans, duo autem non possunt in solidum esse domini actionis, *ut in cap. Inter dilectos, sup. de fid. instrum.* Sic enim etiam de jure Canonico ejusdem actionis plures sunt instantiæ, scilicet causæ principalis, & causæ appellationis. Procurator verò ex lite contestata est dominus instantiæ principalis, & ejus est etiam à sententia appellare, unde potest etiam substituere ad appellandum; sed non potest substituere ad prosequendam appellationem, functus enim est officio suo, Rota *decis.*2. *&* 20. *de procur. in novis*, & coram Achille *decis.*4. *num.*3. *de appellat.* Oldrad. *cons.*296. Et ideò etiam de jure Canonico verificatur expositio legistarum, ut procurator ex lite contestata fiat dominus litis, idest instantiæ principalis causæ, non verò instantiæ causæ appellationis, Dom. & Franc. *d. n.*5. Achil. *dec.*13. *de procur.* Rota *decis.*386. *n.*2. *p.*1. *recent.* Maresc. *varid.*2. *q.*62. *n.*7. Seraph. *decis.*1180. Greg. XV. *dec.*548. *n.*3. & ibi Addit. *n.*12. Vant. *de null. ex defect. inhabil. num.*163.

20 Itaque ergo ad hoc ut procurator fiat dominus litis, necesse est, quod lis sit contestata, *l. Neque tutores*, *C. de procurat. l. si procuratorem*, §. *si quis mandaverit*, & ibi Bart. *n.*1. *ff. mandati*, sed quid in causis, in quibus lis non contestatur? In his procurator fit dominus litis cùm primum cœperit de meritis causæ tractari, & negotium principale discuti per Prant. *in l. Ab executore*, §. *si procurator*, *num.*2. *ff. de appell.* & Bald. *in l. ante diem*, *num.*2. *inf. ff. de procur.* & alios quos sequitur Mantic. *decis.*304. *n.*1. *&* 2. & tenet hìc Barb. *n.*3. Et id magis explicant Dom. §. *Licet*, *num.*5. & Franc. dicentes tunc procuratorem fieri dominum litis per primum actum, qui solet sequi post litis contestationem immediatè, ut Gloss. *in cap.*1. *supr. de litis contest.* Et sic procurator ex tunc poterit substituere.

21 Et hoc idem dicendum est de procuratore dato post litis contestationem, ut scilicet fiat dominus litis, & possit substituere. Hujus oppositum tenuerunt Gloss. *in v. ab eo*, Archid. & Jo. Andr. & Dom. *n.*5. Bartol. *in l. Nihil*, *C. de proc.* quia cùm per litis contestationem ipse Dominus factus fuerit dominus litis, non potest procurator factus post fieri litis dominus, cùm duo in solidum non possint fieri domini litis, *cap. Inter dilectos, sup. de fide instrum.* Et hanc opinionem habuit etiam Specul. *in tit. de procur.* §. 1. *n.*4. Verum cum Cyn. & Bald. *in l. nihil, de proc.* Anch. *n.*... Butr. *n.*7. & Franc. §. *licet n.*4. sentiunt, quod procurator post contestatam litem institutus, statim per reliquum processum in causa fiat litis dominus, & sic possit substituere. Quod probant, quia ex *l. Nullam*, *C. de procur.* sententia est ferenda in talem procuratorem, ut per Gloss. *in d. l. nihil*, hoc verò fieri non posset, nisi ille esset dominus litis, ut *in l.*1. *C. de sentent. & inter.* Et in isto casu benè duo possunt esse domini litis in solidum, sicut quando à principio Dominus causæ ipse, & procurator usque ad finem simul ex una parte litigassent: in hoc enim casu uterque esset dominus litis in solidum.

Nihilominus supradicta limitari debent, ut non proce- 22
dant, si dominus in mandato expressè prohibeat, ne procurator substituat. Tunc enim numquam potest substituere quantumcumque sit factus dominus litis, Franc. *n.*7.

Secunda autem pars regulæ hujus textus erat, quod pro- 23
curator ante litis contestationem non potest substituere, quia tunc nondum est dominus litis, sed regula quantum ad hanc partem fallit multipliciter. Et quidem primò, si procurator sit datus procurator in rem suam. Talem verò esse dicit Gloss. ut si titulo donationis cessæ sunt actiones alicui, qui datus est procurator ad eas intentandas, *ut in l. illam subtilem*, *C. de don.* Colligi etiam procuratorem datum esse in rem suam, si adsit clausula, *ponens eum in locum*, *jus*, *& esse suum*, dixit Seraph. *dec.*541. *n.*4. sive si sit constitutus, ut sibi satisfaciat de credito suo, Rota *decis.*129. *n.*2. *part.*1. *recent.* per Cast. *l. fin. n.*2. *ff. de donat.* De hoc verò procuratore in rem suam multa habet Specul. *tit. de proc.* §. *final.* Et quomodo ex parte rei detur procurator in rem suam, Jo. And. ait notari *in l. Plautius*, *ff. de procur. in gl. sed qualiter.* Multa etiam hìc videri possunt in Arch. Nobis nunc sufficiat, quod cùm iste procurator sit dominus actionis, potest substituere etiam ante litis contestationem, quandocumque voluerit, ut dicitur in textu, & docent Archid. *n.*3. Jo. Anchar. Butr. *n.*4. Dom. §. *licèt*, *n.*6. Franc. *num.*6. Et addit Archid. quod hìc Procurator potest etiam transigere, cùm res jam sit sua. Nam nec est propriè procurator, quia negotium gerit ad sui utilitatem, & non aliena, sed propria negotia gerit, & suo proprio jure actum gerit, *ut in l. illam*, *C. de donat.* Et ideò impropriè est Procurator, Butr. *num.*4. videri etiam potest Barbosa *claus.*71.

Fallit secundò regula in procuratore habente in mandato 24
facultatem substituendi, ut in textu dicitur. Et tradunt hìc DD. & Marant. *p.*4. *dist.*16. *n.*21. *&* 28. Vant. *de nullit. tit. ex defectu mandati*, *n.*109. Barb. *n.*8. Hìc enim substituit nomine domini, vel per eum substituit dominus, & ideò potest quando voluerit substituere. Et per hoc sublata fuit dubitatio, Specul. *in tit. de procurat.* §. 1. *num.*25.

Sed jam ex hoc textu est manifestum nedum, quod procu- 25
rator datus cum facultate substituendi certam personam possit illam substituere, sed etiam si sit data facultas indeterminata, & ad personam vagam, & incertam. Licèt enim deputatio procuratoris debeat esse certæ, & expressè personæ, *l.*2. *de procur.* sicut & constitutio arbitri certa esse debet, *l. Item si unus*, §. *si in duos*, *ff. de arbitr. & cap. innotuit*, *supr. de arbitr.* Unde si quis constituerit procuratores suos Titium, & alium, quem ipse voluerit, existimant Franc. *n.*7. & Butr. *num.*10. quod deputatio quantum ad alium, quem Titius voluerit, non valeat, licèt addat Franc. de hoc plenius videndum esse in Jo. Andr. *in add.* ad Speculat. *tit. de procur.* & Ang. *in l.*2. *ff. de procur.* Ubi examinatur quæstio, an valeat deputatio procuratoris alternativa. Nihilominus concessio facultatis ad substituendum potest dari indefinita; quia hæc non est deputatio procuratoris, sed facultas ad deputandum, qua concessa procurator tenebitur posteà substituere certam personam, si substituere voluerit, ut hìc not. Gloss. Archid. *n.*5. Butr. *num.*3. *&* 10. Dom. §. *licèt*, *num.*4. Franc. *num.*7.

Addit verò Barbos. *num.*9. quod si in mandato dicatur, 26
quod constituens procuratorem suum relevat non per hoc intelligitur data illi facultas substituendi, de quo tamen ait videndos esse Menoch. *cons.*175. *n.*12. & Surd. *decis.*191.

Item

27 Item ſi Dominus Procuratori non dedit facultatem ſubſtituendi, ſed poſtea in relevatione cavetur, quod dominus relevat eum, & ejus ſubſtitutum, vel ſubſtituendum ab omni onere ſatis dandi, non per hoc cenſetur data facultas ſubſtituendi, quia illa verba non ſunt diſpoſitiva, & quia verba prolata, quæ ſupponunt aliud, nihil diſponunt ſuper eo, quod ſupponitur, Rota *deciſ.23. de procur. in antiq.* quam ſequitur hic Dom. *n.5.* Licèt Franc. advertat Ludov. tenere contrarium in ſua not.405. & moneat ad prędicta videndam eſſe, Gloſſ. *in l. pen. §. quod ſi is, ff. de diverſ. & temp. præſcript.*

28 Circa hujuſmodi verò ſubſtitutum ex hoc text. advertit Rota *dec.8. de procur. in nov.* quod ſubſtituens revocare non poteſt ſubſtitutum niſi in illis caſibus in quibus Dominus poſſet revocare inſtitutum à ſe, Franc. hic *n.6.* Sed de hoc dicitur *inf. cap. Is qui*. Secundò advertit idem Franc. quod procurator ſubſtituens, videtur quod ſubſtituere debeat non nomine ſuo, ſed nomine domini, de quo not. plenè *in l. procuratoribus, C. eod. tit.* & per Jo. And. *in add.* ad Specul. *eod. tit.* Tertiò advertit idem Franc. quod ubi procurator ſubſtituit per facultatem ſibi datam à Domino, ſubſtituit periculo ejuſdem domini: ſecus ſi ſubſtituat jure ſuo ex facultate, quam habet poſt litem conteſtatam, quia tunc ſubſtituit periculo proprio, ut dixit Innoc. *cap.1. Vt lite non conteſt.* Ubi etiam habet, quod procurator tenetur Domino ad intereſſe, ſi non ſubſtituit, quando eſt neceſſe, & quod expenſis procuratoris tenetur hoc facere, de quo ibi per DD. Quartò Franc. advertit quid dicendum ad illam quæſt. An mandatum ſubſtituentis re integra expiret per mortem illius. Re enim non integra certum eſt, quod non expirat. Et in ſubſtituto facto à procuratore domino litis, res non ceſſat eſſe integra per litis conteſtationem, quia hæc ſemel facta à procuratore non debet reiterari à ſubſtituto, ſed per primum actum ſubſtantivum factum à ſubſtituto res incœpit eſſe non integra, & ſic ſubſtitutus morte ſubſtituentis non expirat, Bellam. *concl.6.* Seraph. *dec.1048. n.7.* Dicitur enim, quod procurator ſubſtituit ex facultate ſubſtituendi ſibi à Domino tradita in mãdato, non extinguitur mandatum morte procuratoris ſubſtituentis, quia principale ſubſtituens cenſetur dominus ipſe, qui vivit; ſed ſi procurator ſubſtituit jure proprio ex facultate habita ex lite conteſtata mandatum morte illius expirat, re integra, & in hoc mandatum aſſimilatur delegationi, Rota *dec.33. de procur. in nov.* Seraph. *dec.823. n.1.* Quintò advertendum, quod ſi quæratur, an procurator ſubſtituens poſſit ſubſtituere dando ſubſtituto facultatem iterùm ſubſtituendi, reſpondendum eſt cum diſtinctione; Nam ſi ſubſtituit ex vi facultatis ſibi conceſſæ in mandato, non poteſt cum eadem facultate ſubſtituere, ne detur proceſſus in infinitum. Sed tamen poterit cum ea facultate ſubſtituere, ſi fuerit datus procurator in rem ſuam, vel ſi ex vi litis conteſtare factus ſit dominus litis, quia tunc ſubſtituit ut dominus, Franc. *n.7.* Rota *deciſ.5. & 8. de procur. in nov.*

29 Fallit tertiò, regula in defenſore. Is verò dicitur defenſor ſecundùm Specul. *tit. de defenſ. n.1.* qui ſine mandato præſtita cautione de judicato ſolvendo, alium in judicio defendit. Et contra hunc poſſunt objici, quæ contra principalem, & contra procuratorem. Quærit verò Specul. *tit. de proc. §.1. n.27.* an hujuſmodi defenſor poſſit procuratorem inſtituere ante litis conteſtationem, & latè ad utramque partem diſputat, & in partem affirmantem inclinare videtur *n.6.* & citatur pro eadem Bald. *in l. quod quis, C. de procur.* & idem ſenſerunt Jo. And. hic, & Butr. *n.3.* Sed hoc limitat Rota *dec.35. de procur. in nov.* ut procedat ſolùm in cauſis merè civilibus, & cauſis profanis, non verò in criminalibus mixtis, & beneficialibus, vel aliis ſpiritualibus, quia in iſtis locum non habet cautio prædicta, nec poteſt in bonis defenſoris fieri ſententiæ executio, unde non poteſt defenſor hujuſmodi fieri dominus litis, & ideò nec poteſt ſubſtituere, & ita cum Rota ſentiunt etiam Dom. *n.1. & 4.* & Franc. *num.3.*

30 Addit verò Butr. *num.3.* hoc idem dicendum de procuratore, qui ſatis dedit de judicato ſolvendo. Et de procuratore actoris, cùm eſt admiſſus vigore cautionis de rato, quia non conſtat de mandato. Iſti enim procuratores fiunt domini litis ante litis conteſtationem, & ideò poſſunt ſubſtituere: textus enim noſter loquitur de procuratoribus, qui per litem conteſtatam fiunt domini litis.

31 Fallit quartò ubi vertitur quæſtio non ſuper cauſa principali, ſed ſuper procuratorio, ſeu mandato. Nam cauſa iſta ſuper mandato eſt propria procuratoris, ut habet Specul. *tit. de procurat. §.3. n.3.* Et ideò tanquam in cauſa propria poteſt procuratorem conſtituere.

32 Horum verò occaſione adnotatur, quod eadem ſit ratio de Tutore, & Curatore, ut ante litem conteſtatam non poſſint inſtituere procuratorem, poſſint verò poſteà, Pupilli verò, vel pupillæ interveniente Tutore, & Curatore, quandocumque volunt poſſunt procuratorem ordinare, *l. neque 11. C. de procur.* Anch. *n.6.* Butr. *n.14.* Franc. *n.3.* Panorm. *cap. Cùm cauſam, n.4. de juram. calum.* Epiſcopus verò, vel Eccleſiæ Prælatus etiam ante litis conteſtationem poteſt procuratorem inſtituere, ut docent Innoc. *in d. cap. Cùm cauſam*, & ibi Panorm. *n.4.* Franc. hic *n.3.* Anch. *n.6.* Butr. *n.14.* An verò Prælatus poſſit ſine conſenſu Capituli, aut Conventus agere, & Procuratorem inſtituere tractant Canoniſtæ *in cap. Edocert 21. de reſcr.* ubi Panorm. *n.6.* latè quæſtionem explicat. Pater quoque in cauſa filii procuratorem poteſt quando voluerit conſtituere, *ut in l.1.* & ibi per DD. *C. de bon. matern.* Anch. *n.6.* Butr. *n.14.* quamvis requiratur conſenſus filii, ſi eſt major, *l. fin. §. Vbi autem, C. de bonis, quæ liberis, &c.* Franc. *n.3.*

33 Not. 1. quod ex quo per litis conteſtationem procurator fit dominus litis, poſt litis conteſtationem ad actus judiciales vocari debet procurator, & non dominus, Dom. *num.1.* Franc. *n.1.* Jo. And. *in cap. In nomine Domini, de teſtibus*.

34 Not. 2. regulam generalem, quod ſcilicet, qui eſt Dominus inſtantiæ, poteſt ad illam procuratorem inſtituere; quia ex eo Pontifex probat, quod Procurator poſt litem conteſtatam poteſt ſubſtituere, quia eſt dominus litis, Dom. *num.1.*

35 Tertiò, quod dictio *ante* indifferens eſt, ut poſſit referri ad actum antea ſive mediatè, ſive immediatè celebratum, Rota *deciſ.243. n.1. par.1. diverſ.* unde deducit Dom. *num.2.* quod ſi teſtis dicat Titium ante poſſediſſe, non infertur quod immediatè poſſederit.

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Non indiſcretè I. §. Procurator.

SVMMARIVM.

36 *Regula textus.*
37 *Subſtitutus ad negotia ſubſtituit, ſed periculo ſuo.*
38 *Fallit in aliquibus caſibus.*
39 *In judiciis cenſetur electa induſtria perſona.*

36 IN hac tertia parte brevis regula continetur, quæ eſt, quod Procurator datus ad negotia poteſt liberè quandocumque alium deputare.

37 Hoc verò intelligitur, ſive plura negotia, ſive unum ſolùm commiſſum ſit. Et ita ut nedum ipſe Procurator primò inſtitutus, ſed alii ſubſtituti in infinitum poſſint ſubſtituere, & unus eorum alteri tenebitur, ſed lis æſtimabitur tantum quantum intereſt Domini principaliter conſtituentis, *l. ſi quis mandato Titii, ff. de neg. geſt.* Jo. And. *n.1.* Anch. *num.3.* Butr. *n.6.* Franc. *num.1.* Et ideò ſic ſubſtituens ſuo periculo ſubſtituit; quid tamen habet regreſſum contra ſubſtitutum. Quo generaliter verificatur ex *d. l. ſi quis mandato*.

38 Semper tamen advertendum procuratorem non poſſe ſubſtituere primò ſi ſit expreſsè prohibitus. Secundò ſi prohibitus tacitè, ut ſi alicui committitur certum negotium expediendum per ſe ipſum. Tertiò ſi alicui committitur aliquid perſonaliter agendum. Et quartò univerſaliter ubi electa ſit induſtria perſonæ, Anch. *in fin.* Butr. *n.13.* Franc. *in fin.* Et addunt Anchar. & Butr. numquam cenſeri electam induſtriam perſonæ, quando dominus certo modo limitavit formam mandati, nec poſuit in poteſtatem procuratoris.

39 Et hæc eſt ratio quare in judiciis procurator non poteſt ſubſtituere, & hoc poteſt procurator ad alia negoria, quia nimirum in judiciis cenſetur electa induſtria perſonæ, ut poſt Baldum advertit Franc. *in fin.*

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

QUamvis Procurator possit ante litem contestatam etiam sine causa liberè à domino revocari, postea tamen ipso nolente nequibit: nisi eum cum domino inimicum fieri, vel suspectum: aut adversario affinitate conjungi, vel ejus hæredem fieri, seu ingredi religionem, aut in longum peregrinari, vel ægritudine, aut vinculis detineri contingat, seu alia rationabilis causa subsit, propter quam sit meritò revocandus. Verùm quamquam (nisi ut præmittitur) revocari non possit, dominus tamen suæ causæ unà cum eodem procuratore (maximè si de collusione timeat,) minimè prohibetur adesse.

SUMMARIUM.

1 *IUra concordantia.*
2 *Regula textus.*
3 *Mandatum revocabile est ex voluntate constituentis.*
4 *Casus aliqui in quibus procurator ante litem contestatam non potest revocari.*
5 *Revocatur per scripturam.*
Non sufficit sigillum non impressum scriptura.
6 *Nisi data cautione de rato. Et probata traditione sigilli.*
In dubio admittitur procurator cum cautione de rato.
7 *Procurator revocatur tacitè.*
8 *Revocatio debet intimari procuratori, & parti.*
9 *An sufficiat si notificetur judici, & parti.*
10 *De procuratore ad negotia multa: remissivè.*
11 *Post litem contestatam procurator non potest revocari sine causa.*
12 *Ipso nolente, seu non consentiente.*
13 *Nec tacite per alterius constitutionem.*
14 *Et quotiescumque procurator factus est dominus litis.*
15 *Procurator primæ instantiæ potest in secunda revocari.*
16 *Requiritur etiam consensus adversarii.*
17 *Ex causa rationabili potest revocari.*
Sufficit inimicitia non capitalis.
18 *Sufficit suspicio: sed ex eo procurator non censetur sufficienter suspectus, quod resistat.*
19 *Sufficit ingressus in religionem.*
20 *Et longa peregrinatio.*
21 *Et quacumque causa rationabilis ad arbitrium.*
22 *An mandatum expiret morte constituentis: hæres potest alium constituere.*
23 *Quæ forma sit servanda in translatione instantiæ.*
24 *In causa dubia procurator interim abstinet.*
25 *Dominus potest adesse sua causa.*
26 *Hoc multum illi potest prodesse.*
27 *Citari debet procurator, & non dominus.*
28 *Actus judicialis habitus à domino an valet.*
29 *Id potest fieri liberè, quod potest fieri sine causa.*
30 *Dictio* nisi *post negativam stat inclusivè.*
31 *Ingressus in religionem tollit obligationem personalem.*
32 *Aequivalent inhabilem esse, & esse absentem.*
33 *Procurator non sit dominus causæ sed instantiæ.*

1 DE facultate revocandi Procuratorem decernit Bonifacius VIII. in hac decretali, & quæ decernit conformia sunt determinatis suprà ab Innoc. III. *cap. In causis* 30. *de elect. in antiq.* & à Clem. III. *in cap. ex insinuatione* 3. *suprà de procurat.* Et in jure Civil. *Inst. lib. 3. tit. 27. de mandato, §. mandatum* 11. *& l. si vero non remunerandi* 12. *§. si mandavero* 16. *ff. mand. lib. 17. tit. 1. & l. si Pater* 3. *C. mand. lib. 4. tit. 35. & l. Ante litem* 16. *ff. de procur. lib. 3. tit. 3. & ead. tit. l. filius* 8. *§. fin. & leg. seqq.* 9. 10. *&* 11. *& l. post litem* 17. *& seqq.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

2 Itaque igitur in præsenti hæc regula datur. Procurator ante litem contestatam, etiam sine causa à Domino potest revocari, post litem verò contestatam, non nisi ex rationabili causa, & nihilominus Dominus potest adesse causæ cum ipso procuratore, maximè si de collusione timeat.

3 Tres partes hæc regula continet. Prima est, quod Dominus ante litem contestatam potest liberè revocare procuratorem; mandatum enim procuratoris durat donec constet de contraria volontate constituentis expressa, vel tacita, *d. l. si vero non renuntiandi, §. si mandavero, ff. mand. & l. si procurator, §. fin. ff. de procur.* & durare præsumitur nisi contrarium probetur, *l. Cum hic status, §. 1. ff. de donat. inter virum & uxor.* Probata verò contraria voluntate expirat. Est enim mandatum de sui natura revocabile, & ideò re integra ad libitum potest procurator revocari, *decis.* 345. *numer.* 19. *part.* 5. *& decis.* 24. *num.* 12. *par.* 6. *& decis.* 297. *par.* 7. *recent.* Aliqui tamen sunt casus, in quibus non potest procurator hujusmodi revocari, vel saltem sine causa rationabili examinata id fieri non potest, ut tradunt Butr. *num.* 2. Dom. *num.* 5. Franc. *num.* 1.

Fallit tamen hoc in aliquibus casibus. Primus est, si datus fuisset procurator in rem suam, sic enim factus esset dominus litis, nec posset hoc dominium auferri, *l. Procur. ff. de Procur.* Secundò si Dominus mandatum datum procuratori velit revocare in parte, & non in totum, hanc enim inconstantiam non tenetur procurator sustinere, *l. In causa* 27. *ff. de procur.* Tertiò si procurator aliquid expendit de suo in lite, & ideò vult retinere officium, donec sibi id solvatur. In quo casu cessat causa retinendi officium, si dominus velit solvere. Alias enim conclusio hujus textus, quod procurator possit re integra revocari intelligitur refectis expensis, Rota *decis.* 1308. *n.* 2. coram Penna, & in Placentina nullitatis revocationis mandati procuræ 23. Januarii 1598. coram Litta. Quintò si procurator ad aliquid se obligavit in judicio, secundùm Jo. Andream, & Franc. *num.* 1. post Gloss. *in l. Si verò, ff. de procur.* 4

Revocatur verò procurator, vel expresè per scripturam, vel tacitè per constitutionem alterius. Non est verò necesse, quod scriptura sit instrumentum publicum manu Notarii, aut testium firmatum, sed sufficiunt literæ patentes manu, & sigillo revocantis signatæ, ut per Gloss. *in Clem.* 1. *de procur.* & Franc. hic *n.* 3. Dom. *n.* 8. Butr. *n.* 7. Rota *decis.* 1. *de procur. in nov.* Debet tamen sigillum esse cognitum, aut si negetur probatum. Sufficere verò sive ad constitutionem, sive ad revocationem procuratoris, si habeatur sigillum constituentis, & revocantis, licèt non sit scripturæ impressum probavit Archid. ex eo, quia tradens sigillum confidit in eo, cui illud tradidit, sed quod sigillum solùm non probet, nisi sit scripturæ impressum voluerunt Hostien. & ex eo Jo. Andr. Butr. *n.* 7. Dom. *n.* 8. Franc. *num.* 3. Quod & tanquam verius approbavit Archid. 5

Qui tamen excipiunt casum, in quo procurator caveat de rato, *ut in l. si Procuratorem, ff. de procur.* vel aliter fiat fides, *ut in l.* 1. *C. de satis.* Debet tamen sigillum esse cognitum, & probari quod illud fuerit traditum à domino per not. à Jo. And. *in cap. coram, sup. de off. deleg.* Et per hoc concordari potest, quod hic habet Imola tenens, quod ex solo sigillo cum cautione de rato non admittitur procurator. Nam alias quod quando est dubium de mandato admittendus sit procurator cum cautione de rato habetur, *l.* 1. *C. de procur.* Et sic etiam aliter, quàm per sigillum, ut quia habet apud se instrumenta causæ, ut probatur *in d. c. cap. Coram, & in l.* 3. *§. causa, ff. ad Corb. & in d. l.* 1. de quo his plenè per Domin. & Franc. Qui etiam subdit, quod ubi causa non esset magni ponderis, vel non requireret mandatum speciale, & persona, quæ haberet sigillum esset bonæ famæ, & nota domino admitteretur cum cautione de rato, esto non probaretur de traditione sigilli, quia tunc non præsumeretur sigillum fuisse furtum subtractum. Quod verò 6

dica-

dicatur sigilhm authenticum, vide apud Speculat. *tit. de procur. §. ratione autem, vers. Item quod non est sigillo*.

7 Revocatur etiam tacitè procurator, ut in casu de quo infrà *in hoc tit. cap. Si quem*. Et Procurator constitutus ad tempus, vel sub certa conditione, tempore aut conditione adveniente expirat.

8 Ad hoc verò ut revocatio effectum habeat debet intimari *cap. Insinuante, cap. Mandato, sup. eod. tit. l. si mandasset, ff. mandati*, Gonzal. *reg.8. gloss.63. num.51.* Felin. *cap. ex parte Decani n.7. & 8. de rescriptis*, Vant. *de null. ex parte mand. n.159.* Cassad. *decis.2. n.13. de appell.* Caputaquen. *decis.220. part.1. & decis.110. part.2.* Rota *decis.233. n.7. par.7. recent.* Quod quidem intelligitur, si fuit intimata institutio. Debet verò revocatio intimari, & procuratori, & judici, & parti adversæ, si procuratoris institutio fuit in actis producta, & sic Judici, & parti intimata. Debet quidem intimari Procuratori, aliter acta per ipsum ante revocationem intimatam valent saltem in præjudicium revocantis, *cap. Mandato, sup. eod. tit.* ubi Doctores, & hìc Gloss. *in v. reservari*, Anch. *num.1.* & per Doctores *in l.1. Cod. de satisdando*, Felin. *cap. ex parte Decani num.24. de rescript.* Rota *decis.2. num.3. de Procurat. in nov.* Cassad. Caputaquen. Gonz. & Vant. locis citatis, Bald. *in l. si quis mihi bona 25. §. Sed si postea, ff. de acqu. hered.* Rota *decis.130. num.8. part.6. recent.* Camillus Capucius *in praxi part.1. cap.5. art.10. num.230.* Pariter verò, si Procuratoris institutio fuit intimata Judici, & parti debet illis intimari revocatio, alias gesta per procuratorem ante insinuationem præfatam valent ad favorem ejusdem partis adversæ, licèt ad favorem revocantis ipso facto sint nulla, ut per Gloss. hìc *in v. revocari*, Rota *d. decis.2. num.3. de procur.* & Vant. *de nullit. ex defect. mand. n.159.* Capuc. *ubi sup. num.233.* Quod tamen fallit, ubi Procurator revocatus consentiente, & participe adversario occultavit revocationem. Nam in eo casu acta non valent in præjudicium revocantis, ut eadem Gloss. advertit.

9 An autem si revocatio devenerit ad notitiam Judicis, & partis sufficiat, licèt non devenerit ad notitiam Procuratoris revocati, videndi Cassadorus *decis.2. de app.* & alii *in cap. ex parte Decani, de rescript. & cap. Mandato, supr. eod. tit.* Mihi placet sententia Panorm. *d. cap. Mandato, num.5.* ut scilicet, sufficiat si revocatio innotuerit alteri eorum, scilicet, vel adversario, vel judici; si enim intimata fuit, acta sunt nulla, quia Judex tulit sententiam contra personam non legitimam; si intimatum fuit parti, sibi imputet pars, quæ scienter litigavit cum procuratore revocato. Et ita hanc partem approbavit Rota *decis.26. de renuntiat.* coram Mohedano.

10 De revocatione verò procuratoris ad alia negotia tractatur *in cap. ex parte Decani, de rescript.* ubi latè Felin. Et de revocatione Procuratoris dati ad renuntiandum in beneficiis, *in Clem.1. de renunt.* Ubi etiam notatur, quid in mandato ad conferendum, vel ad eligendum, de quo etiam *in cap. fin. infr. in hoc tit.* Multa etiam habet Rota *in dict. dec.2. de Procurat.* Ubi inter alia, quod ubi alicui datum fuit mandatum ad contrahendum non determinatis certis personis, non est necesse, quod revocatio fuerit intimata illis, cum quibus procurator revocatus contraxit, & quod si in hoc illi damnificati sunt, sibi imputent, qui debebant videre an Procurator fuisset revocatus.

11 In secunda verò parte nostræ regulæ positæ in textu dicitur, quod re non integra, scilicet post contestatam litem procurator non potest revocari absque legitima causa, quod cum Gloss. & alius DD. hic docuerunt etiam Boer. *decis.285. num.4.* Ricc. *part.4. collec.132.* Rota coram Mohedano *decis.1. de Procur. & decis.172. num.1. & 194. num.1. & 386. num.3. part.1. recent.* sæpè Panorm. *in cap. Non injustè, n.4. supr. hoc titul.* Felin. *in cap. Ex parte, num.17. de rescript.* Petrus Benint. *conclus.49. num.8.* ex Innoc. & Panorm. *cap. in causis, supr. de elect.* Rota *decis.288. num.1. & decis.341. num.1.* coram Coccin.

12 Hoc tamen dicitur sub conditione, scilicet ipso Procuratore nolente, & non consentiente, unde absens, & ignorans revocari non potest, secundùm Franc. *in cap. si quem, §. secus, infr. in hoc tit.* & Put. *decis.303. alias 295. l.2.* Ubi per Gloss. hìc *in ver. revocari*, subdit, quod in præjudicium revocantis tenet revocatio facta, Procuratore non consentiente.

13 Et nedum expressè, sed nec tacitè revocari potest Procurator dominus litis per constitutionem alterius procuratoris absque clausula, *Citra revocationem*, non enim est major vis taciti, quàm expressi, Bart. *in l. si quis, §. Julianus, ff. de Procur.* Panorm. *d. cap. Non injustè, n.5. sup. hoc tit.* Rota in Mediolanen. rescissionis contract. 14. Decembris 1611. coram Sacrato, Barbosa hìc *num.6.* Quidquid in contrarium dixerint Bellam. *dict. cap. Non injuste, num.4.* Ludovisius *decis.548. n.6.* & ex Cassad. *decis.2. de appellat.* Capucc. *ubi sup. num.248.*

Extenditur verò regula ad omnem Procuratorem factum dominum litis. Ideò in causis ubi non est necessaria litis contestatio, postquam per actum illum primum judicialem sequentem ad litis contestationem si fieret, Procurator factus est dominus litis non potest revocari ipso non consentiente, Jo. Andr. Anchar. *in fin.* Domin. *num.5.* Franc. *num.5.* 14

Intelligi tamen debet regula de instantia cujus Procurator factus est dominus. Nam alias Procurator, qui fuit dominus litis in prima instantia potest revocari, ut non sit procurator in causa appellationis, etiam si ipse appellaverit à sententia, Rota *decis.2. de Procu. in nov.* Bellam. *conclus.530.* Seraph. *decis.1180. num.1. & 2.* Barbos. hìc *num.6.* Vant. *de nullit. ex parte inhabilit. num.163.* Quamvis Seraphin. *decis.195. num.2.* dicat quod de consensu Procuratoris non multum curatur, quia ejus contradictio non impedit effectum revocationis in præjudicium revocantis, sed id facit tantum, ut pro conservatione suæ famæ cognoscatur, an sit justè revocatus, alias si se ingereret, esset suspectus, *l. Quæ viam, ff. de procur.* Cassad. *decis.2. de appellat. num.4. & 5.* Panorm. *in cap. mandato in p. not. de procur.* Put. *decis.302. l.2.* Rota in Neapol. undecim millium, coram Sarmiento 8. Maji 1565. 15

Extenditur autem ut nedum sit necessarius consensus Procuratoris, ut valeat revocatio, sed etiam sit necessarius consensus partis adversæ, si in hoc habeat interesse. Quia per litis contestationem Procurator cum adversario quasi contraxit, *ut l.3. §. Idem scribit, ff. de Procur.* quem quasi contractum nec procurator, nec dominus dissolvere possunt adversario invito, Anchar. *n.2.* Butr. *n.3.* Franc. *n.5.* Panorm. *cap. Non injustè, n.4. sup. in hoc tit.* Felin. *cap. ex parte, n.27. de rescript.* Mohed. *decis.1. de procur.* Beninteo. *concl.49. n.7.* Seraphin. *decis.53. n.2. & decis.195. n.1.* Penna *decis.737. n.4.* Mellin. *decis.100. num.5.* Capella Tolos. *quæst.277.* Rota *decis.145. num.1. par.1. divers.* & in Aquil. expensarum 4. Maji 1596. coram Pamphilio Sen. & in Trid. benef. 26. Novemb. 1601. coram Penna, & in Romana pecuniaria 29. Aprilis 1624. coram Manzanedo. Et ut pars adversa dicatur renuisse sufficit, quod prosequatur judicium cum procuratore revocato, ut in dicta Romana pecuniaria, & Burat. *decis.729. n.2.* & Barbos. hìc *n.6.* Quod verificatur, ut etiam si procurator ipse consentiat, non possit recusari, si pars dissentiat, Benint. *conclus.80. num.3.* Franc. *num.5.* 16

Et nihilominus ex causa rationabili potest Procurator revocari etiam re non integra, Capell. Tolos. *quæst. 277.* Causas autem plures numerat Pontifex, quæ habentur etiam *in l. filius, §. fin. & seq. & in l. Post litem, & seq. ff. de Procurat.* Et primò assignatur inimicitia. Non est verò necessaria inimicitia capitalis, Gloss. *in v. inimicum*, Franc. *num. 5.* Unde hoc est arbitrarium. Ex Menoch. *verò de præsumpt. l.2. præs.36. num.7.* addit Barbos. *num.7.* quod ex orta inimicitia inter dominum, & procuratorem mandatum dicitur revocatum. 17

Etiam ex eo, quod habeatur suspectus potest procurator recusari *ex l. autem quæ omnia 25. ff. de Procur.* Aliqui volunt, quod Procurator ex eo reddatur suspectus, quod revocatus velit prosequi procurationem, & sic operas ingerat in invitum. Et ita Camillus Capuccios *in praxi lib.1. cap.5. art.10. num.246.* inquit, quod si procurator recusatur sine causa, non potest amplius se ingerere, quia eo ipso efficeretur suspectus. Et citat Gloss. hìc. Sed immeritò, quia Gloss. 1. ex Acursio distinguit, & vult quod si procurator cum parte adversa resistit revocationi, procurator non reddatur suspectus, secus si procurator solus resistit. Et nihilominus postea approbat secundam responsionem Acurs. ita quod procurator, ex quo revocatus nō consentit revocationi reddatur aliqualiter suspectus, sed non taliter, ut simpliciter vi illius possit in perpetuū removeri secundùm Jo. de Fant. & Dom. *n.9.* & Franc. *n.5.* Nam alias ex quacumque causa etiam falsissima, & injuriosa Procuratori ipse posset de facto revocari, nec verum esset, quod ad revocandū procuratorem sit necessaria 18

aliqua rationabilis causa, quia sufficeret, quod Dominus etiam sine causa revocaret, & tunc Procurator teneretur habere, se ut revocatum, quia si vellet contradicere ex hoc revocaretur. Hæc autem non sunt consona æquitati, & juri. Ex l. igitur illa solùm habetur, quod Procurator revocatus, si recuset, ex hoc redditur jam aliqualiter suspectus, ut aliis circumstantiis adjunctis possit postea absolutè revocari.

19 Inter causas istas autem numeratur ingressus in Religionem. Et sufficit ingressus animo probandi statum religiosum, ut advertunt Gloss. & Dom. *num.9.* & Franc. *num.6.* Nedum verò potest revocari Procurator, qui ingreditur religionem, sed nec ipse, qui ingreditur tenetur ex causa assumptæ procurationis, vel eam prosequi, vel abstinere à religionis ingressu. De quo videri possunt dicta à me *tom.3. de stat. quæst.189. art.6. à num.120.* Et quod Novitius non possit esse Procurator, probavi *tom.2. de stat. qu.187. art.1. num.34.*

20 Etiam longa peregrinatio, aut iter assumptum à Procuratore est rationabilis causa illum revocandi. Arbitrarium verò erit judicare, quæ sit longa peregrinatio, ut notat Gloss. Et sufficit, quod iter longum voluntariè sit assumptum etiam sine necessitate, Archid. *n.1.* Dom. *n.*... Franc. *n.1.*

21 Universaliter verò sufficit quæcumque causa rationabilis ad hoc, ut Procurator revocetur, Seraphin. *decis.195. num.1.* Rota *decis.353. n.1. p.4. divers.* Gratian. *discept.618. num.19.* Exemplificat Gloss. ut si Procurator sit decrepitus, vel nimis juvenis, si detentus in vinculis, vel injustè à piratis, vel justè in judicio, si latitat, si ut ait Lapus, sit excommunicatus, si ut notat Rota *decis.172. n.1. part.2. recent.* Procurator incœpit litigare cum suo principali. Et universaliter sufficit quæcumque causa, quæ habeat pacem, vel majorem rationis æquitatem, quàm illa, quam habent causæ in textu expressè, Gloss. & Monac. *n.1.* Arch. *n.1.* Dom. *num.9.* Franc. *n.6.* Et advertendum, quod licèt causa adesset tempore constitutionis Procuratoris, & constituenti nota esset, tamen si ex ea dominus patitur damnum potest procuratorem revocare. Unde Franc. *n.6.* ait dominum posse revocare Procuratorem decrepitum, vel nimis juvenem etiam si ex certa scientia illum constituisset, & quod hoc est speciale, ut lites citius finiantur, secundùm Imol. & Dom. Et cùm non possit sub certa regula tradi quænam sit hujusmodi justa causa, arbitrio prudentis Judicis hoc relinquit Affflic. *in cap.1. n.24. Ex quibus caus. feud. ammitt.* Bald. *in l.1. n.8. C. de advocat. divers. Judic.* Jas. *in l. Properandum, §. sin autem, n.8. C. de jud.* quos refert, *& seq.* Rota *dict. decis.172.*

22 Explicatur etiam regula, ut non habeat locum, quando morte mandantis, etiam re non integra, expirat mandatum. Nam in beneficialibus mandatum, etiam re non integra, expirat morte mandantis, *Clem. fin. de Procur.* Sed & in profanis expirat nullo apparente hærede. In quo tres casus distinguit Rota *decis.189. n.7.* coram Penna. Si enim est certum nullum adesse hæredem, Procurator non potest litem prosequi, quam tamen prosequi potest, si indubitatè adest hæres. Sed in casu etiam quod sit dubium, an aliquis velit esse hæres, Procurator litem prosequitur, donec appareat nullum velle esse hæredem, ut distinxit Rota 6. Martii 1573. in Romana status de Columna coram Robusterio. Quando igitur mandatum, etiam re integra, expirat morte mandantis, tunc ab hærede alias Procurator potest constitui, ut in mandato dato ab Episcopo, aut Prælato nomine Ecclesiæ, vel ab usufructuario, vel ab habente majoratum, ex Suario, & Azevedo probat Barbos. *n.4.* subdens talem Procuratorem posse revocari, etiamsi adsit pactum de non revocando. Quia in beneficialibus Procurator morte beneficiati recusatur, Put. *decis.182. n.3. l.2.* Mant. *d.213. num.20.*

23 Quæ verò forma sit servanda dum revocato Procuratore transfertur instantia judicii seu procuratio litis in dominum, traditur hìc ab Anchar. *num.4.* & Butr. *num.4.* Et videndi sunt Doctores *in l. Iulianus, ff. qui satisd.* Qui declarant, an in hujusmodi translatione transferantur cautiones, satisdationes, pignora, &c.

24 Dum verò dominus revocat Procuratorem, si causa non est manifesta, sed dubia, Procurator interim non se debet ingerere, donec causa examinata, videatur quid de jure, Gloss. *in v. suspectum*, Archid. *num.1.*

In tertia parte Pontifex præmissam regulam explicans declarat, quod præmissis non obstantibus dominus, unà cum suo Procuratore causæ suæ adesse potest, & maximè si de collusione timeret. 25

Nam & omnis, qui habet in causa interesse potest illi adesse, *l. si suspecta, ff. dict. in off. testamen.* Multum verò potest domino hoc prodesse, quia poterit testes, & instrumenta producere, & alia allegare, & quæ opportuna sibi videbuntur disponere, ut à Procuratore decipi non possit, Glos. *in v. adeò*, Anchar. *num.3.* Franc. *n.2.* Rota *decis.2. de Procur. num.3. & 4. in nov.* 26

Non tenetur tamen dominus adesse, sed hoc est illi arbitrarium; imò in casu isto, in quo Procurator est dominus instantiæ, nec potest revocari, non est citandus dominus, sed Procurator; quod si domino citato nec ipse, nec Procurator compareret, sententia esset nulla ex defectu citationis, citatio enim data non arctavit dominum, & debuit citari Procurator, qui erat dominus instantiæ. Ita post Bart. Anch. *n.3. notab.6.* Butr. *n.9.* Rota *in d. decis.2. n.4. de Procur.* 27

Itaque in hoc casu actus judiciales sunt Procuratoris, qui est dominus instantiæ, nec invito Procuratore potest dominus aliquem actum judicialem facere. An verò si aliquem faciat, ille valeat tractant hìc Anchar. & Butr. ex quibus dicitur breviter, quod invito procuratore non valet. Sed si dominus faciat aliquem actum judicialem præsentibus, & non contradicentibus procuratore, & adversario valet actus, sed per talem actum revocatur tacitè procurator, *cap. Si quem infrà in hoc tit.* quia tam ille, quàm adversarius non contradicendo consentiunt, & alias ad hoc, ut revocetur procurator, est necessaria cognitio causæ, solùm si ipse non consentit. Nihilominus in duobus casibus non esset procurator revocatus. Primus si actus ille esset talis, in quo simul cum Procuratore intervenire deberet dominus. Secundus, si dominus expressè dixerit se facere illum actum, sed non animo revocandi, vel hìc animus aliundè colligitur. Sed si dominus aliquem actum judicialem faceret procuratore præsente, & absente adversario, non revocaretur procurator, actus tamen valeret. Ita Anch. & Butr. 28

Notandum primò, quod id dicitur posse fieri liberè, quod potest fieri sine causa, Dom. *n.2.* Sed distingui debet libertas ad culpam vitandam, & libertas ad vitandam injustitiam. Non enim datur libertas aliquid agendi sive causa, si loquimur de culpa vitanda, quia ex lege naturali tenetur homo non agere, nisi ex finis honesti motivo, unde non datur actus, qui in individuo sit indifferens à bonitate, & malitia morali, D. Thomæ *p. 2. quæst.18.* Nam si est ex objecto bonus, & debitis circumstantiis vestitus, est bonus, at uno ex istis deficiente, & præcipuè si deficiat motivum honesti finis, est malus. Sed benè ad vitandam injustitiam datur causæ libertas, & potest ad agendum sufficere voluntas pro ratione; in indifferentibus enim, & minimè debitis non fit injustitia proximo, si aliquid non datur, vel datum aufertur ex solo domini beneplacito. 29

Notandum secundò, circa dictionem *nisi*, quod si sequatur negativam, stat inclusivè, Domin. 30

Notandum tertiò, quod ingressus in religionem, tollit obligationem personalem. Ita Dom. *n.4.* & videri possunt, quæ probavi, *tom.3. d. stat. quæst.189. art.6. à num.120.* 31

Notandum quartò hæc duo æquivalere, scilicet esse præsentem, sed inhabilem ad actum, & esse habilem, sed absentem, sic enim Procurator absens inhabilis judicatur ad procurandum. 32

Notandum quintò, quod Procurator per litis contestationem non efficitur Dominus causæ, sed solius instantiæ; Nam textus ait, quod Dominus potest assistere causæ suæ; principalis igitur est dominus causæ etiam post litis contestationem, quia in casu litis, in qua Procurator factus est Dominus litis per contestatam litem textus dicit, quod Dominus simul cum Procuratore potest adesse causæ suæ. 33

DE

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT III.

IS, qui à procuratore super hoc à domino potestatem, habente procurator extitit substitutus, non potest post mandatum susceptum, etiam si eo usus non fuerit (Licèt in delegato Sedis Apostolicæ vices suas alteri committente aliud censeatur) ulterius revocari ab illo: Nisi revocandi potestas concessa fuisset eidem. Verùm si cùm ad plures, vel ad omnes causas generaliter constitutus fuisset, in una tantùm substituerit earumdem, in aliis nequaquam prohibetur procurationis officium exercere.

SUMMARIUM.

1 *Ratio condita decretalis.*
2 *Regula textus.*
3 *Cur contraria disposita sint de Delegato, & de Procuratore.*
4 *Regula non comprehendit Procuratorem substituentem ex dominio litis.*
5 *In dubio Procurator censetur substituisse, quo melius possit.*
6 *Quid si Procurator substituat cum clausula* donec revocavero.
7 *Quid in eo, qui est Procurator ad plures causas.*
8 *Quid in eo, qui habet duo mandata unum generale, & aliud speciale.*
9 *Substitutus antequam recipiat substitutionem potest revocari.*
10 *Substitutus per receptionem substitutionis fit Procurator.*
11 *Sufficit si substitutio accipitur, licèt literæ ejus non fuerint receptæ.*
12 *Si in mandato est clausula* de rato, *gesta per eum, qui ignorat sustitutionem, valent.*
13 *Gesta per Procuratorem antequam recipiat procuratorium quomodo valeant.*
14 *Qui non acceptavit non est verus Procurator.*
15 *Procurator debet in actis exhibere mandatum.*
16 *Substitutus post receptam substitutionem non potest revocari.*
17 *Substitutus qui recepit substitutionem potest illam acceptare durante substituentis voluntate.*
18 *Si substitutio non valet, facultas manet apud substituentem.*
19 *Substitutus re integra revocari potest ab habente facultatem revocandi.*
20 *Et ab eo, qui habet mandatum cum clausula*, quod ejus mandatum maneat firmum.
21 *Et ab eo, qui potest plures substituere.*
22 *Substitutus an possit renuntiare substitutioni.*
23 *Substitutus in dubio, quem satis dabit.*
24 *Mortuo substituente an cesset substitutus.*
25 *Procurator an possit rata habere gesta falsi substituti.*
26 *Procurator ad plures causas, si substituit in una, desinit esse Procurator in illa.*
27 *Constitutus à Procuratore plus habet, quàm constitutus à Domino.*
28 *Per susceptionem mandati non perpetuatur jurisdictio.*
29 *Non valet arg. à Delegato ad Procuratorem.*
30 *Dictio* plures *non includit omnia.*
31 *Procuratori ad plures causas debet reddi sui procuratorium exhibitum in actis.*
32 *Commissio in uno, non inducit commissionem in alio.*
33 *In non connexis negligentia in uno non nocet alteri.*

1 CUm supra *in cap. Quamvis de offic. delegati* constitutum fuerit, subdelegantem posse revocare subdelegatum antequam ille cœperit uti jurisdictione, eo quia jurisdictio ante illius usum non censeatur transivisse in subdelegatum, videri potuisset idem dicendum esse de Procuratore substituente sibi alium ex facultate sibi à constituente concessa; sed quia non expedit, ut in hoc assimilentur Delegatus, & Procurator, seu substitutus, ideò de hoc decernit, quid juris sit.

Et ponit hanc regulam in Procuratoribus servandam, 2
scilicet, Procurator, qui habet à domino potestatem substituendi, si substituat, post substitutionem à substituto receptam, etiam si illa non fuerit usus, non potest substitutum revocare. Neque tamen Procurator ex hoc impeditur, quominus si habeat mandatum ad plures, vel ad omnes causas, & substituerit sibi unum in una causarum earumdem, possit in aliis procurationis officium exercere.

Quæri autem primò potest cur contraria disposita fuerint 3
de Delegato Sedis Apostolicæ, & de Procuratore. Aliqui dicunt hoc factum fuisse, quia judicare non tantum sit onus, sed simul sit honor, at verò procurare sit onus tantum, non præsumitur verò quis sic de facili excutere honorem, sicut onus, nec sic duo sicut unum. Ita Jo. Andr. *num.* 2. Archid. *num.*3. Dom. *num.*9. Ratio tamen ista non aptatur, quia posse revocari, vel non revocari non pendet à voluntate subdelegantis, & substituentis, sed à dispositione legis, quæ in hoc non respicit commodum privatum illorum, sed utilitatem publicam. Ideò aliter respondet Gloss. quia nimirum Delegatus Sedis Apostolicæ habet facultatem subdelegandi à lege, sed procurator habet hanc facultatem ab homine. Et ideò statim ac substituit functus est officio suo. Sed hæc responsio non tangit punctum difficultatis; cur enim lex voluit, ut in delegatione res sit integra, donec subdelegatus usus fuerit jurisdictione, & in substitutione disposuit, ut ex nuda receptione substitutionis res cesset esse integra, nec possit substitutus revocari, sed censeatur substituens functus esse officio suo? Respondetur igitur hujus discrimen causam esse ex lege, quæ illud constituit, legem verò respexisse ad utilitatem publicam; majoris enim ponderis est judicare, quàm privatam causam defendere, & majori inspectione dignum est, quod exercetur nomine publico, quàm quod exercetur nomine privato. Propterea lex voluit, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, cui ob utilitatem publicam concedenda fuit facultas subdelegandi, quæ negatur Delegatis ab inferioribus judicibus, posset in subdelegando pœnitere, ut si viderit melius esse cognoscere causam subdelegatam per se ipsum, aut per alium à Subdelegato, id possit facere antequam Subdelegatus in possessione usus jurisdictionis fuerit; quæ ratio non militat in Procuratore habente facultatem à privato domino causæ, qui si imprudentem Procuratorem eligit, sibi imputare debet. Aliàs verò ex natura rei substitutio est perfecta, cùm est data, & recepta.

Hinc quæritur secundò, an regula textus procedat in 4
omni substitutione. Nam Procurator ex duplici facultate substituere potest, vel scilicet ex ea, quam habet per speciale mandatum à constituente, vel ex ea, quam habet à jure, cùm factus est dominus litis, vel quia est constitutus Procurator in rem suam, vel quia jam contestatus fuit litem. Glos. *in v. aliud existimat* determinationem textus verificari in solo Procuratore, qui substituit ex speciali sibi tributa facultate à domino in mandato, quia hic solus substituit ex facultate hominis, sed alius substituit ex facultate legis. Nam si Pontifex de omni institutione voluisset regulam valere id expressisset, *cap. Ad audientiam, de decim.* Cur enim expressè de solo illo, qui substituit ex facultate domini regulam tradidit? Idem sensit Butr. *num.*1. & 6. Et credo assertionem veram, sed non approbo rationem, sed ratio est, quia aliud est

est substituere ex dominio, & aliud substituere ex commissione. Natura rei fert, ut qui substituit ex officio substitutione facta, & recepta functus sit officio suo, & ideò lex statuit, ut substituens ex commissione substitutum, qui mandatum recepit, revocare non possit, sed hæc ratio non procedit in eo, qui substituit ex dominio litis, sed hujus eadem est in hoc ratio, quæ est in domino ipso constituente Procuratorem, qui ante litem contestatam potest Procuratorem revocare; & sic substituens ex eo, quod jam est dominus litis potest substitutum revocare antequam ille per litem contestatam, factus sit dominus litis.

5 In dubio autem an Procurator substituerit ex propria facultate, vel ex vi mandati censendum esse, quod id fecerit ex propria facultate, dixit Butr. *n.6.* & quod in dubio censeatur substituisse ex ea facultate, qua melius, & utilis substituere potest, ex Achil. de Graff. *decis.4.n.4. de Procur.* tradit Ridolphinus *in Prax. par.1.cap.3.n.52.* Ubi *num.53.* quod hoc quoque dici debet si substitutio facta sit cum clausula, *& aliàs omni meliori modo*: quia hæc clausula sustinet actum prout melius, Mart. *claus.88. num. 14. par. 1. & clausul. 56. n.8. par.3.*

6 Quæritur tertiò, An regula locum habeat in Procuratore, qui præsente, & acceptante substituto vices suas substituit cum clausula, *donec eas duxerimus revocandas*? Rota *decis.30. de Procur. in nov.* distinguit, & ait hunc Procuratorem non posse quidem revocare substitutum sub illa conditione, si ille per litem contestatam factus sit dominus litis, sed benè posse illum revocare ante litem contestatam, & sic sub regula præsentis textus non comprehenditur Procurator substituens sub conditione, & clausula *donec, &c.* Sed Franc. *hic n.5.* admittens, quod clausula *Donec duxerimus revocandas*, non operetur in casu, in quo substitutus per litis contestationem fecit litem suam, quantum ad aliam partem distinguit, & dubitat, quia Procurator substituens, vel jam usus fuerat mandato, & in hoc casu admittitur dictum Rotæ, vel non fuerat usus mandato, & tunc si non habuit à domino facultatem revocandi, non potuit substituere cum illa clausula, unde si substituit, expirat ejus mandatum, si substitutus recepit substitutionem, nisi dicatur, quod substitutio facta sit conditionaliter sub illa forma, sicut *sup. cap. Si Delegatus, de off. deleg. in hoc lib.* subdit verò hoc esse de mente Gloss. quatenus allegavit dictum textum, *cap. Si Delegatus.* Sed dicendum videtur determinationem Rotæ subsistere, quia in facultate substituendi concessa intelligitur facultas substituendi etiam sub conditione, & ideò Procurator etiam antequam factus sit dominus litis, si habet facultatem substituendi à domino, potest substituere sub illa conditione *donec eas duxerimus revocandas*, & sic potest revocare substitutum, antequam ille per litem contestatam fiat dominus litis. Tunc enim non censetur substituisse causam in totum, *argum. cap. Quamvis, & c. Si Delegatus, sup. de off. deleg. in hoc 6.* & si talis substituens reassumat causam, & in ea procuret, facto jam revocat substitutum, *ut inf. cap. Si quem in hoc tit.*

7 Quæritur quartò, An regula habeat locum in Procuratore generali ad plures, vel omnes causas, Videtur enim quod in eo non procedat. Nam etiam si substituat in una causa, tamen ex vi mandati generalis poterit substitutum revocare, antequam factus sit dominus litis. Et ita existimat hìc Anchar. *n.2.* & pro eadem sint à Franc. refertur Bald. *in l. Quod quis in 6. quæst.....* sed dicendum oppositum ex hoc textu in fin. Ex quo enim decernitur quod habens generale mandatum cum facultate substituendi, si substituit in una non prohibetur ex hoc exercere in aliis officium procurationis, manifestè ostenditur, quod hoc officium prohibetur exercere circa causam, in qua substituit. Et ideò habens mandatum generalem si substituat in aliqua causa ex facultate substituendi non potest revocare substitutum. Butr. *n. 4.* Fr. *n.5.*

8 Hinc sequitur, quod si detur Procurator habens duo mandata eodem die data, unum generale, & aliud specialem cum facultate revocandi, si substituat in vim mandati specialis non potest substitutum revocare, nec etiam virtute generalis mandati. Nam renuntiasse videtur generali procedendo per speciale. Et præterea generale detrahebatur quoad causam illam per speciale mandatum, *cap. 1. de rescript. & cap. Non injuste de Procur.* Et sic nec per generale, nec per speciale poterit ad se causam sumere. Ita Specul. *tit. de Procur. §.3. n.14.* referens Clem. IV. ita sensisse, Quod & docuerunt hìc Jo. And. *n.1.* Butr. *n.3.* Dom. *n.7.* Anch. *n.2.* Franc. *n.5.*

9 Regula autem nostra intellecta de hoc Procuratore substituente ex facultate substituendi sibi à domino concessa habet duplicem exponentem, altam affirmativam, & implicitam, aliam negativam, & explicitam. Prima exponens affirmativa est, quod substitutus à tali Procuratori antequam recipiat substitutionem potest ab eo revocari. Nam textus solùm decernit, quod non possit revocari post receptam substitutionem. Sed hujus est manifesta ratio, quia substitutio non acceptata, non est substitutio substantialiter completa, sed solùm in fieri, unde adhuc est in potestate liberi agentis, & substituentis, ut compleatur, vel non compleatur.

Substitutus igitur sicut & Procurator ex admissione substitutionis, aut mandati fit substitutus aut Procurator, & ex tunc solùm incipit habere potestatem procurandi, *cap. sup. eo de appel. l. observare, ff. de off. Procons.* Archid. *n. 1.* Jo. Andr. *n.1.* Anch. *n.2.* Butr. *n.1. & 3.* Franc. *n.2.* Barbosa *n.2.* Specul. *tit. de Procur. §.1. n.18.* Gloss. *in ver. receptis, Clem. 1. de Proc.* Bald. *in l. falsus C. de furt.* Rota *decis. 7. de Procur. n.1. in nov.* Ubi quod substitutus non debet admitti, nisi probetur Procuratorem non substituisse antequam acceptasset onus procurandi. Quamobrem si Procurator, vel substitutus aliquid facit ante receptas literas mandati, aut substitutionis, nulliter facit, ut præfati DD. tradunt Rota *decis. 451. n.1. p. 2. recent.* Quibus concordat Rota *decis. 451. n.2. p. 2. recent.* Addens quod quando ad Procuratorem pervenit mandatum, tunc censetur illud acceptasse, & tunc certus de suo jure potest substituere. 10

Hoc tamen explicatur, & limitatur ex Bart. *in l. Sed si pupilli, §. Item si Procurat. ff. de neg. gest.* ut procedat quando Procurator ignoravit se constitutum Procuratorem dum actum gessit, secus si tunc id scivit, quia tunc valerent acta per illum, Anchar. *hic n.2.* Franc. *n.2.* Quamobrem dicendum est sufficere acceptationem officii, seu acceptationem datarum literarum, quæ fit per consensum voluntatis forinsecus expressum, & quæ potest dici acceptatio formalis, & substantialis, licèt literæ materialiter non sint receptæ. 11

Limitatur 2. ut si in mandato sit clausula *de rato*, valeant acta Procuratoris etiam gesta antequam mandati literas recepit, imò si ignoraverit se tunc fuisse factum Procuratorem, Dom. *n.6.* Franc. *n.2.* 12

Sed video, quod Rota *in d. decis. 7. n.3. in fin. de Procur.* ait, quod in Rota servatur, quod actus gesti per Procuratorem antequam recipiat procuratorium valent, & sufficit quod illud ante sententiam in judicio producatur. Et Pur. *decis. 360. lib. 1.* vult quod Procurator, qui contrahit ante receptionem mandati, dum tamen revera stet mandatum tempore contractus, validè contrahat. 13

Mihi videtur dicendum, quod qui non consensit in mandatum, non sit verus Procurator. Nam ut ait Rota *d. dec. 7.* mandatum inducit contractum mandati; igitur requiritur consensus ipsius Procuratoris ad hoc ut hic mutuus contractus constituentis Procuratorem, & Procuratoris compleatur; nequit verò Procurator consentire nisi sciat se institutum esse a constituente, & sic in mandatum consentiat. Sed aliud est, an actus sint efficaces, aliud est an sint nulli, & inhabiles tam actu, quàm potentia, aliud est quod si non sunt actu efficaces, esse possint ex sequenti ratihabitione, hoc enim modo validi esse possunt actus Procuratoris etiam ignorantis mandatum, si aliàs possunt ratihaberi. 14

An verò valeant actu gesti à Procuratore ante mandatum in actis exhibitum? Et quid si fuit datus terminus ad exhibendum mandatum in actis tractat Specul. *d. tit. de Procur. §.1. n.18. & 19.* Certum est Procuratorem teneri exhibere in actis legitimum mandatum. Et si id non faciat, parte opponente, non debet audiri. Vestr. *in prax. l. 4. cap. 5. num. 24.* Ridolphin. *in prax. part. 1. cap. 3. num. 38.* Quin imò, & judex potest compellere Procuratorem ad docendum de mandato procuræ, ne frustra laboret. Gloss. *in cap. 1. §.1. in v. absentia de elect. sup. in hoc 6.* Et ideò si pars opponat, & protestetur, quod nemo comparens ex adverso audiatur, nisi docto de mandato, si mandatum non producatur acta sunt nulla ex defectu mandati. Rota *decis. 131. n.4. p.1. recent.* Caval. *decis. 483. n.7.* Et sic protestatio hujusmodi operatur, ut productio mandati licèt antea facti non valeat ad revalidandum acta ante productionem post protestationem tamen facta. Gloss. *in c.1. v. absentia, sup. de elect. in hoc lib.* Rot. *decis. 105. n.1. p.1. divers. & decis. 135. n. 4. p.1. recent.* Caval. *decis. 337. n.6.* Greg. XV. *dec. 330. n.1.* Burat. *decis. 296. n.1. & dec. 683. n.6.* Nihilominus tamen parte non opponente sufficit mandatum procuræ produci quandocumque, Vant. *de null.* 15

ex

ex defect. inhib. seu mandati n. 118. Seraph. *dec.* 933. *n.* 1. Penna *decis.* 58. *n.* 19. Aclul. *dec.* 6. *de Proc.* Rot. *dec.* 688. *n.* 3. *p.* 1. *div.* & *dec.* 305. *n.* 4. *p.* 1. *recent.* Nam & si non fiat oppositio Procurator censetur approbatus, licèt non constet de mandato procuræ. Rot. *decis.* 530. *n.* 15. *p.* 1. *recent.* Et oppositio non relevat, nisi fiat in quocumque actu, quia censerut ab ea recessum, Rot. *decis.* 648. *n.* 3. *p.* 1. *divers.* Greg. XV. *decis.* 44. *n.* 7. Caval. *decis.* 348. *n.* 5. & *decis.* 483. *n.* 8. Ridolph. *in praxi l.* 1. *c.* 2. *n.* 183. Et in casibus in quibus præsumitur mandatum sustinentur acta, protestatione non obstante, Ridolph. *nu.* 184. Facta verò per Procuratorem ante præfatam protestationem sustinentur, si mandatum erat factum, Gloss. *in d. cap.* 1. *verb. absentia sup. de elect. in hoc lib.* Burat. *decis.* 21. *n.* 26. Ridolph. *d. cap.* 2. *n.* 187.

16 Secunda exponens negativa est, quod hujusmodi substitutus post acceptatam substitutionem revocari ooo potest. Quod est dicere, quod hujusmodi Procurator statim, ac substituit, & substitutio recepta fuit, desinit esse Procurator, nec potest amplius se ingerere in causa, & tota potestas procurandi transit in substitutum. Gloss. *in v. susceptum*, Anch. *n.* 1. Franc. *n.* 5. & alii DD. omnes.

17 Et quamvis substitutio, quæ non habuit effectum perinde sit, ac si non esset, & substituens adhuc maneat Procurator, ut advertit Franc. *n.* 4. Tamen etiam si substitutus primò noluerit recipere substitutionem, tamen manente eadem voluntate sobstituendi illum in substituente, illam substitutus validè recipere potest, Gloss. *in v. susceptum*.

18 Nedum verò, ut supra dicebatur, hoc non habet locum, tunc quando Procurator substituit ex jure proprio, quia dominus litis; quia potest revocare substitutiooem antequam substiturus usus fuerit substitutione, & se fecerit dominum litis. Sed etiam si ex aliqua causa substitutio non valuit, ut quia substitutus erat inhabilis, vel ex quacumque simili causa substitutio fuit irrita, remanet potestas procurandi apud substituentem, Franc. *n.* 5.

19 Limitatur 2. si in mandato principali data est Procuratoti facultas substituendi, & revocandi, quia in hoc easu poterit substitutum revocare re integra, & causam reassumere, etiam si causam transtulisset totaliter in substitutum, imò si substituendo protestatus fuisset oolle se intromittere in dicta causa, protestatione hac non obstante, potest causam reassumere virtute facultatis revocandi toties quoties voluerit, Franc. *hic n.* 5. Rota *decis.* 14. *de Procur. in nov.* Imò etiam re non integra posset substitutionem revocare in illis casibus in quibus posset dominus principalis, ut notat Franc. Et addit Rota, quod si Procurator hujusmodi reassumeret causam ex hoc tacitè revocaret Procuratorem, juxta dicenda *infra in hoc tit. cap. si quem*. Quamvis si substitutus ageret in causa, posset Procurator rata habere acta per illum; quod tamen facere non posset, si Procurator eum expressè revocasset, & inhibuisset, ne procederet, & ex notat. *cap. Ex parte Decani sup. de rescript. in antiq.*

20 Limitatur 3. & idem dicendum est, si Procurator in mandato principali habeat facultatem substituendi, & revocandi cum clausula, *quod mandatum Procuratoris remaneat firmum.* Nam hoc idem est, ac si illi data fuisset facultas revocandi. Er dato etiam qood substituendo totam jurisdictionem transtulerit in substitutum, potest re integra illam revocare, ut post Dom. tradit Franc. *d. n.* 5. Ridolph. *in prax. l.* 1. *c.* 3. *n.* 72.

21 Limitatur 4. si Procuratori in mandato principali data sit facultas substituendi unum, vel plures; quia in hoc casu non deficit jurisdictio in substituente per substitutionem unius, cùm possit alios substituere: Unde multò magis potest per se ipsum causam procurare, & ideò re integra, potest causam reassumere, Rot. *dec.* 576. *n.* 4. *p.* 3. *recent.* Ridolph. *d. c.* 3. *n.* 73.

22 Sed numquid substitutus non potest substitutioni jam acceptatæ renuntiare. Re integra posse, secus re noo integra, nisi ex causa justa, dicunt hic Gloss. *in v. susceptum*, Arch. *n.* 1. Jo. And. *n.* 1. Butt. *n.* 3. Dom. *n.* 9. Franc. *n.* 3. Quod quidem in his termiois communibus benè dicitur. Sed, ut monet Franc. quando dicenda sit res integra, vel non integra dicetur *infra cap. licet*.

23 Cùm verò contingere possit, ut substitutio sit dubia, in dubio autem Procurator cum cautione de rato admittatur, si detur casus dubiæ substitutionis, substitutus ex vi facultatis datæ substituenti ab ipso domino satis dabit non Procuratorem substituentem, sed dominum ipsum, cujus facultate, & à quo censetur substitutus licèt medio Procuratore. Sed si fuit substitutus à Procuratore ut à domino litis jam facto, satis dabit Procuratorem substituentem, quia tunc substitutio facta est proprio nomine, & facultate substituentis. Et ita ex Specul. *tit. de Proc.* §. 1. *n.* 26. & Bart. *in l.* 2. *in fin.* & *l. de curatore ff. de curatore*, tradunt hic Jo. And. *n.* 1. Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 2. Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 3. Et est de mente Rotæ *decis.* 33. *de Procur. in nov.*

24 Hac enim ratione eadem Rota ibid. & Franc. asserunt, quod mortuo Procuratore substituente ex vi facultatis habitæ à Domino, si dominus vivat, non expirat substitutio, quia vivit dominus à quo censetur facta. Expirat tamen si fuit facta à Procuratore ut à domino litis, seu ex facultate habita à lege.

25 Unde etiam oritur aliud discrimen inter hujusmodi substitutiones, quod consideraruut domini de Rota *decis.* 38. *de Proc. in nov.* & ex eis Franc. *n.* 3. Quia nimirum Procurator, qui substituit tamquam dominus litis ex facultate legis, potest substituti falsi gesta rata habere, & validare, & expressè, & tacitè; sed Procurator, qui substituit ex facultate mandati, non potest gesta à substituto falso ratificare tacitè, quia hanc facultatem noo habet ex mandato, sed solum potest ratificare expressè.

26 Tandem verò textus declarat, quod Procurator datus ad plures, vel ad omnes causas, si substituat in una, non per hoc privatur potestate procurandi in aliis, si tamen non habet facultatem revocandi, & non substituit ex propria facultate, sed ex facultate domini, non potest substitutum revocare, sed à tempore, quo substitutus recepit causæ illius substitutionem, substituens respectu ejusdem causæ desinit esse Procurator; remanet tamen quantum ad aliàs.

27 Notandum primò, discrimen inter Procuratorem constitutum à domino, & substitutum constitutum à Procuratore, quia hic plus habet, quia non potest revocari statim ac est constitutus, cùm tamen constitutus à domino possit revocari antequam litem suam fecerit per litis contestationem, Dom. *n.* 2.

28 Not. 2. Ex hoc textu evidenter probari quod per susceptionem mandati non dicitur quis uti mandato, quia textus distinguit inter susceptionem mandati, & usum illius. Ex quo etiam concluditur evidenter, quod per susceptionem mandati non perpetuatur jurisdictio, Dom. *n.* 3.

29 Not. 3. Ex hoc textu evidenter etiam probari, quod jus disponens de delegato, non ex hoc disponit de Procuratore, & quod non valet argumentum à Delegato ad Procuratorem, vel è contra, Dom. *n.* 4.

30 Not. 4. Quod dictio *plures* non includit omnia proportionabilia termino, cui adjungitur, unde hic subdisjunctione dicitur plures, aut omnes, *cap. Recolentes de stat. Regul.* Dom. §. *Verum n.* 1.

31 Not. 5. Quod Procurator ad plures, vel omnes causas, si habet facultatem substituendi potest substituere in una, & non in aliis, quamobrem si procuratorium suum exhibeat in actis pro una causa, potest illud repetere, & debet ei restitui, ut post Specul. *in tit. de Procur.* §. *Nunc dicamus in fin.* advertunt hic Jo. And. & Franc. *in fin.* Dom. §. *Verum n.* 4.

32 Not. 6. Quod ex quo declaratur, quod Procurator ad plures causas ex quo substituens in una desinit esse Procurator in illa, non per hoc desinit esse Procurator in aliis, benè sequitur, quod nec amissio unius causæ inducit amissionem aliarum, nec commissio unius causæ inducit commissionem alterius separatæ, Dom. §. *Verum n.* 3.

33 Ratio verò istius veritatis est, quia in ooo connexis prosecutio, vel negligentia in uno non obest alteri: secus tamen in eodem facto, Jo. Mon. *n.* 2. Archid. *n.* 3. Jo. And. *n.* 1. Butr. *n.* 3. Dom. §. *Verum n.* 5.

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IV.

QUi ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatum exigant speciale, constituitur procurator: ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adjuncta clausula generali: tunc ad non expressos etiam admittetur. Procurator quoque absque speciali mandato juramentum deferre, transigere, vel pacisci non potest: nisi ei bonorum, vel causæ administratio liberè sit concessa.

SUMMARIUM.

1 *QUid textus supponat.*
2 *Regula textus.*
3 *Mandatum stricti juris.*
4 *Procurator datus ad agendum debet defendere.*
5 *Mandatum ad agendum non valet principaliter ad defendendum.*
6 *Mandatum ad agendum tantùm, non se extendit ad defendendum.*
7 *Alia remissivè.*
An Procurator actoris possit cogi, ut caveat de defendendo domino.
8 *An mandatum se extendat ad futuras actiones.*
9 *Se extendit in duobus casibus.*
10 *Syndicus potest constitui ad causas futuras.*
11 *Quid operetur clausula*, etiam si requirant mandatum speciale.
12 *Ex vi mandati generalis incidenter possunt peti quæ requirunt speciale mandatum, ut petere restitut. in integrum.*
13 *Procurator potest appellare.*
14 *Habens generale mandatum validè agit, si sciente domino tractat ea, quæ requirunt speciale mandatum.*
15 *Acta per Procuratorem falsum sciente domino valent.* Vide Fermos. cap. causam 9. q. 9. de Jud.
16 *Secunda regula textus.*
17 *Sufficit, si aliquis casus requirens speciale mandatum, sit expressus in genere.*
Quid sit esse expressum nominatim.
18 *Verba mandati ponderanda. Sufficit si casus sub aliquo verbo mandati contineatur.*
19 *Sufficit si aliquis casus specialis exprimatur exceptivè.*
Exceptio non auget.
Exceptio firmat regulam in contrarium.
20 *Exceptio signum augmenti.*
21 *Vicarius Episcopi potest non excepta, si detur facultas excipiendi unum, vel aliud.*
22 *Sensus regulæ.*
Ut mandatum se extendat ad specialem requiritur clausula generalis.
23 *Mandatum non se extendit ad majora expressis.*
24 *Quæ sint similia.*
Mandatum non se extendit ad ea, quæ requirunt notabilem specificationem.
25 *Dictio* cujuscumque *extendit ad majora.*
26 *Clausula generalis limitatur per antecedentia.*
27 *Clausula generalis non extenditur ad casus quibus specialiter est provisum.*
28 *Tertia regula textus.*
29 *In tribus casibus facultas Procuratoris se extendit ad specialia.*
30 *Facultas cum libera æquivalet speciali mandato.*
Multa fieri possunt ab habente mandatum cum libera.
31 *Forma mandati inspicienda.*
Facultas cum libera non datur nisi exprimatur.
32 *Quando Procurator censeatur datus cum libera*, 33.
34 *Ad quæ non se extendat facultas cum libera.*
35 *Non habentes liberam non possunt pacisci.*
36 *Quàm facultatem habeant Procuratores generales Religionum.*
37 *Facultas Procuratoris generalis Ord. Prædicat.*

PRæsupponitur in hac decretali plures dari speciales causas, & casus in quibus Procuratores nec valent, nec 1 admittuntur sine speciali mandato: quos casus referunt hic Gloss. *in v. pacisci*, & Franc. *num.* 4. *&* 5. & Barbos. *in tract. de claus. claus.* 35. nec opus est ea recensere. Quo supposito Pontifex decernit, quid possit Procurator ex generali mandato, & quando mandatum habens clausulam generalem censendum sit speciale, & tandem aliqua numerat quæ non potest perficere Procurator sine speciali mandato.

Tres itaque regulas statuit. Prima est, quod Procurator 2 datus ad agendum, & defendendum, & generaliter ad omnia, etiam cum clausula, *si mandatum exigunt speciale*, ex vi talis mandati non potest vi generalitatis hujusmodi admitti ad ea procuranda, quæ mandatum exigunt speciale.

Ex parte igitur Procuratoris præsupponitur datum mandatum generale, & amplum, & nedum ad agendum, sed 3 etiam ad defendendum, & amplius generaliter ad omnia, & ulterius addita clausula, *etiam si illa mandatum exigant speciale*. Mandatum enim stricti juris est, & strictè interpretari debet, nec licet extendere ad causas, vel casus in verbis illius non comprehensos; unde mandatorum verba diligentissimè sunt consideranda, *l. diligenter, ff. mandati.* Ubi Ang. *in §. Præterea.* Vant. *de null. ex def. mand. n.* 75. Ne contingat excedere fines illius, & nulliter agere.

In textu autem dicitur ad agendum, & defendendum. 4 Quia licèt mandatum datum ad agendum, non expresso quod ad defendendum valeat, & etiam det facultatem ad defendendum, quoniam hæc facultas continetur virtute in facultate agendi: & propterea Procurator ad agendum est etiam ad defendendum, *l. servum publicè*, §. *Prætor ait*, *& l. mutum, ff. de Procur.* Put. *decis.* 366. *n.* 3. *lib.* 1. Imò sufficit, quod in procuratorio dicatur ad lites, & causas, quia in hoc intelligitur data facultas agendi, & defendendi. Specul. *tit. de Procur.* §. 1. *num.* 31. Imò Procurator datus ad agendum suum clientem tenetur defendere nedum in causa reconventionis, sed etiam in causa conventionis, si coram diversis Judicibus conventus sit, & si Procurator non defenderet, negaretur ei facultas agendi; defecerat enim muneri suo, quia Procurator datus ad agendum, tenetur etiam clientem suum defendere. Gloss. *in v. ad agendum.* Anch. *num.* 5. Butr. *num.* 1. Dom. *num.* 4. Franc. *num.* 2. Imol. *in Clem.* 2. *de Procur.*

Nihilominus non semper mandatum ad agendum valet 5 ad defendendum. Nam quando defensio venit in consequentiam, vera est doctrina data; secus si defensio veniat principaliter, ut si reus constituat Procuratorem ad agendum, mandatum non valet, quia rei non est agere, sed se defendere. Et ideò similis Procurator fuit judicatus insufficiens, *cap. Consti tutis* 12. *sup. de Procur.* quia ut ex Butr. exponit Panorm. *num.* 7. ibi defensio veniebat principaliter, quod & sensit Vant. *de null. ex def. mand. num.* 81. post Rom. *sing.* 115.

Et præterea si detur mandatum ad agendum tantùm, non 6 se extendit ad defendendum, ut *ibid.* vult Panorm. Valet quidem hoc mandatum, si reus nolit actorem reconvenire, sed in causa reconventionis hujusmodi Procurator non admitte-

mitteretur, nisi duobus concurrentibus, primò scilicet si assensus in causa, in qua Procurator posset dare cautionem de judicato solvendo, ita ut per eam foret plenè consultum, sicut plenè consultum esset in causa reali, *l. Non solum*, §. 1. *ff. de Proc.* secundò quod daretur hujusmodi cautio. His verò non concurrentibus non admitteretur. Anch. *num.* 1. Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 4. Franc. *num.* 2. Quia igitur universaliter mandatum ad agendum non valet ad defendendum, propterea in textu utriusque fit expressio, ut appareat mandatum de quo agitur esse universale.

7 An verò Procurator in rem suam teneatur defendere dominum, qui sibi jura cessit. Butr. *num.* 2. monet dicendum prout *in l. si quis in rem*, *ff. eod. tit.* Item an Procurator teneatur defendere nomine futurarum actionum, & quanto tempore duret ista defensionis obligatio, dicit notari *in l. omnium*, *eodem tit.* Pariter si Procurator actoris, cùm reus vult illum reconvenire, possit cogi ut caveat de defendendo domino, cùm reus ipsum reconvenerit, tractant Anchar. *à num.* 5. & Butr. *à num.* 13. Et respondent non teneri, ideoque illum non teneri ad satisdandum, nisi in dubio mandati.

8 Quod etiam dictum fuit, scilicet quod Procurator tenetur defendere dominum, intelligendum esse limitatè in actionibus competentibus tempore constitutionis, non verò in habentibus ortum ex post voluit Franc. *num.* 3. allegans Gloss. *in l. omnium ff. de Procur.* Quod & voluit Specul. *tit. de Procur.* §. 1. *num.* 29. Jo. Andr. *in addit.* ad Specul. *tit. de Procur.* §. 3. *lit. O*, Et sic quod in dubio Procurator censeatur constitutus ad lites præsentes, tradit idem Franc. ex Jo. And. & Gloss. *in dict. l. omnium, & in l. damni §. si is, qui ff. de damn. infect.* & ibi Bart. *& in l. Hoc jure ff. de solut.* Nihilominus quod mandatum generale simpliciter datum se extendat tam ad præsentes, quàm ad futuras causas, dixerunt Specul. *tit. de Procur.* §. 3. *n.* 9. Panorm. *in cap. Non injustè n.* 2. *de Procur.* & ibi Jo. And. & Butr. Rota latè hoc probans *dec.* 32. *eod. tit.* Franc. *hic n.* 3. Rota *decis.* 692. *nu.* 3. *par.* 2. *recent.* Put. *decis.* 37. *num.* 1. *lib.* 3. motus quia istam sententiam dicit communem Alex. *in add.* ad Bart. *in l. Damni §. si quis ff. de damn. infec.* Non obstat, quod Addit. *ad decis.* 19. *in nov.* distinguat an quis habeat causas de præsenti, vel non. Et sequitur Paris. *cons.* 43. *num.* 13. *l.* 4. *& decis.* 563. *in antiq.* simpliciter dicat, & quod non trahitur ad futuras; quia *dicta decis.* 413. *seu* 32. *de Procur. in nov.* & communis opinio simpliciter dicunt, quod trahitur ad futuras. Unde nisi in procuratorio sit aliquod verbum, quod restringat illud ad causas præsentes, intelligi debet extendit tam ad præsentes, quàm ad futuras causas. Sic enim & in obligatione generali tam præsentia, quàm futura bona comprehenduntur, *l. fin. C. Quæ res pign. ob poss. Et quæ nondum ff. de pig.* Nam & dicendo omne argentum intelligitur tam de præsenti, quàm de futuro, ut *l. filiam ff. de aur. & argen.* Et dicendo lumen, de omni lumine intelligitur, *l. servitus ff. de ser. ur. præ.* & ex Bellam. *conclus.* 5. Capuc. *in Prax. fin. prima cap.* 5. *num.* 84. Vantius autem *de nullit. ex defect. mandat. num.* 97. utramque opinionem refert.

9 In terminis etiam primæ opinionis si causæ ortæ post constitutionem Procuratoris habent connexionem cum ortis prius, mandatum generale ad illas se extendit, ut in *l. Qui habet in fin. & leg. seq. ff. de tut.* & ex Bald. & Bart. hic limitat Franc. Item si tempore constitutionis dominus constituens nullas de præsenti habebat litis necesse est, ut mandatum referatur ad lites futuras, ut actus non pereat. Quod ex Guilielmo de Cuneo, adnotavit Vant. *ubi sup. n.* 98. & tenet hic Franc. *n.* 3. ex Ang. *in d. l. omnium*.

10 Prædictis verò addit idem Franc. Quod Syndicus potest constitui tam ad præsentes, quàm ad futuras lites. Pariter quod actor Tutoris, vel Curatoris potest constitui ad futuras lites secund. not. *in l. Neque tutoris C. eod. tit.*

11 De hoc igitur Procuratore generali constitutio ad agendum, & ad defendendum, & ad omnes causas tam præsentes, quàm futuras, dicitur in textu, quod quamvis in mandato sit clausula, *etiam si mandatum requirant speciale*, ex vi talis generalitatis non potest Procurator admitti ad causas, quæ mandatum speciale exigunt; quales sunt recensitæ in fine hujus textus. Sed numquid clausula illa, *etiam si speciale mandatum exigant*, erit inutilis, & superflua? Certè regula est, quod superfluitas in omni dispositione sit vitanda Tusc. *tom.* 7. *lit. S*, *conclus.* 895. *num.* 36. Barbos. *Axiom.* 216 *num.* 1. Rota *decis.* 95. *num.* 8. *& decis.* 357. *num.* 1. *& dec.* 702 *num.* 3. *par.* 2. *recent.* Ideò verba in dispositionibus sic debent intelligi, ut aliquid operentur, *l.* 3. *ff. de jure jur. l. si quando* 109. *ff. de leg.* 1. *cap. Si Papa infr. de privileg.* Quid ergo operabitur præfata clausula, si ea non obstante mandatum non extenditur ad illa, quæ mandatum speciale requirunt? Respondetur, non esse superfluam, quia licèt ex ejus præcis vi mandatum non extendatur ad ea, quæ ex dispositione juris requirunt mandatum speciale, mandatum tamen extendetur ad ea, quæ aliàs præsumi possent exigere speciale mandatum ex intentione constituentis, qui quantum fit ex se ipso nullam causam excipit, licèt ex juris dispositione exceptæ sint illæ causæ, ad quas lex ipsa requirit speciale mandatum.

Et nihilominus regula sic data dupliciter declaratur, & limitatur. Primò ut intelligatur de articulis requirentibus speciale mandatum, si sint principales, seu si lis sit de illis principaliter, non verò si de illis incidenter agatur. Ita Anchar. *num.* 1. Ex quo deducitur, quod licèt ad petendam restit. in integrum requiratur mandatum speciale, hoc non procedit, quando hoc venit incidenter. Panorm. *cap. Suscitata n.* 5. *de restit. in integ.* Cassad. *decis.* 2. *de Procur.* Marchesi. *de Commiss. restit. in integ. par.* 2. §. 1. *num.* 56. Capuc. *d. cap.* 5. *num.* 193. & advertit Panorm. restitutionem in integrum peti incidenter, si petatur intra decem dies ad appellandum. Pariter quod dicatur incidenter peti, quando petitur per viam exceptionis, vel replicationis, tradit Ridolph. *in Prax. p. p. cap.* 13. *n.* 425. 12

Eadem ratione Procurator constitutus ad agendum potest appellare, quia appellatio est quoddam consecutivum. Rota *decis.* 2. *de Procur. in nov.* Advertit verò Capuc. *n.* 188. hoc esse speciale, quod Procurator non possit prosequi appellationem à non diffinitiva, vel gravamine reparabili, vel non lata diffinitiva, aliàs præter expensas, & damna per ipsos partibus restituenda punitur graviter, ut decernitur *in reg.* 37. *Cancell. Apostol.* 13

Secundò explicatur regula, & limitatur, ut non procedat, si habens mandatum generale, specialia tractet domino expressè, vel tacitè consentiente, & ratum habente. Valet enim, quidquid fit cum tali Procuratore. Archid. *n.* 1. Butr. *n.* 9. Dom. *n.* 5. Franc. *num.* 4. Et faciunt not. *in cap. Per tuas sup. de arbit. in gloss. penult. & in cap. Veniens el 2. sup. de test.* scientia enim domini principalis, & tolerantia, per quam sustinet Procuratorem causas suas agere censetur tacita Procuratoris constitutio. Put. *decis.* 209. *lib.* 2. Penna *dec.* 1061. *n.* 4. & Gloss. *in cap. Cum object. verb. protinus de offic. Delegat.* ubi Felin. *num.* 10. Butr. *in cap. Cæterum num.* 17. *de jud.* Beltram. *in addit. ad decis.* 44. Greg. XV. *n.* 9. ex Mant. *de tacit. l.* 7. *tit.* 22. *n.* 2. 14

Et ex hoc secundùm præfatos Doctores colligitur, quod acta per Procuratorem falsum domino vidente, & tacente valent. Nam ex voluntate sua præsumitur agere, cùm illum possit prohibere, *l. sæpè ff. de re jud.* Et sententia mandabitur executioni, cùm ex ejus mandato actum esse credatur, ut *in l.* 4. *ff. de re jud.* Debuit enim contrarium protestari cùm primum id scivit, *ut in l.* 2. *C. de filio fam. min.* Jo. And. hic, Rota *decis.* 39. *de Procur. in nov.* Innoc. *in cap. Ex parte Decani de rescript.* Bart. & Bald. *in l. licèt C. de Procur. & in l. falsus C. de furt.* 15

Regula secunda in textu posita est, quod si contingat aliquem ex articulis, qui specialem mandatum requirunt specificari, addita clausula generali, Procuratum admitti debet etiam ad non expressos. Et benè advertit Dom. *num.* 1. sufficere si unus ex articulis speciale mandatum requirentibus fuerit expressus. Et sic specialibus expensa simul adjuncta clausula generali extendit facultatem Procuratoris ad alios speciales casus non expressos, Gloss. *not.* 2. Dom. *n.* 2. Anch. *n.* 2. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 6. *num.* 3. Garz. *de benefic. par.* 5. *cap.* 8. *n.* 68. Sbroz. *de vic. l.* 1. *q.* 65. *num.* 5. *&* 7. Put. *decis.* 512. *num.* 1. *lib.* 2. 16

Quæritur autem primò, an sufficiat articulum requirentem speciale mandatum exprimi in genere, ut dicendo cum facultate jurandi de calumnia, vel petendi restitutionem in integrum, sic indefinitè, & genericè: An verò sit necesse, quod hæc expressio sit specifica. Sunt qui dicunt Jo. Andr. voluisse, quod sit necessaria specifica expressio causæ, & personæ, cum qua est causa, ut quod sit necesse dicere cum facultate petendi restitutionem in causa tali, quæ cum tali versatur. Nam Jo. Andrea *hic num.* 1. ait speciale mandatum tunc dari, quando nominatim quid mandatur, *l. Non solum*, *& l. Pomponius ff. de Procurat. & l. Illud §. si talis ff. de min.* 17

Nomi-

Nominatim autem fit, quod fit expresso nomine proprio; vel eo, quod habeat vim proprii nominis *cap. licet, ex quam. sup. de restit. l. nominatim ff. de lib. & post. l. Certum ff. si certum pet.* Verùm licet Jo. Andr. hac doctrina utatur, ut reddat rationem, ob quam mandatum generale ad specialia non se extendit, ubi enim nihil est expressum, totum est generale. Nihilominus & ipse sentit, quod sufficit aliquid speciale exprimere; exprimitur verò speciale, etiam si exprimatur indefinitè, & in genere. Dicitur igitur sufficere si in mandato exprimatur aliquod speciale indefinitè, & in genere, ut hic notant Anchar. *num.* 4. Butr. *num.* 13. Franc. §. *Procurator num.* 3. ubi ex Bald. *in l. Illud §. si talis ff. de min.* ait, quod in procuratorio non requiritur expressio personarum, sed benè in libello.

18 Ideò verba mandati sunt ponderanda, si enim talia sint, sub quibus comprehendi possit casus alius specialis sub aliqua tamen expressione specialitatis in mandato posita, facultas Procuratoris ad talem casum se extendet. Ideò si dicatur ad agendum, appellandum, supplicandum, & generaliter ad omnia alia, quæ requirunt speciale mandatum, Procurator ex vi talis mandati poterit petere restitutionem in integrum. Cassad. *decis.* 1. *de Procur.* Capuc. *d. cap.* 5. *num.* 196. Rota *decis.* 367. *num.* 3. *p.* 9. *recent. & decis.* 8. *num.* 2. *p.* 2. *divers.* quia non sit discedendum à naturali illius verbi significatione.

19 Quæritur secundò, an sufficiat, quod aliqua causa ex illis, quæ requirunt mandatum speciale sit expressa exceptivè, ut si dicatur, quod Procurator possit omnia facere, quæ possit dominus, excepto quod non possit compromittere, vel jurare de calumnia. Et tamen simul cum exceptione unius sit clausula generalis, & omnia alia, quæ possit facere constituens. Non sufficere volunt Jo. And. Anch. *num.* 2. Butr. *num.* 5. Barbos. *num.* 3. post Tiraq. *de retractu lig. ad finem. num.* 94. Rebuff. *in tractat. exceptionum num.* 24. Franc. *vero §. sed si aliquis num.* 1. dubitat exceptio enim venit in diminutionem, ergo non debet inducere contrarium, ut *l. legata inutiliter ff. de legat.* 1. Secundò, quia licèt exceptio firmet regulam, non tamen facit, ut in regula contineantur casus, qui ex ejus natura non continentur, ut *in l. generali §. Vxori ff. de usufruct. leg.* & ibi per Bart. & notat *in cap. Ad audientiam sup. de Cler. non resid.* & ibi Innoc. Sed melius sentiunt Lap. hic, & Dom. §. *Sed si aliquis num.* 2. dicentes sufficere, quod aliquis casus specialis sit expressus exceptivè ad hoc, ut facultas Procuratoris se extendat ad alios casus speciales. Ratio est, quia si constituens, intendit facultatem Procuratoris non se extendi ad casus exceptos, superfluè excipit de specialibus unum, vel alium, cùm à lege communi omnes sint exclusi, si nullius illorum fiat expressa mentio. Ex quo igitur expressè constituens excludit casum aliquem specialem, signum est, quod alios vult includere. Et ita applicatur ratio Lap. Nam exceptio debet esse de regula, ut not. *inf. in rub. de reg. juris*, Ad regulam igitur, seu ad mandatum illud, in quo v. g. excluditur transactio, tam transactio, quàm alii casus pertinent, sed transactio exceptivè, & alii inclusivè; quia exceptio firmat regulam in contrarium, ut *cap. dominus* 32. *q.* 7. & *cap.* 3. *sup. de conjug. lepros.*

20 Nec urgent allata in contrarium, exceptio enim non est illa, quæ augeat, & faciat contineri sub mandato, sed est signum talis continentiæ ex intentione excipientis, qui non exciperet ex lege jam excipiendum, si suæ intentionis esset facultatem suam, quam dat non extendi ad specialia non excepta.

21 Hinc benè deducunt dicti Doctores, quod si Episcopus Vicario suo det omnem facultatem, & jurisdictionem exceptâ v. g. collatione beneficiorum, poterit Vicarius alia Episcopo reservata exercere, quæ aliàs non comprehenderentur sub mandato illius generali. Vide dicta *sup. cap.* 2. *de Vicar. in hoc lib. n.* 10.

22 Sensus ergo regulæ est, quod ubi saltem indefinitè, & in communi exprimatur in mandato aliquis ex articulis requirentibus speciale mandatum, sive exprimatur concessivè, sive exceptivè, & posita in mandato clausula generali, mandatum se extendit ad alios articulos non expressos. Et nihilominus regula explicari debet quantum ad alia duo. Et quidem primò considerari debet, quod ad hoc ut regula vim habeat, necesse est, quod in mandato ponatur clausula generalis, & non quæcumque, sed quæ significat constituentem dare facultatem exercendi etiam ea, quæ requirerentur speciale mandatum. Utrumque enim requirit textus; scilicet quod fiat expressio alicujus specialis, & quod cum hoc adsit clausula generalis præfata, ut ea Bart. *cons.* 5. *num.* 3. *l.* 2. & Rota in Valentina beneficii Sanctæ Luciæ coram Clemente Octavo de anno 1583. probat Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 70.

Aliud advertendum est, quod regula debet intelligi de extensione ad alios casus minores, vel pares, seu similes, non verò ad majores. Ut enim Gloss. advertit *in v. expressos*, per mandatum hujusmodi non intelligeretur datum Procuratori mandatum ad contrahendum matrimonium. Quia hic articulus est singularissimus, nec solet regulariter committi in mandatis ad lites, vel ad negotia. Et Prob. ad Mon. *num.* 2. habet requiri specialem expressionem, ubi agitur de gravi præjudicio alterius. Et *num.* 14. idem Probus ex Anchar. *cons.* 75. dat exemplum in Procuratore constituto ad concordiam faciendam, qui ex hoc non posset pacisci, quod dominus, & ejus filii non morentur in civitate, quia diceretur media capitis diminutione diminuti, & amitterent patriam, quæ cuilibet dulcissima est, *l. Qui habeas de leg.* 3. Et quod per mandatum generale ad præsentandum nunquam possit præsentari persona odiosa domino mandanti, dixit Rota *decis.* 692. *n.* 5. *part.* 2. *recent.* Et quod in vi mandati generalis non possit Procurator præjudicare domino, tradidit eadem Rota *decis.* 76. *n.* 4. coram Penna, & *decis.* 337. *n.* 58. coram Bur. & *decis.* 71. *n.* 1. coram Greg. XV. Non ergo Procuratoris facultas ex vi hujusmodi mandati se extendit ad majora illis, quæ sunt expressa. Ju. Mon. *num.* 2. Archid. *n.* 1. Anchar. *n.* 2. Butr. *n.* 4. Dom. §. *sed si aliquis num.* 2. Franc. *n.* 2. Barbos. *n.* 3. 23

Advertit verò Prob. ad Monac. *n.* 7. quod similia non dicuntur illa, quæ non sunt idem formaliter, sed in effectu, per Bald. *in l. Qui liberis, in princ. & per illum text. ff. de vulga.* ubi etiam Alex. Et ideò si inter requirentia speciale mandatum datur aliquod ita speciale, quod regulariter non soleat concedi, etiam concessa facultate ad specialia, vel præsumi aliunde possit intentionem constituentis non se extendisse ad illud, non extenditur. Franc. §. *sed si aliquis num.* 2. post Panorm. *cap. Sedes sup. de rescript.* Qui ex Butr. & Imol. *in cap. Nonnulli* §. 1. *de rescript. subd.* quod hujusmodi mandatum non sufficeret ad hoc, ut Procurator sit habilis ad impetrandum, quia ubi requiritur notabilis specificatio ad impediendam fraudem, vel ob magnitudinem rei, non sufficit clausula generalis, & alicujus specialis expressio. Vide Lap. *allegat.* 60. & 70. & quod not. *in d. cap. Sedes de rescript. & cap. Non potest, de Procur.* 24

Advertit tamen Probus *num.* 4. quod jam dicta debent intelligi, si in clausula generali non sit hoc verbum *Cujuscumque*, utpotè *cujuscumque status, & conditionis*, quia hæc solent extendere dispositionem ad majora expressa, per Gloss. *in Clem. Non potest de rejud. & in Clem. Ne Romani de elect. in ver. Quovis modo, & in Clem.* 2. *in glos. fin. de reb. Ecclesiam alien.* Mattin. Andr. *decis.* 28. *n.* 6. 25

Subdit quoque Probus *num.* 5. quod clausula generalis apposita immediatè, & simpliciter generaliter intelligitur *l. emptor.* §. *lucius cum gloss. ff. de Pactis*; secus si apponatur post expressionem alicujus specialis, quia tunc illa generalitas imitatur secundùm causam præcedentem per Ang. *in l. obligatione generali, in gloss. in ver. non fuisse, ff. de pign.* & Dec. *cons.* 379. *n.* 12. 26

Addit præterea *num.* 6. quod generalis clausula non extenditur ad casus, quibus specialiter est provisum, per *l. libertis, ff. de alim. & cibar. relict.* & notat Alex. *in cons.* 49. *vol.* 4. & *cons.* 95. Ubi quod dum in aliquo casu facta est provisio specialis, & postea fit provisio generalis, partes non videntur consentire, quod illa generalitas trahatur ad specialem, *l. Vxorem §. felicissimo, ff. de leg.* 3. & *l. cohæredi §. patrem ff. de vulg.* 27

Tertia regula est, quod Procurator sine mandato speciali non potest juramentum deferre, transigere, vel pacisci, nisi ei bonorum, vel causæ administratio liberè sit concessa. 28

Ex his colligit Glossa *in v. concessa*, quod in tribus casibus potestas Procuratoris se extendit ad casus speciales. Primus est jam expressus in secunda regula, quando scilicet, datur facultas expressè ad casum specialem, vel expresso casu speciali, & adjuncta clausula generali. Secundus est tacitè subintellectus; quando, scilicet, quis est datus Procurator in rem suam. Tertius casus ponitur in hac tertia regula, & est, quando Procuratori datur administratio cum libera 29

pote-

potestate, *l. Procurator ff. eod. tit. l. Iusjurandum §. fin. ff. de jure jur. l. Non abstulit, C. de nova. Hoc jure ff. de sol. l. Transactionis ff. C. de transact.*

30 Hic igitur considerandum primò eamdem facultatem habere generaliter Procuratorem, qui datus sit cum administratione libera, quam habet Procurator specialis expressè constitutus ad aliquam causam. Et ita ad casus comprehensos in sua generalitate habet potestatem, ac si ad illos fuisset expressè datus, ut *l. Qui Romæ*, §. *Callimachus*, *ff. de verb. oblig.* Butr. *hic num.* 10. sic ergo mandatum cum libera æquivalet mandato speciali, *l. Procurator, & l. mandato ff. de Procur.* Covar. *var. l.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. Butr. *hic n.* 10. Mohed. *dec.* 2. *de off. Vic. aliàs* 323. Gratian. *discept.* 296. *num.* 12. Barbos. *clausul.* 35. *num.* 10. Ubi *num.* 11. quod Procurator cum libera ad omnia negotia, potest recipere solutiones, & prorogare terminum ad solvendum. Et *num.* 12. quod potest impetrare beneficium, & *num.* 13. quod potest dispensationem obtinere, & *num.* 14. quod potest emphyteusim revocare, & *num.* 15. quod potest impetrare rescriptum cum clausula *appellatione remota*.

31 Sed tamen adverte primò, quod hujusmodi administratio nunquam intelligitur data, nisi id fuerit expressum, ut est *tex. notab. in l. Quam Tuberionis ff. de pecul.* & advertit Francus *num.* 6. Et ita quod ex clausularum generalium prægnantia non resultet mandatum cum libera, voluit Rota *decis.* 1124. *num.* 3. coram Seraph. ubi quod quidquid in contrarium dixerit Bald. *in l. Procurator num.* 3. *de Procur.* contraria opinio sit verior, & receptior, ut tradit Baro. *quæst.* 25. *num.* 5. & fuit resolutum *in una Valentina beneficii* 17. *Decembris*; cùm omnes clausulæ intelligantur respectu præmissorum, ut per Bart. *in l. Qui Romæ*, §. *Callimachus*, & Alex. *ibid. n.* 6. *ff. de verb. oblig.* & alios ibi citatos. Quod tamen idem Seraph. ibi limitat *num.* 4. ut non procedat, quando verba talia sunt, & ita concepta, ut non excludant hanc interpretationem, tunc enim ex clausularum prægnantia colligi potest mandatum cum libera. Quod & voluit Rota *decis.* 428. *n.* 18. *p.* 5. *recent.* Et propterea semper inspici debet forma mandati. Quia si constituens dicat facio te Procuratorem in tali causa, dando tibi liberam administrationem, & agendi libertatem, talis Procurator generaliter cum libera potestate, facere posset circa causam etiam illa, quæ exigunt mandatum speciale. Sed si dicat, facio te Procuratorem ad agendum, & defendendum libellum dandum, litem contestandam, & concedo in prædictis liberam potestatem, &c. hic Procurator habet solam administrationem circa instantiam, nec potest transigere, aut pacisci. Sed si constituens dicat, Constituo te Procuratorem in causa, quam cum Titio habiturus sum, constitutio non respicit jus principale, quod est præsens, sed respicit instantiam, quæ est futura. Ancharanus, Butr. *nu.* 10. Et propterea regula est, quod mandatum cum libera restringitur per verba præcedentia, & sequentia ad præmissa, ita ut libera potestas non possit egredi finem præmissorum. Seraphin. *decis.* 831. *nu.* 5. post Alex. *in d. l. Qui Romæ* §. *Callimachus num.* 6. *ff. de verb. oblig.* Unde quod mandatum datum ad causas motas, & movendas, devolutas, & in quibus adstringitur constituens litigare, propter verbum adstringitur præsentis temporis, non extendatur ad causas ortas post constitutionem Procuratoris, dixit Bellam. *consf.* 469.

32 Nedum verò Procurator censetur datus cum libera facultate, quando id sub his expressis verbis conceditur, sed etiam si dicatur, quod datur plena administratio, *l. si Procurator C. eodem tit.* Anch. *num.* 4. Butr. *num.* 8. Dom. §. *Procurator num.* 4. Franc. *num.* 6. Rota *in d. Velentina Benef.* Garz. *p.* 5. *cap.* 8. *num.* 72. Item secundò administrator cum libera est, si constituens dicat, quod possit facere ea, quæ posset facere ipse constituens, si præsens esset, ut tradunt præfati Doctores, Bart. *in dict. l. si Procurator.* & ibi Bald. Butr. & Imol. *in cap. fin. de dilat.* & Mart. *claus.* 26. *num.* 3. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 74. Rota *in Terracinen. Archidiacon.* 24. *Novemb.* 1603. coram Justo apud March. *de commiss.* & alii plures, quos refert Barbos. *claus.* 35. *n.* 5.

33 Item tertiò censetur datus Procurator cum libera, si constituens promittat se ratum habiturum quidquid per Procuratorem gestum fuerit. Ita Bart. *l. si Procurator, ff. de Procur.* & quamvis, ut notat Panorm. *cap. Contingit num.* 3. *de transact.* idem Bart. tenuerit contrarium *l.* 1. *ff. de off. Procurat.* & alii, quos refert hìc Domin. tamen dictum Bart. *in dict. l. si Procurator* amplectuntur hìc Anchar. *num.* 3. Butr. *num.* 3. Franc. §. *Procurator. num.* 6. Qui idem putat dicendum, si constituens dicat, quod Procurator possit facere quidquid voluerit, ut est *text. & gloss. not. l.* 1. *ff. quod jussus*, & tenuit Bald. *in l. fin. C. quod cum eo*, & sic illa verba, quod Procurator in præmissis possit facere quidquid voluerit, inducunt administrationem cum libera. Hanc verò administrationem cum libera habere Prælatum Ecclesiæ advertunt Anchar. *num.* 3. & Butr. *num.* 7. Videatur Garz. *part.* 5. *cap.* 8. *num.* 70. *& seq.* ubi ad præfata plures allegat, *& num.* 73. benè notat contra Sbroz. *de Vicar. q.* 65. *num.* 9. quod ubi habetur administratio cum libera, non est necesse, quod in mandato exprimatur aliquis specialis casus; Hoc enim esset contra hunc textum.

Ubi verò administratio cum libera datur sub aliqua limitatione, ut si dicatur super præmissis, ad alia non extenditur, & limites ejus servandi sunt, ut *ex hoc textu* colligitur. 34
Et sic neque extenditur ad specialiter prohibita *l. Quam Tuberonis*, ubi Gloss. *in ver. alia ff. de pecul. & l. si hominem ff. mandati.* Et quod hujusmodi clausula non operetur, ut possit fieri aliquid contra, aut præter voluntatem constituentis, ex Rota *in Terracinen. administr. Tut.* 29. *Febr.* 1608. coram Cavall. & ex aliis Doctorib. tradit Barbos. *d. clausul.* 35. *num.* 6. Regulariter verò, & nisi aliud exprimatur, non se extendit ad causas criminales, ut notat Anchar. & regulari debet arbitrio boni viri. Cassad. *dec. un. n.* 3. *de empt.* & fuit dictum *in Tolet. Parochialis de Mazarelos* 29. *Aprilis* 1592. coram Penna. Et nisi in mandato exprimatur clausula *de rato*, quod eam non includat administratio cum libera, tradunt Covar. *l.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 4. Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 8. *num.* 75. & Barb. *dict. clausul.* 35. *num.* 9. Ubi verò in mandato cum libera additur clausula *de rato*, & clausula, *quod possit ea omnia facere*, videtur idem importare mandatum transactionis, quod faceret mandatum generale ad omnes actus nullo specialiter de mandato negotio, nec aliqua præscripta lege, Rota *d.* 428. *n.* 19.

Sed contra regulam sic explicatam videtur objici posse *l. Nam & nocere, ff. de pactis*, ex qua habetur, quod Procurator sine speciali mandato possit transigere, vel pacisci, & juramentum deferre. Respondent Anchar. *num.* 2. & Butr. *num.* 7. Procuratorem hujusmodi actus facere non posse in præjudicium domini, sed benè, ut prosit. Addunt quoque ex Baldo Tutorem posse facere pacem de injuria patris pupilli, vel pupilli ipsius, si pax expedit pupillo, non verò si sit damnosa, seu vituperosa. Verùm in his casibus, quis judicabit postea, an pactum fuerit in utilitatem domini? Ideò nisi adsit domini consensus, & ratihabitio, pacta ista non subsistunt, nec obligant dominum ipsum. Subdunt quoque Anchar. & Butr. quod Administratores, Tutores, & Procuratores generales administrationem à lege habentes, in dubio possunt pacisci, quia habent liberam administrationem. Verùm si habent liberam administrationem poterunt absolutè pacisci, & non solùm in casu dubio. Solùm igitur attendi debet, an habeant liberam, vel non habeant, vel si illam limitatam habeant, vel absolutam. *In l. autem Nam & nocere* citata expressè sermo est de eo, qui habuit mandatum speciale ad paciscendum, aut administrationem cum libera, qui conformiter ad ea, quæ in hoc textu dicuntur potest pacisci. Potest etiam novare, ut per Rotam *decis.* 149. *num.* 4. *par.* 1. *recent.* Non tamen sine speciali mandato potest ea facere, per quæ dominus caderet in pœnam. Rota *decis.* 95. *par.* 1. *& decis.* 278. *num.* 30. *par.* 9. *recent.* Nec potest suo principali præjudicare in sui commodum, *decis.* 103. *num.* 19. *par.* 5. *recent. & decis.* 311. *num.* 4. coram Greg. XV. *& decis.* 307. *num.* 2. coram Coccin. Nec juri claro, ac liquido domini renuntiare. Rota *decis.* 109. *num.* 16. *par.* 9. *recent.* Martin. Andr. *decis.* 72. *n.* 4. Et Seraphin. *decis.* 1048. *n.* 5. dixit non dubitatum fuisse, an Procurator cum libera possit investire pecuniam domini, sed benè dubitatum fuisse, an possit donare. 35

Nonnulla autem hìc dicenda sunt de Religionum Procuratoribus, Generalibus. Et quidem Procuratorem specialis monasterii non esse legitimum Procuratorem totius alicujus Provinciæ, aut Religionis est de se manifestum, & dictum fuit à Rota *decis.* 1309. *num.* 11. coram Penna. Econtra verò quod Procurator Generalis possit comparere pro aliquo Conventu particulari tradiderunt Fast. *dub.* 23. Felin. *in cap. Eam te num.* 14. *& in cap. Cum dilecta num.* 6. *de re-* 36

de rescript. Dec. *cons.61. num.3.* Rota *in causa Montis Regalis* coram Coccino, *& in causa Agrigentina Sancti Angeli* coram eodem, quæ inter ejus impressas *est* 169. *num.* 8. Rota *decis.201. num.2. part.2. recent. & decis. 410. num. 2. part. 1. recent.* Et ubi Procurator Generalis possit comparere etiam pro Conventu particulari, si adsit specialis Procurator pro aliquo Monasterio, quod in causis illius Monasterii sufficiat citare Procuratorem specialem, dixit eadem Rota *d. decis.410. num.2. part. 1. & decis.201. num.2. par. 2. recent.* Ubi addit partes non teneri scire facultates Procuratoris Generalis. Et nihilominus quod Procuratores Generales Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, & Societatis possint comparere pro particularibus Conventibus docuit eadem Rota *d. decis.159. n.9.* coram Coccin. *& decis.* 201. *num.* 2. *par.2. recent.*

37 Procurator autem Generalis Ordin. Præd. habet facultatem sibi à Sede Apostol. concessam. Nimirum à Bonifacio IX. in Constitutione, quæ incipit, *Personam tuam* datam quinto Kalend. Maji, Pontificatus anno 13. nimirum anno 1392. Quam habeo apud me in authentica forma, ubi inter alia hæc habentur: *Dictusque Procurator possit, & valeat, causas quascumque tam civiles, quàm criminales, Ecclesiasticas, sive mundanas, quas voluerit assumere pro dicto Ordine, locis, & ipsorum locorum Conventibus, & Officialibus, & personis prædictis, & ipsorum quolibet, ac etiam ipsorum nomine, & pro eis, tam conjunctim, quàm divisim, per se, vel alium, seu alios, tam in Romana Curia, quàm extra, contra quascumque personas, collegia, & universitates monere, prosequi, defendere, & agere, & appellare in judicio, & extra, tam in prima, quàm in secunda, & tertia instantiis, etiam in his, in quibus requiritur speciale mandatum, toties, quoties, semper, & quandocumque sibi videbitur, & placebit, secundum potestatem per se, vel successores suos hujusmodi, sibi traditam, vel tradendum, perinde, ac si ab Ordine, & locis Officialibus, & personis, sibi data esset omnimoda potestas, cum plena, libera, & generali, & speciali mandato ad causas antedictas.* Hanc eamdem facultatem concessit iterùm Martinus Quintus in Bulla, quæ incipit, *Regimini universalis*, & fuit data Florentiæ quinto Kalend. Junii, Pontificatus ejus tertio, nimirum anno 1420. Unde eodem ipse Generalis Procurator est legitimus pro causis cujuscumque Conventus, seu personæ, sed respectu causarum habet plenissimam, & liberrimam facultatem, ut possit omnia, & singula facere, quæ ad causarum expeditionem sunt necessaria, & valeat etiam substituere unum, vel plures, prout sibi benè visum fuerit, & opportunum, & ut talis in Curia recipitur, & habetur.

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT V.

QUi generaliter constituitur ad negotia Procurator, agere, ac experiri potest: exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale.

Nedum verò ad negotia, sed etiam ad judicia potest filiusfamilias absque patris assensu fieri procurator.

Licèt autem quis post decimumseptimum annum Procurator ad negotia licitè deputetur: ad judicia tamen, nisi major vigintiquinque annis fuerit, deputari nequibit.

SUMMARIUM.

1 *Divisio textus.*
2 *Regula prima textus.*
3 *Potest dari Procurator Generalis.*
Non respiciendum nomen, sed facultas ex intentione constituentis.
4 *Negotium multipliciter dictum, Causa judicialis est negotium.*
5 *Procurator Generalis potest agere in judicio.*
Quid sit experiri.
6 *Procuratoris Generalis potestas non se extendit ad ea, quæ requirunt speciale mandatum.*
7 *Nec ad causas criminales.*
8 *Conjuncta persona non comprehenditur sub regula, & potest agere in casibus specialibus.*
9 *Procurator ad certam causam, in alia non potest mandati fines servandi.*
10 *Mandatum se extendit ad connexa, & inseparabilia.*
11 *Datus ad lites non potest ad negotia.*

1 TRia dubia, quæ circa officium Procuratoris possent oriri, solvuntur in hoc textu. Primus respicit formam mandati: Secundus personam: Tertius ætatem Procuratoris.

2 Prima igitur regula continet, quod Procurator constitutus ad negotia generaliter potest agere, & experiri, exceptis his casibus, qui mandatum speciale exigunt.

3 Præsupponit textus constitui posse Procuratorem nedum specialiter, aut individualiter pro hac, vel illa causa nominatim, sed generaliter pro omnibus causis, & negotiis spectantibus ad constituentem, & approbatum fuit etiam *cap. Petitio 9. sup. eod. tit.* ubi benè Panorm. *nu.1.* advertit, quod in constitutione Procuratoris attendi debet intentio constituentis, nec debet fieri vis in verbis, an scilicet constituat Syndicum, vel actorem, vel Procuratorem, sed considerari an detur potestas agendi, & respondendi.

Hoc igitur supposito, quod validè constitui potest Procurator ad negotia generaliter, videndum esset quid sit negotium. De hoc dixi *tom.2. de stat. quæst.187. art.2.* & de eo agitur *cap. forus ver. negotium, sup. de verb. signific.* Hic debet attendi, quod negotium propriè, idest, non metaphoricè sumptum distinguitur, quia accipitur genericè, & specificè. Primò verò modo comprehendit etiam judicialia, seu actiones judiciales, sed specificè sumptum negotium actiones tantùm extrajudiciales comprehendit, & à judicialibus distinguitur, Dom. §. *Nedum num.* 2. Franc. *num.* 1. post Jo. Andr. Et sit ubi Anchar. *num.1.* & Butr. *num.1.* dicunt quod causa judicialis propriè est negotium, accipi debet dictio *propriè*, ut distinguit à figurato, & improprio, non verò, ut distinguit à specifico. 4

Cùm itaque causa judicialis in proprietate sermonis sit negotium, meritò in textu decernitur, quod Procurator datus ad negotia generaliter potest causas judiciales pertractare. Quod in textu explicatur dicendo, quod potest agere, & experiri. Advertit verò Glossa, quod verbum *experiri* aliquando significat agere, ut *in cap. Pastoralis, sup. de caus. possess.* & aliquando significat defendere, *sup. cap. 1. de jud.* & quod hìc accipitur, ut significat defendere. Ego credo, quod illud verbum significet communiter stare in judicio sive agendo, sive defendendo, & respondendo, & propterea hìc post speciem, quæ est agere, additum est genus, quod est experiri, ad hoc, ut regula sit generalis, & intelligatur, quod Procurator ad negotia nomine domini sui in judicio potest agere, & petere, & defendere, & respondere, Gloss. *in v. generaliter*, Archid. Jo. Andr. Anchar. *num.* 1. Butr. *n.* 1. Franc. *n.* 1. 5

Sim-

6 Simpliciter verò limitatur hæc regula. Primò in textu ipso, ut scilicet ex vi mandati hujus generalis potestas Procuratoris non se extendat ad ea, quæ requirunt speciale mandatum. Nisi juxta dicta & notata *in cap. prox. super.*

7 Secundò limitatur, ut regula intelligatur de causis civilibus, non verò de criminalibus, nisi causa alias materialiter criminalis non criminaliter, sed merè civiliter tractetur. Procurator enim in criminalibus non admittitur, *cap. Veniens de accusat.* nisi quantum ad aliqua, & in aliquibus casibus. Et quatenus hoc modo admittatur, cùm non possit negari, quod causa criminalis non sit specialis, & non requirat speciale mandatum; Non potest Procurator ad negotia generaliter ex hoc esse Procurator in criminalibus, Anchar. *n.* 2. Butr. *n.* 4. Franc. *n.* 1.

8 Quærunt quoque Ancharanus *n.* 2. & Butrius *n.* 5. an regula textus procedat etiam in conjuncta persona, ita quod nec ipsa possit agere pro conjuncto in casibus à jure expressis, & argumentantur pro parte negativa ex hoc textu, & sic dicendum sit mandatum generale, quod habet persona conjuncta à lege, non se extendere ad casus speciales: sed pro altera parte allegant *cap. Nonnulli sup. de rescript.* & dicunt cogitandum esse pro responsione. Sed dicendum conjunctum non comprehendi sub regula nostra. Tum quia non est Procurator, licèt pro conjuncta persona possit agere, *l. Exigendi, Cod. de procurat.* tamen factum suum non præjudicat domino, nisi alias mandaverit, vel ratum habuerit, *ut l.* 5. *ff. de judic. sol. & l.* 1. *C. Quibus res jud. non nocent.* Tum quia persona conjuncta non admittitur vi alicujus mandati, sed ex æquitate naturali respiciente quemcumq; casum, qui personæ conjunctæ, pro qua agitur, aut respondetur, possit esse utilis.

9 Tandem adverte regulam hanc verificari in Procuratore dato generaliter, non verò in Procuratore dato determinatè ad particularem causam, aut negotium; hic enim ad nullam aliâ causam se extendere potest, *l. si procurator, C. eod. tit.* Nam fines mandati diligenter observandi sunt, *l. Diligenter, ff. mand. & cap. Cum, infr. de preben.* Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 3. Domin. §. 2. *n.* 6. Franc. *in princip. n.* 2.

Et propterea quod Procurator deputatus ad recipiendam solutionem, non sufficiat ad hoc, ut confiteatur solutionem eamdem. Aliud est enim recipere, & aliud est confiteri recipere, *l.* 2. *ff. si certum pet. & l.* 1. §. *si mutuam, ff. si quid in fraud. patent.* Unde debet instrumento caveri, quod dedit, & numeravit ex Bart. *in l. si debitori, ff. de novat.* tradunt Ancharanus *num.* 1. Butr. *numer.* 2. Franc. *numer.* 2. Et propterea ex Specul. alibi dicunt, quod Procurator constitutus ad exigendum, non potest recipere à sponte dantibus, nec eos liberare, quia ad hoc mandatum non habet. Verum iidem Ancharanus, & Butr. post Bart. tenent contrarium, quia mandatum ad exigendum implicitum est tam ad agendum, quam ad solutionem recipiendam, *ex l. solutum, §. solutam, ff. de pignor. actione, & l. si quis servo, ff. de solut.* Et hoc idem voluit Rota *decis.* 374. *num.* 25. *part.* 5. Sed & in primo casu idem sentio. Nam nec debitor solvit nisi Procuratori recipiens confitentur se recepisse, & sic etiam debitorem pro illa rata liberet. Et universaliter dicendum est mandatum datum ad unum actum extendi ad connexa, & secundùm communem ubi inseparabilia, Mantic. *de tacit. l.* 7. *tit.* 15. *num.* 30. Benintend. *conclus.* 21. *num.* 1. Puteus *decis.* 366. *num.* 7. *lib.* 1. *& decis.* 212. *lib.* 3. Seraphin. *decis.* 670. *num.* 2. Rota *decis.* 1196. *num.* 2. *part.* 1. *divers. & decis.* 374. *num.* 18. *& decis.* 428. *num.* 15. *part.* 5. *recent.* Et maximè ad illa, ad quæ posset cogi dominus, Benintend. *d. conclus.* 21. Et similiter commissis antecedentibus, dicuntur commissa subsequentia, Rota *decis.* 374. *numer.* 19. *part.* 5. *recent.* Et eadem ratione mandatum datum ad subsequentia extenditur ad necessariò antecedentia licèt non fuerint expressa. Quod procedit in materia etiam stricta, Rota *decis.* 234. *num.* 5. *part.* 8. *recent.* Cocein. *decis.* 470. *num.* 3. quia hujusmodi antecedentia non censentur extranea ab expressis, Bart. *in l. Maritus n.* 4. *C. de procur.* Mantic. *de tacit. cit.* 15. *n.* 29.

Hoc quoque non est prætereundum, quod regula non valet è contra, ut scilicet Procurator datus ad lites, possit alia negotia extrajudicialia pertractare, Franc. *n.* 1. Sed de hoc not. *cap. seq. proximo sup. gl. os. in v. causis.* 11

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Qui generaliter V. §. Nedum.

SUMMARIUM.

12 *Secunda regula textus.*
13 *In hac regula negotium sumitur specificè.*
Dictio nedum supponit diversitatem.
14 *Filiusfamilias dicitur, qui est sub patris potestate.*
15 *Filiusfamilias potest esse procurator.*
16 *Filiusfamilias potest esse procurator sine assensu Patris.*
17 *Alia remissivè.*
18 *Dictio donec excludit, licèt aliquando resolvatur in affirmativam.*

12 Brevis regula ponitur in hoc §. quæ continet, quod filius familias sine assensu Patris potest esse Procurator nedum ad negotia, sed etiam ad judicia.

13 Sumitur hic negotium specificè, ut à causis judicialibus distinguitur. Nam dictio *nedum*, quæ idem significat, quod non solum, vel non tantum, diversitatem supponit, & inter diversa ponitur significans nedum hoc esse, sed etiam aliud esse. Unde in proposito importat, quod filius potest esse Procurator, & ad negotia à litibus diversa, & ad lites, & sic sumitur negotium, ut importat actionem distinctam ab actione judiciali, Domin. *n.* 2. Franc. *n.* 1.

14 Filium verò familias significare filium sub patre vivente existentem, & manentem sub patria illius potestate, habetur ex *l. Nam Civium*, 4. *ff. de his, qui sunt sui juris.* Si enim filius non maneret sub potestate patris, non esset difficultas, an sine patris assensu possit esse Procurator.

15 Filium tamen familias adhuc sub potestate patris existentem posse esse Procuratorem, habetur *ex cap. Non injustè*, 14. *sup. eod. tit.* & ibi Panormit. *num.* 1. *& l. Filius famil.* §. *Ipse quoque, ff. eod. tit.* Sed quod dubium poterat ingerere est, quod filius familias, ut notat Gloss. pro se non potest esse Procurator sine assensu patris, Vant. *de null. ex defect. mand. num.* 39. Maran. *de ord. judic. part.* 4. *dist.* 16. *n.* 30. Barbos. hic *n.* 5. & alii apud ipsum; unde videri potuisset, quod multò minus hoc facere potuisset pro alio, cùm alias aliquando admittatur Procurator pro se, qui non pro alio, *l.* 1. *&* 2. *ff. de postul. cap. Infamis, §. tria,* 3. *q.* 7.

Ad hic igitur tollendum dubium dicitur in textu, quod filius familias pro alio potest esse Procurator, tam ad negotia, quàm ad judicia, sine patris assensu. Quod est dicere etiam patre prohibente, & invito, ut notat Franc. *n.* 1. ex Bal. *in l. fin.* §. *Necessitatem, C. de bonis, quæ lib.* Quod tamen limitat gloss. in casu in quo ex eo, quod esset Procurator, aliquid deperiret patri. 16

Multa verò habent hic DD. circa quæstionem an filius possit pro se agere, tam contra extraneum, quàm contra patrem, de quibus videri possunt interim scripta à Speculatore *in tit. de Actore*, §. 1. & alii, quos refert Barbosa hic. Nam ad regulam præsentem non spectant, & de filio familias actore agitur intrà *cap. fin. de judic.* 17

Dictionem *absque* stare aliquando exclusivè, & aliquando inclusivè, sensit Archid. hic volens, quod quando negativa præponitur huic dictioni ipsa includat. Sed hoc non placuit Jo. Andr. qui voluit, quod semper significet idem, quod *sine*, quod sonat idem, quod *si non habeat*, unde semper excludit; nam si ponitur post negativam facit sensum, *non potest, si non habeat*. Et dum ponitur post affirmativam, facit sensum *potest, etiam si non habeat*. Et sic numquam de se includit. Quamvis quando ponitur post negativam possit in affirmativam resolvi, & sonat quod *cum eo poterit*, Dom. *n.* 2. 18

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Qui generaliter V. §. Licèt autem.

SUMMARIUM.

19 *Tertia regula textus.*
20 *Major maturitas requiritur ad judicia.*
21 *Major ætas in procuratore, quàm in Advocato est necessaria.*
22 *Limitatur regula multipliciter.*
23 *Qualiter de jure civili minor admittatur ad negotia.*
24 *Minor 25. annis non admittitur ad judicia.*
25 *Si minor agat nomine alieno in judicio, actum non est ipso jure nullum.*

19 Brevis quoque regula assignatur in hoc text. Quia, scilicet, ad negotia potest deputari Procurator, qui sit major annis 17. sed ad judicia non nisi sit major 25. annis.

20 Major itaque maturitas requiritur in Procuratore ad judicia, quàm ad negotia, quod facit ad not. suprà *in cap.* 1. *in hoc tit. & lib.* Et propterea etiam est necessaria major ætas ad judicia. Hæc verò ætas completa esse debet, nec sufficit aliquem attigisse vel 17. annum, vel respectivè 25. quia text. vult quod non nisi post illos annos aliquis possit esse Procurator, Covarr. *in cap. Tua num.* 4. *de testament.* Sanchez *l.* 3. *de matrim. disp.* 41. *num.* 8. Et adeò contra leges est, quod minor admittatur Procurator, quia hoc non licet etiam si constituens obliget, & satisdet pro eo, Franc. *num.* 2.

21 Rationabiliter quoque major ætas requiritur in Procuratore, quàm in Advocato, & in teste, quia Procurator obligatur actione mandati, & condemnatur; quod non est in illis, Specul. *tit. de Advocato*, §. 1. *v. Quod est minor*, & hic Gloss. Butr. *n.* 8. Domin. *n.* 3. Franc. *n.* 1.

22 Limitatur autem regula, ut non procedat in beneficialibus, & in causa momentaneæ possessionis; quia in istis minor 17. annis potest esse Procurator, Puteus *decis.* 155. *aliàs* 151. *in correctis lib.* 1. Barbosa hic *n.* 10. Franc. *in fin.* Pariter nec in casu *l. Exigendi* 12. *C. de procur.* cùm scilicet, filius defensionem patris absentis assumit. Addit quoque Franc. idem dicendum esse in judiciis voluntariæ jurisdictionis, de quo in *l. Bonorum* 7. *C. Qui admitti ad bon. possess.* In quo casu etiam admitteretur mulier alieno nomine, ut in *l.* 1. *inf. C. communia de manum ss.* Item admitti minorem si juravit non venire contra ratione minoris ætatis. Monet tamen Franc. cogitandum an adversarius in hoc casu teneatur eum admittere velit, nolit.

23 Cæterùm regula firma stat, & quod de jure Civili minor 17. annis admittitur ad negotia, *l. sed & si quis*, §. *fin. cum leg. seq. ff. de inst.* cùm non referat cujus ætatis sit, ut ibi dicitur, etiam si sit pupillus, & imputetur illi, qui eum constituit, *l.* 1. §. *cujus autem*, *ff. de exerc.* intelligi debere, quod nisi adversarius contradixerit, notavit Baldus *l. exigendi, C. de procur.* quod defendit Franc. *n.* 1. dicens, quod hic principalis decisio est de Procuratore ad judicia, unde non debet sumi argumentum à contrario sensu, ex quo in jure contrarium reperitur expressum. Etenim de Procuratore ad negotia textus affirmativè loquitur, & dicit minorem post 17. annum posse admitti, unde expressè non negat quod possit admitti ante. Verum dico, quod meus textus est, quod ante admitti non debeat, quia si vellet posse admitti non erat, unde diceret, posse admitti post 17. annum, quia & ante potuisset admitti. Sed nihilominus firma manet doctrina Baldi: quia ex vi hujus textus admissio minoris non est ipso jure nulla, sed solum ope exceptionis, ut infra probatur.

Pariter nec debet admitti limitatio Hostien. qui in *cap. Non injustè, de procurat.* voluit, quod minor 25. annis possit admitti Procurator: Hoc enim est contra hunc textum. Nec valet arguere dicendo, quod Procurator ad negotia potest agere in judicio, ut ex princip. hujus textus, minor verò 25. annis, & major 17. potest esse Procurator ad negotia. Quia in hac parte, in textu, verbum *negotia* accipitur propriè, & specificè ut importat causam, seu actionem extrajudicialem, ut notat Dominicus. Cæterùm negotia agitare judicialiter non convenit, nisi habenti ætatem annorum 25. ut ex Lap. advertit Franc. *n.* 2. 24

An verò procedat explicatio, quam hic tradit Jo. Andr. ut scilicet si major 17. annis, & minor 25. agitet, judicium non sit nullum, si non opponatur defectus ætatis, & sic procedat opinio Hostien. sit verò nullum ope exceptionis, & sic intelligatur hic textus; multi non admittunt volentes, quod minor 25. annis sit inhabilis ad officium Procuratoris. Nam in textu dicitur, quod non potest admitti; hic verò modus loquendi inhabilitatem importat & impotentiam, & ex consequenti nullitatem ipso facto; quia ubi aliquis est inhabilis ad officium aliquod, cùm non habeat potestatem ad illud, nulliter exercet illud officium, si exercet; & ita tenent Panormitanus *d. cap. Non injustè*, *num.* 6. & ibi Imola, & alii. Quod approbant hic Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 2. Sed cum Joan. Andr. transeunt hic Ancharanus *num.* 4. Butr. *num.* 14. Et hoc verius est. Neque enim induci debet nullitas ipso jure, ubi illam non inducit lex. Quæ ex quo vel prohibet aliquid fieri, vel decernit aliquod non posse fieri, non per hoc tollit potentiam faciendi substantialiter sumptam, sed aufert potestatem faciendi licitè, & firmiter, & irretractabiliter. Et sic quod fit contra prohibitionem non est firmum, quia ope exceptionis, vel per judicem potest respectivè irritari, sed tamen non est ipso jure nullum, nisi lex decretum irritans apponat. 25

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VI.

Si duo procuratores simul (non adjecto, insolidum) deputentur, unus sine altero non debebit admitti. Secus si sint insolidum constituti, sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit. Post occupationem autem hujusmodi, alter se intromittere nequibit ulterius, cùm ille litis dominus sit effectus, nisi dictum in constitutione fuisset, quòd non fieret melior conditio occupantis: tunc enim si eum, qui occupavit infirmari, mori, absentari, vel aliàs impediri contingat, aut si prosequi fortè nolit, poterit alter suscipere, ac perficere negotium ab alio inchoatum: dum tamen ab alio non fuerit alius substitutus: nam si sit, is præferri debebit eidem.

Cæterùm ubi nullo substituto, alter suscipit negotium prosequendum, is qui occupavit primitus, ipsum resumere posteà impedimento cessante nequibit, nisi forsan illum contingeret impediri.

Sanè

Sanè in electionum, postulationum, provisionum, & aliorum spiritualium negotiorum causis (cùm talia celeriorem expeditionem exigere dignoscantur) volumus specialiter observari, ut si plures procuratores simul in eis fuerint non insolidum deputati, judex (ne propter eorum concursum negotia eadem intricari contingat) idoneiorem ex ipsis eligere valeat, & ille solummodo prosequatur, habeatque quidquid cum illo sic electo factum extiterit, plenam roboris firmitatem: Nec ad prosequendum alius admittatur, postmodum, nisi prout eum, qui non occupat negotium, censuimus post occupationem factam ab alio superius admittendum.

SUMMARIUM.

1 *AD quid data hac decretalis.*
2 *Prima regula textus.*
3 *Ejusdem causa tam actoris, quàm rei possunt plures constitui Procuratores.*
4 *Procuratores dati simpliciter, & in solidum.*
5 *Quande censeatur datus procurator in solidum.*
Dictio quilibet *attribuit cuicumque actum.*
Dictio uterque *conjungit.*
6 *Per mandatum posterius revocatur primum.*
7 *In aliquibus casibus hoc fallit.*
8 *Quid ubi cognosci non potest prius mandatum.*
9 *Quid si constat de hora unius.*
10 *Quod si constet de prioritate hora.*
11 *Quid si per unum mandatum sit minus prajudicium domino.*
12 *Quid si in uno mandato sit clausula* non revocando, &c.
13 *Ubi plures procuratores unus non valet sine alio.*
14 *Regula fallit in aliquibus casibus.*
15 *Quid si plures procuratores sint contrarii.*
16 *Et quid si procuratores in solidum sint contrarii.*
17 *Et quid si plures simul in solidum contestentur litem.*
18 *Implicat plures simul in solidum litem contestari.*
19 *Ubi plures sunt procuratores, quando unus possit ab alio exigere.* 20.
21 *Quid ubi procuratores dati sunt ad distincta negotia.*
22 *Secunda regula textus.*
23 *Quis sit procurator in solidum.*
24 *Praventio est ex eo, quod procurator prius litem contestatur.*
25 *Diversi modi praveniendi.*
26 *Quid ubi procuratores sunt dati ad plures causas.*
27 *Non dantur plures domini litis.*
27 *Quare occupantis conditio dicatur melior.*
28 *Tertia regula textus.*
29 *Quem effectum habeat clausula,* ut non sit melior conditio occupantis. 30.
31 *Dua conditiones ut procurator praventus possit priori impedito prosequi causam.*
Substitutus à primo non potest revocari à Collega.
32 *Substitutus à primo, nec in secunda instantia potest revocari à collega.*
33 *Contestatio litis non dat praeminentiam nisi respectu prima instantia.*
34 *Commissum pluribus an debeat ab omnibus simul exerceri.*
35 *Vis clausula* in solidum.
36 *An inter habiles semper qui pravenit occupet.*
37 *Paria sunt respectu actus non posse, & nolle.*
38 *Verba non semper operantur totum quod significant.*
39 *Instantia judicii est ambulatoria.*
40 *In officiis publicis auctoritate privatis unusquisque habet administrationem in solidum.*

1 EX pluribus Procuratoribos; quando onus sine alio admitti debeat, decernit Pontifex in hoc cap. satis enim confusè materia hæc per aotiquos Canonistas explicabatur. Ideò notat gloss. *in v. si duo*, quod ista decretalis data fuit ad declarationem eorum, quæ tradiderant Joan. §. *forma 2. quæst. 3.* Ber. *cap. Non injustè, sup. eodem tit.* Aversf. *l. Pluribus, ff. eodem tit.* Innoc. & Hostien. *sup. cap. In nostra, eodem tit.* & Specul. *eodem tit. §. 3. Ratione autem, vers. quid si duo, num. 16.* Plures verò conclusiones, seu regulas continet textus, quæ distinctè ponendæ, & explicandæ sunt.

2 Prima regula hæc est. Si duo Procuratores simul (non adjecto in solidum) deputentur, unus non debebit admitti sine altero.

Supponit textus, quod pro eadem causa possint constitui plures Procuratores, nedum respectu plurium personarum, oon quidem actoris, & rei simul, sed plurium vel actorum, vel reorum. Sic enim *l. si quis cum procuratorio 31. §. 1.* dicitur: *Unius litis plurium personarum plures dari procuratores non est prohibitum.* Hoc tamen non esse sic indistinctè accipiendum vult Anchatan. *n. 1.* quia ex parte rei defensio non potest dividi in plures, quando quis convenitur una actiooe, secus si pluribus, sed ex parte actoris benè potest in plures dividi, Franc. *n. 4.* nisi natora negotii exigat, quòd per unum agatur, *ut l. quod si nolit, §. quod si plures, ff. de edil.* Verum & respectu rei possunt admitti plures Procuratores, si pars non instet. Qua instante plures conventi possint instante actore compelli, ut unum tantum Procuratorem eligant, ne contingat judicium scindi, & actorem cogi ad litigandum contra plures, habetur ex *l. Ita tamen, ff. judic. solven. §. si tamen, & ex l. 4. creditoribus, ff. de fidei libert. & l. si familia, ff. famil. hercisc.* & notatur per Golinum *de procur. part. 1. cap. 4. num. 93.* Sed melius sentit Franc. *num. 4. vers. Tertio limita*, qui vult quod in omoi casu plures Procuratores admitti debeant servata regula hujus textus, ex qua tollitur ratio illa, qua motum fuit jus civile, ne scilicet defensio dividatur in plures; quia unica est defensio, cùm & Procuratores sic constituti noo sint, nisi unus ex pluribus constitutus. Sed ejusdem causæ, & etiam respectu ejusdem personæ constituentis plures Procuratores dari possunt, ut in textu supponitur, & propterea absolutè dicitur, quod ejusdem causæ plures Procuratores esse possuot, Franc. *n. 1.* 3

Duplici autem modò plures constituuotur Procuratores, scilicet simpliciter, idest nullo alio addito, sed dicendo constituo in Procuratores causæ hujus N. & N. Vel constituuntur cum adjunctione clausulæ *in solidum*. Existimat verò Golious *de procurat. part. 1. cap. 4. num. 93.* quod plures coostituti suot *in solidum*, etiam si non sit dictum. Quod est contra textum istum. Imò quod in dubio Procuratores plures non censeantur coostituti *in solidum*, nisi hoc sit expressè explicatum adootat Fr. *n. 1. ex hoc text. & cap. Non injuste, sup. eod. tit.* 4

Verum quidem est, quod sufficit hoc expressum esse æquivalenter. Et quidem primò non est necesse, quod dicatur constituo *quemlibet in solidum*, sed sufficit, si dicatur constituo tales Procuratores *in solidum*, Franc. *num. 2.* Rota *decis. 13. de procurat. in ant.* Secundò etiam si non sit dictum, quod coostituuntur *in solidum*, si aliud adjunctum est, quod æquivaleat, sufficit per Joan. Andr. & Domin. hic *n. 6.* Anchat. *n. 2.* Franc. *n. 2.* Ideò qood censeantur constituti *in solidum*, si sint constituti cum plena, & libera facultate, ex Bald. *in rubr. de exer. in fin.* advertit Franc. *per l. 1. §. si plures, ff. de exer.* Item si dicatur constituo Titium, & Sejum in Procuratores, & quemlibet eorum, censentur dati *in solidum*, quia dictio *quilibet*, attribuit unicuique actum in solidum, *ut l. creditor, §. duobus, ff. mand.* Specul. *tit. de procurat. §. 3. Ratione forma, num. 29. vers. Quid si duo*, Franc. hic *num. 2.* Item si dicatur, constituo Titium, & Sejum Procuratores, & utrumque eorum, censentur constituti *in solidum*, quia de ratione dictionis *uterque* est conjungere, non dividere, *ut in l. heredes mei, §. cum ita, ff. ad tre.* Franc. hic *num. 3.* Vant. *de null. ex def. mand. num. 80. in parvis*, Achill. *decis. 1. de procurat.* Golious *de procurat. part. 1. cap. 4. num. 94.* Quod maximè verum est si in mandato sit clausula *rati*, Puteus *decis. 98. part. 3.* Sed quod etiam clausula *absentes, &c.* juxta formolariom curiæ extendatur ad absentes tamquam præsentes, & ad quemlibet illorum in solidum, dixit Rota *decis. 280. num. 4.* coram Gregor. XV. Ubi subdit dicendum de clausula, *Promittens habere ratum quidquid ab eis, vel altero eorum erit gestum*, quod confirmat ibid. Beltraminus *numer. 10.* ex Paris. *l. 9. de resignat. cap. 3. num. 22. & 23.* & Marta *clausf. 27.* 5

6 Ubi igitur plures Procuratores pro eadem causa simul, & eodem tempore constituti sunt, non in solidum dicitur, quod omnes simul debent procedere. Et sic nullus eorum potest solus comparere, l. si quis cum procuratorio, §. penult. ff. eod. tit. Rot. decis. 280. numer. 3. coram Greg. XV. & ibi Beltramin. n. 9. Mant. l. 7. de tac. tit. 16. num. 1. Et addit Beltram. quod etiam si Procuratores essent dati cum libera, non per hoc censendi essent dati in solidum, Paris. lib. 9. q. 3. num. 24. Sed meritò in regula expressa fuit dictio simul, ut notat Gloss. quia ubi Procuratores non instituuntur simul, institutio posterior, revocat priorem, cap. Non injustè, sup. de procurat. cap. si quem inf. in hoc cap. Bellam. conclus. 529. decis. 386. n. 2. part. 1. & decis. 268. num. 1. & decis. 367. num. 15. & 16. & decis. 384. part. 9. recent. etiam si nihil de priore dicatur, & etiam si prior Procurator ignoret secundi constitutionem. Quod adeò verum est, ut procedat etiam si mandatum secundum sit inutile, & etiam si secundum mandatum fiat eidem personæ, ita quod si mandatum secundum sit inutile, nihilominus ex eo irritetur primum; quia ad irritandum prius mandatum sufficit voluntas constituentis, quæ adesse præsumitur ex eo, quod dat secundum mandatum cui in hoc accidit esse utile, vel inutile, seu validum, aut invalidum, Rota decis. 14. de procur. in antiq. Ideò etiam dato, quod secundus Procurator institutus nolit acceptare mandatum, nihilominus prius mandato remanet annullatum, & cessat facultas primi Procuratoris, Gloss. in v. simul, Barbos. n. 6. Rota decis. 366. n.... part. 1. Golinus de procur. part. 3. cap. 5. n. 72. Et hoc etiam si in secundo mandato data sit Procuratori minor facultas, quàm in primo, Golin. n. 75.

7 Per constitutionem tamen Procuratoris posterioris tunc non irritaretur prior, si esset datus ad plures causas, ut ad lites, & negotia, & postea alius constitueretur Procurator ad lites tantum, ut ex Bertach. in repert. v. Procurator revocatur, n. 30. Gol. n. 76. Item specialis Procurator prius institutus, non revocatur per posteriorem constitutionem Procuratoris generalis; per mandatum enim generale non revocatur speciale, l. si quis cum procuratorio, §. fin. ff. de procur. Seraphin. decis. 1033. n. 6. Et pariter si Procuratores diverso tempore sint instituti in solidum, constitutio unius non irritat constitutionem alterius, cap. si quis justo, sup. de elect. in hoc lib.

8 Ideò ubi duo Procuratores instituti sunt in diverso tempore primus, nisi adsit clausula citra revocationem, non valet, l. si quis cum procuratorio, 31. §. fin. ff. de procur. Gloss. hìc in v. simul. Ideò si non sunt constituti in eodem instrumento, & sub eadem data, licèt sint constituti eadem die semper revocatum censetur mandatum prius datum. Quod si hoc cognosci non possit, & sic dubium remaneat, quod nam prius fuerit datam, neuter Procurator est admittendus, quia cùm non sint dati simul, sed unus post alium, cùm sint dati in diversis instrumentis, unus eorum per necesse est revocatus; unde si non possit sciri quis illorum sit revocatus nullus eorum est admittendus, Gloss. in cap. si quis justo, 46. sup. de elect. in hoc lib. v. nominatus, Jo. Andr. in add. ad spec. tit. de procur. §. 3. n. 15. in fin. litt. Y, ver. De hoc, Domin. hìc n. 6. Oldrad. cons. 1. n. 8. Camillus Borellus in summ. decis. tit. 16. n. 310.

9 Nihilominus idem Borell. tit. de benef. permut. n. 36. existimat, quod si eodem die constituti sint duo Procuratores unus ad resignandum beneficium, & alius ad permutandum, & constet de hora unius, non verò de hora alterius, quod valeat ille, qui certa hora constitutus fuit. Quod non videtur consequenter dictum, quia adhuc non apparet quis illorum sit prius constitutus, & ideò nullus est admittendus, ut per Felin. in cap. pastoralis n. 5. de rescript. Ubi ad exempla ab aliquibus allata in contrarium benè respondet advertendo, quod aliquando ex quo non constat de hora unius constat de ulteriori tempore, in ordine ad negotium de quo agitur. Et aliquando lex contentatur de data diei, & non requirit datam horæ. Sed nos sumus in casu in quo posterius revocat prius, & sic prius est prorsus inutile, unde si nescitur determinatè posterius, non potest admitti & sustineri, quia ejus validitas est incerta.

10 Sed nec rationabile apparet dictum ejusdem Bart. d. tit. 66. n. 311. ubi vult præferendum mandatum, in quo constaret de prioritate horæ, & allegat inter alios, Gloss. in d. cap. si quis justo, v. nominatus. Sed hoc ibi non dicitur; & oppositum est verum, quia cùm mandatum datum post horam sit posterius datum, & indicet novam voluntatem constituentis contrariam priori, proculdubio prius mandatum ex nova voluntate datum posterius manet revocatum, prout voluit Felin. in d. cap. pastoralis numer. 5. de rescript.

Ratione enim horæ unum instrumentum dicitur altero posterius, aut prius, Gloss. in l. si ex pluribus, §. fin. ff. de sol. Bald. in l. Imperator la 1. primo commento, ff. de stat. & in l. præscriptione, Cod. si contra jus. Eadem ratione non procedit alia ejusdem Borelli declaratio posita num. 313. Ut scilicet valeat mandatum illius, in quo continetur minor quantitas, ac minor potestas, & ex quo minus præjudicium, aut læsio domini constituentis resultat citans ad hoc inter alios, Menoch. de arbitr. casu 213. per totum. Quod & voluit Golinus part. 3. cap. 5. num. 74. de procurat. citans inter alios Seraph. decis. 1033. num. 5. & 6. Gratian. discept. 95. num. 7. & 8. Sed Menoch. loco citato aliam quæstionem tractat, scilicet in dubio de quali quantitate intelligi debeant dispositiones, & in Seraph. nihil de hac quæstione dicitur; quæ juxta prædicta non potest aliter solvi, nisi quod ubi Procuratores per diversa instrumenta sunt constituti, & non constat quodnam mandatum sit ultimum, nec constat quinam ex Procuratoribus sit legitimus, & ideò nullus est admittendus. Et sibi imputare debet constituens, quod non distinctè disposuerit, Gratian. d. discept. 95. num. 5. ubi ex Mand. reg. 4. Cancell. quæst. 10. in fin. quod ita fuit decisum in Rota, & ex Domin. sing. 254. quod ita fuit Romæ conclusum. 11

Si tamen in altero ex mandatis adesset clausula, non revocando procuratorem in alio instrumento constitutum, ex hoc constaret hujusmodi mandatum esse validum. Imò si in utroque instrumento esset eadem clausula, constaret nullum ex illis mandatis esse revocatum, Domin. hìc n. 9. Jo. Andr. ad Specul. tit. de procur. §. 3. num. 15. in fin. l. 10. vers. De hoc. Ubi etiam existimat, quod in his casibus Procurator datus cum præfata clausula sit datus in solidum. 12

Ut ergo locum habeat regula ista necesse est, quod plures Procuratores sint constituti simul in eodem instrumento, & sine clausula in solidum, vel æquivalente sint dati simpliciter. Tunc enim unus illorum nihil valet sine alio, nec potest solus admitti, ut in text. & cap. Non injustè, sup. eod. tit. l. Pluribus eod. tit. & ita nec aliquis eorum solus, seu in solidum potest conveniri, l. si plures, ff. de cur. bo. dan. & ibi per Bar. Franc. n. 2. Et ratio hujus est, quia plures Procuratores hoc modo constituti censentur esse unus, quia per modum unius, & collectivè constituti sunt, & ideò quilibet illorum sine alio est quid partiale, & solum omnes simul sunt integer Procurator, Gloss. in v. admitti, Jo. Mon. n. 1. Anch. n. 1. Butr. n. 1. 13

Fallit tamen regula in Procuratoribus ad causas spirituales, ut dicitur infra §. fin. Quod tamen hic disponitur de Procuratoribus fuit dispositum etiam de Judicibus, c. Prudentiam, sup. de off. deleg. & de arbitr. inf. cap. 2. de arbitr. secus verò est in tutoribus, l. si plures, ff. de admin. tut. & in executoribus testamentorum, ut infrà cap. fin. de testam. & advertunt Gol. in v. admitti, Anch. n. 1. Butr. n. 1. Franc. n. 4. In personis autem reis debendi, vel credendi, utrum in solidum, vel pro parte concernat obligatio, & actio dicendum ut notatur in l. reos, §. Cum in talibus, ff. de duob. re. 14

Movet verò quæst. Gloss. in v. admitti, quid juris sit in casu, in quo isti Procuratores plures simpliciter constituti contrarii sint, & unus eorum in judicio confiteatur, & alius neget, Hostien. cap. In nostra sup. eod. tit. voluit, quod in hoc casu standum sit confessioni, quia si dominus præsens confiteretur, & negaret staretur confessioni, quæ contra eum est. Sed alii dixerunt, quod in electione domini esset eligere, an standum esset confessioni, aut negationi. Sed Gloss. amplectitur sententiam Innoc. d. cap. In nostra, quæ fuit, quod nec confessio, nec negatio admittenda esset, & quod dominus habendus esset ut contumax, & contra eum tamquam contra contumacem agendum esset, quia non misit Procuratores instructos. Nam confessio unius tantum Procuratoris alio tacente non valet, quia ex textu unus ex his Procuratoribus non debet admitti sine alio: igitur multò minus confessio unius alio repugnante valet, & idem dicitur de negatione. Et hanc partem approbat hìc Francus post Bart. in l. pluribus, & in l. Consilio, ff. de cur. fur. Et ideò ex Bald. in cap. Ex insinuat. n. 4. sup. de procurat. advertit Golin. de procur. part. 1. cap. 4. n. 99. quod hujusmodi Procura- 15

cura-

curatores debent esse concordes, & *n.*100. quod non sufficit concordia majoris partis, *& ex l. pluribus, ff. eod.* Aretin. *cons. 66. col.* 33.

16 Sed quid dicendum esset, si isti essent Procuratores in solidum, & unus alium non præveniret, sed admitterentur, ut simul contestentur litem in solidum? Nam si non simul agunt, sed unus præveniat alium, certum est standum dicto prævenientis, sive ipse confiteatur, sive neget, quia imò alius non est admittendus, ut hic in text. Sed si admissi sunt, ut simul contestentur litem in solidum, distinguit Franc. Nam isti Procuratores, vel simul litem contestati sunt simpliciter, & tunc cùm per concursum faciant sibi partem judicii, & officii neutrius valebit responsio, cùm debeant esse concordes, *ut d. l. pluribus, ff. eod.* secundùm Bald. *in l.* 1. *circa fin. Cod. de confess.* Addit quoque ex eodem Bald. *d. l.* 1. quod tunc melior erit conditio confitentis in minori summa. Et sic Franc. concedit, quod duo Procuratores admitti possint, ut simul in solidum contestentur litem: quamvis dicat hoc non debere fieri. Sed tunc isti Procuratores non sunt contrarii in totum, sed ambo confitentur summam aliquam, & ideò subsisteret actio pro quanto concordarent in summa aliqua. Sed hoc verificaretur, etiam si isti non essent Procuratores in solidum, sed simpliciter, quia admitteretur id, in quo convenirent, & melioris conditionis esset, qui minorem summam confiteretur, quia in hoc conveniret etiam alius. Et sic universaliter dicendum est, quod non contestatur lis per plures Procuratores nisi pro quanto illi conveniant, quia aliter dictum unius destruit dictum alterius. Si verò contingeret ut duorum Procuratorum in solidum quilibet cùm alio concurreret, ut contestaretur litem, & sic ambo simul simpliciter litem contestarentur, tunc quia per concursum facerent sibi partem judicii, & officii, neutrius confessio valeret, cùm debeant esse concordes, Franc. *n.* 5. Bald. *in l.* 1. *circa fin. C. de confess.*

17 Sed si duo Procuratores sint dati in solidum, & simul contestentur litem, unus illorum poterit ne litem solus prosequi? Affirmat Joan. Andr. *infr. cap. præsentium, in v. Abbate, de testib.* ex Innoc. sed Gloss. *sup. cap. Cum plures in v. Uno eorum, de off. deleg. in hoc lib.* tenet oppositum, & negat, Domin. autem *num.* 6. utramque opinionem refert, & nullam approbat, vel reprobat; ait verò, quod Judex non debet admittere ad constituendam litem nisi alterum tantum.

18 Ego nescio videre quomodo non implicet contradictionem, quod lis sit contestata à duobus Procuratoribus simul agentibus in solidum. Quia Agens, & Procurator in solidum, agit ut causa totalis, & independens à concursu alterius, ut patet ex dictis *n.* 5. Implicat verò eumdem effectum esse à duobus causis totalibus, ut est certum in Philosophia, & docet D. Th. *de pot. q.* 3. *art.* 16. *ad* 8. Nec refert, quod aliqui teneant fieri posse per potentiam Dei absolutam, quod idem effectus sit à pluribus totalibus causis, quia contestatio litis non est à Deo per potentiam Dei absolutam. Dato igitur sive per possibile, sive per impossibile, quod actio contestationis litis, ut procedens à duobus in solidum agentibus esset in eodem omninò tempore non fieret contestatio valida, quia illa contestatio tunc ab utroque non posset esse, quia nequit esse à causis pluribus totalibus, nec est ratio cur magis esset ab uno, quàm alio. Sed verè regulariter loquendo non erit simul ab utroque, sed actio unius in aliquo instanti erit prius terminata; quo dato ille solus erit dominus litis. Et si de hoc non constet, nullus admitti debebit, nec lis habenda erit ut contestata, donec vel illi simul non in solidum, sed simpliciter contestentur litem, vel ex eis unus solus id faciat.

19 Quærunt etiam hìc DD. An ubi dati sunt plures Procuratores, unus eorum possit ab alio exigere, quæ ille domino debet. Quam quæstionem dilucidè tractat Panormit. *cap. Non injustè num.* 8. *de procur.* Nam si Procuratores plures dati sunt simpliciter, cùm unus eorum sine alio agere non valeat, nec potest ab alio exigere. Sed si sunt dati in solidum, distinguitur, quia si sint dati in solidum, sed non est expressum ad exigendum, ut quia sunt dati generaliter ad negotia, non potest unus ab alio exigere, quia cùm alius possit, & debeat se ipso exigere, potest respondere, quod vult à se exigere. Ita Bartol. *in l. qui proprio, §. fin. de procur.* Anchar. hìc, Butrius, & Franc. *n.* 4. sed hoc limitat Panormit. *d. n.* 8. si dominus sit præsens, qui possit per se exigere. Ideò si sint duo tutores, unus ab alio potest debitum pupillo exigere, quia non est dominus, qui possit, *ut in l. si plures, de administrat. tut.* Et pariter si sint duo executores testamentorum, ex quo alius non solvit, quod debet, & non est dominus, qui exigere possit, ideò unus ab alio exigere potest, ut ait Panormit. *num.* 9. addens hoc facere ad intelligentiam, *c. fin. infr. de testam.* Sed si Procuratores dati sunt cum mandato speciali ad exigendum, tunc unus poterit ab alio exigere, ex quo ad id habet speciale mandatum.

Mihi videtur servandam esse *l. qui duos* 47. *de procurat.* In 20 qua continetur, quod *qui duos procuratores omnium rerum suarum relinquit, nisi nominatim præcipit, ut alter ab altero pecuniam petat, non videtur mandatum utrilibet eorum dedisse.* Ex quo autem dominus constituit Procuratores rerum suarum, in illis fiduciam habet, & ideò non censetur voluisse, ut unus contra alium agat, nisi id exprimat nominatim. Et sic non sufficit generale mandatum ad exigendum, nisi nominatim expressum sit, quod etiam ab alio Procuratore exigere etiam debeat. Verum est, quod admitti debet limitatio Panormit. ut hoc procedat, quando adest dominus, qui per se ipsum possit exigere ab alio Procuratore, secus ubi dominus deest, ut in tutoribus, & executoribus testamentorum.

Distingui etiam debet, ut habetur apud Panormit. inter 21 Procuratores habentes mandatum ad eadem, & ad diversa. Quia si v.g. unus sit Procurator constitutus ad negotia ruralia, & alius ad negotia civitatis, qui est Procurator ad ruralia poterit ab alio Procuratore exigere, quæ ille domino debet spectantia ad ruralia. Et è contra Procurator ad negotia civitatis, poterit exigere à Procuratore ruralium, quæ debet domino, quia v. g. habet in civitate domum sibi à domino locatam. Si etiam ex duobus Procuratoribus generaliter datis ad negotia, unus præter mandatum generale haberet etiam solus mandatum speciale ad exigendum, forsan posset dici, quod posset exigere ab alio habente solum mandatum generale, & quod tunc haberet locum *lex Qui proprio, §. fin. de procurat.* Quia *l. qui duos, eod. tit.* loquitur de duobus Procuratoribus generalibus. Sed oppositum mihi apparet verius; quia habens mandatum generale potens, & debens à se exigere, potest respondere, se id facere velle, & habet in hoc pro se præsumptionem voluntatis domini; ideò non potest cogi ab alio Procuratore.

Sic explicata manente prima regula textus, sequitur secunda, quæ est ista. Si dati sunt duo Procuratores in solidum, illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit. Ita quod post occupationem hujusmodi alter in causa non possit se intromittere. 22

Dicuntur autem aliqui Procuratores in solidum teste Panormit. *cap. Non injustè sup. de procurat. n.* 3. quia habent solidam potestatem, & quod eorum quilibet possit facere, quod potest facere dominus per se servata extensione mandati. Quando verò censeatur Procuratores esse datos in solidum, suprà est explicatum. 23

De his igitur Procuratoribus asseritur, quod melior est conditio occupantis per litis contestationem, & sic qui prius litem contestatur fit dominus litis, & ex hoc alius quilibet Procurator datus excluditur. 24

Diversi autem modi quibus ex præventione actiones occupantur hic recensent Gloss. Jo. Andr. Anchar. Butr. & Domin. Nam in Judicibus præventio fit per citationem, *cap. penul. sup. de foro compet. in antiq. cap. Quamvis de off. deleg. sup. in hoc* 6. *& l. si quis posteà, ff. de jud.* In iis verò qui eamdem causam agunt in judicio, ut quia ejusdem rei sibi dominium vindicant, ille meliorem sibi facit conditionem, qui prior sententiam obtinet, *l. si is à quo, de rei vendic. & l. penul. ff. de pet. hæred.* Alios quoque modos præveniendi, vide apud DD. citatos. 25

Sed quid dicendum si Procuratores plures sint generales, & dati ad plures causas? Camillus Borellus *tit.* 66. *num.* 365. inquit, quod si essent constituti duo Procuratores eodem tempore, & in eodem instrumento super pluribus causis, & negotiis, & unus unum negotium occuparet, alius posset occupare aliud; si verò simpliciter non in solidum divident negotia inter illos, & allegat *l. pluribus, ff. de procurat. & cap. pastoralis, de rescript.* Innoc. *in cap. In nostra, col.* 1. *de procur.* & Rotam *decis.* 196. *in antiq.* Sed Innocentius non vidit hanc decretalem multò enim tempore 26

ante defunctus fuit anno 1254. cùm Bonifacius ejus successor, & hujus decretalis conditor creatus fuerit anno 1294. Quantum igitur ad id, quod præfata opinio tradit de dividendis negotiis inter Procuratores plures simpliciter deputatos, contrariatur expresse huic textui, in quo decernitur, quod nullus hujusmodi Procuratorum potest aliquid agere sine alio, unde implicat, quod possint sibi negotia dividere. Quod verò dictum est de Procuratoribus in solidum, procedere potest, si plures causæ commissæ sint, ut plures, & separabiles; sic enim poterit contingere, ut qui factus est dominus unius litis, non sit alterius, & illa possit per alium occupari; sed ubi causæ commissæ sunt per modum unius, quia Procurator absolutè datus est ad negotia constituentis, ille qui primus aliquam litem contestatus fuit totius negotii factus est dominus, & in toto negotio melior est de illius conditio. Et ita Crescent. *decis.16. de procur.* docet quod Procuratoris Generalis præoccupatio facit, quod alius etiam generaliter, & diverso tempore, & cum clausula *Citra tamen*, anteà constitutus, & habitu, & actu Procurator esse desinat, ad *l.pluribus, ff.eod.tit.* & ibi notat Castr. dicens, quod habetur alius ac si constitutus non esset. Secus verò est, ut suprà dicebatur, si primus Procurator fuisset specialis, quia non revocatur per secundum generalem, Put. *decis.*167.*l.*3.

27 Non est enim æquum duos dominos litis simul admitti, *l.2. ff. de exercit.* Ideò qui prior fit dominus litis facit conditionem sibi meliorem. Meliorem inquam ratione potestatis agendi quam sibi appropriat, licèt simul pejorem facere videatur, quia onus grave assumit, Domin. *n.6.* Vel meliorem quia sic illam ipse putat, & illa sibi placet, ut explicant Jo.Andr. & Anchar. *n.*3. Convenienter verò per litis contestationem fit hæc præoccupatio, quia per litis contestationem tunc domum Procurator agere videtur, *l. Amplius, ff. rem ratam haber.* Gloss. *in v. litis contest.* In illis verò causis, in quibus lis non contestatur, fit præoccupatio per illum actum, qui legis contestationi æquivalet, seu pro litis contestatione habetur, Golin. *part.1. cap.4. n.97. de procur.* Voluit verò Seraph. *decis.*680. *n.*1. quod ad præventionem sufficiat, quod unus Procurator per præsentationem mandati, & alios actus præveniat alium, sed *num.*4. addit, quod sic præveniens alium non excludit illum ipso jure, sed ope exceptionis,& ubi is,qui prævenit,instet,ne alius admittatur.

28 Tertia autem regula additur, qua secunda explicatur, & limitatur. Nam si in mandato in quo plures Procuratores constituuntur in solidum adest clausula, *quod non fiat melior conditio occupantis*, in eo casu, eo qui præoccupavit, vel impedito, vel nolente prosequi litem per se ipsum, & non substituente aliquem, qui litem prosequatur, illam prosequi poterit, qui prius fuerat præventus.

29 Sic ergo clausula, *quod non fiat melior conditio præoccupantis*, ad aliquid valet, sed non habet illum effectum plenum, quem significat, lege illum effectum impediente; quia ea non obstante, qui prior contestatur litem fit melioris conditionis, & omni alio Procuratore excluso litem prosequitur, & perficit si velit, Gloss. in *not.6.* Butr.*n.*1.Domin.*n.*4.Franc.*n.*2.

30 Non est tamen superflua clausula illa, quia ut citati DD. notant tradit facultatem agendi habitu, seu relinquit actum primum agendi, licèt non possit exire in actum nisi in casibus expressis in textu.

31 Duæ verò conditiones sunt necessariæ ad hoc ut collega datus cum clausula, *ut non sit melior primi occupantis conditio*, possit prosequi, & perficere causam à priori occupatam. Prima est, quod ille prior occupans non possit, vel nolit causam prosequi: Secunda est, quod ille non substituerit alium in locum suum. Quod potest facere, ex quo jam factus est dominus litis. Substitutus enim à primo occupante, tamquam constitutus à potiori, & habenti meliorem conditionem præfertur collegæ jam prævento, Gloss. *in v.Præferri*, Mon. *n.7.* Franc. *n.2.*

32 Imò advertit Rota *decis.11. de off. procur. in nov.* Quod si duo Procuratores constituantur in solidum cum clausula, *quod non sit melior conditio occupantis*, & cum potestate substituendi, & revocandi substitutos, & cætera. Si unus eorum primo substituerus, & substitutus ille in prima instantia procedat, licèt secundus collega primi Procuratoris substituentis in secunda instantia alium substituat, & ille in secunda instantia procedat, tamen per hujusmodi substitutionem secundi, primus substitutus in prima instantia, non censetur revocatus, sed ille primus substitutus potest procedere in tertia instantia, quia sicut secundus substituens non potuit suum collegam revocare, ita nec ejus substitutum. Ita Rota, & sequitur Franc.*num.7.* & Borell. *decis.....tit.66. num.364.*

Ex hac verò doctrina colligitur etiam, quod ubi alias Procurator primæ instantiæ possit prosequi litem in secunda, & tertia, & ulteriori instantia stante clausula, *quod non sit melior conditio occupantis*, contestatio litis non dat præeminentiam, & meliorem conditionem nisi respectu primæ instantiæ, ita quod Procurator in solidum præventus in prima instantia, potest prævenire in secunda, & fieri dominum instantiæ. Quo non obstante alius, qui prævenit in prima instantia, & fuit præventus in secunda, potest in tertia prævenire. 33

Regulam generalem colligit Gloss. *not.*3. & Domin.*n.*1. ut scilicet universaliter, quando alicujus actus exercitium pluribus simpliciter, & eodem tempore committitur, intelligitur factum, ut omnes simul procedant. Sed credo considerandam qualitatem materiæ, de qua est sermo, & personas, & alias circumstantias. Nam regula hujus textus vim habet ex lege positiva eam statuente Procuratoribus, non ex lege naturali obligante in omni casu. 34

Notandum secundò vim clausulæ *in solidum*, importare, quod quilibet eorum, quibus aliquid committitur, possit illud per se solus exercere, Gloss. Jo.Mon.Jo.Andr.Anchar. *n.2.*Butr.*n.1.*Domin.*n.6.*Franc. *n.2. & 3.* Et ideò paria sunt dicere quilibet plurium possit, & dicere plures possint in solidum, Probus ad Mon.*n.5.*ex Alex. *cons.92. vol.7.* Et attribuit totum unicuique, Barbosa *claus.72. num.fin.* 35

Communem pariter hanc regulam deducit Gloss.*not.4.*& Domin.*num.3.* quod ubi plures habiles simul concurrunt ad exercitium actus, ille obtinet, qui prævenit, & allegatur, *cap. penult. de rescript.* & quod sic patet, quod vigilantibus, & non dormientibus jura succurrunt. Verùm & hic rerum circumstantiæ considerari debeat, nec facilè ex una speciali regula juris potest colligi regula generica. Et nec semper licet ex propria voluntate prævenire. Et ubi res obtinenda sit divisibilis, non totum est præveniendum, sed aliquid remanet etiam venientibus sero; & in Euangelio qui venerunt hora undecima diei receperunt singulos denarios, sicut qui prima hora venerunt; nihilominus primum esse in bonis utilius est, & vigilantes jura prosequunt. Et qui prior est in tempore, potior est in jure, *infr. de reg. jur. cap.54.* 36

Notandum quartò in ordine ad exercitium actus paria esse aliquem esse impeditum, & nolle illum exercere, quia tantum cessat, qui non vult, quam qui non potest agere, Domin.*n.4.* Franc.*n.2.* 37

Notandum quintò quod verba in dispositionibus non semper operantur, ut sonant, jure aliter interpretante. Sic enim clausula, *ut non sit melior conditio possidentis*, non hoc operatur, nisi in casu aliquo, quia ipsa non potest statutum juris in totum evertere; ad quod faciunt *cap. Requisivisti, & cap. Tua sup. de testam. l. nemo, ff. de leg.* Et sic clausula illa, *si non valet in totum, valet quomodo valere potest, cap.1.§.1.inf.de despons.impub.* Gloss.*in v.occupantis*, Mon.*n.6.* Anchar.*n.2.*Butr.*n.1.*Domin.*n.4.*Franc.*n.2.* 38

Notandum sextò ex textu haberi, quod instantia judicii sit ambulatoria, & sæpè de uno ad alium transeat; quot autem modis,& quibus ex causis hoc fiat, tradunt Anchar.*n.5.* & Butr.*n.6.* 39

Notandum septimò quod Probus *n.17.* latè probat, quod Tutores, & Curatores habent facultatem in solidum, nisi divisa sit administrandi potentia à lege, testatore, judice, aut ab ipsis. Et hoc extendit etiam ad Syndicos. Et *n.18.* tamquam conclusionem communem ponit, quod in officiis publicis auctoritate, & utilitate privatis, unusquisque habet auctoritatem in solidum, ut tutores,&c. 40

DE

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Si duo VI. §. Cæterùm.

SVMMARIVM.

41 *Quarta regula textus.*
42 *Collega non potest substitutum ab alio revocare.*
43 *Collega, an, post quam assumpsit causam, possit substituere.*

41 IN hac parte Pontifex dubium tacitum solvit, & quartam conclusionem seu regulam statuit. Ex quo enim Procurator cessavit à prosecutione litis, quia non potuit, videri potuisset, quod ablato impedimento, causam dimissam reassumere posset. Sed ad hunc sensum tollendum ponitur regula, quia scilicet; Ubi Procuratore cessante à prosecutione causæ, & nullo per eum substituto alter, scilicet, Collega negotium prosequendum suscepit, is qui prius occupaverat, & quia vel non potuit, vel noluit, à prosecutione cessavit, ablato impedimento, non potest negotium reassumere, nisi illum collegam secundùm contingeret impediri.

42 Dictum est superiùs, quod collega præventus ab alio, si alius sit impeditus, sed substituat sibi alium, non potest hunc substitutum revocare. Hoc idem colligitur ex hoc textu, in quo tunc solum conceditur collegæ, ut subintret in negotium, si primus alium non substituit, Gloss. *in v. substituto.*

43 Sed numquid, qui subintravit, si impediatur ne possit negotium perficere, poterit alium substituere, & sic impedire, ne primus negotium reassumat? Gloss. *in v. Impediri,* negat hunc collegam secundùm posse substituere, quia non est litem contestatus. Et allegat text. *in cap. 1. §. 1. hujus tit.* Sed si verum hoc esset, iste secundus collega non esset dominus litis. Nam dominus litis substituere potest, *sup. in hoc tit. cap. 1. §. licet*, quod si non esset dominus litis ex eo, quod litem non fuit contestatus; igitur posset revocari, imò alius posset reassumere causam, quia adhuc res esset integra. Ideò de hoc in casu esset cogitandum.

DE PROCURATORIBUS.

Cap. Si duo VI. §. Sanè.

SVMMARIVM.

44 *Quinta regula textus.*
45 *In causis spiritualibus unus solus Procurator admittitur.*
Celeritas in causis spiritualibus necessaria.
46 *Regula verificatur in Procuratoribus datis simpliciter.*
47 *Determinatio ad unum Procuratorem fit ex electione.*
48 *Regula comprehendit Procuratores ad judicia.*
49 *Et constitutos ab eodem principali.*
50 *Quid, si Procuratores dati sint cum clausula,* ut alter non admittatur sine altero.
51 *Judex debet eligere magis idoneum.*
52 *Sufficit electio tacita.*
53 *Causæ electionum spirituales.*
54 *Celeritas in causis expediendis necessaria.*
55 *Pluralitas Procuratorum intricat.*
56 *Eligi debet magis idoneus.*
57 *Executor ad pias causas potest sine alio admitti.*

44 QUintam regulam decernit Pontifex, & vult, quod in causis spiritualibus, si contingat constitui plures Procuratores simpliciter, ex illius Judex eligat, quem magis idoneum indicat, & quod hic solus judicium prosequatur, nec alius quis admittatur, nisi in iis casibus in quibus inter Procuratores in solidum dictum est post occupationem factam ab uno, alium esse admittendum.

45 Itaque ergo in causis spiritualibus, etiam si sint plures constituti Procuratores, unus solus admitti debet. Quod voluit Pontifex, quia in causis electionum ad Prælaturas, postulationum, & provisionum beneficiorum, & aliorum spiritualium major celeritas est necessaria; multum enim interest, ne Ecclesiæ maneant viduatæ, aut sine ministris, vel quod in spiritualibus in dubio causæ diu prolongatæ perdurent. Multitudo verò Procuratorum huic celeritati non convenit, sed imò causas per plures Procuratores agitatas contingit intricari, & difficiliores reddi, quod gloss. explicat contingere ob contrarias Procuratorum responsiones. Quapropter Pontifex expeditioni causarum providet, & domino absenti occurrit, & partium laboribus, & expensis consulit, ad quæ tenetur Judex, *cap. ut in hoc lib. sup. cap. statutum de rescript. & cap. Vt litigantes, de off. Ordin.*

46 Itaque ergo primò distingui debet inter Procuratores constitutos in solidum, & constitutos simpliciter. In illis enim non est necessaria nova regula ex speciali jure edita; quia in illis de jure unus solus Procurator admittitur, quia admittitur ille solus, qui præveniendo occupat litem, & per litis contestationem fit dominus litis, ut in princip. textus est dictum. Ideò regula ista non habet locum in Procuratoribus constitutis in solidum, etiam si constituti sint cum clausula, *quod non sit melior conditio occupantis*, ut notat Franc. *num. 3.* Sed quia de Procuratoribus simpliciter constitutis ad causas temporales statuerat Pontifex in principio, quod omnes admittantur; hic limitat ibi dicta, & vult, quod in causis spiritualibus non omnes, sed unus solus admittatur, & in hoc se habeant, ac si essent constituti in solidum, Barbos. *n. 3.* ex Gratian. *discept.* 201. *n. 46.*

47 Sed in hoc est distinctio, quod in Procuratoribus in solidum determinatio ad unum fit ex præventione, sed hic fieri debet ex Judicis electione. In hoc tamen est similitudo, quod in causis spiritualibus, si plures Procuratores in solidum vellent simul causam tractare non deberent admitti, ut Gloss. *in vers. in solidum.* Sed si plures electi omnes simul concurrerent, & occuparent, judex eligeret, ut vult eodem Gloss.

48 Sed neque regula ista comprehendit omnes Procuratores ad negotia spiritualia; sed solùm Procuratores ad judicia, ut hìc adnotant Glossa, Dominicus *n. 4.* & Francus *n. 3.* Nam alias in negotiis spiritualibus, nimirum in electionibus, si sint electi plures Procuratores simpliciter, nullus eorum admitti debet, prout decernitur *in d. cap. penult. de elect. in vers. Si autem*, & ibi notat Gloss. *in ver. Admitti.*

49 Regula tamen ista intelligi debet, quando ab eodem principali fuissent constituti plures Procuratores simpliciter; nam si isti essent constituti à diversis principalibus, omnes admitti deberent, *ut in cap. exhibita sup. de jud.* & voluerunt Jo. Andr. Domin. *n. 4.* & Franc. *n. 3.*

50 Aliqui etiam voluerunt admittendos esse plures Procuratores, si dati sint cum clausula, *ut alter sine altero non admittatur*, tunc enim servanda erit forma mandati, & ita non habebit locum hìc text. *cap. fin. infr. de test.* Et ita videtur primò tenere Domin. *n. 3.* Quamvis posteà dubitet. Sed & Franc. *n. 3.* ait quod fortè in hoc casu mandatum nullius erit roboris contra legem hujus textus, ut per Gloss. *in ver. occupantis, & in v. mandati.*

51 Debet verò Judex eligere magis idoneum, ut etiam *in l. si plures, ff. de accus. & l. in reficiendo, ff. de damn. infect. & l. si plures, ff. de administrat. tut.* Ille verò censendus erit magis

gis idoneus, qui est magis honestus, & qui melius novit merita causæ, *cap. in pertractandis sup. de juram. calumn.* Gloss.

52 Sufficit verò, quod judex eligat, vel expressè, vel tacitè. Unde si in causa beneficiali sint plures Procuratores instituti simpliciter, & non in solidum & cùm uno fuerit processum, aliis se non opponentibus, valebit processus, quasi judex videatur illum elegisse, cum quo processit, Franc.*n.*2.Domin.*n.*4. Rota *decis.*3.*de Procur.in nov.*

53 Notandum primò causas electionum, & provisionum ad Prælaturas, & beneficia numerari inter spirituales, unde colligitur, quod laicis committi non possunt, *cap.*2.*sup. de judic.* Domin. *num.*1. Franc. *n.*1. Qui addit laicos posse esse in his causis Procuratores, ut suprà *cap.*1. *in hoc tit. & lib.*

54 Notandum secundò, quod celeritas in causis expediendis cordi esse debet Judicibus; lex enim æquitatis naturalis hoc postulat, ut dissensiones, & contentiones forenses, quæ non sunt sive animorum contrarietate, & præbent occasionem odiorum inter homines, quam citius terminentur.

Notandum tertiò ex multitudine Procuratorum consurgere de facili intricationem negotiorum, & causarum, de quo *sup.cap.Tuam de ord.cog.* & Domin. *hic n.*2. 55

Notandum quartò hoc etiam ex naturali æquitate deberi, ut cùm in concursum plurium ad aliquid agendum datur electio superiori, ipse teneatur eligere magis idoneum. De quo *sup. in cap. Pastoralis de jure patron.* & Domin. *hic num.*3. 56

Notandum quintò ex regula textus colligi, quod executor unus ad pias causas potest absque alio admitti in judicio, si interveniat Judicis auctoritas, Barbos. *n.*8.post Greg. Lopez *l.*6.*gloss.ult.in fin.tit.*20.*part.*6. 57

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VII.

Licèt is, qui procurator, constituitur ab absente, dixerit præsentatum sibi suscipere nolle mandatum, hoc tamen nequaquam obstante, quamdiu constituens in eadem perstiterit voluntate, ipsum acceptare poterit quandocumque placebit.

SUMMARIUM.

1 *Ad quid data decretalis.*
2 *Regula textus.*
3 *Officium Procuratoris voluntarium.*
4 *Officium Procuratoris qualiter publicum.*
5 *Procurator re integra potest renuntiare.*
6 *Regula vera est de omni Procuratore etiam præsenti.*
7 *Voluntas constituentis quando cesset.*
8 *Voluntas præsumitur durare.*
In his, quæ cursu temporis non mutantur præsumitur de præterito in præsenti.
9 *Voluntas constituentis Procuratorem in dubio præsumitur durare.*
Procurator, qui dissensit, potest consentire.
10 *Idem in electo.*
11 *Et in delegato.*
12 *Et in arbitro.*
13 *Procurator recusatum mandatum potest recipere.*
14 *Taciturnitate non recipitur officium Procuratoris.*
15 *Regula textus fallit, si constituitur Procurator sub conditione, quod illo recusante alius succedat.*
16 *Hærede primi gradus recusante, succedit hæres secundi gradus.*
17 *Si plures Procuratores instituuntur successivè ultimus prævalet.*
18 *Absens potest constitui Procurator.*
19 *Actus perficitur consensu duorum, & licèt alter semel dissentiat, potest iterato consentire.*
20 *Mandatum durat durante mandantis voluntate.*
21 *Nolle, & velle quid significent.*
22 *Procuratorem noluisse acceptare mandatum non excusat à contumacia.*
23 *In quo sensu Procuratoris officium dicatur vile.*

1 Quoniam quod semel placuit amplius displicere non debet *infr.de reg.juris, cap.Quod semel* 21. Videri posset, quod etiam econtrà, quod semel displicuit, amplius non debeat placere, & sic quod ubi Procurator nominatus recusavit officium Procuratoris, non possit amplius illud acceptare. Sic si ille, cui ex primo gradu competit hæreditas illam recuset, non potest amplius eam acceptare, sed statim succedit, qui ex secundo gradu ad id habet jus, *l.*1. §. *qui semel, ff. de success. edil.* Ad hanc igitur dubitationem tollendam, Pontifex hanc edidit decretalem, per quam constat, quod in recipiendo mandato procuræ dari potest pœnitentia.

Ponitur propterea in textu hæc regula. Procurator constitutus in absentia, si delatum ad se mandatum nolit recipere, nihilominus hoc non obstante, quamdiu in mandante perseveret voluntas eadem, idem mandatum recipere poterit, quandocumque placebit. 2

Supponitur igitur, quod officium Procuratoris sit voluntarium, & propterea quod constitutus Procurator officium recipere, aut non recipere possit ad ejus liberam voluntatem, *l.filius,§.invitus,ff.de Procurat.& l.Invitus, Cod. eodem tit.* Gloss.Eliæ, Ancharanus *num.*3.Butr. *numer.*3. Domin. *num.*3. Franc. *num.*1. Rota *decis.*26.*de Procurat. in nov.* Qui tamen distinguunt, quia licèt in principio sit Procuratori liberum recipere mandatum: Ubi tamen illud recepit, tenetur postea officium fideliter exercere. 3

Distinguit etiam Gloss. inter Procuratores privatos, & publicos, nimirum Regios, sed notandum, quod Procuratoris officium est publicum, *ut l.servum quoque, §.publicè, ff. de Procur.* cujus etiam usus est necessarius, *l.*1. §.*usus, ff. eod.tit.* sed ut ex Cyn. *in l.Invitus, C.eodem tit.* notant Anch. *n.*3.Butr.*n.*8. simplex est munus publicum. Quædam enim sunt publica auctoritate, & utilitate, ut officia publica magistratuum, ut *in l.*1.§.*jus publicum, ff.de just.& jur.* Et ita suscipi debent etiam ab invitis, *ut in cap. Pastoralis de offic. deleg.& l.minorum, §.judicandi, ff.de muner.& honor.* Quædam sunt publica auctoritate, sed utilitate privata, ut tutelæ, & curæ, *ut l.*1.*in princip.ff.de administr.tutor.* Quædam sunt publica utilitate, sed auctoritate privata, & ad ista in principio nemo invitus cogitur, ut *d.l.Invitus, C.de Procur.* Et inter ista numeratur officium Procuratoris, & ideò est officium voluntarium. 4

Sed post receptionem mandati, quod re integra, scilicet post litis contestationem non possit renuntiare mandato, & officio dictum est suprà *cap.is, qui in hoc tit.* sed re adhuc integra, quod Procurator postquam recepit mandatum, & officium possit ad libitum renuntiare, voluit Joan. Andr. *sup.d.cap.Is, qui,* sed contrarium hìc tenet Franc.*n.*2. Primò quia in Procuratoribus, per acceptationem res desinit esse integra, ut *in Clem.*1.*de Procurat.& in l.sicut,C. de obligat.& act.*& per Gloss.*hic in ver.suscipere.* Tum secundò, quia in contractibus nominatis non est locus pœnitentiæ per *d.l.sicut.* Verùm cùm Procurator ante litis contestationem à domino revocari possit liberè, *cap. Quamvis* 2.*sup. in hoc tit.* æquitas vult, ut ipse quoque Procurator renuntiare possit, & sic quod quantum ad revocationem, & renuntiationem res integra sit, donec lis per Procuratorem sit contestata. Sed econtrà in substituto, qui statim post receptionem mandati non potest revocari, ut in *d. cap. Is,* 5

qui,

qui, æquum est, quod nec ille sine causa possit renuntiare post Bald. *in l. Invitus C. de procur.*

6 De Procuratore igitur dicitur, quod potest pœnitere, & rejectum mandatum de novo recipere. Est autem hoc verum de omni Procuratore, sive sit datus ad judicia, sive ad alia negotia; non enim textus distinguit, aut limitatè loquitur, Gloss. *in v. Procurator.* Textus autem expresè loquitur de Procuratore absente, sed nihilominus regula extenditur, ut verificetur etiam in Procuratore constituto in sui præsentia, ut tradunt Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 3. Hoc quidem non est de mente Jo. Andr. quia ipse vult, quod necesse sit, quod Procurator præsens tunc expresè consentiat, aliter non valeat, si postea consentit, tamen extensio ex eadem ratione vera est, manente enim constituentis voluntate sufficit ad valorem contractus, quod consensus Procuratoris quandocumque accedat.

7 Punctum est, an maneat in constituente eadem voluntas, nedum utendi Procurature instituto, sed illud constituendi, quæ quidem facilius est, ut cesset si constituente præsente Procurator recuset mandatum. Certum verò erit voluntatem constituentis cessasse, nedum si ipsi. verbis id expresserit, sed si alium Procuratorem constituit, vel ipsemet in judicio per semetipsum agere cœperit, ut explicat Gloss. *in v. Quamdiu.*

8 Cæterum si aliud non obstet, ex quo probetur voluntatem præfatam cessasse, præsumetur durare. Tum ex principio illo generali, quod voluntas in dubio non præsumitur mutata etiam usque ad extremum vitæ, nisi probetur. Quod probat Probus ad Monac. *num.* 2. *ex l. Cum hic status* §. 1. *in fin. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. cum tantum ff. de prob. cap. Majores, sup. de Baptis. §. item quæritur.* Ubi Gloss. *in ver. perdurare, cap. Perlatum, sup. de his, quæ vi metusve causa, cap. Eum, qui de probat.* Jason. *cons.* 18. *volum.* 3. Ancharan. *cons.* 90. Alexand. *cons.* 81. *num.* 3. *volum.* 5. Dom. *cons.* 115. *col.* 2. Quia ex quo voluntas hominis est deducta ad certum actum præsumitur durare in illo, nisi ostendatur mutatio voluntatis, *d. cap. major.* & regula *semel malus, infr. de reg. jur.* Alex. *cons.* 29. *col.* 2. *vol.* 3. *& cons.* 33. *in fin. eo vol.* Archid. & alii Doctores *sup. in cap. si Delegatus, de off. Delegat. in hoc lib.* Nam & in his, quæ cursu temporis non mutantur, præsumitur de præterito in præsenti, unde olim excommunicatus, hodie præsumitur excommunicatus, & olim dominus præsumitur hodie dominus, *l. sive possidetis, Cod. de probat.* Et continuatio præsumitur, si aliter mutatum possidendi propositum non apparet, *ut l. Cum quis §. in probationibus ff. de jure juran.* notatur.

9 Et propterea ex hoc principio, quod in dubio præsumi debeat volontatem constituentis mandatum durare, probant hic Jo. Andr. Anchar. *n.* 3. Burr. *n.* 4. Dom. *n.* 2. Franc. *n.* 3. Prob. *n.* 2. *& seq.* quod in dubio voluntas constituentis censeatur durare. Et propterea quia hæc ratio militat, etiam quando Procurator constituitur in sui præsentia, ideò si tunc Procurator non acceptet, potest illud acceptare quandocumque sibi placuerit, durante constituentis voluntate, quam durare præsumendum est in dubio. Nam de Procuratore constituto in sui absentia, de quo loquitur textus res clarior est, & evidentior ex ratione speciali. Nam ut notant Anchar. *num.* 3. & Burr. *num.* 6. in obligationibus, quæ contrahuntur inter absentes, ad impediendam obligationem nasci post missionem nuntii, oportet unius consensum alteri intimari, *ut in Clem.* 1. *de renunt.* ergo ante intimationem dissensus constituentis Procurator, qui primò dissensit, potest validè consentire.

10 Et ideò quod hic dicitur nedum est verum in contractu mandati, in quo semel dissentiens, consentire potest, ut ex hoc textu. Sed in omni contractu inito inter absentes, de quibus *in l. consensu, ff. de act. & oblig.* Et ideò, qui primò dissensit electioni potest iterum intra tempus juris consentire, Gloss. *in v. Placebit*, Anchar. *n.* 3. Burr. *n.* 6. Dom. *n.* 5. Franc. *num.* 3. de quo videri possunt, quę dixi *de elect. cap.* 20. *q.* 3. *num.* 16.

11 Idem dicitur de Delegato per Archid. & Jo. Andr. & eosdem Doctores, & quidem majori ratione, cum ejus officium sit necessarium, *c. sciscitatus de rescr. l. Legatus, de off. Præs. l. penult. §. qui autem ff. de excusat. mun.*

12 Item extenditur ad Arbitros per Dom. *n.* 5. Franc. *n.* 3. cùm non possit assignari distincta ratio.

13 Ex quibus colligitur prorsus falsum esse, quod sentiunt Barbos. *num.* 4. & Grat. *discept.* 92. *num.* 32. scilicet, quod semel recusans mandatum acceptare, non potest amplius illud suscipere; cùm oppositum decernat Pontifex in hoc textu, & solum non durante constituentis voluntate impediatur Procurator, ne recusatum mandatum possit suscipere.

14 An verò Procurator censeatur consentire, si dum constituitur, taceat, & nihil respondeat? nunc quidem certum est, quod sola receptione Procuratoris censetur officium acceptare, prout est casus *in Clem.* 1. *inf. de Procur.* Sed ubi nihil recipit, & nil dicit. Cyn. distinxit inter extraneum & conjunctum constituenti, & vult quod conjunctus amicitia, aut consanguinitate, seu affinitate tacendo censeatur in procuratorium consentire, quia taciturnitas ratione conjunctionis habetur pro consensu, *l. si servus, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Hujus verò occasione, Anchar. *num.* 2. & Burr. *num.* 1. *&* 2. multa habent de hac taciturnitate. Et per se vera est sententia Jo. Andr. dicentis eum, qui nihil recipit, & nihil dicit non acceptare ex hoc mandatum, quia obligatio per se taciturnitate non contrahitur; solum ergo ex circumstantiis contingere poterit, ut taciturnitas indicet Procuratoris consensum. Nam & dato quod sit persona conjunctissima constituenti, posset esse, quod pro tunc taceret, quia expectaret meliorem occasionem expressè recusandi.

15 Limitanda verò est regula, ut procedat, quando absolutè Procurator constituitur: secus si sub conditione, & clausula, *quod si ipse non recipiat, alius sit constituens.* Tunc enim statim, ac semel recusat, constitutio transit ad alium, Gloss. *in v. Placuerit*, Anchar. *n.* 3.

16 Et hinc solvitur instantia posita in principio. Nam quando ex non acceptatione, aut non consensu, seu ex dissensu intrat jus tertii, qui semel dissentit, non potest amplius consentire. Et ideò hæres primi gradus, si semel hæreditatem rejicit, non potest amplius eam acceptare, quia jus transiit ad hæredem secundi gradus, Gloss. *in v. Placuerit*, Moo. *n.* 2. Anchar. *n.* 3.

17 Sed quid dicendum, si dominus constituit successivè plures Procuratores, & primus acceptavit, sed re integra mortuus fuit, sequens poterit ne acceptare? Ancharan. in fine remittit ad Cyn. *in l. post aditam, Cod. de impub. & aliis substitutionibus.* Sed nunc quæstio non habet locum, quia ultimus constitutus est, qui solus est validus, & alii priores sunt revocati, ut patet *ex cap. prox. super.* Et notat Burr. *num.* 9. Unde ille primus non potuit recipere validè mandatum, per alterius posterioris constitutionem revocatum.

18 Notandum primò, ex hoc textu confirmari, quod absens possit constitui Procurator, ut hic Canonistæ advertunt, & concordant notata per Gloss. *in c. Cupientes §. Ad hæc, sup. de elect. in hoc lib.*

19 Notandum secundò, hinc etiam deduci, quod ubi actus perficitur ex duorum consensu, licèt alter dissenserit semel, potest iterato consentire, durante pristina alterius voluntate. Ad quod facit, quod habetur *infr. cap. si tibi absenti, de Præbend.* Ancharan. *num.* 3. Domin. *num.* 1. Franc. *num.* 2.

20 Notandum tertiò, quod mandatum semel datum durat donec voluntas dantis durat, aut durare præsumitur, & nisi sit mutata, vel extincta voluntas non extinguitur, *l. si verò non remunerandi, §. si mandavero ff. mand. & l. si pater ff. de manu judic. & l. mandatum C. mand.* Mutatio verò voluntatis non præsumitur, ut dictum est supra. Prob. *num.* 1. Ideò qui allegat voluntatem mutatam debet id probare, *ut in l. Eum, qui ff. de probat.* Franc. *num.* 3. Burr. *num.* 4. Dom. *num.* 2.

21 Notandum quartò, quod de significato horum verborum *nolle*, & *velle* plura hic habet Monac. *num.* 1. *&* 2. & ut videatur quomodo alterum sit extensivum, & alterum non, Gloss. remittit *ad l. si quis stipulatus, ff. de verb. obligat.* Vide Dom. *num.* 5.

22 Notandum quintò, quod eligens Procuratorem absentem se periculo exponit, quia si ille nolit recipere mandatum, dominus interim, si non compareat, habebitur ut contumax, nec excusabitur ex eo, quod Procurator constitutus noluit acceptare, Archid. post Gloss. *sup. c. Nicolao de appell.* Jo. Andr. Dom. *n.* 4.

23 Notandum sextò, quod Gloss. explicat dictum eorum Doctorum, qui asseruerunt, quod officium Procuratoris

sit

sit vile; hoc enim debet intelligi non quia reddat vilem, vel infamem eum, qui exercet tale officium, sed quia ad illud exercendum admittuntur etiam personæ viles. Et nihilominus id non intelligitur de Procuratore Regio, qui habet dignitatem, cùm habeat jurisdictionem inter privatum, & Fiscum. Sed distinguendum est inter Solicitatores, & Patronos. Solicitatores enim apud acta secundùm mentem juris Procuratores dicuntur, sed ab effectu appellantur Solicitatores; nam illorum officio conjuncta est solicitandi necessitas, quæ Advocati, vel Patroni officio ex adverso repugnat, ut animadvertit Felin. *cap. Tua nos, n. 1. de homicid.* Nec dicuntur personam in suam fidem suscipere, sed negotium; nec habere clientes, sed dominos, & mandatores, ut in hoc manifestum inter ipsos, & Advocatos, & Patronos versetur discrimen, ut scitè explicat Cujac. *in paratit. C. de Procur.* Et licèt horum officium non sit inhonestum, est tamen minus liberale. De quo videri possunt Guido Papa *decis.* 89. Covar. *pract. cap. 19. n. 7.* Honded. *cons.* 81. Et nihilominus hic Romæ, qui hoc officium exercent, ut plurimum in jure graduati sunt, sed Tyrones futuri aliquando Patroni, vel Advocati, unde hoc exercitium discendi causa assumptum non derogat eorum dignitati, & nobilitati, quia debet attendi causa, ob quam ars assumitur. Sed Patroni voce dicuntur Procuratores; sed jure sunt Advocati in facto. Quorum munus est causas juxta judiciorum naturam, & ordinem promovere, instruere, & orare. Et hoc officium nobile est, & in eo omni tempore floruerunt viri in Jurisprudentia illustres, & de Republica optimè meriti, quorum vulgata sunt opera. Videantur Manc. *de juram. par. 3. num. 15. & seq.* & Lotherius in Typo Collegii Patronorum Causarum.

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT VIII.

SI quem sub ea forma, quotiens te abesse contigerit, constitueris procuratorem ad causam: non ideò (licèt tractes eam postmodum per teipsum) procuratorem ipsum dignosceris revocare: quinimò procurator idem procuratoris assumet officium quandocumque te contigerit absentare. Secus si simpliciter à te fuerit constitutus: tunc enim sive ante litem contestatam, sive post ad causam ipsam venias, non ut ipsi procuratori assistas, sed ut causam tractes eamdem, tractando ipsam eum revocare censeris, nisi dicas expresè, quòd ipsum vis in officio procurationis (hoc non obstante) manere; vel nisi quòd non animo revocandi hoc facias, ex aliquibus appareat conjecturis: ut si forsan aliquis immineat articulus, in quo tu nosti melius veritatem, aut si sit procurator ipse infirmus, vel forsitan se absentet, seu quidquid aliud accidat, propter quod ipsi causæ tua sit præsentia opportuna.

SUMMARIUM.

1 *INtentio decretalis.*
2 *Regula textus.*
3 *Potest dari mandatum sub conditione absentia.*
4 *Potest constitui Procurator ad tempus.*
5 *Abesse quando dicatur dominus.*
6 *Regula verificatur etiam in Procuratore ad negotia.*
7 *Quid ubi dominus, qui constituit simpliciter Procuratorem ex causa, absentia revertitur.*
8 *An si recedat mandatum reintegretur.*
9 *Secunda regula textus.*
10 *Assistere causa, non est causa revocatio.*
11 *Dominus tractans causam per ipsum ex hoc revocat Procuratorem.*
12 *Et hoc tam in prima, quàm in secunda instantia.*
Ex contestatione litis, Procur. fit dominus instantia, non causa.
13 *Procurator reassumens causam revocat substitutum.*
14 *Dominus alium instituens Procuratorem revocat primum.*
15 *Per generalem Procuratorem non revocatur speciale.*
16 *Per Procuratorem constitutum ad judicia non revocatur ad negotia.*
17 *Ad hoc ut Procurator post litis contestationem revocetur, requiritur justa causa, vel consensus Procuratoris.*
18 *Dominus non revocat Procuratorem, si protestatur in contrarium.*
Protestatio salvat, quod alias perderetur.
19 *Protestatio non juvat, nisi secundum sui tenorem.*
20 *Ex conjecturis cognoscitur animus.*
21 *Actus necessarius domini non revocat Procuratorem.*
22 *Ubi Procurator est impeditur agere, debet citari dominus.*
23 *Procurator compulsus respondere ex hoc non revocat substitutum.*
24 *Procurator potest dari divisim ad aliquos actus.*
25 *Dictiones* Quoties, Donec, & Quoad *non sunt extinctiva.*
26 *Qualiter res diversimodè dicatur non integra.*
27 *Procurator habet officium.*
28 *Vis conjecturarum non parva.*
29 *Una præsumptio tollit aliam.*

DEcretalem istam approbare, quæ notaverant Innoc. 1
& Host. *in c. Petitio sup. eodem tit.* advertit Gloss. quæ
monet etiam videnda, quæ Juristæ adnotant *in l. Qui
mutuam §. non ideo ff. mandat.* Agitur verò de revocatione Procuratoris, quæ fiat ex eo, quod dominus ipse post constitutum Procuratorem, per se ipsum causam suam tractet, & prosequatur, & in judicio stet. Duæ autem regulæ dantur juxta duplex genus mandati, quod potest fieri.

Prima regula est ista. Dominus constituens Procurato- a
rem cum hac clausula, *quoties contingat illum abesse*, causam per se ipsum tractando, non intelligitur Procuratorem revocasse.

Potest igitur dari mandatum conditionatum sub condi- 3
tione, & pro tempore absentiæ. Et sic officium Procuratoris potest ad tempus suspendi, ut pro illo tunc careat officii exercitio, Gloss. Anch. *num. 1.* Butr. *num. 1.* Franc. *n. 1.* sic Judex quandoque habet jurisdictionem, sed ligatam, *ut in cap. Pastoralis sup. de rescript. & sup. cap. si Delegatus, de off. Delegat. in hoc lib.* Inde etsi, quod Procurator sic cum præfata clausula *constitutus*, si domino absente litem fuit contestatus, & postea dominus reversus causam per se ipsum prosecutus fuit, si iterum absente domino Procurator causam reassumat, non potest contra eum opponi exceptio procuratoria, quæ proponi posset, si tanquam novus Procurator accederet, *l. Propositio, §. rati ff. de Procur. juncta l. 2. C. de censore litis.*

Sic etiam constitui posse Procuratorem ad tempus, ut pu- 6
ta ad annum docet Speculat. *tit. de Procur. §. 3. nu. 13.* & ibi Jo. Andr. *in v. obtinuit.* Nisi enim post tempus datum sufficiens Procurator accedat, ubi lis est contestata, procedetur con-

contra dominum, tanquam contra contumacem, Ang. *l. Properandum, Cod. de judic. & cap. Auditis sup. de Procurat.*

5 Abesse autem dicitur dominus in proposito hujus regulę, quando recessit, & manet extra locum judicii, in quo causa agitatur, seu Judicis tribunal est erectum, Dom. *n.* 5. Butr. *num.* 3. Hoc tamen erit arbitrarium, quia alias si maneret in propinquo, non abesse censeri posset.

6 Quod verò hic dicitur de Procuratore ad judicia, eadem ratione verificatur de Procuratore ad negotia. Nam ratio ipsa naturalis dictat, Procuratorem ad negotia constitutum pro absentia, seu in solo casu absentiæ, manere Procuratorem in habitu, seu actu primò, quando dominus est præsens, ut in cujuscumque absentiæ casu, possit actu exercere Procuratoris officium, Jo. Andr. Butr. *n.* 5. Dom. *n.* 3. Franc. *n.* 2.

7 Hujus verò occasione quærit hic Joan. Andr. quid dicendum, si dominus ea causa peregrinationis, constituit Procuratorem simpliciter, non verò sub conditione, an scilicet, tunc quando dominus revertitur, censeatur revocatum mandatum? Dicitur verò, quod si absentia, seu peregrinatio fuit causa finalis constituendi Procuratorem, finita peregrinatione intelligitur mandatum tacitè revocatum. Ita Jo. Andr. & Anchar. *n.* 5. Butr. *n.* 6. Franc. *n.* 2. Sed si peregrinatio fuit sola causa impulsiva, mandatum censetur datum simpliciter, & ut ex Jo. de Fant. notat Franc. non cessat domino redeunte. Imò nec in primo sensu mandatum cessabit, si dominus redeat iterum statim peregrinaturus, quia non censetur reversus, qui statim est discessurus, & ex tali animo venit.

8 Hinc dum quæritur an in eo casu dato, quod dominus iterum recedat reintegretur mandatum. Dicitur absolutè non reintegrari, nisi in eo casu, in quo dominus venisset, ut recederet. Nihilominus considerandum esset, an dominus reversus assumeret causam per se ipsum. In hoc enim casu indubitatum esset, prius mandatum fuisse finitum, nec reintegrari ex eo, quod dominus nova voluntate exiret. Sed si domino reverso, & vidente, & tolerante Procurator causam administraret, signum esset, vel mandatum non cessasse, vel tacitè renovatum fuisse. Cæterùm ubi mandatum fuit ex reversione finitum, non redintegratur ex novo recessu.

9 Secunda regula textus est. Dominus dans Procuratorem simpliciter eum intelligitur revocare, si ante, vel post litem contestatam per seipsum tractet causam suam, nisi vel expressè protestetur, quod ipsum revocare non intendit, vel alias hoc appareat ex probabilibus conjecturis. Istæ autem conjecturæ sunt, ut si immineat articulus, in quo dominus melius cognoscat veritatem, vel si Procurator sit infirmus, vel se absentet, vel universaliter aliquid accidat, per quod causæ suæ domino sit præsentia opportuna.

10 Sic ergo textus hic distinguit inter hoc, quod est dominum assistere Procuratori suæ causæ, & inter hoc, quod est eum tractare suam causam. Est autem primò discrimen, quod dominus Procuratori suo assistere potest, quandocumque voluerit, etiam si Procurator in hoc sit invitus; *cap. Quamvis sup. de offic. deleg. in hoc lib. l. paulus, ff. de procur. l. si suscepta ff. de inoff. testam.* Jo. Andr. Dom. *n.* 6. Monac. *num.* 1. Franc. §. *secus num.* 1. Secundùm discrimen est, quod per hoc, quod dominus assistat in judicio Procuratori suo, non censetur revocare illum, ut hic dicitur, & facit *cap.* 2. *sup. in hoc tit.* & Bald. *l. procuratorib. C. eodem tit.* Franc. §. *secus n.* 1.

11 Sed è contra non potest dominus post litem à Procuratore contestatam eo invito tractare causam sine speciali ratione, quia dominus sive antè, sive post litem contestatam, si causam inchoatam per Procuratorem tractat per se ipsum, censetur revocare Procuratorem, nisi aliud appareat. Quod tamen est intelligendum post mandati Procuratorii purificationem. Nam exercitium domini ante mandati purificationem, non revocat mandatum, ut advertit Butr. *n.* 2.

12 Cæterùm regula procedit tam in prima instantia, quàm in secunda, & alia quacumque. Unde si Procurator agitavit causam in prima instantia, sed dominus per se ipsum prosequatur causam appellationis censetur revocasse Procuratorem, Francus §. *secus num.* 1. Rota *decis.* 2. & *decis.* 20. *de procur. in nov.* Et loquebatur ibi Rota *de procurat.* habento mandatum ad appellandum, & ad prosequendam appellationem, & nihilominus, quia in casu supponebatur, quod nedum dominus appellasset, sed impetrasset commissionem dando libellum sine protellatione, ideò ex hoc tacitè revocasse Procuratorem, dicendum fuit Procuratorem, non obstante, quod Procurator in prima instantia litem fuisset contestatus; quia Procurator per litis contestationem non fit dominus, nisi primæ instantiæ, etiam quod habeat mandatum ad appellandum, & ad prosequendum appellationem, & ideò antequam in secunda instantia incipiat prosequi appellationem, & fiat dominus secundæ instantię, etiam invitus potest revocari, & censetur revocatus, si dominus ipse appellationem prosequatur.

Extenditur verò regula, ut procedat etiam in Procuratore substituente, ita quod si Procurator habens potestatem substituendi, & revocandi substituat aliquem, & committat vices suas alteri præsenti, & acceptanti, si posteà Procurator substituens per se ipsum causam agitat, ex hoc tacitè substitutum revocat Dom. §. *secus n.* 5. Franc. *d. n.* 1. Rota *dec.* 14. & *decis.* 25. & *dec.* 20. *de procur. in nov. de quo sup. in hoc tit. in c. Si quis.* 13

Et amplius additur; quod censeatur facta revocatio Procuratoris non solùm si dominus per se ipsum tractat causam, sed etiam si alium instituat Procuratorem ad causam. Nam constitutio secundi Procuratoris est tacitè revocatio prioris, *cap. non injustè sup. eod. tit. l. si quis cum procuratorio, in fine ff. de procur. & sup. in hoc tit. & lib. cap. si Duo,* & ibi per Doctores. 14

Hoc tamen fallit primò, quia si quis constituit Procuratorem specialiter ad aliquam causam certam prosequendam, sed postea constituat unum, vel plures Procuratores generales ad omnes causas, & singulas tam motas, quàm movendas, non censetur per hoc primus procurator revocatus, Host. *cap. In nostra,* & Joan. Andr. *cap. Non injustè, sup. eodem tit.* Franc. §. *secus num.* 2, Rota *dec.* 22. *de procur. in nov.* per regulam Generi per speciem *infr. de reg. jur.* sic enim provisio generalis non trahitur ad provisa in specie. 15

Pariter secundò, si quis in uno procuratorio constituat plures procuratores in solidum ad judicia, & negotia, licèt postea constituat alios procuratores ad judicia cum revocatione omnium procuratorum suorum sub quacumque verborum forma constitutorum per ipsum, tamen ea hoc solum censetur revocasse procuratores ad judicia, & non in quantum sunt constituti ad negotia, Franc. *d. num.* 2. Rota *decis.* 18. *de procur. in nov.* Ubi quod clausulæ generales sunt civiliter intelligendæ, *ut l. fin. §. cui dulcia, ff. de vitri. & delegat.* præsertim si apparet per aliquem actum revocantis, quod Procuratorem ad negotia noluerit revocare. 16

Quod verò in textu dicitur, scilicet, quod præfata tacita revocatio habet locum tam ante, quàm post litis contestationem debet intelligi, ut valeat in casibus, in quibus alius Procurator possit revocari. Nam post litis contestationem procurator non potest revocari, nisi in duobus casibus, licèt si adsit causa justa, & rationabilis id faciendi, secundò si procurator consentiat, unde ipso nolente revocari non potest, nisi ea causa justa, *cap. Quamvis 2. sup. in hoc tit.* In his ergo casibus regula procedit, & tacita præfata revocatio vim habet; quæ alias post litis contestationem inutilis esset, si deesset causa justa revocandi, aut procurator non consentiret, Gloss. *in v. Ante litis,* Anchar. *n.* 5. §. *secus n.* 6. Franc. *n.* 3. Barbos. *n.* 2. 17

Præterea verò textus vult, quod regula posita, & ut supra explicata in duobus casibus non habeat locum. Primus est, si dominus per se ipsum tractans causam suam expressè protestetur, se non intendere per talem actum revocare procuratorem. Tunc enim procurator non manet revocatus. Nec obstat, quod protestatio videatur esse contra factum, quæ non relevat, quia hic factum non est contrarium verè, sed præsumptivè, & est factum, quod est in potestate protestantis, quia in potestate domini est per factum suum revocare, vel non revocare procuratorem, & propterea protestatio juvat; protestatio enim solvat, quod alias perderetur, *cap. Cum in de constit. in antiq. c. Cumana, de elect. & c.* 1. *d.* 27. Gloss. *in v. manere,* Jo. Monac. *nu.* 1. Dom. *n.* 2. Franc. *n.* 2. 18

Protestatio tamen non juvat, nisi secundùm sui tenorem. Ideò si procurator semel unum substituat, & habens pote- 19

sta-

statem revocandi iterum simpliciter alium substituat sine expressa revocatione primi, nihilominus primus manet revocatus, non obstante quod substituens in prima substitutione protestatus fuerit, quod per nullam comparitionem à se factam intendebat substitutum revocare. Quia aliud est comparere, aliud est substituere, & protestatio respexit comparere, non substituere, Franc. *n.* 4. Rota *dec.*4. *de procur. in nov.*

20 Secundus casus est, si aliundè ex conjecturis constet dominum facto suo noluisse procuratorem revocare. Tunc enim non remanet revocatus. Nam revocatio pendet à voluntate revocantis; voluntas verò latens intra animum volentis, probatur ex conjecturis ex apparentibus. Et in talibus non est necessaria plenior probatio, *ut notat. sup. in hoc lib. c.2. de renunc. & in c. Vt circa sup. de elect. eod. lib.* Dom. *n.*2. Franc. *n.*3. Prob. *n.*1.

21 Prima autem conjectura, quæ affertur est, si dominus veritatem articuli melius novit, vel universaliter quando intrat articulus, in quo necessaria sit, vel opportuna præsentia domini litis, cujus exemplum dat Gloss. *in v. opportuna*, si Procurator non habeat mandatum ad jurandum de calumnia, unde opportuit venire dominum, & jurare, *cap. ult. inf. de juram. calum.* Inde est, quod hic distingui debet inter actum judicialem voluntarium, & necessarium aliqua necessitate, judicando necessarium etiam actum, qui sit valdè utilis, & opportunus. Quia domini actus judicialis necessarius, non est tacita revocatio mandati, Anchar. *n.*3. Butr. *n.*3. Franc. *n.*3.

22 Altera conjectura sumitur ex impedimento procuratoris, ut si sit infirmus, vel absens. In his enim casibus si dominus causam agitet, censetur id facere ex necessitate, non verò ut procuratorem revocet. Imò licèt post contestatam litem à procuratore, jam non dominus, sed procurator ipse citari debeat, ut notatur *cap.* 2. *eodem tit.* & per Bald. *in l. procuratoribus, C. de procur.* tamen si procurator sit absens, vel aliter impeditus, citari debet dominus non procurator, ex quo præsentia domini est necessaria, Dom. *n.*3. Et sic ob impedimentum procuratoris citari potest dominus, Anch. *num.* 4. Butr. *num.*4. qui addunt, quod impedimentum hujusmodi excusat dominum à contumacia, seu pœna, *ut in cap. significante de pignor. & l. Cum à matribus C. qui pet. tut.*

23 Propterea Rota *decis.* 25. *de procur. in nov.* vult, quod si procurator habens mandatum substituendi substituat, & substitutus onus procuratoris suscipiendo litem contestetur & in causa procedat, si postea contingat, quod substituens compellatur à judice, ut articulis adversarii respondeat, vel aliquem alium actum faciat, non per hoc revocat substitutum, dummodò postea non ipse, sed substitutus in causa procedat. Secus verò si non compulsus, sed voluntarius consentiente substituto respondisset, quia tunc intelligeretur revocatus, Franc. *n.*3. Dom. *n.6.*

Notandum primò procuratorem posse dari divisim ad aliquos actus judiciales, & non ad totam causam, & etiam ad incertos, certificandos tamen ex eventu, Dom. *n.* 1. 24

Notandum est secundò, quod dictio *Quoties* multiplicativa est dispositionis ex multiplicationem conditionati ad dispositionem relati, non autem dispositionis perpetuò extinctiva, Butr. *num.* 2. simile de dictione *Donec*, vel *Quod*, quæ non inducunt conditionem perpetuò extinctivam, sed actus suspensivam. Aliud enim est suspendere, & aliud tollere, ut notat Monac. *in c. Cùm inter sup. de consuet. & l.*3. *§. si per intervall. ff. de servit.* & de his dictionibus vide *in l. Lucius ff. de excus. tut.* 25

Notandum tertiò, quod Gloss. *in verb. alteri*, inquit, quod tam in procuratore, quàm in Delegato mandatum expirat re integra per mortem mandantis, *ut l. mandatum, C. mandati*, sed diversimodè dicitur res integra. Nam in procuratore ad judicia res integra est, donec lis sit contestata, *ut sup. cap.* 2. *& cap. Si duo, in hoc tit.* In Procuratore verò ad negotia res desinit esse integra, si Procurator inceperit facere, *l.* 1. *§. cœpisse ff. de poll.* & per Lapum *alleg.* 22. & Gloss. *in l. Clem. fin. in princip. eodem tit.* Franc. *hic num.* 2. In Delegato verò res desinit esse integra per citationem, *ut sup. cap. Quamvis §. si verò de off. Deleg. in hoc lib.* 26

Notandum quartò, quod procurator dicitur habere officium, & sic datur officium Procuratoris. Quod facit ad statutum, in quo cavetur, quod unusquisque de suo officio teneatur solvere gabellam, de quo notatur *sup. in rub. de off. Deleg. & in c. Transmissam, de decimis*, & advertunt hic Dom. *n.*2. Franc. *n.*2. 27

Notandum quintò conjecturas multum operari in jure, ex ratione enim conjecturata licèt arguere, sicut licèt arguere à ratione expressa in lege. Maximè verò conjecturis uti opus est, cùm res est difficilis probationis. Et ex multis conjecturis consurgit sæpè plena probatio. De his vide probum hic ad Monac. latè differentem. 28

Notandum sextò, quod una præsumptio tollit aliam, sic enim præsumptio revocationis Procuratoris orta ex eo, quod dominus tractet causam tollitur ex præsumptione orta ex necessitate causam eamdem tractandi, Anchar. *num.* 4. 29

DE PROCURATORIBUS.

Idem Bonifacius Octavus.

CAPUT IX.

PRocurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis aliàs is qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere,) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Sanè si procurator antequam contraxerit, à domino fuerit revocatus: contractum postmodum matrimonium ab eodem (licèt tam ipse, quàm ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit: cùm illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.

SUMMARIUM.

1 *INtentio decretalis.*
2 *Summa textus.*
3 *Matrimonium potest contrahi per Procuratorem.*
4 *Hoc non est prohibitum* per Concil. Trident.
5 *Sufficit quod Procurator contrahat coram Parocho, & testibus.*
6 *Qualibet persona cujuscumque sexus potest constitui Procurator.*
7 *Potest constitui sine scriptura.*
8 *Est necessarium mandatum speciale.*
9 *Nec sufficit mandatum cum libera.*
10 *Et debet exprimi certa persona.*
11 *Sufficit si exprimatur ore.*
Matrimonium non initur inter ignotos.
12 *Ad sponsalia est necessarium mandatum speciale.*
13 *Non tamen ad causas matrimoniales.*
14 *Forma mandati servanda.*
Valeret matrimonium sine denuntiationibus.

Quan-

Quando in commissione forma juris inducitur, non inducitur nova forma.

15 *Procurator ad matrimonium non potest substituere, licèt sit ad negotium.*

Discrimen matrimonii spiritualis, & carnalis.

16 *Nec Procurator ad sponsalia potest substituere.*

17 *Si mandatum revocatur, etiam ignoranter, non contrahitur validè matrimonium.*

Procurator ad negotia si revocatur, debet illi intimari revocatio.

18 *Hoc non est necessarium in Nuntio.*

19 *Nullum est matrimonium revocato mandato etiam si dominus juravit non revocare.*

20 *Imo in foro conscientiæ, si dominus mentaliter, revocavit mandatum.*

21 *Sufficit revocatio tacita.*

22 *Si tamen voluntas non sit revocata Procurator valida contrahit.*

Etiam si dominus interim dormiat, vel fiat amens.

23 *Etiam si dominus finxit dum mandatum dedit, valeat matrimonium, si ejus tempore ille consensit.*

24 *Forma contrahendi matrimonium per Procuratorem.*

25 *An modò valeat matrimonium per literas.*

1 DAta fuit hæc decretalis de Procuratore ad contrahendum matrimonium, quia ob arduitatem hujus contractus necesse fuit specialia de illo statuere, & ordinare. Et ideò tria specialiter disponuntur de Procuratore ad contrahendum matrimonium.

2 Primum est, quod Procurator ad contrahendum matrimonium debet habere mandatum speciale. Secundum quod non potest substituere, nisi id sit sibi specialiter concessum. Tertium, quod si hic Procurator revocatus fuerit, etiam eo ignorante, nulliter contrahit.

3 Et hoc igitur textù habetur matrimonium posse contrahi inter absentes mediu Procuratore, ut habemus exemplum in scriptura Gen. 24. ubi Rebecca consensit in matrimonium Isaac instante Eliezer servo Abraham, & Procuratore ad hoc misso. Et de hoc non fuit dubium, ut notat Gloss. *per cap. Honorantur 32. q. 2. & cap. Ex parte el 2. sup. de convers. conjug. & cap. Veniens, Qui Cleric. vel noven. & l. Sufficit, & l. ult. ff. de spons. & l. mulierum ff. de rit. nupt.* Nam contractus, qui consensu perficiuntur iniri possunt inter absentes, *l. 1. ff. de contrahen. empt. §. Est autem.* Nec obstat, quod matrimonium sit necessarius consensus ore expressus, quia & per Procuratoris os hujusmodi consensus exprimi potest, juxta regulam, *Qui per alium, inf. de reg. jur.*

4 Fuit verò aliquorum opinio, quos non expressis nominibus recenset Petrus de Ledesma *q. 42. art. 1. decis. 7. & l. 2. de matrim. disp. 11. num. 1.* quod hæc decretalis correcta fuerit per Concilium Trident. *sess. 24. cap. 1.* ex eo, quia modo ex dicto Concilio sit necessarium matrimonium contrahi coram Parocho, & testibus. Sed manifestum est Concil. Trident. nihil circa hoc innovasse, nisi addendo, & ideò nunc quoque posse contrahi matrimonium inter absentes per Procuratorem, servata forma Concilii Tridentini, ut scilicet matrimonium contrahatur per Procuratorem, aut Procuratores coram Parocho, & testibus, ipsa Ecclesiæ praxis confirmat, & patet ex Rituali *tit. de Sacram. matr.* & tradunt Petrus de Ledesma *d. q. 42. art. 1.* Sanch. *l. 2. disp. 13. n. 2.* Pontius *lib. 1. c. 10. n. 1.* Brancatus *disp. 17. art. 6. n. 45. & 53.*

5 Neque tamen est necesse, quod dominus Procuratorem ad contrahendum matrimonium constituat coram Parocho & testibus, sed sufficit, quod contractus matrimonii per Procuratorem non fiat, nisi coram Parocho, & testibus, hoc enim est, quod voluit Trident. Concil. scilicet, quod contractus matrimonii non sit clandestinus, sed coram testibus, & Parocho fiat.

6 Quælibet verò persona potest assumi in Procuratorem ad contrahendum matrimonium; & ita quod nihil interest cujuscumque sit sexus, & mulier possit esse Procuratrix viri, & vir mulieris, & duæ mulieres, vel duo viri possunt esse contrahentium Procuratores, quia sexuum differentia necessaria est inter contrahentes, non verò inter eorum Procuratores, Petrus de Ledesma *de matr. q. 42. art. 1. diff. 7. v. ult. notandum*, Sanch. *d. disp. 13. n. 15.*

Hujusmodi etiam Procurator potest constitui sine scriptura, ut generaliter de Procuratore docent Gloss. *in l. Maritus, v. præterut, C. de Procur.* ubi Bart. Bald. Fulg. Salic. & Jason. *l. 1. n. 7. C. eod. tit.* plures referens. Et specialiter de Procuratore ad contrahendum tradit Sanch. *d. disp. 13. n. 14.* ex Ang. *cons. 122.* 7

De hoc verò Procuratore in textu dicitur primò, quod debet habere mandatum speciale. Quod adeò verum est, ut non sufficiat mandatum, in quo detur facultas ad aliquid exigens speciale mandatum cum clausula generali ad reliqua exigentia speciale mandatum, juxta sancita *in cap. Qui ad agendum, sup. in hoc tit.* Juxta enim ibi dicta regula illa limitatur, ut intelligi debeat de aliis similibus casibus non de majoribus, & valdè arduis, quale est matrimonium, Gloss. *in d. cap. Qui ad agendum v. non expressos in hoc tit.* ubi Jo. Andrea, & alii ibidem citati, & hic Anchar. *n. 1.* Butr. *n. 1. & in cap. Nonnulli §. 1. n. 11. de rescript.* Ubi Imol. *n. 4.* Panorm. *in c. sedes, de rescript. n. 8.* Præpos. *in c. Tua de spons. n. 11.* Petrus de Ledesma *de matrim. q. 42. art. 1. decis. 7.* Sanchez *l. 2. de matr. disp. 11. n. 3.* Pontius *de matrim. lib. 2. c. 15. num. 4.* 8

Unde ad hoc neque sufficit mandatum generale ad negotia, etiamsi datum cum plenissima facultate, & administratione unde extendi possit ad ea, quæ speciale mandatum requirunt juxta *sup. in dict. cap. Qui ad agendum.* Hoc enim non obstante, hoc speciale decernitur in hoc textu, ut ad matrimonium contrahendum non sufficiat aliquod generale mandatum, nec etiam cum libera. Pontius *d. n. 4.* 9

Sed amplius extenditur dictum hujus textus, ut nec sufficiat mandatum speciale specificatum ad contrahendum in genere, sed necesse sit, ut in mandato nominatim exprimatur certa persona, cum qua matrimonium sit celebrandum, ut est text. *in l. generali ff. de rit. nupt.* Gloss. *in ver. speciale*, Anchar. *num. 1.* Butr. *num. 2.* Dom. *num. 2.* Franc. *n. 4.* Panorm. *cap. in causis nu. 15. de elect.* Bart. *in l. Filius familias num. 9. ff. de donat.* Covar. *4. decis. 2. part. cap. 4. n. 8.* Barthol. à Ledesma *de matrim. num. 18.* Petrus de Ledesma *de matrim. q. 42. art. 1. diff. 7.* Sanch. *d. disp. 11. num. 4.* Pontius *d. l. 2. cap. 15. num. 3.* Barbosa hic plures referens *num. 2.* Etenim in matrimonio homo mutat statum, & obligat se usq; ad mortem, ut vivat cum conjuge, ideò æquum non est, ut ad electionem alicujus Procuratoris necessitetur, vel ut matrimonium contrahat, & libertatem amittat, vel ut cum persona à se non cognita, & electa, usque ad mortem ligetur. 10

Monet tamen Sanchez, quod sufficeret si persona exprimeretur extra mandatum, vel voce, vel Epistola, quia ut dictum est Procurator etiam oretenos potest constitui. Et sufficit, quod persona, cum qua debet contrahi matrimonium sit cognita contrahenti, cùm enim matrimonium sit vinculum mutui amoris, qui non potest esse inter personas incognitas omninò, & propterea consensus ad mutuum amorem petat esse inter personas cognitas, propterea Gloss. *in c. Non illud 3. q. 5.* voluit matrimonium contrahi non posse inter absentes, nisi aliquo modo se noverint, vel fama, vel alia ratione; cùm enim omninò se ignorant adinvicem consentire non possunt, Dom. *n. 2.* Franc. *n. 4.* sufficit tamen, quod hæc cognitio undequaque habeatur. 11

Extenditur quoque conclusio textus etiam ad sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium, & ad illud disponunt, *arg. l. Oratio ff. de spons.* Gloss. *sup. in cap. Qui ad agendum in hoc tit.* Dom. *hic n. 2.* Franc. *n. 1.* Sanchez *d. disp. 11. n. 3.* Pontius *d. l. 2. p. 15. n. 6.* 12

Ab aliquibus extenditur etiam ad causas matrimoniales, nimirum à Gloss. *in d. cap. Qui ad agendum, & hic in verb. matrimonium*, quam sequitur Archid. Sed certè ex vi hujus capitis ad agendum, vel respondendum in causa matrimoniali non est necessarium speciale mandatum, quia textus loquitur de matrimonio contrahendo, non verò de agendo contra illud, vel illud defendendo. Et ideò quod ad causam matrimonialem non sit necessarium mandatum speciale docent Franc. *num. 3.* Rota *decis. 27. de Procur. in nov.* 13

Stante igitur, quod ad contrahendum matrimoniom sit necessarium Procuratori speciale mandatum, ejus termini, & fines diligenter inspici debent, cùm sit certum Procuratorem nulliter agere, si excedat mandati terminos, *l. diligenter ff. mandati.* Si tamen daretur alicui mandatum ad contra- 14

tra-

trahendum matrimonium cum clausula *servata forma Concilii Trident.* adhuc validum esset matrimonium si fieret, non præmissis denuntiationibus, quia clausula illa intelligi debet de his, quæ sunt de substantia, seu de forma; denuntiationes verò etiam secundùm Tridentinum non sunt de forma matrimonii, Sanchez *decis.* 11. *num.* 18. Pontius *l.* 2. *de matrim. cap.* 15. *num.* 6. Imò addit Sanchez valere matrimonium etiam si in mandato diceretur *præmissis denuntiationibus*, & ille non fuissent præmissæ. Quia quando in commissione exprimitur forma juris communis, eo modo, quo jure communi inest, non est intentio inducendi novam formam, conditionem, sed est admonitio quædam, ut servetur forma communis.

15 Secundò Pontifex statuit, quod Procurator constitutus per mandatum speciale ad contrahendum matrimonium, non possit substituere, nisi id sibi specialiter sit concessum. Et fuit rationabile hoc statuere. Nam alias cùm procurator iste sit ad negotium; contrahere enim matrimonium non est causa judicialis, sed negotium simplex, Gloss. *not.* 2. Dom. §. *Et quamvis num.* 1. Franc. *num.* 1. Procuratores verò ad negotia substituere possint, *cap.* 1. §. *Procurator sup. in hoc tit.* Ideò de jure communi Procurator ad contrahendum matrimonium potuisset substituere. Sed jure meritò speciali lege hoc est prohibitum, propter periculum, quod in hujusmodi substitutione incurritur, & quia esse procuratorem ad contrahendum matrimonium est officium maximè confidentiæ, & ideò constituens censetur eligere individualem industriam personæ, unde non potest substituere, Anchar. *num.* 2. Butr. *num.* 1. & 2. Dom. *n.* 2. Franc. *num.* 4. Petrus de Ledesma *d. q.* 42. *art.* 1. *diff.* 7. Sanchez *d. disp.* 13. *num.* 5. Pontius *d. l.* 2. *cap.* 15. *num.* 5. Et per hoc patet discrimen inter matrimonium spirituale, & carnale. In illo enim quando est expressa certa persona, cui conferenda sit Ecclesia, vel beneficium, non censetur electa industria delegati, unde & potest subdelegare negotium, *cap. Is cui sup. de off. Deleg. in hoc lib.* Sed in matrimonio carnali etiam si certa persona sit expressa procurator non potest substituere. In matrimonio etiam spirituali dari potest commissio respectu personæ idoneæ indefinitè, Jo. Andrea *in c. Accedens de Præbend. & in cap. fin. de concess. in hoc lib.* Arch. *in cap. si tibi absenti inf. de Præb.* Franc. hìc *n.* 4. Sed in matrimonio carnali mandatum de persona indefinita non valet, ut dictum est.

16 Idem quoque dicendum est de procuratore constituto ad sponsalia, quia scilicet non possit substituere, sicut & necesse est, ut mandatum ejus sit ad contrahendum cum certa persona. Nam sponsalia sunt veluti inchoatum matrimonium, quod non initiatur, nisi cum persona certa, & cùm sit factum maximè confidentiæ non committitur, nisi electa industria personæ, Sanch. *d. disp.* 11. *n.* 5.

17 Tertiò Pontifex decernit, quod tempore, quo procurator contrahit, mandatum sibi datum non fuerit revocatum, & sic necesse est, quod tempore, quo procurator contrahit, perseveret in constituente domino voluntas contrahendi matrimonium cum illo conjuge, pro quo datum fuit mandatum, aliter matrimonium est nullum. Quod quidem est speciale in matrimonio, & similibus contractibus, in quibus jus non potest supplere consensum contrahentium. Sive consensu enim non perficiuntur contractus. Ubi igitur jus potest supplere consensum contrahentium, ut sufficiat consensus præsumptus, & dominium unius transferre in alium, potuit etiam statuere, ut contractus valeant initi per procuratorem etiam revocatum, si revocatio non fuit illi congruo tempore intimata, unde fuit ab illo probabiliter ignorata. Et sic datur juris regula, quæ petit procuratorem constitutum ad negotia certiorem fieri debere de revocatione, aliter quod revocatio non prosit, ut Clem. *ver. de renuntiat. & cap. ex parte sup. de rescript. & l.* 1. §. *final. ff. de contrah. empt.* sed non valet hæc regula in matrimonio, in quo jus non potest contrahentium consensum supplere, sed est necessarius eorum consensus verus, & ideò si tempore, quo procurator contrahit, mandatum est revocatum, matrimonium est nullum, etiam si revocatio sit ignorata, Gloss. *in v. ignoraret*, Jo. Andr. Anchar. *num.* 1. Butr. *n.* 3. Domin. §. *sanè num.* 4. & 2. Francus *num.* 4. & 7. Probus *ad Mon. num.* 1. Barbosa *num.* 7. Gloss. *in Clem. un. de renunt. v. ignorantem*, & *v. credendum*, & ibi Anchar. *num.* 6. Card. & Imol. *num.* 11. Bonif. *num.* 30. Gloss. *in c. Nec illud v. uxor.* 30. *q.* 5. ubi Archid. Bellam. & Tummer. *in fin.* Silv. *v. Matrimonium* 5. *q.* 11. Felin. *cap. edoceri num.* 11. & *cap. ex parte n.* 8. *de rescript.* Sanchez *l.* 2. *de matrim. disp.* 11. *n.* 6. Pontius *l.* 2. *c.* 15. *n.* 9. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 63. *num.* 37.

Distinguunt tamen Doctores hic inter contractus celebratos per Nuntium, & per Procuratorem. Ad illos enim dicunt non esse necessariam revocationem, sed ad nullitatem contractus inducendam sufficere mutationem voluntatis in contrahente, etiam si hæc mutatio non sit intimata, *ut l. si pater ff. de manum. vindic.* ubi Gloss. *in v. non fiat*, & hìc Jo. Andr. & Anchar. *num.* 1. Dom. §. *sanè nu.* 2. Franc. *num.* 7. Gloss. *in cap. tibi dabo dist.* 63. Sanchez *d. disp.* 11. *num.* 7. Et ratio est, quia Nuntius, vel Epistola præbet nudum ministrum velut pica, vel organum, & concipit verba in persona domini, *ut l. Et licèt, l. Qui autem ff. de constit. pecun. & l. Multum C. si quis alteri, vel sibi.* Deficiente igitur consensu tempore contractus, nihil validè fit, etiam si nuntius non sit certioratus, quidquid in contrarium dixerit Gloss. *in l.* 1. *ff. de contrahend. empt.* Sed Syndicus, vel Procurator agunt ex facultate sibi concessa, & constituens Syndicum, aut procuratorem facto illius voluit obligari, unde ut procurator nulliter agat ex mutatione voluntatis constituentis, opus est, ut hæc mutatio sit illi intimata, & sic potestas illi data sit revocata. Quod tamen fallit in contractu matrimonii. Quamvis Franc. ex Gloss. *in Clem.* 1. *ver. teneat, de renuntiat.* dicat, quod in matrimonio procurator censeatur potius nuntius, quàm procurator, cùm concipiat verba in persona domini, prout facit nuntius, Pontius *tamen d. cap.* 15. *num.* 37. non approbat rationem supra allatam, & hac ratione ille movetur, quia necessitas intimationis revocationis sit ex jure positivo, & non debeat extendi ad nuntium, & ad epistolam cùm jus hanc extensionem non faciat, quæ ratio vera est. Sed & ratio allata ab aliis ostendit convenientiam, ob quam hæc extensio, nec à jure facta fuit, nec fieri convenit. 18

Addunt verò Doctores matrimonium nullum esse, etiam si dominus jurasset non revocare mandatum. Nam licèt dominus hoc faciens sit perjurus contra juramentum. Si tamen, ut advertit Pontius *d. cap.* 15. *num.* 33. simus in casu, in quo juramentum obliget, & non potius ex justa causa revocandi rem furatam, juramenti ipsius cessat obligatio, tamen mandatum manet revocatum, & cessante in domino voluntate contrahendi, procurator non potest pro domino validè matrimonium contrahere, Gloss. *in v. revocatum*, Monach. & Prob. Jo. Andr. *ad fin.* Dom. §. *sanè n.* 5. Franc. *n.* 5. & 6. Felin. *cap. ex parte n.* 12. *de rescript.* Silvest. *v. matrim.* 5. *q.* 13. Covar. 4. *decr.* 2. *par. cap.* 4. *num.* 10. Seraph. *privil. juram.* 75. *num.* 7. Sanch. *d. disp.* 11. *n.* 8. Pontius *num.* 12. 19

Imò quoad forum conscientiæ sufficiet ad nullitatem matrimonii revocatio mentalis. Quia quantumcumque sint verba externa, si deficit internus consensus, non perficitur matrimonium; quæ est ratio, quam hic tradit textus, & sic docet D. Th. 4. *dist.* 29. *in expositione textus Magistri in fin.* Sanchez *n.* 9. Pontius *n.* 11. 20

Inde etiam est, quod ad eamdem nullitatem inducendam sufficit revocatio tacita, Covar. *ubi sup. num.* 11. & ex Ludovicus Lopez 2. *par. cap.* 47. idem Sanch. *d. disp.* 11. *n.* 10. Pontius *num.* 11. nedum enim verbis, sed factis loquimur, & manifestamus internum consensum, *l. Paulus ff. rem rat. hab.* Imò magis factis, quàm verbis ostenditur, *l. si tamen* §. *Ei, qui ff. de edil. edict. & l. reprehendenda C. de institut. & substitut.* Et in proposito, quod sufficiat facto revocare consensum, habetur *ex l. fin. ff. de divort.* In qua *l. fin.* ponuntur conjecturæ, ex quibus mutatio voluntatis colligitur, ut si patronus sibi desponderit aliam, vel destinaverit, vel matrimonium appetierit; sic etiam mandatum datum ad contrahendum cum una, facto tacitè revocatur per mandatum postea datum ad contrahendum cum alia. Cùm enim unus vir cum duabus mulieribus simul contrahere non possit, ex quo postquam voluit contrahere cum una, & ad id dedit mandatum, & sic absolutè proponit, & vult contrahere cum alia, cessat voluntas contrahendi cum prima. 21

Ad hoc tamen ut matrimonium per procuratorem initum sit validum, sufficit voluntas domini non revocata, & saltem virtualiter durans. Ideò si dominus post missum procuratorem, nec amplius consentit, nec dissentit, nec de matrimonio cogitans ad alia se divertit, quia durat virtua- 22

tualiter prior voluntas, validum initur matrimonium, sicut validè baptizatur dormiens, qui prius petiit baptizari, *cap. Majores de Bapt.* Silvest. *ver. matrim.* 5. *q.* 10. Barthol. à Ledesma *dubit.* 18. quem sequitur Pontius *d. cap.* 15. *num.* 13. Sanchez *num.* 11. *qui num.* 12. idem asserit, si dominus post missum Procuratorem, & non mutata voluntate fiat amens. Nam & valet baptismus tempore furiæ receptus ab eo, qui sanæ mentis ante furiam illum petiit, *cap. Majores de Bapt.* Et sicut valeret matrimonium tunc à procuratore initum, cùm dominus dormiret. Et quamvis ipse dominus constituens procuratorem per se ipsum non possit inire matrimonium tunc, cùm est amens, vel dormit, quia tunc validum consensum præstare non potest, validè tamen per procuratorem contrahit ratione consensus validi dati, cùm potuit illum dare, & qui perseverat tunc, cùm ipse dormit, aut amens factus fuit. Casum tamen de amentia negat Pontius *d. cap.* 15. *num.* 14. Sed rationes ejus non militant. Quia pro tempore verè est, & durat consensus jam datus, nec per amentiam revocatus. Nec est simile exemplum de morte; quia mortuus non est habilis ad actus matrimoniales, & est incapax matrimonii, cujus est capax amens.

23 Sed & in casu, quod dominus constituens Procuratorem finxerit, & interius in matrimonium non consenserit, si nihilominus mutata voluntate tempore initi matrimonii verè consentit, matrimonium erit validum. Nam tunc adest consensus tam externus, quàm internus, Sanchez *d. disp.* 11. *num.* 13. post Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 2.

24 Hæc verò erit forma contrahendi sponsalia per procuratorem, si procurator dicat. Promitto tibi de mandato N. domini mei, & nomine ejusdem quod te ducet in uxorem, & hoc in animam suam juro. Et versa vice puella respondebit: promitto tibi nomine N. domini tui recipienti, & sibi per se, quod ego ducam ipsum in virum, nisi steterit per ipsum: & hoc juro. In matrimonio verò de præsenti, dicetur sic: N. dominus meus mandat tibi, quod ipse per me, sive mediante me, & tibi nuntiante, accipit te, & consentit in te tanquam in uxorem suam. Et econtra respondebit mulier: Et ego te mediante dominum tuum recipio in meum virum, cùm ipse te mediante me in suam recipiat; & in eum consentio tanquam in dominum, & maritum, Jo. And. Silvest. *v. matrimonium* 5. *q.* 14.

De matrimonio autem an modò post Concil. Tridentin. 25 possit initi per nuntium, aut epistolam est controversum. Negat Petrus de Ledesma *de matrim. q.* 45. *art.* 3. *dub. ult. in respon. ad Prob.* at affirmant Pontius *d. cap.* 15. *num.* 35. Sanch. *d. l.* 2. *disp.* 12. Qui ibi in duobus casibus ab eo expressis putat validè contrahi. Nimirum si scribens dicat nedum se facere sui corporis traditionem, sed ex tunc traditionem alterius acceptare, & lecta hac epistola coram Parocho, & testibus, ille alter consentiat, & se tradat, & traditionem alterius recipiat. Secundus casus est, si recipiens epistolam rescribat, & consentiat, & hæc litera responsiva legatur coram Parocho, & testibus, & altero conjuge, qui tunc coram illis consentiat. Hoc certum est, jam non habere locum sententiam illam, ut ad valorem hujus matrimonii sufficiat, si qui epistolom præfatam recipit extrinsecus consentiat, & consensum cujuscumque manifestet, quod voluerunt hic Jo. Andr. Anchar. *in fin.* Domin. §. *sanè num.* 3. Franc. *num.* 5. & alii plures, quos refert Sanchez *l.* 1. *de matrim. disp.* 7. *num.* 35. Quia modò iste consensus inter alias conditiones hanc debet habere, ut sit datus coram Parocho, & testibus. Quamvis & absolutè dicendum sit ad valorem matrimonii, vel sponsalium esse necessarium, quod sicut traditio, & promissio, seu consensus sensibilis debet esse ei, cui fit, ita etiam traditio, & repromissio, & non sufficere, quod traditio, & repromissio hujusmodi à casu, & per accidens ad notitiam veniant alterius sponsi, vel conjugis; requiritur enim consensus mutuus, & qui per se sit talis, Petr. de Ledes. *de matr. q.* 41. *art.* 3. *dub. ult. ad primum*, Barthol. de Ledesma *dub.* 18. Sotus 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. quos sequitur aliis relatis Sanch. *d. num.* 35.

DE HIS, QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi.

CAPUT UNICUM.

ABsolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metum extorta: præsentis constitutionis authoritate omninò viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia: eos, qui absolutionem, seu revocationem hujusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

SUMMARIUM.

1 *Ratio edendæ decretalis.*
2 *Regula textus.*
3 *Absolutio, & revocatio censuræ distinguuntur.*
4 *Hic comprehenditur revocatio censuræ conditionata.*
5 *Et est sermo de omni excommunicatione majori.*
Etiam de injusta, sed valida.
6 *Non verò de excommunicatione minori.*
7 *Et de omni suspensione.*
8 *Et de omni interdicto.*
Tria hæc paria sunt.
9 *Non est sermo de cessatione à divinis, quæ non est censura.*
10 *Nec de coacta violatione interdicti.*
11 *Nec de probatione censuræ.*
12 *Quid sit vis, vel metus.*
13 *Non est sermo de metu levi.*
Quis sit metus gravis.
14 *Timor injusti damni est, qui irritat.*
15 *Absolutio nulla à quocumque sit extorta.*
16 *Absolutio extorta est nulla ipso jure.*
Verbum temporis præsentis *addita dictione* omninò *significat nullitatem ipso jure.*
17 *Extorquens absolutionem sunt excommunicati.*
18 *Mandans extorqueri absolutionem à censura est excommunicatus.*
19 *Non tamen ratam illam habens.*
20 *Requiritur quod absolutio sit extorta.*
21 *Hæc censura non est reservata.*
22 *An extorquens absolutionem à judice sit excommunicatus ex Bulla Cœnæ.*
23 *Absolutio à censura non potest vendi.*
24 *Excommunicatio an sit sententia.*
25 *Sententia metu extorta non est ipso jure lata.*
26 *Lex non trahitur ad præterita.*
27 *Pœnales leges necessariæ.*
28 *Excommunicatus iterum potest excommunicari.*
29 *Pœna ob præambula non incurritur.*
30 *Actus malus licèt effectu privatus punitur.*

PEr hanc decretalem tollitur audacia impiorum, extorquentiam absolutionem à censuris. Quia enim ea, quæ per metu fiunt, valent, licèt debeant in irritum revocari, *cap. Abbas sup. eodem tit. cap. author.* 15. *q.* 6. Gloss. *hic in v. Absolutionis*, Jo. Mon. *num.* 2. Anchar. *num.* 1. Unde 1
erat,

erat, quod irretiti censuris Ecclesiasticis, facilius movebantur, ut inferrent vim, aut metum ad hoc ut absolutionem ab illis extorquerent, absolutiones hujusmodi validas esse censentes, ut huic malo occurreret Greg. X. in Concil. Lugdunen. hujusmodi absolutiones nullas ipso jure esse voluit, ut hoc modo improbi scientes vim, vel metum nullius esse fructus, ab hujusmodi violentiis inferendis abstinerent. Et hoc non contentus, etiam pœnam excommunicationis tulit in eos, qui præfatas absolutiones vi, vel metu extorquerent.

2 Primò igitur decernitur, quod absolutio, seu revocatio excommunicationis, suspensionis, vel interdicti per vim, aut metum extorta sit ipso jure nulla. Deinde statuitur, quod extorquens sit ipso facto excommunicatus.

3 Distinguit autem textus inter absolutionem, & revocationem, inter quas propterea plures differentiæ adnotantur, nimirum primò, ut absolutio significet absolutionem solemnem, quæ fit servata forma *cap. A nobis 2. de sent. excommun.* revocatio verò sit absolutio verbalis facta sine solemnitate. Vel quia ubi excommunicatio tenuit, locum habeat absolutio, & ubi non tenuit revocatio. Vel quia revocatio referatur ad absolutionem, quæ fit ad cautelam. Vel quia absolutio respiciat censuram latam absolutè, revocatio verò censuram latam sub conditione, & sic ante diem, & conditionem impletam excommunicatio dicatur revocari. Vel quia absolutio detur ab excommunicatione, suspensio verò, & interdictum revocentur. De quibus videri possunt Gloss. *in ver. revocationem*, Jo. Monac. *num.* 3. Archid. & Jo. Andr. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 2. Domin. *num.* 5. Franc. *num.* 4. Silvest. *ver. excommunicatio* 9. *n.* 43. Tabien. *ver. excommunicatio* 5. *casu* 32. Quibus addi potest Pontificem voluisse tollere omnem ambiguitatem, & ne fieret vis, *in ver. absolutionem* addit, *& revocationem*, ut comprehenderet omnem modum, quo quis imaginari potest, quod tollatur censura contra aliquem lata, & appareat quod omnis hujusmodi ablatio si vi, vel metu sit extorta, est nulla.

4 Et quia censura aliquando fertur absolutè, & aliquando sub conditione, & ad certum tempus, potest contingere, quod quis vim, vel metum inferat, ad hoc ut revocetur censura etiam antequam adveniat conditio, & liget, & sic quæri potest, an hujusmodi revocatio sub hoc textu comprehendatur. Quod (si nomen revocatio referatur ad absolutionem hujusmodi excommunicationis latæ sub conditione de futuro) affirmant Butr. *num.* 2. Dom. *nu.* 5. Franc. *num.* 4. allegantes ad hoc *cap. Præterea el 2. de dilat. & cap. Romana §. caveant inf. de sent. excomm.* & absolutè credo id esse verum, quia ablatio hujus censuræ conditionalis etiam ante adventum conditionis est revocatio sententiæ censuræ jam latæ, & ligantis, licèt sub conditione. Et qui vim infert, vel metum vinculum Ecclesiasticæ censuræ per violentiam frangit, & sententiam revocare facit.

5 Est autem sermo de excommunicatione majori universaliter, sive sit lata à jure; sive ab homine, & sive sit publica, sive occulta. Et etiam si aliàs sit injusta, ut hic monent Gloss. *in v. excommunicationis*, Jo. Mon. *num.* 2. Dom. *n.* 5. Cajet. *v. excomm. cap.* 4. Silv. *v. excomm.* 9. *num.* 43. Tabien. *v. excomm.* 5. *casu* 32. Suarez *de censur. disp.* 28. *sect.* 4. *n.* 12. D. Anton. 3. *p. tit.* 25. *cap.* 27. Palud. 4. *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 4. *cas.* 11. Sayrus *l.* 3. *cap.* 34. *n.* 12. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *p.* 15. *n.* 5. & plures alii apud istos. Quod tamen intelligendum est, si excommunicatio injusta sit valida saltem in foro externo. Nam in textu est sermo de absolutione, & revocatione, quæ aliàs de se fuisset valida, nisi illam irritasset Pontifex, seu quam opus fuit Pontificem irritare, hæc verò est absolutio à censura valida, nam remotio censuræ invalidæ, nec est absolutio, nec revocatio, cùm nulla ibi sit verè censura, Suarez, & Bonac. citati, Felin. *tr. c.* 4. *q.* 7. *n.* 19.

6 Extendunt verò hoc etiam ad excommunicationem minorem, Dom. *in fin.* Franc. *num.* 2. Bonac. *d. p.* 15. *num.* 2. citans Navar. & Ugol. Fundantur, quia quando fit mentio de excommunicatione, si materia in qua profertur est proportionalis etiam minori, de ea etiam intelligitur, ut est Gloss. *in cap. Præsidentes, infr. de hæret.* Et hoc etiam si constitutio sit pœnalis, juxta Gloss. *in Clem.* 1. *de privil. in v. à sententiis*. Sed oppositum probatur, quia in jure sub nomine excommunicationis simpliciter venit excommunicatio major, & in dubio appellatione excommunicationis venit minor, *cap. Si quem, sup. de sent. excomm.* quia verba debent intelligi in potiori significatione, *cap.* 1. *inf. de testam. & in l.* 1. *§. qui in perpetuum, ff. si ager nec.* Sumus enim in pœnalibus, strictè interpretandis, & restringendis, *reg. in pœnis, & reg. odia, inf. de reg. jur. & c. Pœna* 18. *de Pœnit. d.* 1. & propterea, quod dispositio textus non comprehendat absolutionem à minori excommunicatione docuerunt Silv. *d. n.* 43. Tabien. *d. casu* 32. Sayr. *d. n.* 12. & apud Bonac. Filliuc. & Regin.

Nomine verò suspensionis venit quælibet suspensio, sive sit ab officio, sive à beneficio, sive ab ingressu Ecclesiæ, Gloss. *in v. suspensionis*, Dom. *num.* 6. Franc. *num.* 5. Silvest. *d. num.* 43. Tabien. *d. num.* 32. Sunt enim omnes istæ suspensiones majores, & quæ comprehenduntur sub nomine suspensionis. 7

Comprehenditur etiam interdictum. Tria enim hæc, scilicet. Excommunicatio, suspensio, & interdictum, ut notant Gloss. & Monac. *num.* 3. paria sunt; sunt enim censuræ Ecclesiasticæ, & secum trahunt executionem, unde sequens appellatio non suspendit earum effectum, *c. Pastoralis, c. Ad hæc quoniam, sup. de appell. & c. Is cui, inf. de sent. excomm.* Et in scriptis fieri debent, *c. Medicinalis, §. Et hæc eadem inf. de sent. excomm.* Verificatur verò determinatio textus, sive interdictum sit locale, sive sit personale; textus enim indistinctè loquitur. 8

Sed numquid sub nomine interdicti venit etiam cessatio à divinis? Videtur ita dicendum, quia cessatio à divinis, saltem si sit generalis, æquiparatur interdicto, Clem. 1. *de sent. excomm.* Et ideò in hanc sententiam inclinat Franc. *num.* 7. quia sicut suspensio accipitur largè de omni suspensioni, ita & interdictum. Verum in contrarium facit, quod cessatio à divinis, nec est censura, nec est interdictum, neque æquiparatur interdicto, nisi in casibus in jure expressis, juxta notata *sup. in hoc lib. cap. si Canonici, num.* 7. *de off. Ordin.* & ideò violenta relaxatio à cessatione à divinis non comprehenditur sub dispositione hujus textus, Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 3. 9

Sicut nec comprehenditur violatio coacta interdicti, aut excommunicationis, seu suspensionis, aliud enim est interdictum revocare, & aliud est interdictum contemnere, & violare. Quamvis verò contra cogentes violari censuram excommunicationis, & interdicti lata fuerit *Clem. gravis* 2. *de sent. excom.* Tamen in præsenti non fertur sententia contra cogentes violari censuras, sed contra compellentes Ecclesiasticos, ut censuras revocent, ut advertunt Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 3. 10

Pariter nec comprehenditur prolatio censuræ, seu censura lata per vim, vel metum. Oppositum sensit Franc. *n.* 6. & 7. ex eo quia potestas ligandi, atque solvendi æquiparantur, *cap. Verbum de pœnit. d. p. & cap. Injustum* 11. *q.* 3. & ideò statutum in uno ad aliud extenditur secundum Gloss. *in c. si postquam sup. de elect. in hoc lib.* Verum in contrarium, quod ex vi hujus textus censura lata per vim, vel metum non sit nulla ipso jure, docent hìc Gloss. *in v. Vacuamus*, Jo. Andr. Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 6. Silv. *v. excomm.* 9. *d. num.* 43. Tabien. *v. excomm.* 5. *d. casu* 32. Et ratio est, quia longè diversa sunt ligare, & solvere. Et licèt quantum ad potestatem æquiparentur, quia solvere potest, qui potest ligare, & è contra; tamen non æquiparantur in omnibus; & non est idem delictum compellere ad ligandum, & compellere ad solvendum. Velle verò, quod prohibitio unius delicti longè diversi, & pœna lata pro illo extendatur ad prohibitionem alterius delicti est evertere totum jus, & juris regulas destruere, quæ volunt quod in pœnalibus non fiat extensio, *c. statutum, sup. de elect. in hoc lib. & inf. reg. in pœnis* 49. *& reg. odia.* 15. *de reg. jur.* Nec Pontifices sunt vel ignorantes, vel imprudentes, ut per nomen speciei velint intelligi genus, aut aliam speciem, & si Greg. X. voluisset comprehendere hic violentam prolationem censuræ, id expressisset: cùm verò solum absolutionem, aut revocationem censuræ violentam expresserit, eam solum irritavit ipso jure, & ex hoc textu non prolatio censuræ, sed absolutio ab ea irritatur. 11

Sola ergo absolutio, seu revocatio censuræ, si sit extorta per vim, aut metum irritatur. Est autem vis majoris rei impetus, cui non potest resisti, *l.* 1. *in fin. & l.* 2. *ff. de his, quæ vi, &c.* Gl. hic & Arch. *in v. vim.* Qui etiam diffiniunt metum, ut sit trepidatio mentis instantis, vel futuri periculi causa, *d. l.* 1. *ff. eod. tit.* Et metus debet esse præsens, licèt malum quod timetur sit futurum, *l. metum* 2. *ff. eod. tit.* Quot modis autem dicatur vis traditur, *c. Ad audientiam sup. eod. tit.* & de metu *c. Cùm dilectus eod. tit.* Et videri possunt, quæ latè scripsi *in tr. de elect. c.* 4. Ubi de electione coacta per vim, & metum. 12

Hic

13 Hic advertendum est, quod quidquid dixerit in contrarium Archid. & Cajet. *v. excomm. cap.* 41. non est hic sermo de metu largè accepto, seu vano, vel levi, sed de metu gravi, qui etiam dicitur justus, seu cadens in constantem virum qualis est timor mortis, vel mutilationis membrorum, vel gravis damni in bonis temporalibus, aut animi. De quo videri possunt, quæ dixi *dicto tractat. cap.* 4. Et quod metus amissionis totius, vel majoris partis bonorum sit justus, notatur *in l. Propter litem, ff. de execut. tut. & cap. frequens, de restitut. spoliat.* & docent DD. *in cap. Abbas sup. eod. tit.* Et quod justus sit timor amissionis magni lucri, vel si timetur grave damnum in rebus suis, tradit hic Franc. *num.* 8. ex Cyn. *in l. Interpositas, C. de transact.* & docuit Rota *decis.* 461. *in nov.* Item quod justus sit metus timor gravis mali respectu consanguineorum, tradit idem Franc. *per cap. sciant cuncti* 12. *sup. de elect. in hoc lib.* & ibi per Jo. Mon. & per Archidiac. *in cap. quicumque infr. de sentent. excomm.* volentem, quod etiam domesticæ personæ comprehenduntur, ut earum timor sit justus, & ita tenent Franc. *num.* 8. Rota *dict. decis.* 461. & DD. in *d. cap. Abbas*, & Innoc. *in cap. cùm locum, de sponsal.* Timorem etiam comminatæ excommunicationis esse justum, contra Gloss. *sup. in cap. Cùm dilectus eod. tit.* tenent Jo. Andr. ibi, & DD. & hic Butr. *num.* 7. & Franc. *num.* 8. simpliciter tamen an timor sit cadens in constantem virum relinquitur judicandum arbitrio prudentis, ut hic dicunt Archid. Jo. And. Butr. *num.* 5. Franc. *num.* 9. Anchar. *nu.* 7. Silvest. *v. excom.* 9. *num.* 43. Solùm igitur absolutio, seu revocatio censuræ dicitur extorta, & ideò nulla si sit extorta per metum gravem, & cadentem in constantem virum, ut hic explicant Gloss. *in v. subjacere*, Jo. Mon. *nu.* 5. Anchar. *n.* 1. Butr. *n.* 3. Silvest. *v. excom.* 9. *n.* 43. Tabien. *v. excomm.* 5. *casu* 52. Suarez *disp.* 23. *sec.* 4. *n.* 11. Navar. *cap.* 27. *n.* 125. Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *part.* 15. *n.* 2.

14 Necesse tamen est, ut sit timor damni injustè inferendi. Nam si quis Episcopo minaretur repetitionem crediti, sibi de jure debiti, vel se non daturum amplius, & collaturum beneficia, quæ liberaliter solet conferre, non incurreret timorem gravem, & in virum constantem cadentem, nec absolutio censuræ diceretur extorta per justum timorem, Bonac. ubi suprà *num.* 9. sicut nec dicitur absolutio extorta, si Episcopus non ex timore illato sibi ab extrinseco, sed ab intrinseco, & veluti sibi innato, aliquem absolvit, quando scilicet timet non habens justam causam timendi. Cajet. *v. excom. cap.* 41.

15 Nihil verò interest, quod absolutio fuerit extorta ab ipso excommunicato, vel ab alio; quia textus absolutè loquitur, & absolutionem extortam indistinctè decernit esse irritam.

16 Sensus verò est, ut hæc extorta absolutio sit irrita ipso facto, & jure, & non solùm ope exceptionis, & ita ut nec in foro fori, nec in foro conscientiæ ligatus censura sit solutus; sed maneat ligatus sicut prius. Verba enim illa *omninò viribus vacuamus*, important nullitatem ipso jure; hanc enim vim habet verbum *vacuamus* temporis præsentis, addita dictione *omninò*, ex qua omnimoda nullitas infertur, Gloss. *in v. vacuamus*, Jo. Mon. *num.* 1. Archid. Anchar. *n.* 1. Dom. *n.* 6. Franc. *n.* 2.

17 In secunda autem parte textus excommunicantur ipso facto, qui absolutionem, seu revocationem censuræ extorquent. Non interest verò quis sit, qui extorqueat, an scilicet, sit vir, vel mulier, vel an sit is, qui est censura ligatus, vel alius, sed solus qui extorquet excommunicatus est. Unde si is qui extorquet absolutionem est ille, qui est ligatus censura, duplici vinculo manet ligatus, scilicet, excommunicatione, aut suspensione, sive interdicto, quo prius ligabatur, & qua fuit nulliter absolutus, & nova excommunicatione, quam incurrit ex quo absolutionem extorsit, Gloss. *in v. excom.* Jo. Mon. *n.* 5. Dom. *n.* 2.

18 Sed si qui extorsit absolutionem fuit alius, ille est excommunicatus, An verò sit excommunicatus ille, qui fuit absolutus, dicendum est non esse excommunicatum. In duobus tamen casibus illum esse excommunicatum plures affirmant. Primus est, si mandavit per vim, vel metum absolutionem extorqueri. Ita Gloss. *in v. excommunicationis*. Jo. Mon. *num.* 6. Cajet. Silvest. Tabien. Suarez, Sayrus, locis citatis, & alii. Sed hoc neget Bonac. *dict. p.* 15. *num.* 8. ex regula generali, quod censura lata contra facientes, non afficit mandantes, sed prior sententia amplecti debet, quia regula allegata non applicatur. Nam qui mandat incuti timorem, seu qui etiam non præcipit, sed rogat potentem ut vim, vel timorem incutiat Episcopo ad effectum obtinendi absolutionem verè, & propriè absolutionem extorquet, quia facit, ut sibi absolutio detur à coacto per vim, aut metum. Non interest enim an ipse immediatè per se ipsum vim, aut timorem inferat, an per alium nomine suo agentem, vel ab eo motum; semper enim ille est, qui extorquet.

Secundus casus est, si idem absolutus extorsionem absolutionis ratam habuit. Jo. Mon. *num.* 6. Silvest. *d. n.* 43. Tabien. *d. casu* 32. Sayr. *d. num.* 12. Sed hoc negat Bonac. *d. n.* 8. quia ratihabitio in materia pœnali non æquiparatur mandato, nisi in casibus in jure expressis. Et hoc rationabiliter affirmatur. 19

Ad incurrendam verò hanc excommunicationem non sufficit, quod sit incursus timor ad finem extorquendi absolutionem, sed necesse est, quod absolutio in effectu sit extorta, nam solum sunt excommunicati, qui absolutionem hanc extorserint, Gloss. *in v. extorserint*. Monach. *num.* 4. Archid. Anchar. *num.* 1. Franc. *num.* 7. Silvest. Cajet. Tabien. Suarez, Bonac. locis citatis, & alii DD. communiter. 20

Hæc tamen censura non est reservata, ut notant Gloss. & alii DD. citati, & ideò ab ea absolvere possunt, qui vel in foro fori, vel in foro conscientiæ ab excommunicatione non reservata possunt absolvere. Et ideò ex hoc textu non potuit colligere Barbos. *num.* 3. quod Princeps, seu Dominus temporalis injusto metu compellens judicem, ut absolvat denuntiatos de interdicto, aut ut relaxet interdictum loci, incurrit excommunicationem reservatam Papæ: Excommunicatio enim hic lata non est reservata. 21

An verò compellens judicem à quo excommunicatio, aut alia censura fuit lata, ut ab ea absolvat, vel eam revocet, incidat in canonem 14. Bullæ Cœnæ. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 15. *p.* 1. *num.* 21. ait non incidere, quia in illo Canone excommunicantur, qui compellunt partes actrices, non verò est ibi sermo de compellente judicem. Videantur DD. in dictam Bullam scribentes. 22

Notandum primò absolutionem à censura vocari beneficium, Dom. & Franc. *n.* 1. Gratis enim debet concedi, unde simonia esset, si Judex pro pretio absolutionem à censura tribueret, *cap. ad aures, sup. de simon.* 23

Not. 2. quod excommunicatio sententia dicitur, & tamen prolationem illius non esse propriè sententiam, quia potius punit, quàm diffiniat, dicunt Archid. Anchar. *num.* 1. Butr. *num.* 2. Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 2. Quod notandum dicunt pro statutis, in quibus verba propriè intelligi debent, ut in *cap. In nostra, sup. de immunit. & Clem. quod circa de elect.* Videantur notata suprà cap. 24

Not. 3. quod aliqui conclusionem hujus textus extendunt nedum ad prolationem excommunicationis, sed etiam ad quamcumque sententiam, ut scilicet sit ipso jure nulla, si sit lata per metum. Ita Franc. *n.* 7. Farin. *autem Fragmen. Crim. lit. M, n.* 44. quem sequitur hic Barbos. *nu.* 4. asserit, quod metus annullat sententiam, sed non explicat an ipso jure. Extendit autem hoc Franc. volens, quod omne exercitium jurisdictionis ex metu irritetur ipso facto. Sed oppositum colligitur ex hoc textu, in quo absolutio extorta per metum speciali jure irritatur; hoc igitur jure ablato, nec absolutio esset ipso jure irrita: Cùm igitur non detur speciale jus irritans sententiam ipso facto, non est censenda hoc modo irrita. Et ita tenet hic Gloss. Jo. Andr. *in v. vacuamus*. Panorm. *in d. cap. Abbas, num.* 17. Ubi dat regulam, & ait, quod regulariter metus non irritat ipso facto, cùm intervenit in jurisdictione exercenda. 25

Not. 4. cum Jo. Andr. quod hæc constitutio non potest trahi ad præterita, unde qui ante illam extorsisset absolutionem à censura non fuisset excommunicatus. Ex quo notant Domin. *num.* 5. & Franc. *num.* 5. Quod etiam si ratio novæ legis trahi possit ad præterita, tamen si novam pœnam imponit, quantum ad illam numquam trahitur ad præterita. Sed dicitur, quod nec quoad pœnam, nec quoad culpam lex ad præterita trahi potest. Nam implicat quod lex obliget, quæ non est, igitur implicat, quod sit culpa contra legem commissa, tunc cùm lex non erat, neque obligabat. An & qualiter verò afficiat pendentia in futurum, videatur Gloss. *in cap. Licèt canon. v. De cætero, sup.* de 26

de elect. in hoc lib. Et quod constitut: in natura sua non trahatur ad præterita colligit eadem Gloss. *ex cap. penul. §. Prohibemus, sup. de off. legati in hoc lib.* Videantur ibi notata.

27 Notandum 5. Audaciam insolentium crescere, nisi timore pœnarum coerceatur; ideoque necessarias esse leges pœnales, ut per eas impetus animorum currentium in præceps ad illicita retineatur. Jo. Mon. *num.* 4. Butr. *nu.* 1. Dom. §. *Ne autem, n.* 1.

28 Habetur etiam 6. ex hoc textu, quod excommunicatus potest excommunicari, & sic idem potest ligari pluribus excommunicationibus, quasi quibusdam vinculis replicatis, *cap. Egeltrudam* 3. *q.* 4. *& c. Ita quorumdam, de Judæis*. Gloss. *in v. excomm.* Dom. §. *Ne autem, n.* 2.

29 Colligitur quoque 7. quod cùm excommunicatio hujus textus non sit lata nisi contra eos, qui de facto extorserint absolutionem, quod cùm lex imponit pœnam pro actu perfecto, pœna non incurritur, licèt quis attentaverit, & ad præambula ad illum actum devenerit, sed actum non perfecerit, ut est textus in *cap. Perpetuæ, sup. de elect.* & notant hic Gloss. *in v. extorserint*. Dom. §. *Ne autem n.* 3. & alii DD. suprà *n.* 20. relati.

Et nihilominus benè adnotat Anchar. *num.* 1. quod hic per 30 hanc legem punitur affectus, licèt non fuerit obtentus effectus. Nam absolutio intenta non obtinetur, quia absolutio irritatur, & tamen excommunicatione punitur. Quando enim lex prohibet actionem externam, sufficit si illa externè sit completa; sic enim extorsio completa est, si absolutio extrinsecus data est ob vim, vel metum incursum. Non interest verò an actio finem intentum obtineat, quia imò & in hac delinquens punitur duplici pœna, scilicet, ut in vanum contra legem operetur, & per pœnam aliam transgressio legis puniatur.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Gregorius Nonus,

CAPUT PRIMUM.

Ecclesia, quæ ad retractandam sententiam, vel contractum, per beneficium restitutionis in integrum, postulat se admitti: si quadriennii spatium post sit lapsum, & negligenter omiserit: non est ad beneficium hujusmodi admittenda: Nisi prævaricationis, vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum: aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat, ad idem beneficium concedendum,

SUMMARIUM.

1 *Decretalis ista ad quid data.*
2 *Regula textus.*
3 *Quid sit restitutio in integrum.*
4 *Habet appellationis speciem.*
Quid det restitutio ad appellandam.
5 *Restitutio aliquando reponit in possessionem.*
6 *An actio rescindens, & rescissoria possint simul cumulari.*
7 *Ecclesiæ convenit restitutio in integrum.*
8 *Quæ sint Ecclesiæ.*
9 *Etiam Hospitalibus, & Confraternitatibus.*
10 *Duo requiruntur ad hanc restitutionem.*
11 *Læsio est necessaria.*
12 *Sufficit inutilitas, seu læsio in pretio.*
13 *An pro modica læsione detur restitutio.*
14 *Læsio debet esse manifesta; sed sufficit probata,* 15.
16 *Ad obtinendam restitutionem sufficit fumus læsionis.*
Et quid in Romana Curia.
17 *Non competit restitutio ex læsione in bonis patrimonialibus.*
18 *Prælatus, vel alius nomine Ecclesiæ postulat restitui.*
19 *Qualiter ad petendam restitutionem requiratur mandatum speciale.*
20 *Ubi sententia, vel contractus sit nullus non competit restitutio, quæ est remedium subsidiarium.*
21 *Ecclesia semper dicere potest de nullitate sententiæ.*
22 *Si sententia sit simul nulla, & injusta potest simul cumulari actio contra nullitatem, & injustitiam.*
23 *Datur restitutio ab interlocutoria.*
24 *Intellectus nonnullarum legum.*
Aliquæ limitationes.
25 *Datur restitutio à sententia in possessorio.*
Datur restitutio etiam ubi non datur appellatio.
26 *Non datur restitutio adversus possessionem triennalem beneficii.*
27 *Nomine Ecclesiæ venit Prælatus, & alii Ecclesiastici, si in juribus Ecclesiasticis lædantur.*
28 *Restitutio in integrum suspendit executionem sententiæ.*
29 *Non suspendit decretum de manutenendo.*
30 *Non executionem jam cœptam.*
Quando dicatur cœpta executio.
31 *Neque in Criminalibus, quando aliud petit enormitas delicti.*
32 *Ecclesia restituitur adversus contractum.*
33 *Etiam non obstante præscriptione.*
34 *Restitutio non competit nisi intra quadriennium.*
35 *Quadriennium quando incipiat.*
Causa restitutionis intra quadriennium finienda.
36 *Post quadriennium, nec etiam via exceptionis potest obtineri restitutio.*
37 *Nec contra lapsum quadriennii restituitur.*
38 *Quid in Curia Romana.*
39 *Lapsum quadriennii probare debet adversarius.*
40 *Datur restitutio post quadriennium, si omissio non fuit ex negligentia.*
Non currit nisi negligenti, & impedito.
44 *Non currit ignoranti.*
45 *Etiam non obstante præscriptione longissimi temporis.*
46 *Obstat tamen scientia Procuratoris.*
47 *Ignorantia debet esse probabilis.*
48 *Conventum prævaricationis, & fraudis non tollit restitutionem.*
49 *Ex facto Judicis, vel adversarii impeditur restitutio.*
50 *Ex rationabili causa datur restitutio.*
51 *Quadriennium non currit quamdiu vivit Prælatus, qui læsit Ecclesiam.*
52 *Nec ubi frequentes Prælatorum mutationes.*
53 *Nec ubi læsio est enormissima. Quæ non est in beneficialibus.*
54 *Nec si sententia est notoriè injusta.*
55 *Nec si inventa nova instrumenta.*
56 *Nec in causa matrimoniali.*
57 *Nec in causa dotis.*
58 *A quo petenda restitutio.*
59 *Pluries peti potest.*
60 *Qualiter suprema tribunalia non attendant quadriennium.*
61 *Duplici modo cessat.*
62 *Contra præjudicialia contenta in Const.* 57. Urban. VIII. *Ecclesia est restituta.*
63 *Ecclesia sumitur pro Congregatione Ecclesiasticorum.*
64 *Prælatus in omittendo præjudicat Ecclesiæ.*
65 *Prælati fraus non nocet Ecclesiæ.*

Cum ex decreto Alex. III. relato sup. *in cap.* 1. *eodem tit.* 1 Ecclesiæ læsæ in sententiis, aut contractibus restitutio in integrum sit concedenda, qualiter & quando id sit faciendum, declarat Greg. IX. in hoc capit. Quod datum fuisse ad declarationem dicti primi capit. advertunt Gloss. & Archid. *num.* 1.

2 Unica verò regula datur in textu, quæ est, quod Ecclesia petens beneficium restitutionis in integrum ad retractandam sententiam, vel contractum, non debet admitti, si post quadriennium lapsum negligenter omisit id petere. Nisi probetur super hoc intervenire commentum prævaricationis, vel fraudis manifestæ, aut alia causa rationabilis subsit.

3 Restitutio autem est quasi iterata statutio, sive situatio, & importat quamdam reintegrationem prioris situs, quoad locum, vel prioris status quoad alia, unde restitutio est in pristinum statum repositio, *l. Restituere*, *ff. de verb. signif.* Hæc verò restitutio dividitur, quia aliqua est, sed non in totum, quia non renovatur prior status in totum, sed solum rei possessio, vel æquivalentis, & per quam satisfit de re ablata, & damno, ac interesse, & significatur aliquando nomine redditionis, *cap. Cùm tu*, *de usur.* & aliquando nomine satisfactionis, *cap. In literis*, *de Rapt.* Alia verò est restitutio in totum, quia prior status totaliter innovatur, quia per eam redditur possessio rei, aut æquivalentis, & fructus, & pristinum jus, & audientia, & omnia; & hæc est, quæ dicitur restitutio in integrum, & quæ à juristis diffinitur, quod sit prioris status, vel juris reintegratio, per quam subvenitur Minoribus, & Ecclesiis, ut *in l. 1. Cod. de sent. poss. & cap. Auditis de in integr. restitut.* Jo. Monac. *in hac rubr. num.* 1. Probus *num.* 6. Anchar. *hic num.* 2. Silvest. *v. restitutio num.* 1. Rota *decis.* 152. *nu.* 14. *p.* 8. *recent.* Marches. *tom.* 2. *de commissione restit. in integ.* §. 1. *n.* 7.

4 Appellationis verò speciem habere restitutionem ait Marches. ubi sup. *num.* 11. unde adversus lapsum temporis ad tantumdem, quantum læsio abstulit datur: puta si ad appellandum restitui contingat, intelligitur, quod postea infra decem dies provocet. Quod verum est, quando sumus in certo, sed si in incerto, ut ad producendum instrumenta arbitrarium erit, ut per Zabarell. *in Clem. Ab Ecclesia num.* 4. *&* 34. *de rest. in integ.* Semper verò hoc verum est, quod reponit in statum pristinum.

5 Ex Innoc. tamen & Jo. And. *cap. Cùm ex literis sup. de restit. in integr.* advertit hic Anchar. *num.* 1. & Butr. *num.* 3. quod restitutio in integrum infert restituto beneficium reparationis totalis in eo, in quo fuerat læsus, quod tamen distinguendum est. Nam quis per sententiam contra se latam, vel per contractum à se initum aliquando læditur in totum quantum ad jus, & quantum ad rei possessionem, ut quia per sententiam alii data est rei possessio, & qui vendidit, rem tradidit emptori. Aliquando verò per sententiam, aut contractum quis non læditur in rei possessione, ut quando sicut in præscriptione (quis non habuit possessionem rei ex vi sententiæ) aut contractus initi à minore, aut ab Ecclesia, sed à tertio possessore. In primò casu ex vi restitutionis in integrum, nedum rescinditur sententia, aut irritatur contractus, sed minor, seu Ecclesia reponitur in possessionem rei, & in totum reintegratur. Sed in secundò casu ex vi restitutionis in integrum irritatur quidem sententia, aut contractus, sed non traditur rei possessio, nisi in alio judicio viso de bono jure appareat rem Minori, aut Ecclesiæ esse tradendam. Nam cùm restitutio in integrum contra sententiam, aut contractum non reddat nisi ablatum per sententiam, aut contractum, & in hoc casu sententia, aut contractus non læserit quantum ad possessionem rei, ideò per restitutionem in integrum non redditur rei possessio; sed ad hoc aliud judicium est necessarium.

6 An verò in hoc secundò casu, quando restitutio possessionis, nec principaliter, nec accessoriè consequitur ad restitutionem in integrum, sed alio judicio debet obtineri, possit utraque actio accumulari, & simul in eodem judicio peti, & restitutio in integrum contra sententiam, aut contractum, & rei possessio, tractant DD. supra *cap. Tum ex literis*, *sup. eod. tit.* Ubi inter alios Panorm. *num.* 19. negat, reprobatque opin. Innocentii affirmantis. Cùm verò restitutio in integrum contra sententiam, aut contractum, quam dicunt actionem rescindentem, & Butr. *num.* 3. appellat beneficium rescindens, claudatur quadriennio, ut decernitur in hoc textu, restitutio verò possessionis rei, quæ dicitur actio rescissoria, & à Butr. dicitur utilis restituta, claudatur unico anno ex jure Civili, *l. In honorariis in fin. ff. de act. & obligat.* Panormit. *d. cap. Tum ex literis*, *num.* 10. vult quod hoc locum non habeat in Ecclesia, quæ restituitur non beneficio Prætoris, sed beneficio juris Canonici. Et sic hæc actio ei competit etiam post annum à concessa restitutione in integrum contra sententiam.

Hujusmodi autem restitutionem in integrum competere 7
Ecclesiis constat ex *cap. 1. & cap. Auditis*, & aliis *sup. de restit. in integ. & Clem. un. eod. tit.* Eo quia Ecclesia in hoc æquiparetur minori facto majori, & Reipublicæ quibus competit restitutio in integrum. Gloss. *in v. Ecclesia*, Archid. *num.* 1. Anch. *num.* 1. Dom. *num.* 8. Barbos. *n.* 30. Panorm. *cap. sup. Auditis n.* 10. *eod. tit.* Imò Ecclesia æquiparatur Imperio. Archid. *n.* 1. & Panorm. *d. n.* 10. Quamvis assimilatio hujusmodi non sit in omnibus, & per omnia, ut notat Barbosa *d. n.* 30. Nec tamen ex sola vi hujus assimilationis competit Ecclesiæ restitui in integrum, sed ex lege sibi propria, & in *d. cap.* 1. & aliis *sup. eod. tit. & Clem. eod. tit.* & hic sancita, & concessa. Unde non valet argumentum ex eo, quod in aliquo casu minori non sit concessa restitutio, deducere, quod nec sit concessa Ecclesiæ; in multis enim casibus Ecclesia privilegium minoris excedit.

Nomine verò Ecclesiæ hic veniunt nedum Ecclesiæ Ca- 8
thedrales, sed etiam minores, & quæcumque Monasteria, Hospitalia, & reliqua loca pia authoritate Episcopi erecta, atque fundata, quia privilegia Ecclesiarum cæteris locis piis sunt communia, *per text. in l. Omnia privilegia, C. de Episc. & Cler.* Unde quoad juris effectus loca pia, & Ecclesiæ æquiparantur, ut deducitur ex *cap. Requisisti*, *v. secus autem*, ibi, *aut* aliis piis locis, *de testam.* Archid. *num.* 1. Jo. And. Anchar. *num.* 1. Domin. *num.* 10. Franc. *num.* 4. Barbos. *num.* 3. *&* 4. Sfortia *de restitut. in integrum q.* 3. *art.* 4. Tiraq. *de privil. piæ causa, privil.* 138. Bald. *in auth. Hoc jus porrectum C. de sacros. Eccl.*

Quod tamen Hospitalia, & loca pia debeant esse erecta 9
authoritate Episcopi, adhoc ut gaudeant beneficio restitutionis in integrum requirunt Anchar. *num.* 1. Franc. *num.* 4. Barbos. *num.* 5. Bald. *ubi supra*. Privilegium verò hoc nec etiam extendi ad Confraternitates laicorum, ex Bald. & Anchar. vult idem Franc. *num.* 4. Sed esse loca pia, si sint fundatæ authoritate Episcopi ad ea, quæ sunt religionis, & divini cultus, & pia opera, probat Barbos. *num.* 5. per Gloss. *in cap.* 4. *de relig. domib.* Et *in Clem. quia contingit in v. altaria*, *eod. tit.* Tusc. *l. H, conclus.* 159. *&* 163. Si etiam testator reliquit bona sua pro ædificanda Ecclesia, vel Monasterio dato executore, si Ecclesia est cœpta, quod gaudeat hoc privilegio, secus si nondum est cœpta, per Dom. *num.* 10. & per Hostien. & Jo. *cap.* 2. *sup. de immunit. Eccl.* & per Rotam *decis.* 342. *in antiq.* vult idem Franc. *d. num.* 4. Verùm hic attendi debet an bona sint ad pium usum applicata immutabiliter, & sic jam sint Deo oblata, & ideò bona Religiosa; hoc enim posito jam substantialiter pia sunt, & sub jurisdictione Ecclesiæ, & Prælatorum ejus administratione, aut regimine, & directione cadunt, ideò pia censenda sunt, & hoc privilegio gaudere debent. Videantur quæ in simili probavi, de bonis Ecclesiæ non alienandis, *tom.* 1. *de statib. quæst.* 185. *art.* 7. *à num.* 447. Ubi ex hoc probavi bona Hospitalium, & Confraternitatum non posse alienari sine solemnitate Paulinæ. Sed & hoc puto addendum, quod hic nomine Ecclesiæ non venit Ecclesia, seu templum materialiter sumptum, sed corpus Ecclesiasticarum personarum, seu personæ pro Ecclesiasticis bonis litem habentes; bona verò Ecclesiastica censeri debent, quæ ad pium usum inmutabiliter sunt deputata, unde nec sine solemnitate Paulinæ alienari possunt.

Duo tamen requiruntur ad hoc, ut Ecclesiæ debeatur in 10
integrum restitutio, scilicet, quod Ecclesia sit læsa, & quod hæc læsio sit manifesta. Prob. *ad Mon. nu.* 1. Coccin. *dec.* 234. Fagn. *cap. Requisivit n.* 7. & ibid. DD. eod. tit.

Primò igitur requiritur, quod Ecclesia sit graviter læsa, 11
Panorm. *cap.* 1. *num.* 2. *& cap. In literis*, *num.* 5. *de restitut. in integr.* Seraph. *decis.* 1238. *num.* 1. Caval. *decis.* 194. *num.* 4. Coccin. *decis.* 234. *num.* 1. *&* 263. *num.* 5. Rota *decis.* 307. *num.* 1. *part.* 2. *& decis.* 291. *num.* 2. *part.* 5. *& decis.* 105. *& decis.* 241. *num.* 1. *& decis.* 277. *part.* 8. *recent.* Ideò si petitur restitutio contra sententiam, necesse est, quod illa sit injusta. Justa enim sententia non gravat, Rota *dec.* 1. *num.* 1. *& decis.* 66. *& decis.* 170. *n.* 2. *p.* 6. *recent.* Et si petitur restitutio contra contractum, opus est, quod per illum Ecclesia manserit læsa, *cap.* 1. *sup. eod. tit.* & DD. ibid. Rota *dec.* 445. *nu. fin.* coram Coccin.

Ubi *nu.* 5. quod aliquando sufficiat, si contractus sit inuti- 12
lis Ecclesiæ, quia cùm ad alienandum aliquando sufficiat

Ecclesiæ utilitas putativa, ubi ab initio causa primaria utilitatis adfuit, ut quia bona fuerint sterilia, licèt non fuerit utiliter contractum in pretio; tunc licèt contractus non sit nullus, datur Ecclesiæ restitutio in integrum. Et sic ita ad restitutionem sic est necessarium, quod Ecclesia fuerit læsa, quod tamen sufficit illa læsio, quam Ecclesia sustinuit, quia fuerit læsa in pretio.

13 Sed dubium est, an sufficiat læsio parva, vel potius requiratur enormis. Restitutionem enim competere etiam pro modica læsione, tenet Barb. *hic num.* 6. citata *l. minoribus* 6. *ff. de minor. & l. Propterea* 22. *ff. de damn. infect.* Gloss. 3. *in l.* 2. *C. si advers. vend. pign.* Covar. *l.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 11. Sed contraria sententia est communior DD. *in cap.* 1. *eod. tit.* ubi Hostien. *num.* 2. Panorm. *in* 2. *notab.* Fagnan. *num.* 8. Sed dicitur cum Covar. *d. cap.* 3. *num.* 11. non debere attendi parvitatem comparativam, quia sæpè quod est comparativè parvum sicut est quantitas centum aureorum, ad quantitatem centum mille, est in se magnum. Et hoc est, quod attendi debet, in concedenda restitutione in integrum, ad quod etiam sufficit, si læsio ex circumstantiis personæ, vel temporis, aut loci, &c. sit magna. Cæterùm levia non magnificunt à lege, nec ratio petit ut plurimi æstimentur, & ideò ubi læsio spectatis omnibus est levis, pro ea non datur restitutio. Hoc autem judicare est positum in prudentis Judicis arbitrio.

14 Secunda conditio est, ut hæc læsio sit manifesta, debet enim constare de bono jure petentis restitui in integrum, Coccin *decis.* 104. *num.* 1. *& decis.* 212. *n.* 9. *& decis.* 394. *n.* 5. Greg. XV. *decis.* 459. *n.* 1. Rota *dec.* 1. *nu.* 2. *p.* 6. Non dicitur verò constare de bono jure petentis restitutionem in integrum contra contractum, aut sententiam, nisi constet de læsione ex contracto proveniente, vel de injustitia sententiæ, ex qua resultat læsio. Benint. *concl.* 85. *num.* 10. Rota *decis.* 1. *de restit. in integr. in noviss. & in recent. decis.* 132. *num.* 1. *p.* 1. *& part.* 2. *decis.* 307. *num.* 1. *decis.* 329. *num.* 1. *decis.* 731. *nu.* 1. Unde constito de justitia sententiæ nunquam datur restitutio. Rota *decis.* 131. *n.* 1. *par.* 1. *recent. & decis.* 354. post 2. lib. Consil. Farin.

15 Non est tamen necesse, quod hujusmodi læsio sit notoria Cæsar de Grass. *decis.* 10. *n.* 12. *de sent.* Seraph. *decis.* 251. *n.* 2. Rota *decis.* 351. *n.* 1. *p.* 1. *divers. & decis.* 492. *n.* 1. *p.* 1. *recent. & decis.* 635. *in fin. p.* 2. *& decis.* 343. *num.* 1. *p.* 6. *& decis.* 50. *num.* 2. *par.* 7. Sufficit igitur, quod sit certa, & manifesta ex probatione, & eam probare spectat ad Ecclesiam, quæ in integrum petit restitui.

16 Debet verò hic distingui audientia, & introductio causæ restitutionis in integrum, à concessione restitutionis, seu à restitutione ipsa rescindente contractum, aut irritante sententiam prius injustè datam. Nam ad primum obtinendum sufficit semiplena probatio imò solus fumus læsionis, ut consideravit Rota *in Rom. Spol.* 17. *Iunii* 1602. coram Ortembergo, *& in Pistorien. beneficii* 11. *Maji* 1618. coram Buratto, Gratian. *discept.* 437. *num.* 45. *&* 46. Sfort. Odd. *part.* 1. *quæst.* 36. *num.* 46. *de restit.* Surd. *cons.* 95. *num.* 15. *&* 26. Beltramin. *add. ad decis.* 459. Greg. XV. *nu.* 11. Vestr. *in prax. l.* 8. *cap.* 3. *num.* 9. Imò addit Marches. *de commiss. restit. in integr.* §. 1. *num.* 14. quod hujusmodi probatio non habet locum in Romana Curia, in qua absque eo, quod aliquid probetur sufficit offerre commissionem restitutionis in integrum, sive alterius causæ probatione, & partim datur. Sed ad concedendam restitutionem necessaria est plena, & concludens probatio læsionis, Beninten. *dict. conclus.* 85. *num.* 10. Rota *d. decis.* 354. post 2. lib. Consil. Farin. & in Pistorien. Benef. 11. Martii, coram Buratto, Beltramin. *addit. ad decis.* 459. Greg. XV. *n.* 11. Et ex Innoc. & Panorm. Marches. *d. n.* 14.

17 Addit verò Barbos. *num.* 16. ex Gloss. 2. *in Clem. un. eod. tit.* ubi Card. *num.* 14. Panorm. *num.* 10. Bero. *in cap.* 1. *num.* 142. *sup. eod. tit.* Sfort. *quæst.* 3. *art.* 8. Redoan. *de reb. Eccles. non alien. quæst. de restit. in integr.* §. 1. *num.* 9. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 4. *num.* 3. hoc non verificari si lædantur ipsi Prælati in se, vel in bonis propriis. Nam bona patrimonialia Clericorum præscribuntur sicut bona laicorum, & in his bonis non competit Clerico restitutio in integrum, sicut competit in bonis Ecclesiæ. Fagnan. *cap. Episcopus num.* 37. *de Præbend.* Specul. *tit. de restit. in integr.* §. *Qualiter vers. Sed numquid.* Si tamen læsio Prælati in se redundaret in Ecclesiam, & ipsa dici posset læsa, haberet locum in integrum restitutio.

Supposita igitur læsione Ecclesiæ, ipsa justè restitutionem in integrum postulat. Sed cùm Ecclesia sit persona ficta pro ea restitutionem postulat Prælatus, qui hic sub nomine Ecclesiæ venit, vel si ex aliqua causa repellatur Prælatus, ut puta, quia sit inhabilis, vel quia lis sit contra ipsum, tunc vel per Curatorem quando erit necessarius, vel per alium, ut his tradunt Archid. *num.* 2. Jo. Andr. *num.* 4. Anchar. *num.* 1. Domin. *num.* 1. *&* 6. Franc. *num.* 1. Barb. *num.* 15. Cùm hoc discrimine tamen, quod alius à Prælato non admittitur ad petendam hanc restitutionem sine mandato speciali, sed Prælatus aliàs non impeditus mandato non indiget speciali, sed ex vi officii sui, & ex administratione quam habet à jure admitti debet. Specul. *hoc tit.* §. 2. *num.* 22. Panorm. *in cap. Suscitata num.* 6. & ibi Card. *quæst.* 3. *eod. tit.* Covar. *l.* 1. *var. cap.* 6. *num. ult.* Quod & est verum de Tutoribus, & Curatoribus, & aliis similibus habentibus à jure administrationem bonorum vel Minorum, vel Ecclesiarum, ut ex Innoc. advertit Panorm. *dict. cap. Suscitata.* 18

Sed dum etiam dictum est requiri in alio mandatum speciale, hoc intelligitur, si restitutio principaliter petitur, secus si incidenter, *sup. c.* 4. *n.* 12. *de Proc. in hoc lib.* Marches. *de commiss. restit. in integ.* §. 1. *n.* 57. Procurator etiam factus dominus litis eamdem potest petere. Idem *n.* 58. *& n.* 59. quod sine speciali mandato peti potest intra tempus ad appellandum. Et amplius, quod eam potest petere Syndicus civitatis, vel habens publicum officium, & *n.* 60. si adest clausula *cum facultate supplicandi*, quia supplicatio largo modo comprehendit petitionem restitutionis. 19

Distingui etiam debet inter nullitatem contractus, aut sententiæ, & ejus injustitiam. Nam ubi sententia sit nulla, non habet locum restitutio in integrum, quæ est remedium extraordinarium, ut ait Dom. *num.* 6. & subsidiarum, Rota *decis.* 345. *num.* 2. apud Farin. post responsa criminalia, quod non competit nisi data re judicata, Rota *decis.* 412. *nu.* 7. *p.* 5. *recent.* nimirum data sententia aliàs valida, sed injusta, vel contractu lædente Ecclesiam. Marches. *tom.* 2. *de commiss. restit. in integ.* §. 1. *num.* 7. Et idem dicitur si contractus sit nullus, ut in *l. In causa, la* 2. & ibi Bart. *ff. de min.* Gloss. *in v. Redire, sup. cap.* 1. *eod. tit.* ubi Innoc. in princ. Jo. And. *n.* 6. Fagnan. *num.* 10. *&* 16. Odd. *de restit. in integ. par.* 1. *quæst.* 17. *art.* 2. *num.* 1. *& art.* 5. *n.* 48. Rota *decis.* 731. *num.* 2. *p.* 2. *recen.* Et ex hoc Fagnan. ubi sup. *n.* 18. colligit, quod si Ecclesia sit læsa, & decepta ultra dimidium justi pretii experiri debeat remedio ordinario, *l.* 2. *C. de rescind. ven. cap. Dilecti, & cap. Cùm causam, de empt. & vend.* 20

Si autem sententia, vel contractus sit nullus adest parata via ordinaria, per quam potest instrui causa de nullitate, quod Ecclesia læsa facere potest semper nullo servato quadriennio, sed quotiescumque sibi constiterit de nullitate, & de ea dicere voluerit. Jo. Mon. *num.* 2. Anchar. *n.* 3. Butr. *n.* 5. Dom. *n.* 9. Barbos. *n.* 34. Vant. *de null. tit. quoties, & intra quod tempus, n.* 8. 21

Verum est, quod si sententia sit simul nulla, & injusta, potest Ecclesia intentare judicium nullitatis, & restitutionis in integrum, cùm sententia utroque vitio laboret, & dato quod non esset nulla, adhuc quia injustè lædens Ecclesiam deberet de restitutionem in integrum revocari. Et ideò, quod causa restitutionis in integrum possit cumulari cum causa appellationis, & nullitatis in eadem commissione, ex Rota *dec.* 1. *n.* 2. *de rescrips.* tradit Marches. *d.* §. 1. *n.* 144. ubi plura habet de hac cumulatione, Rojas *dec.* 114. *n.* 1. *&* 6. 22

Contra verò quamcumque sententiam lædentem debet Ecclesia restitui in integrum, *cap. Tum ex literis, cap. Suscitata, cap. Coram sup. eod. tit.* Et quidem nedum contra diffinitivam, sed etiam contra interlocutoriam, *dict. cap. Coram*, ibi, *interlocuti sumus*. Franc. *num.* 4. Anchar. *num.* 4. Barb. *num.* 6. Bart. *in l. Divus num.* 6. *ff. eod. tit.* & Albert. *in l. minor autem, n.* 4. *ff. de min.* Sfort. *quæst.* 68. *à num.* 4. Nec obstat, quod interlocutoria dicatur esse levis præjudicii, at verò in levi præjudicio non datur in integrum restitutio, *l. Scio* 4. *ff. eod. tit. l. si ex causa* 10. *& l. penult. ff. de minor. l.* 1. *C. si adversus vend. pignor.* Tum quia interlocutoria super peremptoriis est magni præjudicii. Et magni præjudicii etiam esse potest aliqua interlocutoria super dilatoriis, ut ex Jo. And. *in d. cap. causam*, advertit hic Dom. *n.* 5. sentiens in his dari restitutionem in integrum, Marches. *de commis. restit. in integ.* §. 1. *n.* 188. 23

Nec

24 Nec obstant jura citata, quia *l. scio ff. eod. tit.* solum in satis minimis, & hoc in casu, quod fiat præjudicium majori summæ dicit non dari restitutionem, quare ubi læsio non sit satis minima, nimirum nbi spectatis omnibus non sit minima, sed arbitrio judicis sit gravis, & æstimanda dari debet in integrum restitutio. Cæteræ verò leges loquuntur in casibus particularibus, & ut ait Barb. *d.n.6.* verificantur etiam si læsio sit magna, nimirum quando læsio est in pignore judiciali distracto propter authoritatem Magistratus, ut *d.l. si ex causa*. Seu secundò si læsio sit io pignore conventionali, quod creditor jute creditoris distraxit, ut in *d. l. 1. C. si advers. vend. pign.* Item 3. in vendit. rei minoris, quæ servando servari non potest, ut *in d.l. pecul. ff. de Min.* Cæterùm nisi præjudicium resultans ex interlocutoria sit adeò minimum, ut pensatis pensandis arbitrio Judicis non sit æstimandum, etiam contra interlocutoriam debet dari Ecclesiæ restitutio in integrum.

25 Sic oec debet distingui sententia in petitorio, quia etiam contra sententiam io possessorio summarissimo datam competit Ecclesiæ in integrum restitutio, juxta text. *in cap. ult. 2. q.6.* Aoch. *n.4.* Butr. *n.8.* Dom. *n.6.* Franc. *n.4.* Barb. *n.7.* plures alios referens. Nec obstat, quod sententia in possessorio dicatur esse modici præjudicii, & in modicis non datur restitutio, *d.l. scio ff. eod. tit.* Et quia contra illam sententiam non datur restitutio, à qua non datur appellatio in majotibus. At verò à sententia in possessorio non datur appellatio, *l. 1. C. si de moment. poss.* Nam ut ex Goffr. advertit Butr. hujusmodi allegationes procedent ex subtilitatibus Juristarum, qui simplicitatem Juris Canonici perturbare nituntur. Etenim sententia data in possessorio oec vilis est, nec modica absolutè, sed solùm comparativè ad latam in petitorio, cùm aliàs non modicum, sed magnum præjudicium sit succombere io illa. *Instit. de Interd. §. commodè*, & præsertim quia agendo rei vindicatione difficilè est probare proprietatem, *ut l. At qui natura, §. Cum me absente, ff. de neg. gest.* Nec est verum, quod à sententia in possessorio non detur appellatio; hæc enim datur, salrem de jure Canon. quod à quolibet gravamine permittiur appellare, *cap. Vt dilectus, de appell.* & quod in judicio possessorio possit appellari, est expressum *in cap. Cùm ad sedem, de restit. spol.* Quamvis nec sit verum non dari restitutionem contra sententiam, à qua non datur appellatio, ot *ex l. Præfecti, ff. de min.* probat Butr. de sententia Præfecti prætorio.

26 De jure autem non dari restitutionem in integrum adversus possessionem triennalem, & pacificam in beneficiis dixit Rot. *decis. 959. n. fin.* coram Penna, ex Cassad. *decis. 2. n. 2. de restit. in integr.*

27 Indifferenter igitur contra quamcumque sententiam, si lædat, & sit injusta, restitutio in integrum competit Ecclesiæ; Nomine verò Ecclesiæ veniuot Prælatus, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, si in juribus Ecclesiasticis lædantur. Barbos. *num. 8.*

28 Et quia quantum ad virtutem suspendendi judicium æquiparatur appellatio, & in integrum restitutis, *l. si causa cognita. 32. C. de transact.* juncta *l. 1. ff. Nil novar. pend. appell.* ideò pendente judicio restitutionis in integrum (si tamen restitutio non sit gratiosa, sed in signatura justitiæ concessa. Rota *in Brixien. Parochialis 2. Decem.* 1592. coram Mellino apud Marchesi. *tom. 2. de commiss.* quæ inter impressas Mill. est 23.) sententia lata noo debet exequi, sed oportet eam sospendere. Lancell. *de attent. l. 2. cap. 18. n. 10.* Sfort. *q. 43. à n. 2.* Barb. *hic n. 11.* Covar. *pract. cap. 25. n. 7.* Marchesi. *commiss. de rest. in integr. §. 1. n. 11.* Et tamen si ei, qui impetravit restitui præfigatur tempus ad docendum, se debuisse restitui, & in tempore præfixo nihil relevans adduxerit, commissio restitutionis in integrum non retardat executionem. Penna *dec. 163. n. 4.* Put. *dec. 456. lib. 3.* Ant. Aug. *tit. de rest. in integr. §. 10.*

29 Quod tamen tripliciter limitatur. Nam primò pendentia causæ restitutionis in integrum non impedit mandatum executivum de manutenendo. Hoc enim datur etiam in gradu restitutionis in integrum Cæsar de Graff. *dec. 4. in fin. de caus. poss.* Greg. XV. *dec. 458. n. 8.* & ibid. Beltr. *n. 10.* Rota *decis. 38. par. 1. divers. & dec. 144.* penes Cenc. *de cens. & dec. 111. n. 8. p. 1. recent. & dec. 132. n. 11. par. 7. recent.*

30 Similiter cœpta executio non impeditur, nec supersedendum est ab ulteriori executione. Cæsar de Graff. *decis. 1. n. 14. eod. tit.* Seraph. *decis. 777. n. 12.* Rota *decis. 379. n. 2. & decis. 545. n. 1. par. 1. & decis. 138. n. 2. par. 2. & decis. 264. par. 7. recent.* Put. *decis. 285. lib. 2.* Penna *decis. 1405. n. 2.* *Passer. in Lib. I. Sexti Decret.* Coccin. *decis. 17. n. 4.* Beltram. *addit. ad decis. 458. num. 10.* Greg. XV. Juxta verò opinionem Rotæ, tunc executio dicitur cœpta cùm fuerint decretæ, & relaxatæ executoriales, Rota *d. decis. 545. n. 5. par. 1. & decis. 138. nu. 2. part. 2. recent.* Marchesi. *d. §. 1. n. 110.* Imò sufficere secundùm stylum Rotæ, si sit petita executio, tradit Rota *d. decis. 263. n. 4. part. 7. recent.* ex Alex. *cons. 223. n. 6. vol. 6.* Ripa *in l. 4. §. condemnatum n. 32. in fin. ff. de re jud.* Rota *decis. 346. num. 6. part. 1. divers.* Penna *decis. 1405. n. 2.* Et hanc opinionem sequitur etiam signatura, ubi agitur de sententiis Rotalibus, ut ex Marchesi. *tom. 1. de commiss.* & ex Rota *in Pampilonen. beneficiorum de Zaffalla* 7. Aprilis 1617. coram Dunozetto, testatur Beltr. *addit. ad decis. 458. num. 10.* Greg. XV. Ubi benè advertit non sufficere, quod in sententia fuerit decretum, & relaxatum mandatum, quia aliàs esset modus infallibilis impediendi restitutionem, cùm semper in sententiis possit relaxari mandatum, ut consideravit Rota in Bonon. Census coram Justo apud Marchesi. *de commiss. tom. 2.* Et tamen quod in certis casibus executio petita impediatur per restitutionem in integrum, dixit Duran. *decis. 190. nu. fin.* Sed nihilominus, quod absolutè signatura teneat non censeri cœptam executionem, nisi post captionem pignorum, testatur Penna *decis. 1405. n. 2.* unde ex solo stylo Rotæ est, quod sufficiat petita executio, ad hoc ut non impediatur à restitutione in integrum. Sed & ulterius considerandum, quod si post obtentam commissionem restitutionis in integrum judex deputatus inhibeat, ne quis audeat impetrantem molestare hæc inhibitio etiam retardat cœptam executionem, Rojas *decis. 325. nu. 5.* post Lancell. *par. 2. cap. 18. n. 119.*

Tertiam limitationem ponit Marchesi. *d. §. 1. n. 156.* ut scilicet regola non procedat in criminalibus, quando enormitas delicti executionem peteret, seu nimirum scandalum afferet, ex Baldo *cap. 1. propè finem de off. deleg.* 31

Pariter etiam contra contractum si in eo lædatur, competit Ecclesiæ restitutio in integrum. Dom. *n. 2.* Et sic in emptionibus, & venditionibus tam si læsio sit ex re empta, vel vendita, quàm si sit in pretio. Etiam in emptiooe, aut venditione subhasta: etiam in quasi contractibus, & obligationibus ex illis descendentibus. Et lætitiam si contractus juramento sint firmati, Gloss. *v. contractum*. Dom. *n. 9.* Et videri possunt, quæ de restitutiooe in integrum pro rebus malè alienatis dixi *tom. 1. de stat. q. 185. art. 7.* 32

Sic ergo Ecclesiæ competit restitutio in integrum contra sententias, & contractus. Quod intelligi debet eam non obstante præscriptione longissimi temporis, scilicet triginta, vel quadraginta annorum. Prob. *n. 9.* Barb. *n. 3. a.* Card. Otthobon. *decis. 51 n. 7.* Marchesi. *de commiss. restit. in integ. §. 1. n. 193. & §. 2. n. 33. & n. 41.* quod adversus enormem læsionem Ecclesiæ detur restitutio in perpetuum, seu contra præscriptionem minorem centum annis. 33

His ergo suppositis, principale, quod hic decernitur, est, quod hæc restitutio in integrum non competit Ecclesiæ, nisi intra quadriennium. Ita quod lapso quadriennio instari non possit pro habenda restitutione etiam si detur de bono jure. Ut ex Rota *decis. 276. n. 4. & decis. 233. par. 3. divers.* probat Marchesi. *de commiss. restitut. in integrum §. 1. num. 23.* Et restitutio post lapsum quadriennium, tenet Marchesi. *num. 27.* ex Anfred. *ad q. 77. Capell. Tolos.* 34

Incipit verò hoc quadriennium à die læsionis, & sic à die initi contractus, aut latæ sententiæ. Monac. *num. 2.* Archid. *num. 2.* Jo. Andr. *num. 4.* Anchar. *num. 2.* Domin. *num. 6.* Francus *num. 2.* Intra verò hoc quadriennium nedum inchoandam esse, sed finiendam causam restitutionis in integrum, voloir Gloss. *in v. Quadriennii spatium*, Archid. *nu. 2.* Sfort. *q. 19. n. 38. & 94.* Redoan. *de reb. Eccl. non alien. qu. 23. restit. §. 1. n. 1.* Barbosa *n. 35.* Sed Rota hoc idem tenens, hoc quadriennium vult incipiendum esse non à die latæ sententiæ, sed à tempore quo lapsus fuit annus, aut bieonium concessum ad prosequendam appellationem, *juxta tex. in l. fin. C. de tempore in integrum restit. Clem. 1. eod. tit.* Rota *dec. 13. n. 2. par. 2. & dec. 233. n. 4. par. 7. recent.* 35

Quod ampliatur, ut Ecclesia post quadriennii lapsum obtinere non possit restitutionem etiam per viam exceptionis, aut replicationis, juxta terminos *l. Nam postea §. si minor, ff. de jure jur. & l. Nec non 28. §. exemplo ff. ex quibus causis major. cum similibus*. Adhuc enim in his terminis Ecclesia audiri noo debet, per regulam hujus textus, *& Clem. un. eod. tit. & text. in d. §. si minor.* Anchar. *hic n. 2.* Franc. *n. 7.* Barbos. *n. 23.* Sfort. Odd. *q. 19. n. 50. & q. 35. n. 41.* 36

37 Et neque per viam restitutionis in integrum potest Ecclesia audiri post lapsum quadriennii, & contra hujusmodi lapsum audiri, ut ex *Clem.un.eod.tit.* colligunt hic Gloss. *in ver. contractum.* Barb. *n.*24. aliàs daretur processus in infinitum.

38 Et nihilominus, hunc lapsum quadriennii in Curia Romana non attendi, ex Rota in Bergom. Legati 15. Novemb. 1610. coram Astrebaten. Et in Adrien. Jurisd. 27. Junii 1622. coram Pirovano, & in Roman. restitut. in integr. 20. Maji 1624. & 18. April. 1625. coram Manzanedo, *& dec.*451.*n.*7. *&* 604.*n.*13. coram Burato, testatur Barb. *hic n.*17.

39 Et in omni casu lapsum hujus quadriennii in dubio probare tenetur adversarius, ut *ex l. si minorem ff. eod. tit.* Sfort. *q.*39. *art.* 1. Mascard. *de probat.concl.*1276.*n.*2.*& concl.* 1281. *per tot.* deducit Barbos. *hic n.*18. Econtra tamen si constet de lapsu quadriennii, sed Ecclesia, vel minor contendant illud de jure non potuisse currere, ob aliquod impedimentum, vel dari causam sufficientem, ob quam etiam post lapsum quadriennii debeat dari restitutio, onus hoc probandi spectat ad Ecclesiam, vel minorem. Card. *in cap. Tum ex literis oppos.* 2. *sup.eod.tit.* Et juxta hoc intelligitur noster textus, *in ver. nisi*, ibi, *probetur*, scilicet per Ecclesiam, ut dicunt Gloss. ibi Monac. *n.*4. Barb. *n.*18.

40 Et nihilominus plures sunt casus, in quibus etiam post lapsum quadriennii competit minori, aut Ecclesiæ restitutio in integrum. Primus est, si intra quadriennium omissio petendæ restitutionis non fuit ex negligentia, Gloss. *in v. quadriennii, & in ver. causa*, Anch. *n.*42. Dom. *n.*9. Franc. *n.*8. *&* 9. Barbos. *n.*19. Redoan. *de reb. Eccles. non alien. q.*23. *de restit. in integ.* §. 1. *à n.*10. Sfort. *quæst.*19. *à num.*36. *& q.* 10. *à n.* 32. Sic igitur hoc quadriennium currit solis negligentibus, non verò impeditis. Et propterea si per judicem, aut per partem adversam stet, quod causa restitutionis in integrum non finiatur intra quadriennium, causa potest quadriennium expediri. Coccin. *decis.*368. *& decis.*482. *n.* 2. Hostien. *hic in v. quadriennio spatium*, Sfort. *q.*19. *n.*12.

41 An verò respectu paupertatis detur restitutio adversum quadriennium, Marches. *de commiss. restit. in integr.* §. 1. *n.*25. ex Put. *decis.*446. *n.*1. *par.*2. & Panor. *in cap. fin. n.*15. *eod. tit.* dicit quod non, quia læsus permittendo lapsum quinquennii videtur huic restitutioni renuntiasse. Quod est verum, si paupertas non fuit impedimentum, & causa, ob quam non fuit petita restitutio.

42 Advertit verò idem Marches. *n.*26. quod non sufficit probare impedimentum, nisi probetur, quod prosecutus fuisset, si non fuisset impeditus, & id quando non est notorium, debet protestari, *cap. ex transmissa, de præscript.*

43 Distingunt verò Doctores, & hoc quadriennii tempus à principio esse utile, itaut non incipiat currere, nisi omni impedimento cessante, sed postquam incœpit esse continuum, & currere etiam, Barbos. *n.*20. *ex text. in l.*1. *ff. de divers. & temp. Præscript. & in l. ultim. C. de præscript. long. temp.* & Glos. *in v. continuum in Clem. un. eod. tit.* & ibi Imol. *n.* 16. Sed certè in nostro textu negligentia requiritur ad hoc, ut Ecclesia post quadriennium non possit obtinere restitutionem. Et licèt dicendum sit hoc quadriennium debere intelligi continuum, quatenus cessante impedimento in eo numerandi sunt dies omnes etiam festivi, quantum tamen ad illud, quod dicitur, quod hoc tempus currat etiam impeditis, & quod ubi cessat negligentia in Ecclesia, non debeat tempus extendi extra quadriennium, non est conforme huic textui, & juri Canonico; & contrarium tenent Doctores citati volentes, quod si per Judicem, vel adversarium stet, quod causa non finiatur, tempus ultra quadriennium extendatur.

44 Hinc est etiam, quod hoc quadriennium non currit probabiliter ignoranti, licèt per centum, aut plures annos Ecclesia steterit, absque eo, quod restitutionem peteret, & sic quadriennium istud incipit à die læsionis notæ, seu à scientia læsionis. Franc. *n.*8. Prob. ad Monac. *n.* 8. Barb. *n.*.... Bald. *in l. falsi C. si ex falsi instrum.* Alex. *cons.* 169. *in fin. volum.* 2. Greg. XV. *decis.*425. *n.*11. Rota *decis.*39. *n.*1. *lib.*2. *part.*3. *divers. & decis.*3. *n.*2. *par.*3. *recent. & decis.*28. *n.*41. *&* 157. *n.*25. *& decis.* 166. *n.*15. *par.*8. *recent.* Caputaq. *decis.*418. *n.*6. *par.*2. Sfort. *q.*29. *n.*37. Marches. *de commiss. restit. in integr.* §. 1. *n.*22. *&* 33. Ubi ex Rota *decis.*2. *de restit. in integr.* quod quadriennium incipit currere à die ultimæ scientiæ, & *n.*14. quod majori conceditur restitutio in integrum ex ignorantia juris, si de damno evitando agat; nam tunc talis error non nocet.

45 Unde est, quod nullo etiam longissimo tempore præscribi potest contra hoc jus petendi restitutionem in integrum durante ignorantia læsionis, ut adveniente scientia, & Ecclesia petente non competat ei, & non debeatur in integrum restitutio, quidquid in contrarium dixerit Covar. *cap. Alma Mater part.*3. §. 1. *num.*4. *in fin.* & alii, quos refert Sfort. *add. dict. q.*29. *n.*38.

Sufficit tamen scientia Procuratoris habentis ad petendam restitutionem in integrum speciale mandatum, Rota *decis.* 719. *num.* 1. *& p.* 1. *divers.* Ubi quod hoc procedit, etiam si Procurator non sit solvendo. Crescent. *decis.* 254. Et ignorantia probabilis esse debet, quia ignorantia non probabilis non tollit negligentiam. Rota in Romana Salviani interdicti 28. Januarii 1602. coram Justo, apud Marches. *par.* 2. *de commiss. restitut. in integrum* §. 2. Felin. *in cap. Vigilanti nu.* 4. Panorm. *cons.*18. *num.* 1. Et ideò ignorantia hæc ut sufficiat, debet esse omninò excusabilis. Rota *decis.*387. *num.* 3. *part.* 1. *divers.* 46

Imò sufficit scientia præsumpta, & ex conjecturis etiam remotis deducta ad excludendam excusationem probabilis ignorantiæ, vel si habita fuit scientia in genere, vel si ignorans tenebatur investigare. Rota in dicta Romana Salviani *num.*2. & in Florentina *Jurispatronatus* 14. Maji 1576. & in Florentina *bonorum* 17. Novembris 1595. coram Pamphil. Senior. Penna *decis.* 515. *num.* 5. Ubi *num.* 6. quod multo minus conceditur uti beneficio restitutionis in integrum, quando agitur de præscriptione juris quærendi, quàm juris quæsiti, quia jus quærendum multo facilius tollitur, quàm quæsitum, *l. fin. C. de acquir. possess.* 47

Secundus casus generalis, in quo post lapsum quinquennii competit restitutio in integrum, est si prævaricationis, vel fraudis manifestæ, interveniente commento impedita fuit Ecclesia ne intra quinquennium restitutionem obtineret. Secundùm Gloss. autem Prævaricator dicitur, qui corruptus in totum ab accusatione desistit, *l.* 1. *ff. ad turp. & cap. Si quem notandum* 2. *quæst.*3. Item prævaricator dicitur, quasi varinator, qui ex utraque parte consistit, ut cùm quis verbo se tenet cum una parte, & facto cum altera, *l. Athletas* §. *Item prævaricator ff. de his, qui not. infam.* Joan. Mon. *num.*2. Item Prævaricator dicitur, qui ab officii sui præscripto deflectit. Gloss. putat hic accipi nomen Prævaricatoris in secunda acceptione, Barbos. verò *nu.* 41. *in tertia*. Commentum verò hic sumitur, ut importat deceptionem, vel occultum, vel malitiosum tractatum, vel machinamentum *cap.* 2. *dist.* 87. seu fictionem, unde commentitius sit idem, quod fictus, Monac. *num.*5. Quamobrem sensus textus est, quod si contingat Ecclesiam infra quadriennium non petiisse restitutionem in integrum decepta ex aliqua prævaricatione, aut fraude partis adversæ, potest post quinquennium illam petere, & debet ei concedi, si tamen prævaricatio, aut fraus per Ecclesiam fuerit manifestè probata. Et in hoc casu licèt adsit aliqua negligentia, seu culpa in Ecclesia, non obstat, quin sibi debeatur restitutio, quia in eo, contra quem petitur, est dolus, & dolus culpæ præponderat, Jo. Monach. *n.*4. ubi subdit, quod si utraque pars sit in dolo, dolus dolo est compensandum, *l. si ambo ff. de comp. l. si duo ff. de dolo*. Advertit verò Dom. *n.*8. quod non sufficit dolus sine læsione. 48

Sic igitur quando quis facto Judicis, vel adversarii, ut puta propter justos timores, aut aliàs similes causas, est impeditus, potest post quadriennium petere restitutionem, ut ex Cassad. *decis.*1. *n.*1. *de restit. spoliat.* Felin. *n.* 11. *de præscript.* probat Marches. *ubi sup. n.* 36. 49

Tertius casus generalis est, si adsit alia rationabilis causa petendi restitutionem; quæ arbitrio judicis relinquitur cùm in jure expressa non inveniatur, *l.* 1. *ff. de jur. del. b. cap. de causis de off. deleg.* Et tamen hoc arbitrium ad illas causas erit restringendum, quæ important justum impedimentum, propter quod Ecclesia non potuit intra quinquennium restitutionem petere, Sfort. *d. q.*19. *num.* 83. Barbos. *n.*27. Quotiescumque verò adsit justa causa non potest restitutio negari, Rota *decis.*360. *n.*14. *p.*6. *recent.* 50

Nonnullæ tamen causæ recensentur. Prima est, ut quadriennii tempus non currat Ecclesiæ, quamdiu vivit Prælatus, qui illam læsit, creditur enim interim legitimè impedita, & lex verisimiliter præsumit illum non venturum contra id, quod temerè fecit. Et ita contra Archid. *hic num.*4. tenent Gloss. *in v. causa*, Jo. Monac. *num.*6. & Probus *num.*20. Anchar. *n.*3. Dom. *num.*9. Panorm. *in cap. Tuam ex literis n.*10. *sup. eod. tit.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. q.* 23. *n.*15. Sfort. *q.*19. *n.*75. Barbos. plures referens *num.*44. Fag. *cap.* 1. *eod. tit. n.*14. 51

Secun-

52 Secunda causa est frequens, & repentina mutatio Prælatorum; ex hac enim præsumitur probabilis ignorantia eorum, quæ à Prædecessoribus in damnum Ecclesiæ gesta sunt. Gloss. *in ver. causa*, Jo. Monac. *n.5.* Archid. *n.4.* Barbos. *n.45.* Redoan. *d.q.23. num.15.* Sfort. *d.q.19. art.9. per totum*, Rota *decis.284. n.50. par.5. recent.*

53 Tertia causa est eminentissimum damnum, seu enormissima læsio, quæ stante etiam post quinquennium Ecclesiæ competit restitutio in integrum. Prob. *n.10. & 11.* Barb. *n.28.* Doctores *cap. Tum ex literis sup. eod. tit. & cap. Ad nostram, de reb. Eccles. non alien.* Rota *decis.247. in fin. par. 4. divers.* Cocc. *decis.445. n.7.* Fag. *ubi sup. n.13.* Sfort. *q.19. n.66.* Marches. *de commiss. restit. in integr. n.29. §.1.* Quod verò in beneficialibus non detur restitutio in integrum post quadriennium ratione enormissimæ læsionis, quia hæc in illis non datur, probat latè Marches. *d.§.1. n.45. & seqq.* Et nihilominus *n.50.* fatetur ex Put. *dec.340. par.2. n.1.* quod post quadriennium constito de bono jure, datur in beneficialibus restitutio in integrum, si quis aliquid amittat, si non concedatur, vel non acquirat, quod acquirere posset, vel oneri, quod non expediat, se subjiciat; unde ut super id cognoscatur Judici committitur. Addit verò Rota citanda, quod ubi agitur solùm de lucro amittendo non datur restitutio, quia hæc non est enormissima læsio. Rota in Arianen. tertiæ partis punctorum 5. Julii 1574. coram Blanchetto, quæ habetur apud idem Marches. ibid. post §. 2. An tamen hoc absolutè admitti debeat considerandum esset. Advertit quoque Rota *decis.284. n.51. par.6. recent.* quod quando agitur de recuperando ablato per rem judicatam, læsio enormissima non consideratur habita ratione ad rem, de qua agitur, sed ad totam patrimonii substantiam, nimirum respectu patrimonii ablati, & remanentis, Marches. *decis. §.1. n. 40.* Soccin. *cons. 266. n.24.* Achill. *dec.6. eod. tit.* Verall. *decis.151. par.2.* Gonzal. *ad reg.8. Cancell. gloss.21. n. 21. & 22.* & addit, quod ita Rota teneat. Sed quando agitur de acquirendo illud, quod fuit denegatum per rem judicatam, non est consideranda læsio respectu patrimonii remanentis, sed respectu earum rerum, quæ per rem judicatam fuerunt denegata. Quod verò etiam sufficiat si damnum sit comparatione enormissimum dixit Probus *n.13.*

54 Quarta causa est, si sententia sit notoriè injusta; hoc enim stante etiam post quinquennium debetur Ecclesiæ in integrum restitutio. Barb. *n.29.* Cæsar. de Grass. *decis. 15. n. ult. de preben.* Rota *in Prænes. Bonorum* 21. Febr. 1614. coram Sacrato.

55 Quinta causa est, si inventa fuerint nova instrumenta, ex quibus Ecclesia læsionem probare possit, aut bonum jus pro obtinenda restitutione. Dom. *n.11.* Archid. *n.2.* In hoc enim Ecclesia assimilatur Reipublicæ. Et propterea quod quadriennium non currat, nisi à die, quo scripturæ sunt repertæ, ex quibus bonum jus competere potest, March. *ubi sup. n.35.* & quod toties peti possit restitutio, quoties novæ defensiones occurrunt, dixit Rota *in Calagur. restit. in integrum* coram Orano die 12. Febr. 1590. apud Marches. *ibid.*

56 Sexta causa est, si agitur de periculo animæ, unde sententia non transit in judicatum, sicut in causis matrimonialibus, Barbos. *n.5.* Sfort. *q.19. n.58.* Quod limitat Marches. *d. §. 1. n. 140.* ex Felin. *cap.1. col. fin. de præscript.* ad matrimonium carnale, secus verò in spirituale, in quo sententia transit in judicatum. Put. *decis.63. n.5. p.1.* Felin. *in cap. lator, de re jud.*

57 Septima causa est restitutio dotis mulieris; Nam ob illam dari restitutionem in integrum post quinquennium, dixit Penna *decis.710. n.11.* ex Sfort. *q.19. art.7. n.66. & quæst. 43. art.1. n.15.*

58 Hujusmodi verò restitutio cùm petenda sit à superiore, hic est superior Ecclesiasticus in causis Ecclesiasticis, ut hic ex Panorm. notat Franc. *n.3.* & probavi *tom.1. de stat. q.185. art.7. n.696.* Cæterùm in multis casibus per magistratum superiorem illius judicis, qui judicavit, ac aliquando per eundem judicem, qui judicavit, concedi valet. Panor. *in cap. Ex literis col.3. de restit. in integrum.* Felin. *in cap. Dilecti qu. 9. de appell.* quos sequitur Marches. *ubi sup. n.20.*

59 Non verò semel, sed pluries potest peti restitutio in integrum. Quamvis enim non possit peti, ut qui ad restituendum restituatur, nec detur processus in infinitum. Tamen super diversis articulis, vel interlocutoriis sæpius peti potest, Sfort. *q.16. art.4.* & pariter id est ex nova causa permissum, *l. Cùm quæritur ff. de except. rei judic.* Panorm. *cap. fin. de restit. in integr.* Marches. *d.§.1. n.68. fin.* & Sfort. *d.q.16. art.6. & 7.* Et in Romana Curia, vel ubi adsunt Principes superiorem non cognoscentes bis potest peti restitutio, semel scilicet apud signatura justitiæ, & semel in signatura gratiæ. Principes enim supremus per restitutionem in integrum gratiosam restituere potest. Marches. *d.§.1. n.89. & 90.* Ubi plura habet de hac restitutione gratiosa *n.91. & seqq.*

Qualiter verò suprema tribunalia non attendant quadriennium ostendit Rota *dec.284. n.55. part.6. recent.* 60

Duplici autem modo potest cessare restitutio in integrum, scilicet juramento, & renuntiatione, ut probat Rota *decis. 120. n.4.* coram Greg. XV. In hoc tamen discrimen est inter minorem, & Ecclesiam. Ille enim quia validè jurare potest in sui præjudicium, *cap. Pueri 22. q.5.* Suarez *de Relig. tom.2. l.1. cap.14. n.5.* Sayr. in Clavi Regia, *l.5. cap. 3. n. 8.* ideò si juret de non contraveniendo contractui per petitionem restitutionis in integrum, quia juramentum est solùm in sui præjudicium, nec vergit in præjudicium salutis æternæ, tenet, & obligat, & ideò minor licèt possit contra contractum juratum simpliciter petere restitutionem in integrum, non tamen potest id facere, si juravit non contravenire, & restitutionem non petere. Sed Ecclesiæ Prælatus, vel administrator non potest validè jurare in præjudicium Ecclesiæ, *cap. sicut 27. cap. Intellecto 33. de jure jur. cap.1. in fin. de iis, quæ fiunt à majori p. Cap.* Tuscus *l. I, concl. 509.* Ideò etiam si Prælatus juret non contravenire contractui petendo restitutionem in integrum, nihilominus Ecclesia illam petere potest, & illi debetur, Gloss. *in v. contractum*, Hostien. & Dom. *n. 9.* Franc. *n.5.* Barbos. *n.33.* post Jason. Gutrier. Paul. Seraph. & Tuscum. Quantum verò ad renuntiationem, quod Ecclesia possit restitutioni impetratæ renuntiare affirmat Archid. *n.7.* sed cavendum ne incidat in Paulinam *Ambitiosæ*, & aliàs constitutiones prohibentes alienationem, & cessionem jurium Ecclesiæ. Et aliàs Prælatus, qui damnum intulit Ecclesiæ, tenetur restituere. Et in omni casu procurare ne Ecclesia læsa maneat. 61

His verò sic explicatis spectato jure antiquo, nunc attendi debet constitutio 157. Urbani Octavi, quæ incipit *Romanus Pontifex*, & data fuit 5. Junii 1641. In qua adversus præjudicia facta Ecclesiæ, aut Ecclesiasticis personis, & ibidem recensita Ecclesia restituta est in integrum contra quamcumque longissimi temporis præscriptionem, excepta sola præscriptione centenaria, aut immemorabili in terminis tamen dictæ constitutionis; unde quantum ad illa præjudicia nullum servandum est quadriennium, & non solùm Ecclesia potest petere restitutionem, sed jam respectu illorum quatenus opus sit, est per Pontificem restituta. 62

Notandum primò, quod appellatione Ecclesiæ intelliguntur Prælati, & Clerici, Franc. *nu. 1.* Rationem reddit Dom. *n.1.* quia Ecclesia, cùm sit res inanimata, non potest petere restitutionem. Verùm deficit hæc ratio, quia non est hìc sermo de Ecclesia materiali, seu templo, quod lapidibus constat, cæmento, & lignis; Sed de Ecclesia generali, quæ dicitur fidelium congregatio sub uno capite, seu sunt fideles ipsi sub uno capite in Christi fide Deo militantes. In quo sensu dictum fuit *Rom.16. salutant vos omnes Ecclesiæ*, & ad Gal.1. *persequebar Ecclesiam Dei*, & 1. ad Corinth. 16. *salutant vos Ecclesiæ Asiæ.* In proposito tamen, ut dictum est supra Ecclesia magis strictè sumitur pro congregatione Ecclesiasticarum personarum, ut à laicis distinguitur, cui congregationi competit jus ad Ecclesiastica bona, & ideò competit privilegium, ut restituatur in integrum. In hac verò Congregatione principales sunt Prælati, quorum est bonorum horum administratio, & ideò eorum præcipuè est hanc restitutioné petere. 63

Notandum secundò, quod ex quo restitutio in integrum negatur Ecclesiæ post quadriennium si neglexit eam petere intra illud, colligitur quod Prælatus in omittendo Ecclesiæ potest præjudicare, & de facto præjudicat, si restitutionem petere negligat. Quod latè hìc explicat Probus *n. 19. 20. & 21.* post Gloss. *in v. negligenter*, Dom. *n.4.* 64

Nihilominus addit Dom. *n.5.* quod fraus Prælati Ecclesiæ non nocet, ad quod facit *reg. delictum infr. de reg. jur.* Nam si ex commento prævaricationis, aut fraudis ejusdem Prælati restitutio infra quadriennium non sit petita, aut obtenta, hæc fraus non nocet, nec impedit, quin post quadriennium restitutio peti possit. 65

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Bonifacius Octavus.

CAPUT II.

SI adversus confessionem in judicio à se factam, læsa Ecclesia beneficium restitutionis in integrum infra quadriennium ab ipsius confessionis tempore computandum, petere negligenter omittat: non est (nisi aliquid rationabile appareat, quod aliud suaserit faciendum) ad hoc petendum ulterius admittenda. Ubi verò per viam communem revocationis erroris, quem in facto prætendit, vult adversus suam confessionem Ecclesia se juvare: hoc quandocumque poterit, donec negotium sit finitum.

SUMMARIUM.

1 *Intentio textus.*
2 *Regula textus.*
3 *Quid veniat nomine Ecclesia.*
4 *Tota Ecclesia læsa potest petere restit.*
5 *Ecclesia lædi potest per propriam confessionem.*
6 *Regula loquitur de confessione facta in judicio.*
7 *Etiam adversus confessionem juratam datur restitutio.*
8 *Regula procedit etiam in criminalibus.*
9 *Et verificatur etiam de negatione.*
10 *Objectio.*
11 *Quinque casus, in quibus datur restitutio adversus confessionem.*
12 *Ad hoc, ut detur restitutio, sufficit, ut probetur læsio.*
13 *Non omnis confessio falsa est ex malitia.* *Adversus confessionem factam non per errorem datur restitutio.*
14 *Adversus præjudicium ortum ex confessione vera datur restitutio.*
15 *Confessio Prælati an præjudicet Ecclesiæ.*
16 *Confessio Prælati in quatuor casibus Ecclesiæ præjudicat.*
17 *Confessio Procuratoris quando noceat Ecclesiæ.*
18 *Confessio Procuratoris quando possit revocari.*
19 *Quid de confessione Tutoris, remissivè.*
20 *Restitutio debet fieri intra quadriennium.*
21 *Quadriennium currit negligentibus.*
22 *Ex causa justa datur restitutio post quadriennium.*
23 *Secunda regula textus.*
24 *Confessio erronea revocatur, & non nocet.*
25 *Etiam aliquis error juris excusat.*
26 *Error probari debet.*
27 *Non est necesse probare causam erroris.*
28 *Nec est necesse talem causam allegare.*
29 *An sit necesse probare errorē, qui non cadat in latam culpā.*
30 *Qui incontinenti revocat confessionem, non tenetur errorem probare.*
31 *Judicium finitur per sententiam, aut per transactionem.*
32 *An post conclusum in causa possit revocari confessio erronea, 33.*
34 *Potest revocari in Criminalibus, & ex officio Judicis.*
35 *An post præceptum possit revocari confessio.*
36 *Quod negatur una via conceditur altera.*
37 *Facilius tollitur privilegium, quam jus commune.*
38 *Restitutio in integrum, & revocatio ratione erroris non possunt cumulari.*

1 DE restitutione in integrum contra propriam confessionem agens Bonifacius Octavus, & supponens confessium in judicio posse venire adversus confessionem suam, qualiter hoc competere possit Ecclesiæ, vel per viam restitutionis in integrum, vel per viam communem, decernit duplici regula data.

2 Regula prima est, quod Ecclesia per propriam confessionem factam in judicio læsa, si intra quadriennium à die confessionis non petat restitutionem in integrum, non est ad illam admittenda, nisi aliquod rationabile appareat, quod aliud suaserit faciendum.

3 Quid verò nomine Ecclesiæ veniat explicatum est *sup. cap. prox.* quia nimirum Ecclesia est congregatio Ecclesiasticarum personarum ad differentiam laicarum, habentium administrationem aliquam bonorum Ecclesiasticorum. Sic enim si aliqua ex his personis litem habeat pro aliquo Ecclesiastico bono, & sit læsa habet jus ad restitutionem in integrum. Unde sub hac regula continentur etiam laici, si vel nomine Ecclesiæ, vel ex Ecclesiæ concessione bonorum Ecclesiasticorum aliquam curam habeat, aut administrationem, ut contingit in hospitalibus, & Confraternitatibus piis, sicut econtra sub nomine Ecclesiæ non veniunt Clerici litigantes pro bonis eorum patrimonialibus, & laicalibus, ut dictum est *cap. super n. 17.*

Debet verò Ecclesia esse læsa, & quidem manifestè ad hoc, 4
ut sibi competat restitutio in integrum, & ita ut in dubio læsio probari debeat. Cùm autem iterùm Barb. *n. 15.* absolutè contendat pluribus citatis sufficere læsionem modicam; dicendum est cum Gloss. *in v. læsa* requiri læsionem enormem, seu gravem, & non modicam. Quæ tamen an sit gravis arbitrabitur prudens judex, non accepto modico comparativè, sed absolutè, & itaut gravis dicenda sit, quæ in se sit talis spectatis omnibus circumstantiis; quia alias, quod omnibus pensatis est modicum, & leve, parvi fit; neque ex levi præjudicio lites prorogari debent, quod vergit in damnum ambarum partium.

Ecclesia verò nedum lædi potest per sententiam Judicis, 5
sed hæc læsio oriri potest ex Ecclesiæ confessione, vel errore, vel imprudentia promanans, vel ex metu, aut simili causa, & ideò sicut Ecclesiæ competit restitutio adversus sententiam lædentem, ita competit restitutio contra confessionem propriam, si illa lædat, ut tradunt hic Doctores, & *sup. in c. Auditis eodem tit.* ubi Gloss. *in v. Restituimus*, Innoc. Panor. *n. 17.* Butr. *n. 20. & 31.* Bellam. *n. 6.* Sfort. Odd. *q. 65. n. 15.* Sanch. *de matr. l. 7. disp. 112. n. 17.* Tusch. *lit. C, concl. 689. n. 43.*

Regula tamen expresse loquitur de confessione facta in 6
judicio, quod Gloss. *v. in judicio*, dixit esse factum, quia confessio extrajudicialis non lædit. Sed confessionem extrajudicialem aliquando lędere, advertit Dom. *n. 8.* & Franc. *n. 5.* & ideò rationem hanc Gloss. esse falsam, ait Barb. *n. 14.* quia confessionis extrajudicialis plures sunt effectus tam in civilibus, quàm in criminalibus, ut *per text. in l. general. C. de non num. pecun. l. Quæro §. ult. ff. ædilit. edict. l. Publica §. fin. ff. deposit.* Nam & aliquam probationem facit in judicio, & aliquando etiam probat, vel si plenè non probat aliquando facit indicium ad torturam. De quibus videantur Gloss. *sup. cap. ult. de confess. in v. confessus, & in cap. ult. de success. ab intest. in v. confitentem*, Marant. *p. 6. tit. de confess. à n. 2.* Masc. *de prob. conc. 346. & 350.* Clar. *in pract. §. fin. q. 21. n. 31.* & ibi addit Bajardi *à n. 121.* Farin. *in prax. p. 3. q. 82.* Quamobrem ubi in judicio ex confessione extrajudiciali læderetur Ecclesia, censeretur illa confessio, ac si esset in judicio facta, quia esset in judicium deducta, & ideò adversus eam competeret Ecclesiæ restitutio in integrum.

Juramentum autem non impedit, quin etiam contra con- 7
fessionem juratam competat in integrum restitutio, Bald. *c. ult. n. 5. in fin. de confess.* Odd. *q. 65. n. 19.* Barbos. *hic n. 3.*

Et ita ut regula data procedat nedum in civilibus, sed 8
etiam in criminalibus, & sic etiam adversus confessionem delicti competat restitutio in integrum, per *text. in l. cæterum §. fin. ff. de confess.* Barbos. *n. 4.* Odd. *q. 65. nu. 27.* Menoc. *de arbitr. casu 268. n. 3.* Sanchez *de matrim. l. 7. disp. 112. num. 17.* Farin. *in prax. par. 3. q. 81. n. 380.*

Quod autem dicitur de confessione, verificatur etiam de 9
negatione; ejusdem enim rationis sunt, & nomine confessionis hic accipitur responsio data in judicio, sive hæc sit affirmativa, sive negativa, *l. si ex causa §. nunc videndum in fin. ff. de min.* Farin. *d. q. 81. n. 358. & 38.*

Con-

10 Contra conclusionem tamen hanc textus objicit Gloss. *in v. confessionem*. Nam vel confessio est vera, vel est falsa. Si est vera, contra illam non datur restitutio, confessio enim vera injustè non lædit, Barb.*n.9.* Odd.*q.65.n.17.* Sed si est falsa, non habet locum remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quia adest ordinarium remedium ex jure communi per quod probata falsitate innovatur confessio.

11 Nihilominus his non obstantibus secundùm Gloss. in quinque casibus Ecclesia contra propriam confessionem non auditur de jure communi, sed solùm per beneficium restitutionis. Primus est, si confessio sit falsa, & tamen non possit probari falsitas. Secundò, quando non posset probari error, sed solùm læsio esset manifesta. Tertiò, quando confessio fuit facta non per errorem. Quartò, quando confessio facta est tempore non debito, ut in casu *l. si ex causa*, §. *Nunc videndum*, *ff. de min.* Quintò, si post confessionem lata fuit sententia secundùm confessionem.

12 Ex secundò autem ex his casibus colligitur, quod ubi confessio Ecclesiæ fuit ex errore, admittitur Ecclesia adversus propriam confessionem, errore non probato, sed constito de sola læsione, de quo cogitandum esse, ait Anch.*n.4.* & dubitat Butr.*n.3.* Apud Farin. autem *d. qu.81. à n.377.* quam plures loquentes de minori voluerunt non requiri quod error, aut læsio sit probata ad hoc, ut illi competat restitutio in integrum: Alii econtra dixerunt utrumque debere esse probatum. Et de læsione, quod sit necessaria habetur ex *cap. sup.* & etiam ex hoc capite. Nam solùm Ecclesiæ, læsæ, conceditur restitutio adversus confessionem, sed distingui debet commissio restitutionis in integrum ab ipsa concessione illius. Nam ad primum sufficit aliquis fumus læsionis, juxta notata *cap. sup. num.16.* sed ad concedendam restitutionem, seu ad exercitè restituendum, necesse est ut constet de læsione, quia solùm Ecclesiæ læsæ competit restitutio. At loquendo de errore, non est necesse, quod Ecclesia illud probet, & ut restituatur in integrum adversus suam confessionem, sed sufficit, quod probet læsionem. Aliter nullum privilegium concessum fuisset Ecclesiæ in hoc. Nam etiam major, & quicumque probato, quod confessio fuit ex errore revocare potest confessionem propriam. Quod ex clausula generali competit majori etiam post sententiam. Ideò dicendum est, quod ubi Ecclesia ex errore confessa fuit in sui præjudicium, ante sententiam etiam errore non probato restituitur, probata si opus est, læsione, Dom. *n.8.* Franc. *n.4.*

13 Circa tertium casum videtur esse difficultas, quia dum confessio fuit facta non per errorem, videtur facta scienter, confessio autem falsa scienter habita, videtur facta cum dolo, aut fraude, at verò adversus confessionem ex dolo, aut fraude promanantem non datur restitutio, ut ex Sarnien. Select. *l.3. cap.13. n.6.* Chald. Pereira *in l. si Curatorem, v. læsis, n.7.* & aliis probat Barbos. hic *n.13.* Sed dicitur, quod non omnis confessio falsa scienter est ex dolo, aut fraude, quia talis potest esse ex vi vel metu, qualis est, quæ extorquetur ex vi, vel metu tormentorum; & adversus hanc confessionem datur Ecclesiæ restitutio in integrum. Quamvis neque ex errore propriè dicto sit illa, quæ est ex inconsideratione, imprudentia, & nimia facilitate, & adversus quam Ecclesiæ competit restitutio.

14 Circa quartum casum, in quo confessio est vera, sed tunc Ecclesia non tenebatur eam veritatem fateri, considerandum est, quod tunc Ecclesiæ, aut minori non debetur restitutio adversus confessionem, quia non debetur restitutio adversus veritatem, illa verò confessio vera est, sed debetur restitutio adversus præjudicium, quod ex illa confessione fuit causatum. Sæpè enim contingit, quod quis non teneatur manifestare veritatem, sed possit eam occultare, ut cum D. Thom. 2.2. *quæst.63. art.1. & qu.100. art.3. & qu.111. art.1.* docent communiter Theologi. Quando igitur ex consimili intempestiva confessione Ecclesia est læsa, potest petere restitutionem contra illam læsionem, ut restituatur in pristinum statum, ac si nihil confessa fuisset, Innoc. *cap. Ex literis num.1. sup. eod. tit.* Odd. *de rest. in integ. 2. p. q.65. art.8. n.32.* Sanchez *l.7. de matrim. disp.112. n.17.* Barbosa hic *n.10.*

15 Cùm autem textus loquatur de confessione facta ab Ecclesia ipsa, ibi, *à se*, Gloss. extendit, ut sit verum etiam de confessione facta à Procuratore, Archid. *n.1.* Itaque ex hoc primò habemus, quod confessio Prælati, seu Rectoris Ecclesiæ illi nocet, quia illa censetur confessio Ecclesiæ, quæ est à Prælato, vel Rectore illius, supponitur verò, quod ex hac confessione possit Ecclesia lædi, & ex hoc sibi competi possit restitutio in integrum. Propterea, quod confessio Prælati, seu Rectoris Ecclesiæ facta in judicio eam lædat, etiam facta sine consensu Capituli, tradit Franc. *num.1.* Nihilominus distinguendum est inter confessionem necessariam, & voluntariam. Illa verò dicitur voluntaria, quæ etiam si sit facta in judicio, tamen id evenit ex ejus arbitrio, nullo præcedente jussu, aut mandato Judicis, Greg. XV. *decis.460. n.5.* Alex. *cons.322. n.16. l.2.* Paris. *cons.115. n.21. lib.1.* Confessio Prælati, seu Rectoris Ecclesiæ judicialis, & necessaria præjudicat Ecclesiæ, non verò voluntaria, Feder. de Sen. *cons.143. n.2.* Rota *decis.334. n.2. & 480. n.4. p.1. recent. & dec.27. n.2. p.9.* Greg. XV. *dec.375. n.6. & decis.506. n.3.* DD. *in cap. ult. de præscript.* ubi Panorm. *n.44.* Felin. *num.2.*

Quatuor propterea casus numerat Beltraminus *add. ad* 16
dec.375. n.11. Greg. XV. in quibus confessio Prælati nocet Ecclesiæ. Nimirum primò, quando Prælati confessio est adminiculata, & conjecturis fulcita, Greg. XV. *d. dec.106. n.4.* Mant. *dec.39. n.1.* Rota *dec.334. n.2. & dec.177. n.5. part.2. divers.* & sufficit quod pro se habeat præsumptionem juris, Felin. *cap. fin. de præscript. n.11.* Rota *dec.141. n.6. p.2. divers.* Secundò præjudicat, quando confessio concernit actum gestum ab ipsomet Prælato, qui confitetur, Gloss. *in cap. fin.* ubi Panorm. *n.44. de præscrip.* Tertiò præjudicat, quando est facta in judicio per modum contentiosæ jurisdictionis, Rota *decis.141. n.4. & decis.666. n.5. p.2. divers.* & in Regin. Pension. coram Orano, apud Marches. *tom. fol.616.* Quartò præjudicat, quando non est unica, sed iterata, & sæpius repetita, Rota in Conchen. Decimarum de Belmonte 1. Junii 1619. coram Dunozetto. Addit verò Beltramin. quod generaliter confessio Prælati maximum præbet argumentum, quod ita res se habeat, Rota *decis.293. n.2. p.1. divers.* & ideò donec de contrario non constet, videtur quod sit attendenda, ut dixit Rota *decis.291. n.8. post 2. lib. consil. Farin.*

Procuratoris autem confessio, quod non noceat princi- 17
pali dixerunt Castren. *in l. Non solum, n.2. ff. de procur.* Felin. *in cap.1. n.14. ut lit. non contest.* Bellam. *decis.104.* Greg. XV. *dec.407. n.3. & 375. n.5. & 460. n.4. & 467. n.4.* Cocc. *decis. 84. num.7. & 318. num.4. & 452. num.10.* Et nihilominus si Procurator habeat speciale mandatum ad sic confitendum, eadem est ratio, ac si dominus ipse confiteretur, secundùm Butr. *in cap. fin. de confess.* & Felin. *d. num.14.* Secundò confessio Procuratoris nocet, si fiat domino præsente, & non contradicente, Rota *dec.11. de confess.* Et tertiò idem dicitur de omni confessione facta, etiam absente domino, si dominus habita ejus notitia eam non revocet, Felin. *d. n.14.* Quartò nocet domino, si post litem contestatam, Procurator jussus à Judice, & interrogatus contumax non respondet, Dom. *inf. cap.2. de confes.* Quintò concurrentibus adminiculis confessio Procuratoris plenè probat, Rojas *dec.f.336. num.2.* Et sextò confessio judicialis, & necessaria emanata in judicio per modum jurisdictionis contentiosæ præjudicat, Beltramin. *add. ad decis.506. num. fin.* Greg. XV.

In multis tamen distinguuntur confessio domini, & Pro- 18
curatoris quæ recenset Felin. *d. cap.1. n.18. Ut lite non contest.* Et insuper talis est Procuratoris confessio, quod dominus eam potest revocare, Coccin. *decis.186. n.1.* Greg. XV. *dec. 270. n.9.* & ibi Beltram. *n.12.* Rojas *decis.156. num.8.* Rota *decis.613. n.9. p.1. divers. & dec.198. n.3. p.1. & dec.170. n.6. & decis.768. n.1. p.1. & decis.16. n.12. & decis.57. n.46. par.7. recent.* & hoc etiam si confessio sit geminata, ut ex dictis decis. Quod tamen fallit primò, si principalis in vigore illius confessionis obtinuisset in judicio. Secundò si principalis in judicio ea confessione usus fuit, quia utendo censetur ratificare, Beltram. *d. dec.270. n.12.* Greg. XV. Innoc. *in cap. Cum olim, de censib.* Rota *d. dec.16. n.12. & decis.57. n.47. p.7. rec.* Et tertiò, revocari non potest confessio Procuratoris, si fuit à parte acceptata secundùm Rotam *in d. decis.57. n.48. p.7. rec.*

An verò confessio Tutoris, aut Curatoris præjudicet pu- 19
pillo, aut minori tradit Rota *decis.1089. n.2.* coram Penna, *& dec.152. n.2.* coram Coccin. *& dec.506. n.9.* coram Greg. XV. *& decis.298. & 39. n.1. p.7. & decis.284. n.29. p.9. rec.*

Sic igitur, cùm per confessionem sui Prælati, aut Procura- 20
toris Ecclesia possit lædi, potest etiam adversus hujusmodi confessionem in integrum restitui. Sed hoc fieri debet intra quadriennium à die confessionis, quod est dicere à die *læsionis*, Anch. *n.2.* Butr. *n.1.* Franc. *num.2.*

Ut tamen dictum est cap. super hoc quadriennium, etiam 21
ex hoc textu non currit nisi negligentibus, ideò non currit impeditis, & ignorantibus, unde videnda sunt ibi notata.

Ex

22 Ex rationabili etiam causa ad Judicis arbitrium potest Ecclesiæ concedi restitutio post quadriennium. Et de hoc etiam videnda sunt notata cap. superiori.

23 Secunda textus regula continet, quod ubi Ecclesia per viam communem revocationis erroris, quem in facto prætendit, vult adversus suam confessionem se juvare, hoc facere poterit quandocumque voluerit, donec negotiũ sit finitũ.

24 De jure communi enim confessio sive spontanea, sive per torturam emanata, quando erronea est, potest revocari, & revocata non nocet, *l.1.§.si quis ultro*, & ibi Gloss. *in v. perseverante*. Ubi enim error est, deficit consensus, & ubi consensus deficit, nequit esse confessio, quæ est ex consensu. Quod si potest revocari, multò magis potest declarari, & excusari; etiam si sit jurata sub quacumque juramenti forma, etiam si sit acceptata; etiam si deliberata, repetita, geminata, & ratificata, etiam in causa appellationis; etiam si sit indiciis gravata, seu eam præcesserint indicia; & ita ut revocari possit nedum à confitente, sed ab aliis, & ipso confitente invito, & præsertim à Patre, & aliis consanguineis, & ita quod Judex tenetur revocationem admittere; etiam post sententiam, si non transiit in judicatum. Imò & post transitum sententiæ in judicatum, ad vitandum præjudicium quatenus est vitabile poterit haberi recursus ad superiorem, ut cognita veritate saltem ex gratia det remedium via juris, aut gratiæ possibile. De quibus videri possunt DD. innumeri, quos cumulat, & sequitur Farinac. *in praxi p.3.qu.81.n.315. & seq.* & Franc. *n.7.* Rota *decis.356.n.2. & 3. & decis.981. num.8.* coram Penna, *& decis.314.n.12. & dec.337.n.59. & dec.319.n.19.* coram Durano, *& dec.305.n.3.* coram Cocc. *& decis.60.n.5.& 6.* coram Mill. *& decis.343. n.14.* coram Rojas, *& decis.283.n.8.part.6.recent.*

25 Imò cùm Gloss. *in v. erroris*, & Dom. *n.3.* dicant solùm errorem facti excusare confessionem, non verò errorem juris. Rota *decis.522.n.14.* coram Greg.XV. vult quod erronea confessio non noceat confitenti, sive error sit in facto circa conceptionem verborum, sive in jure circa verborum significationem. Deficiente enim veritate confessionis, necesse est quod deficiat quicumque effectus, qui tali innititur veritati, quia deficiente causa deficit effectus, & fundamento everso ruit, quod super illo erigebatur.

26 Verum quidem est, quod error probari debet, & non sufficit eum allegare, sed in dubio confessio præsumitur vera; & ideò error etiam plenè probari debet; quamvis ad hoc sufficiant conjecturæ, & sic dicatur error plenè probatus, quando ex indiciis, & conjecturis talis apparet, Farin. *dict. qu.81.n.341.* Nam & ut confessio noceat debet esse certa, non verò ambigua, & æquivoca, Rota *dec.68. num.2.p.8. & decis.54.n.8.p.9.recent.*

27 Probatur verò error, si probatur aliter se habere; falsa enim evidenter est confessio, si est evidens rem aliter se habere, quam confessio significat. Quando tamen confessio respicit factum confitentis, quod non sufficiat probare errorem, sed necesse sit probare causam erroneæ confessionis, nimirum causam, ob quam confitens motus fuit, ad confessionem falsam, & erroneam multis allegatis sensit Farin. *d. quæst.81. n.344.* quamvis *n.349.* neget hoc esse necessarium in confessione extorta per torturam. Carena etiam ubi suprà ait, quod si confessio fuit spontanea acceptata à Judice, vel Advocato Fiscali probanda est causa erroris. Sed ut verum fatear hæc positio naturali æquitati est contraria. Cùm enim effectus totus pendeat à veritate confessionis, non verò à causa ob quam quis confitetur, vel non confitetur, quæ est quid extrinsecum, & accidentarium, sufficit si tollatur falsitas, ad tollendum id, quod non nisi ex confessione falsa sequi poterat. Sic qui confessus fuit homicidium, ob quod damnandus esset ad mortem, si constet indubitatè, vel homicidium non fuisse commissum, vel fuisse commissum ab alio, confitente penitus innocente, numquid poterit ut homicida damnari, si non probavit causam ob quam primò falsò confessus fuit, se homicidium commisisse, imò si illam nec voluit allegare, vel si falsum allegavit, & iterùm mendax causam fictam commentus fuit? Verum est, quod allegatio, & probatio causæ confessionis multum aliquando facere potest, ad hoc ut confessio appareat, vel non appareat erronea, quia præsumi non debet, quod quis contra se voluerit confiteri aliquid, nisi ex aliqua causa, ut ex metu, vel odio. Et ideò ubi falsitas confessionis revocatæ colligenda est ex conjecturis, non poterit forsan concludenter probari, nisi probata causa falsæ confessionis. Sed ubi alias ex evidentibus probationibus constat de falsitate confessionis, nihil aliud est necessarium, & confessio non potest nocere.

Sed numquid causa falsæ confessionis est saltem allegan- 28
da? affirmavit enim hoc Angelus apud Farin. *d. q.81.n.345.* sed dicitur, quod hoc licèt sit utilè, ad hoc ut facilius, qui fuit confessus admittatur ad probationem erroris, & ut appareat, quod revocatio non sit ex dolo, & malitia, quam ubi Judex præsumere potest, necesse esse potest ad præsumptionem hanc elidendam allegare, imò & probare causam falsæ confessionis; nihilominus per se loquendo sufficit, si aliundè probetur falsitas confessionis, nec quantum ad tollendum præjudicium, quod sequeretur ex falsa confessione, est aliud necessarium, nisi quod de falsitate constet. Et Judex tenetur confitentem sine fraude, & dolo petentem admittere ad probandam suæ confessionis falsitatem, quæ testibus, aut scripturis authenticis probatur, non verò tormento aliquo; & benè monet Farinac. *num.342.* quod habita probatione falsitatis confessionis, reus non est torquendus tamquam varius, sed aliud ab eo non est quærendum. Unde ille fatuum judicat judicem, qui reum legitimè confessum velit ponere ad torturam, ex quo confessionem revocavit tanquam erroneam.

Quod etiam habet idem Farin. *n.347.* quod scilicet, quod 29
non sufficiat probare errorem, sed necesse sit talem probare, qui non cadat in latam culpam, est cautè considerandum, quia sufficit, si probetur, quod confessio sit falsa; ex quacumque verò causa falsitas proveniat, extrinsecum quid est, & omninò cessat præjudicium, quod ex confessione provenire non poterat, nisi quia vera sit. Quamvis si quis ex malitia aliqua, & dolo falsum dixit, possit puniri quantum hujusmodi malitia postulat, sicut si veritas probata, & excludens falsitatem confessionis consistat in aliquo delicto, pro eo puniri poterit, qui priorem confessionem revocavit: Non tamen poterit affici pœna pro delicto per falsam confessionem asserto. Idem dum etiam Barbosa *n.13.* dixit, quod si falsa confessio proveniat ex dolo restitutio illi non competit, verum erit de beneficio restitutionis, quod non competit doloso. Sed non erit verum de revocatione ratione erroris; quia semper falsum debet rejici.

Probandus est igitur error prioris confessionis ab eo, qui 30
illam revocat; nisi in continenti illam revocet, Fran. *in cap.1. n.2. inf. de accus.* Panorm. *in cap. fin. n.21. sup. de confess.* Dicitur verò, qui confessus est, revocare confessionem incontinenti, nedum si illam revocet antequam Notarius illam scripserit, sed etiam si qui examinatur confessionem revocet, antequam exeat ex judicis conspectu, Carena *in tract. de S. Officio p.3. tit.8. §.11.n.51.* Palaus *tom.1. tract.4. disp.8.p.16. §.1.n.3.* Quamvis in hoc locum habere possit arbitrium judicis, spectata quantitate intervalli inter confessionem, & revocationem, & qualitate facti intricati, Farin. *d. q.81.n.348.*

His stantibus dicitur, quod etiam Ecclesia hac communi 31
via potest confessionem suam detecto errore revocare quandocumque, antequam tamen judicium sit finitum. Est verò certum judicium finiri per sententiam diffinitivam, quæ transiit in judicatum, aut per transactionem, & conventionem partium. Unde si sententia non transierit in judicatum, sed ab ea fuerit appellatũ, potest Ecclesia adversus propriam confessionem se juvare, & pendente causa appellationis detecto errore eam revocare. Lapus, Anchar. *n.*... Butr. *n.1.* Dom. *n.10.* Franc. *n.7.* Barb. *n.16.* Odd. *qu.8.n.34.* Econtra verò si confessio fuit sortita effectum per transactionem, non sufficit probare errorem, nisi simul probetur dolus verus, & non præsumptus, Menoch. *de arbitr. casu 209.n.40.* Seraph. *dec.275.* Rojas *dec.200.n.9.* seu *dec.160.n.11. & 12.p.9.rec.*

Sed dubium est, an judicium dicatur finitum ex eo, quod 32
sit conclusum in causa. Dici enim debere finitum quantum ad præsentem effectum, ut non possit erronea confessio revocari, dicunt Monac. *n.3.* Probus *n.10.* Anch. *n.3.* Butr. *n.4.* & quamplures alii apud Farinac. *p.2. qu.77. à n.257.* Quia post conclusum in causa non potest aliquid sive de jure, sive de facto allegari secundùm Innoc. *in cap. Pastoralis, de caus. possess.* & tenent hîc Arch. & Jo.And. & quia postquam conclusum est in causa non est quæstio facti, sed juris, & omnia dicuntur esse victoris, per Gloss. & DD. sup. *in cap. Significaverunt de testibus*. Et quia post conclusum in causa res dicitur esse notoria, & liquida, & constare Judici notoriè, & manifestè.

Sed alii distinguunt, & dicunt, quod post conclusum in 33
causa, possit explicari confessio non ad instantiam partis, sed ad instantiam judicis, imò quod in summariis, hoc possit fieri etiam ad instantiam partis, alias verò non possit post

con-

conclusum in causa revocari confessio prætextu erroris. Et ita post Butr. *in cap. fin. de confess.* tenet hîc Dom. *n.*8. Addit verò Franc. *n.*8. quod confessio potest revocari in causa, ubi agitur de defensione personæ, aut status, in qua non potest concludi in causa, quia non potest renuntiari probationibus, seu defensionibus, ut voluit Gloss. *in l. Pactum inter hered. ff. de pact.* Et sic tunc post conclusum in causa poterit revocari confessio prætextu erroris, Barb. *n.*19. vult quod post conclusum in causa revocatio confessionis sit suspensa, quia pro tunc non admittitur probatio juxta Gloss. *in cap. Cùm dilectus, v. conclusum, de fide instrum. & in cap. Pastoralis, v. si verò, de causa possess.*

34 Mihi amplectenda videtur sententia Franchi, ut in Criminalibus in quibus agitur contra personam, aut statum personæ, nec detur conclusum in causa ad hunc effectum, nec tollantur probationes, sed dari debeant defensiones, & admitti reus ad revocandam suam confessionem quocunque tempore nedum ante, sed etiam post sententiam per DD. quos refert, & sequitur Farin. *d. quæst.*81. *n.*327. *p.*2. Et quia in his reus non potest irrevocabiliter renuntiare probationibus, & defensionibus. In Civilibus verò considero, quod ad summum post conclusum in causa revocatio confessionis erit suspensa, quia poterit, qui confessus fuit, appellare à sententia, & posteà suam confessionem revocare. Quo stante, esto ad instantiam ejus, qui confessus fuit, vel partis interesse habentis non debeat admitti revocatio, quia per conclusionem in causa partes censentur renuntiasse probationibus, tamen Judex ne det sententiam revocabilem infallibiliter, si postea recusetur erronea confessio, poterit ex officio admittere revocationem erroneæ confessionis, Judex enim debet se informare de negotio nedum quantum partes volunt, sed quãtum veritas postulat. Nam & contra justitiam naturalem est, si Judex proferat sententiam super negotio non plenè examinato, & dubio. Et ideò, quod post conclusionem in causa ad instantiam Judicis admittatur probatio tradit hîc Prob. ad Mon. *num.*9. post Calca. *cons.*64. *n.*22. & Aretin. *in quodam consil, inter consil.* Anch. *sub n.*212. Quod confirmatur *ex cap. Pastoralis, sup. de causa possess.* In quo conceditur Judici, ut post conclusionem in causa proprietatis possit ex justa causa cognoscere causam in possessorio; sic enim apparet, quod post conclusum in causa nihilominus in potestate Judicis est ex justa causa admittere, quæ sibi visa fuerint opportuna ad justam causæ expeditionem.

An verò post præceptum factum in confessum admittatur revocatio confessionis ratione erroris, negant Bald. *in l. Error, C. de jur.* & Butr. hîc *n.*7. existimant enim, quod hujusmodi præceptum habent vim sententiæ diffinitivæ, quę transit in rem judicatam, *ut l. si debitori, ff. de jud. & l. debitori, ff. de re judic.* Sed contrarium sentiunt Gloss. *in cap. ex parte, de verb. signif.* Bart. *in l. Non fatetur,* & Franc. *n.*9. quia præceptum est quædam sententia interlocutoria secundùm Joan. And. & DD. *in cap. Pervenit, & 2. sup. de Appell.* & Innoc. *in cap. 2. sup. de rest. in integ.* Non obstat, quod ex præcepto oriatur actio, vel transeat in rem judicatam, quia etiam ex confessione oritur actio, & ipsa habet executionem paratam, & tamen datur revocatio confessionis ratione erroris. Limitant tamen hoc Bart. & Franc. ut non procedat, si præceptum factum sit post citationem, & terminum assignatum confitenti ad dicendum causam, quare non debeat fieri præceptum, & exequi dicta confessio; quia tunc præceptum habet vim diffinitivæ. Et nihilominus etiam in hoc casu, si confessus appellet à præcepto poterit in causa appellationis confessionem revocare ratione erroris. 35

Not. 1. quod aliquando, quod negatur una via, conceditur altera. Sic enim dum non habet locum restitutio in integrum, valet via communis revocandi confessionem ratione erroris, Gloss. *in v. poterit,* Monac. *n.*1. Ubi tamen una via generalis actu continet aliam specialem exclusus à speciali erit exclusus à generali, Joan. Mon. *n.*2. Jo. And. Butr. *n.*4. Dom. *n.*8. Sed non video hujus dicti rationem. 36

Not. 2. facilius tolli concessum ex privilegio, quàm concessum à jure communi. Facilius enim tollitur restitutio in integrum adversus confessionem, quæ est ex privilegio, quàm revocatio confessionis ratione erroris, quæ est de jure communi, Anch. *n.*2. Butr. *n.*2. Dom. *n.*4. Franc. *n.*3. 37

Not. 3. quod duo isti modi se juvandi adversus confessionem per restitutionem, & revocationem non possunt simul cumulari; sed uno vel altero est utendum, quia remedium extraordinarium non potest cumulari cum ordinario, *l. In causæ la 2. ff. de min.* Butr. *num.*2. 38

D E A R B I T R I S.

Bonifacius Octavus.

C A P U T I.

SI ex tribus arbitris, te duo in decem, & tertius in quinque condemnent: debet sententia prævalere duorum: licèt cùm unus in xv. alius in decem, tertius verò in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de summa minori (cùm in illa omnes concordes existant) sententia efficax censeatur.

SUMMARIUM.

1 *Quis sit arbiter, & arbitrator.*
2 *Intentio textus.*
3 *Regula textus.*
4 *Regula generalis.*
5 *Intelligitur de majori parte absolutè.*
6 *Hoc non procedit in patronis.*
7 *Etiam in aliis Judicibus sententia plurium prævalet.*
8 *An numerus major sumatur etiam respectu absentis.*
9 *Regula extenditur ad plures casus.*
10 *Verificatur in quocumque numero.*
11 *Secunda pars regulæ textus.*
12 *Opponitur regulæ.*
Major pars continet minorem.
13 *Hoc non verificatur si major negativè exprimitur.*
14 *Nec adaptatur contractibus.*
Consentiens in majorem partem consentit in minorem, ut est pars majoris.
15 *Substituens aliquem si decedat filius infra quartum decimum annum, si substituit alium in casu, quod filius decedat infra decem annos, non comprehendit nisi annos qui à decimo currunt usque ad quartum decimum.*
16 *Qui damnat reum in decem, damnat illum in quinque.*
17 *Regula continet vim legis positivæ.*
18 *Regula non ligat alios Judices, nec omnes arbitros.*
19 *Verificatur de arbitris in quocumque numero.*
20 *Etiam si plures arbitri protestentur se non consentire in summa minori.*
21 *Quid de æstimatoribus melioris rei alicujus?*
22 *Quid de arbitris condemnantibus ad aliquid, & non absolventibus à residuo.*
23 *Testes concordes de toto probant partem.*
24 *Secus si sint discordes.*
25 *Si tamen respectu ejusdem rei deponant, ut de ejusdem rei valore testes discordes censentur concordes in minori summa.*
26 *Et quid si aliqui deponant in minori summa per exclusionem majoris.*
27 *Et quid si sunt discordes in tempore?*
28 *Et quid si discordes in numero fructuum collectorum?*
29 *Et quid quando testes inducuntur ad probandum aliquod generale.*

ARbiter dicitur is, qui de partium consensu eligitur, & in eum sub pœnæ stipulatione compromittitur, *cap. A judicibus 2. qu.6. & §. seq.* Et ibi Turrecrem. Specul. *tit. de arbitr. §.1. n.1.* Jo. Mon. *in hoc rubr. num.*3. Duplex verò est 1

genus

genus arbitrorum cùm alii dicantur arbitri juris, qui lege mandante in aliquibus casibus eliguntur, & de quibus multa dicta sunt *sup. cap. Si contra unum* 14. *& cap. Ab Arbitris* 11. *de off. deleg. in hoc lib.* Alii sunt arbitri compromissarii, qui liberè à partibus eliguntur. Et à quibus non appellatur. De istis verò arbitris compromissariis maximè est sermo in hoc tit. secundùm Jo. Mon. *num.* 3. Distinguitur etiam arbiter ab Arbitratore secundùm Bald. *de Arbitris* post Specul. *eod. tit.* quia arbiter est bonus vir electus super lite cognoscenda, & tandem sententialiter dirimenda. Arbitrator autem est bonus vir, & amicabilis compositor electus super lite transigenda, & ad concordiam via æquitatis inter partes inducenda. Inter arbitrum autem, & arbitratorem viginti differentias ponit, Silvest. *verb. Arbiter*, quæ apud ipsum videri possunt.

2 In prima autem parte hujus decretalis reprobari opinionem Specul. *tit. de arbitr.* §. 7. *& not. in princ. n.* 1. & in secunda parte reprobari notata per Acurs. *l. Diem*, §. *si plures*, *ff. eod. tit.* advertit Gloss. sed Speculator sibi ipsi contradicit, quia *n.* 1. vult, quod arbitris condemnantibus aliquem in decem marchis, si unus ex eis condemnet illud in quinque solidis, sententia ejus tenebit, & trahet alios omnes ad se. Quod est cōtra primam partem textus hujus, ut ibi Jo. And. advertit. Sed statim post *n.* 2. ait, quod in absolvendo, & condemnando stabitur majori parti. Et *nu.* 4. quod ubi sunt tres arbitri valet duorum sententia præsente tertio, licèt dissentiat. Ut igitur appareat cui sententiæ standum sit, quando arbitri sunt discordes, sive ex illis aliqui conveniant, sive omnes discordent Pōtifex regulam bimēbrem tradit, & decernit.

3 Quod si ex tribus arbitris duo condemnent in decem, & tertius in quinque, debet prævalere sententia duorum. Sed si unus in 15. & alius in 10. & tertius in quinque, prævalebit sententia illius, qui dixit in minori summa, quia in ea omnes concordant.

4 Hìc textus est unus ex illis, in quibus casus in eo positi sunt exemplariter, & ut intelligatur idem dicendum in omnibus similibus cùm & ratio determinationis illorū sit universalis, & ut talis sit intenta, & adducta. Sic igitur ex prima parte textus habetur hæc regula universalis, quod in arbitris si discordent, standum est sententiæ majoris partis, si major pars consentit.

5 Cùm verò pars dupliciter possit dici major, scilicet, absolutè, quia nimirum est major medietate, vel comparativè, quia licèt sit, vel sola medietas, vel minor medietate, & sic non sit major respectu totius, est tamen major comparativè ad alias partes, Spec. *in tit. de sent. prolatione*, §. *Iusta*, *v. Quid si sint*, voluit attendendam esse majoritatem comparativam, & sic si ex decem arbitris, quinque pronuntient ad favorem unius, & quatuor pro alio, & unus pro alio, tenet sententia ipsorum quinque, qui sunt major pars comparativè ad quālibet aliarum partium. Sed oppositum est verum; quando enim plures arbitri electi sunt simpliciter, omnes eliguntur, ut simul sint tamquam unus, & ex consequenti, ut vel omnes consentiant, ac si essent unus, vel saltem consentiat major pars illorum, ut sic eorum sententia censenda sit, ac si esset sententia omnium, quia quod fit à majori parte ab omnibus censetur fieri. Et propterea in electione necessarius est consensus omnium, vel majoris partis, ut hoc modo electus à toto capitulo sit, vel censeatur electus. Ideò in casu suprà posito nulla etiam est sententia illorum quinque, quia illi non sunt major pars undecim, ut hic docent Lap. Jo. Andr. Anch. Butr. *num.* 6. Domin. *num.* 7. Franc. *num.* 1.

6 Dicunt verò Lap. Butr. Dom. & Franc. Arch. *in cap. Vicena* 11. *dist.* Jo. And. *sup. cap.* 3. *de jurepatr.* aliud esse in Patronis, quia in illis prævalet consensus majoris partis comparativè ad alias partes, quia plures patroni non habentur loco unius, nec concurrunt ut partes unius corporis, cui primatio competat præsentare, sed illorum quilibet de per se habet jus separatum; unde ubi sunt plures sunt plura jura, & majora, & propterea vincunt. Si tamen patroni præsentent ut partes unius collegii non sufficit, quod conveniat major pars cōparativè ad partes minores, sed requiritur major pars absolutè, seu respectu totius, quæ est pars major medietate.

7 Et quod hic dicitur de arbitris verificatur de omnibus judicibus, tam ordinariis, quàm delegatis, & de omnibus officialibus, non tamen ex vi hujus decretalis, quæ de solis arbitris loquitur, sed *ex l. duo ex tribus* 39. *ff. de re judic.* & ut semper servitur hęc regula, quod quando plures ad agendum concurrunt per modum unius, seu ut partes collegii, aut universitatis actus non valeat, nisi sit ab omnibus, vel ab eorum majori parte, ut hic notat Franc.

An verò major hic numerus sumendus sit cōputatis etiam 8
omnibus absentibus, Franc. remittit ad Feder. de Sen. *cons.* 62. *&* 142. & Lap. *alleg.* 78. *&* 88. Sed inspiciendum est, an actio spectet ad præsentes tantùm, vel etiam ad absentes, & videri possunt, quę dixi *in tr. de elect. c.* 11. *de vocandis ad electionem.*

Extenditur verò regula ad plures alios casus. Ut si duo 9
condemnent Titium in minori summa, & tertius eum condemnet in majori. Vel si duo condemnent Titium, & tertius illum absolvat. Vel si duo pronuntiant, & tertius pronuntiare nolit. Vel si duo dent terminum trium mensium, & tertius unius mensis. In his enim & similibus casibus semper majoris partis arbitrum sententia valet, Gloss. *in v. si ex tribus*, Specul. *eod. tit.* §. 7. *num.* 2. *&* 3.

Quod verò dicitur de numero trium arbitrorum intelli- 10
gitur de quocumque alio, ut si sint quinque, vel sex, vel novem, vel in quocumque alio numero, semper sententia data à majori illorum parte prævaleat, Jo. Andr. Anch. Butr. *n.* 1. Dom. *num.* 3. Franc. *num.* 1.

In secunda parte regulæ principalis decernitur, quod ubi 11
ex tribus arbitris condemnantibus in aliqua summa omnes discordent, prævaleat sententia illius, qui condemnavit in minori summa, quia in illa minori omnes conveniunt cùm minor numerus continetur in majori, & sic standum est sententiæ, quæ est omnium communis. Ita habetur etiam *l. Inter partes* 38. *ff. de re judic.*

Opponi autem potest primò contra hanc regulam. Nam 12
licèt major numerus contineat minorem, non sequitur inde quod consentiens in majorem numerum consentiat in minorem. Nam si vendo equum pro pretio viginti scutorum, non consentio, ut illum dem pro decem scutis. Pariter si si quis debeat decem scuta, si petente creditore viginti, ipse interrogatus, & jurare jussus, juret, quod non debet viginti non est perjurus. Item obstat *l. ex facto*, §. 1. *ff. de vulg. & pupil.* ubi si Pater filio impuberi substituat Titium, si filius decidat infra decimum annum, & substituat Mævium, si filius decedat infra quartum decimum, si contingat filium mori infra annum octavum solus Titius succedit, licèt filius mortuus infra octavum sit mortuus etiam infra quartum decimum annum.

Probus ad Monachum ait, quod propositio ista, scilicet, 13
quod in majori summa minor inest, non verificatur in contractibus onerosis. Et addit Anch. *in fin.* quod neque verificatur, ubi major pars exprimitur negativè, & ideò ei, qui vendidit equum pretio quinquaginta scutorum, danda sunt totidem, & qui cùm sit debitor decem aureorum juravit non debere viginti, non est perjurus. Et sine dubio distinguuntur consensus in majorem partem, & dissensus, quia cùm negatio destruentis sit naturæ, ad destruendum verò totum sufficiat cujuslibet partis ablatio, nullius partis determinatæ ablatio est de ratione ablationis totius, nec est illi connexa, quia qualibet ablata integritas totius est destructa; ideò negatio totius non includit negationem hujus, vel illius partis determinatæ, & sic stat, quod qui non vult dare hanc, vel illam partem, & pariter qui negat se debere integrum, non per hoc negat se debere partem, unde benè dicitur, quod major pars, negativè significata non comprehendit minorem.

Sed ad ponendum totum quælibet illius pars est necessaria, 14
quia quælibet est de ratione totius, & ideò major pars affirmatione significata comprehendit minorem. Et nihilominus voluntas totius non est voluntas partis, nisi ex parte, & quatenus ipsa est pars totius, non verò ut est in se aliquod totum separatum, & à toto disjunctum. Ideò ei, cui totum debetur, simul debetur pars, sed non sufficit, si ei detur pars tantùm, quia consensus in totum, non est consensus in partem, ut est quid totum separatum, & à majori toto disjunctum. Et quia in contractibus conventio est de integra summa, & qui contrahit, sic vult partem, quod vult illam partem omnibus aliis partibus unitam, ideò vult integram summam, nec sufficit si detur illi pars. Et semper ubi consensus est respectu majoris partis, ut est quoddam totum, sic ex minori integratum, quod ab ea distinctum, consensus non est in partem minorem tantùm, & sic licèt major pars comprehendat minorem nō satisfit consentienti, si sola minor pars ponatur.

Quod autem adducebatur *ex d. l. ex facto*, non applicatur, 15
nec probat. Quia qui duas substitutiones facit, & vult quod filio decedenti infra decennium succedat Titius, & decedenti infra quartum decimum succedat Mævius, restringit utramque successionem, & facit quoque, licèt intra quartum decimum

mum annum, sit annus octavus, non tamen jus succedendi respicit quemcumque annum, qui sit intra quartum decimum, sed solùm qui sit suprà decimum, & infra quartum decimum, Jo. Andr. Anch. Butr. *n.*3. Dom. *n.*6. Franc. *n.*3.

16 Verum ad intentum nostræ regulæ sufficit, quod consensus in majorem partem contineat consensum minoris partis tamquam partis totius, sic enim consentit in minorem quantitatem secundùm substantiam illius. Et sic enim verum est, Arbitros tres, quorum unus damnavit reum in 15. & alius in decem, & alius in quinque concordare in quinque licèt discordent in excessu, Barbos. *n.*3. Et ideò omnes facere debitorem, & obligare reum ad solvendum quinque, licèt discordent in excessu. Quod sufficiens fuit ad hoc, ut lex ad fugiendam longitudinem litium decerneret, quod valeat, & efficax censeatur Arbitrorum sententia, ut obligans ad quinque, & universaliter efficax censeatur sententia arbitrorum, ut obligans ad minorem partem, & lis sit finita.

17 Neque enim hæc sententia ex natura rei valet, & habet efficaciam, sed potius ex natura rei nulla esset, tanquam data à discordantibus Arbitris, sed efficaciam habet ex lege positiva sic decernente ob bonum publicum, & ut lites dirimantur, & finem habeant.

18 Colligitur hinc primò, quod regula hujus textus non ligat alios judices, imò nec arbitros in causis indivisibilibus, sed solùm in causis pecuniariis vel similibus, in quibus agitur de summa majori, vel minori victori in lite ad judicanda. De Judicibus verò Ordinariis si diffideant, servanda sunt sancita *in l. inter pares* 38. *de re jud. & sup. eod. tit. cap. ult.* & à Judicibus delegatis, quæ ordinata sunt *eod. cap. ult. & l. Duo Judices* 28. *& l. Duo ex tribus judicibus* 39. *eod. tit.* De arbitris autem servanda erunt statuta *sup. in cap. fin. de appellat.*

19 Cæterùm loquendo de arbitris regula verificatur in quocumque numero sint arbitri, sive scilicet sint plures, quàm tres, sive sint duo tantùm. Nec obstat quod quando arbitri sunt discordes eligendus sit tertius; quia hoc verificatur quando sunt contrarii, ut si unus damnet, & alius absolvat; Specul. *tit. de arbit.* §.7. *n.*1. In nostro autem casu non sunt omninò contrarii, cùm conveniant in adjudicanda minima quantitate, Anch. Butr. *n.*1. Dom. *n.*4. Fr. *n.*2. Additur verò, quod in hoc casu adest specialis lex hujus textus, quæ servanda est, & per quam jubetur, quod ubi in cōdemnando ad pecuniariā obligationē arbitri fuerint omninò diversi, efficax sit sententia illius, qui ad minorem quantitatē condemnavit.

20 Limitatur verò regula multipliciter de mente aliquorum. Et quidem primò si judex, qui in majori summa scilicet in decem condemnavit, protestetur, quod non intendit condemnare in minore summa, scilicet quinque, & quod pro illa summa minore non consentit, in eo casu sententia lata pro quinque non tenebit, Franc. hìc *n.*3. & Bald. & Imola *in l.*1. §. *si stipulanti, ff. de verb. obligat.* sic enim potest fieri, quod minor numerus non contineatur in majori, sicut id facere potest testator, ut dictum est *sup. n.*13. Sed dicitur, quod non est volentis arbitri, quod minor numerus non contineatur quinque. Neque exemplum de testatore est simile, neque enim in dato exemplo testator fecit, ut minor numerus, non contineretur in majori, sed ipse limitavit voluntatem suam ad partem majoris numeri, & non voluit totum numerum, noluit enim, quod Mævius succederet universaliter infra annum quartumdecimum, sed solùm ab anno decimo ad quartumdecimum. Non ergo admittitur limitatio, sed ex vi regulæ nostræ valet sententia pro minori quantitate, nimirum pro quinque, etiam si Arbiter protestetur, quod intendit, quod non sufficiant quinque, sed quod non valeat sententia data pro quinque, quia non potest facere, quod decem non comprehendat quinque Gloss. *in v. de summa majori.*

21 Limitatur secundò, ut regula non habeat locum in Arbitratoribus, vel arbitris electis ad declarandum pretium, vel mercedem, seu super æstimatione alicujus rei, quia in his arbitrorum diversitas vitiaret in totum, quod agitur, Bald. *in l. si decem, ff. locati, & l.* 1. *C. de sentent.* Franc. *n.*3. Sed certè lex illa *si decem* ad rem non facit, cùm illa non de æstimatione arbitrorum, sed locantis, & conducentis loquatur. Unde limitatio ex illa non subsistit. Item in casu cogitandum esset, an limitatio admitti deberet.

22 Limitatur tertiò, ut tunc solum verificetur regula, cùm arbiter, qui judicavit in minori sūma absolvit reum à residuo. Aliter enim si in residuo non absolvisset, aut de residuo nihil dixisset, sententia esset ipso jure nulla, cùm non possit valere pro parte, quando capitula non sunt separata, *ut per l. quid tamen, ff. eod. tit. de sent. prolatione, §. Qualiter, v. Quid si peto,* Bald. *l.*2. *C. de re judic.* Anch. Butr. *n.*5. Franc. *n.*3. De quo tamen videndi sunt Doctores, & Gloss. *in l.*1. *C. si adversus rem*, Jo. And. *in c. cùm inter, sup. de re jud.* Feder. *cons.*262.

Occasione eorum, quæ hìc dicuntur de arbitris, quærunt 23
hìc Canonistæ, quid dicendum sit de testibus de majori, vel minori summa deponētibus, & an in materia testium major pars censeatur continere minorem. Et quidem ubi testes sunt contestes dicendum est, quod in testibus procedit argumentum de toto integrali ad partem. Ut si formavi articulum de possessione partis, & testes contestes deponunt de possessione totius manet articulus probatus. Et similiter si feci articulū de quinque, & testes deponunt de decem. Item si formavi articulum, quod Titius relinquit mihi mobile, & testes deponant, quod reliquit totam hæreditatem. Et ratio est, quia ubi conceditur, seu probatur unum, ad quod aliud necessariò sequitur, simul censetur concessum, & probatum illud, quod ad concessum sequitur necessariò, *per reg. in toto, & regul. Plus, inf. de reg. jur. & l. si quis cum totum, ff. de except.* Franc. hìc *num.*4. Bald. *in l. Conventiculam, circa fin. C. de Episcop. & Cler.*

Sed si testes non sunt contestes, nec concordes, sed unus de- 24
ponit de toto, & alius de parte, nimirum unus de decem, alius de quinque; tunc non sunt censendi concordes etiam in minori summa, quia diversitas summarum infert ad pluralitatem contractuum, & dispositionum, & sic ad hoc, ut summæ censeantur plures, & totales, *l. Quinquaginta, ff. de prob. & l. cùm centum, ff. de ad.* 1. *leg. & in cap. Abbate, inf. de re jud.* Et ideò hujusmodi testes non sunt in minori summa cōtestes, & concordes, sed singulares, unde non probant, nec minorem summam, nec majorem, Jo. And. hìc, & Anch. Butr. *n.*2. Fr. *n.*4. Gloss. *in l. Diem proferre, §. si plures, ff. eod. tit.* Arch. *cap. Nihilominus* 3. *qu.*9. Bald. *in l. testium in* 5. *col. C. de testibus.*

Sed ubi agatur de eadem re individua, & sensibus exposi- 25
ta, ut de valore unius rei, si testes sint discordes, & unus dicat, quod valet quinque, & alius quod valet decem, tunc testes sunt concordes, & contestes in minori summa, nimirum in quinque, & illam probant. Quia tunc diversæ summæ nō inferunt ad diversos contractus, quia respiciunt eamdem rem, & sic sunt contestes de eadem re, & ex consequenti de eadem summa minori, quia omnes fatentur, quod res illa valet quinque, licèt venus velit, quod etiam plus valeat, Anch. hìc, Franc. *n.*4. Imola, *l. inter pares, ff. de re judic.*

Ubi etiam agitur de ejusdem rei æstimatione, si testes dis- 26
cordent, & aliqui dicant, quod non valet, nisi quinque, & nō amplius, alii verò, quod valet decem, Gloss. *in d. §. si plures*, vult, quod inhærendum sit testibus affirmantibus, quod res valet decem, quia magis inhærendum sit duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus. Sed dictum hoc, Gloss. non potest verificari in casu, in quo negativa potest cadere sub sensu testium, sicut in hoc casu, in quos res sub oculos ponitur, & testes periti ex visis possunt judicare præcisè quantum res valeat; & ideò in hoc casu standum est regulæ generali, ut major pars testium prævaleat, per not. *in l.* 1. *ff. de ven.* & si testes sint numero pares, censendum sit omnes convenire in minori summa, ut tradit hìc Anch. nisi ut addit Franc. testes essent inæquales in qualitate, & alii essent digniores, & peritiores, aut verisimiliora deponerent, & sic eorum testimonium esset adminiculatum.

Si autem agitur de probando tempore, ut si volo probare, 27
quod possederim per decem annos, & induco tres testes, quorum unus deponit de 15. & alius de decem, & alius de quinque, Jo. And. hìc, & Arch. *in cap. Nihilominus* 3. *qu.*9. tenent, quod nihil probent. Sed hoc non est universaliter verum. Et fallit primò, si testes deponunt expresè de eodem tempore, nimirum si unus dicit, quod possedi à 15. annis citra, & alius à decem, & alius à quinque, nam isti de eodem tempore deponentes sunt contestes in minori summa, & sic probant Dom. hìc *n.*5. Franc. *n.*4. Fallit secundò, si testes absolutè deponunt, non verò de initio possessionis, si enim unus dicat, quod incœpi possidere à 15. annis, & alius à decem annis, & alius à quinque annis. Tunc enim testes in hoc initio discordant, & sunt singulares, & non probant initium. Et sic si isti testes inducerentur ad probandum initium possessionis non probarent. Sed tamen probarent possessionem simpliciter in minori parte temporis, quia in hac omnes concordant, licèt discrepent in initio, vel excessu durationis, Franc. *d. n.*4. Et similiter contestes essent in minori summa, si simpliciter unus diceret quod, & possedi per 15. annos, & alius per decem,

decem, & alius per quinque, ut idem Franc. advertit.

28 Et eadem ratione si inducerentur testes ad probandam possessionem rei simpliciter, si testes deponentes de possessione variarent in numero fructuum dicente uno, quod collegi 15. corbas, alio decem, alio quinque essent concordes in possessione probanda, & in recollectione minoris summæ, sunt enim contestes in substantia ejusdem rei. Et idem est, si unus diceret, quod collegi decem corbas frumenti, & alius quinque ordei, Franc. *n.4.* & Glossa *in d. §. si plures*.

29 Idem quoque dicitur, si testes inducuntur ad probandum aliquod universale, puta ad probandum jus decimandi, aut exercitium jurisdictionis. In his enim casibus singularitas testium non nocet, Anchar. hic *n.1.* Butr. *n.5.* Franc. *num.4.* Jo. Andr. *in cap. Qualiter*, & ibi per Imol. *sup. de probat.* Speculat. *in tit. de testam. §.12. num.3. & 12. tit. de inquisitione, §.1. vers. Quid si unus*, Imola *in d. l. 1. §. si stipulanti, & d. l. Inter pares*. Vide Farinac. *in praxi quæst.64. à n.150.* & Barb. *sup. cap. In omni negotio, de testibus*. Quod tamen explicant Anchar. & Franc. ut non procedat si unus testis allegaret alium contestem, ut si unus testis diceret vidisse Titium colligentem decem corbas tritici præsente Petro, & Petrus diceret de ordeo, vel de quinque corbis. In hoc enim casu discordes essent, & singulares, & varii, & non probarent, quia variè de eodem actu deponerent.

D E A R B I T R I S.

Idem Bonifacius Octavus.

C A P U T II.

UT quæstionibus (quæ plerumque propter arbitrorum voluntariam seu malitiosam absentiam remanent indecisæ) finis celerius imponatur: Statuimus, ut si ex tribus arbitris à partibus electis eorum aliquis ab aliis legitimè requisitus ad examinandum vel diffiniendum unà cum eis negotium, super quo in ipsos extitit compromissum, non curaverit (cessante impedimento legitimo) convenire: duo præsentes, penes quos (licèt lex civilis aliud innuere videatur) totalem, eo casu remanere decernimus potestatem, possint (malitiosa seu voluntaria illius absentia non obstante) dictum examinare negotium, & liberè diffinire, sicut possent illo præsente, nec volente cum eis in unam sententiam concordare: ut sic ipsius absentia præsentia repleta divina, eum reputari faciat pro præsente. Circa judices verò antiqua jura nolumus immutari.

S V M M A R I V M.

1 *Intentio Pontificis in edenda decretali.*
2 *Regula textus.*
3 *Arbitri non sunt Iudices propriè, licèt arbitria illorum ad instar judiciorum redacta sint.*
4 *Regula habet locum in Arbitratoribus.*
5 *Et in Arbitris juris.*
6 *Arbitri multis modis eliguntur.*
7 *Arbiter absens non potest vices committere.*
8 *Regula intelligitur de arbitris electis simpliciter.*
9 *Non habet locum si compromissum requirat, ut omnes conveniant.*
10 *Si adest clausula,* ut unus possit sine alio, *non est necessaria alterius præsentia.*
11 *Regula verificatur etiam si Arbitri sint plures, quàm tres, non si sint duo tantùm.*
12 *Tertius absens debet vocari.*
13 *Et debet vocari ad quemcumque actum.*
14 *Absente impedito alii non possunt procedere.*
15 *Tertio nolente adesse, vel præsente, & tacente, duo rem definiunt.*
16 *Differentia inter antiquorum sententiā, & hanc decretalē.*
17 *Differentia inter jus civile, & hanc decretalem.*
18 *Ius civile servandum in terris Imperii.*
19 *Decretalis ista servanda ubique in foro Ecclesiastico.*
20 *Sex casus, in quibus lex Canonica obligat ubique.*
21 *An obediendum legi Civili contraria sanctis Patribus.*
22 *Tertio Arbitro mortuo nullum est compromissum.*
23 *Duorum Arbitrorum sententia debet esse concors.*
24 *A sententia Arbitrorum an appelletur.*
25 *Duorum sententia non valet, si alter est inhabilis.*
26 *Nullum est laudum si competentibus addatur incompetens.*
27 *Regula textus non procedit in Iudicibus.*
28 *Ratio istius differentiæ.*
29 *Iudex debet procurare finem litium.*
30 *Arbiter unus alium requirit.*
31 *Arbiter non citat testes.*
32 *Arbitri debent simul pronuntiare, nec valet consensus antecedens, vel subsequens.*

1 **P**Erplexitates antiquorum opinantium circa facultatem Arbitrorum judicandi, & sententiandi, si ex eis aliquis esset absens, aut judicare nollet, tollit hæc Decretalis, ut Jo. Andreæ Gloss. advertit. Volens igitur Pontifex finem ponere quæstionibus, quę plerumque propter Arbitrorum voluntatiam, aut malitiosam absentiam manent indecisæ, sequentem regulam dedit, & statuit, quod

Si ex tribus Arbitris unus nolit examinando, vel definien- 2
do negotio interesse, duo procedere poterunt, ac si ille præsens esset, ita tamen, ut circa Judices antiqua jura serventur.

Non ergo Judicibus, sed arbitris lex ista datur; unde etiam 3
colligitur, quod jura loquentia de arbitris non comprehendunt Judices; Arbitri enim propriè non sunt Judices, licèt eorum arbitria ad instar judiciorum redacta sint, *ut in l. 1. ff. eod. tit.* Et ideò sicut ex sententia judicis dicitur causa decidi, & finis imponi, *l. 1. ff. de re jud.* ita & ex sententia arbitrorū, unde & ex eorum sententia orietur exceptio litis finitæ, de quo *inf. cap. 1. de lit. contest.* ut notat Franc. *n.1.* Dom. *n.2.*

Distinguuntur verò arbitri ab arbitratoribus, & arbitrorū 4
alii dicuntur arbitri juris, & alii compromissarii. An verò regula habeat locum in omnibus istis, Franc. *n.2.* ait, quod de arbitratoribus, Bald. *in l. Item si unus, §. si tres, ff. eod. tit.* videtur tenere, quod sic. In oppositum tamen est, quod arbitratores non sunt arbitri. Sed dici potest, quod nomen arbitri communiter sumptum, & generaliter comprehendit etiam arbitratores, & quod nomen arbitri hìc sumatur cōmuniter, cùm militet eadē ratio, tā in arbitratoribus, quàm in arbitris.

Non comprehendi verò sub regula Arbitros juris volunt 5
Dom. *n.7.* & Franc. *n.2.* cùm hujusmodi arbitri accedant ad naturam Judicum delegatorum potius, quàm Arbitrorum, ut notatur *in cap. Ab Arbitris, sup. de off. deleg. in hoc lib.* Verùm quia hujusmodi arbitri substantialiter arbitri sunt, & non Judices; licèt enim eligantur ex necessitate legis, eliguntur tamen quantum ad determinationem personarum liberè à partibus, nec habent jurisdictionem, aut aliam aliquam facultatem, nisi quam tribuunt partes eligentes, ideò propriè arbitri sunt, non verò Judices, & ex hac regula judicium illorum dirigi debet, ut volunt Jo. And. & Butr. *n.1.* Nam & in istis locum habere potest inconveniens, quod lex ista vult impedire, scilicet, quod per horum arbitrorū voluntariam, & malitiosam absentiam causæ remaneant indecisæ. Item ut habet Gloss. *in fin.* Ratio, ob quam jus providit hoc in arbitris, & non in judicibus est, quia arbitri eliguntur à partibus, hoc verò competit etiam Arbitris juris.

Hujusmodi verò Arbitri multipliciter eliguntur, ut notat 6
Franc. *n.3.* Vel enim eliguntur simpliciter nulla adjecta clausula, vel aliquando cum clausula, *quæ multiplex esse potest*. Nam aliquando eliguntur cum clausula. *Quod si non omnes* de qua dictum est suprà *cap. Prudentiam, de off. deleg. & cap. si contra unum eodem tit. in hoc lib.* Aliquando ponitur clausula

vos,

vos, vel aliquis vestrum, &c. de qua suprà *cap. Cum plures de officio Delegati in hoc libro*. Distinguuntur verò, quia ubi compromissum fit cum clausula *vos, aut aliquis vestrum*, arbitri sunt electi insolidum, & quilibet illorum sine aliis judicare potest, prout de delegatis datis cum simili clausula, dictum fuit *d. cap. Cum plures*. Sed ubi compromissum factum fuit cum clausula, *quod si non omnes, &c.* tunc uno, vel pluribus ex arbitris electis impeditis, alii, vel alius non impeditus judicat, ut de Judicibus dicitur *in d. cap. Prudentiam, & in d. cap. Si contra unum*. Aliquando verò fit compromissum in plures simpliciter, & tunc non potest unus arbitrorum sine alio judicare, sed omnes simul convenire debent, & litem examinare, & definire.

7 Quod adeò strictè intelligendum est, ut nec unus possit alium subdelegare, eique vices suas committere. Cùm enim subdelegare, nec sit permissum delegatis ab inferioribus Judicibus, solumque delegatus à Principe subdelegare possit, multò minus subdelegare potest arbiter, qui facultatem suā habet à personis privatis, ut post Gloss. *in l. si in tres, ff. eod. tit.* advertit Franc. *n.* 3. Censetur enim electa industria personæ.

8 Regula nostra non loquitur de arbitris electis cum aliqua ex præfatis clausulis, quia si sunt cum clausula *vos, aut aliquis vestrum, &c.* unus potest sine alio judicare, etiam illo non requisito. Si verò cum clausula, *Quod si non omnes, &c.* Unus alio requisito, & nolente convenire potest litem sine illo definire. Et sic in nullo horum casuum est opus regula hujus textus. Quæ propterea ut notant Gloss. & Archid. & Mon. *n.* 1. intelligitur de arbitris electis simpliciter, quorum nullus de jure antiquiori poterat sine alio negotium expedire. Per regulam autem istam reducitur omne compromissum simpliciter factum, ad compromissum factum cum clausula, *quod si non omnes*, ut ubi impedimentum sit voluntarium, arbitri etiam si simpliciter electi sic omnes adesse debeant, ut tamen si ex illis aliquis nolit adesse, possint alii eo requisito, & venire nolente causam expedire.

9 Et tamen adhuc limitatio locum habet, quia si compromissum sit datum cum clausula expressa, *ut omnes conveniant*, vel *ut omnes debeant esse concordes*, unus sine alio etiam malitiosè nolente adesse nec negotium cognoscere non potest judicium exercere, & causam cognoscere, aut definire; potestas enim arbitri ex compromisso dependet, *ut in l. Non distinguemus, §. de officio, & in l. Cum dies, §. si quis litigatorum, ff. eod. tit.* Si ergo in compromisso expressè ponatur, quod compromissum non valeat, nisi singuli arbitri simul negotium cognoscant, vel nisi omnes arbitri fuerint concordes, si aliter fiat, sententia est nulla.

10 Sicut econtra, si in compromisso ponatur, quod unus possit procedere alio non requisito, id validè fieri poterit. Nec obstat, quod tenet Specul. *tit. de arbitr. §. Excipitur, ver. penult. & vers. Sed pone*, videlicet, quod licèt in compromisso sit actum, quod arbiter possit procedere partibus absentibus, nihilominus est necessaria citatio ad sententiam, nisi & illi sit expresse renuntiatum. Quia ubi arbitri dati sint in solidum non est necessaria requisitio, ut de delegatis datis in solidum patet *ex cap. Cum plures*, & ibi not. *sup. de off. deleg. in hoc lib.* Nec est eadem ratio de citatione partium ad sententiam, quæ est de naturali jure necessaria. Quamobrem Regula ista data est pro eo casu, in quo compromissum sine aliqua ex præfatis clausulis sit simpliciter datum.

11 Exemplariter autem textus loquitur, dum de tribus hujusmodi arbitris simpliciter electis casum explicat, regula enim locum habet etiam ubi arbitri essent quatuor, vel quinque, vel in alio majori numero. Dummodò tamen qui remanent, & sunt præsentes sint major pars, & minor, quæ abest. Ideò regula non potest verificari, ubi arbitri electi sint duo tantùm, quia uno volente interesse, non remanet major pars, quæ de negotio judicare possit. Textus autem ex hoc posuit casum in duobus arbitris remanentibus, & tertio absente, seu nolente convenire, quia nō intendit, quod locum habeat regula, nisi major pars saltem remaneat, ut simul adsit causæ, ut notant Jo. And. Butr. *in princ.* Dom. *n.* 7. Franc. *n.* 6.

12 Ut verò regula locum habeat, necesse est, ut duo, vel major pars arbitrorum tertium, vel minorem partem absentem requirat, ut ad causam expediendam veniat. Sic enim & in delegatis fieri mandatum fuit *cap. Prudentiam, de off. delegat.* Una tamen requisitio sufficit. Videantur notata *sup. cap. si contra, de off. deleg. in hoc lib.* Ubi tamen in compromisso sit limitatum tempus ad terminandam litem, & essemus in ultimo die, existimat Franc. *n.* 3. quod non sit necessaria absentis arbitri requisitio, quia ultima dies interpellat, ad quod facit, *l. Item illa, ff. de const. pec.* Verùm quia, & dies ultima habet latitudinem horarum, non possent alii arbitri de mane anticipatè judicare illa ultima die alio non requisito, an si esset in loco ubi commodè posset requiri. Videantur, quæ in simili de vocandis ad electionem dixi *tr. de elect. c.* 21. *q.* 10. *&* 11.

13 Verùm quia in alternativis sufficit unam partem accipere, *cap. In alternativis, inf. de reg. jur.* Cùm textus alternativè loquatur, & dicat *ad examinandum, vel definiendum*, videri posset, quod arbiter absensus licèt non esset vocatus ad examinandum, sufficiat si vocetur ad definiendum. Sed hic non est sensus textus, sed quod absens requisitus ad examinandum, vel ad definiendum, si venire nolit, possint alii arbitri expedire illum actum, ad quem absens arbiter convenire noluit, sive hic actus sit examen, sive sit causæ definitio. Ideò Gloss. *in v. liberè* vult, quod qui requisitus noluit adesse ad examinandam causam debeat requiri ad eam definiendam; & ut advertunt Dom. *n.* 9. & Franc. *n.* 6. Absens arbiter requiri ad quemcumque actū, nisi ubi requisitus ad aliquem actū responderit, quod non vult de illa causa se intromittere. Hac enim universali responsione accepta poterunt alii arbitri ad ulteriora procedere illo arbitro amplius non requisito.

14 Distinguit verò textus inter absentem impeditum, & voluntarium, & si sit justo impedimento detentus, non dat facultatem duobus arbitris procedendi sine illo, & in hoc datur limitatio ejus, quod competit Judicibus dati cum clausula, *quod si non omnes, &c.* qui procedunt in causa absente judice impedito. Sed arbitris simpliciter datis licèt concedatur facultas procedendi sine absente, si ille requisitus noluerit interesse, secus tamen si sit legitimè impeditus. De quo impedimento, ut notat Anch. constare debet, vel per literas ejusdem absentis arbitri, *ut in cap. Prudentiam, de off. deleg.* Vel quia pars aliunde id probet, ut advertit Glossa. Videantur dicta suprà *cap. Cum plures, de off. deleg. in hoc lib.*

15 In casu verò, quod absens requisitus nolit interesse examini, aut expeditioni causæ. Vult Pontifex, quod omnis authoritas maneat apud Arbitros duos ex tribus, vel universaliter ad majorem partem arbitrorum, qui possint negotium examinare, & definire, sicut possent, si ille esset præsens, & nollet cum eis in unam sententiam convenire. Vult igitur, quod sententia duorum tamquam sententia majoris partis valeat, & sit efficax, & quod absens voluntarius haberi debeat pro præsente. Ex quo aliqui colligunt, quod in arbitris sufficit si tertius arbiter sit præsens, dum alii duo pronunciant, & quod ubi sit præsens, & taceat, valeat sentētia duorum. Quod quidem verum esse plures dicunt, quia taciturnitas illa est præsumpta contradictio, & sic tertius tacens habetur pro contradicente, & intrat regula textus, ut contradicente tertio non impedito, duo arbitri rem definiant. Ita Arch. *n.* 1. Butr. *n.* 1. Dom. *n.* 8. & ex Azon. & Goffred. Franc. *n.* 2.

16 Hinc appareat discrimen inter determinationem hujus decretalis, & Canonistas antiquos, & jus civile. Innocentius enim *in cap. Raynaldus, n.* 1. *de testam.* & ibi Hostiens. dicebant, quod si tres arbitri præsentes sint, sed unus nolit concordare cum aliis, sive in unam sententiam, sive etiam, quod sententia feratur, tunc eo contradicente alii possunt proferre sententiam, *l. Duo ex tribus, ff. de re jud.* Sed si dicat se non instructum de causa, idem dicendum sit, *l. si uni, ff. de re jud.* idem etiam dicendum, si postquam dixit opinionem suam, & intellexit contrariam aliorum, recedat. Nam tunc possunt alii duo procedere eo absente, quia tunc cessat ratio legis, scilicet, quod possit alios in suam opinionem trahere, *ut in l. Item si unus, ff. de arbitr.* Sed si non intellexit opinionem aliorū, & recedat, etiam sine causa, etiā malitiosè, nolens causam terminare, tunc procedere nō possunt præsentes, *d. l. Item, & d. l. Duo*. Quamvis dicant quidam quod ex quo convenerunt ad sententiam ferendam, quod etiam uno recedente alii possunt sententiare, quia verum est omnes adesse ad ferendam sententiam. Tenebant igitur tunc Innocentius, & alii, quod non audita aliorum opinione recedente uno ex arbitris tempore ferendæ sententiæ etiam si malitiosè recedat, non possent alii duo sententiare. Sed hoc jam est per hanc decretalem reprobatum. Et nedum si unus præsens tempore sententiæ ferendæ recedat, sed etiam si requisitus nolit adesse, vel si præsens taceat, alii duo concordes validè pronuntiant.

17 De jure verò civili *in l. si in tres*, nimirum *in l. Item si unus, §. 5. de arbitr.* sufficit quidem duorum consensus, si præsens fuerit & tertius; alioquin absente illo, licèt duo consentiant, arbitrium non valet; quia in plures fuit compromissum, & potuit præsentia ejus, trahere eos in ejus sententiam. Sed ex vi hujus decretalis nedum si tertius sit præsens, sed etiam si sit absens,

absens, dum tamen requisitus, & non impeditus voluntariè non adfuerit, possunt alii duo sententiam ferre.

18 Et hoc quidem nunc est servandum in locis Imperii subjectis, & juri civili subditis, sed in statu Ecclesiastico, tam Clerici, quàm Laici hujus decretalis legem servare debeant, Gloss. *in v. lex*, Anch. Dom. *n.*8. Franc. *n.*5. Barbos. *num.*7. Covar. *de sponsal. p.*2. *cap.*7. §.7. *n.*15. Jo. Garz. *reg.*57. *n.*12. Tuic. *lit. I, concl.* 580.

19 In foro autem Ecclesiastico ubique terrarum servanda est lex Canonica, ut not. *in cap. cùm esses, & cap. Relatum, de test. & cap.*1. *de nov. oper. nunt.* & tradunt Gloss. *inf. in reg. Possessor, de reg. jur.* dicens Papam in suo foro posse tollere legem civilem, etiam ubi non habet temporalem jurisdictionem, Jo. Andr. *d. reg. possessor in Mercur.* Panorm. *cap. Clerici n.*2. *de Jud.* Fagnan. *cap. Antigonus, n.*28. *de Pactis*, ubi *num.*29. Quod in materia mixta in foro Ecclesiastico ubique terrarum, & indistinctè etiam inter laicos servanda est lex Canonica, & non lex civilis discrepans à canone, per Butr. *in dict. cap. Clerici, n.*22. Alex. *cons.*167. *n.*5. *l.*2. Felin. *cap. Ecclesia S. Mariæ, num.*43. *de constit.*

20 Sex quoque casus numerat Franc. *n.*5. in quibus ubique servanda est lex canonica etiam in terris Imperii, & in utroque foro. Primò in matrimoniis, *ut in cap. fin. inf. de secund. nupt. & glos. sing. instit. de grad.* §. *sexto gradu*. Secundò in spiritualibus, & beneficialibus, *ut in cap. fin. inf. de jud.* & per Gloss. *in c. Cum vos, sup. de off. ord.* Tertiò ubicumque canon disponit in materia, in qua vertitur periculum animæ, & sic in materia peccati, & materia juramenti, ut Gloss. *in reg. possessor, infr. de reg. jur.* Quartò ubi agitur de interpretatione fidei, & divinæ legis, *cap. Per venerabilem, qui filii sint legitimi, & in cap. Majores de baptismo, & l. fin. C. de summ. Trin.* Quintò ubi deficit jus civile, *l.*1. *C. de no. cod. compo.* Nam si quando deficit lex debet recurri ad consuetudinem secundùm notat. *in l. non possunt, & l. si de interpretatione, & l. De quibus, ff. de leg.* Fortius debet recurri ad canones, qui sunt majoris authoritatis, quàm consuetudo, *cap. Quis nesciat, dist.*11. Sextò in omnibus rebus, & juribus Ecclesiasticis, *cap. Ecclesia, sup. de const.*

21 Quærit etiam Barb. *n.*7. an deficiente Canonum authoritate, si reperientur leges civiles contrariæ Sanctorum dictis veluti Hieronymi, & Augustini, & aliorum, standum sit potius legibus civilibus, quam Sanctorum testimoniis. Quod quidem ad utramque partem latè disputat Luc. de Peona *in l. medicos, col.*2. *C. de profess. medic.* & ex Cassan. Perez. Burg. de Pace, & Azeved. Barb. distinguit, & ait, quod in materia spirituali, & ad fidem spectante, seu in interpretatione scripturarum sanctorum Patrum dicta legibus civilibus præferenda sunt. In materia verò temporali, videlicet de testamentis, & hæreditatibus, &c. potius standum est legibus civilibus, quas in hujusmodi materiis approbarunt Summi Pontifices, & dicuntur per ora Principum divinitus promulgatæ, *cap. ult.* 16. *qu.*3. quam tamen approbationem non habent sanctorum dicta, *cap. Noli, c. Ego solis, dist.*9. Sed considerandum est, quod sanctis Patribus reverentiam, & honorem debemus, ut Magistris, non verò obedientiam, ut legislatoribus, unde in nulla materia eis obedire tenemur obligatione legalis obedientiæ, quamvis hæc obedientia eorum documentis debeatur pro quanto illa contineant vim legis naturalis, aut divinæ, aut humanæ; Sed & lex civilis, si suam sphæram egrediatur, & velit disponere de rebus fidei, & spiritualibus, & supernaturalibus, usurpando jurisdictionem spiritualem, nec est lex, neque obligat. Cæterùm ex hoc solùm quod decernat contraria dictis Sanctorum, non est spernenda, quia in materia propria sibi potest esse rationabilis, & justa, illa contrarietate non obstante, & lex justa obligat. Verum rarum erit, & difficilè invenire, quod lex civilis sit contraria sanctis Patribus, & non sit nulla, vel tamquam excedens propriam sphæram, & terminos temporalis jurisdictionis, vel quia iniqua, & contraria legi naturali, aut Divinæ, quam Patres interpretantur, & super qua sua documenta fundant. In quo casu lex civilis servanda non erit. Cæterùm per se comparatio deficit, quia fit comparatio inter id, quod obligat, & id, quod de se non obligat, & necessitat, sed obligat solum per accidens ex adjuncta aliqua lege, quæ si sit naturalis aut divina, aut etiam Canonica fortius ligat in propria materia, quàm lex civilis.

22 Redeundo verò ad regulam nostram, cùm det facultatem duobus arbitris procedendi sine tertio in casu, quod ille voluntarius nolit adesse, aut procedere, numquid idem dicendũ est, si ille tertius sit mortuus? Respondetur in eo casu cessare penitus compromissum; nisi illud sit conditionatũ, & habeat clausulam, *ut uno impedito, reliqui duo procedere possint*. In casu enim nostræ regulæ, non datur facultates duobus procedendi sine tertio, nisi sub conditione, quod tertius possit, sive non sit impeditus, & nolit, mortuus verò voluntarius non abest, quia imò nõ potest adesse, Anch. *n.*4. Dom. *in fin.* Fr. *n.*4.

23 Duorum etiam sententia non valet tertio absente, si illi duo non sunt concordes, quia tunc sententia non est à majori parte, sed à discordantibus arbitris. Ideò si dati sint sex arbitri, & duo absint voluntariè, & ex aliis quatuor, tres sint concordes, & quartus dissentiat, nulla est sententia, quia hæc nulla esset etiam si omnes sex adessent, & tres ex una parte unum vellent, & tres ex altera parte discordarent. Et sic ut sententia valeat, nedum necesse est, quod major pars sententiet, sed quod sit concors in sententia.

24 An verò à sententia arbitrorũ possit appellari, dictum est, *sup. cap. Ab Arbitris, de off. deleg. in hoc lib.* Quamvis verò ab arbitris compromissariis de jure communi non detur appellatio, *ut ibid.* dictum est, Probus tamen hic *n.*1. ait, quod de consuetudine Regni Franciæ in praxi consuetudinaria, in foro sæculari appellatur à sententia arbitrorũm, & si malè fuerint arbitrati emendant. Et tamen quod pro hac pronuntiatione præsumitur, si fuit facta partibus citatis, quoniam aliàs est nulla. Si etiam læsio sit modica, non habet locum appellatio. Nullitatem verò laudi cognoscendam esse coram Judice Ordinario, tradit idem Probus ex Imola *in cons.*30.

25 Quod etiam dictum est, quod in casu nostræ regulæ valet sententia duorum arbitrorum limitatur, ut sit verum, si aliàs nullus eorum sit impeditus, & inhabilis. Nam si eorum alter sit, v.g. excõmunicatus, aut alias de jure damnatus, & inhabilis quoad actus civiles, laudũ eorum erit nullum, Prob. *n.*1.

26 Addit verò Probus, quod etiam nullum erit ludum, si competentibus arbitris addantur incompetentes, *per cap. cùm super sup. de off. deleg.* Ubi in Arbitris, & Judicibus, & tutoribus, idem tenet Panorm. *n.*11. si illis potestas non competit in solidum. Videantur DD. *ibidem*.

27 Tandem Pontifex mentem suam explicans, & tacitæ objectioni satisfaciens, decernit, quod regula data non se extendit ad Judices, quia circa illos jura antiqua noluit immutari. De quibus vide Glos. hic, & Dom. Et cùm regula loquatur de pluribus arbitris simpliciter electis, non verò cum clausula, *dic, quod ubi sunt dati plures Iudices simpliciter, unus sine alio procedere non potest, c. Causam matrimonii, sup. de off. del.*

28 Jus verò distinxit inter Judices, & arbitros simpliciter datos, quia arbitri dantur à partibus, & ideò jus supplet, quod minus dictum fuit ab illis. Judices enim majori maturitate creantur, *cap. Statutum. sup. de rescript. in hoc lib.* & ideò jus in illis supplere non vult. Item arbitri plerumque eliguntur amici, & possunt esse viles, & ideò jus magis circa illos providere, & considerare voluit, Gloss. Anch. *n.*1. Butr. *n.*4.

29 Notandum primò ex proœmio hujus textus officium Judicis esse procurare, ut quam citius fieri potest lites terminentur, *cap. Finem, sup. de dolo, & contum. l. Quidam, ff. si certum petatur*, Gloss. *in ver. imponatur*.

30 Notandum secundò, quod etiam in arbitris, ubi sint plures, unus potest alium requirere, sicut & in Judicibus delegatis, *ut in cap. Cùm causam* 22. *de off. deleg.* Dom. *num.*3.

31 Notandum tertiò, quod licèt unus arbiter possit requirere alium, & uterque possit, & debeat citare partes, *l. sed & interpellatur, ff. eod. tit.* aliter sententia esset nulla; non possunt tamen arbitri citare testes, secundùm Franc. hic *n.*4. post Bald. *in d. l. sed & interpellatur*, & Specul. *tit. de arbit.* §.4. *Differt. rer. Item arbiter, num.*4. Citare ergo testes spectat ad Ordinarium, qui citabit illos, ut coram arbitris compareant, Franc. *d. num.*4.

32 Notandum quartò, quod ubi plures arbitri constituti sunt simpliciter sicut unus sine alio non potest in causa procedere, sic debent omnes simul pronuntiare. Vult tamen Anch. *num.*1. quod sufficiat, si aliquibus pronuntiantibus, vel uno eorum, alii dicant consentimus tali judicanti, ita tamen quod non sufficiat hoc dicere ante pronuntiationem sententiæ per intervallum temporis; quia unus arbiter non potest alteri vices suas committere: sicut nec valet ratihabitio sententiæ prius datæ.

Finis Primi Libri Sexti Decretalium.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Volumine continentur.
Prior Numerus indicat numerum Marginalem, & secundus Paginam.

A

A V-

Notabilium.

AVDITOR.

B

BENEFICIVM.

BENEFICIORVM PLVRALITAS.

Beneficiorum plurium impetratio.

Beneficiorum pluralitas sub eodem tecto.

Beneficiorum resignatio.

Beneficiorum vacantia.

Non

CON-

Ob,

Non

errans

Index Rerum

Index Rerum

Pri-

CONCILIARIS LEGIS ABROGATIO.

Quæ sit necessitas, & vis derogatoriarum ad derogandum lege.

ORDINARIVS.

ORDO.

An

P

PACTVM.

v. Renuntiatio.

PACTVM RENVNTIATIONIS HAEREDITATIS.

PAGANVS.

PAPA.

v. Beneficium, v. Concilium, v. Iuramentum, v. l. Conciliari abrogatio.

P R O R O G A T I O.

v. Delegatus.

Q

Q V A L I T A S.

v. Conservator, v. Delegatus.

R

R A T I H A B I T I O.

Advo-

cedem

F I N I S.




EX DONO
CARDINALIS
GABRIELLII
MONASTERIO
S. SEBASTIANI
AD
CATACUMBAS


RESTAURO DEL LIBRO
GIUSEPPE LELLI